ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

CARMELITARUM

DISCALCEATORUM

CURSUS THEOLOGICUS

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1961

ANICII. — EX TYPIS MARCHESSOU FILIORUM

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

COLLEGII

SALMANTICENSIS

FR. DISCALCEATORUM

B. MARIÆ DE MONTE CARMELI

Primitivæ Observantiæ

CURSUS THEOLOGICUS

Juxta miram Divi Thomæ Præceptoris Angelici doctrinam.

TOMUS VIGESIMUS

CONTINENS PARTEM POSTERIOREM TRACTATUS XXIV
DE PŒNITENTIA.

ILLUSTRISS. ac REVERENDISS. IN CHRISTO PATRI D. D.

CAROLO AMABILI DE LA TOUR - D'AUVERGNE - LAURAGUAIS

ARCHIEPISCOPO BITURICENSI

DICATUS

EDITIO NOVA, CORRECTA

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY
Property
COSA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

E SOCIETATE GENERALI LIBRARIÆ CATHOLICÆ

PARISIIS

VICTOR PALMÉ, RECTOR GENERALIS
76, via Sanctorum Patrum, 76

BRUXELLIS
APUD J. ALBANEL
SUCCURSALIS RECTOREM
12, via Parochianorum, 12

GENEVÆ
APUD HENRICUM TREMBLEY
SUCCURSALIS RECTOREM
4, via vulgo dicta *Corraterie*, 4

1883

BX
1751
S2
1870
v.2.0

INDEX TRACTATUS

QUÆSTIONUM, DISPUTATIONUM ET DUBIORUM

QUÆ IN HOC TOMO VIGESIMO
CURSUS THEOLOGICI SALMANTICENSIS CONTINENTUR.

TRACTATUS XXIV

PARS POSTERIOR

DE PŒNITENTIA UT SACRAMENTO.

Proœmium. 1

QUÆSTIO XC.

De partibus Pœnitentiæ in generali, in quatuor Articulos divisa. 2

Art. 1. Utrum Pœnitentiæ debeant partes assignari. ib.

Art. 2. Utrum convenienter assignentur partes Pœnitentiæ, contritio, confessio, et satisfactio. 5

Art. 3. Utrum prædicta tria sint partes integrales Pœnitentiæ. 9

Art. 4. Utrum convenienter dividatur Pœnitentia in Pœnitentiam ante baptismum, Pœnitentiam mortalium, et Pœnitentiam venialium. 11

Disputatio VII.

De Contritione. 15

Dub. 1. Quas conditiones debeat habere peccatorum dolor, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ, et dispositio ad ejus effectum. ib.

§ 1. Præmittuntur aliqua notabilia, et proprius dubii status assignatur. ib.

§ 2. Proponitur prima conclusio dubio ex parte respondens. 23

§ 3. Alia assertio resolvens aliam dubii difficultatem. 35

§ 4. Ultima conclusio pro perfecta dubii decisione. 44

§ 5. Refertur hæresis contra primam conclusionem. 48

§ 6. Aliquorum Catholicorum sententia contra eandem assertionem. 57

§ 7. Aliæ referuntur sententiæ contra conclusionem secundam. 77

§ 8. Corollaria præcedentis doctrinæ. 83

Dub. 2. Quam intensionem, et extensionem debeat habere dolor pro sacramento pœnitentiæ requisitus. 92

§ 1. Expeditur difficultas quantum ad intensionem doloris. ib.

§ 2. Resolvitur alia dubii pars ad doloris extensionem spectans. 100

§ 3. Unicum contra præcedentem assertionem argumentum, et ejus occasione incidentis dubii decisio. 105

Dub. 3. Quæ sit materia doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ. 111

§ 1. Proponitur communis sententia, et ab aliquibus objectionibus vindicatur. ib.

§ 2. Alia contra eandem assertionem objiciuntur, et dissolvuntur. 120

Dub. 4. Utrum dolor, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ, debeat præcedere confessionem. 126

§ 1. Præfertur pars affirmativa. ib.

Dub. 5. Utrum idem doloris actus possit distinctis confessionibus deservire. 135

§ 1. Aliqua prælibantur, et supponuntur. ib.
§ 2. Duabus assertionibus expeditur difficultas. 138
§ 3. Satisfit motivis adversantium opinionum. 144
Dub. 6. Appendix. De specialibus difficultatibus circa dolorem, et propositum in confessione venialium. 147
§ 1. ib.
§ 2. Quæstiunculæ circa dolorem pro confessione venialium, et earum decisio. 153
§ 3. Alia dubiola circa propositum requisitum pro confessione venialium. 162

Disputatio VIII.

De Confessione sacramentali. 171
Dub. 1. Utrum confessio sacramentalis cadat sub præcepto divino? 172
§ 1. Assertio, et propugnatio catholicæ veritatis. 173
§ 2. Refertur hæresis contraria, et evertuntur ejus motiva. 183
Dub. 2. An, et qua ratione confessio sacramentalis cadat sub præcepto ecclesiastico. 195
§ 1. Resolutio dubii tribus assertionibus explicatur. ib.
§ 2. Recensentur sententiæ præmissis assertionibus oppositæ. 205
§ 3. Ad quas personas extendatur Ecclesiasticum confessionis præceptum. 213
§ 4. Qua anni parte urgeat hoc præceptum, et qualiter annus pro illo computari debeat. 223
§ 5. Conditiones annuæ confessionis, ut per eam satisfiat Ecclesiæ præcepto. 234
§ 6. De causis excusantibus a præcepto annuæ confessionis. 244
Dub. 3. Utrum in confessione explicari debeant omnia peccata quantum ad species, numerum, et circumstantias mutantes speciem? 249
§ 1. Veritas catholica in genere asserta. ib.
§ 2. Quomodo explicanda peccata distincta quoad speciem? 253
§ 3. Qualiter recensendus numerus peccatorum in singulis speciebus? 256
§ 4. Ratio distinguendi circumstantias mutantes speciem, et illas confitendi. 262
Dub. 4. An circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eadem speciem sint necessario explicandæ in confessione? 266
§ 1. Præfertur sententia negans. 267
§ 2. Respondetur motivis contrariæ opinionis. 275
Dub. 5. Quæ circumstantiæ in particulari in confessione explicari debeant. 290
§ 1. De circumstantia Quis. 291
§ 2. De circumstantia Quid. 312
§ 3. De circumstantia Ubi. 327
§ 4. De circumstantia Quibus auxiliis. 336
§ 5. De circumstantia Cur. 340
§ 6. De circumstantia Quomodo. 343
§ 7. De circumstantia Quando. 348
Dub. 6. An peccata mortalia dubia necessario in confessione explicanda? 352
§ 1. Aperitur proprius hujus quæstionis status. ib.
§ 2. Communis sententia diversis motivis suadetur. 359
§ 3. Convelluntur fundamenta sententiæ oppositæ. 370
§ 4. Quæstiunculæ appendices, et earum resolutio. 376
Dub. 7. Quæ integritas in confessione sacramentali servari debeat? 385
§ 1. Proponitur communis resolutio, et obvii ex ea casus deciduntur. ib.
§ 2. Specialis difficultas circa manifestationem complicis in peccato. 395
§ 3. Alia dubia pro integritate servanda in confessione moribundorum. 402
§ 4. Continuatur eadem materia. 414
Dub. 8. An pœnitens debeat explicare, quod peccata, quæ confitetur fuerit, aut non aliquando confessus? 424
§ 1. Propositæ difficultatis decisio aliquibus assertionibus explicatur. id.
§ 2. Refertur sententia contraria. 429
Dub. 9. Utrum confessio facta ex fine venialiter malo sit invalida? 433
§ Unicus. Resolvitur difficultas duabus assertionibus, et refertur opinio contraria. 434
Dub. 10. An, et quale conscientiæ circa peccata examen debeat confessioni præmitti. 437

§ Unicus. Communis doctrina proponitur, et declaratur. ib.
Dub. 11. An possit dari confessio informis, et valida, et in quibus casibus. 441
§ 1. Statuitur prima conclusio. ib.
§ 2. Referuntur, et refelluntur diversi modi dicendi. 449
§ 3. Statuitur secunda conclusio, in qua primus casus informis, et validæ confessionis proponitur, et firmatur. 464
§ 4. Sententia primæ assertioni adversa. 467
§ 5. Adversariorum argumenta proponuntur et enervantur. 470
§ 6. Digressio vindicativa doctrinæ traditæ tract. 18, disput. 4, dub. 3, ab impugnatione Mag. Ponce. 476
Dub. 12. An possit dari confessio valida, et informis ex negligentia graviter culpabili circa examen conscientiæ. 481
§ 1. Titulus dubii exponitur, et aliqua pro illius intelligentia prænotantur. 482
§ 2. Duplex assertio statuitur. 484
§ 3. Tertia assertio proponitur, et firmatur. 487
§ 4. Adversariorum argumenta proponuntur, et enodantur. 493
Dub. 13. An sexdecin tantum assignentur confessionis conditiones? 501
§ 1. Resolvitur difficultas. ib.
§ 2. Sexdecim confessionis conditiones exponuntur. 502

Disputatio IX.

De sigillo Confessionis sacramentalis. 507
Dub. 1. Quo jure obliget sacramentale sigillum? 509
§ 1. Triplici assertione absolvitur difficultas. ib.
§ 2. Evasiones ad rationem D. Thomæ præcluduntur. 515
§ 3. Argumentis contra primam assertionem satisfit. 519
Dub. 2. Utrum sigillum sacramentale in omni eventu sit observandum? 521
§ 1. Communis et vera sententia statuitur. ib.
§ 2. Argumenta assertioni adversa convelluntur. 523
Dub. 3. Qualiter sigillum sacramentale observari debeat? 533
§ 1. Communis sententia proponitur, et plures casus et consectaria deciduntur. ib.
§ 2. Specialis difficultas circa usum notitiæ confessionis ad externam gubernationem. 542
Dub. 4. Utrum sacerdos possit prodere peccatum sibi confessum de licentia pœnitentis? 549
§ 1. Dubii resolutio. 550
§ 2. Oppositæ sententiæ fundamenta convelluntur. 553
Dub. 5. Ex qua confessione oriatur sigillum sacramentale, et quas personas constringat? 557
§ 1. Prior dubii pars resolvitur. ib.
§ 2. Expeditur dubium quoad alteram partem. 561
Dub. 6. Quæ cadant sub sacramentali sigillo. 566
§ 1. Resolvitur difficultas aliquibus assertionibus. ib.
§ 2. Consectaria præcedentis doctrinæ. 569
Dub. 7. Quæ peccata committat violator sigilli confessionis? 573
§ 1. Triplici conclusione resolvitur difficultas. ib.
§ 2. Referuntur, et refelluntur oppositæ sententiæ. 575
§ 3. Quid sentiendum de parvitate materiæ in fractione sigilli formaliter ut sacri? 577
§ 4. Quas pœnas incurrat violator sigilli confessionis? 580

Disputatio X.

De satisfactione prout est actus virtutis Pœnitentiæ. 581
Dub. 1. Utrum homo de condigno satisfacere valeat pro pœna temporali proprio peccato mortali debita? 583
§ 1. Suppositiones aliquæ præmittuntur. ib.
§ 2. Vera sententia eligitur, et firmatur. 587
§ 3. Argumentis adversariorum fit satis. 589
Dub. 2. Utrum possit aliquis satisfacere de condigno pro pœna temporali peccati alterius? 594
§ 1. Communis sententia statuitur. ib.
§ 2. Motiva opposita convelluntur. 598

§ 3. Corollaria præcedentis doctrinæ, in quibus incidentes quæstiunculæ deciduntur. 603
Dub.3.Quibus conditionibus satisfactio indigeat ? 606
§ 1. Actum liberum requiri ad satisfaciendum stabilitur. 607
§ 2. Honestatem, ac bonitatem moralem requiri ad satisfactionem decernitur. 609
§ 3. Satisfactio viæ, et gratiæ statum exposcit. 610
§ 4. Quid sentiendum de intentione ad satisfactionem ? 614
§ 5. Corollaria, in quibus nonnullæ expediuntur difficultates. 616
Dub.4.Utrum ad satisfactionem requiratur pactum, vel Dei promissio eam acceptandi ? 626
§ 1. Sententia affirmans statuitur. ib.
§ 2. Motiva contraria eliduntur. 627

Disputatio XI.

De satisfactione sacramentali. 629
Dub. 1. Utrum confessarius possit, ac debeat pœnitenti satisfactionem imponere ? 630
§ 1. Duplex assertio proponitur. ib.
§ 2. Duplex alia assertio statuitur, et qualiter teneatur satisfactionem injungere sacerdos, declaratur. 635
§ 3. Sententia ultimæ assertioni contraria refertur. 636
Dub. 2. Utrum sacerdos valeat cogere pœnitentem ad acceptandam, et exequendam pœnitentiam. 638
§ 1. Vera sententia ac primum ejus fundamentum. 639
§ 2. Alia ejusdem sententiæ fundamenta expenduntur. 642
§ 3. Recensentur oppositæ sententiæ, et eorum motiva evertuntur. 644
§ 4. Quæstiunculæ huc spectantes expediuntur. 652
Dub. 3. In quo statu, ac tempore, et a qua persona debeat pœnitentia adimpleri ? 662
§ 1. Quid de statu, in quo pœnitentia adimplenda sit ? ib.
§ 2. Quid de tempore adimplendi pœnitentiam ? 663
§ 3. Quid de persona, a qua adimplenda est ? 662
Dub. 4. A quo, et an extra confessionem possit fieri pœnitentis commutatio ? 670
§ 1. Duplex assertio statuitur. ib.
§ 2. Aliis assertionibus absolvitur difficultas. 673
§ 3. Sententiæ prioribus assertionibus oppositæ referuntur. 674
§ 4. Sententiæ reliquis assertionibus adversæ proponuntur. 679
Dub.5. Quænam causæ pœnitentem excusent a pœnitentiæ juste impositæ adimpletione ? 684
§ 1. Duplex assertio quæstioni ex parte respondens. ib.
§ 2. Aliæ assertiones pro perfecta dubii resolutione. 687
§ 3. Sententiæ oppositæ referuntur, et enervantur eorum motiva. 690
Dub. 6. Quem effectum inducat ex opere operato satisfactio sacramentalis ? 696
§ 1. Triplici conclusione dubium resolvitur. ib.
§ 2. Oppositæ sententiæ referuntur et earum motiva enervantur. 699
§ 3. Duplex quæstiunculæ incidentis decisio. 703

Disputatio XII.

De potestate Clavium, ac ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ. 707
Dub. 1. Quid sint claves Ecclesiæ vel an recte diffiniantur. 708
§ 1. Deciditur dubium, et communis sententia defenditur. ib.
§ 2. Argumentis satisfit. 709
Dub. 2. Utrum clavium potestas sit in Ecclesia. 713
§ 1. Deciditur difficultas, et veritas catholica propugnatur. ib.
§ 2. Duæ hæreticorum responsiones confutantur. 716
§ 4. Hæreticorum fundamentis satisfit. 718
Dub. 3. Quot sint claves Ecclesiæ ? 722
§ 1. Triplici conclusione dubium resolvitur. ib.
§ 2. Argumenta adversariorum enodantur. 724
Dub. 4. Qui sacerdotes habuerint, aut habeant clavium potestatem ? 729

§ 1. Quid de sacerdotibus legis scriptæ, et naturalis ? ib.
§ 2. Quid de sacerdotibus legis Evangelicæ ? 732
Dub. 5. An alter præter sacerdotem habeat claves, sitve minister potestatis in pœnitentiæ sacramento ? 734
§ 1. Veritas catholica duplici assertione propugnatur. ib.
§ 2. Argumenta assertionibus opposita convelluntur. 738
Dub. 6. Utrum omnis sacerdos sit minister jurisdictionis hujus sacramenti ? 743
§ 1. Duplex statuitur assertio. 744
§ 2. Alia assertio explicans ministrum jurisdictionis circa venialia, et mortalia jam confessa. 749
§ Quinam sit sensus propositionis damnatæ ab Innocentio XI circa venialium confessionem cum simplici sacerdote? 752
§ 4. Sententiæ oppositæ referuntur, et argumenta enervantur. 755
Dub. 7. Utrum licitum sit ministrare pœnitentiæ sacramentum cum jurisdictione probabili ? 761
Communior, veriorque sententia eligitur. 762
Dub 8. An, et pro quibus confessionibus egeat minister approbatione Ordinarii. 770
§ 1. Ordinarii approbationem esse omnino necessariam in ministro pro sæcularium confessionibus declaratur. ib.
§ 2. Quid de approbatione Ordinarii pro excipiendis Regularium confessionibus ? 777
Dub. 9. Cujus Ordinarii approbatio sit necessaria in ministro ? 785
§ Unic. Duplici assertione expeditur difficultas. ib.

INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

In quo Q. quæstionem : A. articulum : C. commentarium : D. disputationem, N. numerum marginalem designat.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Genesi.

14. *Erat enim Sacerdos Dei Altissimi*, d. 12, n. 32.

Ex Exodo.

31. *Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis tuis, ut Sacerdotio fungantur mihi*, d. 12, n. 32.

Ex Deuteronomio.

4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen toto corde quæsieris.* d. 7, n. 73.

17. *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram et lepram... Surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotes Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore ; quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* d. 12, n. 34.

Ex secundo Regum.

24. *Ego sum, qui peccavi ; ego inique egi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur, obsecro, manus tua contra me* d. 10, n. 32.

Ex 4 Regum.

25. *Tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* d. 10, n. 15.

7. *Duo modii hordei statere uno...et modius simile statere uno, ibidem*, n. 19.

Ex Paralipomenon 2.

33. *Postquam coangustatus est, oravit Dominum Deum suum, et egit pœnitentiam valde coram Deo Patrum suorum.* d. 7 n. 47.

Ex Levitico.

10. *Cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.* d. 10, n. 2.

Ex Numero.

5. *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omni-*

bus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur peccatum suum. d. 8, n. 8.

Ex Libro Tobiæ.

12. *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata,* d. 10, n. 34.

Ex Job.

6. *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret,* d. 10, n. 15.
9. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignoravit anima mea,* d. 8, n. 269.
21. *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus,* d. 8, n. 301.

Ex Psalmis.

68. *Delicta quis intelligit?* d. 8, n. 19 *et* 269.
31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata,* d. 9, n. 13.
37. *Noluit intelligere, ut bene ageret,* d. 8, n. 301.
76. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, et excitabar, et scopebam spiritum meum,* d. 7, n. 85.
84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, et operuisti omnia peccata eorum,* d. 9, n. 13.
113. *Particeps ego sum omnium timentium te,* d. 10, n. 33.

Ex Proverbiis.

8. *Ego diligentes me diligo,* d. 7, n. 13.
10. *Universa delicta operit charitas,* d. 7, n. 13.
11. *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana, qui autem fidelis, celat amici commissum.* d. 9, n. 4.
25. *Quæ viderunt oculi tui, ne proferas in jurgium cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* d. 9, n. 4.
22. *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ,* d. 9, n. 94.
15. *Victimæ impiorum abominabiles D mino,* d. 10, n. 50.

Ex Ecclesiaste.

6. *Sunt justi, ac sapientes, et opera eoru in manu Dei; et tamen nescit hom utrum amore, an odio dignus sit?* d. n. 269.

Ex Ecclesiastico.

34. *Dona iniquorum non probat Altissim* d. 10, n. 50.
19. *Qui spernit modica, paulatim decid* d. 12, n. 30.

Ex Isaia.

38. *Recogitabo tibi omnes annos meos amaritudine animæ meæ,* d. 7, n. 8
22. *Et dabo claves domus David super h merum ejus, et aperiet, et non erit q claudat, et claudet, et non erit, q aperiat,* d. 12, n. 24.

Ex Ezechiele.

13. *Si autem impius egerit pœnitentiam omnibus peccatis suis, quæ operatus e et custodierit præcepta mea, et fece judicium, et justitiam, vita vivet, non morietur, et omnium iniquitat ejus non recordabor,* d. 8, n. 202.
18. *Anima, quæ peccaverit, ipsa puniet* d. 10, n. 13.

Ex Daniele.

4. *Peccata tua eleemosynis redime,* d. n. 34.

Ex Joele.

2. *Convertimini ad me in toto cordo ves* d. 7, n. 72.

Ex Michæa.

4. *Dole, et satage filia Sion, sicut parturi* d. 7, n. 74.

EX NOVO TESTAMENTO.

—

Ex Matthæo.

16. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis*, d. 8, n. 2 et d. 12, n. 11 et 21.
28. *Data est mihi omnis potestas in Cœlo, et in terra*, d. 9, n. 20.
28. *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos, etc.*, d. 12, n. 14.

Ex Marco.

12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, d. 7, n. 73.
Ult. *Prædicate Evangelium omni creaturæ*, d. 12, n. 13.
Ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit*, d. 12, n. 17.

Ex Luca.

3. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*, d. 12, n. 5.
5. *Quis potest peccata dimittere, nisi solus Deus*, d. 2, n. 3 et 14.
7. *Remittuntur tibi peccata*, d. 7, n. 65.
11. *Væ vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis*, d. 12, n. 24.
13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*, d. 8, n. 2.

Ex Joanne.

14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ad eum veniemus*, d. 7, n. 13.
20. *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis ; et quorum retinueritis, retenta sunt*, d. 8, n. 2 et n. 5 et d. 11, n. 19 et d. 12, n. 10 et 43.
21. *Pasce oves meas*, d. 12, n. 11.

Ex Actibus Apostolorum.

4. *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una*, d. 10, n. 29.
7. *Et accepta satisfactione a Sosone, et ceteris, dimiserunt eos*, d. 10, n. 2.

Ex Paulo ad Romanos.

5. *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem*, d. 10, n. 43.
8. *Accepistis Spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba, Pater... Si filii, et hæredes*. d. 7, n. 14.
8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*, d. 10, n. 10.

Ex I ad Corinthios.

4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*, d. 9, n. 12.
4. *Illuminavit abscondita tenebrarum*, d. 9, n. 13.
5. *Quid enim mihi de his, qui foris sunt, judicare?* d. 12, n. 17.
11. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur*, d. 10, n. 33.
13. *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, d. 10, n. 50.
10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid faciatis, omnia in Dei gloriam facite.* d. 7, n. 40.
13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem non habuero, nihil mihi prodest*, d. 7, n. 40.

Ex 2 ad Corinthios.

4. *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros*, d. 9, n. 12.

Ex epist. ad Galatas.

6. *Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris. Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi*, d. 10, n. 27.
6. *Unusquisque onus suum portabit*, d. 10, n. 31.
6. *Quæ seminaverit homo, hæc et metet*, d. 10, n. 31.

Ad Colossenses.

1. *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea pro corpore ejus, quod est Ecclesia*, d. 10, n. 11.

Ex 1 ad Timotheum.

4. *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est ; pietas autem ad omnia*, d. 10, n. 59.

Ad Hebræos.

10. *Solam umbram habens lex futurorum bonorum*, d. 12, n, 33.

Ex epist. Jacobi.

5. *Confitemini alterutrum peccata vestra*, d. 12, n. 49.
5. *Inducat Presbyteros Ecclesiæ ungentes oleo sancto*, d. 12, n. 95.

Ex 1 Petri.

4. *Charitas operis multitudinem peccatorum*, d. 7, n. 13.
3. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, rationem de ea, quæ in vobis est, spe, etc.*, d. 10, n. 2.
2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* d. 10, n. 11.

Ex 1 Joannis.

4. *Charitas pœnam non habet*, d. 10, n. 59.
2. *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ*, d. 11, n. 9.

Ex Apocalypsi.

3. *Hæc dicit Sanctus, et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit ; claudit, et nemo aperit*, d. 12, n. 24 et d. 8, n. 4.
4. *Vidi, et ecce in Cœlo ostium apertum*, d. 12, n. 18.
18. *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum*, d. 10, n. 31.

LAUS DEO

TRACTATUS XXIV

DE PŒNITENTIA TAM UT SACRAMENTO

QUAM UT VIRTUTE POSTERIOR PARS

COMPLECTENS A QUÆSTIONE XC TERT. PARTIS D. THOM. USQUE AD QUÆSTION. XXIX SUPPLEMENTI.

PROŒMIUM.

Ordinem, quem in hoc de Pœnitentia tractatu intenderat observare D. Thomas, præmisit quæst. 84, in principio illis verbis : « Considerandum est de sacramento « Pœnitentiæ. Circa quod primo considerandum est de ipsa pœnitentia : secundo « de effectu ipsius : tertio de partibus ejus : « quarto de suscipientibus hoc sacramentum : quinto de potestate ministrorum, « quæ ad claves pertinet : sexto de solemnitate hujus sacramenti. » Et quidem de primo, atque secundo luculenter egit S. Doctor ab illa quæstione usque ad 90 exclusive, nihil non sapientissime exponens eorum, quæ ad notitiam tam essentiæ pœnitentiæ in ratione virtutis, et sacramenti, quam effectuum ejus possunt desiderari. Quibus pro nostro captu exponendis, dilucidandis, et propugnandis late incubuimus par varias disputationes, ea versantes, quæ circa hanc materiam magis scholastica sunt, et difficiliora censentur, præsertim attinentia ad pœnitentiam virtutem, et primarium ejus actum, scilicet contritionem. Supersunt tamen alia plura, quæ D. Thomas e tertia consideratione recenset, et quibus declarandis sequentes aperiebat quæstiones : sed ad cœlestia vocatus solam nonagesimam absolvit; desiderium (heu dolor !) nobis ceterarum, et complementi totius operis relinquens. In eis autem quæstionibus, quas juxta præmissum methodum discussurum statuerat, plurima occurrunt ad Theologiam moralem præsertim circa sacramentum pœnitentiæ majori ex parte spectantia : sed nec occurrunt pauciora, et ut plurimum magis difficilia, quæ pertinent ad Scholasticam, et accuratam satis discussionem exoptant. In utrisque porro versandis modum hactenus observatum, Cursuique nostro, qui plane scholasticus est, familiarem tenere curabimus, nempe ut moralia leviori manu, styloque concisiori, sed sufficienti attingamus : difficultatibus verò scholasticis (ex quibus congruæ in practicis resolutiones sæpius dependent) impensiorem, et luculentiorem navemus operam. Et quia si id studium alteri jam præmisso in hoc tractatu adjungeretur, et in unum volumen coiret plus æquo illud augeret, et minus versatile faceret; sectionem ejus eligimus in duas principales partes, eamque in hoc loco S. Doctoris congrue adhibuisse putamus. Nam prior jam producta agit quasi in communi de pœnitentia tam virtute, quam sacramento ; hæc autem posterior, quam paramus, descendit ad magis articulatam considerationem omnium, quæ ad pœnitentiam, ut sacramentum spectant, ut constat ex ordine a D. Thoma in verbis relatis promisso. Unde consequenter præmissis jam quæstionibus subjicitur.

QUÆSTIO XC

De partibus Pœnitentiæ in generali, in quatuor Articulos divisa.

Deinde considerandum est de partibus pœnitentiæ : et primo in generali, secundo in speciali de singulis. Circa primum quæruntur quatuor.

ARTICULUS I.

Utrum Pœnitentiæ debeant partes assignari?

Ad primum sic proceditur. Videtur, quod Pœnitentiæ non debeant partes assignari. Sacramenta enim sunt, in quibus divina virtus secretius operatur salutem. Sed virtus divina est una, et simplex. Non ergo Pœnitentiæ cum sit Sacramentum, debent partes assignari.

Præterea : Pœnitentia, et est virtus, et est sacramentum; sed ei, in quantum est virtus, non assignantur partes ; cum virtus sit habitus quidam, qui est simplex qualitas mentis ; similiter etiam et Pœnitentiæ, in quantum est Sacramentum, non videtur, quod sint partes assignandæ : quia baptismo, et aliis Sacramentis non assignantur partes. Ergo Pœnitentiæ nullo modo debent partes assignari.

Præterea : Pœnitentiæ materia est peccatum : ut supra dictum est ; sed peccato non assignantur partes : ergo etiam nec Pœnitentiæ sunt partes assignandæ.

Sed contra est, quod partes sunt, ex quibus perfectio alicujus integratur : sed Pœnitentiæ perfectio integratur ex pluribus, scilicet, ex contritione, confessione, et satisfactione : ergo Pœnitentia habet partes.

Respondeo dicendum, quod partes rei sunt, in quas materialiter totum dividitur. Habent enim se partes ad totum, sicut materia ad formam. Unde in secundo Physic. partes ponuntur in genere causæ materialis, totum autem in genere causæ formalis. Ubicumque igitur ex parte materiæ invenitur aliqua pluralitas, ibi est invenire partium rationem. Dictum est autem supra, quæst. 84, art. 1 et 3, quod in Sacramento Pœnitentiæ, actus humani se habent per modum materiæ. Et ideo cum plures actus humani requirantur ad Pœnitentiæ perfectionem, scilicet contritio, confessio, et satisfactio (ut infra patebit) consequens est, quod Sacramentum Pœnitentiæ habeat partes.

Ad primum ergo dicendum, quod quodlibet Sacramentum habet simplicitatem ratione virtutis divinæ, quæ in eo operatur. Sed virtus divina propter sui magnitudinem operari potest, et per unum, et per multa, ratione quorum alicui sacramento possunt partes assignari.

Ad secundum dicendum, quod Pœnitentiæ, secundum quod est virtus, non assignantur partes : actus enim humani, qui multiplicantur in Pœnitentia, non comparantur ad habitum virtutis, sicut partes, sed sicut effectus. Unde relinquitur, quod partes assignentur Pœnitentiæ, in quantum est sacramentum, ad quod actus humani comparantur, ut materia. In aliis autem Sacramentis materia non sunt actus humani, sed aliqua res exterior una, sive simplex, ut aqua, vel oleum : sive composita, ut chrisma ; et ideo aliis sacramentis non assignantur partes.

Ad tertium dicendum, quod peccata sunt materia remota Pœnitentiæ ; in quantum scilicet sunt materia, vel objectum humanorum actuum, qui sunt propria materia Pœnitentiæ, prout est sacramentum.

Prima conclusio in corp. articuli. *Sacramentum pœnitentiæ habet partes.*

Secunda conclusio in resp. ad 2. *Virtuti pœnitentiæ non assignantur partes.*

1. Commune est sacramentis legis gratiæ constare partibus essentialibus, nempe materia, et forma, id est, rebus, ut materia, et verbis ministri, ut forma. Quod diserte statuit Concilium Florentinum in decreto unionis ducens : « Hæc omnia sa- « cramenta tribus perficiuntur, rebus tan- « quam materia, verbis tanquam forma, « et persona ministri, etc. » Et Concilium Trident. agens specialiter de hoc pœnitentiæ sacramento, sess. 14, cap. 3, asserit : « sacramenti pœnitentiæ formam, in qua « præcipue ipsius vis sita est, in illis mi- « nistri verbis positam esse, ego te absolvo, « etc. Sunt autem, quasi materia hujus « sacramenti, ipsius pœnitentis actus, « nempe contritio, etc. » Quod agentes de sacramentis in genere late ex professo statuimus tract. 22, disp. 1, dub. 2, conclus. 1, et agentes specialiter de pœnitentia ostendimus supra disp. 1, dub. 2, per totum. Est vero difficultas, utrum in hoc sacramento debeant ulterius assignari partes? Ad quod affirmative respondet D. Thomas in hoc art. et probat : quia materia hujus sacramenti consistit in actibus pœnitentis; et talis materia constat ex multis, nempe contritione, confessione, et satisfactione : ergo hoc Sacramentum habet partes. Eo vel maxime, quod ii actus se tenent ex parte materiæ, eamque adæquate, constituunt, ut docet Trident. loco cit. quocirca nequeunt non esse etiam partes materiales totius sacramenti. Et quia hoc ex professo ostendimus supra disp. 1, dub. 2, non oportet in eo amplius immorari. Recolantur tamen specialiter, quæ diximus a num. 116.

Opponit suæ resolutioni S. Doctor virtutem divinam operari in sacramentis : quare

quare cum illa sit una, et simplex, non oportet in hoc sacramento multiplicare partes. Sed plus æquo concludit objectio : excluderet namque a sacramentis, si probaret, partes essentiales, nempe materiam, et formam ; siquidem virtus divina in eis operans est una, et simplex : consequens autem adversatur Conciliis relatis, et communi doctrinæ. Sed D. Thomas facile illam diluit ad 1, dicendo sacramenta habere unitatem, et simplicitatem ex parte virtutis Dei, cui in agendo subduntur : porro hanc virtutem posse influere, et per unum, et per multa, atque ideo inconveniens non esse, quod alicui sacramento plures assignentur partes. Cujus doctrinæ occasione dubitari valet, an virtus divina, seu elevans multiplicetur saltem materialiter in diversis partibus sacramenti ? Ad quod Nugnus in præsenti affirmative respondet, non reputans absurdum materialem illam virtutis elevantis multiplicationem juxta materialem etiam partium sacramenti diversitatem : quia semper ea virtus est formaliter una ob subordinationem ad unum Deum principaliter agentem. Sed Prado hoc loco tenet partem negativam, quam censemus magis conformem D. Thomæ, veritati, ac doctrinæ ex professo assertis tractat. 22, disp. 4, dub. 5, ubi statuimus, sacramenta non in tempore, aut successive causare gratiam, sed in instanti terminativo, et ultimo, quo sacramenta perficiuntur : quamobrem ista, et illorum partes non indigent virtute elevante, nisi pro illomet ultimo instanti, in quo suam causalitatem exercent. Et quia omnes eorum materiales partes simul concurrunt, vel formaliter, vel virtualiter in eo momento, ut loco citato explicuimus ; ideo omnes sic sumptæ unica virtute complentur, et elevantur ad agendum. Et in hoc sensu asseruit D. Thomas hoc sacramentum, non obstante materiali partium multiplicitate, habere simplicitatem ex parte virtutis divinæ : quod falsum foret, si ipsa divina virtus multiplicaretur etiam materialiter, sicut ipsæ partes : par enim deberet esse de utrisque judicium.

2. Hæc autem (ut tacitæ objectioni ita occurramus) intelligenda sunt loquendo de partibus hujus sacramenti in ordine ad immediatam productionem sui effectus, nempe gratiæ in pœnitente : secus autem præsuppositive. Pro quo observandum est duplicem elevationem distinguendam esse in hoc sacramento præ ceteris : aliam, qua elevatur pœnitens ad eliciendum actum doloris, cum ordine, et subjectione ad claves, sive ad confessionem coram legitimo ministro ; et hæc præcedit instans terminativum prolationis verborum absolutionis, in quo perficitur sacramentum, et si non occurrat obex, proprius ejus effectus producitur. Ceterum hæc elevatio non afficit sacramentum, nec ejus partes : sed elevat pœnitentem, ut ponat in rerum natura quandam partem sacramenti, nempe dolorem cum ordine ad claves, qui debet esse supernaturalis, atque ideo exposcens elevationem ex parte principii, ut dicemus disput. sequ. numer. 19. Alia est posterior totius sacramenti elevatio, quæ sacerdotis verba, ut cadentia supra actus humanos pœnitentis, eosque per modum formæ complentia elevantur ad causandum effectum sacramenti. Et hæc est indivisibilis, tam formaliter, quam materialiter : quia solum afficit ultimum terminativum verborum, cum ordine tamen ad præcedentia, nempe actus pœnitentis, et prolationem verborum absolutionis, ut explicuimus tract. 22, disp. 4, dub. 5, per totum. Et in hoc sensu D. Thom. in 4, dist. 16, quæst. 1, art. 1 ad 1, dixit, « quod sacramentum « est simplex ratione effectus principalis, « et virtutis simplicis, quæ operatur ; sed « materiale in sacramento potest esse com- « positum. » Et agendo in propriis terminis de sacramento pœnitentiæ ait : « Par- « tes non assignantur pœnitentiæ ex parte « virtutis sacramentalis, sed ex parte ejus, « quod est materiale in ipsa. » D. Thom.

Opponit sibi Div. Thomas secundo loco argumentum desumptum ex duplici instantia, aut exemplo. Nam in primis Pœnitentiæ virtuti non assignantur partes, cum sit unus habitus, aut simplex qualitas ; deinde, nec baptismo, nec aliis sacramentis assignantur partes hujusmodi ex parte materiæ. Ergo assignari non debent sacramento pœnitentiæ. Argumentum ex duplici instantia.

Negat S. Doctor consequentiam. Et ad primum exemplum in contrarium respondet, quod actus humani, qui multiplicantur in pœnitentia, non comparantur ad habitum virtutis sicut partes, ex quibus coalescat, sed sicut effectus, qui virtutem præ- Responsio ad 1.

supponunt : manifestum namqüe est absque actibus ejusmodi salvari virtutis habitum. Oppositum autem contingit in pœnitentiæ sacramento, quod componitur ex materia, et forma, ut docent Concilia supra relata, et materia componitur ex actibus pœnitentis, per quos clavibus, et absolutioni se subdit : unde oportet concedere, quod pœnitentia sacramentum habet partes ex parte materiæ. Ad secundum respondet, materiam aliorum sacramentorum non esse actus humanos, sed aliquam rem externam, vel simplicem, ut aquam ; vel compositam, ut chrisma : quocirca eis non assignantur partes. Sed sacramentum pœnitentiæ importat ex parte materiæ actus humanos satis differentes.

Respon-sio ad 2.

Effugium Suarii.

Hæc cum sint clarissima, minime effugerunt notas Suarii in hoc articulo. Nam responsioni ad primum opponit, quod licet actus virtutis pœnitentiæ non sint partes ejusdem pœnitentiæ habitualis, sunt tamen partes ejusdem pœnitentiæ actualis : quia pœnitere per eos actus exercetur, in ipsisque consistit. Contra secundam observat, quod quamvis materia remota ceterorum sacramentorum non sit actus humanus, sed res exterior ; tamen proxima illorum materia consistit in actione humana, utputa in ablutione, in unctione, etc. Qua regula præcise excipitur sacramentum Eucharistiæ, quod quia non consistit in usu, sed est permanens ; ita exposcit rem externam tanquam materiam, ut uullus actus humanus, v. g. sumptio, ex parte materiæ necessarius sit. Porro actus humani, qui in aliis sacramentis sunt materia proxima, profecto multiplicantur, ut patet in pluribus unctionibus diversorum membrorum, quæ sunt partes materiales sacramenti Extremæ unctionis. Et in sacramento Matrimonii occurrunt duæ traditiones partiales, et sic de aliis, excepto Baptismo, qui habet simpliciorem materiam tam remotam, quam proximam. Unde disparitas, aut resolutio D. Thomæ non est universaliter vera : et ideo permissive (addit Suarez) intelligendum puto, non distributive.

Rejicitur.

3. Sed hi præfati Authoris scrupuli leves sunt. Nam quod ad primum attinet argumentum, cui obviam ivit S. Doctor, expresse procedebat de habitu, sive habituali virtute pœnitentiæ, ut ex eo liquet. Cui directe satisfecit dicendo : « quod actus « humani, qui multiplicantur in pœniten- « tia, non comparantur ad habitum vir- « tutis, sicut partes, sed sicut effectus. » Nec adversus hoc aliquid opponit Suarez, quippe continens responsionem evidentem. Divertit autem ad pœnitentiam actualem, sive exercitium virtutis, cujus mentionem non fecerat S. Doctor ; sed inutili conatu ; tum quia de hac pœnitentia non agebatur ; tum quia nec in isto sensu concedendum est actus humanos esse partes virtutis pœnitentiæ : non enim constituunt, aut componunt unicum talis virtutis habitum, ut supponitur ex immediate dictis : nec componunt unicum actum, ut ex se adhuc magis liquet, cum eorum quilibet sit actus completus, et perfectus : nec denique componunt unicum talis virtutis exercitium, siquidem tale exercitium non est aliquod unum nisi per aggregationem, et hanc profecto non necessariam ; quippe virtus potest in illorum quolibet sistere. Unde D. Thomas in 4, dist. 16, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 4, ad 2, ait : « Dicendum, quod « quamvis tria prædicta sunt actus pœni- « tentiæ virtutis, non tamen sequitur, quod « sint partes ejus : quia in quolibet eorum « actu inveniuntur omnes circumstantiæ « quibus integratur medium virtutis. » Unde in eorum quolibet, et per se salvatur valet actualis pœnitentia, sive proprium exercitium pœnitentiæ virtutis. Secus autem contingit in materia sacramenti pœnitentiæ, quæ minime salvatur nisi complectendo contritionem, et confessionem, et satisfactionem saltem in voto. Non magi pungit secundus scrupulus : quia D. Thomas non negat, quod in sacramentis alii præter res, quæ sunt materia remota, detur alia proxima consistens in earun rerum applicatione per actus humanos sed id supponit, et repetit quæst. 73, art 1, ad 3, et alibi frequenter. Ceterum i ejusmodi applicationibus, licet plures i eodem sacramento contingant, nulla es earum diversitas consideratione digna, propterea dicantur ejusdem materiæ partes vel habere distincta munia in ordine a constituendum aliquod unum. Cujus oppo situm contingit in iis actibus humanis, q in pœnitente debent tanquam materia sup poni, ut absolutionis formæ subdantur sunt enim satis diversi, subeuntque offici distinct

distincta : quocirca merito comparantur ad talem materiam, ut ipsius partes. Quam differentiam optime docuit D. Thomas loco citato ex 4, quæstiunc. 3, in corp. dicens : « Partes quantitatis sunt quandoque unius « rationis, ut in totis homogeneis : quan- « doque vero diversarum rationum, ut in « totis etherogeneis... Et hujusmodi partes « sunt hæ, de quibus loquimur, quia pœ- « nitentiæ sacramentum secundum ratio- « nem speciei suæ ex his tribus integratur, « et una est prior altera secundum natu- « ram, etc. » Cui quantum ad hoc differentiæ inter istud, et alia sacramenta, et resolutioni D. Thomæ consonat communis loquendi modus, tam inter Theologos, quam inter vulgares : videmus namque frequenter fieri interrogationem de partibus sacramenti pœnitentiæ, quæ de partibus aliorum Sacramentorum non fit. Signum itaque est peculiare esse huic sacramento habere partes ex parte materiæ, ut S. Doctor statuit. Quod magis constabit ex immediate dicendis.

ARTICULUS II.

Utrum convenienter assignentur partes Pœnitentiæ, contritio, confessio, et satisfactio ?

Ad secundum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter assignentur partes Pœnitentiæ, contritio, confessio, et satisfactio. Contritio enim est in corde (et sic pertinet ad interiorem Pœnitentiam), confessio autem est in ore, et satisfactio in opere. et sic duo ultima pertinent ad exteriorem Pœnitentiam. Pœnitentia autem interior non est Sacramentum, sed sola Pœnitentia exterior, quæ sensui subjacet : non ergo convenienter assignantur hæ partes Sacramento Pœnitentiæ.

Præterea ; in Sacramento novæ legis confertur gratia : ut supra habitum est ; sed in satisfactione non confertur aliqua gratia : ergo satisfactio non est pars Sacramenti.

Præterea : non est idem fructus rei, et pars. Sed satisfactio est fructus Pœnitentiæ, secundum illud Lucæ 2 : Facite fructus dignos Pœnitentiæ : ergo non est pars Pœnitentiæ.

Præterea : Pœnitentia ordinatur contra peccatum ; sed peccatum potest perfici solum in corde, per consensum, ut in secunda parte habitum est : Ergo, et Pœnitentia : non ergo Pœnitentiæ debent partes poni confessio oris, et satisfactio operis.

Sed contra : Videtur, quod debeant poni plures partes Pœnitentiæ. Pars enim hominis ponitur non solum corpus, quod est ejus materia, sed etiam anima, quæ est ejus forma; sed tria prædicta, cum sint actus Pœnitentis, se habent sicut materia : absolutio autem Sacerdotis se habet per modum formæ : ergo absolutio Sacerdotis debet poni quarta pars Pœnitentiæ.

Respondeo dicendum, quod duplex est pars, ut dicitur in 5 Metap. scilicet pars essentiæ, et pars quantitatis. Partes essentiæ, sunt naturaliter quidem forma, et materia, logice autem est genus, et differentia. Hoc autem modo quodlibet Sacramentum distinguitur in materiam, et formam, sicut in partes essentiæ. Unde, et supra dictum est quod Sacramenta consistunt in rebus, et verbis. Sed quia quantitas se tenet ex parte materiæ ; partes quantitatis sunt partes materiæ. Et hoc modo Sacramento Pœnitentiæ specialiter assignantur partes (ut dictum est) quantum ad actus Pœnitentis qui sunt materia hujus Sacramenti. Dictum est autem supra, quod alio modo fit recompensatio offensæ in Pœnitentia, et in vindicativa justitia. Nam in vindicativa justitia fit recompensatio secundum arbitrium judicis, non secundum voluntatem offendentis, vel offensi. Sed in Pœnitentia fit recompensatio offensæ secundum voluntatem peccantis, et secundum arbitrium Dei, in quem peccatur : quia hic non quæritur sola redintegratio æqualitatis justitiæ (sicut in justitia vindicativa), sed magis reconciliatio amicitiæ, quod fit dum offendens recompensat secundum voluntatem ejus, quem offendit. Sic igitur requiritur ex parte pœnitentis : primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per contritionem : secundo, quod se subjiciat arbitrio Sacerdotis loco Dei : quod fit in confessione: tertio, quod recompenset secundum arbitrium ministri Dei, quod fit in satisfactione. Et ideo contritio, confessio, et satisfactio, ponuntur partes Pœnitentiæ.

Ad primum ergo dicendum, quod contritio secundum essentiam quidem est in corde, et pertinet ad interiorem Pœnitentiam ; virtualiter autem pertinet ad exteriorem Pœnitentiam : in quantum scilicet implicat propositum confitendi, et satisfaciendi.

Ad secundum dicendum, quod satisfactio confert gratiam prout est in proposito : et auget eam, prout est in executione; sicut etiam baptismus in adultis, ut supra dictum est.

Ad tertium dicendum, quod satisfactio est pars Pœnitentiæ Sacramenti ; fructus autem Pœnitentiæ virtutis.

Ad quartum dicendum, quod plura requiruntur ab bonum, quod procedit ex integra causa, quam ad malum, quod procedit ex singularibus defectibus, secundum Dionysium quarto capite de divinis nominibus Et ideo licet peccatum perficiatur in consensu cordis, ad perfectionem tamen Pœnitentiæ requiritur, et contritio cordis, et confessio oris, et satisfactio operis.

Ad contrarium vero patet solutio per ea quæ dicta sunt.

Conclusio est affirmativa.

1. Doctrinam hujus articuli latissime elucidavimus disp. 1, fere per totam, et præsertim dub. 2. Fuerunt profecto circa ejus materiam diversæ antiquorum sententiæ, ex quibus Scotus asseruit, solam absolutionem Sacramentum Pœnitentiæ constituere, et actus pœnitentis non esse partes materiales illius. Durandus autem docuit, solam confessionem esse illius materiam, contritionem vero, et satisfactionem esse duntaxat dispositiones ex parte Pœnitentis requisitas. Omittimus hæreticos palam errantes, e quibus Lutherus art. 5, inter condemnatos a Leone X negavit tres istas Pœnitentiæ partes, audacter effutiens, neque in Scriptura, nec in Sacris Doctoribus fundamentum habere. Sed resolutio Doctoris Angelici (inquit Cajetanus in præs. artic. 1), canonizata est in hac parte a Synodo Florentino sub Eugenio IV, in decreto Eugenii post ultimam sessionem. Et magis adhuc canonizata (quod Cajetanus prius moriens videre non potuit) in Concilio Tridentino. Nam sess. 14, cap.

Concil. Flor. Concil. Trid.

3, sub titulo, de partibus, et fructu hujus sacramenti, docet : « Sunt autem quasi « materia hujus sacramenti ipsius pœni- « tentis actus, nempe contritio, confessio, et « satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad « integritatem sacramenti, ad plenamque « et perfectam peccatorum remissionem ex « Dei institutione requiruntur, hac ratione « pœnitentiæ partes dicuntur. » Et conformiter ad hanc doctrinam statuit can. 4 ejusdem sess. « Si quis negaverit ad inte- « gritatem, et perfectam peccatorum re- « missionem requiri tres actus in pœnitente, « quasi materiam sacramenti pœnitentiæ, « videlicet contritionem, confessionem, et « satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ « partes dicuntur, aut dixerit etc... Ana- « thema sit. » Unde Bellarminus lib. 1, de Pœnitentia, cap. 17, recte observat, quod sententia D. Thomæ est communis Theologorum, et certissima, et jam amplius in dubium revocari non potest; cum in Conciliis Œcumenicis Florentino, et Tridentino disertis verbis legamus, etc. Quæ proxime dedimus. Et id ipsum monent, ac notant Cano in relect. de Pœnit. part. 5, § *Quintum*. Soto in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 2, Suarez disp. 18, de Pœnit. sect. 3, Prado in præs. dub. 2, § 1, et alii communiter. Porro quod attinet ad illos antiquiores Scholasticos, excusandi sunt : tum quod scripserunt ante utriusque Concilii tempora : tum quod licet sacramentum pœnitentiæ in his tribus materialibus partibus non constituerint; tamen satis aperte, et catholice docuerunt tres prædictos actus requiri ex parte pœnitentis ad consequendam perfectam peccatorum remissionem. Ratio a priori hujus veritatis non alia assignari valet, quam Dei voluntas sic instituentis hoc sacramentum. De illa vero certo nobis constat per doctrinam Patrum, et Conciliorum diffinitiones, ut patet ex dictis modo, et latius disp. 1, dub. 2. Ratio autem congruentiæ optime assignatur a D. Thom. in hoc art. : quia hoc sacramentum ordinatur, ut fiat Deo voluntaria, et amicabilis recompensatio pro peccato secundum ipsius arbitrium : sed pro hujusmodi fine comparando requiruntur, et sufficiunt prædicti tres actus : ergo sunt hujus sacramenti partes. Probatur minor : quia contritio ordinatur ad amicabilem recompensationem, cum sit dolor voluntarie ad satisfaciendum assumptus : deinde pœnitens per confessionem se subjicit sacerdoti loco Dei pro ejus arbitrio : deniqu per satisfactionem recompensat juxta præ dictum arbitrium : requiruntur, ergo, e sufficiunt prædicti actus ex parte pœniten tis pro fine speciali, in quem ordinatu hoc sacramentum. In quo discursu plan supponit D. Thom. et quidem merito, quo etsi recompensatio debeat esse pœnitent voluntaria, nihilominus modus, et quan titas ejus non relinquitur arbitrio hominis neque ex sola rerum natura determinar valet : quocirca relinqui debet arbitri Dei, et ministrorum ipsius in hoc sacra mento. Ex quo discursu magis liquet ratio nem a priori, ut ea tria requirantur, e sufficiant, esse Dei voluntatem, idque An gelicum Doctorem in ipsamet congruenti ratione supposuisse.

Bellarm.

Cano. Soto. Suarez. Prad.

Probatur conclus.

2. Cui opponi potest, quod cum sacramen tum sit signum sensibile, partes sacramen debent esse sensibiles : sed contritio no est sensibilis, siquidem secundum suar substantiam est in corde, et pertinet a pœnitentiam virtutem : ergo contritio no est, nec esse potest pars sacramenti pœn tentiæ.

Sed objectionem hanc optime diluit D Thom. in resp. ad 1, negando minorem « Quia contritio secundum essentiam es « in corde, et pertinet ad interiorem pœ « nitentiam : virtualiter autem pertine « ad exteriorem pœnitentiam, in quantu « scilicet implicat propositum confitend « et satisfaciendi. » Quæ optime ibi eluc dat Cajetanus concludendo ad mentem D Thomæ, quod licet contritio secundu essentiam præcisive sumptam, aut ra tione essentiæ præcisæ ab aliis præ dicatis, non sit sensibilis, nec subinde par sacramenti : nihilominus eadem contritio nis essentia habet alia prædicata, secun dum quæ affert sensibilitatem, et pote exercere rationem partis sacrament Quippe quæ inter alia importat volunta tem recompensandi pro peccatis ad arbi trium Sacerdotis, et hac ratione transi virtualiter ad confessionem, et fit quodam modo dolor externus, et sensibile signum ut optime docuit D. Thom. in 4, dist. 22 quæst. 2, art. 1, quæstiunc. 2, ad 3, hi verbis : « Contritio, quæ videtur tantum « interioris pœnitentiæ esse, inventu etiam

« etiam in pœnitentia exteriori, secun-
« dum quædam signa, quibus sensibiliter
« manifestatur. » Hanc tamen doctrinam Cajetani (quæ communior est inter Thomistas) refellit Suarez in comment. ad hunc art. § *Mihi tamen*, sub prætextu (inquit Prado in præsenti) impugnandi Cajetanum, rationem D. Thom. in corp. et ad 1, impugnans. Sed fallitur, et nihil evincit : quia nec D. Thomas, nec Cajetanus negat essentiam, substantiam, aut entitatem pœnitentiæ interioris specificative sumptam, ut Suarez loquitur, esse partem sacramenti pœnitentiæ : sed negant merito esse partem sacramenti tantum absque ordine ad pœnitentiam exteriorem, in qua virtualiter manet, et per quam fit sensibiliter cognoscibilis. Prædictum vero ordinem ei attribuunt ; illumque efficaciter evincunt : quia de facto pœnitentia interior importat votum pœnitentiæ exterioris : quippe quæ intendit recompensationem non qualemcumque, sed amicabilem, et juxta arbitrium Dei ministerio sacerdotis : et hac ratione nequit non pertinere ad pœnitentiæ sacramentum, quin, et esse primum ejus initium. Quæ satis sunt ad infringendum Suarii oppugnationem. Quomodo autem interior pœnitentia sit pars sacramenti, an in recto sumpta, an præcise in obliquo ut facta sensibilis per confessionem, et pœnitentiam externam ; difficultas gravis est, sed eam ex professo discussam, ac decisam relinquimus disp. 1, dub. 2, § 5, et præcipue a num. 99.

3. Deinde opponi potest, quod Sacramenta legis evangelicæ conferunt gratiam : sed satisfactio non confert gratiam, quippe quæ supponit absolutionem pœnitentiæ, et remissionem culpæ : ergo satisfactio non est pars sacramenti pœnitentiæ.

Huic tamen objectioni optime occurrit Div. Thom. in resp. ad 2, his verbis : « Di-
« cendum, quod satisfactio confert gratiam,
« prout est in proposito, » (quo pacto coincidit cum contritione, seu dolore, in quibus etiam satisfactio aliqua non solum intenditur, sed invenitur) « et auget gra-
« tiam, prout est in executione : sicut
« etiam baptismus in adultis. » Frequenter namque contingit, quod eos supponit in gratia existere, et tunc non producit primam gratiam, sed auget. In qua responsione duo notanda sunt. Primum, quod licet objectio convincat satisfactionem prout in executione non esse partem essentialem hujus sacramenti, cum supponat ipsum absolutione peractum, et primarium ipsius effectum productum : nihilominus non concludit a satisfactione sic sumpta relegandam fore rationem partis integralis, sive pertinentis ad sacramenti complementum, et perfectionem. In quo fallitur Durandus unum ab altero colligens ; cum solum inferatur satisfactionem in executione non esse partem essentialem, ut fusius ostendimus disp. 1, num. 115. Sed est integralis, sine qua proinde sacramentum imperfectum, et non completum maneret, sicut homo absque manibus, ut bene observat Cajetanus in præsenti. Unde fit consequens plurimum interesse, quod satisfactio quamprimum opere compleatur ; ne interim sacramentum relinquatur mutilum, et suspendatur illa fructus pars, quæ ex satisfactione executa percipitur. An autem ex opere operato, loco cit. diximus num. 120.

4. Secundum notatione dignum in ea responsione est, D. Thomam pro comperto habuisse ante peractam satisfactionem dari sacramentalem absolutionem, et produci hujus sacramenti effectum per satisfactionis propositum, quod vel includitur in ipsa contritione, et subjectione ad claves, ut proxime dicebamus, vel illas individue comitatur : nemo enim conteritur, et confitetur, cui in animo non sit se subdere judicio Ecclesiæ, et pœnas a legitimo ministro impositas ferre non velit. Quare juxta doctrinam D. Thom. hoc loco satis expressam non est necessariam hominem pœnitentem prius satisfactionem implere, quam beneficium absolutionis ipsi impendatur : sed vice versa communiter loquendo potest, et debet sub proposito illo satisfaciendi absolvi, et post absolutionem adeptam exequi pœnitentiam sibi a confessario impositam. Huncque ordinem sane probatum, et minime reprehendendum supponit Concil. Trident. sess. 14, cap. 5 et 8, et præsertim can. 12, ubi definit, quod in hoc sacramento Deus non semper remittit totam pœnam temporalem simul cum culpa : ex quo evidenter sequitur post remissam culpam in hoc sacramento, superesse pœnam temporaliter luendam : sed satisfactio sacramentalis

deservit ad extinguendam pœnam ex peccato relictam ; et non tendit immediate ad remittendam culpam, quam potius dimissam supponit : ergo non debet necessario præcedere absolutionem, qua culpa dimittitur.

Estius. Sylvius. Maldon. Petav. Alba. Morinus

Quare refellendi sunt tam oppositum asserentes, quam his faventes Estius in 4, dist. 15, § 15, Sylvius in addit. ad 3, p. q. 18, art. 3, quæstiunc. 2, Maldonatus tom. 2, disp. de Sacram. cap. 2, Petavius in animadv. ad S. Epiphan. fol. 239, et 231. Alba-Spinæus lib. 2, observat. 32, cum aliis, et omnium prolixissime, et liberrime Morinus de administratione Sacram. Pœnitentiæ per plures libros, maxime vero lib. 9 et 10. Quorum commune fundamentum est, usum non absolvendi pœnitentes, priusquam exequerentur injunctam sibi satisfactionem, antiquissimum esse in Ecclesia, et adhuc invalescere apud Græcos : contrariam vero consuetudinem non esse ita antiquam, nec ita consonam sacramenti institutioni, aptamve pœnitentium emendationi, ad quam illud ordinatur. Eaque animositate nonnulli in hac causa processerunt, ut ausi fuerint asserere. Primo, « ordinem præmittendi satisfactionem « absolutioni induxit non politia, aut in- « stitutio Ecclesiæ ; sed ipsa Christi lex, et « præscriptio naturæ rei id ipsum quo- « dammodo dictantis. » Secundo, « con- « suetudo moderna quoad administratio- « nem sacramenti pœnitentiæ, etiamsi « eam plurimorum hominum sustentet « authoritas, et multi temporis diuturni- « tas confirmet ; nihilominus ab Ecclesia « non habetur pro usu, sed abusu. » Quin addiderunt : « Per illam praxim mox ab- « solvendi ordo pœnitentiæ est inversus. »

Suarez.

Sed audiendi, ut diximus, minime sunt : quia fundamentum, quo utuntur, nullum est, et in ipsos cum toto ædificio corruit, quippe usus absolvendi pœnitentes ante executam satisfactionem antiquissimus est in Ecclesia Latina, quæ multis titulis Græcæ, ejusque ritibus præponenda est, ut merito Suarez disp. 18, sect. 3, asseruerit: « Dicere hoc esse necessarium, est error « contra consuetudinem Ecclesiæ Latinæ. » Et plane inter propositiones Petri de Osma relatas in Bulla Sixti IV (quæ est 17 tom. 1 Bullarii, et refertur a Castro lib. 4, contra hæreses, verbo *Confessio*.) una erat : « Non peracta pœnitentia confitentes ab- « solvi non debere. » Pontifex autem omnes Petri propositiones ibi relatas condemnavit, declarans Apostolica auctoritate esse Catholicæ Fidei contrarias, erroneas, scandalosas, a veritate Evangelica alienas, Sanctorum Patrum decretis, atque Apostolicis constitutionibus contrarias, ut constat ex eadem Bulla. Quam censuram non meruisset illa Oxomensis propositio, si usus non absolvendi ante peractam injunctam pœnitenti satisfactionem tam antiquus, et communis in Ecclesia fuisset, ut quidam comminiscuntur ; quippe cum facile responderet se non ita asserere, quod sentiret sacramentum aliter administratum esse nullum ; sed quod longa, et communis consuetudo legem ita administrandi induxisset. Sed non ita respondit, nec potuit : quia vel apparenti fundamento destituebatur. Quod evincit contrariam, et a nobis assertam consuetudinem esse longe antiquiorem, et communiorem. Et si aliquod oppositi usus vestigium occurrit, id deservit ad demonstrandum ita contigisse non quidem in pœnitentia secreta, et sacramentali, de qua nobis est sermo, sed in canonicis, et publicis, in quibus excommunicatus non prius ad consortium cum fidelibus admittebatur, quam exequeretur sibi impositam satisfactionem. Et simile quid in usu esse apud Græcos censendum est ; non vero quod universaliter negent absolutionem sacramentalem ante satisfactionis executionem. Et qui contrarias propositiones supra relatas stabilire tentarunt, vim fulminis Apostolici non effugerunt : nam SS. D. N. Alexandri VIII, in secundo decreto anni 1690, illas reprobavit, condemnavit, et gravi censura percussit ; suntque inter alias eo decreto sub eisdem verbis supra relatis condemnatas 16 et 17 et 18. Plane (ut hæc absolvamus, quæ tantum delibasse in animo habuimus, fusius suo loco, id est, agentes de satisfactione tractaturi) absurdum pœnitus intolerabile apparet, vel hominem bene dispositum non absolvere usque ad impletam satisfactionem sibi impositam, quæ per menses, et annos durare potest ; vel asserere hominem, usque ad præfinitum illud satisfactionis tempus non posse vere conteri, et consequi justificationis gratiam ; cum exploratum sit pro contritione, et dispositio-

ne

ne ad gratiam consequendam non esse determinatum aliquod temporis spatium, sed in quacumque hora vere ingemuerit, posse veniam, et gratiam impetrare, ut exemplum latronis in cruce cum Christo pendentis declarat.

ARTICULUS III.

Utrum prædicta tria sint partes integrales Pœnitentiæ ?

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod prædicta tria non sint partes integrales Pœnitentiæ. Pœnitentia enim (ut dictum est) contra peccatum ordinatur ; sed peccatum cordis, oris, et operis, sunt partes subjectivæ peccati, et non partes integrales : quia peccatum de quolibet horum prædicatur : ergo etiam in pœnitentia contritio cordis, confessio oris, et satisfactio operis non sunt partes integrales.

Præterea : nulla pars integralis in se continet aliam sibi condivissam ; sed contritio continet in se confessionem, et satisfactionem in proposito : ergo non sunt pars integrales.

Præterea : ex partibus integralibus, simul, et æqualiter constituitur totum, sicut linea ex suis partibus ; sed hoc non contingit hic : ergo prædicta non sunt partes integrales Pœnitentiæ.

Sed contra : illæ dicuntur partes integrales, ex quibus perfectio totius integratur ; sed ex tribus prædictis integratur perfectio ipsius pœnitentiæ : ergo sunt partes integrales pœnitentiæ.

Respondeo dicendum : quod quidam dixerunt, hæc tria esse partes subjectivas pœnitentiæ. Sed hoc non potest esse : quia singulis partibus subjectivis adest tota virtus totius, et simul, et æqualiter ; sicut tota virtus animalis, in quantum est animal, salvatur in qualibet specie animalis, quæ simul, et æqualiter dividunt animal ; sed hoc non est in proposito. Et ideo alii dixerunt, quod sunt partes potentiales ; sed nec hoc verum esse potest, quia singulis partibus potentialibus adest totum secundum totam essentiam : sicut tota essentia animæ adest cuilibet ejus potentiæ ; sed hoc non est in proposito Unde relinquitur, quod prædicta tria sint partes integrales Pœnitentiæ. Ad quarum rationem exigitur, ut totum non adsit singulis partibus, neque secundum totam virtutem ejus, neque secundum totam ejus essentiam, sed omnibus simul.

Ad primum ergo dicendum, quod peccatum, quia rationem mali habet, potest in uno tantum perfici, ut dictum est. Et ideo peccatum, quod in solo corde perficitur, est una species peccati. Alia vero species, est peccatum, quod perficitur in corde, et ore. Tertia vero species est peccatum, quod perficitur in corde, ore et opere. Et hujusmodi peccati partes quasi integrales sunt, quod est in corde, et quod est in ore, et quod est in opere. Et ideo Pœnitentiæ, quæ in his tribus perficitur, hæc tria sunt partes integrales.

Ad secundum dicendum ; quod una pars integralis potest continere totum, licet non secundum essentiam : fundamentum enim quodammodo virtute continet totum ædificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam Pœnitentiam.

Ad tertium dicendum, quod omnes partes integrales habent ordinem quendam adinvicem. Sed quædam habent ordinem tantum in situ : sive consequenter se habeant, sicut partes exercitus : sive se tangant, sicut partes acervi : sive etiam colligentur, sicut partes domus : sive etiam continuentur, sicut partes lineæ. Quædam vero habent insuper ordinem virtutis, sicut partes animalis, quarum prima virtute est cor, et aliæ quodam ordine virtutis dependent ab invicem. Tertio modo ordinantur ordine temporis : sicut partes temporis, et motus. Partes igitur Pœnitentiæ habent ad invicem ordinem virtutis, et temporis, quia sunt actus : non autem ordinem situs, quia non habent positionem.

Conclusio est affirmativa.

1. Quam efficaciter probat ratio D. Thomæ desumpta a sufficienti enumeratione membrorum dividentium, qui discursus est legitimus, et reducitur ad hanc formam. Partes alicujus vel sunt subjectivæ, vel potentiales, vel integrales : sed contritio, confessio, et satisfactio sunt partes sacramenti pœnitentiæ ex parte materiæ, ut constat ex duobus articulis antecentibus ; et non sunt partes subjectivæ, nec potentiales : relinquitur ergo, quod sint partes integrales. Cetera constant. Et minor quoad secundam ejus partem, in qua sola poterat esse difficultas, probatur non minus efficaciter : nam quod attinet ad partes subjectivas, in qualibet earum etiam divisive sumpta salvatur essentia, et virtus totius, ut patet in speciebus animalis : sed in his partibus divisive sumptis non salvatur tota essentia, et virtus sacramenti pœnitentiæ, quin nec materia adæquata illius, quam immediate componunt partes relatæ : ergo non sunt partes ejus subjectivæ. Et quod spectat ad potentiales, singulis earum adest totum secundum totam essentiam : sicut tota essentia animæ adest intellectui, et sensui, et cuilibet ipsius potentiæ. Quod minime salvatur in his partibus, cum manifestum sit, nec sacramentum, nec adæquatam ejus materiam proximam salvari in contritione, aut in qualibet harum partium. Relinquitur itaque, quod sint partes integrales, quarum proprium est, quod totum non salvetur in earum singulis, sed in eis simul, ut patet in membris, seu partibus quantitativis, ex quibus componitur homo. Hæc in summa S. Doctor alia addens motiva in 4, dist. 16, quæst. 1, art. 1, q. 3, quæ opus non est expendere. Pro majori tamen luce observare oportet eatenus istas partes appellari a D. Thom. integrales, quatenus illis integratur, et completur tota materia proxima Sacramenti, quæ est pars essentialis illius. Unde istæmet partes, quæ per comparationem ad alias compartes, et ad materiam proximam completam ex eis coalescentem dicuntur integrales per ordinem ad sacramentum essentiales sunt ; cum sine illis non adsit ejus materia. Quare contritio, confessio, et satisfactio in voto ita sunt essentialia sacramento, ut absque

Observ. quædam.

illis moraliter unitis minime subsistat : quod in aliis partibus mere integralibus non ita contingit, cum absque manu, aut auricula salvetur homo, et sic de aliis. Porro S. Doctor in hoc articulo partium essentialium non meminit, nec mentione opus habuit : nam illas statuerat art. immediate præcedenti, constituens sub materia pœnitentiæ tres actus, de quibus
D. Tho. loquimur. « Quia quantitas, dixit, se tenet « ex parte materiæ, partes quantitatis « sunt partes materiæ. Et hoc modo sacra« mento pœnitentiæ specialiter assignantur « partes quantum ad actus pœnitentis, qui « sunt materiæ hujus sacramenti. » Quocirca partibus essentialibus jam præsuppositis, et relictis, solum habere debuit considerationem de aliis partibus, ac divisionibus, ut optime fecit. Quod si animadvertisset Suarez in præsenti, non earum mentionem in hoc articulo desiderasset, quasi D. Thom. in suo discursu, et probatione diminute processerit.

Objicitur 1. 2. Sed potest opponi, quod totum non potest prædicari de parte integrali determinata ; non enim recte diceretur manus, aut pes hominis homo ; sed sacramentum pœnitentiæ bene, et vere prædicatur de confessione : quippe vera, et communiter recepta est ista prædicatio, *Confessio est Sacramentum Pœnitentiæ;* ergo confessio non est pars integralis illius, sed magis subjectiva, de qua totum potest prædicari.

Responsio. Ad hanc tamen replicam constat ex dictis disp. I, dub. 3, per totum, et præcipue num. 134, majorem solum esse veram in concretis substantialibus, secus in accidentalibus, et artificialibus, quæ supponunt pro materia, et hæc est pars essentialis artefacti : unde bene de ligno dicitur, quod sit Cathedra, et de argento, quod sit Calix. Confessio autem ita est pars integralis materiæ, quod simul est essentialis sacramenti, et pro ea sacramentum supponit, ut loco cit. ex professo ostendimus. Unde non est inconveniens, si de ea totum prædicetur. Aliter contingit in manu, aut pede partibus pure integralibus hominis, quod est concretum substantiale.

Objicitur 2. 3. Deinde objicies ; unam partem integralem non continere aliam sibi condivisam : sed contritio continet confessionem, et satisfactionem in voto : ergo non est pars integralis pœnitentiæ. Nec satisfacit responsio D. Thomæ ad 2, ubi ait, quod una pars integralis potest virtute continere totum : fundamentum enim continet quodammodo in virtute totum ædificium. Et hoc modo contritio continet virtute totam pœnitentiam. Nam contra est, inde fieri contritionem esse principaliorem sacramenti partem, quam confessionem : quod est absurdum. Sequela ostenditur : tum quia continens est excellentius suo contento : tum exemplo S. Doct. siquidem fundamentum est excellentius aliis partibus ædificii. Et absurditas consequentis facile apparet : quia sacramentum pœnitentiæ supponit non pro contritione, sed pro confessione, ut proxime dicebamus, quod aliter contingeret, si contritio esset perfectior pars, quam confessio.

Respondetur sustinendo solutionem D. Thomæ. Et adhibitæ adversus eam impugnationi potest occurri primo cum Nugno in præsenti, dicendo S. Doctorem solum præferre contritionem confessioni, quantum ad pœnitentiam in ratione virtutis secus vero in ratione sacramenti. Sed cum D. Thom. modo agat de pœnitentia, ut sacramentum est, atque ideo de contritione, ut est sacramenti pars ; addit prædictus Auctor D. Thomam contritionem considerare secundum utramque rationem et actus virtutis, et partis sacramenti nullumque esse inconveniens, quod contritio unam, et alteram rationem complectens sit confessione perfectior ; licet ista alias proximius ad sacramentum per modum materiæ concurrat, utpote per se sensibilis, et pro qua subinde sacramentum supponat.

Secundum, et cum majori, ut putamus, consonantia ad mentem D. Thomæ, respondetur concedendo ipsum in præsenti non agere de pœnitentia virtute, sed sacramento. Et tamen ex ejus doctrina non sequitur, quod contritio sit absolute principalior sacramenti pars, quam confessio sed solum cum addito, et secundum quid. Non enim affirmat contritionem continere simpliciter confessionem, nec id contingere valet in partibus integralibus sibi ad invicem condivisis ; sed solum concedit aliqualem continentiam, et secundum determinatam rationem ; quod partibus integralibus inter se comparatis minime repugnat : sic namque cor quantum ad officium

officium vivendi continet aliquo modo caput, quia est principium vitæ ; sed vice versa caput quantum ad operationes sensitivas continet cor, quia est principium sentiendi : et tamen sunt partes integrales ejusdem corporis Ad hunc ergo modum concedit D. Thomas contritionem continere confessionem, per modum, inquam, radicis, et inchoationis ejus, sicut dixerat art. immediate præced. in resp. ad I, quod contritio secundum essentiam existens in corde, « virtualiter pertinet ad exteriorem « pœnitentiam, in quantum scilicet implicat « propositum confitendi, et satisfaciendi. » Per quod minime excluditur, quod vice versa confessio contineat etiam quodammodo contritionem, videlicet per modum signi illam repræsentantis, dependenter a quo habet interior contritio, quod sit sensibilis, et pars sacramenti. Et ita vitatur, quod sit principalior sacramenti pars præ confessione : et consonant cuncta S. Doctoris dicta : « Una pars integralis, *inquit ad* « 2, potest continere totum, licet non se- « cundum essentiam : fundamentum enim « continet quodammodo virtute totum ædi- « ficium. Et hoc modo contritio continet « virtute totam pœnitentiam. » Unde sicut nemo colliget fundamentum esse formaliter totum ejus ædificium, aut esse simpliciter perfectius cunctis ejus partibus, sed solum secundum quid, et in ratione principii illas inchoantis : (constat enim esse alias absolute nobiliores :) ita, et non amplius colligere debet ex assertis a D. Thom. circa contritionem in ordine ad alias partes, quæ sacramentum constituunt.

4. Pro legitima intelligentia eorum, quæ docet in resp. ad 1, observandum est peccata cordis, oris, et operis posse sumi dupliciter, nimirum vel specifice sistendo in quolibet eorum, vel gradualiter procedendo ab uno ad aliud. Primo modo differunt essentialiter : nam peccatum cordis est illud, quod consummatur in corde, ut odium Dei : peccatum oris, quod ore perficitur, ut blasphemia : et peccatum operis, quod opere completur, ut homicidium. Quæ duo postrema peccatorum genera non ideo externa dicuntur, quia actum internum excludant, (id enim impossibile est ;) sed quia non complentur in sua malitia, nisi exterius ore, aut opere consummentur. Secundo autem modo, id est, gradualiter sumpta non important distinctionem specificam; sed unum, et idem non solum specie, sed numero peccatum potest concipi in corde, ascendere in os, et pervenire ad executionem operis, ut patet in eo, qui corde statuit, ore promittit, et facto exequitur mortem proximi, juxta illud Jacobi cap. 1 : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus; deinde concupiscentia, cum conceperit, parit peccatum; peccatum vero, cum consummatum fuerit, generat mortem.* Quocumque autem modo peccatum accipiatur, indiget contritione, confessione, et satisfactione, ut docuerat D. Thomas art. præced. in resp. ad 4. Quare cum in resp. ad 1, peccata cordis, oris, et operis adaptavit contritioni, confessioni, et satisfactioni ; solum curavit salvare quandam, et certe pulchram inter prædicta tria proportionem : sed non ideo exclusit necessitatem trium pœnitentiæ partium ab aliis peccatis sub prima consideratione contentis. Ut enim dixerat priori loco. « Licet peccatum perficiatur in con- « sensu cordis, ad perfectionem tamen « Pœnitentiæ requiritur, et contritio cor- « dis, et confessio oris, et satisfactio ope- « ris. » Et sic omnia consonant, ut bene observavit Cajetanus, hic finem imponens suis subtilibus, et eruditissimis Commentariis : ex quorum in sequentibus defectu non levem timemus nostro labori jacturam, qui hujus Phosphori radiis in Aquinatis diem ducebamur ; sed heu ! majorem ex ipsius Solis proximo occasu in articulo sequenti, quem cum absolvisset, ad cœleste translatus est hemispherium.

Jacob. c. 1.

D.Thom.

Cajetan.

ARTICULUS IV.

Utrum convenienter dividatur Pœnitentia in Pœnitentiam ante baptismum, Pœnitentiam mortalium, et Pœnitentiam venialium ?

Quæst. 84. art 6.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod inconvenienter dividatur Pœnitentia, in Pœnitentiam ante baptismum, Pœnitentiam mortalium, et Pœnitentiam venialium. Pœnitentia enim, est secunda tabula post naufragium (ut supra dictum est) baptismus autem prima : illud ergo, quod est ante baptismum, non debet poni species Pœnitentiæ.

Præterea : Quod potest destruere majus, potest etiam destruere minus ; sed mortale est majus peccatum, quam veniale : illa vero Pœnitentia, quæ est de mortalibus, eadem etiam est de venialibus : non ergo debent poni diversæ species Pœnitentiæ.

Præterea : Sicut post baptismum peccatur venialiter, et mortaliter, ita etiam ante baptismum : Si ergo post baptismum distinguitur Pœnitentia venialium, et mortalium, pari ratione debet distingui ante baptismum : non ergo convenienter dividitur pœnitentia per has species.

Sed contra est : quod Augustinus in libro de Pœnitentia, ponit prædictas tres pœnitentiæ species.

Respondeo dicendum ; quod hæc divisio est Pœnitentiæ, secundum quod est virtus Est autem considerandum, quod quælibet virtus operatur secundum congruentiam temporis, sicut, et secundum alias debitas circumstantias. Unde, et virtus Pœnitentiæ actum suum habet in hoc tempore secundum quod convenit novæ legi. Pertinet autem ad pœnitentiam, ut detestetur peccata præterita, cum proposito immutandi vitam in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis. Et quia moralia recipiunt speciem secundum finem (ut in secunda parte habitum est) conveniens est, quod diversæ species Pœnitentiæ accipiantur secundum diversas immutationes, quas pœnitens intendit Est autem triplex immutatio a pœnitente intenta. Prima quidem per regenerationem in novam vitam, et hæc pertinet ad Pœnitentiam, quæ est ante baptismum. Secunda autem immutatio est per reformationem vitæ præteritæ jam corruptæ, et hæc pertinet ad Pœnitentiam mortalium post baptismum. Tertia autem immutatio est in perfectiorem operationem vitæ : et hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ remittuntur per aliquem ferventem actum charitatis, ut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum ; quod Pœnitentia quæ est ante baptismum, non est Sacramentum, sed est actus virtutis, disponens ad Sacramentum baptismi.

Ad secundum dicendum ; quod Pœnitentia quæ delet peccata mortalia, delet etiam venialia : sed non convertitur Et ideo hæ duæ Pœnitentiæ se habent sicut perfectum, et imperfectum.

Quæst. 87. art. 4. Ad tertium dicendum · quod ante baptismum non sunt peccata venialia sine mortalibus. Et quia veniale sine mortali dimitti non potest (ut supra dictum est) ideo ante baptismum non distinguitur Pœnitentia mortalium, et venialium.

Conclusio est affirmativa

1. In hoc art. agit specialiter D. Thom. de partibus virtutis pœnitentiæ, ut palam profitetur a principio corporis dicens, « quod hæc divisio est pœnitentiæ, secun- « dum quod est virtus. » Per quæ denotat se in anterioribus hujus quæstionis articulis tractavisse, specialiter de partibus pœnitentiæ ut sacramenti. Ubi observandum est, quod licet eadem pœnitentia, et sit virtus, et sit etiam pars sacramenti ; nihilominus latius patet sub ratione virtutis, quam sub ratione partis sacramentalis. Quoniam ante legem gratiæ fuit virtus, et tamen non fuit pars Sacramenti, sed tantum dispositio necessaria ad remissionem peccati. Quin, et in ipsa lege evangelica est etiam pro adultis necessaria ante susceptionem baptismi; cum tamen non sit pars baptismi, aut alterius sacramenti, ut est communis doctrina, et tradit D. August. hom. 50, quæ est de utilitate, et necessitate pœnitentiæ, juxta illud Actor. 8 : « pœni- « tentiam agite, et baptizetur unusquisque « vestrum. » Unde cum D. Thom. sibi objecisset pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium, baptismum vero primam : atque ideo illud, quod baptismum præcedit, non habere rationem pœnitentiæ ; respondit « quod pœnitentia, quæ « est ante baptismum, non est sacramen- « tum, sed est actus virtutis disponens ad « sacramentum baptismi. » Unde satis liquet major extensio pœnitentiæ virtutis supra se ipsam, ut partem sacramenti.

D. August.

D. Tho.

Aperuit autem D. Thom. hunc specialiter articulum ad explicandum, et propugnandum propositam divisionem traditam a D. Augustino loco citato : et clarissime, ac juxta Augustini mentem declaravit aptam esse divisionem, aut distributionem de pœnitentia ante baptismum, et pœnitentia mortalium, et pœnitentia venalium. Ad pœnitentiæ namque virtutem pertinet propositum immutandi in melius, quod est quasi pœnitentiæ finis : et tres sunt immutationes a pœnitentibus intentæ. Prima per regenerationem in novam vitam : et hæc pertinet ad pœnitentiam ante baptismum. Secunda per reformationem vitæ præteritæ post baptismum corruptæ : et hæc pertinet ad pœnitentiam mortalium. Tertia per perfectiorem operationem vitæ, et hæc pertinet ad pœnitentiam venialium, quæ fervore charitatis delentur. Ergo juxta tres præmissas immutationes in melius fit congrua divisio pœnitentiæ virtutis in tres pœnitentias relatas. Hæc S. Doctor D. Augustino inhærens, et ejus sententiam elucidans.

2. Unde excessit, et haud leviter deceptus est Suarez in præsenti, aliam, et suo judicio conformiorem menti D. Augustini commentus explicationem. Quia Augustinus, nec dixit, nec curavit, nec distinxit, ut ille ratus est, tres pœnitentias juxta tres pœnitentiæ modos, quos pro diversis personis exercet Ecclesia ; alium pro catechumenis in fide ante baptismum instruendis ; alium pro jam baptizatis, sed mortaliter lapsis ; et tertium pro abluendis venialibus per varia remedia. Hoc enim a Suario voluntarie excogitatum fuit, et minime ad mentem D. Augustini, sed præter, aut etiam contra ejus intentionem, et verba, quæ nulla pro suæ cogitationis defensione profert. Quare Prado in præs. non immerito subintulit : *Unde nec eum videtur legisse.* Aliter prorsus, ac Suarez se gessi Augustinus : assignavit enim tres pœnitentium actiones, quas exercere valent, ve ad primo comparandam gratiam per rege nerationem

neratione baptismi; vel ad eam amissam restaurandam ; vel ad illam perficiendam venialium expurgatione ; ut patet ex homilia cit. cap. 3, cujus initium est, *Tres sunt actiones Pœnitentiæ*. Illorum autem modorum, quibus Ecclesia se gerit cum pœnitentibus, et pro hac divisione Suarez expendit, nullum ibi est vestigium in littera D. Augustini, ut eam percurrenti constabit. Et ipsum non loqui de cæremonia pro catechumenorum pœnitentia ab Ecclesia instituta, sed de ea, quæ jure divino est dispositio ad baptismum, liquet ex his, quæ subjungit : « Hæc prima pœnitentia præcipitur Judæis, dicente Apostolo Petro Actor. 8 : Pœnitentiam agite, baptizetur unusquisque vestrum. » Et profecto si D. Augustinus divideret pœnitentiam ad sensum Suarii, diminute sane processisset in ea divisione ; quia inter modos, aut cæremonias, quibus Ecclesia utitur cum pœnitentibus connumeratos, eratque jam in usu Augustini tempore, est pœnitentia solemnis : cujus tamen non meminit S. Doctor in ea divisione. Signum itaque est, quod in ea assignanda non attendit ad illos varios modos, seu cæremonias, sed ad pœnitentium actiones sive in melius immutationes, ut fidelissimus ejus discipulus D. Thom. asserit, et explicat tam in præs. art. quam in 4. dist. 16, quæst. 1, art. 2, q. 5.

3. Dubitari autem potest, qnænam sit hæc divisio pœnitentiæ, essentialis, an accidentalis ? Et aliqui tuentur primum, quibus favere videtur D. Thom. in hoc art. tum quia has partes vocat species pœnitentiæ : tum quia docet earum diversitatem sumi a fine, qui in moralibus dat speciem. Est ergo hæc divisio generis in species, ac subinde essentialis. Sed vera, et communis sententia est esse accidentalem, et subjecti in accidentia : virtus namque pœnitentiæ est una in specie infima propter unitatem objecti, et actus primarii, ut constat ex dictis disp. 5, fere per totam, et præcipue dub. 5. Illæ vero tres mutationes, sive pœnitentiæ status accidentia sunt, et accidentaliter ipsi conveniunt : præsertim cum desumantur per respectum ad diversa tempora, et varias, ac extrinsecas circumstantias, et fines inadæquatos operantium ; a quibus omnibus præscindit essentia, tam habitus, quam actus primarii virtutis : ergo divisio, qua virtus pœnitentiæ in eas dividitur, nequit non esse divisio unius speciei virtutis in accidentia sibi successive obvenientia. Nec oppositum significavit D. Thom. quia specierum vocabulo solum significavit varias mutationes, sive status specie inter se differentes, sed accidentales, non solum habitui pœnitentiæ, sed ejus etiam actui primario, nempe contritioni : semper enim est species contritio, exerceatur sive ante baptismum, sive post; et sive circa mortalia, sive venialia : quippe procedens in omnibus sub eodem formali motivo, ut explicuimus disp. cit. dub. 2. Nec S. Doctor asseruit mutationem vitæ in melius esse absolute finem hujus virtutis, sed « quod est quasi pœnitentiæ finis, » utique inadæquatus accidentaliter occurrens, et juxta circumstantias temporum, et subjectorum ; quod non sufficit ad refundendum in specie habitus variationem.

4. Sed resolutioni, et discursui D. Thomæ potest urgenter opponi ; non esse majorem rationem, quare distinguatur pœnitentia mortalium, et venialium post baptismum, et non distinguatur eadem, et eorumdem pœnitentia ante baptismum ; sed ante baptismum non distinguitur pœnitentia mortalium, et venialium, ut constat ex discursu Div. Thomæ : Ergo nec post illum distingui debet : aut e converso, si post illum distinguitur, ante illum etiam distingui oportet : atque ideo diminute, et minus consequenter se gessit Div. Thomas in prædicta divisione. Cætera constant præter majorem, quæ facile suadetur : nam ante baptismum non minus committuntur peccata mortalia et venialia, quam post baptismum : ergo non est major ratio distinguendi pœnitentiam pro istis, quam pro illis. Quædam objeot. difficilis.

Respondet Divus Thomas in solut. ad 3 negando majorem, et assignando rationem disparitatis ; nempe ante baptismum non posse venialia reperiri absque mortalibus, quippe quæ cum solo originali conjungi non valent. Et quia venialia sine mortali remitti nequeunt, ut supra ostenderat quæst. 87, art. 4. Et nos ibidem explicuimus ; propterea non oportet quod ante baptismum distinguatur pœnitentia mortalium, et pœnitentia venialium. Post baptismum autem possunt, et solent reperiri peccata venialia sine mortalibus, ut patet in justis communiter : quocirca post baptismum distingui debet venialium pœnitentia a pœnitentia Fit satis object.

mortalium. Quæ est efficax, et non minus clara ratio distinctionis assignatæ : in qua supponit Divus Thomas doctrinam a se traditam 1, 2, quæst. 79, artic. 6, de incompossibilitate peccati venialis in aliquo cum solo originali. Ex quo legitime deducitur, quod ante baptismum nequeunt reperiri peccata venialia absque mortalibus.

D. Thom. Suarez opponitur.

5. Hanc tamen responsionem non probat Suarez, et doctrinam in ea a Div. Thom. suppositam, quæ est velut characteristica nota legitimi discipulatus ipsius, difficilem, et rigorosam arbitratur. Unde ipse diversam arripit viam, autumat venialia posse cum solo originali conjungi ; et perinde esse quantum ad præsentem considerationem, quod conjungatur cum originali, ac cum lethalibus personalibus : nunquam enim absque illis remittentur. Atque ideo, ut colligit ille, semper venialia tollentur per illudmet remedium, per quod aufertur mortale, sive originale, sive personale ; et sive tale remedium sit pœnitentia, sive non.

Suario respondetur.

Condonamus huic Auctori quod propriissimam Div. Thomæ sententiam appellet rigorosam, et difficilem : frequenter namque veritas, sicut, et virtus, refugit mollia, et facilia ; et quæ pervia apparent, a fucis habent, quod acceptentur. Sententia autem S. Doctoris in suo rigore verissima est, et satis communis non solum inter rigidos discipulos (quod sufficiebat) sed etiam apud alios : ut eis productis ostendimus tract. 13, de peccatis disp. 20, dub. 1, et 2, ubi illam firmavimus ex professo. Hæc, inquam, remittimus Suario, et quod D. Thomæ adversetur. Ceterum hic non sistit, sed discedit etiam a D. Augustino, a quo istam accepimus pœnitentiæ divisionem ; quod sustineri non debet. Nam S. Doctor cum unam solam pœnitentiam constituat ante baptismum, post illum tamen constituit, et pœnitentiam de mortalibus, et pœnitentiam de venialibus, et pro eis assignat differentes actiones, ut constat ex homil. cit. capit. 7, ubi agit de remissione venialium, et capit. 9, ubi agit de remissione mortalium, et ait : « Tertia actio est pœnitentiæ, quæ « pro illis peccatis subeunda est, quæ legis « Decalogus continet. » Ergo contra Sanct. Augustinum asserit Suarez venialia tolli indiscriminatim per eadem remedia, per quæ lethalia, originalia, ac personalia ante, et post baptismum. Eo, vel maxime, quod pro solo peccato originali nulla pœnitentia requiritur interior, vel exterior, ut est communis sententia, cum D. Thoma supra quæst. 86, art. 3, ad 1, et in supplem. quæst 2, art. 2. Sed ut ipse Suarez fatetur, quando D. August. et D. Thomas agunt de pœnitentia pro venialibus, præcipue loquuntur de pœnitentia exteriori : ergo contra utrumque S. Doctorem, et satis inconsequenter scripsit per illudmet remedium, per quod tollitur peccatum originale, auferri et venialia, sive sit pœnitentia, sive non. Nescimus hæc vel per imaginationem componere ; cum originale nullam pœnitentiam requirat ; et venialia non possint sine aliqua pœnitentia deleri.

D. Augustin.

6. Sed replicabis ; nam adhuc admissa D. Thomæ sententia de incompossibilitate peccati venialis cum solo originali, potest homo justificari, et mundari ab originali per contritionem, et ante baptismum in re susceptum : sed in tali casu nullum est inconveniens, quod peccatum veniale committat, et quod de illo pœniteat ante baptismi susceptionem : ergo potest dari pœnitentia venialium ante baptismum non secus ac post illum in re susceptum ; et consequenter insufficiens est illa pœnitentiæ divisio, ac D. Thom. explicatio, adhuc supposita speciali illa ejus sententia.

Respondetur concedendo præmissas, et negando utramque consequentiam, præsertim ultimam. Nam D. Augustinus, et D. Thomas in prædicta divisione loquebantur per se, et supposita existentia peccati originalis cum peccato mortali personali : in quo casu non est, nec esse potest specialis pœnitentia pro venialibus : quæ tamen est per se loquendo post acceptum baptismum, et remissum originale. Quod vero ante illius in re susceptionem justificetur homo, sicut est per accidens : ita, et per accidens facit, ut homo post acceptam primam justificationis gratiam, possit pro solis peccatis venialibus specialem agere pœnitentiam ac si re ipsa baptismum in re suscepisset. Et hic nos deserit continuatio litteræ Div. Thomæ, qui post scriptum hunc articulum morte præventus simul vitæ, et scriptis felicissimum finem imposuit, utraque immortalitate coronandus, et qua sanctitate pollens, et qua doctrina excellens, quibus tam triumphantis, quam militantis Ecclesiæ gloriam cumulavit, et circumquaque veritatis

ritatis lumen diffudit. Curaverunt vero scipuli continuare hanc tertiam summæ rtem ex S. Doctoris scriptis super lib. 4 ntent. egregiumque ediderunt opus sub ulo *Supplementi*. In posterum tamen a citandis ejus articulis abstinebimus: quia et nobis exhibeant communiter sententis legitimas D. Thomæ : verba tamen opria, eaque profundissima nostri Anlici Præceptoris in illis desideramus. rabimus tamen stratam aut insinuatam ipso viam continuare, agendo de ceteris rtinentibus ad sacramentum pœnitentiæ, præcipue de his tribus ejus partibus in rticulari, sicut ipse promiserat in titulo jus quæstionis, et quia prior, et potior nnibus est contritio, idcirco sequentem sputationem pro illa aperimus, quæ per ntinuationem ad præmissas in priori hus tractatus parte est

DISPUTATIO VII.

De Contritione.

In hoc titulo contritionis vocabulo signicamus. et comprehendimus non eam præise, quæ contritio propria est, actusque speialis, et primarius virtutis pœnitentiæ, de uo egimus disp. 5, fere per totam, et præsertim dub. 5. Sed ea vox in præsenti tius se extendit, nempe ad omnem de eccato dolorem, sive contritio perfecta sit, ve alius actus inferior. Imitamurque in oc stylum, et sensum Sacræ Synodi Trientinæ, quæ actura, sicut et nos, de hac rima sacramenti pœnitentiæ parte, cap. , sess. 14, inscripsit de *Contritione*, hoc nomine complectens dolorem perfectum, chaitateque formatum, qui antonomastice *ontritio* dicitur ; et alium dolorem imperectum, ex motivoque longe de miseriis rocedentem, qui vulgo *attritio* appellatur, t manifeste constat ex integro illius capitis iscursu. Sed ut in sequentibus cum majori am claritate, quam universalitate procedamus, illud nomen in aliud communius onvertemus, et ita inquirimus.

DUBIUM I.

Quas conditiones debeat habere peccatorum dolor, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ, et dispositio ad ejus effectum?

In hoc ubio multa occurrunt, quæ in priori hujus tractatus parte discussa sunt, et proinde, non tam tractari, aut repeti debent, quam insinuari : multa etiam, quæ communiter recipiuntur et superfluum foret ad examen revocare, atque ideo congruentius supponuntur. Quo circa

§ I.

Præmittuntur aliqua notabilia, et proprius dubii status assignatur.

Distinctio inter dolorem partem, et dolorem dispositionem.

1. Primo loco observandum est, quod quamvis in eodem doloris actu concurrere possint, et conceptus partis essentialis ex parte materiæ ad valorem sacramenti requisitæ, ut constat ex dictis ad art. 2, quæst. præced. et locis ibi relatis : et simul conceptus dispositionis ad gratiam hoc sacramento producendam, atque ideo, ut illud non solum sit validum in se, verum etiam fructuosum in suscipiente : nihilominus prædicti conceptus sunt valde diversi, importantque officia satis distincta, atque revocabilia in aliud, et aliud caput. Ut enim alia interim omittamus ; dolor, ut est pars sacramenti, solum respicit per se illa peccata, quæ memoriæ occurrunt, et per confessionem explicantur ; sed dolor, ut est dispositio ad gratiam, se extendit per se universaliter ad omnia peccata gravia, sive cognoscantur, sive non : quippe gratia infundi nequit absque omnium remissione, et aliquali per dolorem retractatione. Rursus dolor, ut est pars sacramenti, debet esse, aut fieri aliquo modo sensibilis ; aliter enim non esset pars signi vel sacramenti : at dolor, ut sit dispositio ad gratiam, non exposcit necessario esse sensibilem: sed potest esse pure interior in corde latens, sicut quando disponit extra sacramentum. Denique dolor, ut est sacramenti pars, præcedit (saltem per se loquendo) tempore, vel natura confessionem; quippe ista ex dolore concipitur, ac fit ; nec habet (ut pro sacramento debet) rationem accusationis, nisi dependenter ab illo: dolor autem, ut est dispositio ad gratiam,

non importat necessario eam præcedentiam, sed suppositis partibus sacramenti essentialibus, dolore scilicet, et confessione, potest convenienter elici cum sola præcedentia ad gratiam tunc producendam, ad quam disponit, ut extra sacramentum contingit. Sunt itaque prædictæ rationes diversæ : atque ideo dolor, ut sacramenti pars, dicit aliqua, quæ non importat ut dispositio ad gratiam, et e converso. Ad eum plane modum, quo in eodem, v. g. consensu Petri contrahentis cum Maria conjunguntur rationes materiæ, et formæ saltem partiales respectu sacramenti matrimonii : sed sunt satis diversæ, siquidem consensus Petri, ut determinabilis per consensum Mariæ, habet rationem materiæ, et ut consensum Mariæ determinans, habet rationem formæ : et secundum unam rationem antecedit, et secundum aliam subsequitur. Et quemadmodum duæ prædictæ rationes possunt coire in eodem actu, et possunt etiam exerceri per diversos, unum offerentem consensum Petri, et alterum acceptantem consensum Mariæ; quin et fieri valet, ut primus inveniatur absque secundo : sic etiam non repugnat, quod præmissæ doloris rationes, tam partis componentis sacramentum, quam dispositionis præparantis ad gratiam, conjungantur in eodem pœnitentis actu ; nec repugnat, quod exerceantur per actus distinctos, quorum unus sit materia, aut pars sacramenti, et alius sit dispositio ad ejus effectum ; et forte nec repugnat (quantum est ex vi hujus,) quod separentur, et prius absque posteriori contingat. De quo alias, nempe disp. 8, dub. 11. Cum itaque prædictæ rationes sint adeo diversæ; dubium præsens non complectitur utramque, sed præcise attendit ad requisita pro dolore, ut sit vera pars sacramenti pœnitentiæ, illudque per modum partis constituat : quidquid fuerit de alio conceptu, aut ratione dispositionis. Idque satis expresse significat titulus dubii determinando, *ut sit pars sacramenti pœnitentiæ.*

Dubium procedit circa requisita ad dolorem, ut est pars Sacramenti Pœnitentiæ.

2. Supponit autem aliquem dolorem debere esse hujus sacramenti partem. Id negavit olim quidam Bernardus de Gannaco relatus a Capreolo in 4, dist. 17, q. 2, artic. 3, affirmans posse dari validum sacramentum Pœnitentiæ absque omni dolore, dummodo omnia peccata confiteantur sacerdoti. Quam sententiam a subsequentibus Theologis summo consensu rejectam renovare tentarunt Ludovicus a Conceptione in examine veritatis tract. 5, q. 2, n. 19, et 35, Christophorus a S. Joseph tom. 1, receptar. opinionum, in 2 part. de sacramento pœnit. dub. 1, num. 8, pro sua sententia referens Franciscum a S. Juliano ex eadem Familia, Delgadillo in tract. de Pœnitentia, cap. 10, dub. 8, num. 44. Qui pro prædicta sententia nullum afferunt alicujus ponderis fundamentum, sed solas citationes Auctorum, quos tamen non ita sensisse evidenter demonstrat Prado, productis eorum verbis in præs. quæst. 5, de contritione dub. 1.

Suppositio quædam negat illam. Bernard. de Gannaco

Sed cujuscumque sit, aut fuerit, eam esse falsam docent communiter Theologi, et aliqui illam gravi improbabilitatis nota percellunt, ut videre est apud Pradum loco cit. Quare suppositionem factam ut plane certam præmittimus : scilicet ad valorem sacram. pœnitent. non sufficere, quod pœnitens intendat recipere hoc sacramentum, et quod in ordine ad hunc finem confiteatur omnia peccata ; sed insuper requiri, quod de illis habeat dolorem, qui sit sacramenti pars. In qua suadenda non oportet immorari quia satis constat ex dictis disput. 1, dub. 2, et quæst. 90, art. 2. Sed satis erit breviter insinuare præcipua hujus veritatis capita. *Primum*, ac præcipuum ex Dei instituentis voluntate, quæ nobis innotescit per determinationem Ecclesiæ docentis sacramentum pœnitentiæ ex parte materiæ, qua, et forma componitur, constare tribus partibus, et in primis dolore de peccatis, quæ clavibus submittuntur. Sic Florentinum in decreto Eugenii, et Tridentinum sess. 14, cap. 3, ibi : « Sunt autem quasi « materia hujus sacramenti ipsius pœni- « tentis actus, nempe contritio. » Et c. 4: « Contritio, quæ primum locum inter dic- « tos pœnitentis actus habet, animi dolor, « ac detestatio est de peccato commisso, « etc. » Et can. 4 ejusdem sess. ibi : « Si « quis negaverit ad integram, et perfectam « peccatorum remissionem requiri tres ac- « tus in pœnitenti, videlicet contritionem « confessionem, et satisfactionem, quæ tres « pœnitentiæ partes dicuntur, etc. ana- « thema sit.» Secundum ex communi sensu fidelium, et consensu Theologorum cum eorum principe D. Thoma, tum quæst præced. art. 2, ubi concludit : « Sic igitur requiritur

requiritur ex parte pœnitentis, primo quidem voluntas recompensandi, quod fit per « contritionem. » Tum in 4, dist. 23, q. 1, art. 4, q. 2, ubi ait : « Contritio est de essentia sacramenti pœnitentiæ. » Et idem docent alii, maxime post Concil. Tridentinum. Unde Granados controv. 7, tract. 3, disp. 3, sect. 1, dicit sententiam oppositam esse improbabilem, et hoc tempore temerariam : nam præterquam quod repugnat omnibus aliis Theologis, et Doctoribus, aperte videtur damnata in Concilio Tridentino. Et Lugo disp. 14, sect. 1, num. 4, dicit esse contra praxim totius Ecclesiæ. E contra de nostra suppositione affirmat Aversa quæst. 11, sect. 5, esse communem fidelium, et Doctorum sensum. Et similia proferunt Prado ubi supra, et alii. Tertium ab optima congruentiæ ratione ; quia cum hoc sacramentum institutum sit per modum judicii, in quo pœnitens comparatur, ut reus ; oportet peccatorum confessionem (quam nemo negat requiri essentialiter ad sacramenti valorem) esse de peccatis accusationem : ubi autem nullus adesset dolor, non esset de peccatis accusatio, sed historica quædam, et simplex illorum relatio : requiritur ergo aliquis dolor, qui sit sacramenti pars, et absque illo nequit ejus valor consistere : et hoc supponit titulus dubii.

3. Hoc itaque præsupposito, observandum est dolorem de peccatis dividi in contritionem, et attritionem. Quam divisionem satis aperte supponit, et tradit Concil. Trident. sess. 14, cap. 4, et docent communiter Theologi. Præcipue autem inter hos dolores differentia, aliorumque radix deprimitur, sicut et in aliis actibus contingit, ex diversis formalibus objectis, quæ per se primo respiciunt. Nam objectum contritionis est peccatum, ut offensa Dei finis ultimi dilecti super omnia ex intentione satisfaciendi pro illa, ut fuse explicuimus disp. 5, dub. 1, et 4. Objectum autem attritionis est longe inferius, et sub inferiori motivo, utputa peccatum, in quantum est malum peccatoris, sicut statim magis declarabimus : possunt enim hæc motiva inferiora esse plura, et subinde fundare plures, ac diversas attritiones.

Ex prædicta vero differentia, quæ plane est essentialis, et primaria oriuntur aliæ plures, ut communiter observant Auctores. Nam omnis contritio cadit super omnia peccata gravia, quippe convenientia in ratione offensæ Dei : non autem omnis attritio, quia potest dolere de uno peccato sub speciali motivo ad alia non se extendente. Præterea (et in idem coincidit,) contritio excludit omnem affectum peccandi graviter : nam cum tendat ad destruendum peccatum sub generali motivo omnia comprehendente, nequit compati cum affectu ad aliquod particulare : cujus oppositum accidit in attritione, quia cum possit tendere sub speciali motivo occurrente in aliquo peccato, potest etiam componi cum affectu ad alia, in quibus illud motivum non adest. Deinde contritio procedit ex amore Dei ultimi finis dilecti super omnia, quem necessario supponit, ut loco cit. ostendimus : sed attritio procedit ex timore servili, aut ex simili aliquo motivo inferiori. Ulterius contritio nequit esse informis, quia imperatur a charitate, et convertit ad Deum ultimum finem : et ideo semper habet adjunctam gratiam sanctificantem, et connectitur cum illa sicut cum forma, ad quam ultimo disponit, vel tanquam cum principio, a quo essentialiter dependet, ut diximus disp. 5, n. 157, et num. 165, et aliis locis ibi relatis. Attritio autem potest esse, et est frequenter informis ; quia neque ex natura rei, neque ex Dei promissione affert infallibiliter gratiam sanctificantem. Denique contritio detestatur peccatum supra omne malum pœnæ ; cum procedat ex amore Dei super omnia, præferente ipsum omnibus bonis, et malis; sed attritio secus se habet : nam ut pœnam vitet, detestatur culpam ; atque ideo non magis istam, quam illam, sed vice versa : nullus enim actus excedit proprium motivum, vel ultra illud procedit. Ex quibus omnibus fit contritionem esse, et dici debere dolorem perfectum de peccatis : attritionem autem esse imperfectum de illis dolorem, et cum addito displicentiam. Et ita significavit Concilium Trident. loco cit. distinguens inter contritionem *charitate perfectam*, et contritionem *imperfectam, quæ attritio dicitur*. Et D. Thom. in 1, q. supplem. art. 2, ad 2, magis explicat, dicendo : « Attritio non « dicit accessum ad perfectam contritio- « nem. Unde in corporalibus dicuntur at- « trita, quæ aliquo modo diminuta sunt ; « sed non adhuc perfecte sunt communita.

Concil. Trid.

S. Thom.

« Sed contrita dicuntur, quando omnes « partes tritæ sunt simul per divisionem « ad minima, et ideo attritio significat in « spiritualibus quandam displicentiam de « peccatis commissis, sed non perfectam : « contritio autem perfectam. » Et D. Bernardus detegens differentiæ radicem, nempe Dei amorem, ex quo procedit contritio, et timorem pœnæ, in quo fundatur attritio, dixit in tract. de diligendo Deo circa finem : « Est, qui confitetur Deo, quoniam potens « est ; et est qui confitetur, quoniam sibi « (*confitenti scilicet*) bonus est : et item qui « confitetur, quoniam simpliciter bonus « est. Primus servus est, et timet sibi. Se- « cundus mercenarius est, et cupit sibi. « Tertius filius est, et defert patri. Itaque, « et qui cupit, et qui timet, utrique pro se « agunt. Sola, quæ in filio est charitas, non « quærit, quæ sua sunt. »

D. Bern.

4. Unde ulterius supponendum est contritionem esse dolorem sufficientem, ut sit vera pars sacramenti pœnitentiæ. In hac suppositione omnes citra controversiam conveniunt, et quidem merito : nam si quis de peccatis dolor requiratur, ut simul cum aliis partibus componat ex parte materiæ hoc sacramentum, ut jam præmisimus, ille utique sufficiens, et maxime aptus ad id censeri debet, qui maxime perfectus est : sed ita se habet contritio, ut constat ex immediate dictis : ergo est dolor sufficiens, ut sit vera pars sacramenti pœnitentiæ. Confirmatur : nam plus longe est sufficere, ut sacramentum sit fructuosum, sive causans gratiam, quam ut præcise sit validum, et subsistat abstrahendo ab effectu : sed contritio conjuncta aliis sacramenti partibus est dolor sufficiens ut hoc sacramentum sit fructuosum, sive proprium effectum inducens : ergo a fortiori sufficiet, ut sit validum, et secundum essentialia subsistat. Probatur minor : tum quia omnes docent sacramentum pœnitentiæ, in quo dolor contritionis concurrit, non esse informe : atque ideo supponunt contritionem sufficere cum aliis partibus, ut sacramentum sit fructuosum, sive proprium causans effectum. Tum quia non minus potest contritio cum sacramento in re, quam eadem cum sacramento in voto : sed contritio cum sacramento in voto causat gratiam, et remissionem peccatorum : ut docet Concil. Trident. sess. 14, cap. 4 : ergo idem de eadem conjuncta sacramento a fortiori dicendum est.

Confirmatio.

Nec momenti erit, si opponatur, illum dolorem non posse habere rationem partis sacramenti, qui impedit ejus effectum ; sed ita comparatur dolor contritionis ad effectum sacramenti pœnitentiæ : ergo non potest habere rationem partis ipsum componentis. Probatur minor : nam effectus proprius hujus sacramenti, est destruere peccata gravia post baptismum commissa, et in hoc sensu appellatur a patribus secunda tabula post naufragium, ut constat ex dictis disp. 1, dub. 1. Ubi autem adest contritio, necessarium est impediri hujusmodi effectum : quia ipsa connectitur cum gratia, et est inconjungibilis cum peccato gravi, atque antecedit absolutionem, sive formam hujus sacramenti : ergo ubi adest, impedit ejus effectum. Idque palam supponit Concilium Trident. sess. 14, cap. 4, his verbis : « Docet præte- « rea, et si contritionem hanc aliquando « charitate perfectam esse contingat, ho- « minemque Deo reconciliare, priusquam « hoc sacramentum actu suscipiatur ; ip- « sam tamen reconciliationem ipsi contri- « tioni sine sacramenti voto (quod in illa « includitur) non esse adscribendam. »

Id, inquam, non refert : quia solum evincit pro dolore essentialiter requisito, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ, non requiri determinate contritionem, sed sufficere alium dolorem imperfectiorem (de quo inferius) : minime autem evincit, quod, ubi adest contritio, non sit vera hujus sacramenti pars, ita, et melius, ac alius inferior dolor posset istud officium subire. Unde neganda est objectionis minor. Ad cujus probationem dicendum est ; effectum proprium hujus sacramenti non esse determinate gratiam actu, et exercite excludentem peccata gravia post baptismum commissa ; sed gratiam remissivam illorum, sive quæ quantum est de se, illa remitteret, si illa in suscipiente istud sacramentum supponeret. Neque aliud exprimunt verba absolutionis : *Ego te absolvo :* non enim significant exercitam remissionem peccati, cum frequenter supponant illud remissum, ut constat ex verbis Concil. Tridentini in objectione relatis ; sed quod sacerdos, prout est minister Dei, illud, quantum est de se, remittit,

tit, et quod complet sacramentum ejus de se remissivum. Eo vel maxime, quod quamvis ubi contritio supponitur, atque ideo, et gratia justificans, hoc sacramentum illam non producat, complet tamen per modum termini votum, dependenter a quo contritio gratiam inducit per modum dispositionis : neque enim aliter post baptismum peccatoris justificatio contingit, ut diserte docet Tridentinum loco citato : quo circa pœnitentiæ sacramentum merito appellatur secunda tabula post naufragium : quia nemo ab isto émergitur, nisi dependenter ab illo suscepto in re, vel in voto. Quod amplius explicari, et confirmari potest, tum exemplo speciali baptismi, qui est prima tabula post naufragium, et institutum per se ad justificationem peccatoris, emundando illum ab originali peccato : et tamen non raro contingit, quod adulti baptizandi præsupponantur ab illo mundi, et justificati per gratiam media contritione: ubi occurrit eadem difficultas, quæ in objectione proponitur, et eodem modo diluitur. Tum exemplo universaliori ceterorum sacramentorum : sunt enim aliqua, quæ mortuorum dicuntur, quia per se non exposcunt, nec supponunt vitam gratiæ in suscipientibus, sed ordinantur per se ad communicandum illam, ut baptismus, et pœnitentia ; et sunt alia, quæ vivorum appellantur, quia illam de se in suscipientibus exigunt. Unde non ordinantur per se ad primam ejus communicationem, sed ad ipsius augmentum, uti se habent Eucharistia, Confirmatio, et alia, illis duobus exceptis. Quo non obstante contingit, licet per accidens, quod sacramenta vivorum producant non augmentum, sed primam justificationis gratiam, quando videlicet suscipiens accedit, et cum bona fide existimans se esse in gratia, cum non sit, et cum dispositione ad ejus communicationem desiderata ; sic itaque vice versa, quandoque accidit pœnitentiæ sacramentum efficere non primam gratiam, sed ejus augmentum, ubi illa præsupponitur alias in subjecto. Quæ omnia fuse expendimus suo loco tract. 22, de Sacramentis in gen. disp. 4, dub. 7, ad quem lectorem remittimus.

5. Sed cum multa possint ad aliquem effectum sufficere, quin sint pro eo necessaria ; videre oportet, an idem contingat in contritione, id est, an hic adeo perfectus dolor requiratur, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ ; an vero satis sit alius imperfectior, qui dicitur attritio. Ad cujus declarationem observandum est, quod cum hæc non habeat unicum, et indivisibile motivum ; non est una in specie infima ; sed potest esse multiplex juxta motivorum diversitatem. Et divisionem ejus universaliorem, et magis celebrem proponit Concil. Tridentinum sess. 14, cap. 4, his verbis : « Illam vero contritionem imperfectam, « quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione ; vel ex « gehennæ, et pœnarum metu concipitur, « etc. » Ubi omnem attritionem ad unum ex duobus capitibus, aut generibus reduxisse videtur ; nempe, ad dolorem de peccatis propter eorum turpitudinem, vel ad dolorem de peccatis propter pœnam, cujus reum hominem constituunt ; sed divisio est in species subalternas, sub quarum unaquaque facile sit assignare alias infimas. Non enim una est præcise turpitudo in peccatis, sed multiplex, et specie diversa, ut furti, homicidii, sacrilegii, etc. Atque ideo alia est attritio de furto ob ejus specialem turpitudinem, alia de adulterio ob illius particularem deformitatem, et sic de aliis. Unde provenit posse dari attritiones restrictas, sive non habentes extensionem ad omnia peccata : nam, qui dolet de adulterio ob ejus specificam deformitatem, ex vi hujus non dolet de furto, nec de aliis peccatis, quæ adulterium non sunt. Ubi autem motivum fuerit unum, et commune, opus erit attritionem esse generalem, et ad omnia peccata se extendere saltem implicite, et virtualiter, ut cum quis dolet de homicidio, non præcise quia homicidium, sed quia peccatum mortale, sive gravem deordinationem, et deformitatem inducens. Idemque proportionabiliter dicendum est de alio genere attritionis ortæ ex pœna ut motivo illam vitandi, sub quo possunt concipi plures attritiones juxta diversitatem pœnarum, ad quas, et propter quas declinandas dolet homo de peccatis, utputa ad vitandum pœnam æternam inferni, vel pœnam temporalem purgatorii, vel pœnas hujus vitæ, ut infirmitatem, egestatem, et alias calamitates, quas Deus infligere solet ad peccatorum supplicium. Quam diversitatem significasse haud obscure videtur Concilium Trident. loco citato dicens :

Concil. Trident.

vel ex gehennæ, et pœnarum metu concipitur, priori vocabulo pœnam damnatorum significans, et posteriori alias imminentes peccatoribus : omnes enim, et singulæ aptæ sunt ad incutiendum timorem, ut homo sua peccata odio habeat, et plangat. In hoc autem genere non ita videtur admittendas fore attritiones partiales, sive non se extendentes ad omnia peccata, sicut in primo : nam quælibet pœna assignetur, pro quolibet peccato potest applicari, et debet timeri : unde qui de uno peccato atteritur propter pœnam inferni, aut purgatorii, aut hujus vitæ, attritionem virtualiter, et implicite concipit de omni peccato, quippe in unum tendens ex motivo cunctis communi.

Objectio. Opponi tamen potest dari attritiones, quæ non pertinent, nec reduci possunt ad duas classes immediate relatas : ergo et Concilium, et nos diminute processimus in earum assignatione. Antecedens suadetur : tum quia non semel homo detestatur peccata ex amore, et desiderio consequendi beatitudinem : quæ detestatio non est contritio ; siquidem non procedit (ut illa debet) ex amore Dei dilecti super omnia amore amicitiæ ; sed procedit ex affectu concupiscentiæ : ergo est attritio, sive dolor imperfectus : et tamen non oritur ex consideratione turpitudinis peccati, nec ex metu pœnæ. Tum etiam quia non raro etiam contingit hominem converti, et abominari peccata ex consideratione bonitatis Dei, et beneficiorum, quæ nobis confert, et conferre valet : qui affectus non semper a principio est charitatis, ac proinde nec vera contritio, sed præcise attritio : et tamen non pertinet ad duas classes assignatas.

Respondetur. Respondetur ; omisso antecedenti, negando consequentiam : nam quod ad Concilium attinet : assignavit quidem illa duo motiva attritionis, vel turpitudinis culpæ, vel timoris pœnæ, quia ista frequentius pro attritione pœnitentium occurrunt, ut satis aperte significavit illis verbis, « vel « ex turpitudinis peccati consideratione, « vel ex gehennæ, et pœnarum metu com- « muniter concipitur. » Communiter dixit, non autem *essentialiter*, aut *indispensabiliter*, aut *semper*, denotans se tradere illam divisionem juxta contingentia frequentius. Minime tamen diffinivit eam divisionem esse adæquatam : quia res non erat tanti momenti, ut diffinitionem exposceret, nec occurrebat circa id hæresis, quam diffinitio compesceret. Et eodem modo nos gessimus explicantes, quod breviter proposuit Concilium : Quamvis, nec absurdum censeamus asserere, quod omnes attritiones ad duo prædicta genera revocantur. Et in hoc sensu ad primam antecedentis probationem, quatenus illi opponi valet, dicendum est, attritionem procedentem ex amore, et desiderio consequendi beatitudinem reduci ad illam, quæ procedit ex metu pœnæ : nam amor, et timor ita connectuntur, ut quasi idem sint attritio ex amore consequendi beatitudinem, et timor illam amittendi ; quod pertinet ad metum pœnæ. Et communiter beatitudinis amor non aliter inducit dolorem de peccatis, quam interveniente metu amissionis ejusdem. Unde Conc. Trid. sess. cit. can. 5, utrumque conjunxit dicens : pœnitentem recogitare *amissionem æternæ beatitudinis*, quam amat, *et æternæ damnationis*, quam timet, *incursum*. Ad secundum respondetur attritionem ex consideratione bonitatis divinæ revocari ad attritionem ortam ex consideratione turpitudinis peccati, quæ maxime elucet in offensa tantæ bonitatis, et ingratitudinem erga summam ejus beneficentiam. Ubi observari debet, quod sicut ista attritio supponit considerationem divinæ bonitatis, ita et aliquem ejus amorem, imperfectum tamen, et non pertingentem ad propriam charitatis rationem ; sed est aliquale ejus initium, et odio habet peccatum propter oppositionem ad eam, in qua contrarietate non minima est culpæ turpitudo.

6. Hic vero, ut in scopum intentum proximius collimemus, animadvertere oportet odium peccati, et timorem pœnæ, ex quibus variæ attritiones superius assignatæ procedunt, posse diversum satis ortum habere. Possunt enim concipi ex solo lumine, ac dictamine naturali absque ullo respectu ad Deum supernaturalem auctorem, et finem : in quo casu attritionem ex tali odio, et timore partam opus est naturalem tantum esse. Quod facile constat in ea, quæ procedit ex consideratione turpitudinis peccati : hanc enim cognoscimus non solum per fidem, sed vel solo lumine naturali, quod sicut dictat honestatem moralium virtutum, utputa temperantiæ, et justitiæ, sic etiam manifestat turpitudinem operationum

operationum, quæ prædictis virtutibus adversantur : unde qui sola ea cognitione in odium peccati, et de eo attritionem duceretur, minime progrederetur ultra ordinem naturalem, nec adjutorio superioris ordinis indigeret, sed in dolorem mere philosophicum, ut sic loquamur, erumperet. Simile contingit in metu pœnæ, quæ culpam comitari solet : si enim illa sit tantum naturalis, qualem humanus judex infligit, v. g mors aut exilium, aut infamia ; metus naturalis omnino est, ac subinde ejus metus, et attritio inde progrediens. Quin et attritio peccatorum propter timorem futuræ post mortem æternæ pœnæ potest hac ratione esse pure naturalis. Quoniam non solum fides, sed etiam ratio naturalis apud optimos quosque Philosophos convincit malos post mortem puniri : in qualibet namque republica bene instituta oportet, quod ejus rector, sicut bonos præmio, ita malos pœna afficiat ; est autem universum hoc respublica quædam, quam Deus sua providentia gubernat : ergo ad Dei providentiam pertinet malis supplicium infligere ; atqui multoties id in hac vita non præstat, cum frequenter videamus malos, eam deliciose percurrere: fateri itaque oportet, quod in alia post mortem futura puniuntur. Quo etiam discursu probant Philosophi animam nostram esse immortalem, ut recte tradunt N. Complut, abbrev. in lib. de Anima, disp. 15, quæst. 2. Qui his itaque principiis naturalibus aut eis similibus præcise duceretur ad concipiendum peccatorum odium, et attritionem; non alium generaret affectum, quam naturalem. Idemque dicendum est, licet supponatur fidem supernaturalem habere, ubi pro attritione quam concipit, non utitur ejus lumine , sed eo tantum , quod naturalem cognitionem, et proposita per illam motiva non excedit : evadet namque attritio mere naturalis saltem secundum substantiam, sive speciem ; quidquid fuerit de aliqua modificatione, sive elevatione sibi superaddita propter consortium cum fide, de quo infra n. 22. Id autem raro, aut nunquam existimamus in fidelibus contingere : habent enim lumen fidei proponens non solum ea motiva, quæ ratio naturalis dictare valet, sed alia longe altiora, et urgentiora : quæ cum juxta conditionem fidei sint supernaturalia, saltem in proponendo, et movendo ; detestationem, et attritionem peccatorum supernaturales inducunt. Et hac de causa omnes attritiones ortas, vel ex consideratione turpitudinis propter oppositionem ad virtutes morales infusas, et inobedientiam erga Deum supernaturalem legislatorem ; vel ex metu pœnarum inferni, et purgatorii, et aliarum, quas Deus in hac vita potest supernaturali providentia inducere, tenendum communiter est esse in sua specie supernaturales.

Multiplex attritionis diversitas.

7. Ex quibus omnibus fit plures attritiones posse distingni ; alias entitative, et secundum speciem supernaturales, ut immediate diximus ; alias omnino naturales, quales diximus posse concipi ex solius luminis naturalis influxu; et alias naturales entitative, sed supernaturales quoad aliquem modum, sive elevationem adjunctam. Pro cujus luce recolenda sunt, quæ diximus tract. 14, de gratia, disp. 3, dub. 3, § 1, ubi observavimus ex tribus causis, sive radicibus provenire, quod aliquid sit, aut dicatur supernaturale, videlicet ex causa efficiente, finali, et formali. Ex efficiente quidem, quando aliquid supernaturali modo fit, quamvis entitas sit naturalis : quo pacto visus cæco restitutus potest supernaturalis vocari, quia licet potentia naturalis sit, reparatur supernaturaliter. Ex finali etiam, quando aliquid ordinatur in finem supernaturalem, licet id, quod ibi ordinatur in se naturale sit : qua ratione actus naturalium virtutum dicuntur supernaturales ex parte finis, si per charitatem in Deum ordinentur, ut accidit, quoties meritorie fiunt, ut ex professo explicuimus tract. 16, de Merito, disp. 1, et tract. 19, de Charitate, disp. 7, dub. 3. Denique ex parte causæ formalis dicitur aliquid supernaturale, cum ejus specificativum supernaturale est : quippe specificativum habet rationem formæ intrinsecæ, vel extrinsecæ in ordine ad communicandum speciem : et ita comparantur objecta formalia ad actus, habitus, et potentias, a quibus per se primo respiciuntur. Et quia entitas, et substantia rei convertitur cum ejus specie ; propterea quidquid habet esse supernaturale, ex parte causæ formalis dantis speciem ; est absolute supernaturale entitative, et quoad substantiam. Et hoc modo, hacque de causa actus Fidei, Spei, et

Charitatis, ac virtutum moralium infusarum esse supernaturales, docet satis communis, et certa sententia Theologorum, ut constat ex dub. cit. de Gratia, § 2. Juxta quam doctrinam attritio potest multipliciter esse, aut dici supernaturalis : primo ex parte causæ efficientis, si contingat fieri supernaturali modo, licet in se actus naturalis sit. Secundo ex parte finis, si contingat attritionem naturalem ordinari in supernaturalem finem. Tertio, et principaliter ex causa formali, sive objecto primario, cum istud in esse talis supernaturale est : et tunc evadit attritio supernaturalis specifice, et quoad substantiam.

8. In qua adhuc distinguendum est: nam potest dari attritio specifice supernaturalis, quæ sit efficax, et absoluta tam in detestando peccatum, quam in proposito peccatum illud evitandi de cætero : et potest etiam dari attritio specifice supernaturalis minus perfecta, quæ prædicta energia, sive efficacitate inducendi effectum destituatur : quia etsi attingat idem motivum vitandi, vel fœditatem culpæ, vel damnum pœnæ, oritur tamen ex voluntate adeo languida, et remissa, ut vim non habeat inducendi effectum, atque nec concipiendi propositum simpliciter efficax, sed solam quandam affectionem, et propensionem in suo genere laudabilem. Primam hujus suppositionis, ac distinctionis partem docent communiter Theologi. Secundam vero probat ipsa experientia, tam in naturalibus, quam in supernaturalibus, cui etiam ratio suffragatur. Non raro namque in materia alicujus virtutis, v. g. temperantiæ habemus actus talem materiam, et ex proprio virtutis motivo attingentes, ut cum quis statuit sobrie edere, aut caste vivere : et tamen tales actus non hærent firmiter voluntati, nec efficaciam habent, ut inducant executionem. Sunt itaque actus honesti, attingentes materiam virtutis temperantiæ, ad eamque saltem reductive pertinentes, et disponentes in suo genere ad actus perfectiores : sed tamen sunt imperfecti, et ad desideratum finem immediate non perducunt ; quia procedunt ex infirma voluntate, pravæ consuetudini contrariæ multum subjecta, unde tepescit animus, ne imperium efficax habeat, et executionem inferat. Idem proportionabiliter in supernaturalibus accidit: de quibus dubitari non debet, quod in supernaturali ordine dantur aliqui actus pertinentes de se, sive ex parte motivi ad ejusdem ordinis virtutes, ut odium peccati, timor Dei, desiderium beatitudinis, propositum emendationis, etc. pro quibus auxilia gratiæ desiderantur, et qui suo modo cor emolliunt pro conversione : destituuntur tamen frequenter efficacitate, ut voluntatem trahant ad effectum, et executionem inducant: quia, etsi honesti, et supernaturales, sunt tamen imperfecti, et non omnino absoluti. Quod itaque in aliis, tam naturalibus, quam supernaturalibus videmus, contingit etiam in supernaturali attritione : alia enim est efficax, et absoluta, effectumque proinde juxta propositum inducens ; alia vero quæ hanc perfectionem non habet, licet in eundem effectum inclinet. Quæ diversitas non in objecta, nec in motiva revocanda est, quippe possunt eadem proponi, et attingi ; nec etiam reducitur in auxilia sufficientia, quæ ad utrumque parantur, et conferuntur : sed quod una attritio sit absoluta, et efficax, gratiæ efficaciter ad id moventi tribui primario debet; et similiter, quod altera sit honesta, et supernaturalis, atque in suo genere disponat; gratiæ etiam deferendum est, sed quod careat perfectione efficacitatis, et ad executionem non perveniat, revocari debet in defectum voluntatis creatæ, quæ cum ex gratia sufficienti posset ad id se porrigere, languit, et stetit in attritione non efficaci ; quamvis hic defectus non sit privativus, sed negativus majoris perfectionis, ubi, et quando præceptum eliciendi attritionem efficacem nonoccurrit.

Si quis autem inquirat, a quo principio, aut virtute eliciantur hujusmodi attritiones imperfectæ, quas descripsimus : respondendum est idem dubium repræsentari posse circa efficaces, et absolutas : quippe ante justificationem peccatoris nullæ in eo supponuntur virtutes, vel habitus infusi præter fidem, et spem. Fiunt itaque mediis auxiliis sufficientibus, et pertinent reductive ad eas virtutes, quarum motiva attingunt, ut attritio orta ex desiderio beatitudinis ad spem; et attritio orta ex timore amittendi beatitudinem, ad eandem spem ; et attritio ex consideratione bonitatis Dei, et misericordiæ erga nos, ad timorem initialem ; et attritio orta ex cognita turpitudine

alicujus

alicujus peccati, ad eam virtutem, ad quam spectat opposita rectitudo, et sic de aliis ; ut num. 5 diximus. Quæ magis perspicua fient, si consideretur esse aliquos actus honestos, et supernaturales, qui non exposcunt specialem virtutem, ut fiant : quia, vel non habent completam bonitatem vel non resident in potentia, in qua virtus : unde satis pro similibus actibus est auxilium transiens., vel habitus virtute inferior, vel, quod ad aliquam virtutem reducantur secundario. Sic statuimus de actu piæ affectionis moventis ad assensum fidei, in hujus tract. 17, disp. 3, dub. 4; de simplici desiderio beatitudinis, quod præsupponitur ad motum spei, in hujus tr. 1, disp. 1, dub. 2, § 3. Videantur etiam, quæ diximus tr. 2, de bonitate, et malit. disp. 3, dub. 2, a num. 27, agentes de principio hujus actus, «Volo bonum honestum supernaturale, » aut, « Volo vivere honeste ex motivo supernaturali, » qui reperiri potest in peccatore. His fusius, quam desiderabamus, sed necessario præmissis

§ II.

Proponitur prima conclusio dubio ex parte respondens.

9. Dicendum est primo pro dolore, qui est pars sacramenti pœnitentiæ, non requiri contritionem, sed sufficere attritionem. Ita docent communiter Theologi, maxime post Concil. Trident. ut superfluum sit eos recensere. Recolantur, quæ diximus disp. 1, a num. 159, et disp. 5, num. 308. Et videri possunt Cano in relect. de Pœnit. par. 5, Sota in 4, dist. 14, quæst, 4, art. 3, Sylvester verbo *Confessio* 1, quæst. 21, num. 24, Nugnus quæst. 2, supplem. art. 3, difficult. 4, in resp. ad 1, ubi ait oppositam opinionem jam nostris temporibus non esse probabilem. Gonet. disp. 7, art. 2, Candidus disp. 24, art. 1, conclus. 1, Vasquez quæst. 92, art. 1, dub. 2, Lugo disp. 7, num. 273, dicens contrariam sententiam non esse probabilem post Concil. Tridentinum, Dicastillo (hanc censuram etiam approbans) disp. 6, dub. 2, num. 34, et dub. 10, num. 142, observans rem hanc, licet non sit de fide, esse adeo certam, ut nullus relinquatur locus prudenti dubitationi. Cardenas in Crisi Theologica, dissent. 2, cap. 1, ubi sententiam exigentem amorem dicit non esse probabilem, et oppositam, quam tuemur, esse omnino certam. Quæ referimus, non quia præmissa aliquorum asserta, censuram in oppositam sententiam ullo modo continentia, approbemus, vel admittamus : sed præcise illa expendimus, ut magis constet nostram communiorem esse, et apud plures plurimum invaluisse. Nam quod ad censuram attinet, præ oculis habemus, et reverenti obedientia suspicimus, et suscipimus decretum SS. D. N. Alexandri VII, emanatum anno 1667, die 5 Maji, quo ad evitandas rixas prohibuit, ne in hac theologica disceptatione alteri opinioni applicetur censura. « Non audeant, *inquit*, « alicujus censuræ Theologicæ, alteriusve « injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alte- « ram sententiam, sive negantem necessi- « tatem aliqualis dilectionis Dei in præfata « attritione ex metu gehennæ concepta, « quæ hodie inter scholasticos communior « videtur, sive asserentem dictæ dilectionis « necessitatem ; donec ab hac Sancta Sede « fuerit aliquid in hac re diffinitum. » Juxta quod decretum processuros firmiter apud nos statuimus, nec audiri, aut intelligi aliter volumus. Quamvis, quod ad præsentem assertionem spectat, minori scrupulo premimur : nam solum attendimus ad partem essentialem, et merum valorem sacramenti, in qua præcisione non procedit ardens illa, et adeo exagitata controversia ; sed ejus pondus vergit, quin cadit omne supra dolorem, ut disponentem ad gratiam, et supra sacramentum, ut fructuosum. Quæ alia longe diversa difficultas est, alterique succedens; quam tamen non versare ob connexionem doctrinæ non poterimus a num. 26. Hic vero oportet notare assertionem propositam absque præjudicio ullarum partium defendi : nam ea supposita, et quod sola attritio sufficiat, ut sit pars essentialis sacramenti ; adhuc dubitari potest, an etiam sufficiat, ut cum sacramento disponat ad gratiam in eo conferendam : manifestum namque est, quod plus dicit attritio, ut simul sacramenti pars, et dispositio ad gratiam ; quam præcise attritio, ut pars sacramenti.

Alexandri VII.

10. Varia nostræ assertionis fundamenta sparsim insinuavimus in priori hujus tractatus parte, quæ oportet hic expendere,

Probatur 1. conclus. auctoritatibus.

et in unum colligere, ut simul juncta plus premant, et evidentius communem sententiam evincant. Primum desumitur ex Concilio Tridentino eam non obscure docente:

Concil. Trid.

nam sess. 14, cap. 3, tradit tres esse sacramenti partes ex parte materiæ, atque unam esse dolorem, « sunt autem, *inquit*, « quasi materia hujus sacramenti ipsius « pœnitentis actus, nempe contritio, con- « fessio, et satisfactio. » Deinde cap. 4 sequenti hunc dolorem in genere, sive in communi describit in hunc modum: « Contri- « tio, quæ primum locum inter dictos pœni- « tentis actus habet, animi dolor, ac detes- « tatio est de peccato commisso, cum pro- « posito non peccandi de cetero. » Procedit ulterius dividendo prædictam communem rationem in duas quasi species, dolorem scilicet perfectum, qui specialiter vocatur contritio, et dolorem imperfectum (comparative ad priorem) qui attritio dicitur. Et de primo dolore affirmat, justificare quidem sine sacramento in re suscepto, sed non absque ejus voto, sive proposito illud suscipiendi. « Docet præterea « (ait Concilium) etsi contritionem hanc « aliquando charitate perfectam esse con- « tingat, hominemque Deo reconciliare, « priusquam hoc sacramentum actu sus- « cipiatur, ipsam nihilominus reconcilia- « tionem ipsi contritioni sine sacramenti « voto, (quod in illa includitur) non esse « adscribendam. » Denique ad secundum, et imperfectum dolorem accedens docet: « Illam vero contritionem imperfectam, « quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex tur- « pitudinis peccati consideratione, vel ex « gehennæ, et pœnarum metu communi- « ter concipitur, si voluntatem peccandi « excludat, cum spe veniæ, declarat non « solum non facere hominem hypocritam, « et magis peccatorem, verum etiam do- « num Dei esse, et Spiritus Sancti impul- « sum, non adhuc quidem inhabitantis, « sed tantum moventis, quo pœnitens ad- « jutus viam sibi ad justitiam parat. Et « quamvis sine sacramento pœnitentiæ per « se ad justificationem perducere peccato- « rem nequeat; tamen cum ad Dei gratiam « in sacramento pœnitentiæ impetrandum « disponit. » Hæc omnia Concilium.

Ex quibus constat contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ, ut patet ex verbis cap. 3. Et rursus constat prædictam contritionem, quæ est sacramenti pars, non esse aliud, quam animi odium, ac detestationem de peccato cum proposito non peccandi de cetero, ut non minus liquet ex verbis cap. 4. Denique constat membra, sive partes dividentes, aut quasi species hujus contritionis, quæ est sacramenti pars, esse, et dolorem perfectum, sive contritionem proprie dictam, et dolorem imperfectum, qui vocatur attritio: ergo de primo ad ultimum infertur pro dolore, ut sit pars hujus sacramenti, non requiri dolorem perfectum, sive contritionem, sed sufficere dolorem imperfectum, qui est attritio. Patet consequentia: quia propria ratio divisi salvatur in omnibus, et singulis membris dividentibus: ergo cum juxta doctrinam Concilii divisum sit pars sacramenti, et membra dividentia sint contritio, et attritio, in qualibet earum salvatur pars sacramenti, atque ideo non solum in contritione, sed etiam in attritione. Explicatur hoc amplius: nam animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero est pars sacramenti pœnitentiæ: sed attritio est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero: ergo attritio est pars sacramenti pœnitentiæ. Major constat ex Conc. locis, et verbis relatis: nam in primis docet contritionem esse partem hujus sacramenti, et deinde illam præmissa diffinitione describit. Minor etiam patet: quia omnia illa verba attritioni conveniunt: quippe cum contritione convenit in eo, quod sunt animi dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero; licet differant ex parte motivi, ut satis explicuimus § præced. Consequentia autem est legitima: quia procedit a diffinitione ad diffinitum.

Quod fundamentum amplius roborari posset ex aliis, quæ in eo c. 4 docet Concil. si ad hanc formam redigantur: nam actus pœnitentis, qui in sacramento pœnitentiæ potest disponere ad gratiam remittentem peccatum, est vere pars talis sacramenti; sed attritio est actus, quo pœnitens se disponit ad gratiam remittentem peccatum in prædicto sacramento; ergo attritio est una pars talis sacramenti. Consequentia patet. Et major videtur manifesta: quia actum esse dispositionem ad gratiam remittentem

ittentem peccatum, plus longe est, quam se mere partem sacramenti ex parte ateriæ : ergo actus pœnitentis qui potest se dispositio ad productionem gratiæ, t a fortiori pars sacramenti : sicut ex rte ipsius sacramenti plus est esse, et usare gratiam, quam esse præcise sa-amentum, ut contingit juxta plurium ntentiam in sacramento informi, de quo ias. Minor denique probatur ex Concil. illo c. 4, verbis supra relatis: quia in eis xpresse dicitur attritionem « viam parare ad justitiam » (quod est disponere) et terius, quod « ad Dei gratiam in sacra-mento pœnitentiæ impetrandam dis-ponit.»

Et si quis dixerit hæc intelligi de dispo-tione remota, et fallibili ; non de dispo-tione ultima, et infallibiliter connexa cum ratia justificante : qui, inquam, ita res-nderit, refelli debet. Tum, quia Conc. id ibuit attritioni cum sacramento, quod ntritioni extra sacramentum, ut colligi-r ex contextu illius capitis, et ex modo visionis contritionis in perfectam, et nperfectam : sed contritio extra sacra-entum justificat, ut eo capite dicitur : go, et attritio cum sacramento : atque eo ultimo disponit, et connectitur infal-biliter cum gratia justificante. Tum etiam ia Concilium defert attritioni cum sacra-ento, quod ipsi denegat extra illud, ut rspicuum videtur ex illis verbis : « Et quamvis sine sacramento pœnit. per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. » Ubi illud tamen est adversa-va comparatio inter attritionem intra, et xtra sacramentum ; sed extra sacramen-m disponit non ultimo, et infallibiliter : go intra, ultimo, et infallibiliter dispo-t; non quidem ex natura rei, sed ex stitutione divina. Tum denique, et ur-ntius, quia Concilium post præmissa de tritione verba subjunxit : « Quamobrem falso quidam calumniantur catholicos scriptores, quasi tradiderint sacramen-tum pœnitentiæ absque bono motu susci-pientium gratiam conferre : quod nun-quam Ecclesia Dei docuit, nec sensit. » anc calumniam opponebant Lutherani, on quidem propter contritionem ex more ortam quam bonum motum non negabant, sed propter attritionem præser-tim, quæ ex metu inferni concipitur, quam aversabantur, et tamen videbant asseri a Catholicis partem sacramenti, et cum eo conferre gratiam. Quam calumniam refellit Concil. non negando attritionem esse sa-cramenti partem, et conferre gratiam, sed asserendo esse actum bonum : quasi in hunc modum argueret. Attritio est actus bonus : ergo gratia in sacramento pœni-tentiæ non confertur (ut calumniamini) absque bono motu. Atque ideo sensit attri-tionem esse sacramenti partem, quin, et dispositionem ad gratiam. Si namque ita non sensit, ad quid prius probavit, statuit-que esse actum bonum, ut inde probaret (hanc vim habet ly *quamobrem*,) sacramen-tum non absque bono motu pœnitentis gra-tiam conferre ? Sufficiebat enim contritio-nem esse actum bonum, si absque illa non esset sacramentum, neque gratia in eo conferretur. Recognovit itaque Concil. non solam contritionem esse hujus sacramen-ti partem, aut gratiam conferre ; sed hæc etiam convenire attritioni cum sacramento independenter ab illa. Diximus quoad *propositum fundamentum*, etc. Ut denotaremus a nobis magis insinuari, quam fulciri illud roboris augmentum : concernit enim diffi-cultatem diversam, et seorsim agitandam, nempe, an attritio cum sacramento indu-cat infallibiliter hujus effectum. Et hac etiam de causa non refutamus in præsenti aliquorum responsiones, quibus nonnulli conantur præmissi testimonii vires elu-dere.

11. Quare hæc interim omittendo ; probatur secundo nostra conclusio alio funda-mento satis urgenti : quoniam ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur essentia-liter aliquis de peccatis dolor, qui sit vera talis sacramenti pars ; sed non requiritur essentialiter dolor contritionis : ergo suf-ficit dolor attritionis. Consequentia est legitima ; quia dolor de peccatis dividitur adæquate in contritionem, et attritionem, ut diximus § 1. Ergo ubi requiritur dolor, et non requiritur contritio, necessarium est fateri sufficere attritionem. Major etiam con-stat ex dictis eodem § 1. Minor autem, in qua sola poterat esse difficultas, ostenditur : quoniam nequit requiri essentialiter ad aliquod sacramentum, tanquam vera ejus pars, quod ejus essentiam avertit ; sed ita

Probatur 2 con-clus. alio urgen-tiori funda-mento.

compararetur contritio, si essentialiter requireretur, et ut vera pars ad sacramentum pœnitentiæ : ergo non ita se habet. Cetera sunt evidentia. Et minor hujus secundi syllogismi probatur : quia licet non sit de essentia sacramenti pœnitentiæ, quod actu remittat pœnitenti peccatum, sive quod producat primam in eo justificationis gratiam ; est tamen de ejus essentia, quod possit tales effectus inducere : sicut generaliter licet non sit de essentia causæ actu causare, est tamen de ejus essentia, quod causare possit ; quia si nunquam causaret, vana foret ejus institutio in esse causæ, ut per se manifestum videtur. Si autem contritio requireretur ad sacramentum pœnitentiæ ut vera ejus pars ; antecedenter ad sacramentum supponeretur remissum peccatum, atque ideo communicata gratia, per quam remittitur : quippe contritio, cum procedat ex amore Dei ultimi finis dilecti super omnia, incompossibilis est cum omni, et quolibet peccato mortali, et hac ratione repugnat illi esse informem, ut abunde probatum est disp. 1, n. 153, et disp. 4, n. 75, et 81, et 93. Destrueretur ergo essentia sacramenti pœnitentiæ, si contritio esset pars ad ejus constitutionem essentialiter requisita. Quod fundamentum innititur alteri firmissimo decreto scilicet Ecclesiæ diffinientis sacramenta novæ legis causare suum effectum in non ponentibus obicem. Sic Tridentinum sess. 7, can. 6, habet : « Si quis « dixerit sacramenta novæ legis non con- « tinere gratiam, quam significant, aut « gratiam ipsam non ponentibus obicem « non conferre, anathema sit. » Et sess. 14, cap. 3, habet : « Res, et effectus hujus « Sacramenti, quantum ad ejus vim, et « efficaciam pertinet, reconciliatio est cum « Deo. » Qua itaque ratione potest esse illius essentialis pars id, quo posito, non potest sacramentum conferre propriam gratiam, quam significat, nempe primam, nec reconciliationem cum Deo ? Nunquid contritio appellanda est obex ad effectum sacramenti ? Et si est obex, qua ratione est pars essentialis ? Sunt hæc plane contradictoria.

Concil. Trid.

Confirmatio, et explicatio.

Confirmatur, et explicatur amplius : nam hoc sacramentum institutum est per modum medicinæ contra morbum peccati ; quin etiam habet modum spiritualis resurrectionis a peccati morte, et statu in quo pœnitens præsupponitur ; cum his autem proprietatibus, aut conditionibus minime cohæret, quod exigat contritionem tanquam essentialem sui partem : ergo contritio non est pars essentialis hujus sacramenti, sed sola attritio, in qua illa cohærentia minime occurrit, siquidem conjungi valet cum morbo, et morte peccati. Consequentia patet. Et major est communis apprehensio fidelium, et doctrina Theologorum : quippe distinguunt sacramenta vivorum, quæ vitam gratiæ per se supponunt ; et sacramenta mortuorum, quæ vitam gratiæ non supponunt per se ; sed magis ejus privationem, sive spiritualem mortem per peccatum inductam ; et ordinantur per se ad reparandam vitam gratiæ excludendo mortem peccati : quo pacto se habent Baptismus, et Pœnitentia. Et quod ad medicinam attinet, id elegantes tradit D. Thom. supra quæst. 80, art. 4, ubi statuit peccatorem sumendo Eucharistiam peccare. Et cum sibi opposuisset Eucharistiam, sicut, et alia sacramenta, esse spiritualem medicinam contra peccatum atque ideo posse in remedium peccati sumi absque nova culpa, respondit : « Ad secun- « dum dicendum, quod non quælibet medi- « cina competit secundum quemlibet statum « infirmitatis. Nam medicina, quæ datur « jam liberatis a febre ad confortationem « noceret, si daretur adhuc febricitanti- « bus. Ita etiam baptismus, et pœnitentia « sunt, quasi medicinæ purgativæ, quæ « dantur ad tollendam febrem peccati. « Hoc autem (Eucharistiæ) sacramentum « est medicina confortativa, quæ non debet « dari, nisi liberatis a peccato. » Minor etiam constat : quia contritio, cum procedat ex amore Dei ultimi finis dilecti super omnia, non cohæret cum statu infirmitatis et mortis peccati, sed illum excludit saltem indirecte per modum dispositionis incompossibilis ; quocirca si sacramentum pœnitentiæ illam supponit, ut partem, ex qua componitur ; pariter supponit hominem sanatum, et resuscitatum ab infirmitate, et morte peccati : et consequenter nunquam sanabit, nec suscitabit peccatorem ab infirmitate, et morte peccati ; ergo concilium non potest, quod ex una parte sacramentum pœnitentiæ sit institutum per modum medicinæ sanativæ, et sit sacramentum mortuorum

nortuorum; et quod ex alia parte præsup-ponat essentialiter contritionem. Quæ con-iderans Gonet disp. 7, dub. 2, § 4, n. 47, .e ita sentientibus dixit (referimus, non robamus aliorum censuras) quod hujus acramenti naturam prorsus ignorant, demque asserunt, ac qui diceret medici-iam aliquam a prudenti aliquo medico in-titutam fuisse ad tollendum genus morbi, quod nunquam ipsa tolleret; sed semper, t necessario sublatum esse præsuppone-et; quod plane ridiculum, et absurdum st, et Christi sapientia sacramentorum nstitutoris prorsus indignum.

12. Ut hujus fundamenti pondere, quod rave est, obrui non fateantur Adversarii, nirum est, quot effugia excogitaverint. ed solum referemus principaliora, quibus præclusis nullus aditus patebit ad alia; ec multum in hoc labore diffluemus, quia ti curabimus principiis alibi ex professo irmatis, et valde certis. Prima itaque, et ommunior illorum responsio est contri-ionem non connecti necessario cum gratia ustificante; sed posse illam antecedere, et ubinde impedimento non esse, ut hoc sa-ramentum, licet contritionem exigat, et upponat, proprium effectum, id est, pri-nam gratiam sanantem, et resuscitatam fficiat. Cum autem opponimus contritio-em procedere ex amore Dei ultimi finis ilecti super omnia, atque esse actum im-eratum a charitate, cum qua proinde, et ratia justificante connectitur, ut locis roxime citatis ostendimus: occurrunt ite-um distinguendo duplicem amorem super mnia Dei ultimi finis. Nam alius, in-uiunt, est perfectus effectivus, et consum-natus, qui cum habitu charitatis, et gratia ustificante connectitur, et ab eis procedit: lius vero inchoatus affectivus initialis, et mperfectus, qui eam connexionem, et de-endentiam non habet, sed gratiam, et abitum charitatis antecedit, et compati-ur cum peccato mortali habituali. Pro ontritione autem (saltem in communi, bstrahendoque a perfecta, et imperfecta) on requiritur amor ille perfectus, sed fficit hic posterior. Unde non impeditur, uod contritio sit pars sacramenti pœnit. rdinati ad producendum primam gratiam ustificantem, nec consequuntur inconve-ientia, quæ in argumento, et confirma-ione expendimus.

Hac evasione, et doctrina illi inserta se præcipue expedit Germanus Philaletheo, seu alius sub larva harum vocum latens (vir alias subtilis ingenii, et doctrinæ Thomisticæ addictissimi) in opusc. de contritione gemina, (quod præstat post Thomistarum triumphum) fere per totam, et maxime § 5. Sed non satisfacit; quamvis tot, satisque ambiguis nominibus utatur in describendo contritionem, et charitatis amorem, cui innititur. Inquirimus enim, ut ab eorum confusione explicemur, utrum illi duo amores, quos recenset, unus perfectus, et alius imperfectus, sint ejusdem speciei, licet cum diversis modis accidentalibus, sicut comparantur puer, et vir? An vero distinguantur essentialiter, et quantum ad aliquem gradum specificum, sicut homo, et embrio, qui absolute homo non est essentialiter, sed solum vialiter, et dispositive? Si dicatur hoc ultimum, tollitur status præsentis controversiæ, quæ ad contritionem proprie dictam, procedentemque ex vero charitatis amore (esto sit initialis, sive comparative ad alium perfectiorem minus perfectus) attendit, et illius pro hoc sacramento exigentiam investigat. Et alius quis, et quibusvis fucis depingatur, non est de re. Non enim dubitamus posse dari in peccatore dolorem aliquem de peccatis ortum ex considera-tione bonitatis Dei, et providentiæ, ac misericordiæ erga nos; sed talis dolor non evadit ultra metas attritionis: sicut enim ista procedit ex aliis considerationibus, ita ex illa, ut jam præmonuimus n. 5. Potest etiam dari dolor ortus ex desiderio, et spe beatitudinis: sed est etiam attritio. Sub hujus quippe vocabulo, et genere continentur omnes de peccato dolores, qui non fundantur in amore amicabili Dei ultimi finis super omnia dilecti, qui est propriissimus actus charitatis: sive hæc sit auxilians, sive habitualis; et sive vocetur perfecta, aut imperfecta: quæ sunt differentiæ accidentales, et nihil referunt in præsenti. Ex quibus, non plures inter eos duos amores (quos comminiscitur Philaletheo) constituet differentias, quantæ inveniuntur inter amorem charitatis in via, et amorem charitatis in patria. Quibus non obstantibus prædicti actus non distinguuntur essentialiter, sed solum accidentaliter penes diversos perfectionis modos extra speciem,

Non satisfacit Philaletheus.

ut statuimus tract. 19, de Charit. disp. 7, dub. 1, § 2. Quia valde probabile est eundem charitatis actum elicitum in via posse continuari, et conservari in patria, ut de amore in B. Virgine aliqui opinantur, et diximus loco cit. n. 16, et in aliis ibi relatis. Et generalis horum ratio est, quod quolibet modo depingatur charitas, et in quolibet constituatur statu, omnis actus primarius illius habet hoc, quod sit amor Dei ultimi finis dilecti super omnia, et in hoc adæquate ejus essentialis ratio consistit : atque ideo repugnat dari plures actus primarios charitatis specie distinctos.

13. Ex quibus liquet, vel Adversarios nihil in sua evasione dicere, vel necessitate consequentis compelli ad implectendam nostri dilemmatis partem, nempe diversos illos amores, quibus dicunt diversas contritiones inniti, non esse actus differentes in specie essentiali, sed solum penes aliquos modos accidentales majoris, aut minoris perfectionis, utputa, firmioris status, majoris intensionis, aux extensionis. Quocirca rotunde fateri debent contritionem proprie dictam, et ab omni attritione condistinctam procedere ex amore charitatis diligente Deum ultimum finem super omnia. Quod vere intendunt, et re ipsa docet; licet distinctionem ambagibus, et terminorum involutis celare, aut temperare conentur, et præsertim Auctor relatus studiosiori artificio præ ceteris in hac causa discurrens.

Præcluditur effugium. In hoc itaque sensu (et est scopus, in quem illi, et nos collimamus), præcluditur adhibita evasio : quoniam esto non implicaret, quod per divinam potentiam, et providentiam extraordinariam dolor contritionis, et amor charitatis, ex quo procedit, conjungerentur cum statu peccati; nihilominus id fieri nequit juxta præsentem, et ordinariam Dei providentiam, nec de facto ita contingit : ergo de facto contritio connectitur cum gratia justificationis, et cum remissione peccati : et consequenter, si pro dolore, qui est sacramenti pœnitentiæ pars, requiritur contritio; necessario infertur hoc sacramentum supponere gratiam, et peccati remissionem, et nunquam istam de facto causare : quod est inconveniens in nostro discursu repræsentatum. Utraque consequentia legitime colligitur ex antecedenti. Illud vero permittitur quoad priorem sui partem; licet absolute sit falsa : implicat enim amorem charitatis non procedere a gratia habituali et sanctificante, sicut a principio effectivo ut constat ex dictis, et stabilitis tr. 8, disp. 4, a n. 51, et tr. 15, disp. 2, dub. 6, et tr. 19, disp. 4, dub. 3, et tr. 21, disp. 3, dub. 4, n. 68, et eodem tr. disp. 58, dub. 5, § 2. Aliunde vero gratiam habitualem non posse per ullam potentiam cum peccato mortali conjungi, ex professo ostendimus tr. 15 de Justificatione, disp. 2, dub. 4. Secundo vero antecedentis pars (quæ per se sufficit ad inferendum præmissas consequentias) constat a fortiori ex dictis locis relatis, et ex communi Theologorum doctrina : quæ præterea suaderi potest breviter, sed efficaciter.

Primo ex Scriptura docente hominem non diligere (utique amore charitatis) Deum, quin ab ipso diligatur, et gratus ei sit. Prov. 8 : *Ego diligentes me diligo.* Joan. 14. *Qui diligit me, diligitur a Patre meo, ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et 1, Jo. c. 4 : *Qui manet in charitate, in Deo manet; et Deus in eo.* In quibus significatur amorem charitatis conjungi de facto cum gratia, per quam Deus nos purgat a peccatis, et gratos sibi constituit. Et in eodem sensu dicitur Prov. 10 : *Universa delicta operit charitas.* Et in 1, Petr. 4 : *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Cum quibus elogiis non cohæret, quod prædictus charitatis amor de facto aliquando destituatur consortio gratiæ, et peccato gravi jungatur. Secundo probatur eadem pars, quia inter plures Michaelis Baji propositiones, quas Sedes Apostolica gravi censura notavit, et ab Ecclesia proscripsit, 31 est : « Charitas perfecta, et sincera, quæ est ex corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, tam in catechumenis, quam in pœnitentibus, potest esse sine remissione peccatorum. » 70 est : « Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. » 70 est : « Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis potest habere veram charitatem. » Manifestum autem est eum, qui amore charitatis diligit Deum ultimum finem super omnia, habere veram, et sinceram charitatem ex fide non ficta : ergo juxta Ecclesiæ doctrinam da

neque

quit, quod talis charitas possit de facto njungi cum statu peccati mortalis. iunde autem nequit homo mundari a ccatò sine gratia habituali ipsum forma- er justum constituente ; cum justificatio n fiat per favorem extrinsecum, sed per quid inhærens, quod gratiam sanctifi- ntem vocamus, ut ex ejusdem Ecclesiæ cretis ostendimus contra hæreticos. tr. , de Justificatione, disp. 2, dub. 1. Ergo tholice fateri oportet amorem charitatis i super omnia connexa sibi habere, et atiam justificantem, et remissionem pec- torum.

Tertio, probatur eadem pars ratione eologica, quæ naturæ prædicti amoris nititur : quia talis amor convertit homi- m ad Deum ultimum finem, a quo aver- ur per peccatum, convertendo se velut ultimum finem ad bonum proprium : ri autem non valet, saltem de facto, juxta communem providentiam, quod mo convertatur ad finem, a quo si- ul avertitur ; vel quod actu habeat duos timos fines : ergo de facto, cum homo cit amorem charitatis, manet sine aver- one à Deo, et sine conversione ad se, ut timum finem : quibus rationibus subla- , nequit consistere peccatum ; aut status ccati perseverare : atque ideo, ubi elici- r talis amor, adest de facto gratia sancti- ans. Cetera constant. Et minorem, in a poterat esse difficultas, quoad utram- e partem ostendimus ex professo tract. de ultimo fine, disp. 4, dub. 1, § 2, et b. 2, § 1, manifestantes repugnantiam eo, quod voluntas, vel habitualiter, vel tualiter convertatur ad duos fines ulti- os, vel ad unum habitualiter, et ad alium tualiter, aut e converso : quia conversio unum affert indispensabiliter aversio- m ab alio. Quæ a fortiori probant de cto, et juxta communem, rebusque con- nam providentiam. Videantur etiam, æ diximus tract. 15, de Justificat. dis- t. 2, dub. 6, § 2, addentes, quod etiam amor Dei ultimi finis dilecti super om- a separaretur a gratia habituali sanctifi- nte (quod alias, et ex aliis capitibus re- gnat) adhuc nihilominus secum minime teretur ullum peccatum actuale, vel ha- tuale, sed illud necessario impediret, cluderetque saltem indirecte, et per mo- m dispositionis incompossibilis, quia eo ipso, quod amor Dei super omnia sit, retractat, redditque involuntarium, quid- quid sibi opponitur : sublata autem volun- tarietate, tolleretur propria ratio peccati, quod essentialiter voluntarium est; licet maneret materialiter carentia gratiæ prius per peccatum inducta, sed jam deinceps non maneret in esse privationis. Ex qui- bus omnibus refellitur adhibita responsio, et constat inconveniens in nostro funda- mento objectum intactum relinqui, nempe, sacramentum pœnitentiæ, si ejus pars essentialis foret contritio, nunquam re- mittere peccatum, nec primam gratiam justificantem efficere.

Secunda evasio adversa- riorum.

14. Aliter alii illud diruere conantur, salvando, quod pœnitentia sit sacramen- tum mortuorum, licet contritionem exi- gat, ac supponat, ac perinde gratiam, et remissionem culpæ. Distinguunt enim duas mortes, quas homo peccando incurrit : primam animæ per privationem gratiæ, et secundam salutis æternæ per reatum ad æternum inferni supplicium. Prima mors excluditur ex vi amoris Dei super omnia, et gratiæ, ad quam ille disponit ; sed re- manet secunda mors auferenda per pœni- tentiæ sacramentum, ad quod pertinet excludere prædictum reatum, et commu- nicare in hoc sensu vitam. Unde non im- merito dicitur sacramentum mortuorum ; et homo talem vitam, sive liberationem a reatu consequendo dicitur vere absolutus, et consummate justificatus. Ita Guillelmus Estius infra referendus, qui doctrinam hujus evasionis confirmat exemplo Lazari, quem Christus Jo. 11 restituit ad vitam, et tamen non solvit a ligaminibus, sed Apostolis commisit, ac præcepit, ut illum solverent. In qua figura repræsentatur justificatio peccatoris : nam Deus prius confert vitam gratiæ, dependenter tamen a dispositione per amorem charitatis ab homine elicitum : sed secundam vitam, sive solutionem a reatu pœnæ æternæ re- linquit peragendam a sacerdotibus me- diante absolutione sacramentali. Et ita intellexisse, ac explicuisse prædictam figu- ram videntur D. Iræneus lib. 5, cap. 3, D. Ambros. lib. 2, de Pœnitentia, cap. 7, D. Augustin. tract. 49, in Joan. et alii.

Guillel- mus Estius.

Joan. II.

D. Iræn. D. Ambr. D. Aug.

Hæc tamen responsio plura continet valde falsa, quibus convulsis illa necessa- rio corruit. Nam in primis supponit hoc

Falsitas evasio- nis os- tend tur.

sacramentum supponere in homine vitam gratiæ, productæ tamen dependenter a contritione, et amore Dei, sicut a dispositione. Unde consequens est istud sacramentum nunquam primam gratiam justificantem producere. Id vero est omnino falsum, et contra generalem diffinitionem Concilii Trident. num. 11 allegatam, et hic necessario repetendam : « Si quis dixe- « rit sacramenta novæ legis non continere « gratiam, quam significant, aut ipsam gra- « tiam non ponentibus obicem non conferre, « anathema sit. » Gratia autem, quam significat sacramentum pœnitentiæ, est prima gratia justificans hominem post baptismum lapsum. Ergo hoc sacramentum illam continet, eamque non ponentibus obicem confert, aut saltem conferre valet. Dicere namque, quod nunquam id efficit, aut efficere potest ; tam absurdum, et complicatorium est, ac dicere causam non posse producere suum effectum ; quod destruit ipsum causæ conceptum. Nulla itaque ratione dici potest, quod sacramentum pœnitentiæ supponit primam vitam gratiæ : et tamen dici deberet, si per se supponeret contritionem, ac subinde amorem charitatis, quæ cum tali gratia necessario connectuntur, ut ipsa responsio supponit.

Conc. Trident.

Supponitur etiam in eadem responsione, quod communicata peccatori gratia sanctificante, remanet in eo reatus ad pœnam æternam, qui postea excluditur per sacramentalem absolutionem. Id vero est omnino falsum : exclusa enim macula peccati per gratiam, non remanet talis reatus. Tum quia gratia sanctificans constituit hominem non solum Deo gratum, sed etiam Dei filium adoptivum : idque non ab extrinseco, et ex novo favore, sed per se, et ex natura rei, ut cum communi sententia ostendimus tract. 14, de Gratia, disp. 4, dub. 2, § 2, et colligitur ex Apost. ad Rom. 8 : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*, ubi nomine Spiritus significatur Spiritus Sanctus, qui nos per gratiam sanctificantem inhabitat, ut magis se explicat Apostolus dicendo : *Accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus, Abba pater : ipse enim spiritus testimonium perhibet, quod sumus filii Dei.* Filio autem debetur hæreditas, ut eo loco subinfert Apostolus dicens, *si filii, et hæredes.* Cum quo jure minime cohæret obligatio aut reatus ad pœnam æternam, quæ privat Dei hæreditate consistente in ejus visione, et fruitione : implicatorium namque est aliquem habere jus ad illudmet, cujus ei debetur privatio. Ergo in habentibus gratiam sanctificantem non datur reatus ad pœnam æternam. Videatur Div. Thomas supra quæst. 23, art. 1, et in 1, 2, quæst. 114, art. 3, ubi egregie docet, quod « atten- « ditur pretium operis » (meritorii) « se- « cundum dignitatem gratiæ, per quam « homo consors factus divinæ naturæ « adoptatur in filium Dei, cui debetur hæ- « reditas ex ipso jure adoptionis, juxta « illud Roman. 8, si filii, et hæredes. » Tum etiam quia impossibile est tolli maculam peccati, quin auferatur reatus ad pœnam. Sicut enim jus vel condignitas ad gloriam, quam habet justus per gratiam, non est aliquid realiter distinctum ab ipsa gratia, sed est præcise aliqua expressio, aut conceptus secundarius essentiam illius consequens : ita reatus, saltem radicalis, et fundamentalis (quidquid sit de extrinseca Dei ordinatione) ad pœnam æternam, non est aliquid realiter distinctum a macula, sive peccato habituali, sed hæc necessario consequitur, ut fundans talem reatum, sive obligationem ad pœnam, ut ex professo explicuimus Tract. 13, de peccatis, disp. 17, dub. 1. Quocirca, sicut posita gratia sanctificante, ponitur condignitas, sive jus ad vitam æternam ; et ablata gratia per peccatum, jus et condignitas ad gloriam tolluntur : ita posito peccato mortali, ponitur obligatio, condignitas, et reatus ad pœnam æternam ; et pariter sublato peccato per gratiam, illa obligatio, et reatus necessario cessant : sicut generaliter sublato fundamento desinunt, quæ illi innituntur. Atque ideo falsum est, quod in hac evasione dicitur de duabus mortibus, et quod exclusa prima per gratiam, et amorem charitatis, relinquatur alia excludenda per sacramentalem absolutionem.

Apostolus ad Rom. 8.

15. Sed veniamus ad hanc extremam responsionis partem, quæ omnium in ea maxime nobis displicet, et plenior absurdis apparet. Concludit itaque Sacerdotem in hoc sacramento absolvere pœnitentem a reatu æternæ damnationis, quæ erat mors animæ : et hac ratione salvari, quod

pœnitentia

enitentia sit sacramentum mortuorum, et primam gratiam justificationis non iciat, sed supponat a solo Deo productam eo, qui se disposuit per contritionem. nde consequens est in sacramento pœnitiæ non tolli culpam, sive maculam ccatorum, sed præcise reatum, aut oblitionem satisfaciendi; fit etiam potestatem cerdotis absolventis non ordinari, et sam absolutionem non dirigi per se ad missionem peccatorum, quorum essentia on in reatu, sed in macula, sive culpa nsistit; sed magis, et per se ordinari remittendum pœnas. Consequens autem lla ratione sustineri potest: quia satis erte repugnat Ecclesiæ doctrinæ, ac ffinitionibus. Conc. enim Trid. sess. 14, n. 3, statuit: « Si quis dixerit verba illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt, non esse intelligenda de potestate remittendi, et retinendi peccata in sacramento pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit... Anathema sit. » eccatorum autem vocabulo non pœnas, d culpas, maculas, animæ fœditates omes Catholici communiter intelligimus. t can. 9 ejus sessionis decrevit: « Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi, et declarandi remissa esse peccata confitentis... Anathema sit. » Si ıtem culpæ remitterentur ante sacramenm ; plane sacerdos non judicaret de ils, nec cognitione earum opus haberet ; d præcise declararet, idque ex pœnitentis stimonio, culpas jam esse remissas. Unde ıia Michael Bajus docuit non paucas ropositiones his Concilii diffinitionibus on cohærentes, sed responsioni, quam npugnamus, multum, aut omnino (ut ıtelligimus) consonas ; illæ ab Ecclesia in ulla SS. Pii V reprobatæ sunt. Erat 57 : In sacramento Baptismi, et sacerdotis absolutione proprie reatus peccati dunaxat tollitur, et ministerium sacerdotum solum liberat a reatu.» Erat 58 :« Peccator pœnitens non vivificatur ministerio sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, et inspirans vivificat eum, et resuscitat : ministerio « autem sacerdotis solum reatus tollitur. » A quibus in re non distant propositiones adhibitæ responsionis. Quæ etiam ratione theologica ostenditur falsa, et inconsequens: quia reatus radicalis, et fundamentalis non distinguitur realiter a macula, sed illam quasi conceptus secundarius consequitur ; et necessario comitatur, ut proxime diximus: et ideo ubi, et eisdem causis, quibus inducitur macula, inducitur reatus ; eisdem, ubi hæc tollitur, et ille aufertur : quippe qui aliud non est, quam condignitas culpæ ad pœnam : ergo si sacerdos absolvens tollit reatum, pariter tollit et maculam ; et vice versa, si non expellit maculam, sed supponit alias ablatam, nec reatum excludere poterit ; atque ideo in nullo sensu solvet pœnitentem a peccatis, contra verba Christi Domini allegata a Tridentino, et communem intelligentiam Ecclesiæ.

Id vero, quo præmissa evasio se protegebat, exemplum scilicet Lazari vitæ restituti, et remissi Apostolis, ut a ligaminibus solveretur, nihil evincit in contrarium : nec Sancti Patres suis expositionibus simile quid docuerunt. Sed ex prædicta figura, et explicatione Sanctorum duo alia longe diversa colliguntur, quæ veritati consonant, et communi fidelium sensui. Primum, quod quando peccator ante susceptum sacramentum consequitur vitam gratiæ, et justificatur per contritionem, et sacramenti voto ; adhuc ad sacerdotes, ut solvatur, debet accedere. Ceterum solutio per sacerdotes exequenda non est peccatorum, nec reatus pœnæ æternæ, sed pœnæ temporalis, et censurarum, quin etiam pravorum habituum, quibus etiam post justificationem solet homo illigari, et trahi ad peccata ob veterem ad ea consuetudinem : quæ omnia solvunt sacerdotes consilio, pœnitentiis, et aliis remediis. Secundum, quod aliquando peccator ante absolutionem, et justificationem solet participare vitam spiritualem, non complete, aut per gratiam sanctificantem, sed vialem mediis actibus fidei, spei, timoris, et attritionis, quibus homo movetur, et tendit ad vitam gratiæ, ut describit Conc. Trid. sess. 6, c. 6. Deinde accedit ad sacerdotem, et ab eo per sacramentalem absolutionem solvitur a peccatis. In utroque itaque casu datur antecedenter resti-

tutio vitæ spiritualis, cum differentia assignata vitæ completæ, aut vialis : datur etiam solutio diversorum vinculorum per sacerdotes : quæ repræsentata fuere in Lazari resurrectione, atque solutione, ut idem Patres suis expositionibus declarant. Ad cujus doctrinæ, et distinctionis commendationem multum confert decretum Ecclesiæ condemnantis sequentem Baji propositionem, quæ est 64 : « Sed, et illa « distinctio duplicis justitiæ ; alterius, quæ « fit per spiritum charitatis inhabitan- « tem ; alterius, quæ fit ex inspiratione « quidem Spiritus Sancti cor ad pœniten- « tiam excitantis, sed nondum cor inhabi- « tantis, et in eo charitatem diffundentis, « qua divinæ legis justificatio impletur ; « similiter rejicitur. » Ergo vice versa fateri oportet distinctionem duplicis justitiæ, seu vitæ spiritualis, alterius, vialis, et incompletæ per operationes salutares disponentes ; alterius completæ, et in termino per gratiam sanctificantem.

Proposition Baii condemnata.

Ultimum effugium adversariorum.

16. Accedamus tandem ad tertium, et ultimum Adversariorum effugium. Sunt enim ex postremis sententiæ nobis contrariæ patronis, qui antecedentes responsiones corrigunt in non paucis, et tamen ab intentata contritionis necessitate non desistunt. Fatentur namque pœnitentiam esse sacramentum mortuorum, ac proinde ordinari per se ad causandam primam gratiam justificantem. Fatentur etiam contritionem, cum ex amore charitatis procedat, trahere secum infallibiliter, et remissionem peccatorum, et infusionem gratiæ adoptionis, et absolutionem a pœnæ æternæ reatu, etiam priusquam pœnitentiæ sacramentum suscipiatur in re. Quomodo autem hæc inter se cohæreant ? Hoc opus, hic labor eorum est. A quibus se expediunt dicendo, prædictum sacramentum ad omnes relatos effectus concurrere per ipsammet antecedentem contritionem. Cum enim ista non inferat, vel afferat justificationem, nisi cum hujus sacramenti voto, quod in ea includitur, ut docet Conc. Trid. sess. 14, c. 4, consequens est non aliter contritonem eos effectus habere, quam in virtute sacramenti pœnitentiæ, et per subordinationem ad ipsum. Idque satis est, ut vere de eo dicamus esse sacramentum mortuorum, et causare primam gratiam justificantem, et reliquos effectus relatos ; quamvis in executione eam, et omnes illos supponat ; et deinde in re susceptam alios satis salutares efficiat. Quam responsionem primo declarant exemplo gratiæ justificantis Patres veteris testamenti, quæ vim habebat ex meritis Christi futuri, et non nisi ex virtute illorum suos effectus communicabat : unde Christus nondum existens poterat dicere, *Ego vos justifico ;* et postea existens, *Ego vos justificavi.* Idem itaque verificari potest circa effectus contritionis ; licet ad hoc sacramentum in executione præsupponatur quippe, qui non fiunt, nec sunt, quam dependenter a sacramento, Ratione etiam fulciunt : nam cum sacramentum conste materia, et forma, merito dicitur fieri pe sacramentum, quod fit per quamlibet eju partem, utputa per materiam : sed contritio est pars sacramenti pœnitentiæ e parte materiæ, ut constat ex dictis q. 90 art. 2, et in præs. n. 4. Ergo recte dicitu esse effectum hujus sacramenti, quidquid est effectus contritionis : unde quod hæ præcedat, et relatos effectus antecedente ad sacramentum in re susceptum inducat minime impedit, quod sacramentum ad eo concurrat. Cui motivo favere videtur D Th. sup. q. 86, art. 6, in corp. ubi post quam dixit actus humanos, qui se tenen ex parte pœnitentis, esse hujus sacrament materiam, subjunxit : « Omne autem sa « cramentum producit effectum suum, no « solum virtute formæ, sed etiam virtut « materiæ : ex utroque enim est unu « sacramentum. » Deinde addidit : « Re « missio culpæ est effectus pœnitentiæ, prin « cipalius quidem ex virtute clavium, qua « habent ministri, ex quorum parte acci « pitur, id quod est formale in hoc sacra « mento, ut supra dictum est : secundari « autem ex vi actuum pœnitentis perti « nentium ad virtutem pœnitentiæ, ta « men prout hi actus aliqualiter ordinan « tur ad claves Ecclesiæ. » Constat auter contritionem cum voto hujus sacramen esse actum humanum pœnitentis, aliqua liter ordinatum ad claves : ergo, quod pe eam sic acceptam confertur, in sacramen tum ipsum revocandum est, ut per illa partem influens.

Responsio ista, quæ speciosa appare plurima continet falsa, solido destituitu fundamento, et solis verbis differt ab ali

ja

...ALLEGE LIBRARY

jam confutatis solutionibus. In primis namque supponit contritionem, aut amorem charitatis, ex quo procedit, inducere remissionem peccatorum, aliosque effectus, dependenter a voto suscipiendi sacramentum pœnitentiæ (ut docet Conc. Trid.) idem esse, ac influere, et operari in virtute talis sacramenti. Quæ tamen toto cœlo distant : nam primum solum importat propositum suscipiendi hoc sacramentum : ad quod non requiritur, quod sacramentum existat, nec quod ullam efficacitatem contritioni tribuat, sed solum, quod respiciatur, ut objectum propositi. Ad secundum autem requiritur, quod existat sacramentum, cujus contritio est pars, et simul cum toto, et in toto elevatur per virtutem divinam ad influendum. Cujus differentiæ signum satis evidens est, quod contritio cum eo voto, sive proposito sacramenti concurrit ad gratiam justificantem, et remissionem peccatorum solum dispositive, non autem efficienter : nec enim principaliter, aut instrumentaliter producit talem gratiam, sed ad eam præcise præparat, ut late ostendimus tract. 5, de justificat. disp. 3, dub. 3, et 5. Ubi autem actu, et in executione est pars sacramenti, atque cum illo concurrit, habet influere in eodem genere, in quo, et illud influit, ac perinde in genere causæ efficientis : sunt enim sacramenta novæ legis instrumenta divinæ virtutis, ut ex processo statuimus tract. 22, de Sacramentis, disp. 4, dub. 1 et 4. Ergo summe distant illa duo, contritio cum voto sacramenti, et contritio in virtute sacramenti. Et eadem diversitas magis adhuc dignoscitur attendendo ad effectus contritionis cum solo voto, et contritionis sacramento in re conjunctæ : nam contritio cum solo voto præcise inducit gratiam sanctificantem communem ; non autem sacramentalem, quæ supra priorem addit aliquem specialem determinationis, et perfectionis modum ; sed sacramento conjuncta efficit ipsam gratiam sacramentalem, quæ est effectus proprius talis sacramenti. Quæ differentia constat ex dictis tract. proxime tit. disput. 4, dub. 9. Rursus contritio cum solo voto sacramenti causat suum effectum præcise ex opere operantis, et cum commensuratione ad intensionem ipsius contritionis : sed contritio cum sacramento in re causat, sicut, et ipsum, ex opere operato, et cum excessu supra propriam sui intensionem, ut cum communi, et certa Theologorum sententia ostendimus in eodem tract. disp. 5, dub. 1, § 2. Ex quibus satis plurimum distare constat contritionem cum voto sacramenti a contritione cum sacramento in re : et falsum omnino esse, quod quidquid causat contritio cum sacramenti voto, causet in virtute sacramenti pœnitentiæ. Et hæc satis erant ad refellendum totam responsionem.

17. Sed urgentius evertitur ostendendo, quod manifestis fidei decretis opponitur : quoniam sacramenta novæ legis, quando fiunt, conferunt non ponentibus obicem, gratiam, sive effectum, quem significant ; sed pœnitentia est sacramentum novæ legis significans remissionem peccatorum, ut ex ipsius forma constat : ergo quando fit, confert non ponentibus obicem gratiam, sive remissionem peccatorum. Quod minime verificari potest, si necessario supponit contritionem, et hæc antecedenter ad prædictum sacramentum affert gratiam qua peccata remittuntur. Cetera patent. Et major constat ex diffinitione Concilii Trid. relata n. 14. Urgentius rejicitur evasio.

Confirmatur primo : quia sacramenta novæ legis conferunt gratiam ex opere operato ; sed conferre gratiam ex opere operato est illam conferre immediate per se ipsa, et supra dispositionem subjecti : ergo cum pœnitentia sit sacramentun novæ legis, debet gratiam ita conferre. Quod minime salvatur juxta doctrinam responsionis, quam impugnamus ; siquidem quando elicitur contritio, non adest sacramentum, atque ideo nequit influere per se, et immediate ; et quando adest, jam supponit inductam gratiam per contritionem. Cetera constant. Et major continet diffinitionem Concilii Trid. sess. 7, can. 8 : « Si quis dixerit per ipsa novæ legis sacra« menta ex opere operato non conferri « gratiam... Anathema sit. » Minor autem est ipsa explicatio terminorum, sive modi causandi ex opere operato. Idem confirmatur 1. Conc. Trid.

Confirmatur secundo, et evidentius ex his, quæ Concilium diffinit specialiter circa sacramentum pœnitentiæ : nam in primis sess. 14, can. 3, statuit : « Si quis dixerit « verba illa Domini Salvatoris, Accipite « Spiritum Sanctum : quorum remiseri« tis peccata, remittuntur eis, et quorum Confirmatur 2.

Conc. Trid. « retinueritis, retenta sunt, non esse in- « telligenda de potestate mittendi, et reti- « nendi peccata in sacramento pœniten- « tiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio « semper intellexit, anathema sit. » Ergo ministri hujus sacramenti hanc potestatem exercent, et peccata remittunt in *sacramento pœnitentiæ ;* sed contritio solet longo tempore præcedere sacramentum istud, quamvis futura sit pars illius. Ergo ministri non exercent suam potestatem, nec peccata dimittunt, quando elicitur contritio ; sed quando sacramentum in re conficitur : atque ideo, vel peccata nunquam in hoc sacramento remittuntur, quod dicere est hæreticum; vel fateri oportet hoc sacramentum non supponere necessario contritionem, et remissionem peccatorum, quam ipsa secum indispensabiliter affert. Deinde Concilium can. 9 ejusdem sess. statuit: « Si quis dixerit absolutionem « sacerdotalem sacerdotis non esse actum « judicialem, sed nudum ministerium pro- « nuntiandi, et declarandi remissa esse « peccata confitenti... Anathema sit. » Si autem antecedenter ad hoc sacramentum, ac perinde absolutionem sacramentalem indispensabiliter supponeretur contritio, quæ cum voto ejusdem sacramenti peccata excluderet, ut certissime excluderet ; jam per sacramentalem absolutionem non aliud fieret, quam pronuntiare, et declarare peccata esse confitenti remissa. Quod satis evidenter opponitur diffinitioni Concilii. Unde manifesta videtur falsitas prædictæ responsionis : cum enim speciatenus dicat hoc sacramentum esse mortuorum et conferre per se primam gratiam, ut catholice fateri debet ; nihil minus salvat, eos effectus revocari in contritionem cum voto sacramenti, quæ est res distinctissima a sacramento, et tam falso sensu explicata evertit propriam istius sacramenti rationem.

Idem Conc.

Exemplum adversariorum contra eos refertur

18. Exemplum autem, quo Auctores dictæ responsionis se declarant, nihil illis favet, sed magis contra eos referendum est : nam Christus, antequam existeret, non influebat in gratiam Patrum veteris testamenti in genere causæ efficientis physicæ, vel moralis : nihil enim hoc genere causalitatis potest influere, antequam sit, cum operari sequatur ad esse ; sed influebat in prædictam gratiam in genere causæ finalis, et minus proprie meritoriæ ; conferebat enim Deus gratiam antiquis propter Christum futurum, et ob ejus merita tanquam pretium de futuro solvendum. Quæ omnia diffuse explicuimus, atque firmavimus Tract. 21, de Incarnat. disp. 7, dub. 5. Nec Christus, cum gratia antiquis dabatur poterat dicere: Ergo vos sanctifico in genere causæ efficientis, sed ego vos sanctifico per modum finis, et per modum futuri Redemptoris soluturi aliquando vestræ redemptionis pretium. Hæc vero minime adaptari queunt præsenti materiæ : quoniam influxus sacramentorum est in genere causæ efficientis : sunt enim instrumenta virtutis Dei agentis principalis ; unde influere non valent, priusquam sint. Quando autem contritio cum voto pœnitentiæ elicitur, adhuc non existit sacramentum : atque ideo non valet per contritionem influere in gratiam, et remissionem peccatorum. Cujus doctrinæ confirmationem optimam habemus in D. Thom. supra quæst. 62, art. 6, ubi statuit, quod sacramenta veteris legis non causabant gratiam per se ; alias superflua foret Christi passio. « Sed nec potest dici, *subdit*, « quod ex passione Christi virtutem habe- « rent conferendi gratiam justificandi. Sicut « enim ex prædictis patet, virtus passionis « Christi communicatur nobis per fidem, et « sacramenta, differenter tamen. Nam com- « municatio, quæ est per fidem, fit per ac- « tum animæ : communicatio autem, quæ est « per sacramenta, fit per usum exteriorum « rerum. Nihil autem prohibet id, quod est « posterius tempore, antequam sit, movere, « secundum quod præcedit in actu ani- « mæ : sicut finis, qui est posterior tem- « pore, movet agentem, secundum quod « est apprehensus, et desideratus ab ipso. « Sed illud, quod nondum est in rerum « natura, non movet secundum usum ex- « teriorum rerum. Unde causa efficiens non « potest esse posterior in esse, ordine du- « rationis sicut causa finalis. Sic ergo ma- « nifestum est, quod a Passione Christi, quæ « est causa humanæ justificationis, conve- « nienter derivatur virtus justificativa ad « sacramenta novæ legis, non autem ad « sacramenta veteris legis. Et tamen per « fidem Passionis Christi justificabantur « antiqui Patres, sicut et nos. Sacramen- « ta autem veteris legis erant quædam illius

« lius fidei protestationes, in quantum si-
« gnificabant Passionem Christi, et effectus
« ejus. Sic ergo patet, quod sacramenta
« veteris legis non habebant in se aliquam
« virtutem, qua operarentur ad conferen-
« dam gratiam justificantem, sed solum
« significabant fidem, per quam justifica-
« bantur. » Hæc omnia S. Doctor, quæ in-
torquenda sunt in utentes prædicto exem-
plo : nam propterea sacramenta antiqua
non causabant gratiam in virtute Passio-
nis Christi, nec Passio Christi causabat
gratiam per illa sacramenta ; quia influ-
xus sacramentorum in virtute Passionis
Christi per sacramenta operantis pertinet
ad genus causæ efficientis pro quo requiri-
tur, quod causa existat in rerum natura ;
et quo tempore erant illa sacramenta, non-
dum existebant Christus, et ejus Passio ;
sed idem motivum occurrit in præsenti ma-
teria : nam sacramentum pœnitentiæ, et
contritio in quantum ejus pars, debent
influere in genere causæ efficientis : et
aliunde quando datur contritio cum solo
voto sacramenti, adhuc istud sacramen-
tum non existit in re ; cum contritio, et
illud votum possint sacramentum in re
longo tempore præcedere : ergo dici non
potest, quod contritio cum illo voto influat
in virtute sacramenti ; nec quod sacra-
mentum pœnitentiæ, antequam existat
influat per contritionem, et sui votum in
ea inclusum. Et si influit per illud votum,
solum influet ad instar finis, vel objecti
ad eum modum, quo Passio Christi con-
currebat ad gratiam antiquorum per eo-
rum fidem in Christum. Sed hic influendi
modus diversus omnino est ab influxu pro-
prio sacramentorum, et partium ad ea
pertinentium.

atio
ersa-
orum.
posi-
pro-
at.

Non magis evincit ratio, qua illi Auc-
tores suam responsionem fulciunt, sed magis
probat oppositum. Nam licet contritio sit
hujus sacramenti pars, et quod per partem
fit, debeat toti composito attribui, nihilo-
minus pars sacramenti non concurrit, aut
influit qua pars, nisi ad constituendum to-
tum applicata, ut ex ipsis terminis liquet.
Idque a fortiori verificatur in parte mate-
riali cujusmodi est contritio : debet enim
per formam determinari, et trahi ad spe-
ciem totius sacramenti, ut in naturalibus
proportionabiliter accidit. Unde impossi-
bile est, quod totum antequam sit influat
per suam materiam : et quod ista influat
in virtute compositi, quod adhuc non exis-
tit. Expectanda itaque est forma sacra-
menti, ut istud constituatur : et tunc ad-
venit virtus divina ipsum, et ejus partes
elevans, ut sacramentalem effectum pos-
sint producere. Quare nec de contritione
cum voto, ubi ante sacramentum supponi-
tur, potest dici, quod sit sacramenti pars,
et quod influat in virtute ejus ; nec de sa-
cramento affirmari valet, quod suum pro-
prium effectum, nempe remissionem pec-
catorum causaverit per contritionem tem-
pore præcedentem. Absurdum ergo est
imaginari, quod proprius hujus sacra-
menti effectus possit induci, priusquam
concurrant omnes sacramenti partes, et
præsertim forma, sive absolutio. Quæ om-
nia satis constant ex supradictis, et eorum
non pauca conjunxit D. Thom. quæst. 84,
art. 3, dicens : « In qualibet re perfectio D.Thom
« attribuitur formæ. Dictum est autem,
« quod hoc sacramentum perficitur per ea,
« quæ sunt ex parte sacerdotis. Unde opor-
« tet, quod quæ sunt ex parte pœnitentis,
« sive sint verba, sive facta (*uti est contritio*)
« sint quædam materiæ hujus sacramenti :
« ea vero, quæ sunt ex parte sacerdotis se
« habeant per modum formæ. Cum autem
« sacramenta novæ legis efficiant, quod
« figurant; oportet, quod forma sacramenti
« significet id, quod in sacramento agitur,
« proportionaliter materiæ sacramenti...
« Hoc autem sacramentum non consistit
« in consecratione alicujus materiæ (*ut ac-*
« *cidit in Eucharistia*) nec in usu alicujus
« materiæ sanctificatæ (*ut contingit in*
« *aliis*) sed magis in remotione alicujus
« materiæ, scilicet peccati, prout peccata
« dicuntur esse materia pœnitentiæ. Talis
« autem remotio significatur a sacerdote,
« cum dicitur, Ego te absolvo. Unde hæc est
« convenientissima forma. » Nulla itaque
ratione fieri valet, quod contritio ante-
cedenter ad illam, influat in virtute sacra-
menti, et per modum partis illius.

§ III.

Alia assertio resolvens aliam dubii difficultatem.

19. Dicendum est secundo ad attritio- Assertio 2.
nem, ut sacramentum pœnitentiæ per mo-
dum partis constituat, requiri, quod sit

supernaturalis, non autem quod sit omnino efficax, et absoluta. Hæc conclusio supponit attritionem esse sufficientem hujus sacramenti partem, ut satis liquet ex dictis § præced. Quo supposito, unum asserit, et aliud negat. Asserit quidem attritionem, ut munus partis subeat, debere esse supernaturalem : in quo suadendo non immorabimur, quia id ex proposito, et satis diffuse ostendimus supra disp. 4, dub. 1, § 4 cum quinque sequentibus, expendentes varia hujus veritatis fundamenta, quæ in unum colliguntur sub hac forma : quia illud dubio procul affirmare oportet, cui magis favent Concilium Tridentinum, Ecclesia aliquas propositiones reprobans, Doctor Angelicus, commune placitum Theologorum, et ipsa ratio rerum naturis innitens ; sed huic assertionis parti magis favent omnia relata ; esto, illam evidenter non demonstrent : ergo ita asserendum est, Cetera constant. Et minorem prolixe ostendimus in locis relatis, ad quæ lectorem, ne actum agamus, remittimus.

Pars 1 probatur

Ut autem in præsenti non privetur omni motivo, istud præcise proponimus ; quod nimirum, attritio, eatenus est pars sacramenti pœnitentiæ, quatenus est pars materiæ proximæ, ex qua hoc sacramentum componitur ; sed ut sit pars prædictæ materiæ debet esse supernaturalis : ergo pariter, ut sit pars sacramenti. Consequentia est legitima. Et major constat ex sæpius dictis in hoc Tract. et præsertim ad art. 2 et 3, quæst. 90. Minor autem suadetur : quia actus pœnitentis, qualis est attritio, habent rationem materiæ hujus sacramenti, in quantum ejus formæ subduntur, et adaptantur ; ad id autem debent procedere ex supernaturali motivo, atque ideo esse supernaturales : ergo, ut attritio sit pars materiæ proximæ hujus sacramenti, debet ex supernaturali motivo oriri, et esse supernaturalis. Minor hujus secundi syllogismi, ad quem totus discursus reducitur ; explicatur, et probatur : etenim sacramentum pœnitentiæ institutum est per modum spiritualis, et reconciliantis judicii, in quo accusatio pœnitentis est materia, et absolutio sacerdotis est forma : ac proinde oportet omnia ista inter se adaptari. Constat autem totum hoc judicium, et præsertim formam peragi virtute sanguinis Christi, et per potestatem clavium, quam Salvator Ecclesiæ reliquit. Porro ista omnem ordinem naturalem supergrediuntur, et ad superiorem spectant : quippe sanguis Christi non est medicina naturalis, nec effusus fuit propter motivum temporale : et similiter claves Ecclesiæ solum aperiunt Regnum Cœlorum : ergo actus pœnitentis, et præsertim attritio, quæ omnium principalior est, ut subdantur, et adaptentur ejus formæ, debent procedere ex supernaturali motivo, et subinde supernaturales esse. Qui enim mere naturales sunt, præcise attingunt motiva naturalia, utputa temporalia bona, vel mala : atque ideo non subduntur, nec adaptantur Christi sanguini, et clavibus Regni Cœlorum.

20. Confirmatur, occurrendo simul tacitæ objectioni : nam ideo in aliis sacramentis non requiritur quod materia proxima sit supernaturalis, licet eorum finis, sicut, et sacramenti pœnitentiæ, supernaturalis sit ; quia eorum materia consistit in rebus inanimatis, utputa aqua, oleo, pane, quæ sunt incapaces supernaturalitatis intrinsecæ, et non nisi ab extrinseco ordinatur ad formam, cui subjiciuntur. Cujus oppositum contingit in hoc sacramento : nam ejus materia proxima consistit in actibus, qui supernaturalitatis intrinsecæ sunt capaces ; et aliunde procedunt vitaliter, et libere a pœnitente, qui ex auxilio gratiæ se movere per actus potest ad sacramentale judicium, et sacerdotalem sententiam ; juxtà conditionem judicii, atque sententiæ, quæ ad ordinem supernaturalem spectant, et cuncta temporalia, atque naturalia excedunt. Unde si pœnitens solum eliceret actus mere naturales, minime offerret materiam aptam subjici hujus sacramenti formæ : nullam quippe proportionem habent pure naturalia cum apertione Regni Cœlorum, quam significat absolutio. Quamobrem supposita divina institutione aliorum sacramentorum in rebus inanimatis, et hujus in actibus pœnitentis ; opus est theologizare cum præmissa differentia, nempe in aliis materiam non esse supernaturalem, sed ab extrinseco ordinari in supernaturalem finem juxta eorum Auctorem, et institutionem : materiam autem hujus sacramenti esse actus humanos, et præcipue attritionem, per quam se movet pœnitens ad supernaturale

Con matu occu tur citæ je

supernaturale judicium, et absolutionem per potestatem clavium in virtute sanguinis Christi : et hoc ipso talis actus, qui supernaturalitatis est capax, evadit intrinsece supernaturalis. Quod si alius pœnitentis actus (tacitam aliam objectionem præoccupamus) nempe confessio peccatorum, supernaturalis non est, inde provenit, quod est actus exterior, et incapax supernaturalitatis intrinsecæ. Et tamen oritur (saltem regulariter, et communiter loquendo) ab attritione, vel saltem completur per illam ante absolutionem, (aliter sacramentum non fieret) : unde sicut ab attritione habet, quod sit confessio dolorosa, ita et quod sit supernaturalis, si non in se, saltem in radice, et complemento, quorum uno, aut altero indispensabiliter eget, ut sit sacramenti pars : idque satis est, ut supernaturalizetur pro sua qualitate.

Porro : similitudo aliorum sacramentorum aptior est, ut contra aliquorum sententiam fere antiquatam colligamus sacramentum hoc esse invalidum, sive non subsistere, quoties attritio non est supernaturalis, quamvis invincibiliter, aut etiam probabiliter, judicetur talis a pœnitente. Quoniam sacramenta componuntur essentialiter ex materia, quam Christus eorum Auctor instituit : hæc autem non est materia existimata, sed vera, et vere concurrens. Qua de causa qui consecrat in pane non vero, sed apparenter, aut probabiliter tali, nihil facit : et similiter, qui baptizat in aqua, quæ censetur naturalis, sed non est, minime conficit sacramentum, et sic de aliis. Cum ergo materia proxima hujus sacramenti importet attritionem supernaturalem ex Christi Domini institutione, conformi omnino ejusdem sacramenti naturæ : liquido consequitur nullum fieri sacramentum pœnitentiæ, ad quod non concurrit vera attritio, et vere supernaturalis, quamvis existimetur adesse. Deserviet autem, vel ignorantia invincibilis, vel judicium probabile circa existentiam supernaturalitatis in attritione, ut his præventus, aut laborans non peccet, cum sine attritione supernaturali suscipit hoc sacramentum : ut proportionabiliter contingit in ministris qui conficiunt alia sacramenta in rebus, quæ re ipsa non sunt illorum materia, et tamen apparent esse : nihil enim re ipsa efficiunt, sed non peccant.

21. Circa intelligentiam autem legitimam nostræ assertionis, quantum ad id, quod affirmamus, occurrit non dissimulanda difficultas ; nam cum possit dari, et attritio entitative, et quoad speciem supernaturalis, et attritio supernaturalis dumtaxat, quoad modum, sive ex parte finis, aut efficientis, ut constat ex his, quæ supra præmisimus num. 7, dubitari merito valet quæ istarum rationum debeat esse supernaturalis attritio, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ ? Negat Suarez disp. 20, sect. 2, sufficere attritionem, quæ non sit supernaturalis entitative, et quoad speciem : et pro ejus sententia multi referri solent : sed eorum plures non loquuntur cum præcisione attritionis ad esse partem sacramenti ; sed indistincte, et satis obscure confundendo simul in eadem attritione conceptum partis sacramenti, et conceptum dispositionis ad gratiam sacramenti : quos esse valde diversos supponimus a num. 1. Idque, adjicendo supra ibidem dicta, possumus nunc breviter, et efficaciter ex eo confirmare, quod attritio, ut pars sacramenti concurrit, sicut ipsum, ad gratiam in genere causæ efficientis : attritio vero, ut dispositio ad prædictam gratiam concurrit non in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis dispositivæ. Unde observavimus plures, quas quidam pro Suarii sententia rationes expendunt, non esse de re præsenti, nec eam tangere ; licet ipsi aliquas ex illo hauserint, in quibus, et ipse impegit. Partem autem contrariam nempe attritionem quolibet ex relatis modis supernaturalem sufficere ad dolorem, ut sit pars sacramenti, docent Nugnus, Soto, Canus, Arauxo, Vasquez, Candidus, Aversa, Dicastil, Coninchius, Pesantius, Lugo, Petigianus acriter Suarium impugnans, et ab ejus censura vindicans Magistros Sotum, et Canum, qui dixerunt pro hac sacramenti parte sufficere attritionem naturalem, utique, ut Nugnus illos exponit, entitative, et quoad speciem, non negata omni supernaturalitate. Et idem tuentur Arauxo supra quæst. 84, art. 1, dub. ultimo in resp. ad 3, Vasquez 1, 2, disp. 134, cap. 4, Candidus disquisit. 24, art. 11, Avers. quæst. 14, sect. 6, Dicastillo disp. 6, dub. 1, pro eadem sententia referens Coninchum, Pesantium, et Lugum, Petigianus in 4, tom. 1, dist. 4, quæst. 4, art. 3, et alii plures.

In hac difficultate magis de suppositione quam circa resolutionem possemus ambi-

gere. Non enim ita facile apparet, quomodo attritio entitative, et ex objecto naturali, participet aliquem modum, aut prædicatum, quo ita elevetur, et ut sic loquamur, supernaturalizetur, quod vere supernaturalis sit, sicut hæc pars sacramenti exposcit, et pro assertione statuimus. Quod enim aliqui significant supernaturalizari per conjunctionem ad virtutes fidei, et spei, atque illarum actus, qui supponuntur in peccatore fideli, non satisfacit: tum quia hæc conjunctio pure de materiali, et concomitanter se habet, cum non influat. Tum etiam, quia ex opposito fieret omnem attritionem naturalem in peccatore fideli non solum posse, sed esse necessario supernaturalem in modo; siquidem omnis naturalis attritio in homine fideli necessario conjungitur cum fide, et spe, ex suppositione coexistendi in eodem subjecto. Ex quo ulterius fieret nullam in peccatore fideli dari attritionem mere naturalem: et consequenter SS. D. Innocentium inter alias propositiones, sequentem, quæ est 57 superflue, et in vanum condemnasse anno 1679: « Probabile est sufficere attritionem « naturalem modo honestam. » Si enim nulla pura naturalis attritio datur in peccatore fideli: incassum reprobatur, quod sufficiat. Tum denique, nam exemplum, quo id declarari alias posset, operum scilicet entitative in specie naturalium, quæ de se non sunt meritoria vitæ eternæ; et nihilominus in homine justo illam merentur propter conjunctionem ad gratiam, et charitatem, ut cum D. Thoma statuimus Tract. 16, de Merito, disp. 4, dub. 5, idque, quia ex conjunctione ad charitatem, participant quendam perfectionis, et informationis modum, quo tendunt in Deum supernaturalem finem, ut explicuimus ibidem, et tract. 19, de Charitate, disp. 7, dub. 3. Hoc, inquam, exemplum nequit adaptari præsenti difficultati: quoniam conferre hunc modum informationis, sive ordinis ad Deum supernaturalem finem est proprium solius charitatis habentis hunc finem pro objecto; sed non convenit fidei, et spei, quæ solæ præsupponuntur in peccatore fideli.

Investigatur modus, quo supernaturalizetur attritio.

SS. D. Innoc.

22. Hæc tamen licet difficilem, non ostendunt impossibilem suppositionem, et ideo illam cum communi sententia præmisimus num. 7, et modo sustinemus. Cum enim certum sit plures alias operationes entitative naturales posse participare aliquem modum supernaturalem, et ratione illius ad prædictum ordinem evehi; non debemus censere id esse impossibile in sola attritione, nisi oppositum demonstretur: quod motivis repræsentatis non fit, ut statim ostendetur. Unde subscribimus Sententia Auctoribus secundæ sententiæ, pro qua etiam referri possunt plures alii antiquiores, qui docuerunt sine distinctione ad hanc sacramenti partem, sive ad valorem sacramenti sufficere attritionem naturalem: possunt enim explicari, quod id non asserant de attritione omnino naturali, sed de illa, quæ est supernaturalis quoad modum: et sic decet pro eorum reverentia, ne illos involvamus in damnatione propositionis proxime relatæ. Suadetur itaque non obscure supponendo duo satis clara. Primum est in actibus humanis assignari duos fines: unum coincidentem cum objecto, in quod actio suapte natura tendit, qui propterea dicitur finis operis, finis proximus, et finis intrinsecus: alterum, qui distinguitur ab objecto, et id est, in quod dirigitur actio ex libera operantis voluntate, et idcirco vocatur finis operantis, extrinsecus, et remotus. Quod patet in dante eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis, ubi finis operis, et proximus est ipsa eleemosyna, seu remedium pauperis; finis autem operantis, et remotus est satisfactio, ut tradit communis doctrina, et explicuimus Tract. 11, de bonitat. et malit. disp. 5. in principio. Secundum est, (et procedit ex primo) actus humanos habere bonitatem non solum ex proprio objecto, sive fine proximo, sed etiam ex fine operantis, et remoto, ut patet in exemplo proposito, ubi eleemosyna habet non solum bonitatem misericordiæ, per quam in sua specie constituitur, sed etiam bonitatem pœnitentiæ, quæ ad priorem accedit, ob relationem operantis ad finem extrinsecum proprium pœnitentiæ. De quo Tract. cit. disp. 6, a nu. 62, et eadem ratione fieri etiam potest, quod actus habens ex proprio objecto, sive fine proximo solam speciem, et bonitatem naturalem, simul ex fine operantis, et extrinseco habeat modum, et perfectionem pertinentem ad supernaturalem ordinem, ut liquet in eodem exemplo dantis eleemosynam

mosynam pro satisfactione suorum peccatorum : nam collatio eleemosynæ est quid specifice naturale, aut potens esse ; sed propter intentionem operantis pertinet ad superiorem ordinem, ad quem ille finis spectat.

Ex quibus facile suppositio suadetur : nam licet attritio naturalis, talis sit ex objecto proprio, seu fine proximo, atque ideo in sua entitate, et specie; nihilominus cum in peccatore fideli possint inveniri plura principia supernaturalia,ut fides, spes, desiderium æternæ beatitudinis, etc. Quibus peccator uti potest, et moveri ad eliciendum attritionem ex objecto naturalem, ut pro peccatis satisfaciat, sicut ad dandum eleemosynam, et ad alios actus honestos ex objecto naturales ob eundem finem : fit consequens talem attritionem entitative, et specie naturalem, esse supernaturalem quantum ad modum, et bonitatem, quæ participat juxta finem operantis. Idque non est denominatio extrinseca, sed aliquod prædicatum intrinsecum propriæ speciei superadditum, nempe ordinatio passiva consistens in respectu transcendentali ad finem operantis, et ad ipsum operans ex illo fine, sicut in aliis actibus contingit. Et hac de causa licet ad attritionem naturalem sumptam præcise quoad speciem non requiratur gratia aliqua supernaturalis ex parte principii ; requiritur tamen ad illam ut modo supernaturali vestitam, et complexive ad ipsum : præsertim cum talis modus non fiat per se, sed ad productionem actus attritionis juxta finem operantis. Unde missa facimus plura testimonia Conciliorum , et Patrum, quæ Suarius allegat, ut probet requiri gratiam supernaturalem pro attritione, in quantum est pars sacramenti : et ex illis infert eam esse entitative, et secundum speciem supernaturalem. Sed rem minime evincit : requiritur enim ex parte principii supernaturalis elevatio, virtus, aut gratia ad omnem operationem quoquomodo supernaturalem. Unde ex necessitate gratiæ pro aliqua operatione, non infertur determinate talem operationem esse supernaturalem entitative, et quoad speciem ; sed vel esse ita supernaturalem, vel saltem quoad modum juxta finem operantis : sicut ad actum misericordiæ naturalis dandi eleemosynam non requiritur ex parte principii supernaturalis gratia, quæ tamen requiritur ad prædictum actum, ubi fit ex fine operantis ad satisfaciendum Deo pro peccatis.

Illa vero, quibus proposita suppositio impugnabat, non urgent. Ad primum enim respondetur modum supernaturalitatis, quem naturali attritioni aliquando deferimus, non fundari in sola conjunctione ad habitus fidei , et spei; sed homo pro libertate sua, adjutus, et præmotus gratia, vult illam elicere propter finem supernaturalem, se submittendi clavibus Ecclesiæ, et satisfaciendi Deo. Per quod patet ad secundum : nam ex dictis constat non omnem naturalem attritionem supernaturalizari in peccatore fideli ; sed solum ubi elicitur ex fine operantis, qui supernaturalis sit. Merito autem relata propositio damnata est, quia sufficientiam tribuebat attritioni puræ, et in omni sensu naturali, quippe quæ non aliud exigeret in naturali attritione, quam esse honestam, quod etiam ad naturalem ordinem pertinet. Ad tertium dicendum est nos illo exemplo non uti, nec indigere, cum aliud universalius habeamus ex mutuato exemplo virtutum, a quo nec charitas ipsa excipitur : sicut enim, cum operans dat eleemosynam ex motivo charitatis, ille actus ex specie sua pertinet ad misericordiam, et ulterius ex fine operantis participat modum de linea charitatis scilicet ordinem ad Deum ultimum finem : sic etiam fieri potest ex placito operantis, ut quis eliciat charitatis actum ex motivo satisfaciendi Deo pro peccatis ; et tunc talis actus est in specie charitatis, sed participat aliquid de linea virtutis pœnitentiæ, estque re ipsa aliqua satisfactio juxta finem extrinsecum operantis. Fatemur tamen generale imperium, generalemque virtutum informationem soli charitati convenire : quia proprium ejus objectum est Deus ultimus finis, cui proprii, et particulares aliarum virtutum fines, (nempe specificativa illarum objecta) debent subordinari, ut locis cit. declaravimus. Sed ea doctrina in re, quam versamus, non egemus.

Respondetur ad objecta.

23. Veniamus jam ad secundam assertionis partem ; nempe pro attritione, ut sit sacramenti pars, non requiri quod sit omnino absoluta et efficax; atque ideo sufficere ad illud munus attritionem supernaturalem inefficacem. Hanc partem

Secunda pars assertionis

Victoria, Paludan. Martinus de Ledesma, Cano, Valent. Aversa, Nugnus. Prado, Delgadillo, Joann. a S. Thom. Vega. Scotus, Almainus, Henriq. Tolet Gran.

docent Victoria in summa, num. 144, Sylvester verbo *Confessio* 1, quæst. 23, Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 8, Martinus de Ledesma 2 p. Quarti, quæst. 8, art. 1, et quæst. 31, art. 2, Cano, de Pœnitentia part. 5, Valentia in præs. quæst. 11, puncto 2, quos refert, et sequitur Aversa in præs. quæst. 14, sect. 6, §. *Septimus casus*, Nugnus q. 9, art. 1. dub. 1, §. *Secundus casus*. Et in resp. ad 3 et 4, replicam. Prado quæst. 87, dub. 1, §. 6, num. 44, Delgadillo cap. 10, dub. 8, num. 43, Joan. a S. Thomas. disp. 33, art. 4, §. *Dicimus ergo*, et §. *Secunda pars*, Vega lib. 3, cap. 5, pro eadem sententia referens Scotum, Almainum, et alios, Henriquez lib. 1, de Pœnitentiæ sacramento, cap. 13, num. 7, lit. Q. Toletus in summa lib. 3, cap. 10, num. 7, Granados de Pœnit. tract. 3, disp. 3, sect. 3, numer. 19. Denique, ut alios omittamus, Vasquez quæst. 92, art. 2, dub. unico, quamvis nobis contrarius, pro hac nostra assertione refert D. Thomam, Capreolum, Durandum, Ricardum, Covarrubias, et Navarrum.

Probatur auctorit. Concil. Trid.

Probatur primo auctoritate Concilii Trid. quam possumus proponere sub hac forma : Illa attritio est sufficiens pars hujus sacramenti, cui convenit diffinitio hujus partis a Concilio assignata ; sed attritio supernaturalis est hujusmodi : ergo est sufficiens pars istius sacramenti. Consequentia est legitima a diffinitione ad diffinitum. Major autem, in qua sola poterat esse difficultas, suadetur : nam Concilium sess. 14, cap. 3, quod inscribitur : « De

Conc. Trid.

« partibus hujus sacramenti, ait : Sunt « autem quasi materia hujus sacramenti « ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, « confessio, etc. » Deinde cap. 4, immediatum inchoat his verbis, quæ continent diffinitionem doloris illius, quem dixerat

Idem Conc.

esse hujus sacramenti partem : « Contri- « tio, quæ primum locum inter dictos pœ- « nitentis actus habet, animi dolor est, ac « detestatio de peccato commisso cum pro- « posito non peccandi de cetero. » Hæc autem diffinitio, et omnes ejus partes conveniunt attritioni supernaturali inefficaci, siquidem est animi dolor, et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero, ut satis ex se liquet, et ex dictis num. 8.

Nec momenti erit, si dicatur Concilium ibi diffinire dolorem efficacem, et ita verba diffinitionis intelligenda esse de detestatione, et proposito efficacibus: in quo sensu minime conveniunt, nec adaptari possunt inefficaci attritioni : quippe quæ non est vere, sed specietenus attritio. Id, inquam, nihil valet, sed eadem, qua dicitur, facilitate refellitur : quia nullum habet fundamentum in Concilio, quin occurrit oppositum. Concilium namque intendebat docere, quæ ad fidem, sive ad necessario confitenda circa istud spectant, prætermittendo illa, quæ circa alia erant, et sunt in controversia apud Theologos. Et propterea docuit in primis requiri contritionem, sive dolorem de peccatis ; et deinde explicuit illum dolorem descriptione adeo generali, ut sub ea comprehenderentur dolor perfectus, nempe contritio, et dolor imperfectus, scilicet attritio ; quæ rursus dividitur in efficacem, sive in sua linea perfectam, et in aliam inefficacem, sive imperfectam. Unde sicut absurdum, et contra Concilium esset dicere, quod ea diffinitio non comprehendit attritionem, sed solam contritionem ; sic etiam est dicere, quod non comprehendit attritionem inefficacem, sed solum efficacem, et omnino absolutam : quippe verba Concilii, ut jacent, majus ad unum, quam ad aliud non præstant fundamentum. Et profecto si Concilium intendisset aliud ; satis obscure, et valde diminute processisset in describendo hanc sacramenti partem, cum posset facillime adjicere, ac dicere : « Est efficax animi dolor, ac effi- « cax detestatio de peccato commisso, cum « proposito efficaci non peccandi de ce- « tero. » Et quidem ita deberet fieri, si diffinitus esset dolor determinate efficax. Cum ergo Concilium non ita se gesserit ; non obscure constat illud agere cum majori generalitate, abstrahendo videlicet a particularibus conditionibus doloris efficacis, et doloris inefficacis ; ut unum, et alterum comprehenderet sub diffinito, et ejus diffinitione. Uterque ergo juxta mentem Concilii est pars sufficiens sacramenti pœnitentiæ.

Confirmatur primo ; quia juxta mentem Concilii admitti debet vera attritio, quæ non sit efficax : ergo hujusmodi attritio continetur sub illa generali descriptione doloris, qui juxta ipsum Concilium est pars istius sacramenti. Consequentia patet

ex

ex immediate dictis. Et antecedens probatur ex illo cap. 4, sess. 14, ubi dicitur : « Illam vero contritionem imperfectam, « quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex « gehennæ, et pœnarum metu communiter « concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, et « magis peccatorem, verum etiam donum « Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, « etc. » Ubi manifestum est Concilium supponere dari veram attritionem, quæ voluntatem peccandi non excludat : quia si omnis vera attritio excluderet eam voluntatem, vanum, et inutile foret illam conditionem adjicere : sicut plane foret proferre, homo si sit rationalis, potest hoc, aut illud efficere ; cum omnis homo rationalis sit. Omnis autem attritio efficax voluntatem peccandi, nempe actualem, excludit: alias efficax non esset : ergo juxta mentem Concilii admitti debet vera attritio, quæ non sit efficax.

Confirmatur secundo : quia si totum illud cap. 4 percurramus, et illius contexturam, atque ordinem contemplemus, facile nobis occurrent tres species, aut quasi species doloris a Concilio assignari, et sub generali doloris, qui est pars hujus sacramenti, diffinitione ab initio capitis propositi comprehendi. Nam primo occurrit dolor perfectus, nempe contritio, de qua dicit hominem justificare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, sed non absque voto illius. Secundo occurrit dolor imperfectus, qui attritio dicitur. Et hanc subdividit Concilium in verbis relatis : nam una est attritio, quæ voluntatem peccandi excludit, de qua asserit, quod cum sacramento in re causat gratiam dispositive. « Et quamvis, » inquit Concilium, « sine sacramento pœnitentiæ per se ad « justificationem perducere peccatorem ne« queat, tamen eum ad Dei gratiam in « sacramento pœnitentiæ impetrandum « disponit. » Alia est attritio, quæ voluntatem peccandi non excludit quia conditionibus ad hanc exclusionem destituitur : atque ideo nec sacramento conjuncta infert gratiam. Quod palam supponit Concilium dicens attritionem, « si voluntatem pec« candi excludat, » disponere ad impetrandum gratiam hujus sacramenti : atque ideo alia est, quæ nec excludit voluntatem peccandi, nec ad gratiam disponit. Dantur itaque juxta Concilium tres species, aut quasi species doloris de peccato commisso : prima dolor perfectissimus, scilicet contritio, quæ tam intra, quam extra sufficit ad justificationem: secunda dolor imperfectus, nempe attritio excludens voluntatem peccandi , quæ extra sacramentum non sufficit, bene autem si ei conjungatur juxta Christi institutionem : tertia imperfectissima, quæ non excludit voluntatem peccandi ob inefficaciam doloris, quæ proinde, nec extra, nec intra sacramentnm justificat. Et hæc ultima est, quam vocamus attritionem inefficacem. Cum ergo Concilium omnium istarum specierum memineriit in eo capite, comprehenderitque sub generali titulo, et diffinitione contritionis de qua statuerat esse hujus sacramenti partem : sequitur quod hujus ratio ex mente Concilii conveniat etiam attritioni inefficaci.

24. Probatur secundo auctoritate D. Thomæ, quem stare pro nostra assertione est adeo manifestum, ut ita recognoscant vel ipsi Adversarii, et facile constat conferendo inter se varia S. Doctoris testimonia. Nam in quibusdam negat contritionem, hoc est, dolorem de peccatis requiri ad valorem hujus sacramenti, ut in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 4, q. 1, ubi ait : « Con« fessio etiam potest esse in eo, qui non est « contritus, quia potest peccata sua sacer« doti innotescere, et clavibus Ecclesiæ sub« jicere. » Unde concludit « illum non « teneri iterare confessionem. » Quod falsum esset, si sacramentum non fuisset validum. Idem docet ibi in resp. ad 3, et dist. 21, quæst. 3, art. 1, q. 1, ad 1. In aliis vero, et fere semper docet, aut supponit contritionem, sive dolorem esse partem essentialem ex parte materiæ hujus sacramenti, ut satis constat ex art. 2, quæst. 90, ut ibi notabimus, et supra num. 2, unde superfluum est ea loca referre. Inter quæ testimonia nulla est contradictio : quia in his ultimis loquitur de attritione, sive dolore abstrahente ab efficaci, et inefficaci : nam eorum quilibet sufficit ad valorem sacramenti, et nullus eorum determinate pro solo valore requiritur. In prioribus vero loquitur determinate de dolore efficaci, et omnino absoluto : de quo merito

Probatur 2 conclus. auctorit. D. Thom.

D. Thom.

affirmat (et est nostra assertio) non requiri ad valorem sacramenti, istudque posse absque illo subsistere. Quod aliis vocibus recte explicat (licet nobis contrarius) Tirso disp. 50, sect. 6, num. 63, dicendo, D. Thomas distinguit duplicem dolorem : alterum inefficacem, sufficientem ad valorem sacramenti, et insufficientem ad fructum sacramenti : alterum efficacem sufficientem ad valorem, et fructum. Et de hoc secundo loquitur in illa dist. 17. Unde liquet D. Thomam in ea fuisse sententia, quod attritio inefficax sufficit : ut hujus sacramenti sit pars, et illud sit simpliciter validum : idque magis firmatur ex communi Discipulorum circa id consensu, quorum plures dedimus num. præcedenti.

Probatur 3 ratione

Tertio suadetur assertio ratione, quæ in re dependenti a sola Dei voluntate non potest esse demonstratio, sed congruentia, supposita hujus sacramenti institutione, et natura, de quibus nobis constat per doctrinam Ecclesiæ. Etenim dolor de peccatis ideo requiritur ad hoc sacramentum, estque illius essentialis pars, quia hoc sacramentum institutum est per modum judicii, in quo pœnitens gerit munus rei se accusantis, illudque habet se accusando de peccatis coram legitimo ministro : et talis confessio non esset vera accusatio, sed mera peccatorum relatio, si ortum non duceret ex peccatorum dolore, aut per illum saltem non compleretur in ratione accusationis. Quem discursum desumptum ex D. Thoma qu. 90, art. 2, prosequuntur communiter Theologi, ut evincant dolorem requiri, et esse hujus sacramenti partem, ut vidimus num. 2. Ad prædictum autem munus non requiritur contritio determinate efficax, sed sufficit, vel inefficax : ergo etiam sufficit attritio inefficax, ut sit hujus sacramenti pars, et ipsum teneat quantum ad valorem. Minor, in qua poterat esse difficultas, facile suadetur; quia verus dolor abstrahit ab efficaci et inefficaci : de multis vere dolemus, illaque odio habemus, et detestamur, ut mala nobis vere contraria, licet ille dolor non sit efficax: frequenter namque conjungitur cum desperatione prædicta mala vitandi, ut constat in aliquibus in aliquo vitio, quod eorum dedecus est, ab antiquissima, firmaque consuetudine radicatis : quippe habent circa hæc vere dolorem ac displicentiam ; sed inefficacem ; siquidem efficax nequit cum desperatione illa vitandi conjungi : ergo pariter potest quis dolere vere de peccatis per attritionem, quæ non sit efficax : in quo casu confessio ex tali attritione orta non erit pura, aut historica peccatorum relatio; sed vera accusatio, qualis in hoc sacramentali judicio requiritur, juxta Dei institutionem.

Confirmatur : quia congruum est ita de prædicta institutione censere, ut hoc sacramentum non sit nimis onerosum fidelibus ex obligatione illud reiterandi, sive sæpius repetendi eadem peccata, illaque subjiciendi clavibus Ecclesiæ apud unum, aut multos sacerdotes : quod nemo negabit esse gravissimum jugum. Id vero maxima ex parte vitatur, si attritio abstrahendo ab efficaci, et inefficaci sit sufficiens pars ad sacramenti valorem ; secus autem si pro tali valore requiritur attritio determinate efficax : ergo præsumendum, et tenendum est pro valore hujus sacramenti non exigi attritionem determinate efficacem, sed attritionem etiam inefficacem sufficere. Major, et consequentia patent. Minor etiam suadetur : nam homo facile cognoscit, quin evidenter experiri possit se habere attritionem de peccatis, sive quod hæc sibi displiceant, et abominationi sint ob eorum fœditatem, et pœnas inferni ; quod vero hic dolor, sive attritio sit efficax, multos latet ob multos, et profundos cordis humani sinus, atque recessus : præsertim apud illos, qui cito, ac facile post confessionem in eadem peccata labuntur : ergo obligatio, et molestia repetendi confessiones eorundem peccatorum vitatur magna ex parte, si attritio, quæ est pars essentialis sacramenti, abstrahat ab efficaci, et inefficaci, et in qualibet earum salvetur ; minime vero vitatur illud onus, sed magis inducitur asserendo attritionem determinate efficacem requiri ad sacramenti valorem.

25. Sed oppones primo contra rationem : si attritio inefficax esset verus dolor, fundaretque veram accusationem de peccatis quamvis positive cognosceretur inefficax concurreret ad constituendum verum, et validum sacramentum pœnitentiæ : consequens est falsum : ergo, et antecedens Sequela ostenditur ; quia ubi adhiberetur vera materia, et forma, conficitur verum sacramentum, licet alias ob aliorum defectu

fectum gratia sacramenti non producatur, ut patet in baptismo, qui positis materia, et forma est validus ; quamvis baptizatus nullam scienter adhibuerit attritionem, et ob ejus defectum non consequatur gratiam. Falsitas autem consequentis patet ex communi Theologorum doctrina, nempe eum, qui sciens se non habere attritionem efficacem, et propositum absolutum vitandi peccata graviter peccare, atque nullum recipere sacramentum. Secundo oppones contra confirmationem : nam si quid probat, pariter evincit non requiri ad valorem hujus sacramenti attritionem supernaturalem : cujus oppositum cum communi, et certa sententia statuimus num. 19. Inferri vero ostenditur : quia non possumus magis certificari de supernaturalitate attritionis, quam de ejus efficacia : utraque enim latet, et circa utriusque existentiam falli possumus : ergo si censetur nimis grave exigere attritionem determinate efficacem, quia inde fieret esse frequentissime incertos de valore confessionis, et obligare ad ejus repetitionem ; idem, et ob idem motivum dicendum erit de supernaturalitate attritionis : et consequenter, quod sicut ad valorem sacramenti non requiritur attritio determinate efficax, sed hæc, vel attritio nefficax ; ita pariter non requiritur attritio determinate supernaturalis, sed vel sta, vel naturalis attritio.

Ad primam objectionem respondetur negando sequelam ; ubi quis sciens, et advertens accedit ad sacramentum cum attritione cognita inefficaci. Et ad sequelæ probationem dicendum est ; ita rem se habere, quod ubi concurrunt vera materia, et forma, (suppositis aliis requisitis.) conficitur verum Sacramentum ; quamvis ob defectus dispositionis effectus illius, nempe gratia sanctificans, impediatur, ut recte probat exemplum baptismi. Sed in casu, qui proponitur, deficit non sola dispositio ad gratiam, verum etiam pars ad valorem essentialiter requisita. Ubi enim pœnitenti adest scientia de inefficacia suæ attritionis, eadem scientia cognoscit se permanere in voluntate peccandi : et pariter cognoscit se ponere obicem fructui sacramenti ob defectum dispositionis ad illum, pro qua dolor efficax desideratur, ut § sequenti dicemus. Quare se gerens prædicto modo, sciens, et prudens (si licet ita loqui) peccat in actu mortaliter : quare nec vere quærit remedium, nec se subdit Ecclesiæ clavibus, sed magis illudit. Unde in tali casu deficit, non solum dispositio ad fructum, sed etiam materia ad valorem sacramenti. Quæ ratio non occurrit in baptismo, nec in aliis sacramentis : quia habent materias longe diversas ab attritione, quæ sunt componibiles cum peccato actuali, etiam scienter commisso.

Ad secundam objectionem negamus sequelam. Et ad probationem respondetur primariam rationem, ut pro sacramento requiratur attritio supernaturalis, et non requiratur attritio efficax esse voluntatem Dei illud instituentis : de qua respectu supernaturalitatis affirmatæ constat nobis per media proposita num. 19, et respectu negatæ efficaciæ per media assignata a num. 23. Porro ad hanc differentiam concurrit etiam illa congruentiæ ratio, quam exhibuimus, et hac sequelæ probatione non diluitur : quia longe majorem certitudinem possumus habere de supernaturalitate nostræ attritionis, quam de ejus efficacia. Licet enim illa non cognoscatur in se, cognoscitur tamen satis evidenter in motivo, ex quo fit ; cum homo cognoscat v. g. se debere de peccato dolere ob imminentem sibi condemnationem ad pœnam æternam, sciatque se subdere clavibus Ecclesiæ, non ob lucrum temporale, quod nullum sperat ; sed propter Regnum Cœlorum, quod illæ aperiunt. Quo circa ab hac parte satis certificari potest circa sacramenti valorem, ut satis prudenter propellere valeat oppositos scrupulos, aut timores, quin opus habeat subeundi grave onus repetendi confessiones. Id vero non ita contingeret in efficacia attritionis, si semel necessaria esset ad valorem sacramenti : quia illa non sumitur præcise ab objecto, et motivo operationis, quæ facile, ut dicimus, dignoscuntur ; sed etiam a diligentia, et conatu voluntatis in operando quæ magis latent, et in quibus dignoscendis frequenter fallimur existimantes nos facere, quam possumus, cum non fecerimus, quæ debemus ; adhibuisseque omnem diligentiam, licet in multis defecerimus ob animi teporem, et circumobsistentes passiones. Unde, si ad valorem hujus sacramenti requireretur attritio efficax, sive ex toto corde, quod multas, et sinuosas latebras habet; in

Ad 2 respond.

multas perplexitates laberemur circa talem valorem, atque ad asylum reiterandi eorundem peccatorum confessiones compelleremur non scrupulo, sed prudenti timore. Quod dicere est inconveniens, quia reddit nimis onerosum hoc sacramentum.

§ IV.

Ultima conclusio pro perfecta dubii decisione.

Assertio 3. 26. Dicendum est tertio ad fructum, sive effectum hujus sacramenti requiri attritionem efficacem. Sensus assertionis constat ex hactenus dictis : nam supponimus ad fructum hujus sacramenti sufficere contritionem, sed non esse ad eundem inducendum necessario requisita : supponimus etiam, quod attritio, ut sit pars hujus sacramenti, debet esse supernaturalis, quamvis efficax non necessario sit. Et progredimur ad alium attritionis conceptum, quem habet in ratione dispositionis in ordine ad hujus sacramenti fructum, gratiam scilicet, et remissionem peccatorum. Ad quod munus affirmamus requiri, quod attritio sit non solum supernaturalis, sed etiam efficax : et consequenter, quod ubi non datur alius dolor, quam attritio, et hæc inefficax ; non sequitur effectus hujus sacramenti, nempe gratia, et peccatorum remissio. In quo sensu assertio est certa, et adeo communis inter Theologos, ut supervacaneun sit aliquos in particulari pro illa referre.

1. probatur conc. auctoritate Concil. Trid. Probatur primo ex Concilio Trid. loco sæpius cit. cap. 4, sess. 14, ubi illas propositiones docet, ex quibus veritas assertionis evincitur, ut referendo integrum testimonium constabit. « Illam vero contritionem « imperfectam, quæ attritio dicitur, quo- « niam vel ex turpitudinis peccati conside- « ratione, vel ex gehennæ, et pœnarum « metu communiter concipitur, si voluntа- « tem peccandi excludat cum spe veniæ, « non solum non facere hominem hypo- « critam, et magis peccatorem, verum « etiam donum Dei, et Spiritus Sancti « impulsum, non adhuc quidem inhabi- « tantis, sed tantum moventis, quo pœni- « tens adjutus viam sibi ad justitiam pa- « rat. Et quamvis sine sacramento pœni- « tentiæ per se ad justificationem perdu- « cere peccatorem nequeat, tamen eum « ad Dei gratiam in sacramento pœni- « tentiæ impetrandam disponit, etc. » Hic Concilium in primis docet attritionem in sacramento esse dispositionem ad gratiam, quæ est sacramenti effectus : hanc enim influentiam important illa verba : « Viam sibi ad justitiam parat, » et illa « Eum ad Dei gratiam in sacramento im- « petrandum disponit. » Unde in can. 3 ejusdem sess. huic doctrinæ correspondente decrevit : « Si quis dixerit eam con- « tritionem, quæ paratur per discussionem « collectionem, et detestationem peccato- « rum » (et cetera, in quibus attritio, de qua dixerat, describitur) « non esse verum « et utilem dolorem, nec præparare ad « gratiam, etc. anathema sit. » Est itaque attritio cum sacramento juxta doctrinam et diffinitionem Concilii non solum pars sacramenti, sed dispositio ad ejus effectum. Deinde docet Concilium prædictam attritionem cum sacramento esse dispositionem non utcumque, sed ultimam ad prædictum effectum : quia illi intra Sacramentum eam vim detulit, quam extra illud non habet, ut satis explicat illis verbis : *Etsi quamvis sine sacramento per se... Tamen in sacramento.* Unde cum extra sacramentum disponat remote : intra illud, juxta doctrinam Concilii, disponit ultimo. Tandem Concilium clarissime significat attritionem ita disponentem debere esse efficacem dum hanc illi conditionem adjunxit, *si voluntatem peccandi excludat*, actualem quidem : nam cum habituali certum est conjungi ante infusionem gratiæ. Solum autem attritio, quæ efficax est potest excludere omnem actualem peccandi voluntatem : quippe inefficax actualem voluntatem admittit, (si non semper formalem, aut expressam, saltem virtualem, et implicitam) optime namque cohærent odium inefficax peccati, et voluntas absoluta (licet implicite) in illo perseverandi. Ergo ex Concilio edocemur attritionem, ut ad gratiam, sive effectum hujus sacramenti disponat, eamque, dispositive inducat, deberе esse efficacem.

27. Probatur secundo ratione congruentiæ fundata in hujus sacramenti institutione : nam illud Christus instituit in remedium hominum adultorum pro peccatis post baptismum commissis ; in eoqu summur

mmam erga homines misericordiam, et o statu legis gratiæ liberalitatem osten-, quod cum ad remissionem peccati ɔrtalis in adultis requiratur ex natura i perfecta hominis in Deum conversio r contritionem, qui est dolor perfectissi-ıs, sed non minus difficilis, cum debeat iri ex amore charitatis Dei super omnia, propter se : quo pacto, et non alia faci-ri via remittebantur antiquis peccata : ristus instituit sacramentum pœniten-e, in quo cum minori difficultate pœni-ntes mundarentur a peccatis ; sed non ortuit, quod id fieret absque aliqua illo-m cooperatione, sed magis, quod ipsi ad ıtum beneficium se aptarent, atque dis-nerent, licet ex dono gratiæ, quam ipse am nobis meruit. Ut enim egregie docet Thom. 1, 2, quæst. 113, art. 3 : « Justi-ficatio impii fit movente Deo hominem ad justitiam. Ipse enim est, qui justificat ımpium, ut dicitur Rom. 3. Deus autem movet omnia secundum modum unius-cujusque : sicut in naturalibus videmus, quod aliter ab ipso moventur gravia, et aliter levia, propter diversam naturam utriusque... Homo autem secundum pro-ɔriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad ustitiam absque motu liberi arbitrii. Sed ita infundit donum gratiæ justifi-antis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ ac-ceptandum in his, qui sunt hujus mo-tionis capaces. » Qui discursus verificatur omni justificatione adultorum, sive tra, sive intra sacramentum contingat, ex se liquet, et impendimus Tract. 15, Justificat. disp. 3, dub. 1. Eo vel maxime, od cum adulti peccatores aversi fuerint Deo per motum propriæ voluntatis ; con-uit, quod ad ipsum etiam aliquo motu ɔprio convertantur, quo pariter se dispo-nt ad donum gratiæ suscipiendum. Non cuit itaque hanc in sacramento pœni-tiæ conferri absque aliqua ex parte pœ-entis cooperatione, ac dispositione. Cum-e perfectissima posset exigi, nempe ıtritio : Christus misericorditer indul-, ut vel sola attritio adhibeatur, et ea ıtentus est, ut tantum donum gratiæ tificationis adhibeat. Sed cum impossi-e sit eum, qui actu peccat, prædictam gratiam recipere ; oportuit pœnitentem eam ex parte sui dispositionem exhibere, quæ excluderet omnem actualem voluntatem peccandi. Hanc autem virtutem non habet attritio inefficax, ut dictum est : ergo attritio, quæ in hoc sacramento disponit ad justificationis gratiam, debet esse efficax. Et plane ubi homo peccator liberatus est ab obligatione non levi quærendi justificationem per unicum, et satis arduum contritionis remedium ; non congruebat consequi illam per medium adeo leve, quale est sola attritio, et hæc inefficax. Debet itaque ad effectum sacramenti se disponere per attritionem efficacem, et in sua ratione perfectam.

28. Sed dices, si hæc ita se habent, quare Christus voluit, ut ad rationem partis hujus sacramenti sufficeret attritio inefficax, ut § præced. statuimus ? Si attritio inefficax potest esse pars sacramenti, cur non est dispositio ad gratiam cum sacramento ? Aut e converso, si ad disponendum requiritur attritio efficax, quare non desideratur etiam efficax ad constituendum sacramentum per modum partis ? Hæc profecto minime videntur inter se cohærere. Replica.

Respondetur : Christum abs dubio potuisse pro sua auctoritate, et voluntate ita disponere : quod autem non ita disposuerit, sed eo modo, quem in præsenti, et præcedenti assertione statuimus, constare nobis per media, quæ in eis fundandis expendimus. Et cum iuquiritur, quare ita voluerit, et cur ita ordinaverit ? Satis est Theologo in his, quæ ex sola Dei voluntate dependent, respondere, quia voluit. Sed non deest satis congrua disparitatis ratio fundata in ipsa sacramenti institutione, et rerum naturis. Quoniam de ratione partis Sacramenti non est aliter concurrere ad ejus effectum, nempe gratiam, quam concurrat ipsum sacramentum in genere videlicet causæ efficientis, non principalis, sed instrumentalis : hac enim causalitate influunt totum sacramentum, et ejus partes in eo, ut constat ex dictis Tract. 22. de Sacramentis, disp. 4, dub. 1, cum duobus seq. Porro, ut aliquid assumatur ad esse instrumentum divinæ virtutis, non exposcit esse ejusdem ordinis, aut perfectionis cum effectu : quippe, quod non agit per id, quod habet ex se, sed ut elevatum per virtutem superadditam. Unde sicut hac Diluitur.

ratione assumptæ sunt ad rationem materiæ, aut partis aliorum sacramentorum aliæ res mere naturales, corporeæ, et de se improportionatæ ad efficiendum gratiam sanctificantem, aut ejus augmentum, sicut aqua, et ablutio ad baptismum, oleum, et inunctio ad Extremam Unctionem : sic potuit Christus assumere, assumpsitque actum attritionis efficacis, aut inefficacis, ut esset pars ex parte materiæ sacramenti pœnitentiæ, et simul cum toto sacramento elevaretur ad producendum instrumentaliter gratiam : nihil enim refert illa naturalis improportio, ubi influxus est instrumentalis, et virtus elevans supplet propriæ virtutis defectum, sicut in his,et aliis instrumentis, quæ Deus assumit, contingit. Et ideo inefficacia, et imperfectio attritionis minime illam impedit, aut excludit a ratione partis essentialis hujus sacramenti. Quod vero hæc pars debeat esse supernaturalis juxta superius dicta num. 19, non provenit ab ista radice, sed ab alia longe diversa, nimirum ab eo, quod hic dolor fundat, completque pœnitentis accusationem in ordine ad judicium, et claves Ecclesiæ, quæ pertinent ad supernaturalem ordinem : atque ideo debet, et ipsa fide regulari, et aliquam supernaturalitatem saltem respectivam habere, ut explicuimus num. 22. Sed ad id etiam munus parum, aut nihil refert efficacia, aut ejus carentia : quia dolor ab utraque præscindens constituit confessionem dolorosam, atque in ratione accusationis. Ceterum, ut attritio in sacramento pœnitentiæ sit dispositio ad ejus effectum, nempe gratiam sanctificantem, non se habet materialiter, aut per accidens ejus efficacia, sed per se exigitur ob motivum num. præced. propositum.

Confirmatur 2.

Quod amplius confirmari potest, si attendamus talem attritionem esse dispositionem physicam ad prædictam gratiam : sicut de omnibus actibus disponentibus ad justificationem tam extra, quam intra sacramentum, et tam proxime, quam remote, generaliter statuimus tract. 15, de Justificat. disp. 3, dub. 4. Interest autem illud discriminis inter instrumentum, et dispositionem physicam, quod illud non agit virtute propria, sed per elevationem ab agente principali : unde nihil refert, quod de se careat virtute, et proportione ad effectum, si illam, et aliunde a principali agente mutuatur. Dispositio vero physica præparat per id, quod sibi intrinsecum, ac proprium est, sive per exhibitionem propriæ entitatis, absque extrinseca elevatione, et favore : sicut etiam proportionabiliter contingit in causa materiali et formali. Unde attritio nec intra, nec extra sacramentum ad gratiam disponit, nisi prædicto modo, emolliendo, scilicet per se ipsam cor, avertendo ab impedimentis, determinando in suo genere, et trahendo hominem, quantum potest, (et si remote) ad participationem gratiæ. Et denique hoc munus intra sacramentum ultimo, et perfecte in suo genere exequitur, *si voluntatem peccandi excludat*, ut loquitur Concilium Trid. supra relatum. Nequit autem hoc præstare, nisi efficax sit : quæ namque inefficax est, voluntatem peccandi non excludit, sed secum admittit, si non semper expresse, saltem implicite, et ex modo tendendi in suum objectum. Hac itaque de causa efficacia quæ in attritione non requiritur, ut si pars sacramenti, necessario desideratur, ut sit dispositio ad ejus effectum, qui est gratia justificans peccatorem.

In quo instrumentum, et dispositio physica distinguantur.

29. Instabis : nam juxta præmissam responsionem duæ in sacramento pœnitentiæ admittendæ sunt attritiones, una scilicet inefficax, quæ sit sacramenti pars, et alter efficax, quæ sit dispositio ad effectum sacramenti ; consequens est falsum : erg et prædicta responsio. Minor probatur tum, quia juxta communem omnium sententiam, et apprehensionem, ad unum pœnitentiæ sacramentum sufficit (supposi tis aliis requisitis) una attritio, sicut una confessio. Tum etiam, quia cum attritio efficax, et attritio inefficax, possint eodem motivo procedere, puta ex timore gehennæ, sunt ejusdem speciei, et solo numero, aut penes modos sibi accidentales efficaciæ, aut inefficaciæ distinguuntur: implicat autem accidentia solo numero diversa conjungi in eodem subjecto, ut doc communis Thomistarum opinio.

Respondetur distinguendo consequens admittendæ sunt duæ attritiones *permissi* concedimus ; *necessario* negamus ; et sim liter minorem. Etenim ubi datur attrit efficax, illa una sufficit, ut sit pars sacr menti, et dispositio ad gratiam : pars qu dem sacramenti , secundum conceptu dolo

oloris supernaturalis præscindentis ab efficaci, et efficaci (hic enim sufficit ad rædictæ partis officium) dispositio vero d gratiam : secundum conceptum efficacis eterminate, (ista namque desideratur ad aptandum,et congrue præparandum subctum). Unde liquet non semper, aut nessario multiplicari attritiones, sed unam ecundum diversa munia sufficere. Ubi utem non datur attritio efficax, manifesm est solam inefficacem concurrere, virique intentum inconveniens plurium ttritionum. Sed neque inconveniens est, i una, et altera, ac realiter diversæ in odem sacramento concurrant, obeantue munera singulis propria. Verbi causa, olet pœnitens de peccatis ob eorum fœdiatem attritione supernaturali, sed ineffiaci : hic jam adest dolor, qui per modum artis sufficit ad valorem sacramenti. Doet ulterius de eisdem peccatis ob metum nferni attritione supernaturali, et efficaci : t hic jam occurrit dispositio sufficiens cum acramento ad ejus effectum, gratiam ninirum justificantem. Verum itaque est oc sacramentum non exigere necessario uas attritiones realiter diversas ; illas amen permittere, ut explicatum est. Ad onsequentis autem improbationem prinam respondetur falli.dum asserit contraiam doctrinam esse communem sententiam, aut apprehensionem : quotquot enim obiscum docent, (et sunt plurimi relati um. 23,) ad rationem partis hujus sacramenti sufficere attritionem inefficacem, llam distinguunt ab efficaci, quæ ad fructum sacramenti disponit. Minus valet seunda improbatio, quia, ut ex proposito xemplo constat, attritio inefficax potest sse ex uno motivo, et attritio efficax ex lio specie diverso : atque ideo illæ attriiones plusquam numero differunt inter e. Quin licet sub eodem motivo tenderent; ossunt specifice distingui propter diversum modum tendendi, efficaciter, vel ineffcaciter : sicut amor simplex finis, et intentio efficax finis, licet et si habeant idem bonitatis motivum, sunt actus specie diversi ob diversitatem, qua ab eadem illa bonitate excitantur, et in eam tendunt.

Potest autem hujus responsionis doctrina explicari, et magis confirmari exemplo auxilii sufficientis, et efficacis ; nam si inquiratur, an realiter distinguantur ? Respondendum erit juxta nostra principia distingui quidem, non necessario, sed permissive. Nam Deus ab æterno, et independenter a scientia media, qua nulla est, decrevit v. g. quod D. Petrus posset converti,et converteretur ; atque ideo illi præparavit auxilium sufficiens, et efficax pro tali conversione : de Juda autem decrevit, quod posset converti, non autem quod converteretur: unde,sibi præparavit auxilium sufficiens, non autem efficax. Loquendo itaque de auxilio collato Judæ in tempore, manifestum est fuisse sufficiens tantum, distinctumque realiter ab efficaci, siquidem ab hoc separatum est : et si efficax fuisset, intulisset infallibiliter liberam Judæ conversionem, quam non induxit, realis autem separatio manifestat realem rerum distinctionem. Loquendo autem de auxilio communicato D. Petro, dici potest in primis, fuisse unum sufficiens,sive dans posse ad conversionem ; et fuisse aliud efficax realiter distinctum, ad eam conversionem infallibiliter applicans, atque trahens : et sic docent, et rem explicant communiter Thomistæ. Sed potest, etiam non minus probabiliter dici,esse unicam realiter qualitatem descendentem a Dei virtute determinante conversionem, quæ qualitas, quatenus participat virtutem Dei, et dat posse ad converti, vocatur auxilium sufficiens : et eadem quatenus defert determinationem Dei, et applicat ad conversionem, appellatur auxilium efficax : quin opus sit pro his muniis multiplicare diversa realiter auxilia, sed diversas rationes, et conceptus in eadem auxilii qualitate, ut fusius explicuimus, et cum Alvarez, Ledesma, Zumel, Navarrete, Nazario, Joanne a S. Thoma, et aliis statuimus in tract. de Voluntar. disp. 4, num. 36, et in tract. de peccatis, disp. 5, dub. 2, § 4, et in tract. de Gratia, disp. 5, dnb. 6, numer. 125. Ad hunc itaque modum discurrendum putamus in præsenti materia ; nempe duas attritiones distingui posse in eodem sacramento ; non quidem necessario,et semper, sed quandoque, et permissive. Ubi enim sacramentum non habet effectum ; una, et sola attritio inefficax occurrit, quæ ab efficaci tunc non concurrente realiter distinguitur. Sed ubi effectum sortitur, adest, et attritio efficax : et potest dici, quod tunc non datur, nisi unus entitative actus

attritionis

attritionis cum diversis muneribus : nam secundum munus doloris supernaturalis, abstrahentis de se ab efficaci, et inefficaci, est pars essentialis sacramenti pœnitentiæ : et secundum conceptum efficacis est dispositio ad effectum sacramenti. Potest etiam dici concurrere duas attritiones, unam inefficacem, quæ est sacramenti pars, et aliam efficacem, quæ disponit ad illius effectum.

Objicitur contra dicta.

30. Nec refert, si contra ultimam hanc responsionis partem opponas ; quod ubi adest attritio efficax, hæc sola potest obire utrumque munus, et partis, et dispositionis : atque ideo præoccupat locum, ne alia attritio inefficax exerceat officium partis : ergo nunquam concurrunt duæ illæ attritiones, nec comparantur per modum partis, et dispositionis cum distributione explicata.

Respondetur.

Id, inquam, non refert ; quia licet non negemus unam attritionem efficacem posse obire illa duo munia partis, et dispositionis, ut proxime explicuimus, et regulariter ita contingere : tamen id non est necessarium, nec omnino semper. Tum quia prius non solum natura, sed tempore potest materia hujus sacramenti, (nempe dolor, confessio, et satisfactio in voto, ex quibus illa essentialiter constituitur juxta prænotata ad art. 1, et 2, quæst. 90,) esse completa, concurrente attritione supernaturali inefficaci, quæ sufficit ad rationem partis, antequam eliciatur attritio efficax, quæ est dispositio ad gratiam, et potest elici proxime ad absolutionem, aut in ultimo prolationis ejus momento. In quo casu non est ratio, ut attritio inefficax amittat officium partis, quam jam induerat ; et consequenter, ut attritio efficax illud assumat : stat igitur in tali suppositione duas attritiones concurrere, unam, ut partem ad valorem sacramenti, aliam, ut dispositionem ad ejus effectum. Tum etiam quia quod attritio sit pars, aut dispositio non revocatur unice in ipsas rerum naturas, sed etiam, et maxime in pœnitentis arbitrium, ex cujus intentione, et ordinatione dependet, quod hi aut illi actus sint pars, vel dispositio. Nulla autem contradictio occurrit in eo, quod ex multis, quos penitens elicit, attritionis actibus, intendat primum esse partem sacramenti, et sequentem esse dispositionem ad ejus gratiam. Et sicut intendit, ita plane continget : atque ideo occurrent in eo sacramento duæ attritiones, una ut pars, altera ut dispositio. Unde censemus non repugnare quod pœnitens accedat ad sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione inefficaci cognita, et ratum nihilominus sit sacramentum ; quia pœnitens adhibet eam attritionem, quæ vere pars ejus est : si tamen firmiter statuat elicere ante absolutionem attritionem, qua se disponat ad sacramenti gratiam, sive effectum, quia tunc concurrunt simpliciter omnia requisita ad valorem, et effectum sacramenti, nullusque ipsi opponitur obex. Sed casus rarus, et metaphysicus erit : qui enim peccata confitetur cum sola attritione inefficaci cognita, securitatem regulariter non habet de elicienda efficaci pro effectu ; et sic peccat actu scienter ponendo obicem gratiæ, et tale peccatum clavibus Ecclesiæ non subdit, nec vere quærit salutem, ut diximus num. 25.

§ V.

Refertur hæresis contra primam conclusionem.

31. Duæ sunt sententiæ, quæ nostræ primæ conclusioni adversantur, oppugnantes sufficientiam attritionis non solum ad fructum, sed vel ad solum valorem hujus sacramenti. Prima, et notorie hæretica, ad sic sentiendum movetur, quia tenet timorem inferni, et aliarum pœnarum, quæ peccatori imminent, esse peccaminosum, atque ideo, et ipsam attritionem, quæ illi timori innititur, et ex tali motivo procedit. Ita Lutherus in assertionibus articulorum contra Bullam Leonis X assert. 6, his verbis : « Contritio, quæ « paratur per discussionem, et collectionem « peccatorum, qua, quis recogitat annos « suos in amaritudine suæ animæ, pon- « derando peccatorum gravitatem, fœdi- « tatem, amissionem æternæ beatitudinis, « et acquisitionem æternæ damnationis, « hæc contritio facit hypocritam, imo « magis peccatorem. » Et non suaviora protulit in serm. de pœnitentia, et epistola ad Sulpicium, suffragantibus communiter ejus discipulis, quamvis non pauci ipsum in hac parte deseruerint, recognoscentes

gnoscentes ejus assertionem esse prorsus absurdam, et irrationalem, ut refert Bellarmin. lib. 9, de pœnitent. cap. 17.

De hac materia ex professo egimus in tract. 18, de Spe, disp. 4, dub. 3, sub titulo: *Utrum actus timoris servilis sit honestus*, etc. Quare eadem hic repetere molestum nobis est, et forte lectori non gratum, qui locum illum adire valet. Unde illa præcise scribere curabimus, sine quibus vix possumus procedere, et necessaria sunt pro satisfactione quorundam catholicorum in § sequent. Et in primis apertissima est condemnatio Lutheri in illa sua audacissima, stultissimaque assertione: nam Concilium Trident. ad errorem non solum, sed ad verba etiam Lutheri respiciens statuit sess. 6, can. 8 : « Si quis dixerit gehennæ metum, per « quem ad Dei misericordiam de peccatis « dolendo confugimus, vel a peccando « abstinemus, peccatum esse, aut peccato- « res pejores facere, anathema sit. » Et sess. 14, cap. 4, docuit, « illam vero con- « tritionem imperfectam, qua attritio di- « citur, quoniam vel turpitudinis peccati « considerationc, vel ex gehennæ, et pœ- « narum metu communiter concipitur, si « voluntatem peccandi excludat cum spe « veniæ, declarat non solum non facere « hominem hypocritam, et magis peccato- « rem, verum etiam donum Dei esse, et « Spiritus Sancti impulsum, non adhuc « quidem inhabitantis, sed tantum moven- « tis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad « justitiam parat. » Et can, 5 ejus sess. decrevit : « Si quis dixerit eam contritio- « nem, quæ paratur per discussionem, col- « lectionem, et detestationem peccatorum, « qua quis recogitat annos suos in amari- « tudine animæ suæ, ponderando pecca- « torum suorum gravitatem, multitudinem, « fœditatem, amissionem æternæ beatitu- « dinis, et æternæ damnationis incursum, « cum proposito melioris vitæ, non esse « verum, et utilem dolorem, nec præpa- « rare ad gratiam, sed facere hominem « hypocritam, et magis peccatorem, deni- « que esse dolorem coactum, et non libe- « rum, ac voluntarium, anathema sit. » Hæc omnia Concilium honestatem tam timoris pœnarum, quam doloris peccatorum ex illo orti diffiniens : quæ eo libentius rescripsimus, quia ad illa pro confutandis non solum hæreticis, sed quibusdam Catholicis, cum opus sit, recurremus.

32. Et ob eundem finem, et claritatis gratia oportet ex fusius dictis loco citato hic breviter adnotare ; timorem communiter loquendo non esse aliud quam fugam mali imminentis. Omissis autem aliis ejus divisionibus, quæ de re præsenti non sunt, dividitur a D. Thoma 2, 2, quæst. 19, art. 2, (cui subscribunt Theologi) in mundanum, servilem, filialem, et initialem. Nam, vel per timorem avertimur a Deo, ut si mandata ejus quis violet, ne amittat temporalia : et hic dicltur *mundanus*. Vel per timorem convertimur aliqua ratione ad Deum, ad bonum honestum. Et hoc contingit dupliciter: primo cum solam pœnam timemus, ejusque formidine impulsi refugimus, et detestamur culpam : et hic dicitur timor *servilis :* quia proprium est servorum agere, non tam ex amore honesti, quam ex metu pœnæ infligendæ. Secundo cum solam culpam timemus : et hic timor appellatur *filialis :* quippe filiorum est refugere patris injuriam. Solet addi timor *initialis*, quo quis refugit simul culpam, et pœnam (sive uno, sive multis actibus id fiat) et initialis vocatur, quia in principio conversionis communiter invenitur, retinens aliquid de timore servili, et progrediens ad perfectionem filialis. Ex quibus timoribus manifestum est mundanum esse peccaminosum cum amplectatur culpam: filialem esse honestissimum, cum nihil magis, quam culpam, refugiat. Unde solum de servili dubitari potest, an honestus sit ? Pro quo oportet ulterius distinguere : quoniam tripliciter contingere valet, quod quis vitet culpam ex metu pœnæ. Uno modo solum impulsive, aut occasionaliter : ut cum quis odio habens culpam ob ejus deformitatem, magis provocatur ad ejus detestationem ex consideratione supplicii peccato imminentis : et hunc timorem esse honestum liquet tum ex se, tum exemplo ejus, qui ex consideratione bonorum temporalium inducitur impulsive ad Deum magis diligendum. Altero modo cum tanta adæquatione, ut solum vitet culpam pœna imminente, cum affectu conditionato peccandi, si non immineret : et hunc esse peccaminosum satis liquido constat ex actuali affectu ad culpam, et quia positive præfert malum pœnæ malo culpæ, quæ

Timor est fuga mali imminentis.

D. Thom.

An honestus sit timor servilis ?

est gravis inordinatio. Ultimo denique modo sine illa adæquatione et prælatione, sed cum præcisione, ita quod vitare culpam, illamque odisse, habeat pro fine proximo evasionem pœnæ, non includendo, nec excludendo ordinem ad ulteriorem finem bonum, aut malum. Et hæc ultima consideratio pertinens ad ejus speciem, ab aliisque conditionibus huic timori accidentalibus abstrahens, est, quæ in præsentiarum refert. Inter quas plane computari debet servilitas subjectiva, quæ aliud non est, quam status servitutis, sive peccati in quo homo hunc timorem habens potest, existere. De quo merito dixit D. Thomas 2, 2, quæst. 19, art. 4, quod « Servilitas non « pertinet ad speciem timoris servilis, si- « cut nec informitas ad speciem fidei in- « formis. » Accedit enim fidei, et timori pœnæ conjungi cum statu peccati.

D. Thom.

Talis timor est actus honestus.

33. Hunc itaque timorem non esse peccatum, sed actum de se honestum, ac proinde, et dolorem peccatorum ex illo ortum, quem attritionem communiter vocamus, diffinivit Concilium Trident. locis relatis, et merito propter plura, eaque efficissima motiva, quæ expendimus loco cit. ex tract. de Spe, quibus nunc breviter alia superaddemus. Probatur itaque primo ex Scriptura : nam medium, quod illa proponit ad fugiendum peccatum, nequit peccatum esse ; alias Deus sibi contradiceret; sed scriptura proponit timorem pœnarum, ut medium ad fugiendum peccatum : ergo talis timor nequit esse peccatum. Minor constat, nam Ecclesiast. 7, dicitur : *Memorare novissima tua,et in æternum non peccabis.* Inter hæc autem novissima recensentur gehenna, et gloria, ex quibus in finali judicio gloria dabitur justis in præmium, gehenna peccatoribus in supplicium : quæ recogitata, et timorem inducentia retrahunt hominem a peccando. Et in eodem sensu dicitur Ecclesiast. 12 : *Qui timet Dominum, convertetur ad cor suum.* Converti autem ad cor, est averti a peccatis, exuere terrenos affectus, et per semitas justitiæ procedere, juxta illud Isaiæ 46 : *Redite prævaricatores ad cor.* Unde Prophetæ, et viri sancti, ut peccatores converterent, atque a peccando averterent, repræsentatione pœnarum, et comminatione supplicii frequenter usi sunt. Sic Eleazarus 2 Machab. cap. 6, hoc timoris fræno docuit voluntatem compescere dicens : *Quia etsi in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus, nec mortuus effugiam.* Jonas etiam ad convertendos Ninivitas clamavit, ut legitur cap. 3 : *Adhuc quadraginta dies,et Ninive subvertetur.* Ad quam comminationem admirabilis pœnitentiæ effectus subsecutus fuit. Isaiæ 33, dicitur : *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis ?* Et Psalm. 7 : *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, et paravit illum, et in eo paravit vasa mortis.* Magnus prædicator S. Joannes Baptista clamabat Math. 3 : *Genimina viperarum, qui vobis demonstravit fugere a ventura ira ? Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur.* Ipse etiam Dominus noster Jesus Christus hoc pro avertendis hominibus a peccando adhibuit medium Matth. 10, Luc. 12 : *Timete eum, qui potest animam,et corpus perdere in gehennam.* Ad hoc adduxit exemplum epulonis missi in infernum, Lucæ 16, hominis projecti in tenebras exteriores ob defectum vestis nuptialis : servi traditi tortoribus propter debita : Virginum fatuarum repulsarum ab sponso, et alia plura. Ludit ne, aut illudit Christus ? Audiemus præ illo Lutherum ? Verum itaque est, et omnino verum commendari in Scriptura timorem pœnæ, ut medium ad fugiendum peccatum.

Probatur conclus. auctorit. Script.

Eccles. 7.

Eccles. 12.

Isaiæ. 46.

2. Machab. 6.

Jon. c. 3

Isai

Psa

Ma

Ma 10. Lu

Lu

Confirmatur ex aliis elogiis, quibus Scriptura hunc timorem commendat tanquam utilissimum ad salutem, et viam pro illa consequenda parantem : cum quo minime cohæret esse peccatum, sed fateri omnino oportet esse actum ex sua specie honestum; nam Isaiæ 36, juxta translationem septuaginta: *A timore tuo Domine concepimus, et peperimus spiritum salutis,* id est, pœnitentiæ salutaris, ut explicat D. Thom. supra q. 85, art. 4, in arg. sed contra, et approbat in corp. et ad 3. Denique Ecclesiat. 25: *Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. Qui tenet illum, cui assimilabitur ? Timor Dei initium dilectionis ejus.* Ubi sermo etiam fit de timore servili, seu pœnæ : nam filialis effective potius est dilectionis, seu charitatis. In his autem omnibus satis aperte significatur servilem disponere ad justificationem, et inchoare

Is

E 2

inchoare in suo genere salutem, ut optime declaravit. D. Thom. loc. cit. ubi recensens actus, qui pœnitentiam inducunt, ait : « Tertius est motus timoris servilis, quo « quis timore suppliciorum a peccatis re- « trahitur. Quartus actus est motus spei, « quo quis sub spe veniæ consequendæ as- « sumit propositum emendandi. Quintus « actus est motus charitatis, quo alicui « peccatum displicet secundum se ipsum, « et non jam propter supplicia. »

34. Id ipsum probatur secundo ex Sanctis Patribus, quorum communis sententia est; timorem hunc inducere odium peccati, et ab eo fugam, ut relatis eorum testimoniis ostendimus loc. cit. de spe, et modo superfluum foret ea repetere. Sed quia Adversarii D. August. specialiter in sui patrocinium trahunt; ostendemus quam reluctantem, et omnino reclamantem contra illorum errorem. Nam super Psal. 12, ad illa verba : *Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur*, inquit : « Au- « diunt hæc homines, et quia vere futura « sunt impiis, timent, et continent se a « peccatis. Habent timorem, et per timo- « rem continent se a peccato. Timent qui- « dem, sed non amant justitiam (*nempe* « *amore perfecto, sive ex charitate*). Cum « autem per timorem continent se a pec- « cato, fit consuetudo justitiæ, et incipit quod « durum erat amari, et dulcescit Deus, « et jam incipit homo juste vivere. Timet, « ne mittatur in gehennam. Bonus est, et « utilis iste timor. » Quid clarius ad ostendendum, quod honestus sit, et quod ad justitiam, et amorem charitatis disponat? Et in eodem sensu in lib. de Catechiz. rudibus, cap. 5, statuit : « Rarissime acci- « dit, imo vero nunquam, ut quisquam ve- « niat volens fieri Christianus, qui non sit « aliquo Dei timore perculsus, » utique erga pœnas vitæ futuræ, et disponente ad timorem filialem ex charitate, juxta illud ejusdem S. Doctoris tract. 9, in epist. Joannis : « Sunt homines, qui propterea timent, ne « mittantur in gehennam, ne forte ardeant « cum diabolo in igne æterno. Ipse est « timor ille, qui introducit ad charitatem. « Si non est timor, non est, quæ intret « charitas. Sicut videmus per setam in- « troduci linum. Opus est, ut intret timor « primo, per quem veniat charitas. » Et serm. 18, de verbis Apost. ait : « Time « gehennam. Nihil melius times. Time, ut « ista formido custodiat te. Timor enim « iste, quo gehennam times, et ideo ma- « lum non facis, continet te, et sic volen- « tem peccare animum interiorem non « sinit. Est enim quidem custos timor, « quasi pædagogus legis. » Et serm. 13, de verbis Apost. « Timor servus est, charitas « libera est, et ut sic dicamus, timor est « servus charitatis. Ne possideat diabolus « cor tuum, præcedat servus in corde tuo, « et servet dominæ venturæ locum. Fac « vel timore pœnæ, si nondum potes amore « justitiæ. » Ex quibus satis liquet, quam digne senserit de hoc timore D. Augustinus, et quantum ipsum commendaverit tam ad vitandum peccata, quam ad consequendum perfectam justitiam, et charitatem.

Effugium Hæreticorum.

Unde facile præcluduntur duo effugia, ad quæ recurrunt hæretici, ut vim testimoniorum, tam Scripturæ, quam Patrum eludant. Dicunt in primis intelligenda esse de timore filiali, vel saltem charitati conjuncto. Addunt deinde quod intellecta de timore servili solum evincunt illum vitare externam executionem operis peccaminosi ex formidine pœnæ, non autem peccatum internum, sive affectum ad opus externum, quod cessante illa pœna committeretur. Hæc, inquam, refelluntur, ut prorsus futilia, et vim inferentia allegatis testimoniis. Primum quidem ; nam in omnibus locis relatis commendatur timor ut destructivus, sive impeditivus peccatorum, et hac via ducens ad justitiam, et charitatem, ut se consideranti constabit. Id vero adaptari non valet filiali timori, quippe quia gratia, et charitate procedens supponit peccata destructa. Secundum etiam; quia malitia peccati non invenitur formaliter in membris, et operationibus exterioribus, sed in anima ejusque potentiis internis : unde proprie, et absolute dictum non stat pro operibus externis peccaminosis, quæ talia dicuntur denominatione extrinseca ab interiori malitia : ergo cum Scriptura, et Patres timorem pœnæ laudant, quia vitandis, superandisque peccatis deservit, minime possunt, nisi violenter exponi, quod loquantur præcise de operibus externis peccaminosis : et tamen accipi, et explicari debent in sensu proprio : ex opposito enim fieret nihil nos firmum colligere posse ex Scrip-

Refelluntur.

turæ, et Patrum assertis. Præsertim; quia non loquuntur de pœna aliqua politica, aut legibus reipublicæ imposita, ad quam vitandam sufficeret vitare externa peccata, retento interno perverso affectu : sed sermonem faciunt de pœna inferni, modo nobis invisibili, et sola fide cognita, pro qua vitanda nihil, aut parum referret abstinere tantum a pravis operibus exterioribus : ergo commendantes timorem hujus pœnæ pro vitandis peccatis, non agunt præcise de externis, sed omnia absque exceptione comprehendunt. Et plane si pœna a republica taxata cohibet homines, ne externa peccata exequantur : cur non pœna inferni firma fide cognita, cum sit longe major, et majori certitudine apprehensa illos non detinebit, ne prorumpant in affectus internos peccaminosos? Stulti sunt Lutherani, et æque infelices, qui timore gehennæ correpti crimina externa minime agunt ad ea propensi : et tamen fovent interius affectum peccaminosum, cui illa pœna jure æquissimo respondet. Satius illis esset nihil timere.

Probatur 3 rat.

35. Probatur tertio ratione eadem catholica veritas; quia timere pœnam inferni (et alias, quas Deus ex superiori providentia infligere valet), est actus consonus rectæ rationi : ergo non est actus peccaminosus, sed honestus. Consequentia est evidens : quia omne peccatum importat dissonantiam ad aliquam rationis regulam; sicut e converso honestas, sive bonitas moralis dicit conformitatem ad rectam rationem. Antecedens autem ostenditur : tum quia consonum rationi est timere objectum dignum timore; pœna autem inferni est objectum timore dignissimum. Tum quia ejusdem rationis est timere malum, et sperare bonum ipsi contrarium; sed sperare bonum æternæ beatitudinis, est actus consonus rectæ rationi : et ideo datur specialis virtus theologica, quæ hunc actum eliciat, ut ostendimus Tract. cit. de spe, disp. 2, dub. 1, § 1; ergo timere malum æternæ damnationis, quod prædicto bono opponitur, est actus consonus rectæ rationi.

Confirmatur. evertendo fundam. hæreticorum.

Confirmatur evertendo fundamentum hæreticorum : nam, si prædictus actus de se honestus includeret aliquam inordinationem, sive turpitudinem, maxime ut inducit fugam culpæ ex ipso timore, quam attritionem vocamus : qui affectus inordinatus apparet, cum pluris faciat pœnam, quam culpam, et hanc non vitaret, nisi adesset illa; sed hoc motivum falsum supponit, et nihil evincit : ergo fateri oportet prædictum actum esse honestum, non solum de se, aut secundum se verum, et complexive ad attritionem, et quatenus illam inducit. Cetera constant. Et minor suadetur : tum, quia implicatorium est aliquem peccare in eo, quod appetit, proponitque vitare omnia peccata gravia; sed ita se gerit, qui ex timore inferni elicit attritionem efficacem, detestatur enim omnia peccata, appetitque, ac proponit illa vitare : ergo nec in timore, nec in attritione peccat. Tum etiam, quia ex una parte timere infernum non est peccatum, ut ratio facta demonstrat : aliunde vero fugere, aut vitare culpam non est peccaminosum, ut ex ipsis vocibus liquet : ergo nec ille timor secundum se, nec complexum vitandi culpam ex timore pœnæ important aliquam deformitatem. Tum præterea, quia sperare, et adimplere legem ad consequendum bonum speratum honestum est. Unde Psalmista dicebat Psal. 118 : *Inclinavi cor meum ad faciendum justificationes tuas in æternum propter retributionem :* ergo pariter honestum est timere, et vitare peccatum ad evadendum æternam damnationem : id enim paritatis ratio a contrario sensu convincit. Tum insuper; quia falsum omnino est eum, qui timet, et timore atteritur in detestatione peccati, pluris facere pœnam, quam culpam, et quod haberet affectum peccandi, si non immineret supplicium : nihil enim horum intervenit in timore, et attritione, quæ a nobis asseruntur : quippe cum in illis non fiat ulla comparatio inter pœnam, et culpam, nec ullus concipiatur conditionatus ad istam affectus, ut prænotavimus num. 32, supponentes, et illam, et istum esse peccaminosa : sed simpliciter, sive absque illa comparatione, et affectu : ad timorem pœnæ sequatur odium culpæ, quæ illam meretur. Tum denique; quia, etsi peccatum sit malum superioris quam pœna; nulla taman est inordinatio in eo, quod homo ordinet fugam culpæ ad vitandum pœnam tanquam ad finem effectum proximum, non excludendo contrarie relationem ad Deum tanquam ad ultimum finem : hoc enim modo solent superiora ad inferiora ordinari absque ulla perversitate

ST. MARY'S COLLEGE LIBRARY

versitate, sicut Incarnatio Verbi ad salutem hominum, oratio supernaturalis ad naturalia bona, actum charitatis ad misericordiam, et sic de aliis. Nullum itaque est fundamentum ad tam perversam existimationem Lutheranorum, quod actus timendi pœnam est malus, si non ex se, saltem complexive ad actum detestandi, et fugiendi culpam. Quod magis adhuc constabit occurrendo motivis, quibus honestatem attritionis, et primam ab hac parte nostrarum assertionum oppugnant.

36. Objiciunt ergo primo D. Augustinum ; nam serm. 15, de verbis Apostoli, cap. 6, ait : « Qui timore pœnæ non con- « cupiscit, puto quia concupiscit. » Epist. 144, inquit : « Inimicus ergo justitiæ est, « qui pœnæ timore non peccat : amicus au- « tem erit, si ejus amore non peccat : tunc « enim vere timebit peccare. » Addit : « Qui « gehennam metuit, non peccare metuit, « sed ardere. Ille autem peccata metuit, « qui peccatum ipsum, sicut gehennam « odit ; tantum enim quisque peccare odit, « quantum justitiam diligit, quod non po- « terit lege terrente per literam, sed spi- « ritu sanante per gratiam. »In lib. de natura, et gratia, cap. 56, ait : « Qui timore « supplicii, quod lex minatur, non amore « justitiæ se sentit abstinere ab opere pec- « cati, nondum liber, nec alienus a volun- « tate peccandi est. » Et lib. I, ad Bonifa- « cium cap. 9, inquit : « Sic profecto intus « in ipsa voluntate peccat, qui non volun- « tate, sed timore non peccat. » Similia docet super Psal. 77, et lib. de spiritu, et litera, cap. 8, et frequenter in aliis locis, quæ § seq. expendemus. Ex eis autem constat odium, fugam, et detestationem peccati ex timore procedentia, atque ideo attritionem, quæ illa importat, et ex eo procedit non esse quid honestum, aut laudabile, sed potius turpe, et interno peccandi affectui commixtum. Incredibile vero apparet, quod Christus talem attritionem elegit, ut esset pars sacramenti, et ad hominum justificationem concurreret.

Confirmatur primo : nam attritio, cum procedat ex timore servili, pertinet ad spiritum servitutis ; sed talis spiritus interdicitur in lege gratiæ : ergo attritio nequit esse pars sacramenti ad legem gratiæ pertinentis, cujusmodi est pœnitentia. Minor probatur ex Apostolo ad Rom. 8 : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba Pater.* Confirmatur secundo : nam ille actus nequit non esse moraliter malus, qui continet virtualiter pravum affectum ; sed ita se habet attritio, sive dolor conceptus ex metu gehennæ : ergo est moraliter malus. Minor probatur ex D. Augustino relato in Jure, de pœnitentia dist. 1, dicente : « Si propterea non « furaris, quia times, ne videaris : furti ta- « men teneris, et si nihil tulisti : »quia videlicet non furari ex timore pœnæ claudit virtualiter pravum affectum furandi.

Apost. ad Rom. 8.

Confirmatur 2.

D. Augustin.

Ad motivum innitens D. Augustini testimoniis respondetur : satis constare de ejus sententia ex locis relatis num. 34, quibus contraria videntur, quæ modo opponuntur. Sed oppositionem non habent : nam in prioribus loquitur S. Doctor de timore inducente fugam peccati, considerato præcisive, et secundum se, quatenus requiritur ad vitandum peccatum : quo pacto nullum includit, vel absolutum, vel conditionatum peccandi affectum. In qua consideratione honestus est ; in Scriptura, et Patribus commendatus, ab Ecclesia probatus, et a nobis assertus. In posterioribus autem loquitur de timore pœnæ secum afferente intentionem, vel absolutam, vel conditionatam peccandi, si pœna non immineret, ut in non paucis contingit, qui dum non peccare videntur propter timorem, peccant tamen ob affectum. Ut hos igitur revocaret D. August. modumque bene timendi doceret, sedulo, ac subtiliter monuit introspiciendas esse intentionis latebras : ubi enim timor aliud non parit quam cessationem, aut non executionem operis peccaminosi ad evadendum pœnam, retento pravo affectu actuali ad ipsum, si pœna non esset ; ibi opus est non cessare peccatum, sed occultari. Et hanc esse ejus mentem liquet ex eisdem testimoniis in contrarium adductis : in quibus satis aperte reprobatur, carpiturque fuga mali ex timore pœnæ, quia implicat (non quidem necessario, sed in aliquibus) voluntatem saltem conditionatam peccandi, si fieri posset impune. Et ita declarat S. Doctor loco cit. ex epist. 144, dum subdit : « Quis coram Deo innocens invenitur, qui « vult, quod vetatur, si subtrahas, quod « timetur ? Ac per hoc in ipsa voluntate, « reus est, qui vult facere, quod non licet

Fit satis object.

D. Augustin.

« fieri : sed ideo non facit, quia impune « non est. » Hæc autem tam prava cum prædicto affectu conjunctio accidentaria est prorsus timori pœnæ, tam considerato secundum se ; quam, ut inducenti fugam peccati. Et ideo, quæ in relatis locis tradit D. Augustinus, non sibi in aliis, nec nobis in communi assertione contradicunt ; sed docent rectum modum timendi pœnam, et abnegandi internum affectum peccaminosum.

Confirmationis responsio. Ad primam confirmationem, admissa majori, neganda est minor : quia licitum est, et sanctum adhuc in lege gratiæ timere pœnam inferni, et iram judicis, qui curat, ut hæc per fidem cognoscamus, timeamus, atque hac etiam via peccata vitemus. Ad minoris probationem dicendum est : Apostolum eo loco non condemnare, aut prohibere spiritum servitutis in timendo pœnam, sed commendare spiritum amoris, et gratiæ. Quasi dicat, non accepistis præcise, ut olim Hebræi, spiritum timoris, sed habetis etiam spiritum adoptionis filiorum per Christum ; unde expedit vos ex amore potius, quam ex timore exequi pertinentia ad salutem. Unde D. August. quæst. 55, super Exod. ait : « Non arbitror alium, « quam eundem spiritum significari, ubi « docet Apost. Non accepistis spiritum ser« vitutis iterum in timore, sed accepistis « spiritum adoptionis, in quo clamamus, « Abba Pater : quia eodem spiritu Dei, id « est, digito Dei, quo lex in tabulis lapidi« bus conscripta est, timor incussus est « eis, qui gratiam nondum intelligebant, « ut de sua infirmitate, atque peccatis per « legem convincerentur, et lex fieret illis « pædagogus, a qua perducerentur ad gra« tiam, quæ est in fide Jesu Christi. » Ex quibus constat spiritum timoris esse etiam a Spiritu Sancto, et perducere ad gratiam per Christum : et consequenter Apostolum prædictum timorem non reprobare, sed ostendere perfectiorem amoris viam, quam lex Evangelica aperuit. Et D. Thom. elucidans locum cit. Apostol. lect. 3, inquit : « Est alius timor, qui refugit malum, quod « contrariatur naturæ, scilicet malum « pœnæ ; sed tamen refugit hoc pati a causa « spirituali, scilicet a Deo : et hic timor est « laudabilis, quantum ad hoc saltem, quod « timet. Deuteron 5 : Quis dat talem eos « habere mentem, ut timeant? Et secun« dum hoc a Spiritu Sancto est. » Et in 3, dist. 34, quæst. 2, art. 2, q. 1, in corp. ait : « Timor servilis essentiam suam habet ex « comparatione ad proprium objectum, quod « est pœna æterna, quam fides indicat. « Unde servilitas est accidens timoris, et « non intrat essentiam ejus. Et ideo essen« tia ejus bona est, quia refugere pœnas « æternas non est, nisi bonum. Unde ser« vilis timor secundum essentiam suam a « Spiritu Sancto est. » Quare confirmatio regerenda est in hæreticos, et expendi pro catholica assertione : quia nequit esse peccatum, quod est a Spiritu Sancto : timorem autem servilem secundum suam essentiam, et abstrahendo a servilitate, sive carentia gratiæ, cum qua potest conjungi, esse a Spiritu Sancto docent clarissima illa nostra fidei lumina Augustinus et Thomas, et suis rationibus plane evincunt.

D. Aug.

D. Thom.

Ad secundam confirmationem respondetur, sicut ad principale motivum ; D. Augustinum eo loco loqui de fure retinente actualem voluntatem furandi, quam executioni non mandat, quia ab aliis videtur, et comprehenderetur, et puniretur : quam dispositionem manifeste patet esse peccaminosam. Id vero minime tangit timorem pœnæ inferni inducentem odium peccati, et attritionem, de qua agimus : nam cum reguletur per fidem supernaturalem, et procedat ex motivo communi, opposito omni culpæ mortali, quæ reatum ad prædictam pœnam fundat ; excludit affectum ad omne peccatum actuale, qui etiam est peccatum, sive absolute, sive conditionate concipiatur : et ideo ob eandem rationem cavet ab omni peccato non solum externo exequente opus, sed etiam interno se explicante in affectum, et intentionem, saltem sub conditione illa, si pœna non immineret.

37. Arguitur secundo : nam qui detestatur peccatum propter pœnam, magis detestatur istam, quam illud ; sed ita se gerendo committ inordinationem peccaminosam : ergo detestari peccatum propter pœnam est peccatum : atque ideo turpis est illa attritio, quæ ex timore pœnæ inferni odio habet, et detestatur peccata. Utraque consequentia patet ex præmissis. Ex quibus major facile suadetur : nam quod est ratio detestandi aliud, magis terminat detestationem, et odium, quam illud, juxta vulgare

vulgare axioma: *Propter quod unumquodque tale, et illud magis :* ergo ubi culpam detestamur propter pœnam ; hanc magis, quam illam detestamur. Minor etiam constat : quia peccatum est malum majus, et abominabilius, quam pœna : ergo detestari magis pœnam, quam culpam, est perversa inordinatio.

Confirmatur primo : vitans culpam ex timore pœnæ, illam non vitaret, hac deficiente : quæ dispositio est perversa, atque explicans affectum saltem conditionatum ad culpam : ergo turpe est vitare culpam ob timorem pœnæ. Confirmatur secundo et explicatur amplius : nam quæ timore fiunt, sunt de se, et secundum se involuntaria : atque ideo, qui ex timore aliquid agit, conservat affectum illud non faciendi, si malum, quod timet non immineret : ergo, qui ob timorem inferni dolet de peccatis, statuitque illa non committere, conservat affectum illa patrandi, si ea pœna non urgeretur ; hæc autem dispositio, cum perversa sit, nequit non deturpare tam timorem, quam attritionem ex ea procedentem : ergo, etc. Antecedens, in quo solo poterat esse difficultas, probatur auctoritate simul, et discursu D. Thom. 1, 2, q. 6, art. 7, ad 2, ubi ait : « In eo, qui per me- « tum aliquid agit, manet repugnantia vo- « luntatis ad id, quod agitur, secundum « quod in se consideratur. Sed in eo, qui « agit aliquid per concupiscentiam, sicut « est incontinens, non manet prior volun- « tas, quæ repudiabat illud, quod concu- « piscitur, sed mutatur ad volendum id, « quod prius repudiabat. Et ideo quod per « metum agitur, quodammodo est invo- « luntarium: sed quod per concupiscentiam « agitur, nullo modo. Nam incontinens « concupiscentia agit contra id, quod prius « proponebat : non autem contra id, quod « nunc vult. Sed timidus agit contra id, « quod nunc secundum se vult. »Ergo qui ex timore atteritur de peccatis, illaque fugit, conservat affectum ad illa secundum se, et illa vult. Quod facile declaratur exemplo nautæ, qui metu tempestatis, et ut eam evadat, projicit merces in mare : cum enim hæc agit, habet actu affectum ad illas secundum se.

Ad argumentum respondetur ; distinguendo majorem, illamque admittendo in sensu permissivo : sed negatur, si intendat sensum necessarium, et universalem. Et deinde omissa minori, negamus utramque consequentiam. Etenim, ut ex hactenus dictis constat, dupliciter potest quis vitare, aut detestari culpam ob timorem pœnæ. Uno modo comparando velut signata inter eas, et magis appreciando pœnam, quam culpam, proindeque apud se statuendo saltem committere culpam, pœna non imminente. Et in hoc modo vitandi culpam intervenire peccatum palam concedimus : sed ille jam exclusus est num. 32. Altero modo, procedendo præcisive absque tali comparatione, ut cum consideramus, et timemus pœnam, et ultra detestamur culpam ad pœnam vitandam : sed tamen nec illas comparamus inter se, nec aliquid faciendum in pœnæ absentia statuimus. Quod ita fieri posse, et satis communiter ita contingere facile suadetur attendendo, quod absentia culpæ existente pœna, et præsentia culpæ, vel affectus ad illa non existente pœna, sunt objecta simpliciter distincta, et admodum disparata : quare voluntas potest terminari ad primum, quin secundum attingat, sed pure præcisive se habeat : sicut etiam intellectus potest eodem modo proponere. Qui ergo ita procedit, nec comparat illa extrema, nec unum alteri præfert, nec ex vi hujus peccare potest. Ad majoris autem probationem, quatenus huic doctrinæ posset opponi, dicendum est ; maximam illam solum verificari in ratione adæquata, et totali attingendi aliquem effectum ; secus in sola inadæquata, licet sufficienti, ut in præsenti contingit : nam detestans peccatum ad evadendam ejus pœnam, non respicit illam evasionem, ut motivum totale, et adæquatum fugiendi culpam, sed solum, ut tunc sibi sufficientem, præcisive se habendo ad alia, et longe majora motiva, quæ occurrere possunt fugiendi culpam, ut magis infra constabit. Unde sicut in cognoscente Deum esse Deum, sed non cognoscente Deum esse Trinum, non datur error, quia, ut vulgo dicitur, abstrahentium non est mendacium : sic in fugiente culpam ex timore pœnæ, et illam non fugiente ex alio motivo non est culpa, quia in tali præcisione non est malitia.

Ad primam confirmationem patet ex immediate dictis negandam esse majorem : nam vitans culpam, ut evadat pœnam, Ad 1 confirmat. respondetur

respicit quidem hoc motivum, ut hic et nunc sibi sufficiens ; sed minime excludit alia quæ possunt occurrere. Et ideo sinistre infertur, quod si non immineret pœna, peccaret, quod est prorsus incertum; sed solum inferri potest, et debet, quod cessante pœna, non vitaret culpam ex vi motivi, quod nunc adest, et tunc abesset. In quo nulla apparet inordinatio : quia nec in amando, nec in fugiendo obligamur adhibere omnia motiva honesta possibilia, sed sufficit vel unum adhibere, præscindendo ab aliis. Esto tamen, certum esset apud Deum, quod modo fugiens culpam ob timorem pœnæ, illam committeret, si pœnam imminentem non timeret: id minime contingeret ex vi alicujus pravi affectus, qui modo in timente sit, sed qui tunc foret, et nunc non est.

Ad secundam. Ad secundam confirmationem possemus in primis respondere admittendo antecedens, nempe in his quæ metu, aut ex timore fiunt, reperiri involuntarium, id est, affectum inefficacem illa non faciendi, si pœna non immineret. Inde tamen non colligitur tale involuntarium (etiam præsenti materiæ applicatum) esse peccaminosum : quia non refertur ad præceptum, vel prohibitionem, nec ad res præceptas, vel prohibitas (quod erat necessarium, ut peccaminosum evaderet), sed præcise refertur ad materiam præcepti, vel prohibitionis, secundum quod affert aliquam molestiam. Quo pacto, et cum præcisione respectus ad legem Dei, possunt licite respui, et admitti cum involuntarietate quadam, sive efficaci nolitione. Secundo, et absolute respondetur ; antecedens solum esse verum indefinite, non autem universaliter : plura enim ex metu fiunt, licet non sint involuntaria secundum se. Ad antecedentis vero probationem respondetur : eodem modo testimonium D. Thomæ intelligendum esse non universaliter, sed indefinite, ut explicuimus in cit. quæst. D. Thomæ art. 6, num. 5, et rursus hanc fere materiam versantes tract. 18, de Spe, disp. 4, dub. 3, num. 38. Nam aliqua fiunt ex metu, quæ sunt de se mala, aut contraria voluntati ; eliguntur tamen ad vitandum malum : sicut contingit in exemplo nautæ projicientis suas divitias in mare, quod malum ejus est, et voluntati de se contrarium : sed nihilominus amplectitur illud malum, ut majus aliud mortis evadat. Quæ itaque hoc modo fiunt, sunt involuntaria secundum se, et habent adjunctam nolitionem. saltem conditionatam, et inefficacem, quamvis communiter non distinguatur ab amore boni oppositi. Fiunt autem alia ex metu, quæ non sunt mala secundum se, nec voluntati semper adversa, sed potius bona, et valde eligibilia ; et tamen aliquando ex metu fiunt ad vitandum hic, et nunc malum quod timetur : ut cum quis solvit debitum ad vitandum pœnam, quam judex comminatur, si non solvat. Et ista, cum ex metu fiunt, non sunt involuntaria secundum se, nec terminant necessario nolitionem præsentem inefficacem : quippe, quæ secundum se possunt amari, fierique ex alio motivo : sicut debitor posset solvere debitum ob amorem justitiæ, atque independenter a pœna, et ejus metu : unde cum ex timore pœnæ solvit, non est necessarium, quod habeat nolitionem inefficacem, sive affectum conditionatum non solvendi, si pœna cessaret. Hoc igitur modo potest quis servare præcepta, vitare culpas, statuere vitæ emendationem ex timore pœnæ inferni : quin propterea habeat nolitionem inefficacem istorum, vel affectum conditionatum illa non exequendi, si pœna illa non immineret : quia prædicta non sunt secundum se mala, aut voluntati repugnantia, sed magis bona, et secundum rectam rationem eligibilia. Quare possunt eligi independenter ab illo timore, et de facto eliguntur a multis ex alio motivo, utputa ob suam propriam honestatem, aut ex charitatis amore.

Alia via solvitur

38. Sed instabis (et sit tertium argumentum) nam licet hactenus a nobis dicta salvarent honestatem timoris, et attritionis ex illo ortæ in homine justo ; minime tamen eam salvare possunt in peccatore : et tamen id opus erat, ut attritio, quæ justificationem peccatoris præcedit, esset pars sacramenti, et ad illius effectum disponeret, ut affirmamus. Assumptum vero ostenditur in hunc modum : timor alicujus mali, ut oppositi bono proprio amato super omnia est peccaminosus, cum procedat ex amore sui, ut ultimi finis, qui amor nequit non perversus esse ; sed timor pœnæ elicitus a peccatore est timor mali, ut oppositi bono proprio amato super omnia : ergo talis timor est peccaminosus. Cetera constant, et minor

minor probatur : nam in primis, qui timet pœnam, illam refugit, ut oppositam bono proprio ; deinde peccator amat bonum proprium, tanquam ultimum finem, in eoque sistit, cum sit aversus a Deo fine ultimo per peccatum : ergo timor pœnæ elicitus a peccatore est timor mali ut oppositi bono proprio amato super omnia.

Respondetur negando assumptum ; et ad ejus probationem dicendum est excessivam esse, et probare, si quid valet, plusquam oportet apud ipsos hæreticos. Probat enim cum eadam arguendi forma, actum spei theologicæ a peccatore elicitum esse peccaminosum ; quia sistit in bono proprio cum aversione a Deo ultimo fine : nec enim peccator in sensu composito, quod talis sit, potest aliter procedere in suis operationibus. Consequens autem est falsum etiam apud ipsos Lutheranos, qui spem a fide non distinguunt, ut observavimus tract. 18, de Spe, disput. 2, n. 10, et fidem, ejusque exercitium multis elogiis commendant. Oportet ergo, ut recognoscant debilitatem motivi. Ad quod respondetur bonum uniuscujusque proprium dupliciter posse amari super omnia, sive per modum ultimi finis: uno modo actualiter, et sic talis amor est novum pecatum actuale : alio modo habitualiter, et sic non importat actuale peccatum, sed præcise statum peccati habitualis. Ut ergo aliquis actus sit amor sui super omnia, et per modum ultimi finis, non sufficit, quod procedat ex amore, qui solum habitualiter respiciat bonum proprium ut ultimum finem, alias actus etiam fidei, quo peccator credit Deo, esset amor sui ut ultimi finis et consequenter peccaminosus : sed debet procedere, vel ex amore actuali, et expresso sui, ut ultimi finis, quod rarissime continget ; vel debet excludere contrarie ordinem ad Deum ultimum finem, ut semper accidit in mortalibus peccatis, hoc est, in omnibus, quæ alias, et independenter ab hac ordinatione, et ejus carentia sunt peccata gravia. Nam quod actus de se bonus, referibilisque in Deum sistat negative in bono proprio, quia reperit subjectum alias, et ex aliis capitibus habitualiter privatum ordine ad Deum finem ultimum ; minime evincit talem actum esse, vel de se turpem, vel ob defectum illius ordinis peccaminosum. Alias actus fidei, spei, justitiæ, misericordiæ, et omnes alii a peccatore eliciti essent actualia peccata : quod est intolerabile absurdum. Quam doctrinam fuse, et ex professo tradidimus in tract. 8, de ultim. fine, disp. 4, dub. 3, agentes de ultimo fine peccatoris, et tract. 14, de Gratia, disp. 2, dub. 2, ubi statuimus, peccatorem posse absque speciali gratia efficere aliqua opera moraliter bona. (Quod in causa est, ut graves difficultates non semel occurrentes pressius in præsenti versamus, quam ipsæ exposcunt : quia supponimus alibi a nobis discussas, et lectorem ad propria loca remittimus, ne tradita repetamus.) Juxta quam doctrinam, ut timor pœnæ a peccatore elicitus sit peccaminosus, non sufficit procedere ex amore boni proprii dilecti præcise habitualiter super omnia, aut per modum ultimi finis : sed requiritur ortus ab amore boni proprii, qui actualiter formaliter, aut virtualiter excludat de se respectum ad Deum finem ultimum, illumque fundet ad bonum proprium. Quod minime salvatur in timore, de quo agimus, quippe, qui non provenit ex amore proprio turpi, de seque excludente ordinem ad Deum ultimum finem ; sed ex amore proprio de se honesto, pertinente ad spem, et ordinabili in Deum finem ultimum, et qui actu, sic ordinaretur, si per accidens non supponeret in subjecto habitualem privationem charitatis, cujus est aliis actibus eum ordinem impertiri. Ex quibus patet nullam esse probationem assumpti, diluique distinguendo præmissas in sensu tradito de ordine actuali, et habituali, ad finem ultimum, et negando absolute consequentiam. Alia possent argumenta pro hæreticis formari ; sed § seq. commodius proponentur.

§ VI.

Aliquorum Catholicorum sententia contra eandem assertionem.

39. Expeditis jam nobis ab hæreticorum impugnatione novum recrudescit, et instat bellum cum quibusdam catholicis non infimæ auctoritatis. Sunt enim, qui fatentur, ut debent, attritionem ortam ex metu pœnarum inferni esse actum bonum : sed negant, quod sufficiat ad digne suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, et consequendum ejus effectum ; unde exposcunt ulterius

amorem justitiæ, quamvis in eo declarando plurimum habeant dissidii, ut ex dicendis constabit. Ita Estius, Sylvius, Jansenius, quos refert Gonet in præs. disp. 7, art. 2, in principio, Episcopus Castoriensis in lib. de Amore pœnitenti, Episcopus Cæsenas in instructione pastorali de sacram. pœnitentiæ a pag. 33, usque ad 42, Germanus Philalethes in speciali opuscul. de hac materia, adjuncto Thomistarum triumpho contra scientiam mediam. Natalis ab Alexandro in Theologia dogmatica morali, tom. 1, lib. 2, de pœnit., art. 3. Vincentius Contenson in Theologica mentis, dissert. unica de pœnit., cap. 2. Nicolaus Zarardus tom. 6, de sacrament. q. 1, de pœnit. art. 4, § 2. Merbesius in Summa Christian. tom. 2, dissert. 4. Gaspar Juenin in Commentario historiæ dogmaticæ de sacramentis tom. 2, cap. 4, art. 2, et alii. In sui autem patrocinium multa congerunt a ratione, sed tam plurima ab auctoritate præsertim D. Augustini, ut in id studium posuisse videantur, quod lectorem mole obruant testimoniorum, cum non possint efficacia, et certe non possunt : nam eorum multa afferuntur præter, et extra sensum proprium præsentis difficultatis : alia loquuntur de timore mundano : alia de timore quidem gehennæ, sed inefficaci : alia de justificatione extra sacramentum : alia sunt ambigua confundentes justificationem vialem, et dispositivam cum justificatione completa, et consummata : alia denique important alios defectus satis obvios. Ad quæ si attendat prudens Lector, opprimi non timebit testimoniorum simul occurrentium pondere, nec id curabit : sed singula singillatim introspiciendo facillimo negotio dissolvet, excutietque opponendo aliquem ex defectibus insinuatis.

Estius, Sylvius. Jans, Episcop. Castoriens. Episc Cæsen. Philalethes Natalis ab Alexandr. Vincentius, Contens. Zarardus Merbesius, Jueniu.

Aliquæ suppositiones.

Sed antequam ad id deveniamus, oportet unam, aut alteram brevem suppositionem stabilire, in qua Adversarii nobiscum conveniant, ne pugnemus, et curramus in incertum. Prima sit ; attritionem, de qua agimus, non solum esse bonam, ut illi concedunt, sed etiam esse supernaturalem, Dei donum, et Spiritus Sancti impulsum : quod etiam concedere tenentur ne manifeste contradicant doctrinæ Concilii Trident. sæpius relatæ ex sess. 14, cap. 4. Unde omnia argumenta, vel testimonia, quæ concludant attritionem (idem intellige de timore, ex quo oritur,) vel non ess bonam, vel non esse supernaturalem, donum Dei, ut spuria, et non attingenti præsentem materiam, rejicienda sun Secunda (et ad priorem revocatur) rele ganda etiam fore illa testimonia, et argu menta, quæ probare generaliter tentave rint hominem peccare in omnibus actibu quos non refert in Deum supernaturalem et ultimum finem ex charitate dilectum atque ideo peccatorem, qui in sensu con posito sui status nequit proprias oper tiones in prædictum finem referre, pe care in omnibus. Nam doctrinam ade falsam reprobat Ecclesia in Bulla Pii condemnantis plures propositiones Mi chaelis Baji, quarum 35 erat : « Omn « quod agit peccator, aut servus peccat « peccatum est. » Et 38 : « Omnis amo « creaturæ rationalis est vitiosa cupidita « quæ a Joanne prohibetur, vel laudabil « charitas, qua per Spiritum Sanctum i « cordibus diffusa Deus amatur. » Et prit reprobata fuerat a Concilio Constantien inter alios mores Joannis Hus, sess. 15, Concil. Trident. sess. 6, can. 7, illis ver bis : « Si quis dixerit opera omnia, qu « ante justificationem fiunt, quacumque ra « tione facta sint vere esse peccata, etc. An « thema sit. » Unde nullus Catholicorum (sunt certe, quos modo adversarios hab mus,) id affirmavit. Tertia : præsente difficultatem principaliter versari circ necessitatem amoris Dei, sicut ultimi fin dilecti propter se super omnia. Tum qui adversariorum intentio in hunc collima quamvis non semper eam diserte expli cent, utentes non improprie vocabul amoris justitiæ propter se. Tum quia n non negamus alios amores inferiores, v concomitantes attritionem, vel in ea imbi bitos, ut sunt amor sui honestus, amo spei, amor etiam ipsius justitiæ : idqu convincitur ex intentione, qua omnes po nitentes ad pœnitentiæ sacramentum com muniter accedunt : si enim ab eis inqu ramus ad quid venient ? cuncti respond bunt, ut justificemur, ut consequamur am citiam Dei, ut per ejus misericordia eruamur ab æterna damnatione. Trah igitur eos aliquis bonus amor conjunctu aut innexus attritioni ; licet hæc ex me inferni primitus oriretur. Adversarii au tem alium perfectiorem exposcunt, q

elevetu

elevetur supra omne bonum proprium : qua de causa non contenti attritione sola exiguunt contritionem, et pro ea pugnant. Et de hoc est inter nos controversia, nec illa principaliter respicit ad sufficientiam attritionis in ratione partis sacramenti ; sed magis ad ejus sufficientiam in ratione dispositionis ultimæ cum sacramento ad istius effectum, justificationem videlicet peccatoris. His convenienter prælibatis, in quibus convenire oportet.

40. Arguitur primo pro relata sententia : quia nullius sacramenti susceptio sine amore charitatis potest homini prodesse : ergo nec sacramentum pœnitentiæ ; atque ideo, ut istud fructuosum sit, non sufficit sola attritio ex timore gehennæ. sed necessarius est charitatis amor, aut contritio ex eo procedens. Utraque consequentia legitime infertur ex antecedenti. Illud autem suadetur primo :quia homo tenetur omnes suas actiones referre in Deum ultimum finem, quod pertinet ad amorem charitatis, juxta illud Apost. 1, ad Corint. 10 : *Sive manducatis, sive bibitis sive aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite.* Unde D. August. lib. 2, de Civit. cap. 13, ait : « Quidquid in usu temporabiliter facimus, æternorum adipiscendorum amore faciamus : per ista transeuntes, illis inhærentes. » Ergo usus, aut susceptio sacramentorum absque amore charitatis non prodest. Secundo, quia homo debet Deum continuo diligere, ut constat ex illo Deuteronomio 6 : *Diliges Dominum tuum ex toto corde tuo.* Ubi, ut inquit D. Augustin. lib. 1, de Doctrina Christiana cap. 22: « Nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ vacare debeat, et quasi locum dare, ut alia velit frui : » ergo dum homo Deum non amat, peccat, et inutilem sibi facit sacramenti susceptionem. Tertio, quia homo conditus, et reparatus fuit a Deo, ut ipsum diligeret : ergo dum istud non exequitur, deficit a proprio fine, et peccat. Unde D. Augustin. lib. 3, de doctrina Christ. cap. 10, ait : « Miser omnium est, qui charitatem non habet. Ad charitatem redire debet, qui ab amandi officio defecit. » Et in tract. 7, in Joan. *Deus non præcipit, nisi charitatem, nec culpat, nisi cupiditatem.* Quæ procedere etiam, et verificari debent in susceptione sacramentorum ; cum nullum in ea rationabile occurrat exceptionis, vel dispensationis motivum. Quarto, quia S. Paulus 1, ad Corinth. 13, recenset opera ex genere suo excellentissima : et tamen diserte affirmat ea sine charitate nihil prodesse. *Si linguis,* inquit, *hominum loquar, et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, et noverim mysteria omnia, et omnem scientiam, et si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero nihil sum. Et, si distribuero in pauperes omnes facultates meas : et si tradidero corpus meum, ita, ut ardeam ; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Si ergo opera tam sublimia sine charitate non prosunt, nec valent ad æternam salutem ; minus prodesse potest sola attritio sine amore charitatis, licet sacramento adjuncta. Plures alias probationes ejusdem antecedentis omittimus, quibus idem argumentum continuari posset, nam sunt ejusdem rationis. Paul. 1 ad Corinth. 13.

Redarguitur.

Sed antequam illi occurramus, regeramus ipsum in opponentes, inquirendo (ut quid eo intendant, sciamus) quid significent nomine charitatis, vel amoris charitatis ? Si dicant se non intendere, quod ultra attritionem requiratur ad sacramenti fructum ille charitatis amor perfectus, qui attingit Deum ultimum supernaturalem finem, præferendo ipsum efficaciter omnibus ; sed alium amorem minus perfectum : plane convincuntur inconsequenter procedere, et nihil isto argumento probare : quia omnia testimonia tam Scripturæ, quam D. Augustini, quibus ad suadendum antecedens utuntur, agunt de charitate, ejusque amore perfectis, sive respicientibus Deum ultimum finem super omnia dilectum, et applicari non debent, nec valent alteri imperfectioni affectioni, ut ea perpendenti constabit. Si autem dicant se intendere perfectum charitatis amorem immediate descriptum ; vehementiori impugnatione urgendi sunt. Tum quia talis actus est incompossibilis cum peccato mortali : et sic antecedenter ad receptionem sacramenti pœnitentiæ fiet semper, et indispensabiliter peccatoris justificatio ; nunquamque istud sacramentum communicabit primam gratiam, ac subinde nec erit sacramentum mortuorum. Et in quodcumque latus Adversarii se ver-

tant, nequeunt ab istis, aliisque absurdis expediri, quæ fusius expensa reliquimus § 2. Tum etiam, quia, si ita res se habet. idque probationes, quibus illi utuntur, evincunt, teneri, scilicet, hominem ad amorem perfectum charitatis in cunctis, quæ agit : plane sequitur ipsum peccare in omnibus, in quibus sine tali amore procedit : et consequenter peccatorem, qui eum amorem non habet peccare in omnibus operibus suis. Hoc autem consequens reprobatum est ab Ecclesia, et inter Catholicos nequit admitti, ut præmisimus num. præced. Istorum ergo argumentum, cum quibus agimus, vel nihil probat, vel ultra debitum probat.

Respondetur ad argument. Ad quod respondetur negando antecedens. Et ad primam ejus probationem patet ex dictis Tract. 14, de Gratia, disp. 2, num. 72, et Tract. 16, de Merito disp. 4, dub. 5, et 6, illo præcepto, aut verbis Apostoli solum obligari hominem ad referendum omnes suos actus in Deum relatione in causa, quatenus initio usus rationis tenetur deliberare de seipso in ordine ad ultimum finem, et elicere actum charitatis, quo se, et omnia sua refert in Deum ultimum finem. Qui actus, dum non retractatur, influit virtualiter in omnibus actibus honestis per totam vitam exercendis. Sed tale præceptum non afficit, nec importat immediate ipsos actus, nec relationem, aut ordinem charitatis, illos informantem. Unde quod aliquando careant tali respectu, non est carentia circumstantiæ debitæ, nec circumstantia prava ipsos deturpans : sed præcise supponit omissionem talis conversionis tempore debito, aut actum peccaminosum, qui illam postea retractaverit, fusius locis relatis explicuimus. Nec aliud docet D. Augustinus Apostolo adjunctus, quam prædictum ordinem, saltem virtualem, vel in causa nostrarum operationum ad Deum finem ultimum. Ad secundum dicimus ; probare, si quid valet, peccare hominem in cunctis actibus, in quibus Deum ex charitate non diligit : quæ est propositio Michaelis Baji condemnata ab Ecclesia, ut num. antecedenti vidimus. Diluitur autem ea probatio, sicut et prima, nempe non obligari hominem semper in se, aut in singulis actibus ; sed solum in causa, et prima deliberatione erga finem ultimum. Quod alii, aliter explicant, dicendo, præceptum diligendi Deum es per se primo affirmativum, et per se se cundo negativum, et quatenus affirmat vum obligare aliquando, sed non in on nibus actibus : non enim singulis momer tis, et in singulis actibus obligamur a formalem Dei amorem ; alias ab exerc tiis aliis semper impediremur, et ni Deum amando semper peccaremus. Quat nus vero negativum, obligat semper, id es ad non agendum aliquid contra illu amorem, et charitatis finem. Eodem fe modo dissolvitur tertia ; nam licet creat et reparati fuerimus ad diligendum Deun non obligamur tamen positive ad cont nuum, et formalem ejus amorem : qu pro salvando prædicto fine, sufficit respe tus virtualis, et in causa, et quod ipsu aliquando diligamus, et nunquam oper mur contra illum. Nec amplius pren D. Augustinus, quamvis exhortetur illi et aliis elogiis ad frequentius amoris D exercitium, quantum humana fragilit fert. Non magis evincit quarta probatio nam Apostolus ibi agit non tam de amor quam de ipso habitu charitatis : ope enim, quæ recenset, sunt a charitate imp rative, et ex parte ultimi finis ex vi prin actus, seu conversionis, sed sunt ab ali virtutibus elicitive : est enim charitas p tiens, media virtute pœnitentiæ, sustinen media virtute fortitudinis, et sic de alii Meritoque affirmat Apostolus alia oper licet egregia sine charitate non proficer quia non consequuntur finem ultimur sine illa, et sine gratia sanctificante, c illa necessario conjungitur. Hacque de ca sa, nec attritio cum sacramento sine ch ritate prodesset. Sed prodest de facto : qu cum sacramento disponit ultimo ad just ficationem ex merito, et ordinatione Chri ti ; et cum sacramento, et tanquam vei ejus pars gratiam sanctificantem, et hab tum charitatis producit : in quo valde em net supra multos diversarum virtutum a tus, alias satis egregios, sed qui ea efficac tate carent ; cum Christus illos non dest naverit ad rationem, vel partis huj sacramenti, vel dispositionis ultimæ a ejus effectum ; sicut ordinavit attritionen licet minus ex se perfectam.

41. Arguitur secundo : nam cum pecca tum mortale sit mors animæ, nullus intr vel extra sacramentum justificari val absq

)sque transitu illius mortis ad vitam spi-tualem ; sed nullus absque charitate ansfertur de morte ad vitam : ergo homo equit in sacramento pœnitentiæ justificari bsque charitate : atque ideo sola attritio metu inferni cum sacramento non suf-cit ad peccatoris justificationem. Utraque nsequentia patet ex præmissis. Majorem, uæ communiter recipitur, docet specialiter D. August. in Psal. 118, can. 10 : *Terenis adhærere mors animæ est.* Tract. 19, Joan. *Sicut anima est vita corporis, ita ita animæ est Deus.* Et alibi frequenter. inor autem probatur : nam 1 Joan. 3, citur : *Qui non diligit, manet in morte* Et rsus : *Omnis qui non est justus, non est ex eo, et qui non diligit fratrem suum.* Ergo ansitus in spiritualibus de morte ad vim fieri nequit, sine charitate. Et sic perte docet V. Beda ad locum immediate relatum dicens : « Baptismatis, et fidei mysterium illis solummodo prodest, illos de morte trahit ad vitam, qui sincera mente diligunt fratres. »

Confirmatur : quia solis in Deum conversis confert ipse remissionem peccatorum ; sed non potest dari conversio, sine aritate : ergo nec remissio peccatorum. Major constat ex Scriptura : nam Isai. 6, dicitur : *Si conversus fueris, et ingemueris, salvus ris.* Et Zachar. 1 : *Convertimini ad me, et o convertar ad vos.* Minor etiam suadetur : quia conversio pro peccatorum remissione requisita non est solius operis xterni, sed cordis, juxta illud Joel. 2 : *onvertimini ad me in toto corde vestro... cindite corda vestra, et non vestimenta vestra.* Conversio autem cordis fieri nequit bsque immutatione cordis se transferentis e amore proprio ad amorem Dei ex charitate. Unde D. Bernard. serm. 2, in cel. junii ait : « Quatuor sunt cordis nostri affectus, amor, et timor, gaudium, et tristitia, et hi sunt convertendi. »

Respondetur hoc argumentum, et confirationem parallogizare non distinguendo ter id, quod vel ad valorem, vel ad fructum sacramenti requiritur per modum artis, vel dispositionis ; et illud quod exudit peccata, justificatque per modum formæ. Istud ultimum confitemur, et supponimus præstari per gratiam sanctificantem hærentem, ut statuimus suo loco, nempe ract. 15, de Justificat. disp. 2, dub. 1, cui gratiæ indivulse adest charitas, sive sit idem realiter cum gratia, ut quidam censent, sive distinguatur realiter ab illa, ut cum communi sententia docuimus Tract. 14, de gratia, disp. 4, dub. 5, in quo sensu pervium est non remitti peccata, nec peccatorem justificari absque gratia, et charitate : sicut manifestum est non dari illos formales effectus absque forma, quæ illos communicet. Sed cum gratia in sacramento pœnitentiæ producta supponat aliquem pœnitentis actum, nempe dolorem, qui, ut pars sacramenti illam efficiat ; et per modum dispositionis ad ipsam præparet : de hoc doloris actu est controversia, an debeat esse amor charitatis, sive contritio illi innitens, an vero sufficiat sola attritio ex timore gehennæ orta? Negant hoc ultimum Adversarii, quia ad justificationem, ad conversionem, ad vitæ spiritualis reparationem necessaria est charitas, ut non negamus in sensu immediate præmisso. Aliud tamen est charitas, aliud amor charitatis. Et cum hujus necessitatem deberent probare ; divertunt ad habitum, de quo non disputamus, in idque expendunt Scripturæ, et Patrum sententias, quas reveremur ; sed nihil plane concludunt, cum de re non sint, quam versamus.

42. Unde ad argumentum potest responderi admittendo præmissas, et primum consequens, atque distinguendo secundum, illudque concedendo intellectum de insufficientia attritionis per modum formæ : sed negari debet, si intelligatur de insufficientia ejus ad conceptum partis sacramenti, et ad rationem dispositionis ultimæ intra sacramentum pro ejus effectu : oppositum enim satis constat ex hactenus dictis. Nec amplius evincunt testimonia, quæ expenduntur in suadendo præmissas. Pro quorum legitimo sensu observandum est duas distingui in naturalibus vitas : unam totius suppositi, aliam potentiarum ejus : unam in actu primo per formam, aliam in actu secundo per operationes : illam substantialem, et simpliciter talem, hanc accidentalem, et secundum quid. Et cum analogia ad naturalia duplex etiam vita in supernaturalibus distinguenda est juxta argumenti intentionem : nam alia est vita primaria, et quasi substantialis, et in actu primo, quam gratia sanctificans tribuens primum esse supernaturale communicat :

Ad arg. respondetur.

Observatio.

alia vero est secundaria, et per operationem ; et quia hæc principaliter consistit in amore charitatis, illi propterea specialiter vita in actu secundo tribuitur. Unde juxta prædictam analogiam sicut mors corporis non consistit in cessatione ab operatione, sed in separatione, aut privatione animæ informantis : ita in spiritualibus mors animæ non consistit in carentia alicujus operationis, sed in exclusione, aut privatione gratiæ sanctificantis. Et consequenter sicut ad hoc, ut corpus mortuum redeat ad vitam, debet animam induere : ita ut anima transeat ad vitam, debet gratia sanctificante informari. Hæc autem significari solet voce charitatis, non quidem actualis, quæ cum actibus transit, sed habitualis, quæ vel est ipsa gratia, vel illam inseparabiliter comitatur. Qua acceptione utitur frequentissime D. Aug. sicut lib. de natura, et gratia, cap. 42, ubi ait : « Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. » Et cap. ult. « Charitas inchoata, inchoata justitia est : charitas perfecta, perfecta justitia est : charitas magna, justitia magna est. Ipsa est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. » Ex quibus satis patet ad omnia testimonia. Sed addendum est V. Bedam solum intendere, quod in susceptione Baptismi impeditur ejus fructus, ubi adest odium in fratres, sicut et aliud quodlibet peccatum grave, minime vero quod ad ejus fructum, minusque ad valorem prærequiratur dilectio proximi ex charitate : quia est sacramentum mortuorum ordinatum ad regenerandum ipsos in vitam spiritualem ; atque ideo in eis non supponit per se vitam gratiæ medio amore charitatis inductæ.

D. Aug.

Idem.

Confirmatio eodem fere modo diluitur : nam conversio perfecta. et in termino fit formaliter per gratiam sanctificantem, quæ vel est charitas habitualis, vel ab ea non separatur. Quod potest magis explicari distinguendo duas peccatoris conversiones : unam consummatam, et formalem ; aliam vialem, et dispositivam. Prima importat internam peccatoris renovationem per voluntariam gratiæ, et donorum supernaturalium susceptionem, ut describit Concil. Trident. sess. 6, cap. 7. Secunda consistit in actibus, quibus homo extra, vel intra sacramentum præparatur ad suscipiendum gratiam. Conversio igitur in priori sensu est ipsa intransitive gratia, et peccatorum remissio : sive enim hæc dicatur, sive non dicatur distinctum beneficium a gratia hujus tamen infusio semper secum affert remissionem peccatorum, si in subjecto supponuntur. In posteriori autem sensu distinguitur a peccatorum remissione per gratiam sanctificantem ; et consistit in actibus ad eam disponentibus, ex parte quorum non se tenet charitas habitualis, vel actualis : alias per eam supponerentur peccata remissa, quippe quæ est illis incompatibilis. Unde patet, quod pro remissione peccatorum non petit Deus a nobis conversionem consummatam, et in termino per gratiam ; sed vialem, et dispositivam per actus. Et pro hac sufficit attritio cum sacramento, et non requiritur indispensabiliter charitatis amor, qui tempore, vel natura illam remissionem præcedat : quamvis nec repugnet, quod adsit in instanti justificationis cum gratia. Sed nec tunc concurret ut pars sacramenti efficienter influentis : cum non se teneat ex parte ejus sed magis ex parte affectus, sicut et ipsa gratia, a qua dependet, vel essentialiter ut diximus num. 13, et aliis locis ibi relatis, vel saltem connaturaliter, ut ejus dignitas. et vis meritoria exposcit.

Confirmationis satisfactio,

43. Arguitur tertio : nam dolor, qui cum sacramento pœnitentiæ disponit ad gratiam debet esse supernaturalis : sed talis non est attritio concepta ex timore inferni : ergo hujusmodi attritio nec cum sacramento potest ad gratiam disponere. Probatur minor : tum quia licet pœna inferni propo natur per fidem ; tamen est objectum natu rale ; cum aliud non sit, quam natural constitutionis corporis alteratio, quam con titutionem, sive integritatem, sicut quil bet homo naturaliter amat, sic etiam pote naturaliter odisse, et refugere alteratione contrariam : ergo attritio hanc pœna respiciens est naturalis. Tum etiam, qu omne donum supernaturale datur nobis gratia Christi : hæc autem consistit in in piratione cœlestis delectationis, qua du cedine perfusus amor operatur bonum no formidine pœnæ, sed amore justitiæ : er cum attritio ex metu gehennæ non sit hu jusmodi convincitur non esse actum su pernaturalem. Tum denique quia null affectus supernaturalis potest esse peccam nosus, alioquin peccatum esset a Deo speci

auctor

uctore : sed attritio ex metu inferni solet se peccaminosa, cum ultimo sistit in more proprio, quemadmodum in peccare contingit, qui bonum proprium rescit, ut ultimum finem : ergo talis attritio equit esse supernaturalis.

Respondetur negando minorem, cujus ppositum satis constat ex dictis n. 7 et 19, locis ibi relatis; ex quibus habemus, uod licet sit possibilis aliqua attritio naralis, possibilis tamen etiam est aliqua pernaturalis, et talis debet esse, quæmque conducit ad salutem. Nam ut statuit Concil. Arausican. 2, can. 6 : « Hæretico fallitur spiritu, qui dicit per naturæ vigorem, bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere nos posse absque illuminatione, et inspiratione Spiritus Sancti. » Porro aliquam attritionem conceptam ex metu gehennæ conducere ad salutem certa fide tenendum est, ut satis onstat ex dictis § anteced. contra Lutheranos. Modo sufficiat reproducere verba æpius allegata ex Concil. Trid. sess. 14, ap. 4 : « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, et pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat non solum non facere hominem hypocritam, et magis peccatorem, verum etiam donum esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc inhabitantis, sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. » Cui doctrinæ respondet n. 5 ejusdem sess. anathematizans oppositum asserentes. Ad primam autem mioris probationem respondetur, quod licet oluntas possit naturaliter refugere pœnas nferni fide creditas ; nihilominus potest iam illas timere timore supernaturali : ræsertim cum illarum præcipuæ non sint aturales, aut in sola alteratione naturalis nstitutionis consistant, sed totum natulem ordinem excedant, uti est alligatio irituum, et æterna corporum combustio ne consumptione, et alia plurima nosum captum excedentia. Cur ergo circa æc non erit supernaturalis timor, et attriio ejusdem rationis : et quare dicetur eum non posse immittere hunc supernaraliter timorem, qui posset ipsum vel erga naturalia inferre ? Ad secundam respondetur gratiam Christi non consistere in sola victrice delectatione, ut falso opponit arguens ; sed amplecti etiam timorem pœnæ, et omnem motum conducentem ad salutem. Unde D. Aug. lib. de Catechizand. rud. cap. 5, ait : « Rarissimo accidit, imo « vero nunquam, ut quisquam veniat vo- « lens fieri Christianus, qui non sit aliquo « Dei timore perculsus. » Recolantur, quæ ex Scriptura, et Patribus expendimus n. 33 et 34, pro prædicto timore. Ad tertiam negamus minorem ; et illi inserta probatio, si quid suaderet, evinceret actus fidei, et spei, et omnes elicitos a peccatore esse peccata : quod dicere hæreticum est. D. Aug.

44. Arguitur quarto : quia solus ille actus potest esse ultima cum sacramento pœnitentiæ dispositio ad suscipiendum ejus effectum, qui excludit voluntatem peccandi ; sed sola attritio concepta ex timore gehennæ non excludit voluntatem peccandi : ergo talis attritio, sacramento etiam juncta, nequit esse ultima dispositio ad effectum sacramenti. Cetera constant : et minor suadetur : tum ex D. Aug. qui frequenter docet timorem pœnæ cohibere hominem, ne faciat malum, sed non voluntatem male faciendi, si absque pœna posset. Unde tract. 9, in Joan. peccatorem timentem, et propter timorem abstinentem a peccato, comparat adulteræ habenti intentionem adulterandi, a quo abstinet, ne occidatur a marito. Et serm. 19, de verbis Apost. cap. 9, comparat lupo venienti, ut oves rapiat, sed recedenti absque præda ob metum pastorum, et canum : raperet enim (et hunc appetitum conservat) si posset. Tum etiam, quia juxta communem Philosophorum doctrinam ; quæ ex timore fiunt involuntaria saltem secundum quid, et quasi conditionate : explicanturque hoc affectu : Nollem hoc facere, si istud malum, si istud periculum non urgeret : et oppositum facerem, si periculum tolleretur : ergo actus ex timore procedens, ut est attritio, nequit excludere voluntatem peccandi. Et totus discursus desumitur ex eodem D. August. lib. 3, ad Bonifac. cap. 3, ubi ait : « Sic autem « præcepta, qui facit, proculdubio invitus fa- « cit, procul dubio invitus facit, ac per hoc « in animo non facit ; vellet enim omnino « non facere, si secundum ea, quæ cupit, « et metuit, permitteretur impune. Ac per 4 Argument. D. Aug.

« hoc in ipsa voluntate intus est reus, ubi « ipse, qui præcipit, inspicit Deus. »

Confirmatur. Confirmatur primo, quia timor servilis non excludit voluntatem peccandi ; sed attritio est timor servilis : ergo attritio non excludit voluntatem peccandi. Minor, et D. Aug. consequentia patent. Major autem est D. August. conc. 25, in Ps. 118, ubi ait : « Timor iste, quo non amatur justitia, sed « timetur pœna, servilis est, quia carnalis « est : et ideo non crucifigit carnem. Vivit « enim peccandi voluntas, quæ tunc appa- « ret in opere, quando speratur impunitas. « Cum vero pœna creditur secutura, laten- « ter vivit, vivit tamen : mallet enim li- « cere, et dolet non licere, quod lex vetat : « quia non spiritualiter delectatur ejus « bono, sed carnaliter metuit malum, quod « minatur. » Et hujus generis sententiæ occurrunt frequentissime in S. Doctore, et sine termino congeruntur ab opponentibus.

Confirmatur 2. Confirmatur secundo : quoniam ubi non extinguitur desiderium peccandi, ibi adest actualis peccandi voluntas ; sed ad extinguendum desiderium peccandi requiritur bona voluntas per charitatem directa, et non sufficit mali timor : ergo ubi non occurrit, nisi attritio, quæ ex illo timore concipitur, adhuc perseverat actualis voluntas peccandi. Minor, in quo poterat esse difficultas, probatur ex D. August. lib. 2, con- D. Aug. tra advers. legis, et Prophet. cap. 7, ubi ait : « Prohibitio peccati, quod est lex, « auget profecto desiderium peccandi : quod « non extinguitur, nisi contrario desiderio « recte faciendi, ubi fides per dilectionem « operatur. »

Confirmatur 3. Confirmatur tertio : quia excludere actualem voluntatem peccandi, est hominem retrahere a peccato ; sed sola charitas retrahit hominem a peccato ; non autem timor pœnæ : ergo hic timor non excludit voluntatem peccandi, atque ideo nec attritio ex tali timore procedens. Cetera cons- D. Bernar. tant. Et minor probatur ex D. Bernard. epist. 11, ad Guidon. Priorem Carthus. ubi ait : « Quare, puto, de illa (*scilicet charitate*) « dictum, lex Domini immaculata conver- « tens animas, quod sola videlicet sit, quæ « ab amore sui, et mundi avertere possit « animum, et in Deum dirigere : nec ti- « mor, quippe, nec amor privatus conver- « tit animam. Mutant interdum vultum, « vel actum ; affectum nunquam. » Et hujus rationem indicat subdens : « Quidquid « propter aliud amare videris, id plane « amas, quo amoris finis pertendit. » Fuga autem peccati propter pœnam habet pro fine bonum proprium : atque ideo nec ab illo, nec a peccato hominem retrahere valet.

Confirmatur quarto : quia nihil tollitur nisi per suum contrarium ; sed fuga a peccato propter timorem pœnæ non contrariatur actuali voluntati peccati propter se, aut secundum se : ergo fuga peccati propter pœnam, qualem fugam importat attritio, non tollit actualem voluntatem peccandi propter se, aut secundum se. Minor constat quia optime cohæret odium alicujus in tali circumstantia, et attentis ommibus, cum amore ejusdem secundum se, et præscindendo a circumstantiis occurrentibus : sicut nautæ displicet retentio mercis in circumstantia naufragii, et placet merces secundum se : et Deus, qui attentis omnibus excludit aliquos a regno voluntate consequenti ; tamen vult voluntate antecedenti salutem omnium secundum se : pari igitur ratione componi valet, quod homo refugiat peccatum sub circumstantia pœnæ imminentis ; et tamen conservet voluntatem ad illum secundum se.

45. Ad hoc argumentum cum omnibus suis confirmationibus, cui multum, et plusquam pars erat, deferunt adversarii, respondere generaliter possemus, rejiciendum esse a præsenti controversia, quia ad illam non pertinet, sed impugnat, quod in ea supponitur, nempe dari aliquam attritionem, quæ omnem actualem peccandi voluntatem excludat ; de hac enim sola attritione affirmamus, quod conjuncta sacramento pœnitentiæ est ultima, et sufficiens dispositio ad pœnitentis justificationem. Et si id non supponatur, nullus occurret Adversarius, quem suis argumentis oppugnent : palam, quippe concedimus attritionem voluntati peccandi conjunctam, aut conjungibilem non esse dispositionem sufficientem ultimam ad gratiam justificationi intra, vel extra sacramentum. Sed earn suppositionem esse certissimam, et ab omnibus Catholicis admittendam (ne videamur circa istud pugnam refugere, vel a hac parte timere) probatur efficaciter e Conc. Trid. sess. 14, cap. 4, ubi docet contritionem

contritionem imperfectam, quæ *attritio* dicitur, « Si voluntatem peccandi excludat, « etc., esse donum Dei, et Spiritus Sancti « impulsum. » Verba formalia proxime dedimus n. 43. Loqui autem Concilium de attritione pura, sive non includente amorem charitatis, constat evidenter : tum quia loquitur de attritione, sive dolore imperfecto proveniente ex metu gehennæ, ut condistinguitur a contritione, sive dolore perfecto proveniente ex amore charitatis, de qua egerat immediate. Tum quia sermonem expresse facit de illo dolore, qui est a Spiritu Sancto nondum inhabitante, et qui non habet adjunctam justificationem, sed ad eam consequendam disponit : quæ prædicata soli attritioni, sive dolori imperfecto ex timore pœnæ orto adaptari queunt : contritio enim, sive dolor perfectus ex amore proveniens donum est Spiritus Sancti jam inhabitantis, et ita disponit ad gratiam, quod illam infallibiliter annexam habet etiam extra sacramentum, licet non absque ejus voto, ut proxime docuerat Concilium. Tum denique : quia illa doctrina, et declaratio dirigitur contra Lutherum, et sequaces, qui non impugnabant contritionem, sive dolorem peccatorum ortum ex amore Dei ; sed attritionem, et dolorem imperfectum ortum ex timore gehennæ. Porro Concilium manifeste supponit hunc imperfectum dolorem aliquando excludere voluntatem peccandi : Si *voluntatem*, inquit, *peccandi excludat*. Et non loquitur de exclusione peccati habitualis, in quo præexistit peccator, quod per gratiam justificationis formaliter expellitur, sed Concilium agit de attritione, per quam Spiritus Sanctus nondum inhabitat, atque ideo nec suam gratiam in corde diffundit. Agit itaque de exclusione peccati actualis, sive voluntatis actualis peccandi : cumque ejus declaratio sit doctrinalis, et in materia adeo gravi, minime limitanda est ad exclusionem hujus, aut alterius peccati actualis ; sed intelligi debet universaliter de omnium exclusione : præsertim, cum non sit major ratio expellendi unum, quam alia, maxime ubi motivum illa detestandi est universale, et omnibus commune, ut constat esse pœnam inferni omnibus, et singulis imminentem. Dicere autem quod Concilium loquitur in sensu conditionato hypothesis impossibilis, quod attritio excludat voluntatem peccandi : puerilis esset responsio, et Concilio non parum injuriosa. Quid enim indignius ejus gravitate, quam ubi agitur contra Lutherum impugnantem attritionem, quæ ex metu gehennæ *communiter concipitur*, atque ideo etiam ab omnibus in hoc sensu obvio apprehenditur ; recurrat Concilium ad eventum impossibilem, illique elogia deferat sub conditione simpliciter repugnante ? Sic etiam posset dicere attritionem esse impulsum Spiritus Sancti, et disponere ad gratiam justificationis, si procedat ab homine habente alas. Hæc non instructionem, et correctionem hæreticorum pararent, sed irrisionem : nec ita sacram synodum se gessisse ullus Catholicorum debet admittere, sed plane fateri supposuisse, admisisseque Concilium possibilitatem alicujus attritionis, quæ voluntatem peccandi, sive omne actuale peccatum excludat.

Quæ aliunde etiam suaderi potest : nam datur aliqua attritio supernaturalis, quæ subinde est donum Dei, atque elicitur vi supernaturalis auxilii, ut satis constat ex hactenus dictis, et Adversarii concedunt ; sed non est denegandum efficaciæ divinæ motionis, quod per timorem pœnæ possit a voluntate creata excludere omnem actualem affectum peccandi ; cum in hoc nulla appareat contradictio : ergo possibilis est aliqua attritio, quæ omne peccatum actuale expellat.

Confirmatur : nam concedentibus Adversariis, quia peccatum exterius trahit ad gehennam, possibilis est timor gehennæ, quæ retrahat ab omni peccato externo; sed voluntas peccandi trahit etiam ad gehennam : ergo possibilis est gehennæ timor, qui contineat voluntatem a peccandi affectu, quandiu durat ipse timor. Idque satis aperte docent Patres, et præsertim D. Aug. n. 34 relatus. Ista vero sufficiunt pro hac certa, et communi suppositione. Qua data, et non aliter procedit præsens inter Catholicos controversia : atque in eodem sensu accessit ad Sedem Apostolicam, ut constat ex decreto Sanctæ Romanæ Inquisitionis edito die 5 Maji, anno 1667, ubi dicitur : « Sanctissimus D. N. Alexander « Papa VII, cum acceperit non sine gravi « animi mærore, Scolasticos quosdam acrius, « nec absque fidelium scandalo inter se con- « tendere, an illa attritio, quæ concipitur

Alexander Papa VII.

« ex metu gehennæ excludens voluntatem « peccandi, cum spe veniæ, ad impetran- « dam gratiam in sacramento pœnitentiæ, « requirat insuper aliquem actum dilectio- « nis Dei, asserentibus quibusdam, negan- « tibus aliis, et invicem adversam senten- « tiam censurantibus : Sanctitas sua enixe « cupiens vinculum pacis inter fideles ser- « vari, etc. » Ecce subjectum, quod supponitur controversiæ : « Attritio concepta ex « metu gehennæ excludens voluntatem pec- « candi : » de qua, quidam affirmant, egere ulterius aliqua dilectione Dei ad impetrandum gratiam in sacramento, negantibus ceteris. Unde liquet eos, qui modo, ut probent, non sufficere solam attritionem, opponunt attritionem solam non posse excludere actualem voluntatem peccandi, destruere subjectum controversiæ, et punctum difficultatis non attingere.

46. Sed ut sit, videamus vires argumenti, et confirmationum, eis occurrendo. Ad illud respondetur negando minorem universaliter intellectam : nam datur aliqua attritio voluntatem peccandi excludens, ut constat ex immediate dictis. Ad primam autem minoris probationem respondemus; D. August. ibi loqui de timente, qui fugam pœnæ sibi proponit tanquam ultimum finem ; quo proinde deficiente, committeret culpam, ad illamque saltem inefficaciter, et conditionate afficitur : atque ideo peccat interius, licet ab externo peccato se cohibeat. Sed in attritione supernaturali, de qua agimus, aliter omnia se habent : nam per eam dolens, fide instructus, et a Deo motus firmiter credit gravissimam gehennæ pœnam imminere sibi non solum pro opere malo, sed pro voluntate etiam illud faciendi : atque illius horrore perculsus tam ab opere, quam ab illa voluntate se cohibet; atque ideo, et simpliciter a peccando, ut tradit ipse D. Augustin. in Psalm. 127, ad illa verba : « Vermis eorum non « morietur, et ignis eorum non extingue- « tur,» dicens : « Audiunt hæc homines, et « quia vere futura sunt impiis, timent, et « continent se a peccato. Habent timorem, « et per timorem continent se a peccato. » Non dixit, ab opere tantum, sed a peccato, quod tam opus, quam peccandi voluntatem complectitur. Ad quod opus non est timentem respicere evasionem pœnæ, ut finem ultimum ; sed sufficit (et sic fieri debet) illam attingere, ut finem proximum, non excludendo relationem ad Deum ultimum finem, sed præscindendo, et ibi negative sistendo, ut num. 38 explicuimus. Ad secundam probationem jam respondimus num. 37, in solut. secundæ confirmationis, non omnia, quæ ex timore fiunt, esse involuntaria : multa enim sunt de se bona, et eligibilia independenter a timore : et ita plane est non peccare. Testimonium autem D. Augustini pro roboranda utraque probatione allatum non est ad rem, quia S. Doctor eo loco non agit de timore pœnæ honesto (quem nec Adversarii audent expresse negare, ne annumerentur hæreticis a Concilio Tridentino condemnatis) : sed loquitur de timore carnali eorum, qui observant præcepta cupiditate terrena, « sola, « *inquit*, quæ Deus pollicetur terrena pro- « missa, sectantes. » Qui subinde non servant ejus præcepta, nisi ex timore privationis bonorum temporalium ; atque ideo timent, et vitant peccata timore duntaxat carnali, qui merito vocari potest mundanus, ineptusque est, ut voluntatem ab omni peccaminoso affectu cohibeat.

Ad primam confirmationem respondetur eodem modo negando majorem universaliter intellectam : datur enim aliquis timor servilis excludens voluntatem peccandi. Testimonium vero D. Augustini pro evincendo majorem inductam nihil valet, quia in eo loquitur determinate de aliquo timore carnali, et turpi, ut se, aliaque hujus generis asserta declarans tradit in enarratione Psal. 127, his verbis : « Aliqui propterea tantum timent, ne « aliquid in terra mali patiantur, ne illis « ægritudo accidat, ne damnum, ne orbitas, « ne alicujus amissio chari, ne exilium, « ne damnatio carceris, ne aliqua tribu- « latio. Propterea timent, et tremunt : « adhuc timor iste non est castus. Adhuc « audi. Alius non in hac terra pati timet, « sed gehennam timet, unde terruit, et « Dominus. Audisti, ubi legeretur Evange- « lium, ubi vermis eorum non moriatur, « et ignis eorum non extinguatur. Au- « diunt hæc homines, et quia vere futura « sunt impiis, timent, et continent se a « peccato. Habent timorem, et per timo- « rem, continent se a peccato. Timent « quidem, sed non amant justitiam. Cum « autem per timorem continent se a pec-

D. Aug.

cato

« cato, fit consuetudo justitiæ, et incipit, « quod durum erat, amari, et dulcescit « Deus, et jam incipit homo juste vivere « propterea, non quia timet pœnas, sed « quia amat æternitatem. » Hæc omnia S. Doctor, quibus lucidius aliquid inveniri non valet ad recognoscendum ejus mentem in aliis locis, in quibus timorem servilem cum interno peccandi affectu conjungit : loquitur enim de timore, non supernaturali, efficaci, et absoluto, qualem modo defendimus ; sed de alio timore vel non efficaci, vel non orto ex supernaturali : ac generali motivo : quem concedimus non excludere voluntatem peccandi, nec esse cum Sacr. sufficientem ad gratiam.

47. Ad secundam confirmationem negamus majorem : quia diversum est, et longe majus desiderium peccandi esse extinctum ; ac non habere actualem voluntatem peccandi : nam extinctio desiderii, sive appetitus supponit perfectam sanitatem ; ad non habendum autem voluntatem peccandi non requiritur ea sanitas, sed sufficit voluntatem comprimi, et impediri, ne actum volendi exerceat : pro qua cohibitione optimus est timor pœnæ, ut explicat D. Augustin. in exposit. Psalm. 149, dicendo : « Ipsi tanquam in compedibus, et « vinculis ferreis. Unde hoc ? Ne progre- « derentur ad illicita, compedes accepe- « runt, compedes sapientiæ, compedes « verbi Dei. Quare ergo vincula ferrea, et « non aurea ? Ferrea sunt, quandiu timent : « ament, et aurea erunt. Sed prædicatur « illis, et percutiuntur framea bis acuta : « dicitur illis, quia est, qui ponat alios ad « dexteram, alios ad sinistram, ut dicat « eis, qui a sinistris sunt. Ite in ignem « æternum, qui paratus est diabolo, et « angelis ejus. Nondum diligunt justitiam, « sed timent pœnam : et timendo pœnam « jam acceperunt compedes, et in vinculis « ferreis erudiuntur, » nimirum ad comprimendum voluntatem, ne currat ad illicita. Locus autem S. Doctoris, qui in hac confirmatione expenditur, non est ad rem, ut ex ipsa litera constat : solum enim docet requiri gratiam Christi ad servandam legem, et vitandum peccatum, cujus desiderium ipsa legis prohibitione occasionaliter acuitur : unde elucet gratia novi testamenti supra occidente literam veteris. Quæ sunt verissima, sed rem præsentem non attingentia : quia non deferimus attritioni vim excludendi actualem peccandi voluntatem independenter a gratia Christi, sed cum illa : cum qua etiam in veteri testamento timor pœnæ operabatur cohibitionem voluntatis a peccando, ut ostendi valet in multis, et signatim in Manasse, prius scelestissimo, qui (2 Paralip. cap. 33) : « Postquam coangustatus est, « oravit Dominum Deum suum, et egit « pœnitentiam valde coram Deo patrum « suorum. »

Ad tertiam negamus minorem quoad secundam partem : quia licet attritio sola non eruat hominem a peccato habituali, sive a statu peccati ; potest tamen retrahere a novo peccato, sive voluntate illud committendi, ut constat ex dictis. Et D. Bernardus, cujus testimonio probatur minor, nihil tale docet, sed potius oppositum, et plurima congerit in laudem timoris, lib. *de modo bene vivendi ad sororem*, ut cum ait, « soror venerabilis, bonum est « nobis timere Deum, quia timor Domini « expellit peccatum. » Rursus : « O soror « dilecta, nulla res nos sic ab omni peccato « custodit immunes, sicut timor inferni « (hic est servilis) et amor Dei. » Et similiter sententias profert frequentissime. In loco autem, qui objicitur, agit de conversione perfecta, qua homo avertitur a bono commutabili, et ordinatur ad Deum finem ultimum, ut ejus verba satis manifestant : quam conversionem non efficiunt per se timor, et amor privatus. Cum vero affirmat timore non mutari affectum, non loquitur de mutatione actuali ; quippe manifestum est timorem per se ipsum variare actum : sed agit de mutatione habituali, pro qua solus timor non sufficit, sed perfectior dispositio, et forma requiritur. Et subjecta ex eodem probatio rem non evincit : nam bonum proprium, et carentia mali licite amantur, potestque in eis sistere affectus sicut in fine ultimo negative, ut liquet in actu spei theologicæ elicito a peccatore, et constat ex dictis num. 38.

Ad tertiam. D. Bern.

48. Ad ultimam confirmationem respondetur deficere in multis, et nihil tandem concludere : nam major solum verificatur in exclusione directa unius contrarii, quæ eo ipso debet fieri per suum contrarium : sed indirecta exclusio potest fieri per alia

Ad ultimam

plura, sicut forma substantialis ligni potest indirecte expelli per introductionem caloris in summo : licet talis calor, et forma substantialis ligni non habeant directam contrarietatem. Et hoc pacto ingens timor pœnæ,efficaxque attritio inde orta inducunt absentiam, sive carentiam peccati actualis. Rursus minor est falsa loquendo de contrarietate latius sumpta, et qualis sufficit ad indirectam exclusionem unius extremi præsente alio, ut constabit occurrendo probationi minoris, quæ consistit in exemplis. Ad quæ respondetur reatum pœnæ æternæ, et hujus imminentiam convenire peccato gravi secundum se : licet enim non importent primarium conceptum malitiæ, ad illam tamen necessario consequuntur : unde ille timor, qui sufficit ad excludendum peccatum in circunstantia pœnæ, sufficit etiam ad expellendum illud secundum se ; et odium voluntatis ad peccatum inducens pœnam est odium peccati secundum se : nequit enim fieri præcisio a prædicta obligatione. Merces autem de se non causant naufragium, et ideo odium projectionis earum in circunstantia naufragii componitur cum amore illarum secundum se. Si vero merces essent de se causa naufragii ; eo ipso odium illarum imminente naufragio esset odium ipsarum absolute, nullo retento affectu ad merces secundum se. Et similiter si omnium hominum salvatio esset secundum se impeditiva justitiæ erga peccatores, et misericordiæ erga justos, Deus eadem nolitione, qua voluntate consequenti excludit peccatores a regno,nollet voluntate antecedenti omnium hominum salutem. Sed quia salus hominum secundum se id non importat ; propterea Deus, qui attentis aliquorum peccatis eos a regno repellit conservat amorem ad salutem hominum consideratam secundum se. Id vero nullatenus in præsenti materia salvatur : quia peccatum de se obligat ad pœnam, et sub nulla præcisione potest terminare affectionem voluntatis absolutam, vel conditionatam, efficacem, aut inefficacem quin eam deturpet, et peccaminosam constituat, subjiciatque amantem gehænnæ supplicio : et consequenter odium peccati actualis, ut infert sui pœnam, sive ex motivo fugiendi pœnam ei correspondentem, etiam extenditur ad peccatum secundum se, atque ideo odium efficax peccati sub illa priori ratione non permittit in voluntate actuale peccatum,cujusmodi esset affectus ad peccatum secundum se, sive in hypothesi, quod non esset pœna peccati.

Quæ omnia evidentiora fiunt retorquendo hanc confirmationem in opponentes sub eadem fere forma : nam, licet dolor de peccato, ut est offensa Dei, opponatur peccato, ut hanc offensam importat ; non tamen opponitur illi secundum se accepto, prout importat præcise malitiam, et ab offensa illata præscindit : hæc enim est quasi conceptus secundarius consecutus ad priorem : ergo cum efficaci dolore peccati, ut est offensa Dei (qualem importat contritio) stat actuale peccatum, sive affectus voluntatis ad peccatum secundum se : quippe nihil nisi per suum contrarium excluditur. Quis non videat consequentis absurditatem ? Et quid respondebunt illi ? Nihil profecto solidius, quam conceptum malitiæ, et conceptum offensæ, licet differentes, esse adeo connexos, ut simul vel conservari, vel haberi debeant : et consequenter, quod odium efficax peccati sub ratione offensæ Dei destruit etiam illud sub ratione malitiæ : atque ideo tale odium excludit a voluntate omne peccatum actuale, cujusmodi foret affectus voluntatis ad peccatum secundum se, sive præcisive ab offensa Dei. Idem itaque habeant responsum ad objecta : nam dolor efficax de peccato, ut infert pœnam æternam (qualis est attritio) excludit omne peccatum actuale sub hoc motivo, quod est omni peccato gravi commune : nullum namque est, quod inseparabiliter non importet reatum, sive obligationem passivam ad talem pœnam, et pro quo prædicta pœna non immineat. Unde talis dolor excludit necessario affectum ad peccatum secundum se : quia hic affectus est etiam peccatum grave, et comprehenditur sub tali motivo : quin etiam comprehenditur peccatum secundum se, cum secundum se inferat infallibiliter reatum ad pœnam,sicut essentia passionis. Est itaque tota illa distinctio,atque præcisio chimærica, et confirmatio illi innitens.

49. Arguitur quinto ex Concilio Tridentino, quod adversarii sibi multum favere contendunt : nam sess. 14, cap. 3, docet materiam sacramenti pœnitentiæ esse *contritionem*, illamque ex Dei institutione requiri.

requiri. Canone 4, damnat eos, qui negaverint *contritionem* esse pœnitentiæ partem. Cap. 6 ejusdem sess. declarat eum, qui nullam habet *contritionem*, non vere absolvi in hoc sacramento. Constat autem attritionem esse actum specie distinctum a contritione, et illa longe inferiorem : ergo ex sententia Concilii dici non potest, quod attritio sola ad sacramentum pœnitentiæ sufficiat.

Confirmatur primo : quia non minus est sacramentum mortuorum baptismus quam pœnitentiæ ; sed juxta Concilium ad gratiam Baptismi requiritur pro dispositione contritio : ergo etiam requiritur in sacramento pœnitentiæ. Minor probatur ex sess. 6, cap. 6, ubi post relatos actus fidei, timoris, et spei, subdit Concilium : « Fidentes Deum sibi propter Christum « propitium fore, illumque tanquam omnis « justitiæ fontem diligere incipiunt ; ac « propterea moventur adversus peccata per « odium aliquod, et detestationem, hoc est « per eam pœnitentiam, quam ante bap« tismum agi oportet : denique dum pro« ponunt suscipere baptismum, inchoare « novam vitam, et servare divina man« data. » Odium autem, et peccati detestatio, quæ oriuntur ex dilectione Dei fontis justitiæ, est contritio, et dolor diversus ab attritione, quæ ex solo metu pœnæ concipitur : ergo ex mente Concilii dolor præmittendus ante susceptionem Baptismi debet esse contritio.

Confirmatur secundo : nam major dolor requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, quam ad baptismum : sed pro baptismo requiritur dolor cum dilectione Dei saltem initiali : id enim ad minus probat testimonium Concilii Tridentini immediate relatum, « Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt : » ergo pro pœnitentia requiritur perfectior cum dolore dilectio, nempe amor charitatis. Major, quæ sola probatione indiget, suadetur ex eodem Concilio ses. 14, cap. 2, ubi ait : Per baptismum Christum induentes novæ prorsus in illo efficimur creaturæ, plenam, et integram peccatorum omnium remissionem consequentes : ad quam tamen novitatem, et integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, et laboribus, divina id exigente justitia pervenire nequaquam « possumus, ut merito pœnitentiæ laborio« sus quidam baptismus a Sanctis Patri« bus dictus fuerit. » Major ergo dolor requiritur ad sacramentum pœnitentiæ, quam ad baptismum.

Ad argumentum respondetur omnia, quæ in eo ex Concil. Trid. expenduntur esse pro nobis : nam illo cap. 3, ses. 14, affirmat quasi materiam hujus sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, nempe *contritionem*, confessionem etc. Deinde cap. sequenti explicat, quid significaverit contritionis nomine dicens : « Contritio... « Animi dolor ac detestatio est de peccato « commisso cum proposito non peccandi « de cetero. » Denique hanc contritionem dividit in perfectam, quæ peccatori justificationem affert antecedenter ad susceptionem sacramenti pœnitentiæ, quamvis dependenter ab ejus voto : et in aliam, quam vocat imperfectam, et est re ipsa attritio. « Illam vero, *inquit*, contritionem « imperfectam, quæ attritio dicitur, quo« niam vel ex turpitudinis peccati conside« ratione, vel ex gehennæ, et pœnarum « metu concipitur, etc. » De qua docet, quod licet per se, et sine sacramento pœnitentiæ ad justificationem non perducat ; tamen peccatorem disponit ad gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam. Ex quibus omnibus luce clarius est Concilium loqui de contritione in communi sumpta, prout ambit dolorem perfectum contritionis, et imperfectum attritionis : et non loqui in eis locis determinate de contritione, prout determinate, et specifice est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum. Unde argumentum retorqueri potiori jure debet contra adversarios, ut jam fecimus num. 23. Quia Concilium nomine *contritionis*, quam dicit esse hujus sacramenti partem ex parte materiæ, et disponere ad ejus effectum, complectitur contritionem perfectam ex amore Dei, et contritionem imperfectam ex gehennæ timore, quæ vocatur attritio ; ergo hæc absolute sufficit, tam per modum partis ad sacramenti valorem, quam per modum dispositionis ad sacramenti fructum.

Satisfactio argumenti.

50. Ad primam confirmationem neganda est minor. Ad cujus probationem potest responderi primo : Concilium eo loco non agere de justificatione, quæ fit in sacramento baptismi ; sed solum de ea, quæ fit

Ad 1 confirmationem respondet 1.

antecedenter ad ipsum per ejus desiderium, et votum. Pro qua non negamus desiderari actum perfectum dilectionis Dei, vel contritionis. Et hunc esse Concilii sensum liquet ex ejus verbis, « Dum proponunt « suscipere baptismum. » Sed inde non colligitur, quod attritio cum baptismo in re non sit sufficiens dispositio ad prædictum effectum. Ita post alios Gonet. in præs. disp. 7, art. 3, num. 64. Sed alii censent hanc expositionem esse violentam, ac repugnare tam textui, quam fini Concilii. Textui quia in eo agitur de necessitate pœnitentiæ pro baptismo suscipiendi pro qua
Act. 2. assumit illud Act. 2: *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque* : quæ verba non desiderium, aut votum, sed susceptionem baptismi significant. Præterquam quod loquitur de illa justificatione, cujus causas cap. sequenti assignat : ibi autem recenset baptismum, dicens : « Instrumentalis « item, Sacramentum baptismi, quod est « sacramentum fidei : » et certum est baptismum non in voto, sed in re concurrere per modum instrumenti ad justitiam. Repugnat etiam fini Concilii : nam intendebat explicare causas justificationis specialiter institutæ a Christo Domino : quæ per se exercita, et non per accidens fit per realem susceptionem baptismi, et supponit aliquam pœnitentiam, quam hæretici negabant adstruentes solam fidem. Quare finis Concilii non fuit agere de justificatione facta mediante actu charitatis, vel alio, et in antiqua lege occurrebat : nec enim de hac ita in communi sumpta erat cum hæreticis controversia : sed scopus fuit agere de justificatione per sacramenta nostra, et de dispositionibus ad id requisitis, in quibus multum errabant hæretici.

Secunda responsio. Secundo igitur respondemus : Concilium non loqui de dilectione Dei, quæ sit ex charitate, quin nec de ea, quæ sit specialis actus amoris : sed loquitur de dilectione initiali Dei fontis justitiæ, inhibita in ipsa attritione, et timore : bonus namque pœnæ timor initium aliquod est dilectionis ; non quia ad eum requiratur dilectio, sed quia ipse ad hanc disponit removendo prohibens, atque emolliendo, et concutiendo cor, juxta illud
D. Aug. D. August. relat. num. 34 : « Cum per timo- « rem continent se a peccato, fit consuetudo « justitiæ, et incipit, quod durum erat, « amari, et dulcescit Deus. » Idque magis perspicuum pro qualitate materiæ fit, si animadvertamus, quod jam insinuavimus numer. 39, attritionem, quæ pro sacramento pœnitentiæ gerit officium partis, aut dispositionis (et idem intelligendum de attritione disponente ad effectum baptismi), non posse non importare aliquem amorem justitiæ. Quamvis enim prædicta attritio in specie solum sit dolor ortus ex timore, et non sit amor, nec ex amore procedat : nihilominus, ut procedit ab intendente confiteri, et absolvi in sacramento pœnitentiæ, et ad hunc finem ordinatur (aliter sacramentum non fieret) nequit non aliquem amorem justitiæ importare : elicitur enim in ordine ad justificationem, quam pœnitens intendit, quando ad pœnitentiæ sacramentum accedit. Nemo namque licet ex solo timore gehennæ doleat, suscipit hoc sacramentum, qui non spondeat se confiteri, et sua peccata clavibus Ecclesiæ subjicere ; quia vult hoc medio justificari : amat ergo justitiam, licet motus ex timore, atque ibi saltem implicite amat fontem justitiæ, qui est Deus. Unde ipsa attritio, sive ut pars, sive ut dispositio in sacramento, ex intentione pœnitentis habet vel in se implicite, vel concomitanter per alium actum sibi adjunctum, quod sit aliquis amor erga Deum, ut justitiæ fontem. Qui tamen amor non est charitatis, sicut ad intentionem adversariorum, et fundandam perfectam contritionem ab attritione distinctam requirebatur : sed est amor imperfectior, vel spei, vel amoris proprii honesti.

Ad secundam confirmationem respondetur distinguendo majorem ; illamque concedendo de dolore majori in pœnitentia quantum ad extensionem, et plures circumstantias affatim laboriosas ; secus de dolore majori quantum ad speciem actus. Et denique omissa minori in sensu immediate præmisso, negamus absolute consequentiam. Plura itaque, quam in baptismo, occurrunt in sacramento pœnitentiæ humanæ fragilitati molesta : nam discutienda est conscientia : oportet instantius insistere in odium peccatorum propter majorem deformitatem saltem ingratitudinis in relapsu post beneficium baptismi commisso ; aperienda sunt omnia specie, et numero peccata sacerdoti, in quo occurrit non mediocris erubescentia, et humiliatio : ac denique

denique adimplendum adhuc est opus satisfactionis injunctum. Quæ omnia expedit perfectius, et intensius exercere, ut restituamur ad illam renovationis plenitudinem, quam baptismus absque his molestiis induxit. Sed inde non infertur necessitas dilectionis Dei ex charitate in sacramento pœnitentiæ : sed illa attritio, quæ in baptismo adultorum sufficit, et requiritur ad justificationem, sufficiens etiam est in pœnitentia ad eundem effectum. Et hanc esse Concilii mentem liquet ex ipso; quia illum majorem dolorem non exigit ex parte dispositionis, sed ex parte effectus, ut sic explicat his verbis : « Alius est præterea « baptismi, et alius pœnitentiæ fructus. « Per baptismum enim Christum induen- « tes, novæ prorsus in illo efficimur crea- « turæ, plenam, et integram peccatorum « omnium remissionem consequentes. Ad « quam tamen novitatem, et integritatem « per sacramentum pœnitentiæ sine magnis « nostris fletibus, et laboribus, divina id « exigente justitia, pervenire nequaquam « possumus, ut merito pœnitentia laborio- « sus quidem baptismus a Sanctis Patribus « dictus fuerit. » Ab hac itaque parte, et in isto sensu requiritur major dolor in pœnitentia, quam in baptismo.

51. Arguitur sexto : nam ubi agitur de valore sacramentorum, tenemur sequi sententiam tutiorem juxta decretum SS. D. N. Innocentii XI, die 5 Martii anno 1679, damnantis plures propositiones, quarum prima est : « Non est illicitum in sacra- « mentis conferendis sequi opinionem pro- « babilem de valore sacramenti, relicta « tutiore, etc. » Sed agimus de valore sacramenti pœnitentiæ, quia agitur de parte, et dispositione, sine quibus valor, et fructus hujus sacramenti salvari non valent : ergo debemus in decidendo hanc difficultatem præferre sententiam tutiorem. Atqui sententia negans sufficere puram attritionem, et affirmans requiri aliquem amorem Dei super omnia est tutior comparative ad aliam defendentem puram attritionem sufficere; nullum quippe imminet periculum, ubi dolor peccatorum procedit ex motivo amoris Dei super omnia, sive vera, sive falsa sit talis sententia; e converso autem adest periculum frustrationis sacramenti, si sententia defendens puram attritionem in se falsa sit; aliunde vero non deficit motivum timendi de ejus falsitate; cum videamus eam impugnari, et refelli a multis viris piis, et sapientibus : ergo, etc.

Nec satisfacit, si cum Cardenas in Crisi Theolog. disp. 2, cap. 6, art. 2, quæst. 1, respondeatur; doctrinam de sufficientia attritionis cum sacramento esse omnino certam, et indubitatam propter diffinitionem Concil. Tridentini sess. 14, cap. 4, atque ideo non contineri intra lineam præcise probabilitatis, quæ sola cadit sub decreto Innocentii XI. Cui certitudini non opponitur decretum Alexandri VII relatum num. 45, quo prohibuit, ne aliquis in hac controversia audeat notare censura theologica sententiam affirmantem, vel negantem : quia per tale decretum solum intendit rixas præcavere inter partes. Occurritur satisfactioni.

Hæc, inquam, responsio non satisfacit, nec sustineri potest; defert enim assertioni nostræ omnimodam certitudinem fundatam in diffinitione Concilii Tridentini. Quæ si adesset, omnem de hac re inter catholicos disceptationem extingueret. Sed fallitur ille Auctor, quia licet Concilium multum faveat nostræ assertioni, præsertim eo cap. 4, sess. 14, ut constat ex multis, quæ ex eo loco in hoc dub. ponderavimus, tamen nostram assertionem non diffinivit : aut condemnavit adversam : nec in capitibus citatis diffinire regulariter voluit, sed id remittit ad canones. Et mirum plane foret, si res, ut Cardenas vult, se habet, tot viros catholicos in hanc diffinitionem impegisse, atque graviter errasse. Philalethes loco cit. refert centum Auctores, productis nominibus contrariam nobis sententiam instituentes, quos testatur transmissos sibi ab Henrico a S. Ignatio Carmelitarum in Provincia Gallo Belgica Diffinitore, et Doctore Universitatis Duacensis, ex quibus viginti sex Concilio Tridentino interfuerunt. Et quidquid de hoc sit, assertionem nostram non esse diffinitam in Concilio Tridentino constat satis evidenter ex decreto citato Alexandri VII, in quo perpendi debent sequentia, quæ Cardenas omisit : « Non audeant alicujus « Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, « aut contumeliæ nota taxare sententiam; « sive negantem necessitatem aliqualis di- « lectionis Dei in præfata attritione ex metu « gehennæ conceptæ, quæ hodie nter Scho- « lasticos communior videtur; sive asse- Alexander VII

« rentem dictæ dilectionis necessitatem ; « donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid « in hac re diffinitum. » Perpendatur inprimis, quod nostram sententiam vocat *communiorem ;* non certam, non absolute inter fideles communem ; quinimo additum est ly *hodie*, quasi denotans non semper fuisse communiorem : communior autem sententia non tollit, quod sibi opposita sit communis, et probabilis ; sed quod caput est, Pontifex prohibet censuras in unam, et alteram partem, « donec, *inquit*, « ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in re « diffinitum, » palam supponens nihil hactenus diffinitum esse ab Ecclesia circa istam controversiam : si, namque, diffinitum jam est, opus non erit aliam a Sede Apostolica expectare diffinitionem. Falso igitur dicitur istam jam præmisisse Concilium Tridentinum in favorem nostræ assertionis.

Occurritur alteri satisfactioni.

52. Nec iterum satisfacit, si cum quibusdam Junioribus respondeatur, decretum Innocentii XI in hac parte non urgere, quia solum reprobat, quod in *Sacramentis conferendis* liceat sequi opinionem probabilem relicta tutiori ; sed non dixit *in recipiendis*. Dum autem conferre sacramenta pertineat ad solos ministros ; solum convincitur ex prædicto decreto, quod ministri tantum obligentur sequi in sua administratione tutiorem partem ; non autem eos, qui sacramenta suscipiunt. Et aliunde cum in sacramento pœnitentiæ dolor ex parte suscipientis se teneat ; consequens videtur hunc non obligari ad securiorem dolorem, ut est contritio, sed posse licite accedere cum dolore inferiori solius attritionis. Potestque non incongrua disparitatis ratio assignari, quod minister sequendo opinionem minus tutam, cum possit tutiorem, agit contra jus suscipientis sacramentum, quod habet, ut sibi conferatur per medium tutius : sed ipse potest cedere juri proprio, et uti sententia probabili, quin alteri faciat injuriam.

Hæc, inquam, responsio minime satisfacit, quippe, quæ est mera fuga speculativa, menti Pontificis in illa propositione repugnans. Hujus enim sensus est plane obvius, juxta communem, et vulgarem modum loquendi inter Theologos in re morali. Isti vero eis verbis conferre, ministrare, dare, etc. significant actum completum totius sacramenti, ut se tenet ex parte tam ministri, quam suscipientis ; nisi adhibeat limitationem. Quare illud in *conferendis sacramentis* positum in propositione damnata, idem valet, ac in materia sacramentali, sive in usu sacramentorum. Quocirca illius damnatio non solos ministros, sed suscipientes etiam comprehendit. Et intentata inter hos distinctio minime subsistit : quia quod in sacramentis interdicatur usus sententiæ probabilis relicta tutiori, non est præcise, aut principaliter propter vitandum damnum suscipientium ; sed etiam, et multo magis ad vitandam irreverentiam sacramentorum, quorum valor frequenter impediretur usu opinionum probabilium, relicta tuta, et communi sententia. Quod periculum stat non solum ex parte ministri præbentis formam, sed etiam ex parte suscipientis, exhibentisque materiam ; cum ab utraque parte queat esse defectus, et sacramentum frustrari, ut satis ex se liquet. Complectitur itaque illa propositio, et ministros, et suscipientes. Sed addimus, ut istud effugium magis præcludatur, non solvi difficultatem, licet solis ministris illa propositio applicetur: quia confessarius non potest absolvere pœnitentem, nisi moraliter certus sit de sufficientia dispositionis, quam pro suscipiendo sacramento habet : et nec licite, nec valide confert absolutionem, si sciat esse indispositum. Cum ergo tutior, ac omnino tuta dispositio ex parte pœnitentis sit dolor ex amore Dei, e contra vero attritio solum sit dispositio probabilis, ut argumentum opponit ; sequitur pœnitentem adhibentem præcise attritionem illo amore omisso non accedere recte dispositum, siquidem se exponit periculo frustrandi sacramentum, cujus valor non tantum a ministro, sed etiam a suscipiente dependet. Perseverat itaque in suo robore objecta difficultas.

Et ea quidem prolixa nobis, et molesta nimis aliquando visa fuit propter interminabiles, ac reflexas hoc tempore comparationes inter propositiones probabiles, probabiliores, certo probabiles, certas, tutas, tutiores, etc. Sed quod ad præsentem controversiam attinet, facillimo negotio evacuatur : quia Pontifex non prohibet, quod in scribendo sequamur sententias probabiles, et quod asseramus esse certiores aliis omnino

omnino tutis, sive in quibus practicandis nullum occurrit periculum, sed additio, aut supererogatio non necessaria. Hoc enim judicium ita scribentium est speculativum, relinquens locum, ut in praxi sequatur quis, quod tutius sibi apparuerit juxta exigentiam materiæ, et ut vitetur in usu sacramentorum omnis eorum frustratio, et irreverentia. Et ubi hoc periculum adest in sacramentorum usu, illicitum est sequi opinionem probabilem relicta tutiori, idque intendit Pontifex in relatæ propositionis condemnatione. Quæ proinde nec nos, nec alios hæc speculativa scribentes attingit. Quare ad argumentum respondetur concedendo præmissas primi syllogismi, et negando consequentiam, quæ ex illis non colligitur : nam major refertur ad praxim, et usum sacramentorum, consequentia vero ad speculationem scribentium, et judicium inter sententias, abstrahendo ab earum usu : unde nihil in vi formæ concludit ille discursus. Possetque responsio multis exemplis confirmari. Sed sufficiat modo dicere ; sententiam asserentem circunstantias notabiliter intra eandem speciem aggravantes manifestari debere confessario, pertinereque hoc ad materiam necessariam hujus sacramenti, esse tutam, et tutiorem opposita ; quippe cum in prædicta manifestatione nullum occurrat periculum ; et in opposita adsit periculum supprimendi materiam coram Deo necessariam. Quo non obstante licet Scriptoribus præferre sententiam negantem talem obligationem, atque asserere, ut faciunt plures, talem sententiam negantem esse probabiliorem, et communiorem contraria. Nullusque hactenus dixit ita se gerentes favere propositioni ab Innocentio XI condemnatæ, aut Pontificis decreto ullo pacto contradicere. Et idem cum debita proportione respondemus ad objectum argumentum, quod certe alia solutione non indiget.

53. Ut autem non videamur difficultatem fugere, aut timere, vel in his, quæ ad praxim spectant, (et forte Lector desiderabit), respondetur ; admittendo totum primum syllogismum, et negando absolute minorem subsumptam : nostra namque sententia non solum est probabilior, et communior, sed etiam tutior, quam contraria ; atque ideo non solum speculative, sed etiam practice, et juxta decretum SS. Innocentii XI modis omnibus præferenda. Quod ut evidentius pateat, breviter recolendum aut de novo insinuandum est, hanc controversiam non esse de necessitate cujuslibet amoris pro dolore ad hoc sacramentum requisiti : nam desiderari aliquem amorem, vel justitiæ, vel beatitudinis, vel evasionis a pœna inferni, facile concedimus ; ut jam diximus num. 39 et 50, sed procedit controversia circa necessitatem amoris Dei dilecti super omnia ex motivo suæ bonitatis, et amicabilitatis ; nec enim inferiorem amorem exiguere Adversarii, et si, illo, quem concedimus, continerentur, quæstio fieret de vocibus, et inutilis. Unde etiam fit amorem Dei ab eis pro sacramento pœnitentiæ assertum non esse velleitatem, aut aliquod simplex, atque inefficax desiderium ; quoniam ipsi palam affirmant talem Dei amorem requiri, qui omnem actualem peccandi voluntatem excludat, ut abunde constat ex argumentis ab eis objectis, et ex elogiis, quibus talem amorem celebrant, et in id expendunt Patrum bibliothecas. Contendunt, itaque, re ipsa pro amore absoluto charitatis quoad speciem : licet, ut rem aliquomodo temperent, illum vocent charitatem imperfectam, quia ad eam perfectionem non pervenit, ut timorem pœnæ excludat, et amorem commodi proprii ; vocantque amorem affectivum, sed non effectivum ; amorem prævalentem, sed non valentiorem ; amorem ejusdem essentiæ cum perfecto, sed non sub eodem statu. Et hunc charitatis amorem, sive dolorem ex illo ortum, dicunt, necessario requiri, ut dolor sit pars ad valorem, et dispositio sacramenti pœnitentiæ, hacque de causa ab his officiis repellunt attritionem ex solo timore gehennæ.

Inconvenientia in qua incidit sententia contraria.

Quo posito, unum ex duobus contradictoriis, ab illis necessario concedendum est, et ab eis secundum diversas inter ipsos opinationes conceditur, nempe vel amorem charitatis Dei super omnia conjungi cum peccato mortali ante susceptionem in re sacramenti pœnitentiæ, ut ita salvent tale sacramentum efficere in pœnitente primam justificationis gratiam : vel prædictum charitatis amorem non cohærere cum statu peccati mortalis, sed illum saltem indirecte per modum dispositionis contrariæ expellere ante susceptum in re sa-

cramentum : quippe, inter expellere, et non expellere peccatum non datur medium, cum contradictorie opponantur. Quare in quodcumque se vertant latus, unam ex prædictis viis arripere debent, et ad eam sunt compellendi. Quamlibet vero eligant, terribiles ipsis imminent hæresum, errorumque scopuli, atque voragines, ita ut, non tam possint incedere, quam ruere, et in ea pericula impingere, quæ notavimus toto § 2, et hic insinuare sufficiet. Nam, si eligant primam, nempe amorem charitatis conjungi cum statu peccati, coincidunt cum doctrina Michaelis Baji asserentis eam conjunctionem propositionibus 31, et 35, et 70, quæ condemnatæ sunt ab Ecclesia, ut vidimus num. 13. Aliunde assertio opponitur præspicuis testimoniis Scripturæ asserentis, amorem charitatis unire cum Deo, et expellere peccatum : opponitur etiam principiis Theologiæ valde certis, et communibus ; nempe unum hominem non posse secundum suavem, et præsentem providentiam habere duos ultimos fines, vel esse aversum per peccatum a Deo, in quem per charitatem convertitur, ut ibidem expendimus.

Si autem eligant secundam viam, in non minora discrimina se conjiciunt : nam consequenter asserere debent, et eorum plures asserunt sacramentum pœnitentiæ nunquam conferre primam gratiam, et remissionem peccati quantum ad maculam ; imo nec posse hos effectus habere ; quia semper supponit amorem charitatis, ut sui partem, et dispositionem, qui illos antecedenter inducit. Unde sequitur sacramentum pœnitentiæ non esse sacramentum mortuorum, contra communem Theologorum sententiam innitentem manifestis principiis fidei, ut statim videbimus. Sequitur deinde, sacramentum pœnitentiæ non efficere illam gratiam, quam significat, nempe vivificantem hominem lapsum post baptismum : contra diffinitionem Concilii Tridentini sess. 6, can. 7 : « Si quis dixerit « sacramenta novæ legis non continere « gratiam, quam significant, aut gratiam « ipsam non ponentibus obicem non con- « ferre, anathema sit. » Et sess. 13, cap. 3, ait : « Res, et effectus hujus sacramenti « (pœnitentiæ) quantum ad ejus vim, et « efficaciam pertinet, reconciliatio est cum « Deo. » Quam tamen juxta hanc sententiam non confert, nec conferre potest, sed factam supponit per amorem charitatis. Sequitur etiam : in sacramento pœnitentiæ non tolli peccata, sed præcise reatum pœnæ temporalis : et sacerdotis absolutione non auferri culpas, sed præcise declarari ablatas esse per antecedentem contritionem, quæ sequendo hanc secundam viam est incompossibilis cum macula peccati, et reatu ad pœnam æternam. Hæc autem est ipsa doctrina Michaelis Baji reprobata ab Ecclesia, in propositione 57 : « In sacra- « mento baptismi, et sacerdotis absolu- « tione proprie reatus peccati duntaxat tol- « litur, et ministerium sacerdotum solum « liberat a reatu. » Et in proposit. 58 « Peccator pœnitens non vivificatur minis- « terio sacerdotis absolventis, sed a solo « Deo, qui pœnitentiam ingerens, et inspi- « rans vivificat eum, et resuscitat : minis- « terio autem sacerdotis solum reatus tol- « litur. » Contra quas propositiones, etiam priusquam de novo reprobarentur ab Ecclesia, stabant jam canones Concilii Tridentini : nam ses. 14, can. 3, statuerat « Si quis dixerit verba illa Domini salva- « toris, Accipite Spiritum Sanctum, quo- « rum remiseritis peccata, remittuntur eis, « et quorum retinueritis, retenta sunt, non « esse intelligenda de potestate remittendi « et retinendi peccata in sacramento pœ- « nitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab ini- « tio semper intellexit... Anathema sit. » Et can. 9, consequenter addidit : « Si qui « dixerit absolutionem sacramentalem sa- « cerdotis non esse actum judicialem, sed « nudum ministerium pronuntiandi re- « missa esse peccata confitentis... Anathema « sit. »

Conc. Tr.

54. Hæc sufficit refricasse ex fusius dictis § 2, ut evincamus merito negari minorem subsumptam in argumento proposito. Etenim illa sententia circa requisita ad valorem hujus sacramenti tutior, ac tutissima reputanda est, quæ salvat salvanda ex necessitate fidei, uti sunt differentia inter sacramenta legis veteris, et novæ in causando gratiam, quam repræsentant ; et similitudiversitas inter sacramenta mortuorum, e vivorum in efficiendo per se primam gratiam, vel ejus augmentum ; et parite ministerium sacerdotis absolventis, ac producentis ex opere operato, et per se gratiam remissivam peccati, et reconcilian

ter

tem pœnitentem cum Deo. Constat autem sententiam asserentem pro sacramento pœnitentiæ sufficere solam attritionem, ista omnia salvare, et omnino procedere secundum naturam hujus sacramenti ex Christi Domini institutione. Altera autem sententia, quæ requirit contritionem, sive amorem charitatis, hæc omnia turbat, impediendo et efficaciam absolutionis sacerdotalis, et proprium, ac primarium hujus sacramenti effectum, ac per se intentum juxta institutionem Christi: ergo prima sententia est longe tutior, quam secunda : et nullum debet timere in sua praxi (quæ est inter fideles communis) imminens periculum ; cum procedat juxta notissima fidei principia. E contra vero secunda sententia vix cum eis conciliari valet, vix purgari ab erroribus Michaelis Baji, et aliis condemnatis in Concil. Trident. ut constat ex immediate dictis : ergo nostra sententia tutior incomparabiliter est, quam contraria. Præsertim cum ista non faveat ipsi pœnitentiæ sacramento ; sed potius fideles ab ejus frequenti usu deterreat ; cum alios pro eo suscipiendo dispositos non admittat, quam ex amore Dei dilecti super omnia contritos. Quæ dispositio difficilior longe est, quam attritio ex timore pœnæ. Quare sicut pauci judicarent se talem dispositionem habere : ita etiam pauci ad pœnitentiæ sacramentum accederent. Quin vel illi pauci, qui se ita dispositos censerent, parum curarent de remedio per sacramentum : quippe, qui ea supposita dispositione, minus præsumptuose, et magis consequenter judicarent se justificatos antecedenter ad illud, ut plures Adversariorum concedunt. Qua itaque ratione eorum sententia diceretur tutior in praxi, quæ tam aperte sacramenti praxim oppugnat ?

Ad insertam autem pro minori subsumpta probationem respondemus ; nullum in usu nostræ sententiæ esse periculum, cum procedat commensurate ad institutionem Christi, et ad doctrinam Ecclesiæ circa istud sacramentum. Nec tamen dicimus adesse periculum in usu alterius : nullum quippe occurrit in eo, quod pœnitens præmittat sacramento contritionem, et loco primæ gratiæ recipiat ejus augmentum ; quin laudabile esset ad id hortare pœnitentes sicut ad opus supererogationis. Sed asserere contritionem esse omnino necessariam ad istud sacramentum ; forte non caret omni periculo propter oppositionem cum ejus institutione, et affinitatem ad doctrinas condemnatas, ut vidimus : quamvis circa id censuram Sedi Apostolicæ, eidem obedientes ex corde sincerissimo relinquamus. Quod vero multi pii, et sapientes contra nostram sententiam doceant, nullum nobis incutit timorem de periculo in ejus usu, quia pauci sunt respectu communis sententiæ, et levibus nituntur motivis contrapositive ad nostra, quæ urgentissima sunt, et cum doctrina fidei valde connexa.

55. Nec refert, si opponas, quod in asserendo sufficientiam attritionis pro valore, et fructu hujus sacramenti, non omnes conveniunt, sed quidam affirmant ; alii vero negant. In asserendo autem contritionem sufficere, tum ad valorem, quam ad sacramenti fructum conveniunt omnes, nemine reclamante, sed commendantes potius excellentiam, tam in ratione partis, quam dispositionis in contritione repertam : ergo tutius est adhibere in hoc sacramento non attritionem solam, sed contritionem : atque ideo dici non debet sententiam nostram esse tutiorem contraria. Objectio.

Id, inquam, non refert, sed facile dispellitur omittendo præmissas, et distinguendo primum consequens, et si loquatur de majori securitate extensiva, et ex supererogatione, concedenda est consequentia : sed negari debet, si intelligatur de majori securitate intensiva, et ex necessitate adhibenda. Pro cujus distinctionis, et terminorum intelligentia observandum est *tutum*, et *tutius* aliquid esse stare dupliciter : Primo intensive, et ex necessitate ; secundo ampliative, et ex supererogatione, sive redundantia non necessaria. Primum adest, ubi solvitur debitum juxta proprietatem, et institutionem legis, aut sacramenti conformiter ad mentem, et intentionem institutoris. Secundum vero occurrit, cum hæc omnia salvantur per æquivalentiam in actu superiori, qui non solum ad rem præceptam, sed ad non debitam ex quadam superabundantia non necessaria se extendit. Verbi causa, teneor indigenti, petentique mutuum succurrere illud conferendo. Si illud conferam absque ullo lucro, Objectioni respond.

aut interesse ultra sortem, medium amplector securissimum, quia servo legem mutui in omnimoda sua proprietate. Si vero ulterius remitto partem sortis, medium etiam tutissimum amplector, et quod primum illud æquivalenter continet : sed tamen, quod necessarium non est ad salvandam mutui legem, sed superadditur ex quadam extensione, et redundantia non necessaria. Addamus aliud exemplum pro ximius accedens ad rem præsentem : ex institutione Christi teneor confiteri omnia peccata gravia, illaque clavibus Ecclesiæ subjicere ; ad confitendum autem venialia non teneor. Cum ergo omnia mortalia confiteor, venialibus suppressis, tutissime intensive, quantum ad necessaria procedo, quia absque dubio adimpleo legem Christi juxta propriam, et primam ejus institutionem. Sed si confitear omnia peccata, tam mortalia, quam venialia, medium etiam sequor tutissimum, et tutius extensive, et cum amplitudine non necessaria : nam confitendo omnia peccata confiteor mortalia, quod erat necessarium ex Christi institutione ; et confiteor etiam venialia, quod addo ex supererogatione, et fervore non præceptis. Ad rem igitur juxta adhibitam distinctionem : accedens ad sacramentum pœnitentiæ cum sola attritione, securissime procedit securitate intensiva, et ex necessitate adhibenda : quia affert dolorem sufficientem pro sacramento mortuorum, et primæ gratiæ justificationis juxta sacramenti naturam, et Christi Domini institutionem, ut supra firmavimus. Sed si adhibeat contritionem, tutissime etiam procedit, quia contritio æquivalet attritioni, et consequitur augmentum gratiæ ; quin etiam procedit tutius extensive adhibendo actum attritione perfectiorem, cujus sufficientiam omnes nemine reclamante fatentur : sed hæc securitas, extensive major, non est essentialis, aut debita, sed ex addita redundantia, ac voluntaria supererogatione supra debitum ex institutione Christi.

56. Propter hæc concedimus convenientiam supererogandi contritionem in sacramento penitentiæ : sed firmiter negamus necessitatem. Itaque adhibere contritionem in sacramento ex devotione, et supererogatione, ad idque in hoc sensu pœnitentes inducere, tutum, et sanctum censemus : illam autem adhibere ex falso (ut revera est) dictamine, quod sit de necessitate sacramenti, nec tutum, nec sanctum audemus dicere, sed id relinquimus determinationi Apostolicæ Sedis, eidem omnino obedientes. Possumus autem ad id declarandum adducere exemplum in re diversa, licet servata proportione satis congruum, ejus, qui baptizaret dicendo : *Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatæ Virginis Mariæ.* Hic si faceret homo additionem non necessariam ex sola simplici intentione, quod intercessio B. Virginis prodesset baptizato, non impediret valorem sacramenti, et forte nec peccaret. Si autem adderet illa verba judicando esse necessaria, et non subsistere baptismum absque concursu B. Virginis ; erraret maxime, et valorem sacramenti subrueret, quia illud dictamen, et intentio ipsi innitens, sunt contra fidem, ut resolvit Angelicus Doctor 3 par. quæst. 60, art. 8, et explicuimus tract. 22, de sacramentis, disp. 2, dub. 6, num. 90. Ad hunc itaque modum licet debita proportione servata, admittimus ; et laudamus, quod in sacramento penitentiæ adhibeatur dolor contritionis perfectæ, ut dispositio securissima, et utilissima ultra debitum pœnitentis pro sacramento.

57. Dices, si res ita se habet, sequitur immerito nos reprobasse num. 51 responsionem ex Cardenas relatam.

Respondetur negando omnes has sequelas. Nam Cardenas dixit sententiam nostram esse certam, et indubitatam propter diffinitionem Concilii Trident. sess. 14, cap. 4. In quo excessit : tum quia falsum est præsentem controversiam fuisse in Concil. Trident. diffinitam. Multa quidem statuit Concilium, ex quibus non obscure colligitur, et urgenter probatur nostra sententia ; sed tamen non illam diffinivit, et multo minus in illo cap. 4. Tum quia Alexand. VII hoc judicium diffinitivum reservavit Sedi Apostolicæ, aperte supponens rem hanc non fuisse hactenus ab Ecclesia determinatam, ut Cardenas falso asseruit. Tum, quia hic Auctor ita procedit, ut parti contrariæ neget omnem probabilitatem, tam negativam, quam positivam, et tam ab intrinseco, ex rationabilibus motivis, quam ab extrinseco ex patrocinio Doctorum. Nos autem diverso longe modo procedimus : nam ab hoc ultimo incipiendo recognoscimus

recognoscimus contrariam nobis sententiam esse probabilem negative, quia hucusque non est reprobata ab Ecclesia, saltem expresse, et in propriis terminis; concedimus etiam habere illam ab extrinseco probabilitatem, quam conferre possunt ejus patroni, quamvis aliqui inter eos antiquiores, ut Adrianus, et Almainus non tam debeant pro ea sententia referri, quam excusari, quia non viderunt canones Concilii Trident. et condemnationem propositionum Michaeli Baji : ex quibus summum robur sententiæ communi affirmanti attritionis sufficientiam accrevit.

§ VII.

Aliæ referuntur sententiæ contra conclusionem secundam.

58. Contra secundam nostrarum assertionum, quantum ad priorem ejus partem, in qua statuimus attritionem, ut sit hujus sacramenti pars, debere esse supernaturalem : plures solent Auctores referri defendentes vel solam naturalem ad istud munus sufficere ; quin eorum aliqui ulterius progressi tuentur sufficere etiam pro munere dispositionis ad gratiam in hoc sacramento producendam ; atque ideo docent attritionem naturalem sufficere, tam ad valorem, quam ad fructum sacramenti pœnitentiæ. Referuntur, inquam, Capreolus, Cajetanus, Victoria, Silvester, Martinus de Ledesma, Cano, Ricardus, Navarrus, et alii : quos tamen non certo constat, quod sufficientiam attritionis omnino naturalis docuerint : sed solum necessitatem attritionis naturalis entitative, et quoad speciem non negata supernaturalitate saltem quoad modum. In quo sensu communi sententiæ non refragantur, ut observavimus num. 21. Unde melius, et securius contra eam assertionis partem referuntur Valentia quæst. 8, punct. 2, Vazquez, 12, quæst. 194, cap. 4, Henriquez lib. 4, cap. 26, num. 2, Hurtad. disp. 6, difficult. 6, et Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 1, punct. 3, et sect. 3, et sect. 3, punct. 2. Cujus sententiæ, inquit Suarez disp. 20, sect. 2, num. 7, se non invenisse in his Auctoribus alia fundamenta, nisi, quia non aliter distinguere videntur contritionem ab attritione : et fortasse ex quadam pietate nixi sunt, ut faciliorem redderent justificationem a peccato mortali in hoc sacramento. Et idem nobis contingit post sedulam eorum Auctorum lectionem, nihil scilicet momenti apud eos reperisse, quod nostram assertionem oppugnet, aut diluere opus habeamus. Nam omissis motivis a Suario insinuatis, et palam invalidis, quod opponi potest, est; materiam aliorum sacramentorum esse pure naturalem, ut aquam, oleum, etc., cur ergo non sufficiet attritio naturalis, ut sit pars materiæ hujus sacramenti? Quin ex partibus, quæ integram hujus sacramenti materiam, constituunt aliæ, nempe confessio, et satisfactio opera sunt naturalia : idem itaque dicendum videbatur de attritione. Eo vel maxime, quod Concilium Tridentinum pro hoc sacramento admittit eam attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione communiter concipitur, ut constat ex sess. 14, cap. 4. Motivum autem refugiendi peccati turpitudinem naturale est, et naturaliter attingibile, inducensque naturalem attritionis dolorem : ergo immerito exigi videtur, quod, ut attritio sit pars hujus sacramenti, debeat esse supernaturalis. Conc. Tr.

Sed hæc parum urgent, et convulsa relinquuntur ex supra dictis. Primum quidem, nam, quod materiæ sacramentorum sint hujus, vel alterius conditionis, non revocatur in rerum naturas, sed in voluntatem Dei sacramenta instituentis : quamvis etiam ex parte rerum soleat aliqua congruentiæ ratio assignari. Deum autem voluisse materias aliorum sacramentorum esse res naturales supponit objectio ; quod autem voluerit partem materiæ hujus sacramenti esse dolorem supernaturalem, constat nobis per varia media, quæ expendimus disp. 4, dub. 1, § 4, cum seq. quibus congruentiæ rationem addidimus supra num. 19. Et idem respondetur ad comparationem inter attritionem, et alios pœnitentiæ actus, qui sunt naturales. Accedit etiam tam res sensibiles, quam actus externos pœnitentis esse incapaces supernaturalitatis intrinsecæ ; unde vel non debuerunt eligi ad rationem partis sacramenti, vel debuerunt relinqui in suo esse naturali, cum ordine tamen ab extrinseco ad supernaturalem finem sacramentorum. Dolor autem interior potest esse supernaturalis intrinsece, et decuit, quod talis assumeretur ad rationem partis in hoc sacramento, Satisfactio argumenti.

propter ordinem, quem habet ad claves Ecclesiæ, et subjectionem ad potestatem supernaturalis ordinis, ut eis locis magis expendimus. Augmentum difficultatis diluitur ex eodem loco Concilii : nam attritionem, de qua agit, vocat donum Dei, utique speciale, et Spiritus sancti impulsum, satis aperte significans conditionem supernaturalem. Et quamvis ex turpitudinis peccati consideratione possit oriri attritio specifice, et entitative naturalis ; hæc tamen est, quasi philosophica, et ordinem non dicens ad claves Ecclesiæ, sicut ad rationem partis hujus sacramenti requiritur. Unde pro tali munere requiritur attritio, quæ sit supernaturalis, vel ex objecto, et secundum speciem, vel saltem secundum modum, et ordinem participatum ex fine operantis, et motione supernaturalis imperii, ut num. 22 explicuimus.

Gabriel, Major, Adrianus, Sotus, Suarez, Vazq. Bellarm. et alii. Conc. Tr. Argum. 1.

59. Contra eandem secundam conclusionem, quantum ad secundam ejus partem, in qua asseruimus pro dolore, ut sit hujus sacramenti pars, non requiri attritionem efficacem, sed sufficere inefficacem, sentiunt Gabriel, Major, Adrianus, et Petrus de Soto, quos refert, et sequitur Suarez de Pœnit. disp. 20, sect. 4, Vasquez quæst. 92, art. 2, dub. unico a num. 13, Bellarmin. lib. 2, de Pœnit. cap. 6, Coninchus disp. 4, dub. 5, Tanneris tom. 4, disp. 6, quæst. 6, dub. 4, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 4, Tirsus disp. 41, sect. 3, et alii: Quam sententiam probant principaliter, et unice argumentis, quæ desumunt ex Concilio Tridentino, et primum sub hac forma. Concilium sess. 14, cap. 3, docet materiam hujus sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, nempe contritionem, confessionem, et satisfactionem. Deinde cap. 4, immediate sequenti declarat, quis sit ille dolor, quem dixerat esse partem materiæ hujus sacramenti dicens : « Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus « habet, animi dolor, ac detestatio est de « peccatis cum proposito non peccandi de « cætero: » ergo ex sententia Concilii animi dolor, ac detestatio sunt pars essentialis hujus sacramenti ; atqui dolor de peccatis cum proposito non peccandi de cetero, est dolor, sive attritio efficax : ergo hæc, et non alia inefficax, est pars essentialis hujus sacramenti, sine qua proinde hujus valor minime subsistit. Cetera constant. Et minor subsumpta probatur ex eodem Concilio : tum quia Concilium in eo cap. assignat aliquam attritionem, quæ sit dispositio ad fructum sacramenti, quam debet esse efficacem omnes concedunt ; sed non assignat aliquam, quam illam, de qua dixerat esse dolorem, et detestationem de peccatis cum proposito non peccandi de cetero ergo hujusmodi dolor est attritio efficax. Tum etiam, quia postquam Concilium descripsit illam contritionem, sive dolorem, qui est pars essentialis hujus sacramenti immediate subjunxit : « Fuit autem « quovis tempore ad impetrandam veniam « peccatorum hic contritionis motus necessarius ; » sed motus omni tempore necessarius ad remissionem peccatorum est attritio, sive dolor efficax : quippe nunquam facta est, nec sit ea remissio absque ullo dolore : ergo dolor, qui est pars sacramenti, et Concilio describitur, est attritio efficax.

Confirmatur primo : nam dolor conjunctus cum proposito efficaci non peccandi et dolor, sive attritio efficax ; sed propositum non peccandi est efficax : ergo idem attritione assignata a Concilio dicendum est. Minor prabatur : nam quale debet esse propositum non peccandi, non potest aliunde, aut melius colligi, quam ex Scriptura, et Patribus : in his autem edocemur propositum non peccandi debere esse absolutum, et efficax, ut constat ex illo Deuter. 3 : *Si ductus pœnitentia cordis reversus fueris ad Dominum in toto corde tuo, et in tota anima tua, miserebitur tui.* Et D. Gregor. hom. 34, in Evang. dixit. « Veram pœnitentiam esse admissa plangere, et plangenda non committere. » Et hujus generis testimonia plurima expendit Tirso loc. cit. a num. 14. Requiritur ergo ad propositum non peccandi, quod sit efficax.

Confirmatur secundo : quia juxta Concilium non minor dolor requiritur ad valorem hujus sacramenti, quam ad ejus fructum ; sed ad fructum requiritur dolor efficax, ut omnes docent, et statuimus in tertia assertione : ergo dolor etiam efficax requiritur ad valorem. Major suadetur : nam postquam Concilium cap. 3 dixit materia hujus sacramenti esse actus pœnitentis, nempe contritionem, confessionem, et satisfactionem, statim subjunxit : « Qui quidem « tenus in pœnitente ad integritatem sacramen-

menti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. » Ergo ea ratione sunt partes, quatenus requiruntur ad peccatorum remissionem : atque ideo totum, quod habent, ut requisita ad remissionem peccatorum, debent habere, ut sint sacramenti partes. Tantus igitur debet esse dolor, ut sit essentialis hujus sacramenti pars, quantus est in ratione dispositionis ad remissionem peccatorum. Idque explicari valet exemplo satisfactionis, quæ non est pars essentialis hujus sacramenti, sed solum integralis in ordine ad remissionem pœnæ temporalis, cujus reatus dimissa culpa, remanere solet. Nam satisfactio sub ea ratione est pars integralis hujus sacramenti, sub qua pœnam temporalem diluit, et e converso : ergo similiter attritio est pars essentialis sacramenti, quatenus requiritur ad remissionem culpæ, et e contra : ergo eandem perfectionem debet habere in ratione partis, ac in ratione dispositionis pro culpæ remissione.

Confirmatur tertio : nam Concilium, ubi assignat has sacramenti partes, eodem modo loquitur de contritione, ac de confessione ; sed confessio integra formaliter, quatenus integra, est non solum dispositio necessaria ad fructum ; sed etiam quatenus integra est pars essentialis ad valorem sacramenti : ergo contritio, quatenus efficax, est non solum dispositio pro consequendo fructum sacramenti, verum etiam pars essentialis ad valorem requisita.

Confirmatur quarto : quia postquam Concilium dixit contritionem, sive dolorem de peccatis esse hujus sacramenti partem, postea cap. 4 hunc dolorem explicans divisit illum in contritionem perfectam, et in alium dolorem minus perfectum, de quo ait : « Attritio dicitur, « quoniam vel ex turpitudinis peccati consi- « deratione, vel ex pœnæ, et pœnarum « metu communiter. » Et statim subdit : « Hanc attritionem, si voluntatem peccandi « excludat, cum spe veniæ, non solum « non facere hominem hypocritam, « sed donum Dei esse, et Spiritus sancti « impulsum, non adhuc quidem inhabi- « tantis, sed tantum moventis, quo pœni- « tens adjutus viam sibi ad salutem parat. » Unde Concilium loquendo de parte per modum materiæ hujus sacramenti non alium dolorem recognovit, et probavit, quam vel contritionem, vel alium imperfectum, qui communiter dicitur attritio ; dummodo voluntatem peccandi excludat ; attritio autem, quæ prædictam excludit voluntatem, non est inefficax dolor, sed efficax, et absolutus, ut de se liquet : ergo ex doctrina, et determinatione Concilii sola attritio efficax potest esse pars essentialis sacramenti pœnitentiæ.

60. Istud est validius fundamentum pro hac sententia, quo illam suffulciunt ejus Auctores, (a ratione namque pauca procudunt, et levia), sed istud etiam enervatur, ac subruitur ex dictis num. 23, ubi oppositum solidius, et evidentius ex Concilio Tridentino ostendimus. Ad argumentum ergo admittendo primum enthimema, negamus minorem subsumptam. Ad cujus primam probationem negamus minorem, quæ est evidenter falsa : nam Concilium ad describendum dolorem, qui est pars sacramenti pœnitentiæ, solum dixit esse « animi dolorem, ac detestationem de pec- « catis cum proposito non peccandi de « cetero, » nullam aliam adjiciendo conditionem. Sed, ubi agit de dolore disponente ad pœnitentis justificationem, illam expresse adhibuit dicendo : « Si voluntate tem peccandi excludat, cum spe veniæ » quæ exclusio non fit, nisi per attritionem efficacem : falsum itaque omnino est Concilium non exegisse aliquid aliud pro attritione, ut sit dispositio ad justificationem, quam pro eadem, ut sit pars sacramenti. Ad secundum dicendum evincere, si quid valeret, partem hujus sacramenti debere esse contritionem perfectam, nam ante legem Evangelicam hic motus requirebatur pro adultorum justificatione, et alius non sufficiebat. Quam autem falsum sit consequens, constat ex dictis § præced. Unde sicut illa Concilii verba non evincunt partem essentialem hujus sacramenti debere esse perfectam contritionem, sic non probant debere esse attritionem efficacem. Mens autem Concilii in eis verbis est satis clara : loquitur enim de contritione, sive dolore peccatorum in genere, et abstrahendo ab ejus speciebus, et conditionibus : in quo sensu verissimum est, quod fuerit, et sit ad eorum remissionem necessarius. Sed oportet assignare varias condi-

Respon- sio argu- menti.

Conc. Tr.

Conc. Tr.

tiones, quas habuit, et habet juxta differentes humanæ naturæ status. Nam in lege veteri requirebatur motus contritionis perfectæ, et etiam requiritur in præsenti statu legis Evangelicæ, ubi remissio peccatorum extra sacramentum fit. Ut autem remittantur in sacramento pœnitentiæ, sufficit attritio, si sit efficax : ceterum efficacia hæc se habet per se ad attritionem in esse dispositionis ad gratiam ; secus in esse partis pro essentia, et valore sacramenti : ad hoc enim præcisum munus de materiali se habet, quod efficax, aut inefficax sit. Nec oppositum vel leviter insinuavit Concilium in verbis relatis, sed contrarium : quia motus doloris per modum partis sacramenti non fuit omni tempore necessarius ad remissionem peccatorum ; atque ideo nec efficacia, aut inefficacia doloris in officio partis : sed est de re non supponente in testimonio Concilii.

Confir. mat. 1. respondet.

Ad primam confirmationem respondetur ; eam probare, non absque vitio, idem per idem : nam eadem difficultas est circa propositum non peccandi, ac circa efficaciam doloris. Unde concessa majori, negamus minorem intellectam de proposito requisito ad attritionem in ratione partis sacramenti. Minoris autem probatio non est ad rem : concedimus namque Scripturam, et Patres hortari ad propositum efficax non peccandi, quin, et ad contritionem perfectam : et dubitari non potest id esse laudabilius. Sed sicut illis testimoniis non evincitur necessitas contritionis perfectæ ad salvandum essentialiter partem sacramenti, quæ dicitur dolor ; ita etiam non probatur necessitas attritionis, vel propositi efficacis ad obeundum idem partis officium. Sunt autem optima dispositio ad consequendam justificationis gratiam, idque respiciunt Scriptura, et Patres, dum efficaciam propositi non peccandi commendant.

Ad 2 respondetur.

Ad secundam negamus majorem : oppositum enim constat ex dictis num. 23. Ad majoris autem probationem, concesso antecedenti, negamus omnes consequentias hinc inde illatas, quia ex illo minime deduntur. Tum quia Concilium satis aperte distinxit inter dolorem partem sacramenti, et dolorem dispositionem ad effectum sacramenti. De primo enim solum dixit esse « animi dolorem, et detestationem « depeccatis cum proposito illa non com « mittendi de cetero. » Pro secundo auten aliquid ulterius addidit dicendo, parar viam ad salutem, « si voluntatem peccand « excludat cum spe veniæ, » palam suppo nens id non omni attritioni convenire, ne dici ad convertentiam dolorem, ut partem et dolorem, ut dispositionem. Tum etiam quia valde differunt requiri aliquid ad ali quem effectum, et sufficere ad illum ; plura namque sunt requisita, quam sufficientia sicut in hac materia requiritur intenti suscipiendi sacramentum, sed non suffici sola intentio. Unde ex eo quod Concilium dicat tres illos pœnitentis actus dici partes pœnitentiæ, quatenus ex Dei institutione ad plenam, et perfectam peccatorum remissionem *requiruntur ;* minime sequitur Concilium sensisse tales actus sufficere ad plenam, et perfectam remissionem peccatorum, et consequenter esse partes, quatenus sunt dispositiones, et vice versa, dispositiones esse quatenus partes. Id plane est mera imaginatio, munera partis sacramenti, et dispositionis ad gratiam confundens ; cum sint valde distincta, et ad diversum causæ genus pertinentia, ut num. 28 explicuimus. Unde fit plus in dolore requiri, ut sit pars sacramenti, et simul dispositio ad gratiam ejus effectum, quam ut sit præcise sacramenti pars. Idque plane evincitur exemplo aliorum actuum, nempe confessionis, et satisfactionis, quæ sunt hujus sacramenti partes, quatenus ad plenam, et perfectam remissionem peccatorum requiruntur, ut docet Concilium : e tamen non sunt dispositiones ad gratiam sacramenti, sed opera externa hujus officii, sive modi gratiam causandi incapaces. Absurdum itaque est imaginari actus esse partes sacramenti, quatenus disponunt ad gratiam, et esse istius dispositiones, quatenus partes sacramenti sunt. Ex eo igitur quod Concilium docuerit illos actus dici sacramenti partes, quatenus ad remissionem peccatorum requiruntur, minime colligitur eo ipso docuisse esse inseparabiliter sufficientes per modum dispositionis a prædictum effectum ; aut non exigi majorem dolorem ad hoc posterius, quam a illud primum. Exemplum autem satisfactionis, quo hæc confirmatio promovebatur non urget : quia satisfactio est præcise pars integralis sacramenti, et non dispositio

cur

cum frequenter sit aliquid externum, et non semel consistat in aliqua privatione, utputa in jejunando, et tacendo. Quare ubi illa pars ponitur, totum suum officium peragit, et absolvit. Sed dolor, et est pars sacramenti, et est dispositio ad gratiam hujus effectum : unde contingit habere, quæ requiruntur ad rationem partis, quin habeat omnia requisita ad rationem dispositionis ; et consequenter obire valet primum munus non exercendo secundum.

Ad tertiam confirmationem potest responderi omittendo præmissas, et distinguendo consequens : *est pars essentialis*, id est, essentialiter requisita ad valorem sacramenti, negamus consequentiam : est pars essentialis, id est, sufficiens ad sacramenti essentiam, et valorem, concedimus consequentiam. Sed inde nihil conficitur, quia nos non negamus attritionem efficacem, quæ sufficit ad fructum sacramenti, esse etiam sufficientem ad ejus valorem ; sed negamus, quod ad hoc posterius essentialiter requiratur : sufficeret enim esse attritionem, licet efficax non esset. Sicut etiam dolor, qui est contritio perfecta sufficit ad rationem partis : sed tamen non requiritur, quod actus, qui est sacramenti pars, sit contritio. Respondetur secundo negando majorem : quia Concilium non eodem modo loquitur de dolore, ac de confessione : huic enim limitationem, aut conditionem non adjecit ? de dolore vero dixit esse dispositionem, *si voluntatem peccandi excludat*, quod non habet omnis attritio. In minori etiam hujus confirmationis negandum est suppositum, nempe confessionem integram esse dispositionem ad gratiam hujus sacramenti : nam confessio, cum sit opus externum, nequit tale munus exercere, sicut de satisfactione, et ob idem motivum proxime dicebamus. Unde ista confirmatio claudicat ab omni parte.

Ad ultimam neganda est major quantum ad id, quod ex Concilio illegitime, et falso deducit : oppositum enim satis perspicue colligitur, ut num. 23 expendimus. Nam Concilium agens de dolore parte sacramenti, taliter ipsum descripsit, ut comprehenderit omnem dolorem, tam contritionem, quam attritionem, et hanc tam efficacem, quam inefficacem : nihil enim in ea diffinitione positum est, quod attritioni inefficaci non conveniat. Unde omnes isti dolores comprehenduntur sub dolore, qui est sacramenti pars. At ubi Concilium accessit ad agendum de attritione, sive dolore, ut est dispositio ad gratiam sacramenti, non processit cum ea generalitate ; sed expressam conditionem adhibuit, qua posita, et non aliter, docuit dolorem imperfectum, qui attritio dicitur, ad talem effectum disponere. *Si voluntatem*, dixit, *peccandi excludat, cum spe veniæ*. Unde si dolor hanc conditionem non habeat, remanet in ratione partis sacramenti, sed non disponit ad ejus gratiam. Quare falsum est Concilium non recognovisse alium dolorem, qui foret sacramenti pars, nisi contritionem perfectam, et attritionem excludentem voluntatem peccati : recognovit namque attritionem non habentem eam conditionem, (aliter in vanum adjecta fuisset) cui convenit diffinitio doloris, ut est pars sacramenti, proposita ab ipso Concilio, quin ullum verbum diffinitionis deficiat.

61. Arguitur secundo, quia omnis sententia valida debet habere effectum : ergo cum hoc sacramentum sit institutum per modum judicii, in quo sacerdos profert sententiam juxta doctrinam Concilii Tridentini sess. 14, cap. 6, illud præcise erit validum, quod habet effectum : sed attritio inefficax non sufficit ad effectum sententiæ sacerdotis, nempe ad gratiam, qua peccata remittuntur : ergo nec sufficit per modum partis ad valorem sacramenti. Argumentum secundum.

Confirmatur primo : quia illud judicium in proferendo sententiam est simpliciter invalidum, quod ex intolerabili errore procedit ; sed hoc sacramentum est quoddam judicium, et in eo committitur error intolerabilis, ubi profertur absolutionis sententia, quando ex parte pœnitentis non adest dispositio ad remissionem peccatorum, quia attritio est inefficax : ergo hæc non sufficit per modum partis ad valorem sacramenti ; sed nobiliorem partem assignare opus est, attritionem scilicet efficacem. Confirmatio 1.

Confirmatur secundo : nam, vel pœnitens adhibet omnem diligentiam, quam potest, ut eliciat efficacem attritionem, qualis ad effectum hujus sacramenti desi- Confirmatio 2.

deratur ; aut non adhibet eam diligentiam ? Si primum, illam attritionem profecto eliciet ; siquidem potest cum adjutorio gratiæ, quæ non negatur facienti, quod est in se. Si vero non adhibeat, peccat actu, et impedit sacramenti valorem : ergo nunquam sacramentum est validum, ubi sola attritio inefficax concurrit. Id vero minime contingeret, si attritio inefficax esset sufficiens pars in suo genere ad valorem sacramenti.

Argum. respon-sio. Ad argumentum respondetur antecedens solum verificari in foro externo, et contentioso ; secus in foro interno, et spirituali, ad quod pertinet hoc sacramentale judicium. Et ratio disparitatis est, quod in foro externo non requiritur aliud ad sententiæ effectum, quam ipsa sententia : quare vel nulla est, vel effectum habet. Sed in foro interno aliter contingit : quia ad effectum sententiæ, qui est remissio peccatorum, præter sententiam sacerdotis, quæ ad illum concurrit solum in genere causæ efficientis instrumentalis, requiritur forma intrinseca peccata expellens, nempe gratia justificans, quæ adultis non confertur, nisi dependenter ab eorum dispositione : quare stante validitate sententiæ, et totius sacramenti, potest ejus effectus impediri, ubi non adest dispositio ad prædictam gratiam : et non adest talis dispositio, cum inefficax tantum attritio concurrit. Addendum est antecedens adhuc in foro externo non semper verificari in actu, sed solum in aptitudine, et quantum est ex parte sententiæ ; nam licet valida, et legitima sit, ejus tamen effectus, v. g. restitutio bonorum, multoties impeditur per violentiam, et alia obstacula : quibus exclusis, sententia non sortitur effectum, quem de se inducebat. Et hoc etiam modo licet sententia sacramentalis sit valida propter concursum omnium partium essentialium hujus sacramenti ; aliquando non inducit exercite suum effctum ob defectum dispositionis ad ipsum : sed solum aptitudinaliter, et quantum est de se ; atque ideo illum inducet, si paritas judicii tenet, remotis impedimentis, de quo alias.

Ad 1 confir-matio. Ad primam confirmationem negamus minorem quoad secundam ejus partem universaliter intellectam : quia licet, ubi indispositio pœnitentis est manifesta ministro, hujus absolutio ita foret injusta, quod totum judicium redderet invalidum everteretque sacramenti valorem : ho tamen non contingit, quando pœniten bona fide accedit putans se habere dolo rem efficacem, et esse bene dispositum Tunc enim sacerdos, id etiam credens, e ita absolvens non movetur ex errore into lerabili, sed procedit, absolvitque juxt prudentem æstimationem, quam habe secundum allegata, et probata. Quare sal vatur substantiale, et legitimum judiciun sacramentale, ejusque sententia est valida et de se inducens effectum ; qui tame impeditur ob carentiam dispositionis e parte pœnitentis ; quinimo (ut hoc adda mus) non omnibus modis impeditur, qui ubi sacramentum est validum, ut in ho casu contingit, liberatur pœnitens al onere subjiciendi clavibus Ecclesiæ peccata quæ in eo confessus fuit, de quo alias.

Ad secundam confirmationem respon detur : pœnitentem aliquando adhiber totam diligentiam, quam potest, et debe secundum prudens ejus judicium : licet r ipsa non sit sufficiens ad effectum sacra menti ob carentiam efficaciæ in attritione quæ ipsum pœnitentem latet. In quo casu ex una parte pœnitens non committit no vum peccatum accedendo ad sacramentum istudque tenet ob concursum omnium par tium essentialium ad ejus valorem requi sitarum : et ex alia parte non datur prin cipalis sacramenti effectus, gratia scilice justificans, quia non adest in pœnitent dispositio, quæ requiritur ad eam reci piendam. Quod vero dicitur gratiam no negari facienti, quod est in se, intelligi tur de faciente, quod est in se, ex viribu gratiæ, nec enim est connexa gratia cum viribus, aut industria naturalibus, ut contra semipelagianos, et contra Molinam ostendimus tract. 14, disp. 3, dub. 7, per totum. Et licet nobis detur gratia sufficien ad non peccandum : non tamen sempe datur ad vitandum materiales errores, qu peccata non sunt, immo aliquando fundan tur in prudenti æstimatione. Et hoc modo solent pœnitentes judicaré se habere efficacem de peccatis attritionem, cum non habent ; et tamen novum peccatum non committunt ad sacramentum pœnitentiæ cum ea bona fide accedendo, recipiuntque validum sacramentum ; sed fructum nempe gratiam non recipiunt, quia carent dispositione

spositione ad eam recipiendam neces-
ria.

Ultimum argumentum pro hac sententia
osset formari ex eo, quod distinctio inter
tritionem inefficacem, ut partem, et
tritionem efficacem, ut dispositionem
osque fundamento asseritur : nulla enim
tio occurrit, ut Christus ita instituerit,
m potuerit eligere, atque promovere
nam, et efficacem attritionem ad munus
rumque, et partis essentialis sacramenti,
dispositionis ad ejus gratiam : quæ
ane dispositio ex una parte non repu-
at, et ab alia est compendiosior. Aliunde
ro hæc nostra sententia non videtur ad
iud excogitari, quam ad salvandam pos-
ilitatem veri sacramenti pœnitentiæ
formis : in hunc enim finem collimant
nnes ejus discursus : unde non tam vide-
r procedere ex amore, et regulis veri-
tis, quam ex illo particulari motivo fir-
andi Thomistarum opinionem.

Sed in his refellendis non oportet im-
orari : nam, quod ad fundamentum nos-
æ assertionis spectat, illud, et sátis
rmum tam ab auctoritate Concilii Tri-
ntini, et D. Thomæ, quam a ratione
ualem materia fert) proposuimus num.
et 24. Cur autem Christus sacramento-
m institutor ita voluerit, non oportebat
spondere, quando constat ita voluisse :
d tamen non obscuram congruentiæ ra-
nem assignavimus num. 28, quare
stituerit perfectiorem attritionem pro
spositione ad gratiam, quam pro parte
cramenti. Quod vero per hæc principia
tendamus viam sternere ad asserendum
cramentum pœnitentiæ informe, nullum
ret absurdum ; cum ea assertio, et vera,
communis sit inter Theologos ; paucos
recentes si excipiamus. Sed veritas est ;
fficultates esse diversas, et in præsenti
illa præscindi. Nec ad stabiliendam
sinuatam Thomistarum opinionem opus
at resolutionem hanc, et distinctionem
præsenti statuisse : cum independenter
modo dictis possit ea sententia sarta
taque defendi per alia media, ut suo lo-
videbimus.

§ VIII.

Corollaria præcedentis doctrinæ.

62. Ex hactenus dictis possumus non pauca colligere, quin opus pro illis sit aperire specialia dubia, quæ ab aliquibus proponi, et versari solent. Colligitur primo; contritionem, et attritionem esse actus essentialiter distinctos. Hoc consectarium continet doctrinam communem inter Theologos hujus temporis ; sed cui contradixerunt plures ex antiquis, non ita distinguentes illos actus, sed solum penes diversos perfectionis modos in eodem entitative dolore. Ubi enim hic non informabatur per gratiam sanctificantem, illam appellabant attritionem; sed ubi gratiæ conjungebatur, contritionem dicebant. Alii (inter quos Scotus in 3, dist. 27, quæst. unic. § *De primo*, et Adrianus in 4, quæst. 2, de pœnit.) exigebant in dolore quemdam intensionis modum, quem si attingeret, erat contritio : secus autem, in inferiori attritionis gradu manebat. Alii vero ad durationem etiam doloris attendebant, ut non aliter esset contritio, quam si totam mensuram exploret. Quod tribuitur Scoto in 4, dist. 14, quæst. 2, § *De secundo*, et tanquam non dignum censura (de qua minime cogitamus) defenditur a Vega lib. 13, in Trident. cap. 24. Quos dicendi modos, et eorum Auctores, horumque formalia verba lata, et diligenter refert Prado tract. 7, de partibus pœnitentiæ, quæst. 1, dub. 7, § 1, et 2, et dub. 8, § 3, a num. 27. Consequenter autem ad ea principia affirmabant attritionem posse fieri contritionem, ut Scotus ultimo loco cit. litt. O, dicens: « Attritio fit contritio sine omni « mutatione reali ipsius actus. » Et Angles ejus sectator in quæst. de Contrit. art. 4, concl. 3. « Attritio eadem numero potest « fieri contritio. » Idque consequens erat ex eis principiis legitimum, et admodum intelligibile : nihil enim prohibebat, quod actus prius remissus intenderetur, et brevi tempore durans perstaret amplius, et existens prius sine gratia justificationis illi tandem conjungeretur : transibat itaque de attritione in contritionem. Sic non pauci ex antiquis discurrebant, excusandi profecto, quia ea non viderant, quæ postea Concil. Tridentinum, ut compesceret hæ- Consect. 1.

resim Lutheranam circa hujus sacramenti materiam, et hujus partes expressius docuit.

Ex quibus, et ex dictis in hoc dubio per totum, et præsertim § 1, constat hujus corollarii veritas: nam illi actus sunt essentialiter diversi, quorum objecta formalia, et primaria sunt essentialiter distincta; sed contritio, et attritio habent objecta formalia, ac primaria essentialiter distincta: ergo sunt actus essentialiter diversi. Major est communis inter Philosophos, eo quod, sicut actus habet totum suum esse in ordine ad objectum formale primarium, sic per ordinem ad illud sortitur essentialem unitatem, aut distinctionem. Minor etiam constat: quia contritio est dolor de peccato, quatenus offendit Deum super omnia dilectum, unde essentialiter supponit, aut imbibit amorem charitatis, ut ostendimus disp. 4, num. 75, et seq. attritio autem est dolor de peccato, ut est malum pœnitentis, et procedit ex inferiori longe motivo, timore videlicet pœnæ, aut turpitudinis ipsius peccati, ut satis in hoc dubio declaratum est: ergo contritio, et attritio habent objecta formalia, ac primaria essentialiter distincta. Conc. Trid. Quam distinctionem satis expressit Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 4. dividens inter dolorem charitate perfectum, qui dicitur contritio, et dolorem imperfectum, qui attritio vocatur, hujus imperfectionem, ac rationem propriam constituens non in carentia informationis per gratiam, aut intensionis, aut durationis, sicut aliqui antiquorum dicebant; sed in proprio, et peculiari ipsius motivo. « Illam vero, « *ait*, contritionem imperfectam, quæ at- « tritio dicitur, quoniam, vel ex turpitu- « dinis peccati consideratione, vel ex ge- « hennæ, et pœnarum metu communiter « concipitur, etc. » In quo differt a perfecto dolore, qui in complexo nomine dicitur absolute contritio, eo quod ex altiori motivo procedit detestans culpam, et malum Dei super omnia dilecti. Unde assertio distinctionis essentialis inter contritionem, et attritionem ita invaluit apud Theologos, quod sit inter eos communis.

Quare oppositum aliquibus antiquis deducitur consectarium; nempe impossibile esse, ut attritio fiat contritio; quippe repugnat unitas, aut realis, sine distinctione continuatio inter species diversas, quæ invicem secundum proprias, et ultim differentias excludunt: cum ergo contriti et attritio essentialiter distinguantu plane repugnat, quod attritio fiat contrit Dicitur tamen, non minus vere, qua communiter peccatorem in sacramen pœnitentiæ fieri ex attrito contritum, n ob transitum, aut conversionem unius tus in alium; sed quia ab statu attr transit ad statum contriti. Sicut quamv repugnet calorem transire in frigiditate non repugnat lignum transire a calido frigidum. Cum enim attritio juncta sacr mento sit sufficiens, tam in esse part quam in esse dispositionis, ut gratia jus ficans inducatur, quæ in radice, et habi est contritio, ob habitualem ad Deum nem ultimum conversionem: merito di tur hominem attritum fieri per sacrame tum pœnitentiæ contritum. Qui loquen modus adeo communis magis confirm primam nostram assertionem contra e qui negant puram attritionem ad sacr mentum pœnitentiæ sufficere.

63. Hinc colligitur secundo; falsam es opinionem aliquorum, qui nobiscum se tientes attritionem solam sufficere ad v lorem hujus sacramenti; et a contraria bis sententia non penitus recedentes d cent attritionem ita per modum partis s ficere, quod ad eam nihilominus non quitur immediate justificatio, sed media quia virtute sacramenti ex actu imperfe attritionis fit immediatus transitus ad tum perfectum contritionis tanquam proportionatam, et ultimam dispositi nem pro gratia sanctifiante. Hoc, inqua falsum esse constat ex dictis num. 10, ex Concilio Tridentino ostendimus att tionem cum sacramento pœnitentiæ e ultimam dispositionem ad justification pœnitentis: tum quia Concilium illa vim disponendi defert attritioni in sacramentum, quam extra sacrament non habet: porro extra sacramentum v habet disponendi remote, sed non p xime, et ultimo: atque ideo ex me Concilii disponit non præcise remote, proxime, et ultimo, ita quod alia ultim in ratione doloris sit necessaria. T quia Concilium satis aperte docet attrit nem cum sacramento in re id præstare peccatoris justificationem, quod præs

contri

ntritio cum solo sacramento in voto : æc autem sic accepta est ultima ad justi- cationem dispositio : ergo idem de at- itione cum sacramento dicendum est.

Accedit præmissum concursus disposi- vi per attritionem, et simul contritionem ensum alienum esse a mente Concilii. um enim in sess. 14, cap. 4, agit specia- ter de attritione, nullam de contritione ientionem faciens, inquit : « Et quamvis sine sacramento per se ad justificatio- nem perducere peccatorem nequeat ; ta- men eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandum disponit. » uæ impetratio, sive consecutio est infal- ibilis, et ex opere operato, qualis convenit acramentis novæ legis : et si non esset nfallibilis, nihil deferret Concilium attri- ioni cum sacramento, quod eidem etiam xtra sacramentum non conveniret ; siqui- em per se habet vim impetrandi gratiam altem fallibiliter, sicut alii actus super- aturales, si ad hunc finem ordinentur. Consequens autem directe contradicit in- entioni, et verbis Concilii, ut liquet ex lla contrapositione : « Quamvis sine sa- cramento per se nequeat : tamen in sa- cramento ad impetrandum disponit. » Fateri itaque necessarium est, quod ex Concilii sententia accedens ad sacramen- um cum attritione impetrat infallibiliter ratiam ; sed non omnis, qui cum attritione d illud accedit, elicit contritionem, ut videnti experientia constat; multi namque ta accedentes non majorem in ipso sacra- nento, aut post illud sentiunt dolorem, uam prius nec ad illum tunc eliciendum lla lege obligatur : ergo falsum est asse- ere, quod attritio ita sufficit in ratione artis, et dispositionis in hoc sacramento, t nihilominus non inducat immediate in uo genere gratiam justificationis, sed antum remote, et mediante contritione.

64. Colligitur tertio falsam etiam esse aliorum sententiam, qui dixerunt; attri- tionem non aliter sufficere ad hoc sacra- mentum, quam si a pœnitente existimetur contritio. Hi videntur ex una parte tenuisse sententiam eorum, qui contritionem per- fectam exigunt ad hoc sacramentum ; et ex alia voluisse eam temperare : ita quod licet dolor per se requisitus sit contritio, nihilominus ubi pœnitens accedit bona fide cum sola attritione, quam contritio- nem putat, Deus supplet defectum accep- tando primam loco secundæ in ordine ad sacramenti valorem, et fructum. Ita aliqui graves Auctores apud Suarium disp. 20, sect. 4, num. 7, et Leandrum disp. 7, quæst. 9 ; sed esse falsum convincitur ex dictis; quia pœnitentia est sacramentum mortuorum ; atque ideo non supponit per se vitam gratiæ in suscipiente ; quod fal- sum esset, si per se supponeret contritio- nem : hæc namque cum vita gratiæ infalli- biliter connectitur, et nec per instans sine illa est, ut expendimus num. 14, et satis constat vel ex sola condemnatione aliqua- rum propositionum Michaelis Baji oppo- situm asserentium, quas dedimus num. 15. Deinde nullus tenetur accedere ad sacra- menta cum majori dispositione, quam quæ requiritur; sed pro sacramento pœniten- tiæ sufficit attritio, ut est communis sen- tentia, quam assertione 1 statuimus : er- go nemo tenetur accedere cum majori dis- positione, atque ideo nec elicere contritio- nem, ut hoc sacramentum suscipiat. Idque amplius explicatur : nam illa falsa existi- matio, qua pœnitens se judicat contritum, cum non sit, nequit deservire, ut attritio sit dispositio, cum nihil ponat in ea : nec deservire valet, ut homo excusetur ab ali- quo peccato, dum accedit cum sola attri- tione : ergo ad nihil deservit, et absque rationabili fundamento ejus necessitas in- troducitur. Antecedens, quoad secundam partem, in qua sola poterat esse difficultas, ostenditur : quia homo non indiget excu- sare se a peccato in omittendo illud, ad quod nullo præcepto obligatur ; sed homo accedens ad sacramentum pœnitentiæ nul- lo præcepto obligatur elicere contritionem, cum attritio ad prædictum sacramentum sufficiat, ut ostensum est ; et aliunde nec ex Scriptura, nec ex traditione, nec ex Conci- liis, nec in Patribus tale præceptum occur- rat : ergo opus non est, quod pœnitens existimet se contritum, ut ab aliquo pec- cato excusetur. Recolantur, quæ diximus disp. 5, num. 231 et 266, et 304, quibus locis ostendimus attritionem conjunctam sacramento esse æquivalenter contritio- nem, tam in ordine ad integritatem, et fructum sacramenti, quam in ordine ad implendum præceptum pœnitendi.

Quæ doctrina est adeo vera, et tuta, et tutior, quam opposita juxta supra dicta a

num. 53, ut currat, teneatque etiam in articulo mortis : moribundus enim nec tunc tenetur contritionem elicere, ut sacramentum pœnitentiæ recipiat ; sed suæ obligationi satisfacit secure, et certo, si attritionem cognitam ut talem adhibeat : et hac etiam via satisfacit præcepto pœnitendi in illa hora, orto ex virtute pœnitentiæ, ut diximus disp. cit. num. 308, cum sequent. Et licet aliqui de hoc dubitaverint, aut timuerint : hæc tamen est tam certa, et non minus communis hoc tempore resolutio, quam illa a nobis asserta de sufficientia attritionis cum sacramento. Unde nec confessarius tenetur moribundum admonere, ut contritionem pro sacramento pœnitentiæ eliciat, et multo minus potest illum ad hoc obligare tanquam ad rem necessariam, scrupulos afflicto aggerendo, qui his punctus posset merito dubitare de valore confessionum, quas per decursum totius vitæ cum sola attritione fecit. Videantur ex Modernioribus Lastra tract. 1, cap. 1, sect. 6, quæst. 3, num. 36, et Emmanuel a Conceptione disp. 2, quæst. 4, num. 89, qui plures alios refert eandem resolutionem tuentes. An autem in eo articulo teneatur Deum diligere amore charitatis super omnia est difficultas longe diversa, et ad materiam præsentem non pertinens, in quo proinde non expedit immorari.

Lastra, Emmanuel.

Consectarium 4

65. Colligitur quarto ex dictis inter præcipuas differentias contritionis ab attritione computandam illam esse, quod contritio, ubi adest, etiam sine sacramento semper justificat ; e converso autem attritio in nullo casu justificat sine sacramento. Primam hujus consectarii partem negarunt Michael Bajus proposit. 31, et 71, Estius in 4, dist. 17, Sylvius 2, 2, quæst. 23, art. 2, et in Supplement. 3 partis, quæst. 5, art. 1, et alii. Quam probant primo ex Scriptura Lucæ 7, ubi Magdalena, jam Dominum multum dilexerat, et tamen non fuit munda a peccatis, donec ab ipso audivit : *Remittuntur tibi peccata*. Unde D. August. hom. 23, inter 50, inquit : « Accessit « ad Dominum immunda, ut rediret « munda, accessit ægra, ut rediret sana. » Ergo licet contritio includat amorem Dei, aut ex eo procedat, non semper delet peccata, et justificat, nisi ubi adjungitur sacramento, aut alteri extraordinariæ Dei largitati. Secundo ex Concilio Trident. in illo cap. 4, sæpius allegato ex sess. 14, ubi dicitur : « Docet præterea, et si con- « tritionem hanc (et loquitur de perfecta) « aliquando charitati præfectam esse con- « tingat, hominemque Deo reconciliare, « priusquam hoc sacramentum actu susci- « piatur, etc. » Quibus verbis satis aperte significat contritionem non semper, sed aliquando, et contingenter consequi charitatem, per quam fit peccatorum remissio : eam namque vim significandi habent ea verba : *Aliquando contingat ;* et superflue addita fuissent, si contritio charitatem semper annexam haberet. Tertio ex D. Augustin. tract. 13, in Joan. ubi ait : « Quan- « tumcumque catechumenus proficiat, « adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat ; « non illi dimittitur, nisi cum venerit ad « baptismum. » Ad profectum autem pertinet satis principaliter contritio : ergo quamvis catechumenus illam habeat, nihilominus ex sententia D. Augustini remissionem peccatorum non consequitur antequam ad baptismum veniat. Quarto ratione, quia si contritio semper reconciliaret cum Deo, et peccatorum remissionem afferret, frustra institutum fuisset sacramentum pœnitentiæ ; quippe sine illo remitteretur peccatum per contritionem : consequens autem minime potest admitti. Ergo, etc.

D. Aug.

Sed hanc consectarii partem esse certissimam constat ex supra dictis num. 13, quoniam contritio essentialiter importat connexionem cum charitate, quippe quæ procedit ex ejus amore erga Deum dilectum super omnia, et per modum ultimi finis : charitas autem, et ejus amor non junguntur cum peccato, ut constat ex condemnatione Michaelis Baji oppositum asserentis, ut ibi expendimus : ergo contritio nunquam conjungitur cum peccato : atque ideo semper affert, vel infert ejus remissionem, saltem indirecte, et per modum dispositionis incompossibilis. Quod verum est de charitate tam actuali, quam habituali propter ordinem ad Deum ultimum finem super omnia dilectum, a quo omne grave peccatum avertit. Aliunde vero hæc resolutio habet firmiores adhuc radices in Concil. Tridentino, nam sess. 6, cap. 4, docet hominem Deo reconciliari per veram pœnitentiam, priusquam baptismum suscipiat,

cipiat, licet non independenter ab hujus voto. Et sess. 13, cap. 7, permittit in aliquo casu, quod sacerdos celebret non præmissa confessione, licet peccaverit mortaliter. Id vero minime permitteret, si ex Concilii sententia, contritio (quam eo casu potest sacerdos elicere) non excluderet peccatum antecedenter ad sacramentum pœnitentiæ. Et cap. 4, sess. 14, docet contritionem charitate perfectam reconciliare hominem Deo, priusquam sacramentum pœnitentiæ in re suscipiat, licet dependenter a voto illud suo tempore suscipiendi. Unde sic communiter docent Theologi hujus temporis, et eorum, ac omnium Princeps D. Thomas id aperte asseruit in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 5, quæst. 1, dicens: « Contritio, in quantum est actus virtutis, « est quasi causa materialis remissionis « peccati, eo quod dispositio est, quasi ne« cessitans ad justificationem, ut supra « dictum est. » Et quæst. 3, addit: « Quan« tumcumque parvus sit dolor, dummodo « ad contritionis rationem sufficiat omnem « culpam delet. » Similia omnino repetit 3 part. quæst. 86, fere per totam, et præsertim art. 6. Iidem etiam Theologi solent oppositam sententiam aliqua censura notare. Curiel 1, 2, quæst. 112, art. 3, dub. unico dicit illam esse periculosam, et parum tutam in fide. Vasquez tom. 2, in 3 part. disp. 152, cap. 1, asserit eam esse contra sententiam catholicam. Coninchus tom. 1 de sacram. quæst. 68, art. 2, dub. 3, judicat esse erroneam. Lugo disp. 5, sect. 8, dicit esse temerariam, et scandalosam. Et alii alias notas ei adhibent, a quibus præscindimus, asserentes tantum nostram, et communem resolutionem esse certissimam.

Quæ vero illi opponebantur, facile diluuntur. Ad primam respondetur, quod Christus jam dixerat Simoni, *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*: deinde dicit mulieri, *Remittuntur tibi peccata*. Quæ non cogunt, ut imaginemur bis illi remissa peccata fuisse. Et sicut ad id non cogunt, ita nec ad existimandum, quod non fuerint remissa ante illorum verborum prolationem. Dimissa itaque illi fuerunt, cum *dilexit multum*. Et verba a Salvatore postea prolata, *Remittuntur illi, Remittuntur tibi* deservierunt, tum, ut absolveretur coram hominibus, quæ prius jam ob dilectionem erat coram Deo absoluta: tum ad confirmandum absolutionem prius invisibiliter datam. Aliæ expositiones videri possunt in Prado in supplem. quæst. 1, dub. 3, § 2. Sed hanc judicamus veritati, ac literæ magis cohærere, et sinceriori sensu decurrere. Et eodem modo explicanda sunt illa D. Augustini verba, *Accessit immunda, etc.* nempe secundum æstimationem hominum de illa muliere, *quæ erat in civitate peccatrix*, et redit munda, vel apud ipsos propter Domini testimonium. Ad secundum respondetur illis Concilii verbis probari satis efficaciter communem sententiam, ut proxime fecimus. Et quod opponitur, scrupulus est levis, sola textus lectione dispellendus. Agit Concilium in eo capite de contritione in genere, quæ est pars sacramenti, et abstrahit a perfecta et imperfecta, ut sæpius in hoc dub. expendimus. In hoc itaque sensu dixit contingere aliquando contritionem perfectam charitate reconciliare antecedenter ad usum sacramenti: non quia non omnis contritio charitate perfecta infallibiliter reconciliet; sed quia non omnis contritio est perfecta. Sicut omnis justus diligitur infallibiliter a Deo; sed contingit hominem habere aliquando justitiam.

Prado. Ad secundam

Ad tertium dicendum; D. Augustinum ea verba dixisse, ut catechumenos hortaretur ad suscipiendum baptismum, et injuriam aliquorum in id procurando reprehenderet. Unde intelliguntur de catechumeno negligente ad baptismum accedere: talis namque quamvis sibi videatur in virtute proficere, nihilominus suorum peccatorum sarcinam portat: quam deponere non valet, nisi per gratiam justificantem communicatam, vel per baptismum in re, vel dependenter ab ejus voto. Et neutrum salvatur in catechumeno negligente: non primum, ut supponitur; nec etiam secundum; quia verum baptismi desiderium non habet, qui negligit illum suscipere. Unde ipse S. Doctor quæst. 33, in Numer. docet Cornelium ante baptismum justificatum, mansisse obligatum præcepto suscipiendi baptismum: quod si contemneret, aut ex negligentia omitteret, eo ipso excideret a justitia, et minime salvaretur. Ad quartum patet ex immediate dictis: nam datur præceptum divinum de eo, quod homo peccata

Ad tertium. D. Aug. Ad quartam.

gravia post baptismum commissa subjiciat clavibus Ecclesiæ in sacramentali confessione, cum Christus ad hunc finem sacramentum Pœnitentiæ instituerit, ut constat ex dictis disp. 4, a num. 141. Unde licet peccator possit media contritione justificari, antequam ad istud sacramentum accedat; secus autem absque voto, sive proposito illud suscipiendi tempore debito. Foret autem superfluum tale sacramentum, si contritio justificaret cum omnimoda ab eo independentia : sed res aliter contingit : quia contritio importat secundum se, et in omni statu propositum adhibendi media pro salute necessaria : quorum unum ex Christi institutione pro præsenti statu est confiteri peccata gravia legitimo hujus sacramenti ministro. Sicut etiam voluit esse medium necessarium baptismum. Unde licet quis sanctificaretur in utero, idque illi fuisset a Deo revelatum, adhuc teneretur ad baptismum suscipiendum ut satis perspicue docet D. Thom. in hac 3 part. quæst. 68, artic. 1 ad 1.

D. Thom.

Secun a pars consectarii, et contra eam Sylvius.

66. Sed veniamus ad secundam hujus consectarii partem, in qua contrapositione ad primam deduximus per attritionem separatam a sacramento in nullo eventu justificari peccatorem, sive (et in idem recidit) ejus peccata directe, vel indirecte remitti. Oppositum hujus consectarii docuit Sylvius in supplem. quæst. 1, art. 3, dicens attritionem sine sacramento sufficere ad justificationem casu, quo susceptio sacramenti fiat impossibilis pœnitenti, ut si non adsit, nec vocari possit sacerdos. Cujus sententiæ fundamentum non in alio stat, quam in pietate quadam, ne homo, cum per veram attritionem de suis peccatis dolet, condemnetur : quod præsumendum non videtur de divina misericordia.

Probatur consectarium. Leander Last. Conc. Trid.

Sed nostra resolutio est communis inter Theologos, quibus non paucis relatis, subscribunt Leander, disp. 1, quæst. 46, et Lastra cap. 1, sect. 6, nu. 23. Et probatur efficaciter ex Concil. Trident. sess. 14, cap. 4, ubi describit conditiones attritionis in suo genere perfectissimæ, quam dicit esse donum Dei, et Spiritus Sancti impulsum : et nihilominus addit : « Et quamvis sine « sacramento pœnitentiæ per se ad justifi- « cationem perducere peccatorem nequeat; « tamen eum ad Dei gratiam in sacramento « pœnitentiæ impetrandam disponit. » Cujus sententiæ planus sensus est, attritionem disponere quidem peccatorem ad gratiam in sacramento pœnitentiæ suscipiendam : sed per se, et absque sacramento non posse illum ad hujusmodi finem perducere. Quod falsum esset, si casu necessitatis, ubi nullus minister occurrit, per solam attritionem justificaretur peccator. Nec proderit recursus ad extraordinariam providentiam divinæ misericordiæ supra attritionis exigentiam, et vires : quia de prædicta providentia nobis non constat : unde nisi divinando absque rationabili fundamento non possumus censere in hac parte, quam secundum leges communes. Et misericordia divina dignus non est peccator, qui cum possit elicere dolorem perfectum contritionis respicientem bonum Dei, sistit in sola attritione, quæ in amore sui fundatur.

Confirmatur ex alia certa, et communi Theologorum doctrina desumpta ex Concilio Trident. sess. 13, cap. 7, et can. 11; nam sicut homini in aliis occasionibus potest deficere copia confessarii, sic etiam potest deficere sacerdoti, qui ex officio tenetur coram populo celebrare. Pro qua necessitate non aliud remedium occurrit, nisi quod sacerdos existens in peccato eliciat actum contritionis cum proposito confitendi, quam primum valeat, ut docet Concil. citato cap. 7, et nemo audebit dicere sacerdotem in tali casu suæ satisfacere obligationi eliciendo solam attritionem. Idem ergo dicendum est in casu mortis, vel alterius periculi, aut gravis necessitatis. Et ratio disparitatis est ipsa hujus corollarii doctrina, quod contritio per se, et ex natura sua habet incompossibilitatem cum peccato ob perfectam, quam importat, conversionem ad Deum finem ultimum, a quo peccatum avertit : unde etiam sacramento non conjuncta peccata excludit. Attritio autem non importat eam conversionem, sed amorem sui, ex quo timet pœnam, et dolet de reatu : unde per se sive ex propriis nequit perducere ad peccatorum remissionem, nisi adjuncto favore divinæ misericordiæ, quæ tamen hoc beneficium susceptioni sacramenti alligavit, ut ex fidei doctrina edocemur, absque fundamento ad oppositam præsumptionem. Unde convulsum relinquitur illud pro Sylvio insinuatum, et aperte fatendum est peccatorem,

qui

qui sine sacramento, et sine contritione moritur, infallibiliter condemnari, licet attritionem habuerit.

67. Quinto colligitur, quid dicendum sit de dolore, quem aliqui appellant virtualem, et solet explicari hoc affectu, *Doleo, quod non habeam dolorem de peccatis*, an scilicet sufficiat ad sacramentum pœnitentiæ? Affirmant Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 5, Navarrus in Manuali cap. 1, num. 1, et 6, Emmanuel Rodriquez tom. 1, summæ cap. 50, Sa verbo *Contritio* num. 5, et alii. Communis tamen sententia docet oppositum, et merito : quoniam certum est ad sacramenti pœnitentiæ valorem requiri dolorem de peccatis, huncque esse partem essentialem materiæ istius sacramenti, ut constat ex dictis § 1, et 2 ; sed dolor qui proponitur, non est dolor de peccatis : ergo non sufficit ad hoc sacramentum. Probatur minor : quia sicut optime cohæret, quod quis amet, et desideret amorem charitatis, et quod illum non habeat ; ita etiam componitur quem amare, et desiderare dolorem de peccatis, et illum non habere : ergo ex terminis dolor, quod dolorem de peccatis non habeam, non est dolor de peccatis. Tum etiam ; quia dolor de peccatis dividitur adæquate pro qualitate præcedentis materiæ in contritionem, et attritionem, ut liquet ex toto præsenti dub. Hic vero dolor nec contritio, nec attritio est ; sed actus alterius speciei, et omnino diversus, ut convincitur ex eorum objectis: objectum enim tam contritionis, quam attritionis est peccatum, etsi sub diverso motivo ; sed objectum prædicti doloris non est peccatum, sed carentia doloris erga peccata: ergo non est dolor de peccatis. Et non proderit pro hoc motivo diluendo recursus ad dolorem virtualem : quia nec hujusmodi ille actus est ; cum ex parte non supponat ullum dolorem formalem de peccatis, in quo ipse fundetur; alias non esset dolor de carentia doloris erga peccata, ut supponitur; et ex alia parte non sit ita perfectus, ut possit contritioni, aut attritioni æquivalere, necidem objectum attingat. Hæc in proprietate, et rigore ita se habent, et defenduntur communiter a Doctoribus, Enriquez lib. 4, cap. 26, num. 5, qui pro eadem sententia refert D. Thom. et D. Bonavent. Vasquez quæst. 92, art. 1, dub. 3, Cand. disp. 24, art. 12, Filliutio, Hurtado, Fagundez, Granado, et Llamas, et aliis, quos refert, et sequitur Leander disp. 7, quæst. 11.

Animadvertere tamen oportet aliud esse inquirere, an prædictus actus sit sufficiens dolor pro sacramento, an vero sit sufficiens signum doloris requisiti ad sacramentum? Et quantum ad primum, subscribimus communi sententiæ, quam plane motivum propositum satis evincit. Sed quantum ad secundum sentimus ejus resolutionem dependere ex judicio practico prudentiali, secundum quod censemus illum dolorem de non dolendo de peccatis esse vehemens signum, ut confessarius judicet pœnitentem esse sufficienter dispositum, habereque re ipsa dolorem attritionis aut etiam contritionis. Frequenter enim pœnitentes decipiuntur in existimando se non habere dolorem de peccatis, quem re ipsa habent. Inducuntur autem in eam falsam existimationem, eo quod non experiuntur lacrymas, aut alium in sensu dolorem : is vero, et si non spernendus, non est tamen requisitus : unde sic accedentes caute debent examinari. Si enim personæ sint assuetæ peccatis, in quæ facile relabuntur, et dicant se dolere, quod non doleant de peccatis ; credere prudenter debemus utrumque, et quod doleant de doloris erga peccata carentia, et quod istam vere habeant : et consequenter quod non accedant cum dolore requisito ad sacramentum. Unde absolvi non debent. Sed ubi illa verba proferentes sunt personæ virtuosæ, scrupulosæ, et timoratæ conscientiæ, et quæ inquisitæ affirmant se non admissuras ullum mortale pro toto mundo, prædicta verba accipi prudenter possunt pro signo sufficientis doloris, quem habent. Id experti sumus in aliquibus hujus generis, quæ summe recusabant ad sacramentum pœnitentiæ accedere, obtendentes se non dolere de peccatis, nec id sentire ; et notavimus eas propter doloris defectum in lacrymas, et anxietatis signa prorumpere, et vehementer de hoc dolere. Quis prudens hæc non interpretaretur signa attritionis, aut etiam contritionis in similibus personis, et circumstantiis? Ita profecto accipiebamus, et illas personas sic agitatas absolvimus sine ullo circa verum de peccatis dolorem scrupulo. Nec aliud voluisse putamus graves Auctores supra relatos, et præsertim Navarrum, ut ipse

Assertio temperatur.

magis se explicuit in secunda Manualis editione, cap. 1, num. 16.

Consect. 6. 68. Colligitur sexto pro confessione venialium in ordine tam ad valorem, quam ad fructum sacramenti sufficere illum dolorem, qui sufficit pro confessione mortalium in ordine ad eosdem effectus. Consectarium supponit peccata venialia esse materiam, etsi non necessariam, sufficientem tamen hujus sacramenti, ut constabit ex dicendis infra nu. 88. Supponit etiam necessarium esse aliquem dolorem pro sacramento pœnitentiæ, in qua sola venialia confitemur : quod satis superque constare poterat ex dictis § 1. Sed nec huic parti, quæ certissima est, parcunt Juniorum ingenia : occurrit enim nobis Delgadillo cap. 16, de pœnitentia, dub. 12, affirmans in confessione venialium nec pro valore, nec pro fructu requiri ullum dolorem ; sed solam eorum sine dolore confessionem sufficere. Quod probat : quia dolor peccatorum venialium non est de essentia hujus sacramenti, sed pro ea sufficit confessio peccatorum cum intentione illud suscipiendi, ut docet Christophorus a S. Joseph tom. 1, recap. opinionum, 2 part. de sacram. pœnit. dub. 1, affirmans (et merito inquit Delgadillo) hanc esse indubitatam mentem D. Tho. in 4, dist. 27, quæst. 3, art. 4, quæst. 1, in corp. Probat etiam, quia improbabile non est dari verum sacramentum pœnitentiæ informe, etiam si quis scienter accedat sine dolore mortalium, dummodo illa integre confiteatur ; quod aliter contingeret, si dolor esset essentialis hujus sacramenti pars. Hinc vero colligere evidenter sibi videtur, esse etiam fructuosum in confitente venialia absque eorum dolore : quia ex una parte sacramentum consistit ; et ex alia ejus fructui non ponitur obex peccati mortalis impedientis infusionem gratiæ, quam sacramenta, ubi obicem non reperiunt, in ea suscipiente producunt. Hinc ultra progressus asserit num. 34 in confessione venialium facta non solum sine dolore, sed cum positiva eorum complacentia gratiam produci : sicut producitur in susceptione Eucharistiæ, quamvis suscipiens actu venialiter peccet.

Christophorus a S. Joseph

Ceterum in refellendo asserta adeo falsa tædet immorari, quamvis superfluum forte non esset ad vitandum periculosam eorum praxim. Profecto voluntarium, ac liberum homini est confiteri, aut non confiteri peccata venialia ; sed ex suppositione, quod ea sola præcise confiteatur, debet aliquem de illis dolorem habere : et hanc esse veram adeo, et receptissimam Theologorum sententiam, ut superflue aliqui pro ea referrentur dixit Dicastillo dis. 6, dub. 15, cap. 1, et ita quidem est. Alioque fundamento non egemus ad id probandum, quam jam præjacto num. 2, nempe ex doctrina Concil. Florentini, et Tridentini, et communi sensu fidelium tres esse hujus sacramenti partes, et earum primam dolorem : quare sine omni dolore sacramentum pœnitentiæ non subsistit. Quamvis autem ejus materia remota possit esse diversa, videlicet vel necessaria, ut sunt peccata gravia, vel voluntaria, ut sunt levia : nihilominus sacramentum semper ejusdem rationis est, ac eisdem partibus constituitur. Quare sicut quando materia remota est peccatum mortale, requiritur ejus dolor ; ita etiam requiritur, quando talis materia est præcise aliquod veniale. Et propterea sicut qui mortalia absque ullo dolore confiteretur, impediret eo ipso non solum fructum, sed etiam valorem sacramenti : ita similiter contingeret in confitente solum venialia, quorum nullum dolorem haberet.

Probationes vero, quæ pro contraria parte afferuntur, non sunt probationes, sed novarum absurditatum monstra : ut plane est dicere eam fuisse indubitatam Angelici Doctoris sententiam, quod dolor non sit de essentia hujus sacramenti : oppositum enim evidenter constat ex testimoniis relatis nu. 2. Nec eo loco, qui objicitur negavit omnem dolorem, sed eum præcise, qui requiritur ad sacramenti fructum : quæ est difficultas longe diversa, de qua suo loco dicemus, discutientes an aliqua confessio possit esse valida, et informis. Quo etiam loco ostendemus improbabile esse, quod scienter accedens absque omni dolore validam confessionem efficiat. Unde patet ad utramque simul probationem. Porro ex talibus colligere, quod confitens tantum venialia absque omni eorum dolore consequitur sacramenti fructum, scilicet eorum remissionem per gratiam sacramenti, est novum, majus, ac superaddendum præcedentibus absurdum. Si namque absque dolore sacramentum non datur, qua ratione dabit fructum? Et quis major obex, quam carentia

carentia omnis doloris? Majus profecto est, complacentia venialium positiva, quam ea sententia dicit non obesse, ut eorum remissio fiat : et pejus probat exemplo Eucharistiæ, in qua profecto non remittuntur ea venialia, quæ illam suscipiens actu committit; sed producitur alius effectus eis compossibilis. Unde superfluum foret alia absurda opponere, quæ libertate haud dissimili admitterentur : sed æquius judicamus hæc censuræ prudentis lectoris relinquere, qui advertat communem Theologorum contra quendam Fabrum professorem Patavinum sententiam esse, quod scienter confitens sola venialia absque ullo illorum dolore efficaci, peccat mortaliter : idemque a fortiori dicerent de ea confitente sine aliquo eorum dolore absolute. Sed de hoc magis ex professo agemus dub. 6, num. 133. Interim videantur Lugo disp. 14, sect. 8, Diana 3, part. tract. 4, resolut 96, et Dicastillo disp. 6, dub. 15, cap. 3, ubi prædictam doctrinam acriter reprobant, et evertunt.

69. Præmissa igitur adeo certa suppositione procedit consectarium; non alium, nec aliter exigens dolorem ad remissionem venialium in hoc sacramento, quam ad remissionem mortalium. Unde, sicut pro dolore considerato, tam in esse partis sacramenti, quam in esse dispositionis ad sacramenti effectum, remissionem scilicet mortalium, non requiritur contritio vel in re, vel in existimatione, sed sufficit attritio, dummodo supernaturalis sit, juxta dicta in 1, et 2 assertione: sic prorsus, et in eodem sensu dicendum de dolore requisito tam in esse partis, quam in esse dispositionis respectu sacramenti, cujus materia sunt peccata venialia. Et sicut ad valorem sacramenti circa mortalia non requiritur dolor efficax eorum, sed sufficit inefficax; pro fructu vero sacramenti necessarius est dolor efficax, ut in 2, et 3 conclus. statuimus : sic etiam est discurrendum de dolore in ordine ad confessionem venialium, quo pro valore sacramenti sufficit dolor, scilicet attritio supernaturalis inefficax, sed pro fructu, et actuali venialium remissione requiritur efficax. Et ratio est, quam proxime insinuavimus, nempe, quod licet materia remota sit diversa, nempe mortalia peccata; sacramentum tamen semper est idem, et ejusdem rationis : quare importat eandem partem materiæ proximæ, dolorem scilicet peccatorum, quæ confitemur, ut concurrat per modum partis ad valorem, et per modum dispositionis ad fructum sacramenti. Aliunde vero non occurrit motivum, ut aliter quantum ad id discurramus in confessione venialium, ac in confessione mortalium : ergo idem dolor, qui sufficit, et requiritur in confessione mortalium ad relata munera, sufficit etiam, et requiritur pro eisdem muneribus in confessione venialium.

Nec momenti erit, si quis dicat venialia esse leviora mortalibus, ut ex terminis liquet, atque ideo leviori remedio indigere; unde non solum per sacramentum pœnitentiæ, sed etiam per sacramentalia expelluntur, ut diximus tract. 22, de Sacramentis, disp. 10, dub. 2. Id, inquam, nihil valet : quia solum probat esse plura pro venialibus remedia, et quod pro eorum remissione non requiritur absolute sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, quin nec sacramentalia : possunt enim immediate remitti per solam contritionem, aut amorem charitatis, quibus reparetur fervor per venialia exclusus, in cujus carentia macula illorum consistit. Sed tamen ex suppositione, quod quis pro eorum remissione voluntarie utatur sacramento pœnitentiæ, tenetur consequenter ea adhibere, quæ sacramentum exposcit ex parte confitentis ; nempe dolorem supernaturalem pro valore, et efficacem pro effectu. Et aliter scienter agens injuriam irrogat sacramento, ejus vel valorem evertens, vel fructum impediens : ac subinde idem, et eodem modo dolor requisitus ad confessionem mortalium, requiritur etiam ad confessionem venialium. Diximus supra, « Ad « eadem munera, et pro eisdem muneri- « bus, » partis scilicet, et dispositionis : quia in his stat similitudo inter remissionem mortalium, et remissionem venialium in sacramento. Sed quantum ad formam, qua formaliter fit eorum remissio, est differentia, quod pro mortalibus sufficit sola gratia habitualis ; pro venialibus, vero, et supponi debet hæc gratia, et ultra addi aliquis charitatis fervor, ut magis ex professo explicuimus loco proxime cit. et tract. 15, de Justificat. disp. 2, dub. 8, et supra in priori præsentis tract. parte in Comment. ad art. 1, quæst. 87, a num. 7, quæ lector

Curdam replicæ respondetur.

videre potest, ut majorem pro isto consectario lucem accipiat.

DUBIUM II.

Quam intensionem, et extensionem debeat habere dolor pro sacramento pœnitentiæ requisitus ?

70. Istæ etiam, quas titulus proponit, conditiones doloris pertinebant ad materiam dubii præcedentis : sed quia illud, si hæ adderentur, nimis, et non sine confusione augeretur, consultius judicavimus illas seorsim ab aliis considerare. Et quia non multi negotii sunt, eas conjungimus sub eodem dubio. Pro cujus resolutione observanda est differentia, quæ inter intensionem, et extensionem reperitur in qualitatibus corporeis, v. g. in calore. Hic namque intenditur, ubi in eodem subjecto, subjectique parte existens magis perficitur, et actualior redditur : quod non fit addendo calorem calori (id namque repugnat, sicut concursus duorum accidentium solo numero distinctorum in eodem subjecto), sed addendo calori modum, quo magis in subjecto radicatur, ejusque potentialitatem magis ad actum reducat. Extensio autem fit per dilatationem caloris præexistentis ad distinctas partes subjecti, quas prius non actuabat, ut si prius erat in dimidia parte ligni, et porrigatur ad aliam medietatem : quod fit addendo calori calorem, aut caloris partes ejusdem rationis. Et hæc quidem in qualitatibus corporeis ita contingunt. Sed in spiritualibus, ut sunt amor, et dolor voluntatis, salvatur, et explicatur intensio eadem fere proportione, videlicet addendo non qualitatem qualitati, dolorem dolori, aut gradum gradui (quæ esset coacervatio partium ejusdem rationis), sed modum majoris radicationis, per quem qualitas præexistens magis dominatur subjecto, illudque trahit ad puriorem actum. Extensio autem fieri non valet per dilatationem, sive progressum ad diversas partes subjecti, quippe quod nullas habet, cum spirituale sit : sed explicari debet in ordine ad materiam, sive objectum, quæ potentiæ, habitus, et actus spirituales attingunt, et in quibus solet major, aut minor latitudo reperiri, atque ideo major, aut minor prædictorum principiorum, et operationum extensio, ut si scientia attingens prius unam conclusionem, attingat nunc aliam ejusdem rationis : si dolor se præcise extendens ad detestandum furtum, abominetur deinde homicidium. Hæc sunt communia apud Thomistas, et videri possunt apud N. Complut. abbrev. in lib. de Generat. disp. 4, quæst. 6, per totam, et vel delibata sufficiunt ad terminorum, quibus utitur titulus, intelligentiam, quæ debet alias in Theologis præsupponi.

Differentia inter intensionem, et extensionem.

§ I.

Expeditur difficultas quantum ad intensionem doloris.

71. Dicendum est primo ad dolorem pro sacramento pœnitentiæ requisitum nullam requiri intensionem, sed sufficere ipsum dolorem secundum essentiam consideratum. Hæc secunda assertionis pars patet ex prima, et hujus legitima intelligentia constat ex dictis dub. præcedenti. Primam vero partem docet communis, certa, et recepta sententia inter Theologos hujus temporis, ut eorum plures eisdem vocibus affirmant, quare supervacaneum est illos in particulari referre. Videri tamen possunt Soto in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 4, Cano in relect. de pœnit. part. 3, § *Igitur*, Prado in præs. quæst. 1, dub. 7, Suarez disp. 4, Aversa quæst. 2, sect. 10, Lugo disp. 5, num. 84, Dicastillo disp. 2, dub. 7, et alii plures apud istos. Probatur ratione : quia si in dolore pro isto sacramento requireretur intensio ; vel esset in summo, vel in gradu determinato ; sed neutrum dici potest : ergo in prædicto dolore non requiritur intensio. Cætera constant. Et minor quoad primam partem ostenditur : quia ille conatus, vel deberet esse summus ex solis viribus naturæ ; et hic licet possit esse summus, impertinenter se habet ad rem, quam versamus : sicut enim dolor pro hoc sacramento requisitus debet esse ex gratia, ita, et ejus intensio, si necessaria foret ad sacramentum. Vel deberet esse summus ex viribus gratiæ : et in hoc sensu repugnat summus conatus : quippe quocumque dato, potest voluntas ex gratiæ viribus majorem, et majorem exhibere sine termino. Quare qui in hoc sensu exigunt summum conatum, aut intensionem, rem

rem petunt impossibilem, atque ideo impossibile etiam constituunt sacramentum pœnitentiæ. Necessarium itaque est, ut relicta hac intensione in summo, loquantur de intensione in certo gradu. Sed tunc eadem efficacia quoad hanc dilemmatis partem refellendi sunt : quoniam non est assignabilis hic certus, ac determinatus intentionis gradus, v. g. ut decem potius, quam ut octo : id namque nec auctoritas ex Scriptura, Conciliis, et Patribus, nec ulla ratio convincit, sed absque fundamento diceretur. Aliunde vero, qui hunc gradum determinatum præ aliis introduceret, divinando procederet, et non leves scrupulos conscientiis injiceret, avocando fideles ab usu sacramenti pœnitentiæ. Quis enim certo cognoscit quantitatem sui doloris ? Et qua mensura recognoscit eum habere intensionem ut decem, et non minorem ?

Confirmatur : quoniam dolor pro hoc Sacramento requisitus, aut sufficiens dividitur adæquate in contritionem, et attritionem, ut tradit Concil. Trident. sess. 14, cap. 4, et satis constat ex dictis dub. præced. sed ad salvandas veras, ac proprias rationes contritionis, et attritionis non requiritur, vel summus, vel determinatus intensionis gradus. Ergo idem de dolore pro sacramento requisito, et sufficienti dicendum est. Minor, in qua sola poterat esse difficultas, probatur in primis quantum ad contritionem, tum ex D. Thoma in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 5, quæstiunc. 3, quam absolvit his verbis : « Sic ergo « dicendum, quod quantum cum parvus « sit dolor, dummodo ad contritionis ratio« nem sufficiat, omnem culpam delet. » In quibus aperte supponit posse salvari veram, et propriam rationem contritionis, quamvis ejus quantitas, vel intensio exigua sit. Idque magis explicat exemplo baptismi, qui si verus est, delet de se peccata sive finita, sive infinita, sive magna : ac statim subjungit: « Et similiter est de con« tritione, dummodo ad rationem contri« tionis pertingat. » Tum etiam ratione, nam,quod contritio sit vere et proprie contritio, habet ex prædicatis suis specificis ; sicut homo ex eisdem habet esse vere, et proprie hominem : essentiæ autem rerum non suscipiunt magis, et minus sed per genus, et ultimam differentiam quasi indivisibiliter constituunt, ut communiter docent Philosophi, et hac ratione illas comparant numeris, quibus, si addas, vel demas aliquam unitatem, eorum essentiam evertis : ergo ad salvandum veram, et propriam rationem contritionis nullus requiritur, vel summus intensionis gradus. Tum denique quia si talis pro vera contritione gradus requireretur, maxime, quia vera contritio procedit ex amore charitatis erga Deum offensum, qui cum bonus infinite sit, exposcit infinitum, vel saltem summum amorem ex parte creaturæ, ac perinde infinitum, vel summum dolorem quod ipsum graviter offenderit. Hoc autem fundamentum nullius esse momenti constat, quia certum est nos satisfacere præcepto charitatis diligendo Deum super omnia, licet eum sub hac ratione aliqui intense, aliqui remisse diligant : præceptum enim non cadit supra modum subjectivum, qualis est conatus, sed supra objectivum, qui significatur eis vocibus, *super omnia*. Et hac ratione D. Thomas, 3 p. quæst. 70, art. 4, merito asseruit : « Mi« nima charitas plus diligit Deum, quam « cupiditas millia auri, et argenti. »

D.Thom.

Ex quibus probatam relinquimus minorem quoad secundam etiam partem,nempe attritionem : nam si salvatur vera, et propria contritionis ratio absque graduali intensionis determinatione cur non etiam vera, et propria ratio attritionis ? Eo vel maxime, quod timor inferni, aut alterius mali non est potentior ad inducendum attritionem, quam amor summi boni ad causandum contritionem ; sed contritio ex illo amore potest detestari peccata super omnia detestabilia, licet non sit in summo, aut determinato gradu intensionis, nec ad sui veram, et propriam rationem tali intensione eget, ut probatum est : ergo idem dici debet de attritione, nempe ex timore gehennæ odio habere peccatum super omnia odibilia, quamvis non sit in summo, nec determinet ullum intensionis gradum.

Alio fundam. probatur.

72. Potest secundo nostra, et communis assertio suaderi alio non contemnendo fundamento, quo posito simul corruunt fundamenta contraria : nam circa necessaria pro hoc sacramento, quod de se non levem molestiam affert pro humana fragilitate, non debemus plus obligationis, ac

laboris inducere, quam convincatur auctoritate, aut ratione ; sed, quod dolor sufficiens, et requisitus pro hoc sacramento debeat esse summus, saltem habere certum intensionis gradum, nec auctoritate, nec ratione convincitur: ergo pro hujusmodi dolore non requiritur summa, aut determinata intensio. Minor non aptius probari valet, quam referendo contrariam nobis sententiam, ejusque motiva. Scotus in 3, dist. 27, quæst. unica, § *De primo*, agens de charitatis amore, ex quo procedit contritio, et explicans illa verba, *super omnia*, affirmat posse intelligi extensive, et intensive ; et quod debent intelligi utroque modo. Adrianus in 4, quæst. 2, de pœnitentia, et quod lib. 5, art. 3, § *His præmissis* affirmat dolorem debere esse ex toto conatu voluntatis, atque ideo secundum maximam intensionem possibilem. Et ita explicat illud Joel. 2, *Convertimini ad me in toto corde vestro*, id est, in toto conatu, aut intensione possibili. Petrus de Soto lect. 14, de pœnit. in fine, et lect. 15, in principio, docet dolorem pœnitentiæ debere excedere in intensione omnem alium dolorem voluntatis, et procedere ex charitatis amore, qui intensior sit omni amore erga creaturam. Idque tam mordicus tenet, ut asserat majoritatem in hac parte doloris solum prælative, et non etiam intensive non consonare Scripturæ, nec Patribus, nec rationi, nec utilitati animarum. Denique Nugnus ab ista sententia non penitus recedens, sed cam aliquo modo temperans docet, quod licet ad contritionem non requiratur determinatus gradus, sed vel minus intra, et extra Sacramentum sufficiat ; nihilominus quæcumque contritio debet esse intensior omni dolore naturali. Ita in Supplem. quæst. 3, art. 1, conclus. 5, et § *Sed certe*. Quibus omnibus, et præsertim Adrianus subscribit Joannes Morinus lib. 1, de administratione sacram. pœnitent. cap. 12, et 13, plura congerens testimonia Patrum inducentium ad intensionem doloris.

Motiva sent contrariæ referuntur. Scotus.

Adrianus.

Joel. 2.

Soto.

Nugnus.

Morinus.

Motiva sunt falsa, et refelluntur.

Sed omnes isti dicendi modi sunt falsi, si judicant obligationem præcepti, vel in diligendo Deum, vel in dolendo de ejus offensa. Et si id intendat Scotus, fallitur : quia licet consultissimum sit diligere Deum, super omnia tam extensive quam intensive : tamen ad hoc ultimum non datur ullum præceptum, et illam intensionem omittere, aut ea carere non est culpa. Contingit namque matrem diligentem intensissime filium suscipere in sua conversione gratiam, et charitatem remissam (dicere enim, quod charitas in omnibus intensior est omni amore honesto erga creaturas, non habet probabilitatis speciem) : ubi liquet dari minorem intensionem in amore Dei, quam in amore filii, idque citra omne peccatum. Absurdior adhuc est Adriani sententia : nam, si loquitur de conatu ex viribus naturæ, per illum non fit satis supernaturali charitatis amori. Si autem de conatu per vires gratiæ, nunquam eliciet amorem Dei intensum in summo : sicut enim Deus est infinite amabilis, sic voluntas nunquam ita illum intense diliget ex gratia, quin ex eadem possit eum magis, ac magis diligere. Quod si recurrat ad vires gratiæ non possibilis, sed quæ nobis actu confertur, id in novas, ac insuperabiles inducit perplexitates. Quis enim scit, an cum Deum diligit, utatur gratia in omni intensione, quam habet ? Aliunde vero ex prædicto modo discurrendi innumera colliguntur absurda : et ut alia omittamus, demus quod peccatori habenti plurima gravissima peccata conferatur gratia sufficiens ad actum contritionis ut duo : hic si eliciat contritionem ut duo, consequetur remissionem omnium peccatorum : quia adhibuit summum conatum juxta gratiæ vires, quam accepit. Demus alium uno tantum peccato mortali infectum, cui Deus conferat gratiam ut octo : hic si eliciat contritionem ut quatuor (ut plane potest, cum cooperatio gratiæ sit sibi libera) manebit in statu peccati, quia juxta sententiam Adriani non adhibet summum conatum, quem potuit juxta vires gratiæ receptæ. Quare facta inter eos homines comparatione reperiemus eum, qui plus peccavit, et minorem contritionem habuit, nempe ut duo, justificari ; illum vero, qui minus peccavit, et majorem contritionem habuit, nimirum ut quatuor, manere in statu peccati. Quo quid absurdius, inæqualius, et magis adversum communi omnium apprehensioni de divina justitia, et misericordia ? Rejicienda itaque est ut multum absurda sententia Adriani, et tescimonium Joelis, quo se fulcit, infra explicabitur.

Et inde convulsa manet sententia Petri de

e Soto : quia nullum est solidum caput, nde probetur amorem Dei, ex quo proceit contritio, debere excedere in intensione mnes alios amores : et oppositum constat n exemplo proxime exhibito matris dilientis intensissime filium, conversæ tamen, et justificatæ per gratiam, et Dei ilectionem, et contritionem remissas. Quod utem Scriptura, et Patres, ac vera pietas on obligent ad hanc majoritatem intensiam, sed ad aliam longe nobiliorem, statim idebimus. Nugnus etiam absque solido undamento statuit dolorem contritionis ebere esse intensiorem omnibus doloribus aturalibus : nam certum est aliquas con ritiones esse remissas, et aliquas esse aturales dolores valde intensas. Et motium, quo utitur, nempe contritionem esse upernaturalem, et procedere a nobiliori rincipio, vehementiusque movente, proat oppositum, et in ipsum regeri debet : am intensio in actibus voluntatis fit ex ehementi motione objecti moventis, aprehensi, et propositi per intellectum : um autem hujus cognitio incipiat a sensius, et in ipsos resolvatur ; vehementius egulariter movent objecta sensibilia, quam piritualia, et supernaturalia, quæ sola de apprehenduntur ; quamvis hæc aptiora e se sint ad extorquendum intensiorem ui amorem : denique testimonia, quæ ongessit Morinus, habent facilem explicaonem, quam jam jam adhibemus.

73. Prius tamen oportet difficiliora reræsentare, ad quæ cetera reducuntur. Quod ergo debeamus Deum diligere intenori amore, quam omnia alia, et dolere de jus offensa intensiori dolore, quam de mnibus aliis malis, significat Scriptura oco citato Joelis, *Convertimini ad me in oto corde vestro*. Marci, 12 : *Diliges Dominum Deum ex toto corde de tuo, et ex tota nima tua, et ex tota mente tua. et ex tota irtute tua*. Ubi nullus conatus, nulla intensio prætermittitur. Deuter. 4 : *Cum uæsieris Dominum Deum tuum, invenies um, si tamen toto corde quæsieris, et tota ribulatione animæ tuæ*. Matth. 10 : *Qui mat patrem, aut matrem plusquam me, non st me dignus*. Ex Patribus D. Ambros. ib. 2, *de pœnit.* cap. 6, ait : « Audiant, « qui agunt pœnitentiam, quomodo agere « debeant, quo studio, quo affectu, qua « mentis intensione, qua cordis conver« sione. » D. Augustin. lib. 5 *Homil.* in ult. cap. 1 : « Sicut comes pœnitentiæ do« lor est ; ita lacrymæ sunt testes doloris. » D. Anselmus lib. *Similitudinum* cap. 144, inquit : « Sicca pœnitentia est, cum ali- D. Ansel. « quis sui peccati pœnitet, sed humore « pietatis, suique ipsius compunctione ca« ret. Humida vero est, cum habet utrum« que, suumque luget peccatum magna « cordis contritione. » Hugo Victorinus Hug. lib. 2 *de Sacram.* part. 14, cap. 2, ait : « Si Vict. « in correptione minor est afflictio, quam in « culpa fuit delectatio, non est dignus pœ« nitentiæ fructus. » Ista sunt, difficiliora apud Morinum, licet plura expendat : quia ad contritionem quidem hortantur, sed quantitatem, aut intensionem ejus minime assignant. Ex relatis vero videtur concludi, quod dolor de peccatis debet esse summæ aut excellentis intensionis super omnes alios dolores.

Ut ergo illa explicemus, et fundamentum eis innitens avertamus, observandum est ex dictis tract. 19, de Charit. disp. 3, dub. unic. a num. 7, quod unus affectus potest dici major alio, aut super alium dupliciter. Primo *objective*, et contingit, quando alicui volumus majus, quidquid sit de quantitate affectus, quo illud volumus : qua ratione amor, que Petro desideramus regnum cœleste, est major illo, quo ipsi concupiscimus bona temporalia, quippe illum excedens ex parte boni voliti. Secundo *subjective*, sive ex parte subjecti, et operationis. Et hoc accidit duobus modis. In primis *intensive*, quando affectus excedit in conatu agentis, sive in modo, aut gradu majoris radicationis in subjecto : sicut si majori impetu, et conatu concupiscamus Petro bona temporalia, quam æterna. Unde facta comparatione inter illos duos affectus, primus est major objective, sive ex parte boni voliti, posterior vero est major ex parte affectus, quo amatur : nam bonum æternum est majus temporali ; sed affectus ad temporale potest esse intensior, ut proxime insinuavimus. Et rationem hujus differentiæ eleganter tradit D. Thom. in 3, distin. 29, quæst. 1, D. Thom. art. 2 ad 3, dicens : « Intensio actus præ« cipue in actibus animæ, quæ non neces« sario secundum suum posse agit, sicut « naturalia, non mensuratur ad quantita« tem objecti tantum, sed ad efficaciam « agentis, et conatum in agendo. Unde non

Observatio.

« melius videt, qui majorem rem intuetur, « sed qui clarius videt. Ideo etiam non « oportet, quod æqualiter afficiar ad illud, « cui æquale bonum desidero. » Sicut omnibus proximis desideramus æternam salutem : et tamen in hoc desiderio magis afficimur ad patrem, et fratres, quam ad extraneos : et ideo cum æqualitate affectus ex parte boni voliti, stat inæqualitas in conatu, et intensione ad personas, quibus appetimus bonum. Denique affectus ex parte subjecti potest esse major, aut minor *appretiative*, idque consistit in eo, quod personam amatam plurimi æstimamus, aliisque præferimus. Et hoc pacto amor charitatis erga Deum est major simpliciter omni amore erga creaturas, quantumvis intentio sit minor : nam charitatem habens in ea dispositione est, quod si opus esset deserere propter Deum personas intimo, ac intensissimo sibi amore conjunctas, ut patrem, uxorem, et filios, illos relinqueret propter illum : quia ex vi charitatis Deum majori pretio habet, quam alia cuncta licet intensissime dilecta, velletque omnia amittere, quam Deum.

Porro hanc distinctionem majoris amoris *intensive*, et majoris amoris *appretiative*, seu *prælative* non esse pro voluntate fictam, ut opponit Petrus de Soto, sed rationabiliter inventam, et admittendam constat tum ex communi sententia Theologorum illa utentium : tum exemplo proposito matris diligentis intensissime filium et Deum remisse, quæ tamen, dum charitatem habet, pluris Deum, quam filium æstimat, parata, si necessitas postularet, hanc propter illum relinquere. Cui alia addemus, quæ rem elucidant, et confirmant. Frequenter videmus parentes dulcius, ac intensius diligere filios infantilis ætatis, quam majoris : sed amore appretiativo illos primogenitis postponere, ægriusque istorum paterentur jacturam, quam illorum. Fœmina vehementius, et intensius solet diligere catellum, quam aurum, et tamen si opus esset unum eorum amittere, aurum catello præponeret: unde convincitur eam plus absolute diligere aurum, non quidem intensive, sed appretiative, et in prælatione. Et ut ad altiora ascendamus, contingit nos vehementissime dolere de peccato gravi, et scandaloso proximi, præsertim valde propinqui, ut patris aut fratris : quin adeo vehementem, et intensum dolorem habeamus de uno peccato veniali proprio : et tamen malle debemus vitare unum veniale proprium, quam aliena licet gravissima ; atque ideo dolor appretiativo, et absolute tali magis dolemus de uno proprio, quam de omnibus alienis, licet ista aliquando intensius, sensibilius plangamus. Sic etiam de passione Christi solemus intensius dolere quam de peccatis propriis levibus : sed absolute, et appretiative magis de his debemus dolere, quam de passione Domini cujus signum est, quod nec ad illam vitandam deberemus, nec possemus ullum, vel levissimum peccatum committere. Unde ut bene observat Dominicus Soto in 4; dist. 17, quæst. 7, art. 4, quantum ad intensionem gradualem actus, et acerbitatem sensualem doloris nihil vetat, quominus Magdalena potuisset amarius flere Christi mortem, quam propria peccata : sed vice versa dolore appretiativo magis dolebat de peccatis, quam de illa morte, et passione potiusque, si necessitas exigeret, permitteret, ac eligeret Christum mori, quam semel peccare. Ex quibus omnibus satis liquet quomodo tam in amore, quam in dolore distingui debeat inter intensionem, et appretiationem ; et quomodo facta comparatione inter duos amores (idem intelligi de doloribus) possit unus excedere alium in intensione, et vice versa superari in appretiatione ; ac denique quomodo ille amor sit simpliciter major, qui est major appretiative, quippe qui licet remissus tandem ad se trahit, sibique subordinat, ubi opus est, totam intentionem alterius, quamvis intensissimus sit

74. Hinc patet responsio ad omnia testimonia, quæ pro contrariis dicendi modi opponebantur : solum enim evincunt necessitatem doloris pro consequendo remissionem peccatorum, et hic dolor debet esse summus appretiative inter omnes dolores relatos ad alia mala, quæ peccatum non sunt : tali enim dolore debet homo esse dispositus, quod omnia mala potius sustineret, quam peccare, idque apud se firmiter constituat. Sicut enim pro implendo præcepto charitatis sufficit amor Dei appretiativus, qui ipsum omnibus bonis præponat, statuendo omnia, ubi opus esset relinquere propter Deum, idque importat diligere Deum ex toto corde, et tota mente

et virtute, ut loquitur Scriptura : sic etiam pro implendo præcepto pœnitentiæ, tam intra, quam extra Sacramentum, sufficit dolor de peccato appretiativus, qui ipsum præponat omnibus malis : statuendo omnia potius sustinere, quam peccatum committere, idque est converti ex toto, aut in toto corde, ut ex Scriptura edocemur. Non tamen negamus illam etiam hortari ad intensionem doloris, quin et ad dolorem sensibilem, sicut Mich. 4 : *Dole, et satage filia Sion, sicut parturiens.* Hierem. 31: *Pone tibi amaritudines, et dirige cor tuum in viam rectam.* Et David dicebat : *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Et rursus: *Lavabo per singulas noctes lectum meum.* Sed hæc, quamvis optima, et consulenda non sunt materia præcepti ad implendum illud, quod ad remissionem peccatorum spectat, præsertim in sacramento pœnitentiæ : sed sunt materia consilii : vel ad summum pro valore sacramenti concurrunt solum in voto, sicut alia, quæ pertinent ad satisfactionem injungendam a ministro. Eodem modo explicanda sunt Patrum testimonia. Sed pro omnibus addimus remissionem peccatorum posse considerari vel quantum ad culpam, vel quantum ad pœnam. Et in priori consideratione non requiritur certus summus, aut determinatus gradus intensionis in dolore; sed hic secundum speciem in quolibet gradu sufficit, ut in assertione statuimus, et satis patet ex hactenus dictis. In secunda autem consideratione non semper prædictus dolor sufficit ad luendam pœnam, atque ideo nec ad perfectam, et consummatam peccatorum remissionem : quippe ablata macula peccati, remanere solet reatus ad pœnam temporalem satis ingentem, pro qua luenda necessarius sit vehemens, ac frequens peccatorum dolor cum gemitibus, lacrymis, ac pœnalitatibus sensibilibus, easque pœnitentias vocamus. Quas, et earum intensionem consulunt Scriptura, et Patres, ut perfectam consequamur peccatorum remissionem, videlicet quantum ad culpam, et pœnam. Sed minime docent hæc requiri ad dolorem requisitum, et sufficientem pro sacramento, nec ad veram contritionem extra illud, ad quæ sequatur remissio peccatorum, quantum ad culpam, de qua remissione in præsenti agimus.

75. Sed pro perfectiori intelligentia tam assertionis, quam doctrinæ hactenus traditæ, duo oportet observare. Primum, quod licet dolor contritionis, vel attritionis requisitus, aut sufficiens ad hoc sacramentum debeat esse major appretiative aliis omnibus doloribus, quatenus ex vi modi detestandi peccatum magis eligeret homo sustinere omnia mala, quam malum peccati admittere ; nihilominus non requiritur quod actu reflexo, et signato faciat eam comparationem, et prælationem: et multo minus requiritur quod confessarius de his reflexionibus, et comparationibus faciendis pœnitentem admoneat. Quoniam ipse dolor contritionis aut attritionis ex sua specie, sive modo tendendi in primarium objectum, nempe in peccatum tanquam in summum, et maximum malorum, ut destruendum illam prælationem appretiativam importat : nec est amplius requirendum. Quin potius stulte, et imprudenter ageret confessarius, qui has expressas comparationes proponeret pœnitentibus exiguæ virtutis, illos conjiciendo in angustias non necessarias, utputa ardendi in fornace, sustinendi alapam injuriosam, etc. ad vitandum peccatum. Cum enim malum sensibile in speciali propositum moveat vehementer appetitum, sicut delectabile præsens, potest trahere voluntatem in periculum consentiendi peccato, ut malum horribile evadat. Ubi autem id expresse non proponitur, relinquitur voluntas magis expedita, ut odio habeat peccatum illudque cavere decernat, tanquam malum omnibus detestabilius. Et quamvis urgente gravissima tentatione, aut injecta molestissima pœna, homo forsan ab illo dolore, ac proposito deturbaretur in peccatum ruens : tamen talis dolor, et propositum, quandiu manent, sufficiunt pro sacramento ; quia actu habent quidquid ex parte appretiationis peccati super alia mala requiritur : quare exturbari non debent per imprudentes comparationes ad alia mala vehementia, et quasi sensibiliter applicata. Nam sicut minor gratia sufficit ad proponendum sustinere martyrium propter fidem, quam ad illud actu sustinendum ; sic dolor, et propositum, quæ non urgente gravi tentatione consistunt, sufficiuntque ad sacramenti valorem, ubi illa occurret, forte succumberent, ac deficerent. Et in hujus tentationis periculum pœnitentes traheret indiscretus confessarius, qui, ut

de eorum dolore, ac proposito experientiam sumeret, illis proponeret urgentes tentationes, ut nobili, sustinendi gravissimam injuriam ; juveni, repellendi fœminam sollicitantem, et sic de aliis.

Unde incidenter colligitur, quid dicendum sit de illo affectu, qui explicari solet his verbis: *Mallem pœnas inferni pati, quam peccare ;* sentimus namque, quod licet offensa Dei sit dignior odio, quam pœna inferni, cum peccare sit pejus, quam puniri propter culpam ; nihilominus nemo tenetur ad eam electionem conditionatam. Quoniam secundum præsentem providentiam eligere pœnam inferni non est medium ad evitandum peccatum ; et talis pœna ob nullum finem est eligibilis. Sicut enim recta ratio dictat æternam beatitudinem esse quærendam, sic etiam, et eodem dictamine præscribit fugiendam æternam miseriam illi felicitati contrariam : atque ideo fuga æternæ miseriæ est honesta, et ejus electio turpis. Et sicut juxta rectam rationem est, appetere æternam felicitatem consistentem in possessione ultimi finis; sic nihil disconvenientius prædictæ rationi apparet, quam eligere æternam a fine ultimo separationem, quam importat pœna inferni. Non est itaque eligibilis talis pœna ulla ratione, nec apprehendi valet, ut medium ad evadendum peccatum. Cum autem personæ sanctæ, et prudentes eum affectum explicant, præcise significant majorem displicentiam erga malitiam peccati, quam erga pœnam inferni ; sed non efficiunt propositum, quo illam pœnam eligant ad evitandum peccatum ; et si ad illud conditionate conantur, est de re absolute impossibili ad manifestandum summum odium, quo peccatum aversantur : nec aliud debent, aut possunt significare. Et sic accipiendus est D. Anselmus in lib. *Similit.* cap. 190, cum ait : « Si hinc peccati pudorem, et illinc « certiorem inferni horrorem, et necessario « uni illarum deberem immergi, prius me « in infernum mergerem, quam peccatum « committerem. Mallem enim purus a pec« cato, et innocens gehennam intrare, « quam peccati sorde pullutus cœlorum « regna tenere, etc. » Ubi manifestum est implicari contradictiones simpliciter impossibiles, nempe dari infernum sine culpa, et cœlestem beatitudinem conjungi peccato ; unde consequens est ibi non explicari affectum absolutum, quem ad impossibilia terminari repugnat ; sed solum affectum conditionatum, et per exaggerationem ad explicandum odium in culpam.

D. Ansel.

Diximus supra, *secundum præsentem providentiam*, ut præscinderemus a casibus metaphysicis, qui possunt secundum aliam, et pro supremo Dei dominio excogitari ; circa quod controverti videmus inter Durandum, qui vel in eo eventu nostram resolutionem tuetur in 4, distin. 17, quæst. 5, num. 9, et Capreolum in eadem dist. quæst. 1, art. 3, ad argumenta Durandi. Et re vera Capreolus solum evincit posse Deum alicui homini suam damnationem revelare, et hunc debere assentiri, ejusque dispositioni obedire, ac conformari. Sed aliud est obedire, et sustinere ; aliud autem eligere, de quo agimus. Videantur Soto in ea dist. quæst. 2, art. 4, § *At quia*, qui nobis favet, et Prado in præsenti dub. 6, § 4, qui Capreolo magis suffragatur.

76. Secundum, quod observandum occurrit, est, quod licet unico, vel contritionis vel attritionis dolore detestemur peccata et in eo dolore non requiratur ullus determinatus gradus intensionis, ut in assertione statuimus, nihilominus prædictus dolor ita fertur contra peccata, ut pro majori illorum, aut minori gravitate magis aut minus appretiative illa detestari debet. Ita D. Thomas in 4, dist. 17, quæst 2, art. 3, qu. 3, cui subscribunt communiter Theologi. Et superfluum est aliam probationem expendere, quam S. Doctoris. « De « contritione, *inquit*, dupliciter loqui possumus. Uno modo secundum quod singillatim singulis peccatis respondet. Et « sic quantum ad dolorem superioris affectus requiritur, quod de majori peccato « quis doleat magis : quia ratio doloris est « major in uno, quam in alio, scilicet offensa Dei : ex magis enim inordinato actu « Deus magis offenditur. Alio modo potest « accipi contritio, secundum quod est simul « de omnibus, sicut in actu justificationis « Et hæc quidem contritio, vel ex singulo « rum consideratione peccatorum procedit « et sic quamvis sit actus unus, tamen distinctio peccatorum manet virtute in ipso « vel ad minus habet propositum de singulis cogitandi annexum : et sic etiam « habitualiter est magis de uno, quam de « alio. » Quod magis adhuc explicat : nam

cum

m sibi objecisset : Motus contritionis est bitus ; sed non potest unus motus esse tensior simul, et remissior : ergo contitio non debet esse major de uno peccato, iam de alio, respondit : « Ad secundum dicendum, quod in illo contritionis motu subito, quamvis non actualiter distinctio intensionis respondens diversis peccatis inveniri possit ; tamen invenitur ibi eo modo, ut dictum est : et etiam alio modo secundum quod singula peccata ordinem habent ad illud, de quo in illa contritione generali contritio dolendum occurrit scilicet offensa Dei. Qui enim aliquod totum appetit, vel diligit partes ejus, quamvis non actu, » (id est formaliter, et excite) « et hoc modo secundum quod habent ordinem ad totum, quasdam plus, quasdam minus : sicut qui aliquam communitatem diligit, virtute singulos diligit, plus, et minus secundum eorum ordinem in bono communi. Et similiter, qui dolet de hoc, quod Deum offenderit, de diversis implicite dolet diversimode, secundum quod plus, vel minus per ea Deum offendit. » In resp. autem ad 1, ptime observat, quod, quando D. Hieronymus Paulam collaudat, « quod minima peccata plangebat, sicut magna » (ut lotitur epist. ad Rusticum, et ep. ad Detriadem) non celebrat quod de omnibus eccatis doleret æqualiter ; sed quod, vel inima plangebat, ac si essent magna. que dicit S. Hieronymus per comparaonem ad alios, qui se remisse gerunt in olore levium peccatorum : nam quod ad aulam pertinet, ipsa, absdubio multo nplius doluisset de majoribus, si hæc mmitteret, juxta illud D. Ambrosii lib. 1, *Pœnit.* cap. 2 : « Qui culpam exaggeravit, exaggeret etiam pœnitentiam, majora enim crimina majoribus abluuntur fletibus. »

Ex quibus fit non esse commendabilem, e admodum securam illorum pœnitenm, qui modum hujus prælationis in dondo de suis peccatis non servant : sed ce versa magis plangunt, quæ sunt prolio honori contraria, quam alia secundum eciem graviora, ut furtum, magis, quam ulterium, aut illa, quæ exterius apparent, am quæ interius committuntur. Nam ut ad ordinem charitatis pertinet Deum ligere plusquam omnia ; sic ad eundem ordinem charitatis, et pœnitentiæ pertinet magis dolere de his peccatis, quæ nos ab ipso magis separant, et sunt absolute majora. Et hunc ordinem invertere plangendo vehementius, quæ, vel quia exteriora, vel quia turpiora, majus afferunt propriæ æstimationi detrimentum, suspectam judicant pœnitentiam, quæ non tam divino, quam humano honori consulit. Nec id contingeret absque gravi inordinatione, si excessus doloris esset appretiativus, minus æstimando peccata graviora, quam minus gravia, ut ex D. Thoma convincit. Sed putamus illum excessum esse non semel præcise intensivum circa ea, quæ majorem afferunt inter homines famæ jacturam, retento nihilominus excessu appretiativo circa peccatum de se gravius ; ita ut si aliquod committendum foret, minime eligeretur hoc, sed aliud minus, quamvis peccanti majorem ignominiam apud homines afferret. Ad eum plane modum, quo mulier solet intensius plangere mortem filii, quam propria peccata : sunt enim vehementiora in movendo ad id objecta sensibilia ; sed tamen magis appretiative dolet de peccatis, quam de filii morte : quoniam ex charitate parata est filium, et omnia perdere, potius quam peccare, et cuncta licet charissima postponit amori, et honori Dei. Ceterum ubi hæc appretiatio, sive prælatio non retineretur : gravem inordinationem committeret, qui plus doleret de peccato minus gravi, quam de graviori : nam magis paratus ad vitandum peccatum sibi infame, quam aliud de se gravius, sed apud homines non ita indecorum, convincitur suam famam præferre honori, et amori Dei, ut ex dictis constat.

77. Quare non subscribimus Soto loco cit. in 2 part. concl. ubi docet inordinationem repertam in comparatione, *Potius committerem adulteria, quam furtum*, et in similibus non esse peccatum mortale, dummodo retineatur propositum neutrum patrandi ; sed solum veniale ob aliqualem perversionem ordinis charitatis. Idque amplectuntur Henriquez lib. 1, de pœnit. cap. 17, et Trullench. lib. 4 Praxis, cap. 5, et non esse improbabile docet Prado num. 27. Suarez autem cum distinctione procedit disp. 3, sect, 10, num. 7, dicens : illam sententiam posse probabiliter admitti, quando peccata non sunt multum

Rejicitur sentent. Soti, etc

Henric. Trullenc. Prad. Suar.

inæqualia : regulariter vero esse peccatum mortale ob gravem inordinationem charitatis, et justitiæ erga Deum. Et cum eadem distinctione procedunt Nugnus in præs. q. 3, concl. 4 et 5, Coninchus disp. 2, dub. 7, n. 82, Bonacin. disp. 5, q. 7, sect. 1, puncto 7, et alii. Sed censemus semper committi gravem inordinationem in eo affectu, seu proposito ; si non propter excessum explicitum, qui semper inter peccata reperiatur, saltem propter modum, quo in illa fertur, qui quemlibet majorem excessum parvipenderet, et virtualiter parvipendet. Quod ita explicatur : nam qui serio statuit se potius commissurum adulterium, quam furtum, movetur ad hanc appretiativam prælationem ex infamia, quam furtum habet apud homines, et ipse refugit : quare ex vi hujus magis eligeret, eligitque (si peccaturus esset) plura adulteria, quam unum furtum, quippe semper occurrit eadem ratio motiva refugiendi furtum præ adulterio, nempe infamia, quæ major ex furto, quam ex adulterio apud homines reputatur. Manifestum autem est plura adulteria excedere notabiliter unum furtum : atque ideo in ea comparatione excessum, sive inordinationem notabilem reperiri : ergo qui determinat committere potius adulterium, quam furtum, committit inordinationem gravem, sive peccatum mortale. Et in hanc resolutionem inclinat Lugo disp. 5, sect. 4, num. 42, dicens, quod excessus unius peccati mortalis semper videtur habere malitiam gravem imbibitam : quia per se, et condigna punitur pœna æterna. (Et est alia ratio, qua non egemus.) Observat autem recte prædictus Auctor, (id quod admittimus) has comparationes non semper continere propositum explicitum, vel implicitum erga excessum; sed solum manifestare subjecti fragilitatem, et propensionem ad aliqua objecta præ aliis amplectenda, vel fugienda. Quo pacto firmiter statuens nullum mortale admittere circa furtum, solum declarat se esse magis tentatum, magis de se proclivem, et fragilem in una peccandi materia, quam in alia : quod verum est, sed potest dici absque ullo affectu absoluto, et conditionali aliquod admittendi ; sed cum aversione ad omnia, atque ideo sine culpa.

Nugnus. Coninch. Bonacina.

Lugo.

§. II.

Resolvitur alia dubii pars ad doloris extensionem spectans.

78. Dicendum est secundo ; dolor requisitum, et sufficientem pro sacrame pœnitentiæ debere extendi ad omnia, singula peccata in particulari. Pro legiti hujus conclusionis intelligentia observ debet, quod dupliciter potest dici, et e necessarius dolor de singulis peccatis : p mo, ita, quod unicuique peccato corr pondeat singularis actus doloris, at ideo tot sint dolores, quod peccata fueri ut pro decem debeantur decem actus do ris, et si mille, totidem requirantur. Et sensus est absurdus, licet pro illo refe soleant Ludolphus Carthusian. Sylvest Angelus, et alii apud Suarium disp. 4, s 6. Quoniam unico actu potest quis dol de multis peccatis in particulari, post p missam eorum recogitationem : sicut confessione, et enuntiatione dicit, *Mi peccavi* : et uno etiam actu potest pro p ribus satisfacere. Nec illi antiquiores positum docuerunt, ut recte ostendit Pr qu. 1, dub. 5, § 1, num. 4. Alius, itaq est illius locutionis sensus, nempe, do rem tendere non solum in commun rationem peccati, aut offensæ Dei, sed eti in singula peccata secundum speciem, individuationem, ita ut detestetur parti lares eorum rationes, quas pœnitens app hendit. Conclusio itaque nostra in secundo sensu, et non in primo proce Et rursus non determinat modum, applicatio doloris fiat ad singula peccata speciali ; an scilicet formaliter, et in ubi peccata in particulari memoria occ runt ; an solum virtualiter, implicite, in voto, ubi aliqua latent pœnitentem. N lum, itaque, istorum modorum determi assertio, sed in genere asserit dolorem hoc sacramento requisitum ferri in om peccata in particulari, sive hoc, sive modo ea attingat, et detestetur.

In hoc ergo sensu conclusio est commu inter Theologos, quorum plures refer Suarez, et Prado locis citatis, et non p cos dabimus num. 84, et num. 85; quotq enim ibi circa aliud inter se pugnant, hoc conveniunt. Et quidem merito : n veritatem assertionis demonstrat ra

theologi

eologica in hunc modum. Pœnitens tener eum dolorem de peccatis concipere, o illorum confessio constituatur in ra-ne accusationis ; sed tenetur confiteri nnia peccata in particulari secundum eciem, et numerum : ergo de omnibus is sic acceptis tenetur dolorem concipere. ntet consequentia, quia ex opposito fieret, l eorum aliqua in particulari non debere nfiteri, vel confessionem eorum non esse re accusationem. Quod est evertere esntiam hujus sacramenti, instituti per odum judicii, easque proinde exigentis rtes. Hinc oritur in pœnitente obligatio cogitandi, quantum valet, sua peccata in rticulari, quæ non magis extenditur, am obligatio de eis dolendi, et illa confndi ; siquidem recogitatio ad dolorem, et nfessionem dirigitur : quare sicut non fficit, quod pœnitens apprehendat in gere se peccasse, nec sufficit, quod in conssione solum dicat in genere, *Peccavi ;* l debet peccatorum in particulari remisci, illaque in particulari confiteri, ita n sufficit, quot doleat in genere de pecto secundum hujus communem rationem, l debet dolere de singulis peccatis, ita ut lor terminetur ad proprias omnium, et iuscujusque rationes. Et si aliquando ntingat, quod de aliquibus non recorde-, et quod subinde, nec de illis expresse leat, nec ipsa actu explicite confiteatur ; nilominus dolor, quem concipit, ad ipsa plicite, et in voto extenditur, sicut exnditur intentio confitendi ea, quorum emoria non occurrit nunc, quando occrret.

79. Et quia cuncta principia præmissi scursus luculenter docet Concilium Trintinum, placet ejus verba transcribere, æ assertionem ita evincunt, ut de ea dutari non possit inter Catholicos. Sessione go 14, cap. 5, inquit : « Ex institutione sacramenti jam explicata, universa Ecclesia semper intelligit institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, et omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere. Quia Dominus noster Jesus Christus e terris ascensurus ad cœlos, sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam præsides, et judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint : qui, pro potestate clavium « remissionis, aut retentionis peccatorum « sententiam pronuntient. Constat enim « sacerdotes judicium hoc, incognita causa, « exercere non potuisse, nec æquitatem « quidem illos in pœnis injungendis ser« vare potuisse, si in genere dumtaxat, et « non potius in specie, ac sigillatim sua « ipsi peccata declarassent. Ex his colligi« tur oportere a pœnitentibus omnia peccata « mortalia, quorum post diligentem sui « discussionem conscientiam habent, in « confessione recenseri, etiam si occultis« sima illa sint... Verum cum universa « mortalia peccata, etiam cogitationis, ho« mines iræ filios, et Dei inimicos reddant; « necessarium est omnium etiam veniam « cum aperta, et verecunda confessione a « Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ « memoriæ occurrunt peccata Christi fide« les confiteri student, proculdubio omnia « divinæ misericordiæ agnoscenda expo« nunt : qui vero secus faciunt, et scienter « aliqua retinent, nihil divinæ bonitati « per sacerdotem remittendum proponunt. « Si enim erubescat ægrotus vulnus medico « detegere, quod ignorat, medicina non « curat... Constat enim nihil aliud in « Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut « postquam diligentius se excusserint, « et conscientiæ suæ sinus omnes, et « latebras exploraverint, ea peccata con« fiteantur, quibus se Deum, et Domi« num suum mortaliter offendisse me« minerint : reliqua autem peccata, quæ « diligenter cogitanti non occurrunt, in « universum eadem confessione esse in« clusa intelliguntur : pro quibus fideliter « cum Propheta dicemus : Ab occultis meis « munda me Domine. » Et deinde canone 17, diffinit : « Si quis dixerit in sacra- Concil. Trident « mento pœnitentiæ ad remissionem pecca« torum necessarium non esse jure divino « confiteri omnia, et singula peccata mor« talia, quorum memoria cum debita, et dili« genti præmeditatione habeatur, etiam « occulta, et quæ sunt contra duo ultima Deca« logi præcepta, et circumstantias, quæ spe« ciem mutant... Anathema sit. » Hæc omnia Concilium : ex quibus constat ad sacramentum pœnitentiæ requiri, quod omnia peccata gravia in specie, et numero secundum has particulares rationes manifestentur in confessione : constat etiam, quod pro eis ita in particulari dignoscendis debet

præmitti diligens præmeditatio, et conscientiæ discussio. Unde palam concluditur necessarium etiam esse dolorem de illis in speciali, et secundum proprias rationes. Tum, quia dolor non minus est pars hujus sacramenti, quam confessio. Tum, quia, sicut confessio nequit esse accusatio, nisi illi adsit dolor ; nec valet esse accusatio de peccatis in genere, nisi adsit dolor de peccatis in genere : ita etiam non potest esse accusatio de peccatis in speciali, et secundum proprias rationes, nisi de eisdem peccatis eodem modo acceptis dolor concurrat, ut in assertione statuimus.

nfertur 80. Ex qua certa, et communi doctrina infertur, quod licet pro singulis peccatis non requirantur in hoc sacramento singuli, et distincti dolores, sed sufficiat unicus doloris actus, qui ad cuncta peccata in particulari terminetur, ut explicando assertionem statuimus ; requiritur, tamen, quod ille unus doloris actus tendat sub motivo adeo communi, et universali, ut ambiat omnia peccata secundum suas particulares rationes, quæ in confessione exponuntur, nullo excepto. Et ratio est : nam actus nequit terminari ad aliquod objectum, sive (et in idem recidit,) nequit attingere ullum objectum terminativum, nisi istud comprehendatur sub objecto motivo, sive ratione sub qua actus procedit : sicut visio corporalis attingere non valet aliquod objectum, nisi sub ratione lucidi, quæ est motivum, aut ratio sub qua visio tendit in objecta. Unde generale est, quod objectum terminativum nequeat excedere, aut prætergredi sphæram, et latitudinem objecti motivi : ergo quamvis plura, et distincta peccata secundum suas particulares rationes possint terminare illum unum dolorem, qui pro sacramento, et eorum remissione requiritur ; tamen, ut illum terminent, debet dolor procedere ex motivo omnibus communi, et quod ad omnia se extendat ; uti plane, et ad dolorem, et peccata se habent hæc prædicata, quod peccatum est offensa Dei ; quod puniendum sit gehennæ supplicio ; quod animam sua fœdidate miserabiliter deturpet : in hæc enim omnes species, et individua peccati conveniunt. Quare dolor sub his motivis, aut eorum quolibet ad peccatum terminatus, ad cuncta formaliter, et explicite, aut saltem virtualiter, et implicite se extendit, comprehenditque sub eadem detestatione. Quæ et non ampli ab hac parte pro dolore ad sacramentu requirito desiderari videtur.

E contrario infertur secundo, dolore peccati procedentem ex motivo particulai non se extendentem ad omnia peccat minime sufficere, per se loquendo, ad fru tum, et valorem sacramenti. Verbi grati habens re ipsa duo peccata mortalia, unu in specie luxuriæ, aliud in specie homicid post diligens examen non recordatur, ni homicidii, et de hoc dolet propter speci lem homicidii deformitatem, quia scilic homicidium, et justitiæ, ac charitati er proximum adversatur. Qui cum hoc dolo ad sacramentum Pœnitentiæ accederet, n ejus fructum consequeretur, nec illum d lorem per modum partis sacramenti adh beret, qui pro ejus valore requiritur. Pr mum patet : quia unum peccatum morta nequit sine alio remitti : nullum quip remittitur absque gratia sanctificante, qu omnibus opponitur, eaque formaliter ex pellit, ut ostendimus disp. 4, dub. 3, § 2 sed in tali casu non remitteretur peccatu luxuriæ : ergo nec peccatum homicidi Minor est certa : quia nulli adultorum r mittitur peccatum absque aliquo ejus d lore, vel formali, et explicito, vel virtual et implicito ; sed homo in tali casu neutr et nullo modo dolet de peccato luxuriæ non formaliter, et explicite, cum talis pe cati non recordetur, ut supponitur ; ne virtualiter, et implicite, siquidem dol sub motivo restricto ad malitiam homici dii, et non se extendente ad luxuriæ pec catum : ergo in tali casu non consequeretu remissionem peccati luxuriæ. Secundu etiam ostenditur : nam dolor, qui per mo dum partis ad valorem sacramenti requi ritur, debet extendi ad peccata oblita : hæ enim sunt etiam ex parte objecti materi necessaria hujus sacramenti, et eadem ab solutione remittuntur, ut proxime vidimu ex Concilio Tridentino ; sed qui dolet d homicidio sub motivo speciali, restrict ad solam homicidii malitiam, non se exten dit ad peccatum luxuriæ, ut ostensum est ergo ita se gerens non adhibet eum dolo rem, qui in ratione partis est necessariu pro valore sacramenti.

Confirmatur : nam ille dolor nequit ess pars sacramenti, qui cognitus impedit sa cramenti fructum ; sed ita se habet dolo speciali

pecialis de homicidio secundum specificam nalitiam homicidii : ergo talis dolor neuit esse pars sacramenti, nec hujus valori ervire. Consequentia patet. Et minor sualetur : quia, cum nemo cognoscat sua pecata occulta, alias occulta non essent ; eo pso quod sciens et prudens dolorem limiat ad illud præcise peccatum homicidii, uod cognoscit, et non se extendit aliquo modo ad occulta, manifesto periculo se exponit non consequendi fructum sacramenti, remissionem scilicet peccatorum ; quippe quæ nisi una, et simul remitti non valent, ut proxime diximus. Major denique est certa : quia, cum totum sacramentum, et ejus partes ordinentur ad fructum sicut ad finem : nullam habent cum tali fructu explicitam oppositionem : atque ideo implicatorium est esse partem sacramenti illud, quod cognitum impedit fructum ejusdem sacramenti.

81. Nec refert, si huic nostro consectario opponas primo, quod pro dolore requisito per modum partis ad valorem sacramenti sufficit attritio supernaturalis, ut statuimus dub. præced. § 1 et 2 ; sed dolor de homicidio propter ejus specialem deformitatem potest esse supernaturalis attritio, ut eodem dub. num. 5, diximus, et satis aperte colligitur ex verbis Concilii Tridentini sess. 14, cap. 4: « Illam vero contritionem « imperfectam, quæ attritio dicitur, quo« niam vel ex turpitudinis peccati conside« ratione, vel ex gehennæ, et pœnarum « metu communiter concipitur, etc. » Ergo immerito tali dolori denegamus rationem partis sufficientis ad sacramenti valorem. Secundo : quia sententia expressa D. Thomæ est, et fere communis inter Theologos ; posse dari sacramentum pœnitentiæ informe. Id autem ulla aptiori, et magis perspicua via explicari valet, quam in casu proposito, dicendo dolorem homicidii ob specialem ejus deformitatem esse vere partem sacramenti, hujusque proinde valorem subsistere ; deficere autem dolorem alterius peccati, nullumque propterea remitti, atque ideo impediri sacramenti fructum. Quod præter plurimos alios, docent ex nostris Philippus a Trinitate disp. 12, dub. 1, Gabriel a S. Vincentio disp. 6, qu. 1, Antonius a Spiritu sancto disp. 3, sect. 4, et Franciscus a Jesu Maria tract. 6, cap. 5, dub. unico: ergo minus recte oppositum affirmamus.

Hæc, inquam, non referunt, sed facile diluuntur : nam ad primum respondetur omittendo, aut concedendo præmissas, et negando consequentiam, quæ ex eis illegitime colligitur : quamvis enim attritio, ut sit pars hujus sacramenti, debeat esse supernaturalis ; tamen esse supernaturalem non sufficit, ut sit pars, sed debet habere alias conditiones : præsertim vero, quod sit dolor formaliter, vel virtualiter terminatus ad omnia pœnitentis peccata, non solum ad ea, quæ cognoscuntur, sed ad occulta, quæ latent, et quibus se carere nemo prudens, ac timoratus positive judicabit. Et aliter se gerens, procedensque sub particulari doloris motivo, se exponit periculo frustrandi sacramentum, quin potius frustrat, ut ostensum est. Nec oppositum, vel leviter insinuavit Concilium in verbis relatis: « Ex turpitudinis peccati consideratione, » sed magis nostram sententiam. Non enim dixit turpitudinis homicidii, vel furti, vel alterius specialis ; sed « turpitudinis peccati, » dixit, quæ est ratio communis ad omnia peccata, et proinde apta, ut dolor ex illa conceptus terminetur ad omnia in speciali, nullo excepto, quippe cuncta in particulari eam turpitudinem afferunt. Nec propterea negamus attritionem supernaturalem ex particulari motivo posse sufficere in aliquo casu ; sed hunc non alium recognoscimus, quam, ubi pœnitens certo cognosceret se nullum aliud peccatum habere, nisi illud de quo dolet, puta homicidium : hanc vero certitudinem non aliunde haberi posse, (saltem in decursu vitæ, et longo post tempore ab usus rationis initio) nisi ex divina revelatione, ut ex proxime dicendis magis constabit. Qua revelatione supposita, liquido fatemur posse pœnitentem confiteri homicidium cum dolore restricto ad propriam hujus malitiam ; quia nullum aliud habet : foretque sacramentum non solum validum, sed fructuosum, ut eadem ratio convincit : quia supposita notitia infallibili de non existentia alterius peccati, ille dolor supernaturalis, licet restrictus, esset sufficiens tam in esse partis ad valorem sacramenti, quam in esse dispositionis ad ejus fructum. Quare in nostro consectario meditato diximus dolorem ex motivo particulari *non sufficere per se loquendo*, etc. Hic vero revelationis casus est per accidens, et de raro

Respondet. 1 object.

contingentibus, ac perinde omittendus in doctrinali resolutione.

Secunda objectio.

82. Ad secundum concedendo majorem ut plane veram, et omittendo minorem, negamus consequentiam: quia etsi non negemus eum dicendi modum, pro tuendo sacramentum pœnitentiæ informe, esse probabilem, habereque in sui patrocinium multos, et graves Auctores; censemus tamen esse falsum, et a D. Thoma, qui sacramentum pœnitentiæ informe frequenter asseruit, nec probatum, nec insinuatum. De quo suo loco. Nunc sufficiat observare talem dicendi modum esse impracticabilem, nam idiotæ, et vulgares non dolent cum ea metaphysica præcisione doloris restricti ad unam speciem peccati, qua talem: sed dolent ex motivo generali, quod ambit omnia mortalia: idque experientia liquet, nam, si ab eorum millibus millies inquiramus, quare de peccato doleant, et ad confessionem accedant, non aliud respondent quam ex odio ad offensam Dei, ex timore inferni, ex desiderio exuendi statum miserabilem, in quo sunt: et hæc patent esse generalia inter fideles simplices motiva. Idque a fortiori dicent sapientes, qui evidentius cognoscunt latebras humani cordis, et in eis etiam post diligentem discussionem recondi aliqua peccata occulta: quare obligantur procedere sub motivo, quod ad cognita, et non cognita se extendat; ne aliter, et sub limitato motivo procedentes se exponant periculo ponendi obicem fructui sacramenti ob carentiam dispositionis ad illum. Quare cuperemus scire ab illius dicendi modi patronis, an auderent illum practicare in casu proposito? Et profecto non credimus: quia ad id opus erat, quod dicerent se certo scire nullum habere peccatum occultum, quam illud expresse cognitum. Id vero redolet haud levem superbiam alienam ab humili timore Sanctorum dicentium, *Ab occultis meis munda me Domine.* Et si dicant non esse necessarium, quod sciant certo se nullum aliud peccatum occultum habere; sed sibi sufficere, quod post diligens examen nullum aliud grave peccatum deprehenderint, sed illud præcise, de quo sub speciali motivo fœditatis, quam habet, dolent: si id, inquam, dicant, ulterius, et urgentius confutandi sunt. Quoniam eisdem fatentibus contingens est, quod post exactam, diligentemque conscientiæ discussionem, lateat in ea aliquod peccatum grave, quod absque sui dolore nec in sacramento remittitur (Nec aliter, nec ex aliis principiis defenditur apud eos Auctores modus ille salvandi sacramentum pœnitentiæ informe.) Ergo recognoscere debent id sibi posse contingere: atque ideo, quod ubi procedunt sub speciali motivo restricto ad illud præcise peccatum, quod cognoscunt, et confitentur, manifesto periculo se exponunt impediendi fructum sacramenti ob non remissionem peccati occulti, quod sine sui dolore nequit remitti, et eo non excluso minime remittitur aliud expresse cognitum. Fateri itaque opus est dolorem huic sacramento deservientem debere procedere ex eo motivo, sub quo possit terminari ad peccata etiam occulta.

Nec alia fuit sententia Concilii Tridentini in verbis supra relatis, ut liquet ea repetendo. « Constat nihil aliud in Ecclesia « a pœnitentibus exigi, quam, ut postquam « quisque diligentius se excusserit, et cons- « cientiæ suæ sinus omnes, et latebras « exploraverit, ea peccata confiteatur, qui- « bus se Dominum, et Deum suum morta- « liter offendisse meminerit: reliqua autem « peccata, quæ diligenter cogitanti non « occurrunt, in universum eadem confes- « sione inclusa esse intelliguntur: pro qui- « bus fideliter cum Propheta dicemus: Ab « occultis meis munda me Domine. » En Concilium, primo docet contingere posse, quod post diligenter exploratas conscientiæ latebras maneant aliqua peccata, quæ cogitanti non occurrant. En ulterius, docet hæc occulta in universum intelligi inclusa esse in eadem confessione: quod falsum esset, si confessio, sicut, et dolor, non fieret ex universali motivo ad omnia se porrigente: quin, et falsum esset, peccata occulta *in universum* inclusa intelligi in eadem confessione, ut diserte docet Concilium, si confessio valida posset fieri cum dolore ex motivo particulari: tunc quippe ex vi illius motivi occulta non includeret, sed excluderet potius, si non contrarie, saltem præcisive, ac negative. En denique medium, et remedium a Concilio assignatum, ut de occultis mundemur in hoc sacramento, nempe quod pœnitentes fideliter dicamus: Ab occultis meis munda me Domine. Quod remedium, et oratio supponit

onit omnium peccatorum dolorem termi-
atum, et ad cognita, et ad occulta. Sed
o remedio uti non vult, qui ad solum pec-
atum limitat motivum doloris : et eo ipso
e exponit errandi, et peccandi periculo.
oncludendum itaque est motivum doloris
equisiti tam pro fructu, quam pro valore
ujus sacramenti debere esse universale,
t ad omnia peccata in particulari se ex-
ndere.

§ III.

Unicum contra præcedentem assertionem argumentum, et ejus occasione incidentis dubii decisio.

83. Adversus præmissam conclusionem
on reperimus sententiam, quæ probetur
uctoribus. Sed tamen unum contra illam
ccurrit non leve argumentum : nam suf-
cit, quod dolor in sacramento pœnitentiæ
a terminetur ad peccata; sicut illa attingit,
m homo extra sacramentum justificatur
r contritionem ; quid enim extra sacra-
entum sufficit, a fortiori debet sufficere
m illo; sed cum homo extra sacramentum
stificatur per contritionem, non requiri-
r quod hujus dolor attingat in particulari
nnia peccata secundum eorum speciem,
numerum : ergo non requiritur, quod
olor in sacramento terminetur ad omnia
ccata in particulari secundum eorum
ecies, et numerum. Consequentia patet.
minor in qua poterat esse difficultas,
tenditur : quoniam ad dolendum de om-
bus peccatis in particulari secundum
nnium eorum speciem, et numerum, ne-
ssarium est omnia illa recogitare, et in
emoriam adducere, ut satis ex se liquet ;
quidem impossibile est objectum termi-
are ullum affectum voluntatis, quin prius
prehendatur per intellectum, et volun-
ti proponatur ; sed, ut quis eliciat actum
ntritionis, non opus habet ea recogita-
one, memoria, et repræsentatione : potest
im, vel unius in particulari, vel omnium
confuso, et in communi memoria suffi-
enter excitari ad contritionem, ut expe-
entia constat : ergo cum homo extra
cramentum justificatur per contritionem,
n requiritur, quod hujus dolor termine-
r ad omnia, et singula peccata in parti-
lari secundum proprias eorum rationes.
Respondetur concedendo majorem, et distinguendo minorem : quæ intellecta de attingentia in re omnium peccatorum in particulari, concedenda est; sed negari debet, si intelligatur de attingentia, tam in re, quam in voto : et deinde, vel neganda est absolute consequentia, vel distinguendum consequens eisdem terminis. Minoris autem probatio non aliud evincit, quam a nobis ea distinctione concessum : nempe contingere, quod non possint omnia peccata recogitari in particulari, antequam homo eliciat actum contritionis. Sed hoc solum probat eam recogitationem non præcedere in re ; minime vero, quod non requiratur saltem in voto, hoc est, in proposito illa recogitandi tempore debito. Idque eodem sensu contingit etiam in sacramento : quia licet ad illud per se exigatur recogitatio, et dolor omnium peccatorum in particulari; nihilominus contingere valet, quod vel intra sacramentum sufficiant præmissa exhibita solum in voto, puta, si adesset periculum mortis, si urgeret obligatio celebrandi, et necessitas præmittendi confessionem, et non daretur tempus necessarium ad recogitandum omnia peccata in particulari. Nam in his, et similibus casibus potest fieri sacramentum pœnitentiæ absque illa exacta recogitatione, et cum dolore omnium peccatorum in confuso, et in communi. Debet tamen concurrere votum, sive propositum illa recogitandi, et confitendi in particulari, quam primum pœnitens opportunitatem habuerit. Itaque dolor pro confessione requisitus debet, sicut ipsa confessio, esse de peccatis in particulari, ut docet communis sententia in nostra assertione proposita : sed ubi ille ita exhiberi non valet, sufficit votum, sive propositum illam exhibendi, sicut et confessionem omnium mortalium in particulari, cum fieri potuerit. Et hoc eodem modo, licet contingat contritionem, per quam homo extra sacramentum justificatur, non supponere recogitationem omnium peccatorum in particulari, et consequenter nec terminari ad illa sic considerata, sed in communi : tamen quia includit votum confessionis, (nec aliter justificat) in qua omnia in particulari exponenda sunt, propterea importat idem votum recogitandi omnia in particulari, et de omnibus ita dolendi. Quæ responsio est ipsa doctrina Conc. Trident. sess. 14, cap. 4, ubi ait : « Et certe, qui

« illos Sanctorum clamores consideraverit, « Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. « Laboravi in gemitu meo. Lavabo per « singulas noctes lectum meum. Recogitavi « omnes annos meos in amaritudine animæ « meæ, et alia hujus generis : facile intel- « liget eos ex vehementi quodam ante actæ « vitæ (*quæ recogitabatur*) odio, et ingenti « peccatorum detestatione manasse. Docet « præterea, etsi contritionem hanc ali- « quando charitate perfectam esse contin- « gat, hominemque Deo reconciliare, prius- « quam hoc sacramentum actu suscipiatur; « ipsam nihilominus reconciliationem ipsi « contritioni sine sacramenti voto (*quod in « illa includitur*) non esse adscribendam. » Cum itaque in sacramento concurrant recogitatio, confessio, et dolor omnium peccatorum in particulari; fit consequens, quod, cum contritio importet votum sacramenti, illa debent iucludere saltem in voto, ubi exhiberi non possunt in re.

eplica. 84. Sed replicabis : nam contritio per institutionem sacramenti non amisit, quod ex se, sive ex propria specie habebat; sed, ut sit contritio, et secundum suam speciem opponatur omni peccato, illudque excludat, non eget recogitatione omnium peccatorum in particulari, nec opus habet ad illa ita considerata se extendere : sufficit namque peccata in confuso detestari, quia Deum offendunt : ergo contritio per quam homo de facto, et secundum præsentem providentiam solet extra sacramentum justificari, non necessario re, vel voto extenditur ad omnia peccata in particulari secundum suas speciales rationes. Eo, vel maxime, quod contritio in lege gratiæ non est minoris valoris, aut depressioris efficaciæ, quam in statu legis naturalis, et scriptæ : in quo homo non habuit necessitatem recogitandi omnia peccata in particulari, nec dolendi de illis, ita consideratis; sed satis illi erat cognoscere in confuso peccata, et de illis pœnitere in communi.

Deluitur duplici via. In diluendo hanc replicam occurrunt duæ sententiæ contrariæ. Prima sentit contritionem ex se, et secundum speciem consideratam non includere re, aut voto detestationem omnium peccatorum in particulari : ac proinde nec afferre obligationem illa ita recogitandi, sed sufficere cognitionem eorum in confuso : idque contigisse ante institutionem legis Evangelicæ. Unde ad replicam juxta hanc sententiam respondetur omittendo majorem, concedendo minorem, et negando consequentiam : nam quod contritio de facto importet extensionem saltem in voto ad omnia peccata in particulari, non provenit ab ejus specie, et exigentia; sed ex lege, et institutione divina, quibus obligamur omnia peccata in particulari confiteri, ac subinde illa recogitare, et de eis ita in particulari confessis pœnitere. Cum enim, ut contritio vera sit, debeat includere propositum adimplendi præcepta; idcirco de facto, ut vera sit, deleatque peccata, importat vel re, vel voto eorum in particulari attingentiam. Id vero opus non erat in antiqua lege, cum in ea non esset præceptum confessionis. Nec per institutionem Evangelicam aliquid valoris, vel efficaciæ detrahitur contritioni, sed modus tantum extensionis additur propter additionem novi præcepti : ipsa namque non aliter contritio est, et vim habet delendi peccata, quam includendo intentionem adimplendi cuncta divina præcepta, ut de facto occurrit præceptum confitendi in particulari peccata. Sicut de facto debuit in lege scripta habere votum adimplendi præcepta illius legis, a quibus secundum suam speciem præscindit et ad quæ non se extendebat in lege naturæ, quia tunc non erant. Ita docent ex Thomistis Cajetanus tom. 1 Opusculor tract. 4, quæst. 2, Victoria in Summa num. 116, de Pœnit. Martinus de Ledesma 2, part. 4, quæst. 16, art. 6, Petrus de Ledesma cap. 6, de Pœnit. concl. 5, et 6 Candidus disp. 24, art. 14, dub. 2, concl 5, Joan. a Cruce de Contrit. quæst. 2, dub 2, concl. 3. Ex aliis Vasquez qu. 86, art. 2 dub. 7, Lugo disp. 5, sect. 7, num. 90 Navarrus, Vega, et Major quos refert, e sequitur Suarez disp. 4, sect. 6, Bonacina quæst. 5, sect. 1, punct. 5 et 6, Diana 3 part. tract. 4, resolut. 118, Aversa quæst 2, sect. 9, Trullench lib. 4, cap. 5, dub. 3 Tirso disp. 33, et alii plures Recentiores unde Tirso affirmat hanc esse communem et veram sententiam. Sed quid de hoc num sequenti videbis.

Quam probant : quia pro vera contritione secundum se sumpta non requiritur recogitatio peccatorum in particulari, quæ ve ipsam præcedat, vel ipsam comitetur, ve ad ipsam subsequatur : ergo prædicta re- cogitati

cogitatio nullo modo requiritur ad talem contritionem. Consequentia patet ab exclusione omnium modorum, cum quibus, vel eorum aliquo posset illa recogitatio peccatorum ad contritionem concurrere, et in antecedenti referuntur. Et illud suadetur, quoad omnes partes. Prima quidem, nam in qualibet hora, et momento potest elici contritio, juxta illud Ezechielis 18: *In quacumque hora ingemuerit peccator, etc.* sed discussio peccatorum in particulari exigit tempus non modicum: ergo non requiritur, quod talis discussio antecedat contritionem. Secunda etiam ostenditur: quia actualis repræsentatio, et recogitatio plurium peccatorum in particulari est humano modo impossibilis in eodem instanti: quippe intellectus noster nequit ad tot, et tam varia objecta simul attendere: ergo minime requiritur quod in momento, in quo fit contritio, detur actualis recogitatio peccatorum in particulari. Ultima denique constat ex immediata probatione: nam recogitatio peccatorum, quæ non requiritur per se in ipso momento contritionis, et justificationis, minus requiri potest illo transacto: ergo si in illo momento non requiritur, nec adesse humano modo potest, ut dictum est, non potest desiderari post illud. Porro recursus ad recogitationem saltem in voto, sive ad propositum recogitandi peccata in particulari, et de illis secundum proprias rationes dolendi, vanus erit: quoniam, ut contritio secundum se illud importaret, deberet assignari aliquod præceptum naturale obligans ad similem dolorem, et discussionem. Hoc autem præceptum non est assignabile, nec occurrit in veteri testamento: quod enim nunc detur, oritur ex institutione sacramenti pœnitentiæ, et ad legem gratiæ spectat.

85. Secunda sententia præcedenti contraria docet contritionem importare per se, (etiamsi non daretur præceptum confessionis) discussionem, et dolorem omnium peccatorum in particulari; vel in re, ubi id fieri potest; vel saltem in proposito illa exequendi, cum fieri possit. Quare ad replicam propositam negat minorem, ex qua consequentia pendebat. Unde retorqueri debet: nam discussio specialis peccatorum, et omnium illorum secundum suas particulares rationes doloris requiruntur ad contritionem secundum se, et in omni statu; multo magis requirentur in præsenti statu, ubi præter illa, quæ conveniunt contritioni secundum se, occurrit divinum confitendi præceptum: eruntque proinde necessaria ex duplici titulo, videlicet ex natura ipsius contritionis, et ex præcepto confitendi omnia, et singula peccata. Sic docent ex Thomistis Paludan. in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 2, concl. 5, Cano in relect. de pœnitentia, part. 3, concl. 3, Soto in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 3, Ludovicus Lopez I part. Instr. cap. 6, Nugnus in Suppl. quæst. 2; art. 6, dub. 1, Prado quæst. 1, dub. 5, § 2, Sylvius quæst. 2, art. 6, concl. 1, Sylvester verbo *Contritio*, num. 5, Raynerus in Pantheolog. tit. 14, de Contrit. cap. 4, et alii. Idem etiam docent D. Bonavent. in 4, dist. 16, secunda part. art. 2, quæst. 1, et 2, Richard. eadem dist. art. 4, quæst. 2, Durandus dist. 17, quæst. 2, et dist. 21, quæst. 3, Innocentius V, sive Tarantasia dist. 17, art. 2, quæst. 2, et 3, Gabriel dist. 16, quæst. 1, art. 3, dub. 2, Alensis 4 part. quæst. 17, membro 3, art. 8, § 1, et 2, Raymundus in Summa apud Navarrum in Summa cap. 1, num. 22, Angelus verbo *Contritio*, num. 4, Ludolphus Carthus. lib. 1 Vitæ Christ. cap. 20, Adrianus quæst. 3, de Baptismo in fine, Joannes de Medina cod. de Pœnit. tract. 1, quæst. 3, Ruardus artic. 5, contra Lutherum. Philiarchus tom. 1, de Officio Sacerd. part. 2 cap. 20, Valentia tom. 4, disp. 7, qu. 8, punct. 6, concl. 2, et alii. Et huic sententiæ plurimum favere Doctores antiquos, Dicastillo disp. 2, dub. 8, num. 172, quamvis illi contrarius, fassus est.

Paludanus, Can. Ludov. Nugnus Prado, Rayner. D. Bonav. Richar. Durand. Innoc. V. Tarantasia, Gabr. Alens. Raymund. Angel. Ludolp. Carth. Adria. Medin Philiarchus, Valen. Dicastillo.

Hanc igitur probant ejus patroni primo ab auctoritate: nam Isaiæ 38 dixit Ezechias: *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ.* Quæ verba Concil. Trident. sess. 14, cap. 4, exposuit de necessitate considerationis peccatorum ad pœnitentiam: ergo specialis hæc discussio, dolorque specialis ei respondens requiruntur ad veram contritionem secundum se, sive independenter ab institutione sacramenti pœnitentiæ, quod non erat tempore Isai.: Idem significavit David Ps. 76, dicens: *Et meditatus sum nocte cum corde meo; et excitabar, et scopebam spiritum meum,* ubi legit D. Augustin « Scrutabar spiritum meum » additque S. Doctor: « Se ipsum interrogabat, se ipsum examinabat, in se judex

Probant I, auctoritate. Psalm. 76.

D. Augustin. D. Gregor. D. Chrysostom. « erat. » Quare necessitatem hujus recogitationis, et doloris omnium peccatorum in speciali satis exprimunt idem D. August. lib. de vera, et falsa pœnit. cap. 9, et 14, et 17, D. Gregor. lib. 4 Moral. cap. 17, et lib. 8, cap. 16, et D. Chrysost. lib. 1, de compunctione in fine, et lib. 2, circa finem, et hom. 9, in epist. ad Hebr. ubi ait: « Si « quis recognoscat se peccasse, et non ad « singulas species descendat, nunquam « cessabit, » id est, non desistet a peccando. Et D. Ambrosius in præfat. ad Ps. 27, pœnitentiam describens ait, « esse commemo- « rationem delictorum, ut ea unusquisque « in se castiget. » Nec momenti erit, si cum Suario loco cit. num. 11, et aliis Junioribus respondeatur; illa Scripturæ loca solum repræsentare exempla, et facta sanctorum, qui operantur non præcise quod est necessarium, sed etiam quod melius: unde ex illis minus recte colligitur obligatio. Et eodem modo, inquiunt, exponendi sunt sancti Patres in testimoniis relatis: hortantur enim ad id, quod est perfectius, licet necessarium non sit. Id, inquam, nec momenti est, nec sustineri debet: quoniam, cum Lutherani dicerent contritionem, sive pœnitentiam non aliud esse, quam cessationem a peccando cum proposito novæ vitæ; Concil. Trident. ut hunc errorem confutaret, et ut evinceret necessitatem doloris, ac detestationis peccatorum, verbis, et exemplis illorum Sanctorum usus fuit, ut constat ex verbis relatis num. 83, quorum hic aliqua reproducemus. « Et certe qui illos Sanctorum clamores « consideraverit. Tibi soli peccavi, et ma- « lum coram te feci. Laboravi in gemitu « meo, lavabo per singulas noctes lectum « meum, Recogitabo tibi omnes annos « meos in amaritudine animæ meæ, et « alios hujus generis, facile intelliget eos « ex vehementi quodam ante actæ vitæ « odio, et ingenti peccatorum detestatione « manasse. » Et ita plane est. Sed Lutherani, si hanc Juniorum responsionem edocti fuissent, facile eluderent Concilii argumentationem dicendo illa testimonia continere exempla, et facta Sanctorum, qui operantur, non præcise quod est necessarium, sed etiam quod est melius: atque ideo in illis testimoniis non recte fundari obligationem odio habendi, ac detestandi præteritæ vitæ peccata. Neminem autem Catholicorum credimus assensurum, quod bene hoc modo responderent Hæretici. Et tamen suppetias eis ferret, qui approbaret Juniorum responsionem. Ut falsa itaque, et fallax refellenda est.

Psalm. 27. Evasio. Rejicitur.

86. Secundo probatur ratione ex his, quæ de facto contingunt: nam de facto contritio importat vel in re, ubi fieri potest, vel in voto, quando in re fieri non valet, discussionem omnium peccatorum in particulari, et consequenter de eisdem dolorem extensum ad omnes speciales eorum rationes, ut constat ex dictis num. 78, et 83. Ergo idem dicendum est de contritione secundum se, et in omni statu. Probatur consequentia: nam ideo ita de facto contingit in contritione, quia peccata deferenda sunt ex Christi institutione sacerdoti, qui, ut judex de illorum gravitate, et de condigna pro eis satisfactione judicet; et tanquam medicus cuilibet morbo convenientia remedia provideat, ne iterum pœnitens in morbum, et mortem recidat; et denique ut attente censeat de obligationibus pœnitentis erga proximum, utputa ad restitutionem famæ, vel bonorum temporalium. Ab his namque radicibus provenit obligatio manifestandi confessario omnia peccata in particulari, atque illa recogitandi secundum suas species, et numerum, ut optime, ea perspicua deduxit Concilium Trident. in verbis relatis num. 79, docens Christum sacerdotes reliquisse sui vicarios tanquam judices, « ad quos « omnia mortalia crimina deferantur, in « quæ Christi fideles ceciderunt, quo, pro « potestate clavium remissionis, aut re- « tentionis peccatorum sententiam pro- « nuntient. Constat enim sacerdotes judi- « cium hoc, incognita causa, exercere non « potuisse; nec æquitatem quidem illos in « pœnis injungendis servare potuisse, si « in genere duntaxat, et non potius in « specie, ac sigillatim sua ipsi peccata de- « clarassent. Ex his colligitur oportere a « pœnitentibus omnia peccata mortalia, « quorum post diligentem sui discussionem « conscientiam habeant, in confessione re- « censeri, etc. » Addit rursus: « Itaque « dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, « peccata Christi fideles confiteri student, « proculdubio omnia divinæ misericordiæ « ignoscenda exponunt: qui vero secus « faciunt, et scientes aliqua retinent, nihil

divinæ

« divinæ bonitati per sacerdotes remit-
« tendum proponunt. Si enim erubescat
« ægrotus vulnus medico detegere, quod
« ignorat medicina non curat, etc. » Addit ulterius, quod ob eandem rationem circumstantiæ mutantes speciem debent in confessione exponi : « Quod eis non expli-
« catis non integre peccata innotescant
« confessariis, et fieri nequeat, ut de gra-
« vitate criminum recte censere possint,
« et pœnam, quam oportet, pro illis, pœ-
« nitentibus imponere. » In contritione autem secundum se, et præscindendo ab obligatione manifestandi peccata alteri homini, sunt prædictæ radices, occurruntque eadem motiva recogitandi singula, et de eis in particulari dolendi ; cum ea tamen differentia, quod modo jam instituto sacramento confessionis, alius a pœnitente exercet officium judicis, et medici : sed ubi ab ea institutione præscinditur (ut loquendo de contritione secundum se, et pro omni statu supponi debet) ipse pœnitens esset sui judex, ipse sui medicus, atque ideo eandem recogitationem, et scrutationem circa singula peccata deberet adhibere in ordine ad se pro illis muneribus obeundis, quam nunc tenetur adhibere in ordine ad confessarium, ut ipsa convenienter exerceat. Teneretur enim jure naturali ad satisfactionem condignam pro illis Deo offerre ; teneretur illa in se pro meritis punire ; teneretur eodem jure sibi remedium providere ; teneretur denique proximo satisfacere. Quæ, ut expedit, reique gravitas exposceret, minime posset exequi ex sola, et confusa recordatione peccatorum in communi ; sed deberet descendere ad attentam diligentemque illorum discussionem, attendendo ad varias, graves, et graviores peccatorum species, et ad magnam intra quamlibet speciem eorum multitudinem, ad varias eorum radices, et occasiones, ad satisfactionem pro illis debitam, ad pœnitentias, et remedia pro sui cura procuranda, et ad alia plurima, et plane omnia, quæ modo confessarius, ut judex, et medicus exercet, et tunc ad pœnitentem ipsum pertinerent. Ergo, si in præsenti statu, concedentibus Adversariis, vera contritio importat re, aut saltem voto recogitationem, ac dolorem peccatorum non præcise in communi, sed in particulari, secundum proprias eorum rationes specificas, et numericas : idem de contritione secundum se, et independenter a præcepto confessionis dicendum est. Totumque discursum indicavit D. Thom. 1, ad Corinth. 11, lect. 5, ad illa verba. *Quod si nosmetipsos dijudicaremus ;* quibus addit : « Discutiendo, judi-
« cando, redarguendo, et puniendo peccata
« nostra. Et sic aliquis debet judicare se
« ipsum, et quantum ad opera præterita,
« et quantum ad futura, secundum illud ad
« Galat. ult. Opus suum probet unusquis-
« que. » D. Thom.

Confirmatur urgenter, et ad hominem contra plures tuentes priorem sententiam, et præsertim Suarium loco citato num. 12, ubi recognoscit, quod adhuc in lege naturæ teneretur pœnitens in aliquibus eventibus ad recogitandum distincte peccata. Primo, si restituendum esset aliquid ; secundo ad tollendum aliquam occasionem peccandi, si esset, vel adhibendum aliud remedium necessarium pro emendatione : tertio propter condignam peccatorum satisfactionem ad tollendum reatum pœnæ temporalis pro peccatis debitæ. Quæ omnia non posset pœnitens convenienter exequi absque accurata, et satis distincta peccatorum in particulari recogitatione, ut satis ex se liquet. Aliunde vero obligatio illa non convenit per accidens veræ pœnitentiæ, sed omnino per se, et ex vi propriæ conditionis tendentis in destructionem peccati ; quare qui prædicta voluntarie omitteret, non vere pœniteret, nec suo muneri satisfaceret : ergo de ratione contritionis, seu veræ pœnitentiæ in omni statu est, quod per se loquendo recogitet homo sua peccata distincte, et in particulari, et ita doleat, ubi occasionem, et tempus habet. Ubi autem ista desunt, vel priusquam homo se applicet ad distinctam illam recogitationem, et movetur efficaciter a Deo ad contritionem ; satis est, quod illam habeat in voto, seu proposito : sicut in præsenti statu, concedente Suario, solet homo conteri, et justificari antecedenter ad sacramentum pœnitentiæ, in re, et ipsam diligentem conscientiæ discussionem, et alias conditiones, quas sacramentum requirit : sed tamen nec conteritur, nec justificatur sine voto sacramenti, et aliorum, quæ istud exposcit. Et sic contigisse in aliquorum pœnitentia ante institutionem, Confirmatio urgens, et ad hominem.

et usum hujus sacramenti facile conceditur, præsertim in his, qui quasi subito, et brevissimo tempore conversi sunt, quibus proinde satis tunc fuit confusa peccatorum cognitio, ut de Zachæo Luc. 19, et a fortiori de latrone in cruce pendente Luc. 23, possumus intelligere. Sed hæc sunt per accidens respectu contritionis : sicut nunc est per accidens, quod quis aliquando moriatur cum contritione, sine sacramento in re, cujus votum in contritione ipsa includitur, et sine illo vera contritio non esset.

Judicium auctoris circa relatas sent.

87. Quamlibet autem ex duabus prædictis opinionibus sequamur ; satis replicæ, pro qua illas expendimus, factum est : nec opus habemus uni earum determinatæ subscribere, præsertim, cum una, et altera habeat graves patronos inter Thomistas. Et quidem primam docere videtur Angelicus Præceptor quæst. 28, de Verit. art. 5 ad 3, his verbis : « Non est necessarium, « quod aliquis in ipso momento justifica- « tionis de hoc, vel illo peccato determi- « nate cogitet, sed solum quod doleat se « propria culpa a Deo esse aversum. » Et in resp. ad 4, addit : « Omnia peccata con- « veniunt in aversione a Deo, ratione cujus « gratiam impediunt. Unde ad justificatio- « nem non requiritur, quod in ipso justifi- « cationis momento aliquis de peccatis sin- « gulis cogitet, sed sufficit, quod cogitet de « hoc, quod per culpam suam est aversus « a Deo. » Sed quærentes, reperientesque D. Thomam, ut judicem in hac causa, non possumus non secundæ sententiæ adhærere : quia, quantum capimus, illam evidenter, et ex proposito docet in hac 3 part. quæst. 87, art. 1. ubi ait : « Exigitur au- « tem ad remissionem peccati mortalis « perfectior pœnitentia, ut scilicet, homo « actualiter peccatum mortale commissum « detestetur, quantum in ipso est, ut scili- « cet diligentiam adhibeat ad rememoran- « dum singula peccata mortalia, ut singula « detestetur. » Nec potest dici, quod loquatur de remissione peccatorum in hoc sacramento, vel de pœnitentia pro hoc statu legis Evangelicæ : nam aliter omnino se habet loquendo, scilicet, in genere, et attendendo præcise ad remissionem peccati mortalis, et remissionem peccati venialis consideratis secundum se, et pœnitentiam diversam, quam pro sui remissione exigunt, ut legenti articulum evidenter constabit. Et proculdubio in 1, 2, non agebat de sacramentis, et tamen quæst. 113, art. 5 ad 3, dixit : « In tempore præce- « denti justificationem oportet, quod homo « singula peccata, quæ commisit, detestе- « tur, quorum memoriam habet. Et ex « tali consideratione præcedenti subsequi- « tur in anima quidam motus detestantis « universaliter omnia peccata commissa : « inter quæ etiam includuntur peccata « oblivioni tradita. » Eandem doctrinam tradit in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 2, quæstiunc. 6, et dist. 21, in expositione literæ, et in ipso loco, qui pro prima sententia afferebatur ex quæst. 28, de Verit. art. 5, post verba relata ex resp. ad 4, addidit : « Recogitatio autem singulorum peccato- « rum debet vel præcedere, vel saltem « sequi justificationem. » Ubi manifeste inclusit omnem contritionem, quam possemus imaginari inter ejus testimonia : et simul explicuit legitimum sensum opinionis, quam amplectimur, nempe pro vera contritione requiri discussionem singulorum peccatorum ; sed non alligari soli justificationis momento ; sed posse illam antecedere, aut subsequi, et comitari justificationem, si non in re habitam, saltem in voto.

Sentent. 2 est conformior D. Thom.

Unde patet ad fundamentum primæ sententiæ, quod late expendit Suarez, sed patitur evidentem in subsistentiam in his, quæ de facto contingunt : nam de facto pro contritione, qua peccator solet ante sacramenti susceptionem justificari, requiritur recogitatio omnium, et singulorum peccatorum in particulari, vel in re executa, vel imbibita saltem in voto suscipiendi sacramentum, ut Suarius ipse, et alii Auctores primæ sententiæ communiter docent. Ab illis itaque inquirendum est, quando recogitatio singulorum peccatorum debeat adesse, ante momentum contritionis : vel in ipso, vel post ipsum? Et quod responderint ; solutio difficultatis ab eis objectæ erit pro prædicta recogitatione, et contritione ante statum legis Evangelicæ, sive independenter a præcepto confessionis. Sed nos ex hactenus dictis facile respondemus recogitationem peccatorum per se, et communiter loquendo præcedere instans contritionis : nam hæc communiter oritur ex consideratione fœditatis, et multitudinis peccatorum, ut ex testimoniis Concilii Tridentini,

entini, et D. Thomæ edocemur. Nec opus st, quod in ipso contritionis, ac justificaionis momento omnia peccata in particuari repræsententur secundum suas prorias rationes : sed sufficit hanc notitiam, uæ successive acquiritur, præcessisse, et o momento in communi, aut in confuso efricari : nam contritio tunc sub motivo enerali satisfaciendi Deo pro offensis, erminatur ad omnia, et singula peccata rius cognita, et ad omnes eorum specificas ationes, tanquam ad objectum quod. Ubi utem illa exacta recogitatio non præcedit, ed peccator motus ab Spiritu sancto, in ontritionem quasi subitaneam prorumit; sicut talis contritio importat propositum observandi alia præcepta, ita includit otum recogitandi singula peccata prætita, ut homo assumat pœnas convenientes ro eorum satisfactione, ut caveat ab occaionibus ad ea trahentibus, ut proximo estituat, quod debet, et alios fines conseuatur, propter quos, aut similes dolor ad acramentum pœnitentiæ requisitus præictam recogitationem, et conscientiæ disussionem exposcit, ut satis constat ex ictis.

DUBIUM III.

Quæ sit materia doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ.

Non admodum necessaria erat hujus difficultatis discussio, tum quia facile supeatur, tum, quia, si aliquam arduitatem ontinet, explicatam fuse reliquimus in priori hujus Tract. parte a num. 4, et ideo reviter in ea versanda, ac resolutorie rocedemus, quam omittere aliunde non portebat, ne plura, quæ concernit, in hac disputatione, desiderarentur, ad quam ertinent per se. Nomine autem materiæ ntelligitur objectum, circa quod versatur olor, illud refugiendo, ac detestando, uod licet sit materia remota respectu sacramenti, est tamen proxima respectu doris pertinentis ad sacramentum. Et ad unc dolorem, ut talem, et sub expresso d sacramentum pœnitentiæ ordine cingiur proposita difficultas. Nam quod attinet d dolorem, prout est actus pœnitentiæ irtutis, satis constat ex dictis in priori parte disp. 5, per totam, et amplius incidenter constabit ex dicendis.

§ 1.

Proponitur communis sententia, et ab aliquibus objectionibus vindicatur.

88. Dicendum est materiam doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ esse omnia, et sola peccata pœnitentis post baptismum commissa. Hæc conclusio est communis inter Theologos, et nequit aptius suaderi, quam illam explicando per singulas ejus partes : inde enim ejus adæquate veritas apparebit. Sed prænotandum prius est duplicem distingui in hoc sacramento materiam : aliam sufficientem, quæ, videlicet, sufficit in suo genere ad sacramentum, sed tamen non debet necessario ad illud deferri, ut est peccatum veniale : aliam vero necessariam, quæ non solum sufficit, sed debet ex præcepto divino in confessione exponi, et ad sacramentum concurrere. Unam autem, et alteram materiam sufficientem, et necessariam significamus in assertione per *materiam doloris*, etc., et in hoc sensu accipienda sunt, quæ dicemus. Primo itaque affirmamus materiam esse *peccata* : quod est evidens supposita institutione hujus sacramenti per modum spiritualis judicii, in quo pœnitens est reus, et se accusat: et pro isto judicio materia debet consistere in delictis, sive peccatis ipsius rei, seu pœnitentis. Idque satis perspicue constat ex ipsa sacramenti forma, nempe *Ego te absolvo a peccatis tuis* : in quo significatur materiam hujus judicii esse peccata, a quibus per sententiam sacerdotis pœnitens liberatur. Asserno.

Sed addidimus *omnia* ad comprehendendum tam mortalia, quam venialia. Et de mortalibus facile constat, cum sint materia necessaria, sive necessario deferenda ad hujus sacramenti tribuual, ut ex sæpius dictis satis constat, et nemo ex Catholicis negat. Idque negare esset hæreticum : quia (ut alia hactenus repetita omittamus) Concil. Trident. sess. 14, cap. 2, docet : « Est « autem hoc sacramentum pœnitentiæ « lapsis post Baptismum ad salutem ne« cessarium : » idque diffinivit can. 7 ejusdem sessionis. De venialibus autem Concil. Trident.

Franciscus Ossuma (vir alias pius, et doctus) in Alphabeto 2, tract. 4, cap. 5, lit. D. asseruit non esse materiam sufficientem sacramenti pœnitentiæ, et eum, qui ea sola confitetur, et ab eis absolvitur, non recipere gratiam ex opere operato. Sed hæc etiam doctrina est hæretica: quia Concilium Tridentinum sess. cit. cap. 5, docet : « Venialia, quibus a gratia Dei non « excludimur, et in quæ frequentius labi- « mur, quamquam recte, et utiliter, ci- « traque omnem præsumptionem in con- « fessione dicantur, quod piorum homi- « num usus demonstrat; taceri tamen citra « culpam, multisque aliis remediis expiari « possunt. » Quod est asserere peccata venialia esse quidem materiam, licet non necessariam, tamen sufficientem hujus sacramenti. Et conformiter ad hanc doctrinam diffinivit can. 7 : « Si quis dixerit... « non licere confiteri peccata venialia, « anathema sit. » Et plane convincitur id dicere, qui negat venialia esse materiam sufficientem hujus sacramenti, ut istud (cum aliis conditionibus supponendis) causet gratiam ex opere operato : quia non licet ita confiteri, aut ea præcise dicere, ex quibus sacramenti fructus sequi non possit. Et idem, quod Concilium, jam prius statuerat Leo X in condemnatione articuli 8, contra Lutherum. Ratio etiam theologica idem demonstrat : quia peccata venialia vere sunt peccata, et aliquam malitiam important, licet longe inferiorem, quam mortalia : ergo possunt subdi potestati, quam sacerdotes habent solvendi, ac ligandi in sacramento pœnitentiæ ex Christi concessione, et institutione : hanc enim dedit eis Christus absque ulla limitatione, vel restrictione ad certum, et determinatum genus peccati. Quare ob hæc, et alia motiva merito jussit sacrum Inquisitionis tribunal in Indice expurgatorio anni 1640, pag. 425, deleri eam Alphabeti doctrinam.

Idem. Concil.

Idem.

Objicitur.

89. Nec videmus quid vel apparentis momenti potuerit illius Auctori occurrere, ut tam absurda subscripserit. Opponi tamen valet : nam peccatum, quod potest esse materia sacramenti, concurrente ejus dolore, et aliis requisitis, quibus sacramentum perficitur, dimittitur per sacerdotis absolutionem ; aliter frustra huic, et Ecclesiæ clavibus subderetur per confessionem ; sed peccata venialia non dimittuntur per sacerdotis absolutionem : erg non possunt esse materia hujus sacrament Cetera constant. Et minor suadetur : qui peccata venialia non remittuntur quoa culpam, manente reatu ad pœnam Purga torii, ut ex professo docet M. Tirso, tom. select. disp. 8, per totam, ubi statuit pecc tum veniale, transacto actu, non esse aliu quam prædictum reatum ; sed certum e post confessionem venialium, et absolutic nem sacerdotis, manere reatum ad pœ nam Purgatorii ; et similiter post il præmissa in Purgatorio puniri : ergo v nialia non remittuntur per sacerdotis al solutionem. Nec satisfaciet, qui dixer cum Tirso absolutionem sacerdotis remi tere aliquid reatus ad prædictam pœnan atque ideo aliquid culpæ, quæ ab illo reat non distinguitur ; sed relinquere aliqui tam culpæ, quam reatus ad pœnam ultim luendam in Purgatorio. Nam contra es quod posito dolore sufficienti cum sacra mento ad remissionem culpæ, non est, c tota non remittatur : et sic videmus, quc posito dolore sufficienti cum sacramento a remissionem peccati mortalis, remittitu totum, quod in eo habet rationem culpa licet illud gravius incomparabiliter si quam peccatum veniale : ergo si posi sufficienti dolore cum sacramento ad remi sionem venialium, non remittitur cul per sacerdotis absolutionem, signum e venialia non esse materiam sufficiente hujus sacramenti, quæ possit clavib Ecclesiæ subdi, et sacerdotali absolutio aboleri.

Ad hanc objectionem respondetur n gando minorem : certum namque est jux communem Theologorum doctrinam, fidelium apprehensionem, ac proprietate verborum absolutionis, peccata remi per eandem absolutionem quantum culpam juxta pœnitentis dispositionem. quo videri possunt, quæ discussa reliqu mus locis relatis num. 69. Ad mino autem probationem iterum neganda minor sequentis syllogismi, quam veh menter falsam censemus, nec aliun ortam, quam ex falsis pariter princip quorundam antiquiorum confundentiu reatum ad pœnam cum culpa, seu mac post actum peccati. Sed doctrina Conci Trident. sess. 6, de Justificatione, et se 14, de sacramento pœnitentiæ potueru debuerunt q

debueruntque tales opinationes emendari, et ad meliorem frugem reduci, recognoscendo culpam, seu maculam post actum peccati aliud esse a reatu pœnæ, sive obligatione satisfaciendi. Nam Concilium sess. 14, cap. 8, ait : « Sancta Synodus de« clarat falsum omnino esse, et a verbo Dei « alienum culpam a Domino nunquam re« mitti, quin universa etiam pœna condone« tur. » Et can. 12, diffinit ; « Si quis dixe« rit totam pœnam simul cum culpa remitti « semper a Deo... Anathema sit. » Ergo fieri potest, et non semel contingit remitti totam culpam a Deo, quod in hoc sacramento fit ministerio sacerdotum, et non remitti totam pœnam, sive obligationem satisfaciendi. Nec ullo modo audiri debet prædictus Auctor dicens hanc Concilii doctrinam, et diffinitionem procedere circa peccata mortalia, secus circa venialia. Nam doctrina, et diffinitio Concilii sunt indefinite, et in genere, nullatenus quantum ad hoc distinguentes inter peccata mortalia, et venialia ; atque ideo in materia dogmatica æquivalent propositioni universali, et distributivæ circa eandem materiam. Et profecto, si Concilium aliud intendisset, facillimo negotio illud significasset, non dicendo semel, et iterum *culpam* sine restrictione ; sed addendo adjectivum limitans, nempe culpam mortalem.

Idque confirmatur exemplo satis apposito in eadem materia : nam ubi Concilium accessit ad agendum de materia remota hujus sacramenti, quæ consistit in peccatis, prævidens differentiam inter gravia, et levia, docuit cap. 5, sess. 14, (verba proxime dedimus) *pœnitentes debere* confiteri *omnia mortalia*, et posse confiteri *venialia*, sed ad id non teneri. Et rursus can. 7 : « Si quis « dixerit in sacramento pœnitentiæ ad re« missionem peccatorum necessarium non « esse jure divino confiteri omnia, et sin« gula peccata mortalia... : Et non licere « confiteri peccata venialia, anathema « sit. » Ubi apparet, quam sedula attentione, et perspicuis verbis distinxerit inter mortalia, et venialia, ubi distingui debuit, ne sub una determinatione comprehenderentur quantum ad modum remissionis, quem habent diversum. Si ergo simile quid discriminis haberent quantum ad remissionem culpæ, et pœnæ, illa Concilium expressis vocibus distingueret : quod tamen non fecit, sed absque ulla distinctione docuit, diffinivitque, quod dimissa culpa non semper remittitur tota pœna. Atque ideo fateri oportet, quod remissis peccatis venialibus quantum ad culpam, potest, et solet remanere aliquis eorum reatus quantum ad pœnam : sicut plane omnes apprehendimus, et communiter loquimur. Et si id contingit in mortalibus, ut ille Auctor non negat propter diffinitionem Concilii, quam ideo ad mortalia restringit ; cur non etiam in venialibus, in quibus etiam distinguitur malitia a debito pœnæ ; cum istud in ea, vel re, vel ratione fundetur ? Præsertim, quia sicut optime intelligimus tolli peccatum per gratiam habitualem, et relinqui obligationem ad aliquam pœnam : ita etiam intelligimus excludi peccatum veniale per actum charitatis sibi oppositum, et remanere debitum alicujus supplicii. Recolantur, quæ fuse tradidimus locis supra relatis, ex quibus constabit, qualiter venialia suam maculam importent, et quæ sit forma illam delens, et quomodo in hoc sacramento remittantur ex opere operato. Hic enim sufficit, vel attigisse, et repulisse falsum adeo dicendi modum, et oportet pergere ad alia.

90. Diximus in assertione, et *sola* peccata esse hujus sacramenti materiam. Et ratio est : quia illud præcise habet rationem materiæ in sacramento, quod subjicitur ejus formæ, nempe absolutioni sacerdotis ; sed sola peccata tali formæ subjiciuntur, ut constat ex verbis, quibus vel explicite, vel implicite positis constat, *Ego te absolvo a peccatis tuis* : ergo sola peccata sunt materia hujus sacramenti. Et sic docent communiter Theologi. Sola peccata sunt materia sacramenti pœnitentiæ.

Sed oppones. Imperfectiones in via salutis non sunt peccata mortalia, nec venialia ; et tamen sunt materia sufficiens doloris requisiti ad hoc sacramentum : ergo falsum est sola peccata esse illius materiam. Major est certa : quia imperfectiones distinguntur contra peccata mortalia, et venialia juxta communem Theologorum sententiam, et quidem merito : quia omne peccatum est contra legem illud prohibentem ; imperfectiones vero solum procedunt contra consilium, quod obligationem non inducit, ut optime docuit D. Thom. 1. 2, q. 108, art. 4, dicens : « Hæc « est differentia inter consilium, et præcep- Objicitur in contrarium. D. Thom.

« tum, quod præceptum importat necessita-
« tem : consilium autem in optione ponitur
« ejus, quod datur. » Minor etiam suadetur : inde recte colligitur peccata venialia esse materiam sufficientem hujus sacramenti, quod personæ sanctæ illa confitentur, ut colligitur ex Concil. Trident. sess. 14, cap. 5, ubi usum confitendi venialia defendit contra Lutherum dicendo : « Venialia, quibus a Dei gratia non excludimur, et in quæ frequentius labimur, quamvis recte, et utiliter, citraque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat, etc. » Sed pii homines, dediti vitæ spiritualis profectui imperfectiones etiam deferunt ad hoc sacramentum, et de eis se accusant, ut per experientiam cognoscunt ministri, qui personarum spiritualium confessiones audiunt : ergo imperfectiones sunt materia sufficiens pro dolore ad hoc sacramentum requisito.

Concil. Trident.

Confirmatur, et declaratur amplius : quia resistere, sive non obedire acquiescendo divinis inspirationibus nullum est peccatum ; siquidem harum inspirationum materia concernit communiter opera supererogationis, aut consilii, ad quæ nulla lege obligamur ; et tamen usus est piorum illa confiteri, ad idque hortatur Piissimus, et admodum Venerabilis M. Ludovicus Granatentis in Memoriali vitæ Christianæ tract. 2, part. 2, cap. 3, cui subscribunt viri docti Toletus lib. 3, cap. 2, num. 5, Lugo disp. 10, sect. 2, in fine, et alii plures : ergo, quod peccatum non est, potest esse mater a doloris, huic sacramento servientis.

Confirmatio.

Ludov. Granatens. Tol. Lug.

91. In diluendo hanc objectionem cavendum nobis est a duabus sententiis extreme oppositis. Nam Joannes Sanchez in select. disp. 1 et 6 et 7, reprehendit personas spirituales, quod de imperfectionibus se accusent in sacramento pœnitentiæ, cum ejus materia esse non possint. Quam sententiam refert, et non reprobat Diana, quin aptam dicit ad sedandum multos scrupulos 3 part. tract. 4, resolut. 52, et 9, part. tract. 9, resolut. 19. E converso aliqui ita ponderant imperfectionum deformitatem, ut illas accensere videantur materiæ sufficienti hujus sacramenti. Ita se gerunt Lugo disp. 3, sect. 1, et Aversa quæst. 2, sect. 7, num. 9 et alii expendentes specialiter (ut alia leviora omittamus), quod licet Deus non avertatur positive ab homine propter has imperfectiones, avertitur tamen negative : et licet non irritetur ad infligendum pœnam, deobligatur tamen ad communicandum uberiora auxilia, atque efficacia ; unde quasi indirecte disponitur homo per imperfectiones ad patrandum culpam, quæ negato auxilio efficaci succedit. Unde licet non audeant dicere, quod imperfectiones sint materiam doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ ; dicunt tamen esse materiam doloris pertinentis ad pœnitentiam virtutem, et occasionem dant existimandi, quod prædictus dolor queat etiam sacramento deservire : nam quod directe, aut indirecte peccatum inducit, etiam est peccatum, et materia doloris pro sacramento.

Cavendum a duabus sententiis, etc

Joan. Sanch. Lugo, Dian. Aversa.

Oportet itaque ab illis extremis in viam mediam nos colligere, et loqui cum distinctione. Imperfectiones namque possunt considerari vel secundum ea præcise, quæ essentialiter important ; vel secundum ea, quæ accidentaliter habent, et cum quibus in actu exercito, frequentissime, et ut in plurimum conjunguntur. Ut enim in tract. 13, de peccatis, disp. 19, dub. 1, explicuimus, imperfectionis voce apud Theologos significatur ille actus, qui ex specie, et in individuo est moraliter bonus ; sed non pertingit ad eum gradum, quem studium perfectionis importat, et quem de subjecto ad eam tendente prudens opinio poterat sperare. Ubi apparet talem defectum perfectionis in actu bono non esse contra aliquam legem stricte, et in conscientia obligantem : sed solum prætermittere quandam decentiæ legem in meliora tendendi. Unde imperfectio est actus absolute bonus ; et potest esse meritorius vitæ æternæ, ut liquet in actu charitatis magis remisso, quam sit habitus de quo dixit D. Thom. 2, 2, q. 24, art. 6 ad 3, quod « dum in via « Dei procedit aliquis, nedum charitas ejus « augetur (quod actu intensiori fit) sed « etiam dum disponitur ad ejus augumen- « tum, » (quod fit etiam per actus minus intensos). Non laudatur tamen actus imperfectus, licet absolute bonus, quia laus, sicut et consilium respiciunt opera perfectiora : et tamen reprehendi non potest, ut quid culpabile. Quod si inter spirituales aliquando reprehenditur quasi minus con-

D.

gruus

gruus eorum statui, et profectui ; vera reprehensio, aut vituperatio non est, sed magis exhortatio ad sectandum perfectiora. Unde constat ponderationes illas Lugonis, et Aversæ esse excessivas, et falsas in rigore theologico, ut recte observavit Prado qu. 1, dub. 4, § 7, num. 46. Deus enim complacet absolute in his actibus, quos imperfectiones vocamus, quia sunt absolute boni, et ab ipso Deo, qui nihil odit eorum, quæ fecit. Quare nec privative, nec negative avertitur ab homine propter solas imperfectiones, nec illis ob ea denegat auxilia efficacia, quod esset summum supplicium cum absque illis ruamur infallibiliter in peccata. Et similiter dici non valet, quod disponat adhuc indirecte ad culpam, cum sint absolute opera moraliter bona, et aliquando supernaturalia: quamvis non in ea intensione, qua possent : et ideo nulla ratione disponunt ad culpam, quamvis nec disponant ad majorem perfectionem, quæ expectari posset a subjectis juxta illorum statum, et studium tendendi in meliora. Quæ motiva evincunt imperfectiones ita consideratas non solum esse materiam doloris pro sacramento, sed nec doloris eliciti a virtute pœnitentiæ : quoniam hæc dolet ex motivo satisfaciendi, prout valet utcumque pro offensa Dei : in imperfectionibus autem non reperitur ulla Dei offensa, nec ex eis proinde resultat ulla obligatio ad satisfactionem. Si quis vero est earum dolor, pertinet ad charitatem, cujus est ad Deum magis, ac magis per amorem accedere, et consequenter dolere, et tristari, quod non ita progrediamur, sed remisse, et imperfecte.

Quamvis autem imperfectiones essentialiter consideratæ, in proprietate ac rigore Theologicis ita se habent; negari tamen non debet, quod satis frequenter sibi conjuncta habeant peccata venialia, quin, et quod sint non puræ imperfectiones, sed etiam culpæ saltem leves, utputa accidiæ, inconstantiæ, ingratitudinis, et obdurationis in parvipendendo divina auxilia ad meliora. Accedit juxta veram, et communiter receptam sententiam D. Thomæ 1, 2, quæst. 18, art. 9, quam statuimus tract. 11, de bonit. et malitia disp. 7, dub. 2, nullum dari actum humanum in individuo, qui non sit bonus, aut malus moraliter propter obligationem, quam homo habet operandi rationabiliter, sive propter finem honestum : a qua obligatione non eximuntur actus de sua specie indifferentes, aut ex objecto honesti. Frequentissime autem contingit istos, quos imperfectiones vocamus, carere hujusmodi ordinatione, nec facile, et communiter illam assequi. Quare cum eadem frequentia accidit, quod sint peccata venialia : non quidem quia ex objecto opponantur alicui legi particulari; sed quia opponuntur legi universaliori prohibenti, ne homo sui compos operetur absque intentione, et ordine ad finem honestum. Verbi causa, Constitutiones Reformationis nostræ non obligant ad culpam aliquam gravem, aut levem, sed præcise ad pœnam in eis taxatam : quare ex terminis fieri potest, quod earum violatio, aut non observatio nullum peccatum importet, sed meram imperfectionem sitam in eo quod earum directione, et observantia non ad meliora illis præscripta aspiremus. Sed raro id contingit absque aliqua culpa veniali, saltem ob carentiam motivi, et finis honesti. Quem namque communiter reperiemus ad loquendum tempore prohibito, ad egrediendum e cellulis absque necessitate, ad bibendum sine expressa licentia, ad consumendum tempus in rebus de se indifferentibus, et inutilibus ? Hac itaque causa multi actus, qui videntur esse tantum imperfectiones, sunt re ipsa in executione peccata venialia.

92. Ad objectionem ergo pro cujus legitima enodatione hæc adduximus, respondetur ; distinguendo majorem, illamque concedendo quantum ad imperfectiones secundum se, sive essentialiter consideratas : sed neganda est, si applicetur generaliter omnibus imperfectionibus, prout in exercitio fiunt : oppositum enim constat ex dictis. Deinde minor eisdem terminis debet distingui, et concedi, si applicetur imperfectionibus, prout communiter occurrunt in actu exercito ; et negari ubi applicatur imperfectionibus consideratis secundum se, et quoad essentialia præcise. Atque his præmissis negamus consequentiam absolute. Probationes autem præmissarum non aliud evincunt, quam quod concessimus, et usu piorum in confitente imperfectiones satis confirmatur : quem usum, laudamus, quidquid immerito Sanctius in oppositum reclamet. Sunt enim

imperfectiones sæpissime peccata venialia atque ideo sufficiens hujus sacramenti materia. Quod probe cognoscunt personæ spirituales : et aliunde etiam in perplexitatem solent incidere, dubitantes, an solam imperfectionem, an veram culpam commiserint. Quare privari non debent, ut suas imperfectiones sub hac dubietate manifestent in confessione, et sic de illis se accusent. Ad confirmationem respondetur eodem modo : quia licet non acquiescere divinis inspirationibus erga supererogationis opera non sit secundum se peccatum cum non violetur lex, sed duntaxat omittatur consilium : tamen in exercitio non semel conjungitur cum aliqua culpa indisciplinæ, in non acquiescendo, vel ingratitudinis, in non appretiando Dei vocationis beneficia, vel denique imprudentiæ ; in non adhibendo honestum finem illis actibus, qui contra, aut præter inspirationes exercentur, ut satis constat ex dictis.

Respondetur ad confirmationem.

93. Sed prosequamur in explicando, et probando assertionem, quæ addit peccata debere esse *pœnitentis*, denotando dolorem requisitum pro hoc sacramento debere esse de peccatis propriis, non vero dolorem de alienis. Quod patet ex ratione sæpe insinuata : nam materia hujus sacramenti debet ejus conditionis esse, ut subdatur formæ absolutionis, eidemque commensuretur. Manifestum autem est prædictam formam solum dirigi ad pœnitentem, et ejus peccata, ut liquet ex verbis, *Ego te absolvo a peccatis tuis* : ergo materia doloris huic sacramento servientes consistit in peccatis propriis pœnitentis, et non in alienis.

Confessio de peccatis propriis non de alienis debet esse.

Nec refert, si opponas primo : nam aliena peccata possunt esse materia doloris pertinentis ad pœnitentiam virtutem : ergo pariter possunt esse materia doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ. Consequentia probatur a paritate. Et antecedens (quod docet Suarez disp. 2 sect. 1, num. 9, Lugo disp. 3, sect. 2, Aversa q. 2, sect. 7, § 7, et alii) suadetur : quia per spem Theologicam possumus sperare alienam beatitudinem, sive beatitudinem aliis, ut statuimus Tract. 18, de Spe, disput. 1, dub. 4, § 1, concl. 2 : ergo pariter per virtutem pœnitentiæ possumus dolere de peccatis alienis. Et ratio videtur eadem ; quia quod aliquis speret beatitudinem alteri, et non solum sibi, provenit ex unione, quam ad alterum habet per charitatem, secundum quam sunt unum, et proximus est alter ego, ut optime tradit D. Thom. 2, 2, q. 17, art. 3, dicens : « Spes potest esse « alicujus dupliciter. Uno modo absolute, « et sic est solius boni ardui ad se perti- « nentis. Alio modo ex præsuppositione « alterius, et sic potest esse etiam eorum, « quæ ad alium pertinent.... Præsupposita « unione amoris ad alterum, jam aliquis « potest sperare, et desiderare alteri vitam « æternam, in quantum est ei unitus per « amorem. Et sicut est eadem virtus cha- « ritatis, qua quis diligit Deum, se ipsum, « et proximum : ita etiam est eadem virtus « spei, qua quis sperat sibi, et aliis : » ergo pariter supposita unione charitatis cum proximo, possumus per virtutem pœnitentiæ pœnitere de alienis peccatis. Secundo : quia nemo petit sibi remissionem peccatorum, de quibus non dolet ; sed potest quis petere sibi remissionem peccatorum alienorum, ut constat ex David dicente Ps. 18 : *Et ab alienis parce servo tuo* : ergo possumus habere pœnitentiam erga aliena peccata. Tertio : quia non minus est satisfacere pro peccatis alienis, quam de illis pœnitere ; sed certum est posse nos satisfacere pro alienis ; siquidem commune est inter catholicos applicare sua opera satisfactoria pro aliis, et præsertim pro animabus Purgatorii : ergo similiter possumus de alicujus peccatis per veram pœnitentiam dolere.

Objec. 1

Suarez. Lugo. Aversa.

Quæ probatio potest haud violenter extendi ad dolorem pro sacramento requisitum : quia non obstante, quod satisfactio data a confessario sit vera sacramenti pars, potest nihilominus pœnitens eam satisfactionem implere, aut exequi per alium, ut asserunt S. Antonius, Altisiodorensis, Paludanus, et Sylvester. Quod, si fiat cum consensu confessarii, docet etiam Soto, Cajetanus, Suarez, Henriquez, et alii, quos refert Dicastillo disp. 14, dub. 5, num. 68. Ergo similiter loquendo de dolore pertinente ad sacramentum potest unus dolere pro alio, sive pœnitere de alienis peccatis.

94. Non, inquam, referunt istæ objectiones, sed omnes simul convelli possunt attendendo in his, quæ dependent ex institutione divina, nihil valere similitudinum, et consequentiarum argutias, sed eam institutionem debere esse regulam dicendorum.

rum. Quare cum ex prædicta institutione constet sacerdotalem absolutionem, quæ est forma hujus sacramenti, dirigi ad sola pœnitentis peccata, ut denotant illæ voces *te, et a tuis;* sequitur sola peccata propria pœnitentis esse materiam remotam hujus sacramenti, et proximam dolorem sacramento deservientem, quidquid sit de alio dolore, vel de eodem ad alia munera. Sed tamen eis sigillatim occurramus. Ad primam possumus respondere omisso antecedenti, negando consequentiam cum omnibus Auctoribus, qui antecedens tuentur. Et ratio disparitatis est, quod dolor sacramento confessionis conjunctus est vera accusatio de peccatis, pœnitentem tanquam reum manifestans : quamvis autem quis possit dolere de alienis peccatis, idque exequi per virtutem pœnitentiæ, nequit tamen de illis se accusare, aut coram se reum constituere : unde minus recte trahitur similitudo a dolore, qui est actus virtutis, ad dolorem pertinentem ad sacramentum. Absolute tamen negandum est antecedens cum Soto in 4, dist. 17, qu. 2, art. 2 ad 3. Nugno quæst. 2, art. 5, dub. unico, et Prad. quæst. 1, dub. 4, § 5, quibus præluxit D. Thom. in 4, et abbreviatur in Supplem. quæst. 2, art. 5, supponens (ut ostendimus disp. 5, dub. 1), contritionem esse actum proprium virtutis pœnitentiæ, inquit : « Illud idem conteritur, « quod prius durum, et integrum fuit : « unde oportet, quod contritio de peccato « sit in eodem, in quo peccati duritia « præcessit : et sic de alienis peccatis « non est contritio. » Unde fallit objectio non distinguens inter dolere ex una parte, et conteri, seu pœnitere ex alia : nam dolere de peccatis, et malis proximi pertinet per se ad charitatem, cujus est diligere proximum, et desiderare illi bonum, et contristari de opposito : et si ista in aliis virtutibus inveniuntur, provenit ex influxu, et motione charitatis; sed conteri, seu pœnitere addit supra communem rationem doloris specialem rationem displicentiæ, et retractationis quæ in solis peccatis propriis locum habet, ut significat D. Th. in verbis relatis, et magis adhuc expressit in sequentibus. Nam cum sibi opposuisset, quod homo debet proximum ex charitate diligere, sicut se ipsum : « Atque « ideo videtur, quod debeamus de peccatis « ejus dolere, sicut, et de nostris; sed « contritio nihil aliud est, quam dolor de « peccatis : ergo debet homo conteri de pec- « catis alienis. » Cum, inquam. sic objecisset, respondit : « Ad secundum dicen- « dum, quod de peccatis aliorum dolere « debemus; non tamen oportet, quod de « eis conteramur : quia non omnis dolor « de peccato est contritio, ut ex dictis patet.» Nam supra communem displicentiæ conceptum importat contritio retractationem prioris voluntatis peccaminosæ, et propositum non peccandi de cetero : quæ non habent locum, nisi in propriis pœnitentis operationibus : quippe circa alias ad proximum pertinentes solus ille habet potestatem retractandi, ac præcavendi. Et hinc patet ad antecedentis probationem, et quod admisso spei exemplo, neganda sit consequentia : nam quod aliquis supposita unione cum proximo per charitatem, speret non solum sibi, sed eidem proximo beatitudinem, et quod tendat ad eam sibi, et illi comparandam, nihil affert contradictionis; sed hanc importat, quod quis retractet peccata aliena, quæ non commisit, et quod proponat non committere peccata, quæ ab alterius voluntate dependent, quod tamen requirebatur ad eliciendum dolorem proprium virtutis pœnitentiæ, videlicet contritionem.

95. Ad secundam objectionem respondetur negando minorem, quam non evincit incerta probatio desumpta ex verbis Psalmistæ : nam omissis multis illorum translationibus, quas expendit Prado loco proxime cit. optime, et sincere explicantur a D. Thom. art. cit. in resp. ad 1, ubi ait : « Dicendum, quod ab alienis peccatis sibi « parci Propheta precatur, in quantum ex « consortio peccatorum aliquis per consen- « sum aliquam immunditiam contrahit, « sicut scriptum est Psal. 17: Cum perverso « perverteris. » Unde patet pœnituisse de propriis peccatis, contractis tamen ex malorum societate, et exemplo, quæ proinde appellat aliena. Secunda respon- tur. D Tho. Psalm. 17.

Ad tertiam respondetur vel negando majorem, vel illa omissa, et minori concessa, negando consequentiam. Et ratio disparitatis constat ex dictis : nam, sicut delictum commissum per unum corporis membrum potest in alio, aut per aliud puniri, ut cum, propter alapam manu incussam, scapulæ Tertiæ satisfit.

flagellantur : sic contingit in corpore mystico, quod unus homo possit luere pœnas debitas pro peccato ab alio commisso, si ad id referat opera sua, acceptante Deo. Unde in Catechismo Romano S. Pii V, in materia de sacram. Pœnitentiæ num. 61, dicitur : « In eo summa Dei bonitas, et clementia, « maximis laudibus, et gratiarum actioni- « bus prædicanda est, quod humanæ im- « becillitati hoc condonavit, ut unus possit « pro alio satisfacere. Et additur : Qui « divina gratia prædi ti sunt, alterius no- « mine possunt, quod Deo debetur per- « solvere : quare fit, ut quodam pacto alter « alterius onera portare videatur. » Ceterum sicut impossibile est (ut in eodem exemplo persistamus,) quod operatio propria unius membri procedat ab alio, v. g. quod oculi deambulent, aut pedes videant : sic repugnat, quod peccata commissa ab uno homine retractentur, sive desinant esse voluntaria per alium : et eadem ratione, quod quis efficaciter proponat evitare illa peccata, quæ ex sola alterius voluntate dependent. Quare cum contritio, sive actus pœnitentiæ includat retractationem peccatorum, de quibus est, et propositum illa in futurum vitandi : fieri non valet, quod quis veram contritionem, et pœnitentiam exerceat, nisi circa peccata propria, quæ retractare valet, et deinceps cavere, non vero circa aliena, ad quæ suæ voluntatis potestatem non extendit. Per quæ satis constat ad difficultatis augmentum applicatum satisfactioni sacramentali : nam occurrit eadem disparitatis ratio. Sed addimus (ut tacitæ objectioni occurramus) quod licet satisfactio hæc sit pars materialis sacramenti, et proinde debet esse ab ipso pœnitente, sicut, et aliæ partes materiæ, contritio scilicet, et confessio : nihilominus cum pœnitentia, sive satisfactio impletur per alium ex permissione, aut mandato confessarii (nec enim admittimus, quod independenter ab hoc, et pro solo pœnitentis arbitrio possit per alium satisfactio sacramentalis impleri), intelligitur facienda ex petitione, motione, et applicatione ipsius pœnitentis, et in hoc sensu esse illius, et non aliud ei injungi per confessarium. Et aliunde necesse non est omnes partes materiales hujus sacramenti aliter exerceri per pœnitentem, quam petitione, et applicatione : sic enim potest confessionem peccatorum facere per interpretem, ut est communis sententia, et similem objectionem diluens recte observavit Suarez disp. 38, sect. 9, sed transeamus ad alia.

Catechis

Subjunximus in assertione aliam conditionem materiæ doloris pertinentis ad hoc sacramentum, nempe peccata esse *commissa*, per quod denotamus omnia, et sola, quæ pœnitens vere patravit. Et probatur eadem ratione, qua in aliis conditionibus usi sumus : quoniam dolor peccatorum huic sacramento deserviens subordinatur ejus formæ, et eidem debet proportionari ; sed forma, sive absolutio dirigitur ad peccata, quæ pœnitens vere commisit, non autem ad ea, quæ non commisit : ergo illa, et non ista sunt materia doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Cetera constant. Et minor, in qua sola poterat esse difficultas, etiam liquet ex ipsis formæ verbis : *Ego te absolvo a peccatis tuis* : quoniam non sunt pœnitentis peccata, quæ non commisit ; nec absolvitur, qui non supponitur ligatus.

Hinc sequitur primo peccata erronea, e per falsam imaginationem apprehensa non esse materiam doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Et ratio est : nam peccata, quæ nequeunt esse materia remota hujus sacramenti, pariter nequeunt esse materia proxima doloris ad ipsum pertinentis ; atqui peccata, quæ vere non fuerunt, sed erronee apprehenduntur, nequeunt esse materia remota hujus sacramenti : ergo nequeunt esse materia proxima doloris ad ipsum pertinentis. Consequentia patet. E major est certa : quoniam et si dolor ad hoc sacramentum pertinens possit intra et extra illud esse ejusdem rationis specificæ : nihilominus, ut ad sacramentum spectans addit supra suam speciem connotationem aliorum requisitorum pro eodem sacramento : ergo, si peccata, supra qua cadit, nequeunt esse materia sacramenti remota ; nec ipse eorum dolor potest esse ejusdem sacramenti materia proxima, neque talia peccata esse materia proxima doloris pertinentis ad sacramentum. Minor etiam liquet : nam aliquid esse, aut non esse, materiam alicujus sacramenti, non dependet ex nostra apprehensione, sed ex Christi institutione : unde licet quis per ignorantiam invincibilem apprehendat aliquem liquorem esse aquam naturalem

naturalem, qui vere non est, et eo baptizet; nullum conficitur sacramentum, quia Christus pro ejus materia non instituit aquam apprehensam, sed veram. Voluit etiam Christus materiam sacramenti pœnitentiæ esse vera peccata : et ideo illud instituit per modum judicii, quod non est de imaginationibus; et per modum medicinæ, quæ sola curat veras infirmitates : ergo peccata, quæ nunquam vera fuerunt, sed erronee apprehenduntur, nequeunt esse materia remota hujus sacramenti.

Sed hic duo observare oportet. Primum, quod licet res ita se habeat, nihilominus sic apprehendens teneretur illa peccata, si gravia apprehenderentur, confiteri : idque proveniret ex obligatione generali non agendi contra conscientiam. Ubi autem confiteretur, nullum fieret sacramentum ob defectum veræ materiæ : sed actus confitendi esset honestus, et (supposita gratia) meritorius, utpote qui (supposita erronea apprehensione) foret laudabilis, et dictatus a prudentia, sicut contingit in eo, qui adorat hostiam, quam censet consecratam, cum vere non sit. Secundum, quod quamvis peccata erronee apprehensa non sint materia doloris pertinentis ad sacramentum; sunt tamen materia doloris pertinentis ad pœnitentiam virtutem, quæ proinde potest exercere contritionem ejusdem rationis erga peccata falso apprehensa, ac erga peccata vere commissa. Et ratio differentiæ est : quoniam materia sacramenti est illa, quam Christus instituit, et non alia : materia vero virtutis, ut hæc se exerceat, proponitur per intellectum, qui invincibiliter falsus repræsentat aliqua peccata, ac si commissa essent, cum non sint : quo supposito dictat prudentia dolendum de illis esse, idque exequitur pœnitentiæ virtus eliciendo actum veræ contritionis. Sed circa hæc recolantur, quæ diximus in priori hujus Tract. part. disp. 2, dub. 2, § 8, per totum ubi ea fusius expendimus.

96. Infertur secundo peccata futura non esse materiam doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Nam hic dolor debet servire, et adaptari sacramenti formæ, nempe absolutioni; nemo autem potest absolvi a peccatis, quæ non commisit, ut constat ex dictis : ergo cum homo non commiserit peccata sibi futura; sequitur talia peccata futura non esse materiam doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Adde primo hoc sacramentum esse mortuorum, sive lapsorum in statu peccati : quod minime salvaretur, si posset confiteri in ordine ad peccata futura : quandoquidem licet futura non constituunt hominem de præsenti peccatorem; cum innocens actu, peccaturus postea sit. Adde secundo satisfactionem esse partem hujus sacramenti : nemo autem tenetur satisfacere, antequam debitum contrahat. Adde tertio materiam pœnitentiæ virtutis latius patere, quam materiam pœnitentiæ sacramenti, ut liquet ex dictis num. præced. sed peccata futura non sunt materia doloris pertinentis ad virtutem pœnitentiæ : ergo multo minus possunt esse materia doloris pertinentis ad sacramentum. Minorem expresse docet, et optime probat D. Thom. in 4, dist. 16, qu. 2, art. 2, quæstiunc. 4, dicens: « Proprius actus pœnitentiæ est in objec- « tum proprium, quod est peccatum com- « missum. Et ideo actus ejus proprius, et « principalis, scilicet contritio, secundum « suam speciem respicit tantum peccatum « præteritum. » Est enim contritio non quilibet dolor, sed tendens specialiter ad destructionem offensæ Dei per modum satisfactionis, licet inæqualis. Satisfactio autem non habet locum, ubi debitum non supponitur : nec istud fundat actu peccata postea futura. « Sed ex consequenti, » addit S. Doctor, « respicit peccaturum, secun- « dum quod habet aliquid de actu pruden- « tiæ sibi adjunctum. Et propter hoc ille, « qui conteritur, dolet de peccato præterito, « et cavet futurum. Sed non dicitur esse « contritio de peccato futuro : sed magis « cautio, quæ est pars prudentiæ contritioni « adjuncta. » Ad quam cautionem pertinet propositum de cetero non peccandi, sine quo non consistit vera contritio. Sed primarius hujus conceptus est in ordine ad præterita peccata, quæ destruere intendit per viam satisfactionis: ex consequenti autem habet cavere futura.

D. Tho.

S. Thom

Nec refert, si opponas contritionem debere respicere peccatum, de eoque dolere secundum omnem quantitatem, quam habet; sed quantitas peccati attenditur non solum secundum id, quod actu habet, verum etiam secundum id, quod habebit in futuro : ergo contritio debet esse non solum de

Replica.

peccato præterito, sed etiam de futuro. Minor probatur ex D. Hieronymo (vel ut alii volunt, Basilio) affirmante, quod pœna Arii nondum est terminata, quia adhuc est possibile aliquos per ejus hæresim corruere, quibus corruentibus ejus pœna augetur : attenditur ergo quantitas peccati per respectum etiam ad futurum. Id, inquam, non refert, quia illud optime explicat, et diluit D. Thom. loco cit. his verbis : « Dicendum quod ille effectus consequens, qui peccatum aggravat, jam in actu præcessit velut in causa. Ed ideo quando commissum est, totam suam quantitatem habuit, et ex effectu consequente non accrescit ei aliquid quoad culpæ rationem : quamvis accrescat quoad pœnam accidentalem, secundum quod plures habebit rationes dolendi in inferno de pluribus malis ex suo peccato consecutis. » Et sic loquitur Hieronymus, (vel Basilius). Unde non oportet, quod contritio sit, nisi de peccatis præteritis.

Satisfactio replicæ.

§ II.

Alia contra eandem assertionem objiciuntur, et dissolvuntur.

Infertur 3.

97. Colligitur tertio peccata, licet oblita, esse materiam doloris pertinentis ad hoc sacramentum : quia vera sunt peccata, et commissa a pœnitente, atque ideo habent conditiones exactas, ut sint materia prædicti doloris. Idque urgenter suadetur in hunc modum : nam cum dolor de peccatis sit sacramenti pars, ad ea peccata se extendit, ad quæ remittenda se extendit ipsum sacramentum ; sed hoc se extendit ad remittendum peccata oblita : ergo pariter se extendit dolor in sacramento concurrens : et consequenter peccata oblita sunt materia doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Cetera constant. Et minorem, in qua poterat esse difficultas, docet Concil. Trident. sess. 14, cap. 5, dicens : « Constat nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, ut postquam quisquam diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes, et latebras explorarit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum offendisse meminerit : reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa esse intelliguntur : pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me Domine. » Ex quibus constat, quod eodem sacramento, in quo remittuntur peccata in confessione exposita, remittuntur etiam alia occulta, quæ post diligentem discussionem pœnitenti non occurrerunt. Extenditur itaque juxta doctrinam Concilii efficacia sacramenti ad peccata occulta. Quod, ut num. 80 expendimus, etiam evincit motivum doloris requisiti ad sacramentum debere esse universale, extendique ad omnia peccata etiam occulta : aliter namque non intelligerentur inclusa in confessione ejus, qui postquam diligenter conscientiam exploravit, non potuit eorum notitiam acquirere : et tamen inclusa in ea confessione docet Concilium. Unde, qui hæc scientes dolent ex motivo particulari ad sola peccata, quorum recordantur, affixo, se exponunt manifesto periculo non includendi in sua confessione peccata occulta : et eo ipso ponunt obicem sacramento, et committunt grave peccatum.

Concil. Trident.

Si autem opponatur; quod cum dolor requisitus ad hoc sacramentum sit actus voluntatis, qui non potest ferri in illud, quod cognitioni non subjacet : nequit esse de peccatis occultis, quæ vel diligenter requisita omnino latent. Si id, inquam, objicitur, occurrit optime Div. Thomas loco supra cit. et relato in Supplem. quæst. 2. art. 3, ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod oblivio de aliquo peccato potest esse dupliciter. Aut ita, quod totaliter a memoria exciderit : et tunc non potest aliquis illud inquirere. Aut ita quod partim a memoria exciderit, et partim maneat : sicut cum recolo me aliquid audivisse in generali, sed nescio, quid in speciali, et tunc requiro in memoria ad cognoscendum. Et secundum hoc etiam aliquod peccatum potest esse oblitum dupliciter : aut ita, quod in generali in memoria maneat, sed non in speciali. Et tunc debet cogitare homo ad inveniendum peccatum : quia de quolibet peccato mortali tenetur homo specialiter confiteri. Si autem invenire non possit, justa adhibita diligentia, sufficit de eo conteri, secundum quod in memoria tenetur. Et debet homo non solum de peccato, sed de oblivione

oblivione ejus dolere, quæ ex negligentia contigit. Si autem peccatum omnino a memoria excidèrit, tunc ex impotentia faciendi, excusatur a debito : et sufficit generalis contritio de omni eo, in quo Deum offendit. » Ubi apparet Angelicum)octorem prævenisse doctrinam proxime raditam a Concilio Tridentino, illamque tatuisse, nempe quod ubi pœnitentem ropter omnimodam oblivionem latent liqua peccata, quæ subinde referri neueunt in confessione, hæc ipsa in confesione delentur « per generalem contritionem de omni eo, in quo Deum offendit. » Tbi supponit hunc generalem ex motivo enerali dolorem adhibendum esse in confessione, ut pœnitens licet excusatus a deito illa in speciali confitendi, illorum tamen consequatur absolutionem. Quæ miime verificantur in eo, qui tantum pœniret dolore ex parte motivi restricto ad ola peccata, quæ cognoscit. Concludit S.)octor suam resolutionem advertentia pro onfessionibus necessaria : « Sed quando impotentia tollitur sicut cum ad memoriam revocantur peccata, tunc tenetur homo specialiter conteri : sicut etiam pauper, qui non potest solvere, quod debet, excusatur : et tamen tenetur, cum primo poterit. »

98. Infertur quarto peccata jam confessa, t dimissa (etsi evidenter dimissa esse per ivinam revelationem cognoscantur) esse ıateriam aptam doloris pertinentis ad oc sacramentum. Nam diximus materiam ujus doloris esse sola, et omnia peccata peccatore vere commissa ; sed quamvis onfessa, et dimissa fuerint, eam ratioem non amittunt : ergo adhuc post sui onfessionem, et remissionem sunt mateia sufficiens doloris pertinentis ad hoc acramentum. Oppositum hujus consectarii ocuerunt Guillelmus Rubion in 4, dist. 5, quæst. 2, Richardus dist. 18, art. 2, uæst. 4, Samarius 1 part. resolut. 27, et lii asserentes potestatem clavium respectu usdem numero peccati non posse nisi seel exerceri. Quibus favet Scotus in 4, st. 19, quæst. unica ad 1, litt. G, docens ıper eadem peccata posse confici validum .cramentum, sed sine fructu : quia secunum nullam virtute clavium pœnam, aut ırtem pœnæ remittit. Scoto subscribit Gariel eadem dist. quæst. 1, art. 3, dub. 2.

Sed principium, cui, supposita nostra assertione, istud consectarium innititur, est sententia communis Theologorum cum eorum Principe D. Thom. in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 3, et adeo certa, ut eorum aliqui contrariam notent aliqua censura. Cajetanus tom. 1 Opusc. in 5, quæst. 4, dicit esse improbabilem, Suarez disp. 18, sect. 1, procedere contra certam, et communem sententiam. Granados tract. 1, disput. 4, num. 7, censeri ab alibus plusquam temerariam. Sed quidquid de hoc sit, potest veritas prædicti principii breviter ostendi. Primo ex Extravag. 1 Benedicti XI, de Privilegiis ubi dicitur : « Licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri « peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, « ut eorundem peccatorum, iteretur confessio, reputamus salubre. » Ubi licet Pontifex rem non diffiniat ; tamen supponit certam, et securam ; alioquin salutaris non esset, nec materia consilii. Secundo ex cap. *Mensuram*, § *Non sunt*, de Pœnit. dist. 1, ubi dicitur, « quanto pluribus confitebitur quis in spe veniæ turpitudinem « criminis, tanto facilius consequetur gratiam remissionis. » Et sermo est de gratia illata ex opere operato virtute clavium, quæ non alligatur unico actui præteritæ remissionis, sed potest ulterius dari repetitis sacramentis. Tertio ex D. Thom. in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 3, q. 2, ad 4, ubi rejectis aliis dicendi modis, ait : « Dicendum quod etiam in secunda absolutione vi clavium pœna remittitur : « quia in secunda absolutione gratiæ confertur augmentum : et quanto magis « gratia recipitur, minus de impunitate « peccati præcedentis manet. » Nec ullum est inconveniens, quod per iteratas eorundem peccatorum confessiones remittatur omnis pœna pro illis debita ex opere operato. Nec impeditur veritas absolutionis, licet non reperiat peccatum, a quo absolvat : quia semper verificatur, dare, quantum est de se remissionem. Idque facile declaratur exemplo hominis contriti accedentis ad confessionem, absolvendus namque est licet supponatur liber a culpa, aut etiam immunis a reatu sustinendi pœnam ob vehementiam contritionis præcedentis. Quarto ratione a priori : quia ubi concurrunt omnia essentialia ad sacramentum,

D. Tho. Cajetan. Suarez. Granad.

Bened. XI.

D. Tho.

et nullus ejus fructui ponitur obex, tale sacramentum est validum, et fructuosum : et ita in præsenti materia contingit, ut facile consideranti constabit. Et quod peccata sint eadem, nihil impedit ; quoniam datur diversus dolor, qui est materia proxima hujus sacramenti. Et identitas materiæ remotæ nihil refert, ubi materia proxima, et forma multiplicantur, ut patet in Baptismo : nam eadem materialiter aqua, quæ est materia remota, potest fieri plurium successiva ablutio, quæ est materia proxima, atque ideo plura dari Baptismi sacramenta, ut concedunt omnes. Quinto denique (et est motivum nobis urgentissimum) ex communi usu, ex praxi fidelium, quos videmus repetere in confessionibus generalibus peccata in particularibus exposita, de quibus rite absoluti fuerunt : videmus etiam quod in confessionibus particularibus, ubi nihil illis grave occurrit, sed solum aliqua levia, de quorum efficaci dolore non sunt securi, confiteri, offerreque pro materia aliquod peccatum mortale superioris vitæ, semel, et pluries confessum. Id vero minime sustineretur in Ecclesia, minime probaretur a sapientibus, et timoratis confessoribus, nisi certa foret sententia communis a nobis asserta, videlicet peccata confessa, et dimissa esse materiam sufficientem doloris ad hoc sacramentum pernitentis.

Confirmatio. Confirmatur : nam peccata jam dimissa, et cognita ut dimissa, sunt materia doloris pertinentis ad virtutem pœnitentiæ : ergo etiam sunt materia doloris pertinentis ad pœnitentiæ sacramentum. Consequentia patet a paritate, quæ magis explicatur in hunc modum : nam ideo homo non posset de peccatis sibi remissis concipere dolorem in ordine ad sacramentum pœnitentiæ, quia talia peccata supponuntur jam remissa, et ideo vanum foret illa subjicere novæ remissioni per novam absolutionem; sed eadem ratio occurrit in casu antecedenti ; siquidem homo supponit sibi jam remissa peccata, atque ideo in vanum conaretur ad novam remissionem per contritionem : ergo si hoc non obstante peccata dimissa possunt esse materia doloris pertinentis ad pœnitentiam virtutem, pariter possunt esse materia doloris pertinentis ad pœnitentiam sacramentum. Antecedens autem constat de facto in multis Sanctis, quibus revelata est suorum pecc torum remissio; et tamen de illis dolu runt per virtutem pœnitentiæ. Sic de Paulo constat ex his, quæ tradit D. T supra quæst. 84, art. 8, ad 2 dicens : « P « nitentia interior » (quæ est ipsa contr tio) « habet locum in proficientibus, « perfectis, » (quibus supponuntur dimis peccata) « secundum illud Ps. 83 : Asce « siones in corde suo disposuit in val « lacrymarum. Unde, et ipse Paulus d « cebat 1, ad Corinth. 15 : Non sum dign « vocari Apostolus, quoniam persecut « sum Ecclesiam Dei » Sic etiam D. Petru licet confirmatus in gratia, toto vitæ c cursu doluit de peccato negandi Christu ejusque facies erat quasi adusta ex cont nuo fluxu lacrymarum, unde sudariolu portabat ad eas tergendas, et quoties ga lum cantantem audiebat, in genua proc dens flebat de novo amarissime, ut ref runt S. Clemens Romanus, et Ludolf Cartus. in 2, part. vitæ Christi c. 60. similia referuntur de S. Magdalena in ho rida specu per plures annos reclusa, pœnitentiam agente, de qua Angelicus Do tor supra quæst. 86, artic. 5, in corp. ait « Deus quandoque tanta commotione co « vertit cor hominis, ut subito perfec « consequatur sanitatem spiritualem, n « solum remissa culpa, sed sublatis omn « bus peccati reliquiis, ut patet de Magd « lena, Luc. 7. » Magnus etiam Doct August. post susceptum baptismum, pc sibi remissam in eo omnem culpam, pœnam, post vitam sanctissime peracta morti proximus Psalmos pœnitential contra parietem positos intuebatur, et l gebat, et jugiter, ac ubertim flebat, Possidius scribit in ejus vita cap. 31.

99. Oportet tamen aliquibus occurrer quæ Adversarii opponunt. Primo quider nam istud sacramentum institutum est p modum judicii ; videmus autem, quod aliis judiciis posita diffinitiva sentent reum absolvente, nec repetitur judiciur nec absolutio rei ; et quamvis replicaretu nihil fieret : quia absolutus supponitu et nemo solvi valet, quin præsupponat ligatus : ergo idem de hoc sacramento in tituto per modum judicii dicendum e Secundo ; quia si aliquis nunquam pecc set, et uteretur hoc sacramento, nihil fier sed ubi aliquis præsupponitur jam absol

us a culpa, et liber a reatu pœnæ, perinde e habet, ac si nunquam peccasset : ergo icet confiteatur antiqua peccata, et absol- ratur, ad nihilum valet absolutio, et non onficitur sacramentum. Tertio ; quoniam x opposito fieret hominem, qui commise- at plurima, et gravissima peccata posse reviter, faciliter, et cum modica pœni- entia deponere omne debitum satisfa- iendi, sive reatum sustinendi pœnam: uod tamen admitti non debet, utpote in- ucens minorem peccandi formidinem. equela ostenditur : nam cum absolutio emittat ex vi clavium, ex opere operato liquam pœnæ partem, posset homo in revi temporis spatio toties confiteri, et bsolvi, ut omne debitum extingueret ; tque ideo gravissimus peccator breviter, aciliter, et nulla externa pœnitentia, iber ab omni reatu luendi pœnam evade- et. Quarto; quia dolor huic sacramento eserviens est actus virtutis pœnitentiæ ; ed ubi quis cognoscit se absolutum, et liberum a peccatis, nequit exercere actum irtutis pœnitentiæ erga illa : ergo nec illum adducere ad hoc sacramentum. Pro- batur minor ; tum, quia actus proprius irtutis pœnitentiæ est operari ad destru- endum peccatum, et hoc respicit ut expia- bile per satisfactionem ; ergo ubi homo recognoscit extinctum esse tam peccatum, quam debitum satisfaciendi, nequit elicere ctum pœnitentiæ : id namque foret conari ad destruendum, atque expiandum, quod delebile, et expiabile non est, quippe des- tructum, et expiatum jam præsupponitur. Tum etiam quia virtus pœnitentiæ est pars justitiæ intendens satisfacere pro offensa Dei, et reatu pœnæ; sed ubi hæc supponun- tur ablata, nequit exerceri justitia, cum deficiat debitum, quod in omni justitia re- quiritur : ergo in tali suppositione nequit virtus justitiæ exercere propriam opera- tionem.

Quinto ; nam sacramentum Baptismi, quod ad delendum peccatum originale insti- tutum fuit, non iteratur, quia illud pec- catum semel commissum est, et extingui- tur per primam Baptismi susceptionem; sed actus peccati personalis semel tantum commissus est, et rursus supponitur des- tructus per sacramentum pœnitentiæ in prima confessione : ergo sacramentum pœnitentiæ nequit reiterari super eundem peccati actum. Quod amplius explicatur præcludendo tacitam evasionem : quoniam, si peccata semel confessa, et dimissa pos- sent esse materia novi sacramenti pœni- tentiæ, maxime, ut nobis, et pluribus titu- lis extinguerentur per modum cujusdam supererogationis supra debitum ; ad eum plene modum, quo justitia obligat ad re- tributionem honoris æqualis cum infamia illata ; sed non est contra rationem justi- tiæ, sed magis juxta majorem ejus perfec- tionem supererogare in retribuendo majo- rem honorem. Id autem si dicatur, et admittatur, plane evincet posse hominem pœnitere de peccatis commissis ante Bap- tismum, illaque deferre ad sacramentum pœnitentiæ, non quidem ex debito, sed ex supererogatione, ut scilicet novo, et dis- tincto titulo extinguantur, licet absolute supponantur sufficienter extincta. Conse- quens autem est absurdum, et contra com- munem sententiam Theologorum docen- tium materiam sacramenti pœnitentiæ esse sola peccata post baptismum commissa, ut statuimus supra disp. 2, dub. 1, § 1. Ergo tenendum est illam evasionem non vitare vires exempli Baptismi ; et juxta illud peccata semel confessa, et remissa non esse materiam doloris requisiti pro suscipiendo novum pœnitentiæ sacramentum.

100. Sed hæc levioris ponderis sunt, ut evertant, aut dubiam faciant sententiam communem. Ad primum respondetur omittendo præmissas, et negando conse- quentiam ob non unam tantum rationem disparitatis. Nam in primis in judicio fo- rensi cognoscitur evidenter absolutio rei per sententiam judicis omnibus notoriam : quare ex vi hujus impertinens foret nova accusatio, et absolutio de eodem delicto. In judicio autem sacramentali, licet sententia, sive absolutio sit valida coram Deo ; id tamen pœnitens non cognoscit evidenter, sed frequenter manet incertus, ac dubius de sua legitima confessione, et justifica- tione : quare non impertinenter, sed pru- denter agit (si scrupulis agitatos præter- mittamus) iterando pro majori securitate eorundum peccatorum confessionem. Deinde judicium forense totum ordinatur ad rei absolutionem, vel condemnationem, et ibi sistit tanquam in ultimo sui effectu : nec aliud speratur commodi, licet processus, et sententia reiteretur. Cæterum judicium

1. Objec.

sacramentale ordinatur adæquate non ad solam absolutionem pœnitentis, sed etiam, et valde principaliter ad communicandum ei gratiam : commune quippe est omnibus novæ legis sacramentis eam, vel ejus augmentum conferre non ponentibus obicem. Quare licet peccata sint remissa, congrue pro novo sacramento inducuntur, ut pœnitens majus augmentum gratiæ consequatur. Cujus signum est, quod licet peccata supponantur antecedenter remissa per contritionem perfectam, subjiciuntur denuo clavibus Ecclesiæ, et pœnitens consequitur non remissionem peccatorum quam jam habet, sed novum augmentum gratiæ, quo carebat. Quin dici potest peccata in isto casu, et cum jam confessa in nova confessione exponuntur ; tunc etiam dimitti, non quidem formaliter, et in actu secundo, sed virtualiter, et in actu primo, quia communicatur in ea confessione gratia destructiva illorum, quamvis per accidens non reperiat illa, quæ destrueret, si adessent.

2 diluitur. Ad secundum negamus minorem, vel ea, et majori omissis, negamus consequentiam ob manifestam rationem disparitatis: quia potestas clavium in sacerdote est in ordine ad peccata remittenda, vel retinenda, ut constat ex forma absolutionis ; et ideo necessarium est, quod homo vere peccaverit, ut hoc sacramentum suscipere possit juxta superius dicta num. 95. Quod requisitum non salvatur in eo, qui nunquam peccavit ; salvatur autem in eo, qui peccavit aliquando, licet postea mundus sit. Unde falsa est minor in eo sensu, quod mundus a peccatis præteritis, ita se habet in ordine ad hoc sacramentum, sicut ille, qui nunquam peccavit. Et confirmari, et explicari valet solutio exemplo ejus, qui ante susceptum Baptismum justificatur per contritionem perfectam, et ab originali mundatur, qui videtur perinde se habere, sicut ille, qui peccatum originale non contraxit, nec indiget Baptismo. Sed res aliter omnino se habet : nam qui originale contraxit, quamvis mundus actu inveniatur, potest, et debet sacramentum Baptismi suscipere : qui vero ab originali semper immunis fuit, nequit Baptismum suscipere, saltem juxta communem providentiam, et secluso privilegio. Idem itaque in comparatione, et casu objectionis dicendum est : quia sicut materia remota destruend per Baptismum est peccatum originale, it materia remota destruenda per sacramen tum pœnitentiæ consistit in proprio, personali peccato pœnitentis.

Ad tertium concedimus sequelam, qu nullum continet inconveniens, si referatu ad breve tempus, quo homo iterando con fessiones eorundem peccatorum potes consequi perfectam eorum remissionem quantum ad culpam, et omnis pœnæ rea tum, ut recte evincit sequelæ probatio, hic forte fuit finis hujus institutionis, quo eadem peccata possint esse materia itera tæ confessionis, ut scilicet, homo conseque retur majorem, ac majorem illorum remis sionem, et ita alliceretur ad frequentiore eorum pœnitentiam agendam in hoc sa cramento. Nec propterea dici debet i contingere sine pœna : tum quia Christu cujus virtus in hoc sacramento influit e opere operato, superabundantem pro culpi nostris passus fuit pœnam. Tum, quia no est levis ipsius pœnitentis pœna erubes centia, et labor in referendo peccata gra vissima in multis confessionibus. Tun denique quia ubi istæ repetuntur, multi plicantur etiam satisfactiones pœnitenti sibi injunctæ a confessario.

101. Ad quartum negamus minorem quam falsitatis convincunt exempla sanc torum relata num. 98, et ratio D. Thom supra quæst. 84, art. 8, ubi ait : « Interio « pœnitentia est, cum quis dolet de peccat « commisso. Et talis pœnitentia debe « durare usque ad finem vitæ. Sempe « enim debet homini displicere, quod pec « cavit ; si enim ei placeret peccasse, jar « ex hoc ipso peccatum incurreret, et fruc « tum veniæ perderet. Displicentia autei « dolorem causat in eo, qui est susceptivi « doloris, qualis est homo in hac vita. Po « hanc vitam autem sancti non sunt su « ceptivi doloris : unde displicebunt e « peccata præterita sine omni tristitia. Ad primam autem minoris probatione respondetur concesso antecedenti, et n gando consequentiam : quia licet virt pœnitentiæ destruat per unum actum pe cata, potest per subsequentes conari majorem, et majorem illorum extirpati nem, non quidem ex necessitate, quia i destructa supponit, sed ex abundantia, pœnitens magis elongetur ab eis, et

ma

agis ea detestetur,ut significat D. Thom. co immediate citato in resp.ad 1,dicens : Vera pœnitentia non solum removet peccata præterita, sed etiam præservat hominem a peccatis futuris.Quamvis igitur homo in primo instanti veræ pœnitentiæ remissionem consequatur præteritorum peccatorum, oportet tamen in homine perseverare pœnitentiam, ne iterum incidat in peccatum. » Quæ pœnitentiæ ntinuatio pertinet ad magnitudinem odii, uod ipsa erga illud habet propter oppositonem peccati cum Deo, ex cujus amore erfecta pœnitentia procedit. Quare, sicut er charitatem nunquam ita Deo unimur, adeo intense illum diligimus, quin posmus ipsum intensius diligere, et ad psum magis accedere, sic per virtutem œnitentiæ, non adeo peccatum abominaur, et de eo dolemus, ut præcludatur obis via ad majorem ejus detestationem, odium, quibus conemur ad infinitam, si eri posset, ipsius destructionem. Ex quius patet ad secundam ejusdem antecedens probationem : nam virtus pœnitentiæ ars quidem justitiæ est,sed non subjectiva, d potentialis,deficiensque a justitiæ rigore, quod (ut alia motiva omittamus) nequit ddere satisfactionem ad æqualitatem pro ravi Dei offensa, quæ infinita est,ut modo pponimus ex dictis in priori parte disp. dub. 4. Quare nunquam offert tantam tisfactionem, quantam pro gravi Dei ffensa debetur, sed debitum semper inexnctum relinquit, quantum est ex parte us, quod offert, si excludamus divinam cceptationem. Et ideo data satisfactione er primum contritionis actum, potest nari ad majorem per alios, et semper fficiet a perfecta justitia in satisfactione ata propter hujus inæqualitatem cum ebito. Quocirca licet supponat debitum, el satisfaciendi, vel luendi pœnas extinm ex divina misericordia erga nos, et justitia erga Christum, qui pro nobis ttisfecit ; semper tamen decet, quod ttra progrediatur in extinguendo prædim debitum per repetitos contritionis tus erga peccata dimissa.

Ad quintum, et ultimum constabit ex amediate dicendis pro explicanda ultima arte nostræ assertionis, in qua statuimus ateriam doloris pertinentis ad hoc samentum esse omnia, et sola peccata pœnitentis *commissa post baptismum*. Per quæ ultima verba excludimus tam peccatum originale, quam omnia peccata commissa, et ante baptismum, et in ipsa baptismi susceptione. Quæ assertionis pars satis constat ex dictis disp. 2, dub. 1, § 1, ubi illam ex professo ostendimus. Modo breviter suadetur : quoniam illa sola peccata possunt esse materia doloris pertinentis ad hoc sacramentum, quæ possunt subdi formæ hujus sacramenti, nempe absolutioni sacerdotali ; sed hæc præcise sunt peccata commissa post baptismum : ergo hæc sola sunt materia doloris pertinentis ad hoc sacramentum. Minor, quæ sola eget probatione, facile ostenditur ; nam in primis peccatum originale,cum sit propria materia sacramenti baptismi, non tollitur nisi per baptismum susceptum in re, vel in voto. Ergo cum baptismus sit janua ad alia sacramenta, et nullum recipi possit ante baptismum in re susceptum ; sequitur peccatum originale auferri non posse per absolutionem sacerdotatem,atque ideo nec illi subdi possunt. Deinde absolutio sacerdotalis est exercitium clavium datarum Ecclesiæ in ordine ad solvendum, vel retinendum peccata a membris ipsius Ecclesiæ commissa. Unde petit jurisdictionem in pœnitentes, et eorum opera ; sed peccata commissa ante baptismum, vel in ipsa susceptione baptismi non sunt peccata membrorum Ecclesiæ, in quæ ipsa jurisdictionem habet ; siquidem ante ultimum instans terminativum baptismi non datur ad Ecclesiam ingressus : ergo peccata commissa ante baptismum, aut in ejus susceptione non possunt subdi formæ sacramenti pœnitentiæ, sive absolutioni sacerdotali. Quid vero dicendum sit specialiter de peccato fictionis, quo ponitur obex fructui baptismi, constat ex loco cit. a num. 48.

102. Unde ad ultimam objectionem ex propositis num. 99 respondetur negando majorem, quia reddit non causam pro causa. Ratio enim, cur baptismus non possit iterari, et hoc sacramentum possit, non illa est, quam assignat, sed institutio Christi cum congruentia, quam optime explicat D. Thom. quæst. 84, art. 10, ad 5, his verbis:«Dicendum,quod baptismus habet « virtutem ex passione Christi, sicut quæ« dam spiritualis generatio cum spirituali

Ultimæ object. fit satis.

D.Thom.

« morte præcedentis vitæ. Statutum autem « est hominibus semel mori, et semel nasci. « Et ideo semel tantum debet homo bapti- « zari. Sed pœnitentia habet virtutem ex pas- « sione Christi, sicut spiritualis medicatio, « quæ frequenter iterari potest. » Ad explica tionem autem objectionis, sive augmentum difficultatis, respondetur admittendo sequelam quantum ad repetitionem doloris ex virtute pœnitentiæ supra peccata personalia commissa ante baptismum, et in baptismo : nihil enim vetat, sed magis congruit, quod de illis homo doleat. Idque probatur exemplis propositis num. 98 S. Pauli Apostoli, qui post baptismum non peccavit mortaliter, et tamen dolebat de peccatis ante baptismum commissis. Et S. Augustinus gratiam in baptismo receptam non amisit, et tamen jugiter deflebat anterioris vitæ peccata, adeo addictus pœnitentiæ, ut ejus sententia fuerit, lib de vera, et fals. pœnit. cap. 13. « Quid restat « nobis, nisi semper dolere in vita ? Ubi « enim dolor finitur, deficit pœnitentia. Si « vera pœnitentia finitur, quid relinquitur « de venia ? » Cum vero sequela porrigitur ad confessionem eorum peccatorum in sacramento pœnitentiæ, sive in ordine ad absolutionem sacramentalem, neganda omnino est : quia obstat institutio Christi, ut vidimus ex D. Thom. et fusius adhuc docet Concil. Trident. sess. 14, cap. 2, ubi materiam propriam sacramenti pœnitentiæ esse peccata, non ante, sed post baptismum commissa, declarat his verbis : « Cæterum « hoc sacramentum multis rationibus a « baptismo differre dignoscitur. Nam præ- « terquam quod materia, et forma, quibus « sacramenti essentia perficitur, longissi- « me dissident : constat certe baptismi « ministrum judicem esse non oportere, « cum Ecclesia in neminem judicium exer- « ceat, qui non prius in ipsam, per baptismi « januam fuerit ingressus. Quid enim mihi « (inquit Apostolus) de his, qui foris sunt « judicare ? Secus est de domesticis fidei, « quos Christus Dominus lavacro baptismi, « sui corporis membra semel effecit. Nam « hoc si se postea crimine aliquo contami- « naverint, non jam repetito baptismo « ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla « ratione liceat ; sed ante hoc tribunal « tanquam reos sisti voluit, ut per sacer- « dotum sententiam non semel, sed quoties « ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes « confugerint, possunt liberari, etc. » Ex quibus satis liquet posse quidem hominem pœnitere de peccatis ante baptismum commissis, et dolere per repetitos actus pœnitentiæ virtutis ; sed minime posse illa deferre, vel semel ad sacramentum pœnitentiæ, ut ab ipsis absolvatur : quia sacerdotis potestas, et jurisdictio nequit ad illa se extendere.

D. Aug.

Conc. Trident.

DUBIUM IV.

Utrum dolor, ut sit pars sacramenti pœnitentiæ, debeat præcedere confessionem.

Titulum proponimus his vocibus, quæ denotant sensum formalem : in materiali namque manifestum est eum dolorem, qui est aliquando sacramenti pars, posse, vel anteire. vel subsequi confessionem, retenta semper sua propria natura specifica, quin, et ex prædicta specie nullum ad confessionem ordinem importare. Procedit itaque proposita difficultas in formali sensu exercendi munus partis sacramenti pœnitentiæ, an videlicet, ut dolor illud obeat, debeat confessionem antecedere. Et similiter confessionem accipimus, ut partem sacramenti, in cujus notionem omnis nostra consideratio collimat.

§ I.

Præfertur pars affirmativa.

103. Dicendum est dolorem, ut sit hujus sacramenti pars, debere præcedere confessionem. De hac assertione dixit Lugo disp. 14, sect. 2, num. 13, esse singularem, et habere contra se omnes Theologos. Sed deceptus fuit, et excessit, nam ut omittamus nunc Thomistas, qui illam non tam probant, quam supponunt, sic docent ex aliis Coninchus de pœnitent. disp. 4, dub. 4, num. 44, Castro Palao tract. 23, disput. unica, punct. 7. num. 11. Laiman lib. 5, tract. 6, cap. 4, num. 31, Ochagavia tract. 1, de Confess. quæst. 18, nu. 5, Dicastillo disp. 6, dub. 9, a num. 135, et alii. Idemque re ipsa docet Suarez disp. 20, sect. 4, num. 31, ut cum Dicastillo, et Palao recte observat N. Franciscus tract. 6, cap. 5, punct. 1, numer. 26.

Probatur

Probatur primo ratione : nam, cum sa-
mentum sit signum sensibile, sive sen-
ns cognoscibile; partes ex quibus essen-
liter componitur, debent esse sensibiles,
ae ideo, et dolor, qui est pars essentia-
hujus sacramenti ; sed dolor, qui est
jus sacramenti pars, nequit esse sensibi-
nisi confessionem præcedat : ergo, ut
sacramenti pars, debet confessionem
ecedere. Minor, in qua poterat esse dif-
ltas, ostenditur : quia prædictus dolor
actus spiritualis, et interior voluntatis,
consequenter non est sensibilis per se,
fit sensibilis per externam peccatorum
fessionem, quam inducit, sicut ignis
sensibilis per fumum, cujus est causa; ad
autem requiritur, quod dolor præcedat
fessionem sicut omnis causa est prior
effectu : ergo dolor, ut sit hujus sacra-
nti pars, debet confessionem præcedere.
04. Respondent Adversarii negando
norem primi syllogismi. Ad cujus pro-
ionem dicunt non esse necessarium,
d exterior peccatorum confessio proce-
ab eorum dolore, sed posse ipsam, et
dictum dolorem præcedere ab eadem
sa sibi communi, nempe ab intentione
ipiendi sacramentum pœnitentiæ, quæ
ucat, et confessionem per se sensibi-
, et dolorem factum sensibilem per
fessionem : ad quod de materiali se
et, quod illam præcedat, aut subsequa-
: quippe dolor potest fieri sensibilis
confessionem, tam subsequentem,
m antecedentem. Et hoc ultimum de-
at Lugo exemplo satisfactionis, quæ
pars saltem integralis hujus sacra-
nti, atque ideo debet esse sensibilis. Et
en ubi imponitur satisfactio in aliquo
se non sensibili, utputa cum ægroto
enitur, quod corde invocet Deum, po-
talis satisfactio fieri sensibilis per ali-
d antecedens, v. g. per impositionem a
rdote, et acceptationem a pœnitente :
ue enim reperitur aliud, quod illam
itentiam de se non sensibilem possit
sibilem constituere : sic igitur dicen-
n est, quod ubi post totam confessio-
dolor succedit, fit dolor sensibilis per
fessionem : hæc, namque, ubi ex in-
ione recipiendi sacramentum fit vim
et significandi dolorem, vel præsen-
. vel futurum, sine quo nequit confici
ramentum.

Sed hæc responsio deficit in pluribus, et Præclu-ditur.
Lugo ejus auctor minus consequenter pro-
cedit. Nam in primis non est necessarium,
quod dolor ad hoc sacramentum requisitus
procedat ex intentione illud recipiendi,
ut ipse bene tradit disp. cit. sect. 4, num.
45, quin illo docente perfectius est, et re-
rum naturis magis congruum, quod ex
dolore, et detestatione peccati moveatur
homo ad intentionem procurandi sibi re-
medium per susceptionem sacramenti pœ-
nitentiæ, quam, quod vice versa ex inten-
tione suscipiendi hoc sacramentum, et
exequendi præceptum Ecclesiæ se excitet
ad dolorem peccatorum : nam priori modo
se gerens majus odium habet ad peccatum
secundum se. In hac ergo suppositione,
procedit ratio a nobis proposita, quæ
proinde minime diruitur per recursum ad
intentionem illam suscipiendi hoc sacra-
mentum, ex qua oriantur dolor, et con-
fessio peccatorum : vim namque facimus
in eo, quod possit (et quidem connaturalis
juxta Lugonem) oppositum contingere,
nempe intentionem confitendi ortum du-
cere ex peccatorum dolore. Per quid fiet
in eo casu dolor sensibilis, quam per con-
fessionem, illum ut sui causam repræsen-
tantem ? Sed vel admissa illa præsuppo-
sitione intentionis, nihil prodest subterfu-
gium : quia licet intentio fiat sensibilis
per confessionem, dolor tamen nec inten-
tione, nec confessione sensibilitatem
ullam acquirit. Non intentione, quippe
quæ interior, et insensibilis est, sicut ipse
dolor. Nec confessione, siquidem supponit
hæc responsio, quod confessio non proce-
dit a dolore, sicut a causa : aliunde vero
certum est, quod non respicit dolorem, ut
effectum : quibus sublatis tollitur ordo, ut
possint comparari per modum signi, et
signati, et ut dolor per confessionem si-
gnificetur ; sed habebunt se pure concomi-
tanter, aut disparate. Quid enim refert,
quod confessio oriatur ex intentione reci-
piendi sacramentum, ex qua etiam proce-
dat dolor peccatorum, ut hic significetur
per confessionem, si intentio significata
per confessionem non significat ulterius
dolorem, ut plane non significat, cum in-
terior sit, et spiritualis ? Sed quod caput
est, intentio habendi dolorem non est ipse
dolor, nec habet necessariam connexionem
cum illo, sed potest ab eo separari : sicut

desiderare, et proponere habere amorem Dei non est ipse amor ; et dolere, quod non habeamus dolorem de peccatis, non est ipse de peccatis dolor, ut supra vidimus n. 67. Stat ergo, quod quis habeat intentionem suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, et subinde ponendi omnia ad ipsum requisita, inter quæ computatur peccatorum dolor, et quod nihilominus non detur talis dolor, nec repræsentetur præsens : atque ideo nequit significari, et fieri sensibilis per talem intentionem, nec per confessionem, ut tali intentioni subest.

105. Dicere autem, et in id ultimo recidit Lugo, quod fit sensibilis per confessionem antecedentem, eadem facilitate refellitur : quia confessio sine dolore facta nihil habet, per quod significet dolorem futurum : ergo futurus dolor, quando est præsens, non fit sensibilis per confessionem antecedentem. Consequentia patet. Et antecedens suadetur, quia in confessione sine dolore facta non aliud occurrit, vel reperitur, quam narratio peccatorum, et carentia doloris, et hæc nec simul, nec divisim sumpta significant dolorem futurum. Non quidem illa carentia ; siquidem nihil magis dissimile, et improportionatum potest excogitari ad dolorem significandum, quam carentia doloris. Nec ipsa confessio, quia sine dolore facta, est mera, et simplex narratio, quæ nullum habet ordinem ad dolorem ; sed potest ob alios fines fieri, utputa ob jactantiam, vel ad captandam confessarii gratiam, vel pro fingendo adimpletionem præcepti. Idque, vel ex eo liquet, quod talis confessio nullam habet connexionem cum dolore præsenti, siquidem eo caret : minorem itaque et nullam potest habere cum dolore futuro. Exemplum vero, quo Lugo declarat suam responsionem, nihil probat : tum quia satisfactio sacramentalis in re posita non est pars essentialis ex qua constituatur sacramentum ; atque ideo ad hujus essentiam, et ut sit signum, nihil, aut parum refert, quod talis satisfactio in re sit sensibilis, aut non. Tum quia licet satisfactio in voto, sive, et in idem reddit, propositum satisfaciendi ad justum Confessarii arbitrium sit de essentia hujus sacramenti ; id tamen implicatur in vero de peccatis dolore, et per confessionem, sicut et ipse dolor, sensibiliter significatur. Unde idem sumimus, et respondemus de satisfactione in voto, ac de dolore, nemp debere confessionem præcedere, ut sensibilis fiat per illam. Adde primo : non ess communem, aut certam sententiam, quo actus pure interni queant injungi in pœnitentiam sacramentalem, ut constabit e dicendis disp. 11, n. 33. Adde ulterius quod esto possint injungi, non aliter habent esse materiam satisfactionis sacramentalis, quam si acceptentur a pœnitent quæ acceptatio semper est exterior, et sensibilis, et ab ea habent fieri sensibiles actus licet de se interni, sensibiliter accep tati.

Et ut exemplum exemplo retundamus unum exhibeamus satis appositum ex mat ria de Matrimonio, et supponimus ad ej valorem requiri internum, mutuumq contrahentium consensum, aliquo exter signo explicatum, ut diffinivit Conciliu Florentinum in decreto fidei § 7, sicut a valorem sacramenti pœnitentiæ interi dolor significatur, et factus sensibilis p aliquod exterius. Demus itaque Petru contrahentem cum Maria per verba præsenti, quæ protulit, caruisse consen interiori : fuit tunc plane matrimoniu nullum ob interni consensus defectu Quid agendum, ut revalidetur ? Sufficia quod Petrus adhibeat consensum internu absque ullo exteriori signo ? Scimus Sa chez disp. 32, de Matrimonio num. 1 affirmare : quia exterior expressio ja præcessit, et solum defecit consensus int rior, qui postea adhibetur. Sed tamen v rior, ac communior sententia, quam cu Basilio, Conincho, Hurtado, et Dicastil tuetur N. Antonius in Director. Confess tract. 11, disp. 3, sect. 5, num. 98, do debere talem novum consensum expri exterius per aliquod signum. Et ratio es quia verba externa, ut constituant un actum humanum cum consensu inter quem significant, debent ab illo procede ab ejusque imperio oriri : nequeunt aut verba præterita procedere, oririque ex i fluxu consensus interni, nunc præsent siquidem nemo valet nunc exercere su imperium, ac causalitatem circa id, q jam præteriit, et non est in sua potesta uti se habeant verba præterita : ergo t verba de præterito prolata nequeunt præsentare consensum nunc præsens, esse sufficiens signum illius, aut ips

redd

reddere sensibilem, ut sacramenti natura exposcit. Ad rem igitur ; non minus dependet sacramentum pœnitentiæ ab interno dolore, quam sacramentum matrimonii ab interno consensu : et sicut consensus internus debet fieri sensibilis per signum exterius, ut sunt verba, aut nutus contrahentium ; sic internus peccatorum dolor debet fieri sensibilis per signum exterius, quale est confessio peccatorum ; sed ubi defecit a principio ille consensus, et postea ponitur, nequit fieri sensibilis per externa verba præterita. Ergo ubi a principio non fuit dolor interior, nec valet fieri sensibilis per præteritam confessionem. Et consequenter sicut ad validandum matrimonium opus est adhibere non solum consensum, sed signa externa illum significantia : ita ut sit validum sacramentum confessionis necessarium est non solum elicere dolorem, qui tempore confessionis non fuit, sed adhibere etiam nova signa externa : quæ illum de præsenti significent, ut sunt lacrymæ, tunsio pectoris, instantia pro absolutione, et alia, per quæ confessio sine dolore facta, quasi reproducitur, et incipit esse vera confessio, et pars sacramenti. In quo sensu, et non in alio duriori, aut minus practicabili affirmamus universaliter, quod, ut dolor sit hujus sacramenti pars, debet præcedere confessionem : sicut verus consensus interior debet præcedere verba externa, quibus matrimonium celebratur, ut istud vere subsistat.

106. Quæ contra Lugonem impugnationes magis confirmari valent ex refutatione consequentis, quod alii aliqui Recentiores (apud Dicastill. et N. Franciscum) ejus principia edocti, et præsertim, quod dolor futurus fiat sensibilis per confessionem antecedentem absque dolore præmissam, non inconsequenter admittunt. Sit casus, quod pœnitens post confessionem sine dolore factam excitatur a confessario ad dolorem, sed priusquam ille ipsum concipiat, discedat confessarius ad breve negotium, et eo tempore doleat pœnitens de peccatis, sed perveniens postea confessarius reperiat ipsum destitutum usu rationis. Poterit ne absolvi ? Et si absolvatur, erit validum sacramentum ? Respondent prædicti Juniores affirmative : quia ille dolor in absentia confessoris elicitus factus est sensibilis, sicut pars sacramenti exposcit, per confessionem antecedentem confessori factam, ut Lugo docet, et consequenter dicendum est. Sed resolutio sustineri non debet. Tum quia esto, confessio antecedens esset aliquo modo signum doloris non tamen est signum doloris actu existentis ; sed ad summum potest significare intentionem, sive voluntatem eliciendi dolorem ante absolutionem : quæ voluntas, ut supra dicebamus, non est dolor formaliter, aut æquivalenter, sed alius actus longe diversus. Tum etiam, quia in prædicto casu non datur aliquod medium, per quod dolor fiat sensibilis confessario : cum enim datur confessio, per quam fieret dolor sensibilis, non datur ipse dolor ; quando vero datur dolor, qui sentiri possit, jam non est confessio, per quam possit sentiri, et ubi supervenit sacerdos, nihil occurrit, per quod dolor in ejus absentia elicitus possit manifestari, vel insinuari. Tum denique ; quia prædictus dolor nunquam fuit physice, aut moraliter præsens sacerdoti, sicut requirebatur ad hoc, quod simul cum absolutione constitueret sacramentum : non quidem tempore confessionis, quippe, qui tunc solum respiciebatur ut futurus : nec tempore absentiæ sacerdotis, quia tunc nulli innotuit : atque ideo non est assignabilis duratio, in qua cœperit esse sensibiliter præsens, ut actu simul cum aliis partibus physice, vel moraliter præsentibus constitueret sacramentum. Tenendum itaque omnino est in tali casu absolutionem non posse impendi : et licet impenderetur, nihil efficeret.

107. Probatur secundo nostra conclusio Prob. 2. alia ratione, licet magna ex parte recidat in præcedentem : quia dolor peccatorum nequit esse pars hujus sacramenti, nisi connotet aliam partem essentialem, nempe confessionem ; sed confessio nequit esse sacramenti pars, nisi dolorem præsupponat : ergo, ut dolor sit hujus sacramenti pars, debet præcedere confessionem. Consequentia patet. Et major est certa : quia sicut sacramentum non potest actu constitui, nisi concurrentibus partibus essentialibus, ex quibus constat : ita quælibet earum nequit esse actu pars, nisi connotando actualem alterius concursum : ad eum plane modum, quem in compositis naturalibus observare videmus, ubi nec corpus datur sine materia, et forma, nec

materia est actu pars corporis, nisi connotando alteram partem, et vice versa. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam cum hoc sacramentum institutum sit per modum judicii reconciliativi, in quo pœnitens tendit per modum rei ad obtinendam remissionem peccatorum; opus est horum confessionem, ut munus partis in tali habeat, esse non meram historiam, aut recitationem peccatorum, sed veram de illis accusationem ; sed nequit esse vera de illis accusatio, nisi procedat ex eorum dolore, et consequenter quin dolorem præsupponat : ergo confessio non potest esse hujus sacramenti pars, nisi præsupponendo dolorem. Et hunc ordinem D. Thom. optime significavit D. Thom. quæst. 90, art. 2, dicens : « In pœnitentia fit recom- « pensatio offensæ secundum voluntatem « peccantis, et secundum arbitrium Dei, in « quem peccatur : quia hic non quæritur « sola redintegratio æqualitatis justitiæ « (sicut in justitia vindicativa) sed magis « reconciliatio amicitiæ, quod fit, dum of- « fendens recompensat secundum voluntа- « tem ejus, quem offendit. Sic igitur requi- « ritur ex parte pœnitentis, primo quidem « voluntas recompensandi, quod fit per « contritionem : secundo quod se subjiciat « arbitrio sacerdotis loco Dei, quod fit in « confessione, etc. »

Nec satisfacit primo, si dicatur confessionem, licet non procedat ex dolore, fieri sufficienter accusationem per subsequentem dolorem expressum per lacrymas, per suspiria, per verba dicentis se dolere. Id, inquam, non satisfacit, sed firmat nostram assertionem : quia ubi id ita contingit, et posse contingere concedimus, confessio non procedens ex dolore fuit mera relatio peccatorum, et non accusatio. Ubi autem accedit dolor eis signis expressus, incipit tunc primo esse in ratione accusationis, et partis sacramenti : et secundum talem rationem illum dolorem, ejusque signa præsupponit ; licet opus non sit narrationem peccatorum repetere, quæ satis nota, et præsentia sunt sacerdoti. Et hic est nostræ assertionis sensus ; refertur enim formaliter ad dolorem, et confessionem ut sacramenti partes, quemadmodum in dubii vestibulo præmonuimus.

108. Nec secundo satisfacit, si dicatur, confessionem, et si dolorem non præsupponat præsupponere tamen intentionem recipiendi hoc sacramentum, quod institutum est per modum judicii, atque ideo talis intentio inducit confessionem non ut cumque, sed per modum accusationis. Id inquam, minime satisfacit : nam licet verum sit prædictam intentionem, si efficax est inducere confessionem peccatorum, qua sit vera de illis accusatio ; hoc ideo est, quia inducit requisita ad veram accusationem inter quæ primum locum obtinet dolor. Ubi autem illum non infert, aut præsupponi pro priori ad confessionem, nequit illam per modum accusationis inferre, et convincitur non fuisse efficacem hujus judicii reconciliativi intentionem : quippe quæ non induxit omnia ex parte pœnitentis necessaria, nec eo ordine, qui servandus est inter ea. Unde ridiculum apparet, quod narrati peccatorum transeat in veram de illis accusationem ob hoc præcise, quod subordinetur intentioni recipiendi sacramentum quoniam accusatio de peccatis supra simplicem illorum recitationem addit displicentiam, et dolorem erga peccata : aliás non munus accusationis indueret, sed in solo simplicis narrationis relinqueretur. Aliunde vero intentio recipiendi sacramentum per se ipsam non est dolor peccatorum formaliter, aut æquivalenter : vel si dolor est, sicut confessio illam intentionem supponit, ita, et supponet dolorem, et habemus intentum, nempe confessionem in esse accusationis ex peccatorum dolore procedere. Sed absolute falsum est eam intentionem esse dolorem. Et ideo asseri debet vel efficacem non esse ad inferendum confessionem per modum accusationis, vel prius inferre dolorem, qui necessarius est ut confessio in ratione accusationis constituatur.

Non absimilis præcedenti, sed nec illa melior est alia responsio Lugonis, fatenti tandem accusationem debere oriri ex aliquo odio delicti, et desiderio correctionis. Sed addit non requiri, quod hæc sint perfecta, et absoluta. Peccator autem, ubi in confessione se accusat de peccatis, semper habet aliquod peccatorum odium, et desiderium salutis, nisi omnino ficte confiteatur. Ceterum hoc effugium ex una parte facile præcluditur, et ex alia videtur rationi nostræ succumbere. Non enim virponimus in eo, quod dolor, qui præcedi confessionem

confessionem, debeat esse efficax ; sed oppositum supponimus, aut permittimus juxta superius dicta dub. 1, num. 32. Facimus autem vim in eo, quod vera accusatio peccatorum debet procedere ex vero eorum dolore ; abstrahendo tamen, ut fieri debet, ab efficaci, et inefficaci. Et hoc concedit re ipsa, licet verbis ludat, Lugonis responsio. Quoniam odium peccatorum, et desiderium salutis, sive libertatis ab illis nequit non importare verum aliquem peccatorum dolorem sive explicite, et formaliter, sive implicite, et virtualiter ; sed accusatio debet oriri ex aliquo odio delicti, et desiderio salutis, ut Lugo monuit : ergo accusatio peccatorum debet oriri ex eorum dolore : sive hic sit efficax, sive non ; quod nihil refert pro præsenti difficultate. Explicatur hoc inquirendo, an odium peccatorum conjunctum desiderio salutis sit dolor de peccatis, aut non? Si eligatur primum, habemus intentum ; nempe confessionem oriri ex dolore : requiritur debet oriri ex odio peccati, et desiderio salutis. Si autem secundum eligatur, redeunt impugnationes hactenus factæ : nam confessio peccatorum in ordine ad judicium reconciliativum in quo intenditur redintegratio amicitiæ cum Deo ex peccatis offenso, debet procedere ex odio, et detestatione præcedentium peccatorum, quæ Deum offenderunt, et violaverunt cum eo amititiam. Explicatur, et urgetur amplius : nam cum confessio, ut constituatur in esse veræ accusationis, et in ratione partis sacramenti pœnitentiæ, requirat peccatorum dolorem, ut ostensum est ; dolor requisitus debet esse [illegible], quia ad rationem partis sacramenti, cum confessione concurrentis desideratur. Nec enim oportet duos pro uno sacramento dolores distinguere : unum qui constituat confessionem in ratione accusationis ; et alium, qui sit sacramenti pars : sed confessio debet præsupponere aliquem peccatorum dolorem, ex qua ipsa oriatur ; quem dolorem concedit Lugo sub involucris odii, delicti, et desiderii salutis : ergo dolor, qui est sacramenti pars, debet præcedere confessionem. Unde vanus est illius Auctoris recursus ad dolorem non perfectum, et absolutum : nam conditiones, quas dolor debet habere, ut sit pars sacramenti, easdem habet, ut confessionem sibi compartem constituat in ratione accusationis. Atque ideo, si ut sit pars, non requiritur, quod sit efficax, ut nos statuimus loco citato ; pariter non requiretur, quod sit efficax, ad constituendam confessionem in ratione accusationis, et partis. Si autem requiritur dolor efficax, ut forte censet Lugo, hic etiam, et, ut talis necessarius erit, ut confessio ea munera exerceat. Quolibet itaque modo describatur dolor, qui est pars sacramenti, anteire debet confessionem, ut se habeat per modum accusationis, et actu subeat partis officium.

Evasio Lugonis Amici

109. Ut ab his impugnationibus se expediat Amicus, affirmat, quod possit quis narrare per modum historiæ sua peccata, et deinde mere interne dolere, et sic absolvi : quare negat necessitatem confessionis per modum accusationis, et sic uno quasi impulsu totum nostrum fundamentum evertit, quod eo accusationis munere sufficiebatur. Quin addit sufficere ad hoc sacramentum confessionem non solum factam sine dolore antecedenti, verum etiam factam sine proposito dolendi adhuc post confessionem. Et ad majora progressus affirmat disp. 14, sect 4, num. 65. Si quis ebrius, aut freneticus narret omnia sua peccata confessario, et deinde ad usum rationis rediens advertat si illa retulisse, sufficere, ut valide, et fructuose absolvatur, quod interne doleat, et intendat peccata prius prædicto manifestata subjicere Ecclesiæ clavibus.

Impugnatur

Hæc tamen responsio, quo liberior, eo est præcedentibus longe absurdior, sed, et consequenter evidentioribus impugnationibus magis subjecta. Et quidem ad ostendendum falsitatem adversæ opinionis satis, superque erat illam traxisse ad inconveniens adeo grave, quale hic ejus patronus concedit. Et quod minime sustineri possit, ostenditur : tum quia communis sententia Theologorum est sacramentum pœnitentiæ institutum esse per modum judicii reconciliativi, et satis constat ex ejus forma, quæ est absolutio a peccatis per legitimam potestatem, et supposita causæ cognitione, ut satis perspicue docet Concil. Trident. sess. 14, cap. 5 et 6. Sed ad formam judicii reconciliativi requiritur accusatio ex parte ejus, qui se gerit, ut reus, uti comparatur pœnitens : ergo, nisi accusatio adsit, non salvatur veritas, et proprietas

sacramenti pœnitentiæ. Tum etiam, qnia minime potest comparari ut reus, et ut vere pœnitens, qui sic confitetur, aut narrat propria peccata ; quod nec de eis dolet, nec propositum habet dolendi ante judicis sententiam : minime namque videtur quærere absolutionem a Deo, cujus vices gerit sacerdos in hoc sacramento, qui nec actu, nec voto, aut proposito habet dolorem de peccatis, quæ ipsi dimittenda proponit : ergo si ad confessionem non requiritur dolor præsens, aut futurus, sequitur pœnitentem in confessionem non se gerere ut vere pœnitentem, et reum : quod plane contradicit modo et conditioni hujus sacramenti. Tum præterea, quia materia essentialis hujus sacramenti consistit in actibus humanis pœnitentis, nempe in confessione, et dolore, ut docet Concil. Tridentinum sess. cit. cap. 3. Sed narratio peccatorum facta ab ebrio, vel frenetico non est actus humanus : quin nec est narratio, nec verbis, quæ sint formaliter verba, constat ; cum nullum repræsentent conceptum loquentis : unde non pluris æstimamus contumelias ab ebrio prolatas, quam si a psittaco proferrentur, ut explicuimus tract. 13 de peccatis, disp. 5, dub. 6, § 4. Ergo narratio peccatorum ab ebrio facta non est vere peccatorum confessio, nec vera pars sacramenti : atque ideo, si alia confessio non accedat, illud minime subsistet. Tum denique ; quia absurdum apparet, et sacramenti dignitatem dedecet, quod id constituatur pro confessione ebrii, quod pro joco, et materia irrisionis solet haberi. Omittimus alias oppugnationes in re non necessarias, et præsertim dolorem in eo casu nullo modo fieri sensibilem, ut superius arguebamus : quod tamen necessario salvandum est. Sed addimus in eo casu posse perfici verum sacramentum, si ebrius factus sui compos cognoscat manifestasse confessario sua peccata, et de eis doleat, et sine nova narratione dicat, Accuso me de narratis, et peto ab eis absolutionem. Quia tunc adest nova, et vera confessio in esse accusationis, et partis sacramenti, cui deservit notitia sacerdotis ex ebrii relatione prius comparata, ut in simili diximus supra num. 105.

§ II.

Refertur sententia contraria.

110. Oppositam opinionem docentem non esse necessarium, quod dolor, ut sit hujus sacramenti pars, confessionem antecedat, tuentur Henriquez lib. 4,. cap. 28, num. 3, Lugo disp. 14, sect. 2, Amicus loco cit. Leander disp. 7, quæst. 3 et communiter recentiores, qui pro eadem referunt Medinam, Toletum, Suarium, Vasquium, Filliucium et plures alios. Sed eorum multi non aliud docent, quam nos, nempe non esse necessarium, quod dolor antecedat recitationem materialem peccatorum, quæ confessio vulgo appellatur : minime tamen negant, quod dolor debeat præcedere vel hanc confessionem, vel illos nutus, signa, aut verba, per quæ ipsa ante absolutionem quasi reproducitur, et incipit esse accusatio, et vera pars sacramenti. Pro relata vero opinione non multa occurrunt argumenta : quia præcipuum ejus fundamentum consistit in evasionibus, quibus eluduntur argumenta suadentia prædictæ antecedentiæ necessitatem : sed eas jam præclusimus. Opponi tamen potest in ejus favorem praxis fidelium, quam his fere verbis expendit Lugo : fideles namque, si forte sua peccata absque dolore confessi sunt, et postea exhortatione confessarii permoti prædictum dolorem concipiunt, putant suo muneri, et obligationi fecisse satis, dolendo ante absolutionem. Et hoc fine solent confessarii tunc potissimum ad dolorem excitare, ad absolutionem valide suscipiendam. Nec pœnitentes obligant, ut post dolorem tunc conceptum repetant confessionem, quam sine dolore fecerunt : signum ergo est, quod dolor hujus sacramenti pars non debet esse indispensabiliter prævius ad confessionem communis enim fidelium praxis declara optime, quid in hac re, et in aliis sit necessarium.

Nec refert : si respondeatur in tali casu confessionem brevissime repeti, dum pœnitens dicit se dolere de omnibus narratis et petere ab illis absolvi, ut explicuimus num. 105. Nam contra hoc opponit prædictus Auctor : tum, quod hoc ipsum est contra praxim ; siquidem nec pœnitentes solent dicere, cupio ab his absolvi : ne confessar.

ROBERT'S COLLEGE LIBRARY

nfessarii curant, quod pœnitentes id di-nt. Tum etiam, quia pœnitentes nihil rorsus explicantes, solent dolere de pec-tis, dum sacerdos illos alloquitur, et sol-citi non sunt in manifestando suum con-ssario dolorem : et tamen nemo dubitat sacramenti valore. Tum denique : quia liqui confessionem generalem facturi, et peccatis discutiendis, et referendis bi-uum, vel triduum, consumentes, solent servare actum doloris eliciendum ultima e, aut hora, in quibus absolvuntur, et nc peccata prius confessa minime repe-nt. Quod juxta nostram assertionem re-robandum esset, utpote contra sacramenti alorem. Id vero apparet nimis durum, luresque inducens scrupulos circa confes-ones factas prædicto modo, qui est inter deles adeo communis.

111. Respondetur sustinendo datam res-onsionem, quæ optima est, ipsaque fide-um praxis, et quæ per objectas replicas, atis quidem leves, non eliditur ; ut eis ccurrendo constabit. Sed prius in communi bservandum est falso supponi oppositam raxim esse communem : nam quantum xperti sumus, fideles post relata in parti-ulari peccata solent addere, quod de om-ibus etiam oblitis se accusant, quin, ubi e præsenti non habent nisi levia, solent bjungere aliquod grave jam expositum n alia confessione, ut securior reddatur acramenti valor ex majori securitate do-oris : idque admonere in usu quotidiano st piis, et prudentibus confessariis, sicut, t injungere, quod pœnitentes doleant de eccatis, dum absolvuntur. De hac praxi stificari possumus, secus de opposita : uare nescimus, unde hauserit relatus Auc-or illam ab illo assertam esse commu-em, saltem quantum ad præcautionis mo-um, quo alii confessarii ministrant hoc acramentum. Deinde observandum est odum, quo fideles confessiones absque olore factas solent brevissime, concepto m dolore, ante absolutionem repetere, on alligari ad verba formaliter talia, et ulto minus ad determinata; sed complecti erba æquivalentia, ut sunt omnia signa, t nutus, quibus significatur peccatorum nfessio, et dolor, v. g. suspiria, lacry-æ, tunsio pectoris, demissio vultus, et sa humilis, ac religiosa expectatio abso-tionis, admissioque satisfactionis injunc-tæ : hæc namque satis sensibiliter declarant perseverantiam, aut inchoationem in confitendo, et detestando peccata.

His suppositis ad primam replicam respondetur negando antecedens : nam mos proxime descriptus est inter fideles valde communis. Et quod ad solicitudinem confessariorum circa id pertinet, qui prudentes sunt, advertunt se duo genera personarum ad confessionem admittere. Nam aliquæ sunt sapientes, et timoratæ, quæ sciunt confessiones ex nullo dolore procedentes esse nullas, atque ideo, vel faciendas ex dolore, vel saltem ex dolore brevissime repetendas ante absolutionem : et istæ opus non habent ad id hortari, sed supponere possunt, quod ita se gerant. Aliæ autem sunt vulgares, et idiotæ, et cum his oportet prædictam solicitudinem, et cautionem adhibere, sciscitando an de peccatis doleant, et admonendo, quod eliciant actus doloris ante absolutionem, et dum absolvuntur. Ad secundum respondetur nihil referre, quod pœnitentes non curent de manifestando suum dolorem confessario : satis namque est, quod prædictus dolor fiat sensibiliter cognoscibilis per media, et signa proxime relata : et si ante, vel post confessionem non adhiberetur, pluries, et cum plurimo fundamento dubitaremus de sacramenti valore. Ad tertiam respondetur eodem modo : nihil enim pro præsenti difficultate refert, quod confessio sit generalis, aut non ; quod fiat per triduum, aut in brevi duratione : semper enim debet procedere ex dolore, vel ubi primo fit, vel saltem, ubi modo descripto repetitur, seu reproducitur ante absolutionem. Et hoc asserere nec durum est, nec scrupulos fovet ; sed obligationem aperit, veritatem adstruit, et securitatem fundat in re adeo gravi tam pro sacramenti reverentia, quam pro animarum salute. Ex quibus compulsi addimus sententiam nobis oppositam, (præscindendo a speculativa ejus probabilitate) non videri practicabilem, et securam in usu, propter reprobationem primæ propositionis ex damnatis ab Innocentio XI, quæ asserebat : « Non « est illicitum in sacramentis conferendis « sequi opinionem probabilem de valore « sacramenti relicta tutiore. » Nam profecto nostra tutior est, quam contraria : nullum quippe occurrit periculum vel in

Ad 1.

Ad 2.

Ad 3.

Propositio damnata.

præmittendo dolorem ante confessionem : vel si hæc absque illo facta fuerit, in eliciendo postea illum, adjunctum signis sensibilibus, per quæ fiat sensibilis, et confessionem constituat, ut fieri debet, in ratione accusationis. Sed in contrariæ usu, prætermittendo ista, periculum adest frustrandi sacramentum. Aliunde vero (licet id pro vitando prædicto inconvenienti necessarium non foret) principia, quibus utimur, sunt probabiliora contrariis, et cohærentia communi usui, et apprehensioni fidelium.

Argum. 2 112. Arguitur secundo : quia si dolor, ut sit hujus sacramenti pars, deberet confessionem præcedere, hæc præcedentia esset vel solo ordine naturæ, vel duratione temporis ; sed neutrum potest convenienter dici : ergo non requiritur præcedentia doloris ad confessionem. Probatur minor : nam cum ex una parte dolor comparetur ad confessionem, sicut causa ad effectum, quippe, qui illam constituit in ratione accusationis, ut supra diximus : sufficit habere illam præcedentiam, quæ requiritur in causa comparative ad effectum : hæc vero solum est secundum ordinem naturæ, et quæ bene salvatur cum coexistentia utriusque in eadem temporis duratione. Ex alia vero parte, cum confessio fiat successive, sive in tempore ; dolor vero, cum sit actus voluntatis, possit in uno instanti elici, et perfici ; nec necessarium apparet, quo præcedat tempore confessionem, toto videlicet illo, quo continuatur peccatorum recitatio.

Respondet. Respondetur negando minorem. Ad cujus probationem dicendum est dolorem posse confessionem antecedere utroque illo modo, et quemlibet eorum pro asserta præcedentia sufficere. Et quidem per se loquendo satis est antecedentia, sive prioritas secundum ordinem naturæ, ut argumentum bene probat exemplo aliarum causarum ; sed per accidens, et attentis naturis doloris, et accusationis ex eo provenientis, communiter loquendo dolor præcedit confessionem, etiam duratione, ut argumentum bene etiam suadet. Sed tamen repugnantiam non videmus in eo, quod simul duratione coexistant cum sola antecedentia doloris secundum ordinem, aut prioritatem naturæ. Id vero dupliciter explicari, et fieri potest. Primo, si dolor incipiat cum ipsa confessione, et continuetur cum illa : quamvis enim non incipiat in tempore, sed in instanti ; potest tamen durare, et continuari per correspondentiam ad tempus. (Videantur, quæ docent N. Complut. abbrev. in Physic. disp. 24, quæst. 4, concl. 2, ubi explicant, quomodo substantiæ Angelicæ possint produci per correspondentiam ad tempus, quod hanc partem a fortiori evincit.) Declaratur secundo dicendo ; quod, licet confessio tempore duret, ultimo tamen completur, et terminatur in instanti : et quod in eo potest elici dolor, qui illam præcedat ordine naturæ, ut ultimo completam, et terminatam ; quo pacto exercet rationem partis sacramenti in concurrendo ad ejus effectum : sicut etiam contingit in absolutione, quin, et in omnibus sacramentis, et eorum partibus : est namque omnibus commune causare gratiam non in tempore, sed in instanti, ut constat ex dictis Tract. 22, de Sacramentis, disp. 4, dub. 5, § 1. Sed quod frequentius contingit, et congruentius videtur tam naturis rerum, quam humano operandi modo, dolor prior tempore est, quam confessio, ut satis liquet ex hactenus dictis. Et hac occasione solent aliqui in præsenti disputare, quanto tempore possit dolor confessionem antecedere, et sacramento conficiendo deservire ; et aliqui limitant ad spatium unius diei : alii extendunt ad totum spatium, quo actus doloris formaliter, aut virtualiter perseverat : et alii denique ulterius progressi affirmant non obesse valori sacramenti, quod dolor longissimo tempore confessionem præcedat, dummodo semel elicitus, nec explicite, nec implicite, retractetur, quos dicendi modos refert Leander disp. 7, quæst. 6, præferens ultimum, et pro illo referens Sotum, Suarium, Candidum, Bonacinam, et Hurtadum. Sed quid dicendum sit, congruentius statuemus dub. seq. num. 121 et 124.

113. Ex dictis sequitur a fortiori dolorem debere præcedere absolutionem. Sic observant communiter Auctores, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 5, punct. 1, num. 22, et facile suadetur : nam peccatorum confessio præcedit eorum absolutionem : non enim possunt absolvere sacerdotes, nisi a peccatis, quæ per confessionem cognitioni, et jurisdictioni illorum subduntur ; sed dolor de peccatis debet præcedere

re confessionem, ut ostensum est : ergo bet præcedere absolutionem. Tum etiam est motivum dolori, et confessioni com- une), quia hoc sacramentum institutum per modum judicii reconciliativi, in o absolutio habet rationem sententiæ ; l in judicio ante sententiam judicis præ- ittitur, et accusatio rei, et cognitio cau- : ergo una, et altera medio dolore, et nfessione debent præcedere sacramen- lem absolutionem. Quod motivum evin- hanc præcedentiam debere esse secun- m temporis durationem : quia cognitio usæ per confessionem, sive hæc verbis, ve nutibus, sive aliis signis fiat, semper poscit successivam durationem : absolu- etiam, cum verbis fieri debet, tempus sumit : ergo confessio præcedit tempore solutionem : idemque proinde dicen- m est de dolore, qui, ut supra diximus, quit esse posterior confessione conside- ta in ratione accusationis, et partis sa- amenti.

Nec hic morari oportet in diluendo com- unem objectionem ; quod hoc sacramen- m constat dolore, et confessione sicut ex ateria, et verbis absolutionis tanquam forma : et videtur necessaria coexisten- a inter materiam, et formam, ex quibus tum aliquod constituitur. Nam id dilui- r communi, et vera doctrina, quod sa- amentum est compositum morale, inter jus partes non requiritur unio, vel existentia physica, aut quod partes se hysice (ut ita dicamus) tangant ; sed suf- cit unio moralis, et per subordinationem nius partis ad aliam respectu significa- ionis completæ totius sacramenti, ut ex rofesso explicuimus tract. 22, de sacram. isp. 2, dub. 2, per totum. Melius oppone- etur ob motivum immediate insinuatum non requiri, quod materia sacramentorum roxime præcedat ; unde ad valorem Bap- ismi non refert, quod verba formæ profe- antur ante, vel post ablutionem, dum- modo non multum duratione distent, sed int moraliter indistantia, et humano modo præsentia : idemque contingit in con- firmatione, Extrema-Unctione, etc. Ergo um dolor, et confessio ex una parte, et absolutio ex alia comparentur per modum materiæ, et formæ ; nihil refert, quod ab- solutio præcedat, vel sequatur dolorem, et confessionem, sed sufficiet moralis inter has partes præsentia. Sed hoc etiam facile dispellitur : quia antecedens non est distributive, et universaliter verum, sed solum tenet in aliquibus sacramentis. Istud autem Pœnitentiæ habet specialiter modum judicii, in quo sententia, ne sit temeraria, injusta, et nulla, supponit cognitionem causæ cum accusatione rei : atque ideo nequit dolorem, et confessionem, vel brevissima duratione antecedere, ut insinuavimus loco cit. num. 18, ad quem lectorem, ut ad propriam hujus doctrinæ sedem remittimus.

DUBIUM V.

Utrum idem doloris actus possit distinctis confessionibus deservire.

Conveniens, accurataque hujus dubii resolutio desumenda est ex dictis dub. præced. quocirca istud illi immediate submittimus. Sed ante resolutionem nonnulla præmittere oportet, quæ vel requiruntur ad terminorum intelligentiam, vel tanquam certa supponi debent, ut sic ad proprium, et specialem difficultatis statum deveniamus.

§ I.

Aliqua prælibantur, et supponuntur.

114. Dolorem esse partem essentialem sacramenti pœnitentiæ satis constat ex dictis in hac disp. per totam. Et cum totum non sit aliud a suis partibus simul sumptis, et unitis ; merito dubitatur, utrum possint multiplicari numero confessiones, et subinde sacramenta pœnitentiæ, quin necessarium sit multiplicare numero dolorem, qui tanquam pars ad singula sacramenta concurrit. Circa quod duo videntur certa, et a cunctis admittenda. Primum : non posse eundem doloris actum deservire pluribus confessionibus simul actu concurrentibus, et coexistentibus : nam impossible est istas esse simul ab eodem pœnitentes ; sed necessario plures exposcere. Ubi autem pœnitentes multiplicantur, necessario ibi multiplicantur doloris actus, cum unus nequeat pœnitere per actum alterius. Nequit itaque unus dolor deservire pluribus confessionibus simul actu coexistentibus. Et ideo

difficultas in titulo proposita trahenda, alligandaque est ad multas, et distinctas successive confessiones, quarum una post aliam tempore succedat, et sic de ceteris. Secundum est prædictam difficultatem referri ad distinctas confessiones ejusdem, vel eorundem peccatorum, ut contingit, cum quis semel, iterum, etsæpius confitetur idem v.g. furtum, absque additione novæ materiæ necessariæ, quam non habet. Ubi enim hæc occurrit, manifestum est requiri novum, et distinctum dolorem : nam (ut alia motiva omittamus) priori supervenit peccatum mortale, qui ejus permanentiam aut physicam, aut moralem destruxit : aliter enim non adesset nova materia necessaria contra id, quod supponitur. Propositum itaque dubium locum præcise habet in multis successive confessionibus ejusdem, aut eorundem peccatorum, ut, cum illa quis voluntarie reproducit in diversis confessionibus ad consequendum majus augmentum gratiæ, et majorem pœnæ temporalis remissionem.

Perseverantia doloris formalis, vel virtualis.

115. Sed cum sermo sit de eodem doloris actu, qui tunc concurrat, atque ideo aliquomodo existat ; alias concurrere non valeret : observare oportet, quibus modis actus doloris semel elicitus possit existere cum tempore succedenti diversarum confessionum. Primo formaliter in se ipso : neque enim repugnat, quod perseveret, et continuetur per unam, aut duas horas, in quibus confessio ejusdem peccati repeti potest. Secundo virtualiter, quando videlicet, et si deficiat in se, permanet tamen in aliquo sui. Id vero non ita facile apprehenditur, et explicatur, sicut primum, sed magis clarus, et communis modus hoc declarandi est, quem immediate insinuavimus, expendimusque, tract. 11, disp. 4, num. 41, et tract. 14, disp. 5, num. 57, et tract. 22, disp. 7, num. 40. agentes vel de influxu finis, vel de necessitate intentionis ad conficiendum sacramenta. Juxta quæ, permanentia alicujus actus alia est actualis, alia habitualis. Actualis dividitur in formalem, et in virtualem. Actualis formalis est, quando actus habet esse formaliter in se ipso, ut cum quis elicit, et continuat hunc actum, *Volo*. Esse vero virtualiter contingit dupliciter. Uno modo, cum actus cessat in se ipso, sed tamen dirigit actus subsequentes, et manet in eis sicut in effectu : quo pacto intentio finis perseverat actualiter virtualiter in electione mediorum : et hoc modo, qui domi habuit intentionem celebrandi, et hoc animo domo egreditur, Ecclesiam adit, vestes sacras induit, licet intentionis non recordetur, illam retinet virtualiter, et in effectu. Alio modo contingit hæc virtualis permanentia, quando videlicet prima intentio tam in se, quam in effectu interrumpitur propter humanæ vitæ occurrentia negotia : nihilominus repetitur saltem in communi, et in confuso, quando ejus materia memoriæ occurrit : nam comparatur per modum objecti sic in confuso voliti, et hac ratione dicitur virtualiter permanere, cujus signum est, quod, si quis subito interrogetur de sua intentione in hac, aut illa materia, statim, et absque ulla deliberatione respondet juxta intentionem præconceptam.

Et hinc consequenter apparet, quid sit permanentia præcise habitualis, illa nimirum, quæ actualis non est, quia non durat actu vel formaliter, vel virtualiter ; sed fuit aliquando, et non est positive, aut contrarie destructa, modo tamen nec est in se, nec in aliquo sui effectu, nec in illa confusa repetitione. Quare in ordine ad præsentes effectus perinde se habet, ac si nunquam fuisset. Qua de causa, cum certum sit pro valore sacramentorum requiri in ministro intentionem illa conficiendi, ut ex professo ostendimus loco cit. ex Tract. 22, communis Theologorum sententia est non sufficere intentionem habitualem, ut constat ex ibidem dictis num. 41. Nam intentio in ministro requisita influit in actum, saltem determinando materiam de se indifferentem ad unum, et certum effectum, ut optime evincit D. Thom. quæst. 64, art. 8 ; intentio autem mere habitualis, sicut non est actu, ita nec influere potest in actu, sed pure concomitanter se habet, et in ordine ad effectum tunc exequendum, ac si non esset, vel unquam fuisset. Ex quibus satis constat in multis, satisque diversis sensibus posse versari difficultatem in titulo dubii propositam ob non pauciores modos, quibus perseverare potest idem doloris actus. Et hoc præmisso.

116. Supponimus eundem doloris actum, si formaliter perseveret, posse deservire multis

multis confessionibus eorundem peccatorum, quæ, quandiu dolor ita continuatur, fiant. Verbi gratia confitetur quis unum peccatum furti cum dolore sufficienti ad sacramentum, et perseverat in eo per unam horam : potest intra eandem cum eodem dolore bis, aut ter valide confiteri, et absolvi. Et hoc, inquam, supponimus : quia illud jam statuimus in Comment. ad art. 10, quæst. 84, num. 9, et quia absolute concedendum existimamus, et quia circa illud non occurrit momenti difficultas. Si quæ vero est, dispellitur sequenti probatione : quia ex una parte licet ille actus sit entitative idem ; tamen de novo explicatur, et fit sensibilis per novam confessionem ; atque ideo potest in suo genere constituere novum signum, quale novum sacramentum importat. Ex alia vero parte melior est actus continuatus, quam dolor interruptus : sicut pejor est actus peccaminosus continuatus, quam ipsemet si discontinuetur. Ergo, si dolor primo elicitus fuit sufficiens ad confessionem furti, et valorem sacramenti, ut supponitur ; idem dicere debemus de eodem dolore continuato, et extenso ad secundam, et tertiam ejusdem peccati confessionem. Explicatur amplius : nam dolor de furto continuatus, et perseverans formaliter per unam horam æquivalet eminenter duobus actibus doloris de eodem furto intra eandem horam elicitis : quin potest illos longe excedere in intensione ; sed cum talibus actibus doloris interruptis possent fieri duæ, aut tres confessiones ; ergo eædem fieri possunt cum prædicto dolore formaliter existente, et continuato per illam horam. In præmisso itaque sensu idem doloris actus potest multis confessionibus deservire.

Idem censemus, et ob idem fere motivum in alio casu, in quo dolor non videtur formaliter permanere : perseverat tamen, ut explicabimus. Demus enim pœnitentem unico doloris actu doluisse de quinque furtis numero distinctis cum intentione omnia illa, ut debebat, confitendi. Sed cum ad confitendum accessit, unum omisit per inculpabilem oblivionem. Postea vero illius recordatus iterum ad confessionem accessit, ipsum exposuit, et ab eo directe absolutus est. Qui casus est de frequenter contingentibus, ut experientia liquet : et in eo occurrunt duæ confessiones, et duo numero sacramenta. Quod vero pro illis sufficiat idem numero dolor, qui præcesserat, et de quinque peccatis furti conceptus fuerat, explicatur, et suadetur in hunc modum. Si ille pœnitens in casu proposito de unoquoque furto doluisset singularibus doloribus, sive, et in idem redit, pro quinque furtis elicuisset quinque doloris actus : unus ex illis sufficeret pro secunda confessione : quippe dolor quinti v. gr. furti, per oblivionem omissi in prima, officium suum non exercuit in ea ; cum in ea satis fuerint quatuor dolores ad quatuor furta directi : atque ideo perseverat formaliter quantum ad intentionem, et ordinem ad suum munus, et effectum : ergo idem in priori casu unici doloris de quinque furtis dicendum est. Probatur consequentia : tum quia unus actus doloris de quinque furtis æquivalet quinque doloris actibus de eisdem quinque peccatis : atque ideo debet idem contingere, sive unus, sive quinque doloris actus respiciant illa furta. Tum etiam : nam ideo in secundo casu sufficit quintus dolor ad valorem secundæ confessionis, quia in prima suo munere functus non fuit, et propterea suam virtutem, quasi in actu primo reservavit pro secunda, illamque ibi explicare debuit. Eadem autem ratio occurrit in priori casu : nam unus dolor de quinque furtis, sive dolor unicus æquivalens quinque doloribus non servivit in prima confessione, prout quinto peccato correspondebat : ergo deservire potest, et debet in secunda, ut pœnitens possit ab illo absolvi directe.

Potestque id confirmari ex praxi confessariorum : nam cum pœnitens ad confessarium, a quo paulo ante absolutus fuerat, regreditur exponendo aliquod peccatum, cujus in confessione facta fuerat invincibiliter oblitus, quamvis unus, aut alter confessarius illum hortentur ad novum dolorem, sive renovandum antiquum ; alii tamen omnes (ut testatur Lugo disp. 14, sect. 3, num. 27,) communiter id non faciunt ; sed aliis suppositis, et imposita pœnitentia immediate absolvunt, perficiendo secundum, et distinctum sacramentum : quia supponunt perseverare dolorem, qui prius ad omnia peccata saltem in confuso terminabatur, et de

Lugo.

præsenti servire novæ confessionis oblito. Idque amplius roborat idem Auctor ex sententia communissima, ut ipse loquitur; nam potest quis propter peccata reservata confiteri suo superiori sola reservata, si iste alia audire non vult : et deinde eadem cum omnibus aliis confiteri inferiori sacerdoti : in quo casu datur duplex absolutio sacramentalis : et tamen nemo dicet teneri pœnitentem ad duos dolores, si prior, et unus extendebatur ad peccata reservata, et non reservata. His prælibatis, quæ videntur communia, et satis certa.

§ II.

Duabus assertionibus expeditur difficuttas.

Prima assert.

117. Dicendum est primo dolorem præteritum habitualiter tantum permanentem non sufficere ad novam eorundem peccatorum confessionem, sive ad valorem sacramenti : et consequenter in hoc sensu eundem dolorem non posse multis confessionibus deservire. Hanc censemus esse sententiam communem inter Auctores, (quorum plurimos vidimus) contra paucos Recentiores infra referendos. Probatur primo : quia dolorem permaneri tantum habitualiter, est aliquando fuisse, et de præsenti non esse actu formaliter, aut virtualiter, ut constat ex dictis num. 115, et si alio modo explicetur, tollitur status quæstionis, et non erit dolor tantum habitualis : sed dolor, qui aliquando fuit, et actu non est vel formaliter, vel virtualiter, non sufficit ad novam confessionem, et valorem sacramenti : ergo dolor habitualiter tantum permanens non sufficit ad prædicta ; nec in tali sensu potest idem doloris actus servire pluribus confessionibus. Probatur minor : tum, quia nequit dari sacramentum in actu, quin dentur in actu formaliter, aut virtualiter partes, ex quibus essentialiter constituitur, ut videtur per se notum ; sed sacramentum pœnitentiæ constituitur essentialiter ex partibus, quarum una est contritio, sive dolor peccatorum, quæ confessioni subjiciuntur, ut satis perspicue docet Concilium Trident. sess. 14, cap. 3, et patet ex dictis a principio hujus disputationis : ergo nequit dari sacramentum pœnitentiæ sine peccatorum dolore, qui actu formaliter, vel virtualiter existat: et consequenter pro confessione ; et sacramenti valore non sufficit dolor, qui aliquando fuit et modo nec formaliter, nec virtualiter est. Tum etiam, quia, ut confessio sit vera sacramenti pars, debet esse non mera narratio, aut peccatorum relatio repetita, sed vera de peccatis accusatio: qua de causa debet illorum dolorem supponere et ab ipso oriri, ut constat ex dictis dub. præced. sed nova confessio nullo modo potest procedere a dolore, qui aliquando fuit, et modo nec formaliter, nec virtualiter est ; siquidem quod nullo modo est, nullo modo influit ; alias sicut actu influeret, ita esset : ergo dolor de peccatis, qui aliquando fuit, et modo, nec formaliter, nec virtualiter existit, non sufficit, ut confessio sit vera sacramenti pars, ac perinde nec ac constituendum in suo genere sacramentum pœnitentiæ. Nec momenti erit si dicatur dolorem habitualem, sive habitualiter permanentem non importare præcise illa, quæ diximus, sed superaddere carentiam retractationis tam explicite, quam implicite : idque sufficere, ut maneat de præsenti, ut non retractatus. Nam id est ludere verbis : quia carentia retractationis est mera negatio, quæ minime deservire valet, ut actus præteritus sit actu pars positiva, ut necesse est, sacramenti ; nec ut confessio in esse accusationis oriatur positive ex dolore. Unde inquirendum est, an sic dolor, ut non retractatus manet de præsenti, in quo maneat? Si in se: ergo perseverat formaliter. Si in aliquo sui effectu : ergo perseverat virtualiter. Et quodlibet eorum dicatur, tollitur de medio subjectum quæstionis, nempe dolor habitualiter tantum existens. Si denique dicatur in non retractatione ; hæc nihil re ipsa est, nec valet ad effectus proxime dictos concurrere.

Conclus. probatio.

Probatur 1.

Confirmatur : quia ad valorem hujus sacramenti non minus requiritur ex parte pœnitentis dolor, quam ex parte ministri intentio absolvendi, seu ministrandi sacramentum ; sed ad hujus valorem non sufficit ex parte ministri sola intentio habitualis : ergo nec ex parte pœnitentis sufficit habitualis præcise dolor. Major, et consequentia patent. Minor autem est communis sententia Theologorum, de qua testantur, et videri possunt Prado de sacrament.

ament. quæst. 64. lib. 8, num. 16, et ander de sacrament. disp. 4, quæst. 17, i affirmat sic sentire omnes Doctores cum Thom. 3 part. quæst. 64, art. 8. Et tione convincitur : quoniam ministratio cramentorum est actio humana, quæ oinde debet ex deliberata intentione ocedere, sive ex voluntaria applicatione tale ministerium : quod minime salvatur absque concursu, et influxu talis tentionis; nequit autem intentio influere tu, nisi actu sit formaliter, aut virtuaer : ergo intentio habitualis, sive, quæ quando fuit, sed de præsenti nec foraliter, nec virtualiter existit, non suffi- ad ministrandum valide sacramenta. Et hinc potest aliter explicari hujus nfirmationis vis illam applicando intenoni, et dolori pœnitentis : nam iste sicut o valide recipiendo pœnitentiæ sacraentum eget intentione subjiciendi pecta clavibus Ecclesiæ per confessionem, eget dolore de peccatis, quo confessio esse accusationis, et subjectionis, resctu judicii Esclesiæ constituatur; sed ænitens, ut valide recipiat pœnitentiæ cramentum, eget intentione actuali foraliter, aut virtualiter existente . Ergo riter eget dolore actuali formali, aut rtuali : et consequenter pro valore hujus cramenti non sufficit dolor tantum habialis. Cetera constant, et minor liquet ex nmediate dictis ; quia sicut pro valore ujus sacramenti requiritur intentio mistri absolventis, et illud ministrantis, e etiam requiritur intentio pœnitentis, ui illud suscipit : ergo si ex parte minisi non sufficit intentio habitualis, seu equiritur actualis formalis, aut virtualis, t communiter docent Theologi; pariter ex arte pœnitentis necessaria erit intentio aliquo vero sensu actualis ; et minime fficiet, quæ habitualis præcise est. Nec ec loco impediri debemus instantia, aut xemplo baptismi, quem ut adultus valide ecipiat, sufficit intentio habitualis, quin , ut plures dicunt, sola non resistentia : am illi jam occurrimus loco cit. ex act. 22. de sacram. Et aliunde facile spellitur ob manifestam differentiam : am homo suscipiendo baptismum non se abet ut agens, sed ut passum : cui sufficit on resistere cum possit. Sed in sacramento ænitentiæ se habet, ut agens in adhibendo materiam ejus proximam, sive partem essentialem consistentem in actibus doloris, et confessionis : quocirca debet agere humano modo, illosque actus elicere ex deliberata intentione, ut etiam proportionabiliter contingit in sacramento matrimonii, pro quo manifestum est non sufficere solam non resistentiam, aut habitualem tantum consensum.

118. Secundo probatur eadem assertio ab inconvenienti, quod infertur exposi- tione contraria : nam si dolor præcise habitualis sufficit ad valorem hujus sacramenti ; sequitur, quod cum dolore peccatorum elicito quinquaginta, aut etiam centum ab hinc annis, possit quis nunc absque novo doloris actu confiteri eadem peccata, quæ tunc fuerunt materia doloris in confessione ; consequens est absurdum : ergo et antecedens. Sequela est manifesta . quia dolor habitualis peccatorum non in alio, ut describunt Adversarii, consistit quam in eo, quod aliquando elicitus fuerit, et deinde explicite, vel implicite retractatus non sit. Id vero planum est posse contingere in toto illo tot annorum spatio. Demus enim puerum paulo post usum rationis incidisse in peccatum mortale, a quo cito absolutus fuit in confessione sacramentali. Demus illum deinceps nunquam peccasse mortaliter, et pervenisse ad ætatem decrepitam. In toto hoc spatio, et ejus fine salvatur dolor habitualis primi illius, et unici peccati mortalis, consistens in eo, ut Adversarii volunt, quod aliquando fuerit elicitus, et nunquam retractatus explicite, vel implicite. Sequitur itaque juxta eorum sententiam posse hominem illum in fine vitæ, et post tot annos confiteri peccatum in pueritia commissum, absque novo dolore, sed in virtute illius, quem centum ab hinc annis elicuit. Id vero esse absurdum ostenditur ; quia cum sacramentum sit quoddam totum morale, compositum ex materia, et forma, petit moralem, sive prudentialem inter prædictas partes conjunctionem, sive indistantiam : nemo vero prudens judicabit inter dolorem, et absolutionem cum media intercapedine centum annorum dari ullam moralem indistantiam, sive conjunctionem. Et quid si distantia esset mille annorum, aut plus ultra? nam juxta Adversarios durat dolor semel elicitus, quandiu non

Probat. secundo.

retractatur, et sic nullum habet terminum in eo durationis modo. Sed decipiet, qui actus adeo distantes doloris, et absolutionis dicat moraliter conjunctos ad unum sacramentum constituendum. Unde videmus Auctores, qui hanc rem versant, hanc temporis illimitationem non admittere, sed potius distantiam temporis, et non valde magnam, inter dolorem, et confessionem determinare. Diana 5 part. tract. 14, resolut. 67, et Præpositus ab eo relatus assignant spatium unius diei, ut cum pœnitens vespere discutit conscientiam, et conteritur, et sequenti die confitetur. Tamburinus lib. 2, de Conf. cap. 2, § 4, num. 5, censet dolorem posse præcedere confessionem quatuor, aut quinque diebus. Tancred. tract. 1, disp. 5, sect. 6, asserit sufficere dolorem, etsi præcedat per unum mensem. Dicastillo disp. 6, num. 177, profitetur se malle ab aliis audire, quam per se decernere: et rem arbitrio prudentum reliquit. Sed quod erit arbitrium, ubi assignatur sine termino tempus ex sola aliquando elicientia doloris, quem sequens non diluerit retractatio ? Sic censent Auctores, paucis admodum Junioribus exceptis, quos num. 122 dabimus.

Diana Præp.

Tamburin. Tancred. Dicastillo.

Confirmatur primo : nam confessio sacramentalis debet ex una parte reddere sensibilem dolorem internum, qui ad sacramentum concurrit, et ex alia, ex prædicto dolore procedere ; alias non se posset gerere per modum accusationis, ut dub. præced. magis expendimus : sed confessio præsens non significat sensibiliter dolorem elicitum centum ab hinc annis, nec ab eo in tam longa temporis distantia vere procedere potest : ergo nec ipse dolor adeo distans potest esse pars, præsentis sacramenti.

Confirmatur 1.

119. Confirmatur secundo, quia non magis influere, et concurrere ad sacramentum pœnitentiæ valet dolor præteritus non retractatus, quam ad celebrandum possit intentio, v. g. rite celebrandi, et consecrandi in Missæ sacrificio semel habita, et nunquam retractata ; absurdum autem esset dicere talem intentionem, (quam communiter omnes sacerdotes in sua ordinatione habent,) sufficere ad rite celebrandum, et consecrandum per totam vitam, subindeque non indigere alia nova, aut renovata intentione, quia prior illa nunquam retractata fuit : idque adversaretur communi omnium apprehensioni, et praxi. Ergo pariter absurdum reputari debet, quod dolor in pueritia conceptus de peccato mortali tunc commisso, et primæ illius confessioni deserviens, ex hoc ipso, quod non retractetur, possit deservire omnibus subsequentibus ejusdem peccati confessionibus, quæ esse valent innumerabiles in multitudine, et valde distantes in tempore. Idem etiam inconveniens appareret in intentione recitandi officium divinum : sufficeret enim eum, qui ad illud tenetur, habuisse semel, et a suæ obligationis principio intentionem recitandi, licet postea in toto vitæ decursu nullam novam intentionem adhiberet, nec priorem repeteret, nec ejus recordaretur : quippe juxta Adversariorum doctrinam intentionem, quam semel habuit nunquam retractavit. Idem ulterius repræsentatur in sacerdote, qui propter capellaniam habet obligationem perpetuam applicandi omnibus, aut multis diebus Missam pro defuncto. Qui minime huic obligationi satisfaceret per hoc, quod cum capellaniam obtinuit, habuerit intentionem applicandi Missas debitas pro defuncto, si postea in decursu vitæ non amplius repetat, aut innovet hanc intentionem; quamvis priorem non retractaverit. Quin non pauci affirmant, quod, si vel per unum annum hanc omissionem haberet explicite applicandi, minime satisfaceret justitiæ, nec suum faceret stipendium illi tempori correspondens. Quanto minus, si se ita gereret per totam vitam ?

Confirmatur 2.

Et ratio generalis est jam supra assignata, quod omnia prædicta, confessio, absolutio, consecratio, recitatio officii, et applicatio Missæ sunt operationes humanæ, quæ debent procedere ex intentione deliberata in ordine ad proprios fines : et aliter factæ illos fines non assequuntur, nec valorem habent. Ex eo autem, quod aliquando intentio præcesserit, non sequitur, quod longo tempore adsit : sed fieri potest, quod cesset tam in se, quam in effectibus, et in sui recordatione, et approbatione. Nec ad prædictam, et omnimodam cessationem requiritur actus positive, et contrarie priorem retractans; sed sufficit ipsa temporis diuturnitas absque prioris actus renovatione. Quia voluntas, cum primo intendit,

ntendit, nec sibi, nec aliis potentiis im- primit aliquid omnino fixum, et quasi ndelebile per modum characteris, aut altem permanens per modum habitus ; ed aliud quid minus stabile ad instar ac- us, aut dispositionis statim deficit. Unde ex hoc ipso, quod recordatione, et repeti- ione non faveatur, evanescit etiam sine actu contrario, sic exigente ipsius condi- tione. Idque non solum physice, ut ratio suadet, sed etiam moraliter in ordine ad prudens judicium : oppositum namque fundamentum præstat illi, qui per quin- quaginta annos intentionis aliquando ha- bitæ non recordatur, nec illam approbat, nec repetit : sic enim in ordine ad eam se gerit, ac si nunquam fuisset, aut esset. Eo vel maxime, quod illa, quæ ex intentione deliberata fiunt, vere, et realiter ex ea pro- cedunt, et terminant ejus influxum ; ad quod nihil refert prudens, ac moralis existimatio, si res ipsa in se aliter se ha- bet ; quia intentio longo tempore præce- dens, et nunquam innovata desinit tam in se, quam in effectu, atque ideo absolute.

120. Et si objiciatur ad valorem sacra- menti matrimonii sufficere consensum unius conjugis, quamvis post longum tem- pus accedat consensus alterius, dummodo primus toto illo tempore non fuerit retrac- tatus : quod signum est pro his intentioni- bus, et earum permanentia sufficere ali- quando fuisse, et postea non retractari. Ad id, inquam, si objiciatur, communiter respondetur ; occurrere in sacramento ma- trimonii specialem rationem, ut præmis- sus semel ab uno conjuge consensus per- maneat usque ad consensum alterius, licet hic multum differatur ; quia videlicet matrimonii sacramentum est pro mate- riali quidam humanus contractus, qui de se admittit eam suspensionem, usque dum detur, aut denegetur expectatus alterius consensus ; sed quamvis recognoscamus majorem ob motivum assignatum admit- tendam esse permanentiam istorum ac- tuum in matrimonio, majoremque distan- tiam sustineri posse inter consensus unius, et alterius, (se habentes in matrimonio per modum materiæ, et formæ,) quam in aliis sacramentis : ut cum N. Cornejo, Ledes- ma, et Sanchez observat N. Andreas tract. 9, de Matrimon. cap. 7, punct. 4, num. 63, nihilominus censemus consequenter ad hactenus dicta tam longum tempus posse a consensu unius ad consensum alte- rius decurrere, quod non succederet vali- dum sacramentum, nisi repetito, aut in- novato primo consensu. Si enim tantum temporis elabatur, ut hic desinat tam for- maliter, quam virtualiter ob defectum tam in se, quam in aliquo sui effectu ; non est, cur fingatur permanere ob solam non retractationem contrariam ; sed perinde censendus est cessare, ac finiri, sicut alii actus humani, cum non repetuntur, et innovantur, ut constat ex hactenus dictis. Præsertim cum nemo, licet consensum præbeat, præsumatur velle expectare in perpetuum consensum alterius ; sed intra rationabilem durationem (majorem, aut minorem juxta diversas personarum, et locorum circumstantias) qua elapsa cessat : et si adhuc matrimonium postea celebra- tur, novus consensus adhiberi debet.

121. Dicendum est secundo eundem do- loris actum, si perseveret virtualiter, posse deservire distinctis, ac succedentibus eorundem peccatorum confessionibus. Sic docent Petrus de Ledesma in Summa, cap. 4, de pœnit. vers. *La segunda duda*. Joann. a Cruce in Director. part. 2, de pœnit. quæst. 1, dub. 6, concl. 2. Candidus disp. 24, art. 6, num. 2. Arauxo 3, quæst. 84, art. 70, in Comment. (quo etiam loco nos idem insinuavimus num. 9, quamvis mi- norem non probantes hujus Auctoris in sua resolutione distinctionem) Dicastillo disp. 6, num. 160. Tancredo disp. 5, sect. 6, et alii. Idemque re ipsa docent Soto in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 3, et Suarez disp. 20, sect. 4, num. 29, quamvis non ita clare loquantur. Probatur satis effica- citer ex prænotatis, et hucusque dictis : nam eundem doloris actum virtualiter permanentem deservire distinctis, et suc- cedentibus eorundem peccatorum confes- sionibus, ex nullo capite repugnat : ergo idem dolor virtualiter permanens potest in præmisso sensu multis confessionibus deservire. Consequentia patet. Et antece- dens suadetur discurrendo per singula, quæ in hoc casu occurrunt, et possunt re- pugnantiam fundare, si ulla esset. Nam in primis non repugnat actum doloris licet in se, et formaliter non permaneat, per- severare virtualiter, sive in effectu ; id enim satis liquet in aliis actibus humanis,

Secunda assertio.

Ledesma Joan. Arauxo Dicastillo. Tancredo, Suarez.

Proba- tur.

ut in intentione requisita ad conficiendum sacramenta, in consensu requisito ad celebrandum matrimonium, in aliis pluribus, quæ, cum necessario ad aliquos effectus requirantur, non semper existunt in se formaliter, sed sufficit, quod existant virtualiter, sive in effectu : idque exposcit humanus operandi modus, cum non possimus semper retinere formaliter intentionem, aut attentionem circa idem objectum : ergo nulla est repugnantia in eo, quod dolor de peccatis semel elicitus, licet desinat esse formaliter in se ipso, perseveret tamen virtualiter, et in effectu. Et si inquiras, in quo, aut quo modo perseveret? Ad id satis constat ex generaliter dictis num. 115. Et insuper facile explicatur in speciali : nam, si quis ex concepto peccatorum dolore, incipiat pro illorum satisfactione jejunare, et alias carnis macerationes assumere, occasiones cavere, loca pia adire, orationem frequentare, etc., in omnibus his tanquam in effectu manet antecedens dolor, quamvis in se cessaverit, et quandiu prædicti effectus form aliter durant, ille virtualiter perseverat. Idem proportionabiliter contingit, cum quis ex præconcepto illo peccatorum dolore, repetit confessiones illorum. Pariter, cum, si prædicti doloris memoria occurrit, approbatur, et saltem in confuso retinetur, licet de novo, et expresse non eliciatur. Hæc omnia sufficiunt, ut pristinus dolor in se transiens permaneat virtualiter, sive in effectu, ut in actu intentionis, et aliis contingit, et discurrenti facile constabit.

Deinde non repugnat actum doloris sic virtualiter permanentem concurrere ad sacramentum, et cum illo influere : tum quia casus est ordinarius, (et distinctus a difficultate, quam nunc versamus) quod cum hoc sacramentum exercetur, et fit, non adsit dolor formaliter existens, sed præcise virtualiter. Tum quia id generale est in intentione necessaria tam in ministro, quam in suscipiente, ut sacramentum fiat : et tamen non requiritur, quod detur intentio formalis, cum sacramentum fit, sed sufficit virtualis : nec oppositum ferret humana fragilitas, quæ ob varias cogitationes, non semel inculpabiles, deficit a formali intentione, sicut et attentione in eo, quod agit. Tum denique, quia vel in naturalibus, et physicis virtualis existentia causarum, ut actu influant, et effectu ipsis attribuantur : sic enim viventium generatio est origo a vivente, licet istu generationi non adsit formaliter, nec ali quando existat in se; sufficit enim exis tere, et assistere virtualiter in semine a s deciso : sic etiam plures mixtorum opera tiones attribuuntur specialiter elementis quæ tamen non existunt formaliter i mixtis, sed virtualiter tantum. Hac itaqu ratione, licet actus dolendi de peccatis i prima, et sequentibus confessionibus no existat formaliter in se ipso, sed in hc sensu præterierit; potest tamen ulteriu permanere virtualiter in effectibus, quc proxime recensuimus. Et ad eandem per manentiam plurimum confert, quod præ dictus dolor præteritus veniat aliquoties i memoriam, ibique retineatur saltem i confuso cum quadam approbatione ; it quod pœnitens subito requisitus, an dole ret de peccatis, sive verum conservare dolorem, subito etiam, et sine nova deli beratione, responderet affirmative. E quamvis (tacitæ objectioni occurrimus) in tellectus ex se, et objectum intellectu ap prehensum nequeant movere voluntatem nisi objective, et quoad speciem actus, ta men virtute prioris voluntatis possun movere efficaciter, et quoad exercitium ut observavimus Tract. 11. de Bonit. e mal. disp. 4, dub. 5, num. 40 ; unde prio dolor de peccatis a voluntate prius elicitus et deinceps ab intellectu apprehensus, e recogitatus saltem in confuso, potest nc vam inducere (si opus esset) intentionen peccata iterum cum eodem dolore subji ciendi absolutioni sacramentali per confes sionem.

Denique veniendo ad præcipuum diffi cultatis caput, non repugnat illum unun doloris actum virtualiter permanenten deservire multis subsequentibus eorunden peccatorum confessionibus: nam si per maneret formaliter, id officium præstar posset, ut constat ex dictis num. 116 : erg idem dicendum est, si permaneat virtua liter. Probatur consequentia : tum, qui permanentia virtualis æquivalet formali ut patet in intentione consecrandi, in con sensu pro matrimonio, et aliis exempli supra positis : ergo dolor permanens vir tualiter potest præstare, quod præstare dolor per idem tempus formaliter perse

veran

verans. Tum etiam, quia per respectum ad unum præcise sacramentum eodem modo deservit dolor existens virtualiter, ac dolor existens formaliter; unde nemo negat, quod pro uno sacramento sufficit dolor virtualiter tunc existens: ergo similiter per respectum ad plura sacramenta succedentia eodem modo deservit unus dolor continuatus virtualiter, ac unus dolor formaliter continuatus: id enim vis paritatis evincit: ergo si unus formaliter dolor, si continuetur, deservit multis eorundem peccatorum iteratis confessionibus: idem de dolore virtualiter existenti, si continuetur, dicendum est. Tum præterea; nam ideo unus, et idem doloris actus formaliter persistens potest deservire multis successive eorundem peccatorum confessionibus, qui æquivalet multis doloris actibus discontinuatis, quos, si adessent, dubitari non posset aptos esse deservire prædictis confessionibus; sed etiam unus doloris actus virtualiter continuatus æquivalet multis doloris actibus discontinuatis, de quibus, si virtualiter adessent, nemo dubitaret posse sufficere ad plures successive confessiones: ergo, si idem doloris actus formaliter perseverans multis confessionibus eorundem peccatorum deservit; idem de uno, et eodem dolore virtualiter perseverante dicendum est.

122. Confirmatur primo destruendo fundamentum oppositum: nam si ob aliquam rationem repugnaret unum doloris actum virtualiter perseverantem deservire multis successive eorundem peccatorum confessionibus, maxime quia est vera pars, et materia proxima sacramenti pœnitentiæ: quare repugnare videtur dari plura pœnitentiæ sacramenta, quin dentur plures actus doloris juxta confessionum numerum. Hoc autem motivum nihil evincere suadetur primo: quoniam unus actus successive durans æquivalet multis, qui circa idem objectum in ea duratione multiplicari successive possent: ergo sicut prædicti actus multiplicati possent deservire multis sacramentis: sic etiam potest idem actus continuatus eisdem æquivalens. Quare sicut hac de causa non est inconveniens eundem doloris actum formaliter existentem, et formaliter continuatum deservire multis pœnitentiæ sacramentis; sic etiam de dolore virtualiter existenti, et continuato dicendum est. Secundo, quia dolor interior non habet esse materiam proximam hujus sacramenti, nisi reddatur actu sensibilis per confessionem, quæ quatenus illum, ut sui causam representat, ipsum constituit in esse sensibilis, sicut esse debet in ordine ad sacramentum juxta dicta dub. præced Sed ubi cum eodem materialiter dolore fiunt multæ confessiones, talis dolor multiplicatur in esse sensibilis juxta pluralitatem confessionum, a quibus sensibilitatem accipit; ergo sic acceptus, licet materialiter unus, potest ad multa sacramenta deservire.

Confirmatur secundo, magis declarando vires præmissi fundamenti, et confirmationis. Nam munera, ad quæ dolor peccatorum in hoc sacramento requiritur, et quorum ratione officium veræ partis illius exercet, duo sunt: videlicet, ut confessio peccatorum non sit mera illorum historia, aut recitatio, sed vera accusatio ex dolore orta: deinde, ut sacramentum sit judicium quoddam reconciliativum, in quo pœnitens ut reus detestatur delicta, et eorum pœnitet, quod fit formaliter per dolorem. Porro ut hæc munia exerceantur successive in multis sacramentis, satis est dolor, aliquando formaliter existens, et ulterius virtualiter continuatus, ac perseverans toto illo spatio, quo multæ eorundem peccatorum confessiones repetuntur. Nam in primis omnes eæ confessiones possunt ex illo eodem dolore procedere, atque ideo esse non puræ narrationes, sed veræ accusationes, sive id contingat ex eo, quod, cum primo pœnitens illum dolorem elicuit, habuit intentionem eodem dolore ortam confitendi non semel tantum, sed iterum, atque iterum illamet peccata: sive contingat ex eo, quod licet tunc non habuerit talem intentionem saltem expresse, tamen cum per decursum vitæ ejus doloris recordatur, illam reprobat, ex eaque recogitatione movetur, ut de novo intendat confiteri iterum idem, aut eadem peccata: Unde consequens fit salvari etiam secundum munus: concurrunt enim omnia requisita ad judicium reconciliativum, ut facile consideranti constabit. Concurrente ergo uno doloris actu ad multas confessiones juxta sensum præmissum salvantur omnia munera, pro quibus dolor in hoc

Secunda.

sacramento requiritur, et officium partis exercet.

§ III.

Satisfit motivis adversantium opinionum.

Hurtado-Leander. 123. Contra primam conclusionem sentiunt Hurtado disp. 1, de sacrament. in gen. difficult. 11, in fin, et Leander tract. 5, disp. 7, quæst. 6, affirmantes ad validam confessionem sufficere dolorem præcise habitualem, sive qui per multum tempus præcedit confessionem, dummodo postquam semel habitus est, nec explicite, nec implicite retractetur. Pro eadem sententia Leander refert Candidum, sed immerito : loquitur enim hic Auctor de dolore virtualiter permanenti, ut manifeste constat ex motivo, et verbis, quibus utitur, et se explicat. Eandem sententiam tueri videtur N. Antonius tract. 5, de pœnitent. disp. 3, sect. 6, num. 110, quia relata cum aliis opinione Leandri subjungit : « Has omnes « sententias judico probabiles, tu elige, quam « malueris. » Sed nos licet hanc sententiam non dicamus improbabilem, nec alia notemus censura ; nihilominus non censemus positive esse probabilem, et multo minus quod sit in praxi secura, ob manifestum periculi frustrationis hujus sacramenti ex defectu doloris sufficientis. Ea enim, quæ pro valore sacramentorum desiderantur, debent concurrere actu formaliter, aut virtualiter, et non sufficit existere præcise in habitu, quippe habitus non dicit exercitium, aut influxum, sed meram, et quasi dormientem rei permanentiam. Et hæc est quasi communis Theologorum assertio, præsertim ubi agunt de intentione necessaria pro conficiendis sacramentis, ut abunde constat ex supra dictis. Motiva autem pro ista opinione consistunt principaliter in subterfugiis ad eluendum necessitatem doloris actualis pro singulis confessionibus : sed illa, ut censemus, satis præclusimus. Et nihil fere positivum occurrit, quod pro illa expendamus, et diluamus. Opponi tamen potest cum Leandro disp. cit. quæst. 4, his verbis : Repetita confessione vocali eorundem peccatorum repetitur saltem virtualiter dolor præcedentis confessionis, perseverantis adhuc moraliter, et virtualiter : sufficit itaque dolor eorundem peccatorum aliquando habitus. Et confirmat ex Diana : quia juxta hanc opinionem possunt confessarii multos scrupulos sedare, in his præsertim, qui frequenter confitentur de peccatis venialibus ordinariis, cum aliquo mortali jam confesso, et absoluto : quia non tenentur ad novum actum doloris, cum alius prior possit concurrere semel habitus, et numquam retractatus.

Antonius. Motivum 1. sent. oppositæ

Sed hæc momenti non sunt : motivum enim solum probat sufficere antiquum dolorem, si perseverat adhuc moraliter, et virtualiter, ut loquitur Leander, et nos facile concedimus, et in secunda assertione statuimus. Sed quid commune id habet cum dolore habitualiter tantum manente? Non plane cohærent, quæ ille Auctor scribit quæst. 4, et quæst. 6 ; nam in 4, exposcere videtur virtualem ejusdem doloris perseverantiam, ut ipsius verba demonstrant. Sed in 6, non aliam perseverantiam exigit, quam actum aliquando fuisse, et deinceps non retractari : id vero non importat permanentiam virtualem, sed ad summum habitualem, ut ex supra dictis constat.

Ex quibus etiam patet ad confirmationem : nam quæ statuimus de sufficientia doloris virtualiter permanentis pro valore hujus sacramenti, et de necessitate intentionis virtualiter saltem existentis pro isto, et omnibus aliis ; optime quidem sunt ad propulsandum scrupulos, qui ex defectu doloris formalis, aut intentionis formalis oriri solent, præsertim in subjectis vehementis, et inconstantis phantasiæ, per quam ad innumera, et diversa objecta trahimur perturbatis erga unum intentione, et attentione : unde timeri solet recessus a præconcepto fine, et subsequentes actus non habuisse deliberationem pro illorum valore necessariam. Et hi scrupuli præsertim pungunt in conficiendis, et recipiendis sacramentis, re profecto ex genere suo gravissima. Sed ibi propulsari, et parvipendi debent, ubi præcessit intentio requisita, et virtualiter perseverat in ipsis operationibus ex eadem ortis, quamvis in eis adsit mentis divagatio, et videamur in deliberate procedere. Aliter enim res se habet, et ex præconcepto fine operamur : unde dubitare non debemus de sacramentorum valore. Quod remedium eo sectariu

us est, quo communius inter Theologos, ab eis assertum tanquam proportionatum olubilium cogitationum vertigini, qua el involuntarii rapimur extra nos, et ex- a ea, in quæ aciem tam attentionis, quam ttentionis a principio cujuslibet operis immo conatu dirigimus. Si namque pro is requireretur actualis vel intentionis, el doloris, vel consensus formalis exis- ntia, ac perseverantia, et non sufficeret irtualis supra asserta, et explicata, obrue- tur quidem humana fragilitas. Pro qui- us remedium non est, et multo minus re- iedium securum prærequisitarum opera- onum perseverantia solum habitualis: æc enim licet importet carentiam actus tractantis, nihil tamen est de præsenti, el in se, vel in aliquo effectu, sed perinde habet, ac si non esset, aut fuisset: quo- rca influere actu non valet: quod tamen ro valore sacramenti requiritur. Consu- re itaque tale remedium per recursum l dolorem, aut intentionem præcise habi- iales, scrupulos quidem tollet, sed certa ericula, et non dubia ex eis inducet eccata.

124. Contra secundam conclusionem sen- unt aliqui affirmantes eum, qui in con- ssione nova repetit peccatum, de quo solutus directe jam fuerat, debere no- um, ac distinctum de prædicto peccato olorem elicere, et non sufficere, quod erseveret virtualiter in antiquo novæ con- ssioni applicato. Ita Henriquez lib. 4, ap. 26, num. 7, Filliucius Tract. 6, cap. , num. 77, Vazquez quæst. 92, art. 3, ub. 5, in fin. Joannes Sancius disp. 1, um. 22, Bonacina disp. 5, quæst. 4, punct. , Perez disp. 19, sect. 5, num. 3, Diana art. 3, tract. 4, resolut. 116, et alii, quam ententiam suadent diversis motivis. Pri- no, nam, cum sacramentum sit quoddam otum compositum ex suis partibus, pro ovo sacramento requiruntur novæ partes; ed dolor est pars essentialis sacramenti œnitentiæ: ergo pro novo pœnitentiæ acramento requiritur novus dolor: hic rgo adesse debet, ubi nova repetitur eo- undum peccatorum confessio. Secundo, am ex opposito infertur posse aliquem oto anno, quin, et tota vita confiteri quo- idie eadem peccata, non renovato dolore, uem habuit a principio anni, aut etiam aulo post usum rationis: consequens ap- paret absurdum, et contra communem apprehensionem, et praxim: ergo id, ex quo sequitur non debet admitti. Tertio, quia pro novo sacramento pœnitentiæ requiritur nova confessio; nemo namque dixit, aut imaginatus est unam confessionem peccatorum posse deservire pro pluribus sacramentis: ergo idem de dolore dicendum est, quippe qui non minus, quam confessio est materia proxima, et pars essentialis hujus sacramenti. Tertium.

Respondemus hæc omnia posse simul dilui exemplo doloris formaliter perseverantis, qui potest multis, et succedentibus confessionibus deservire, ut ostendimus num. 116, ubi occurrunt eædem difficultates, ac in dolore virtualiter permanenti, et eodem modo dissolvi debent, juxta superius dicta num. 121. Sed magis in speciali respondetur ad primum; quod ad summum evincit debere innovari, et multiplicari dolorem virtualiter permanentem in esse partis. Quod facile admittimus, et explicamus. In primis eo, quod dolor non est pars hujus sacramenti, nisi fiat sensibilis per confessionem: unde multiplicatis confessionibus, sicut fit multipliciter sensibilis, ita fit multiplex in ratione materiæ proximæ, et partis essentialis hujus sacramenti. Deinde ex eo, quod sicut dolor formaliter existens pro aliqua duratione æquivalet multis doloris actibus, qui in eadem duratione elici possent; sic etiam dolor virtualiter in eadem duratione continuatus æquivalet multis doloris actibus, vel formaliter, vel virtualiter existentibus; atque ideo, licet sit unus in esse rei, est multiplex in esse partis sacramenti juxta pluritatem confessionum, quibus deservit, et per quas trahitur ad sacramenta. Hoc momenti est, quod debet adesse novum motivum erubescentiæ, et doloris, quoties quis confitetur: nam id ipsum est materia controversiæ, quam versamus, nec ita opponi, aut supponi debet non producto fundamento. Et propterea eodem modo dispellitur, habetque contra se exemplum ejusdem numero doloris, ubi formaliter continuatur. Nam quod ad erubescentiam spectat, hæc non est pars sacramenti, nec ponit in numero cum dolore; et permissa ejus necessitate, non deficeret, ubi eadem peccata exponerentur diverso confessario, licet Simiter 1.

cum eodem antiquo dolore virtualiter permanenti.

Secundum. Ad secundum respondemus concedendo sequelam, quæ nullum continet absurdum, sed veritatem, ubi supponitur eundem doloris actum ab initio anni elicitum, vel a principio usus rationis continuari virtualiter per totius anni, aut vitæ decursum. Hoc namque supposito, consequens est prædictum dolorem, sic virtualiter continuatum posse deservire multis, et omnibus confessionibus circa eadem peccata, quibus deservire possent plures dolores formaliter interrupti, et sibi succedentes, aut idem dolor, si (quod difficilius est) formaliter in se perseveraret. Quo modo autem idem dolor possit per longum tempus virtualiter permanere, difficultate non caret, sed quæ in præsentiarum non refert : quippe, quod non discutitur, sed supponitur ex parte hypothesis, quæ controversiæ subjicitur, an scilicet idem dolor peccatorum virtualiter permanens possit multis confessionibus deservire ; sive per breve tempus, sive per longum : in ea namque duratione, in qua permanserit, affirmamus obire posse illud munus. Quamvis nec impossibile, nec nimis arduum censeamus, quod permaneat virtualiter per longum tempus in effectibus ex tali dolore ortis ; utputa in peregrinatione, in abstinentia carnium, et similibus, quæ dum exercentur, refricant memoriam saltem confusam pristini doloris cum approbatione ; idque plurimum confert ad virtualem ejus conservationem.

Tertium. 125. Ad tertium omisso antecedenti, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis est, quod dolor potest permanere, et continuari virtualiter, ut explicatum est : sed confessio peccatorum, cum sit actus exterior, et transiens, nihil infert, aut ex se relinquit, in quo vere dicatur virtualiter permanere : unde confessio pro una absolutione facta nequit pro alia servire. (Et hic incidenter observet Lector absurdum illorum intelligentium, qui perseverantiam habitualem cum virtuali confundunt, neutraque aliud esse describunt, quam actum aliquando elicitum non esse expresse, aut implicite retractatum. Quod si verum esset, non minus permaneret confessio semel facta, quam dolor semel elicitus, ubi nulla illarum subsecuta fuit retractatio : atque ideo, sicut unus dolor permanens non retractatus potest, eis affirmantibus, multis confessionibus deservire ; sic etiam eadem peccatorum confessio semel facta et non retractata posset deservire pro multis absolutionibus, et sacramentis. Quod nemo quem viderimus, ausus est dicere). Radix autem assignatæ disparitatis provenit ex doctrina superius tradita, quod materia debet de novo adhiberi, ut novum componat sacramentum. Interest autem inter dolorem, et confessionem, quod ille potest virtualiter permanere, et de novo applicari, et explicari, sensibilisque fieri per novam, et iteratam confessionem : unde potest ad novum sacramentum concurrere. Confessio autem semel facta transit formaliter, et desinit in se ipsa : atque, si sumpta nequit pro novo sacramento servire. Unde, si quis conaretur illamme applicare, opus haberet inducere aliam novam eorundem peccatorum explicationem vel scripto, vel nutibus, vel alio modo sensibili. Quoquo autem modo id faceret novam formaliter faceret confessionem, a præcedenti distinctam. Unde nunquam verificatur, quod antiqua deserviat novo sacramento ; sed semper pro absolutione nova adest etiam nova confessio.

Addi valet alia non spernenda disparitas ex Lugone disp. 14, num. 30 ; nam, licet dolor, et confessio sint materia proxima hujus sacramenti : diverso modo se gerunt. Cum enim sacramentum istud institutum fuerit per modum judicii reconciliativi nequit de novo, absque nova accusatione exerceri : prolata enim valida sententia a Judice in aliqua causa, nequit iterum sententia proferri absque novo processu, et causæ cognitione : quippe in priori functus jam fuerat Judex munere suo. Requiritur igitur pro nova sententia, sive absolutione in hoc judicio nova accusatio, et delictorum testificatio, quod fit formaliter per confessionem pœnitentis : quæ proinde nova requiritur pro nova absolutione, et sacramento. Possunt autem prædicta fieri absque novo dolore, sed per novam applicationem antiqui, si actualiter vel formaliter vel virtualiter perseveret. Et ideo pro novo sacramento non requiritur determinat novus dolor, sed antiquus etiam servir valet. Verum hæc differentia, aut disparitas, ut teneat, revocanda ultimo est ad ra dicem a nobis assignatam, quod dolor se

me

el elicitus potest continuari, secus con-
ssio ; ille potest explicari, et applicari
r novam confessionem; hæc vero non
let, nisi per novam peccatorum signifi-
tionem, quæ est vera, formalis, et nova
nfessio,quæ rationem partis, et materiæ
oximæ exercet, præcludendo locum an-
quæ.

DUBIUM VI. APPENDIX.

e specialibus difficultatibus circa dolorem, et propositum in confessione venialium.

Observantur communiora.

Quæ in hac disputatione scripsimus, re
runtur principaliter ad remissionem pec-
torum mortalium in isto pœnitentiæ sa-
amento; licet nonnulla incidenter dixe-
mus de venialium remissione. Sed cum
ter hæc, et illa adsit quasi infinita dis-
ntia; hæc ipsa fundat plures differentias
rca modos, quibus in hoc sacramento
ponuntur, et remittuntur; obligatque, ut
ura in genere dicta debeant in venialibus
mitari, et ad regulas magis speciales re-
ici. Ad quod accuratius præstandum
ortebat non pauca circa venialia, et for-
am, per quam remittuntur, prænotare.
d quia hæc ex professo versavimus, ut
ituimus in variis hujus Cursus tractati-
is, ad quos per se spectant; nolumus
tum agere; sed lectorem, si diffusiora
pit, ad proprias sedes remittere, et ibi
cta indagare, atque in præsenti sup-
nere. Sed ulterius.

§ I.

126. Differentia principalis inter mor-
lia, et venialia desumitur ex dictis Tract.
3, disp. 19, quæ est *de distinctione peccati enialis a mortali*, per totam, et specialiter
ub. 1, inquirente, *quæ sit primaria diffe-ntia venialis culpæ a mortali?* In eo au-
m constituimus, quod peccatum mortale
t simpliciter contra legem, ly *simpliciter* ppellante non solum supra legem, sed
pra materiam legis, et supra modum
lam attingendi : et harum quilibet defec-
is impedit, ne defectus sit culpa mortalis,
in ratione venialis relinquit. Ubi enim
x non est talis, simpliciter obligans, vel licet obliget simpliciter, violatur in levi materia ; vel lege, et materia simpliciter talibus, modus est secundum quid ob non perfectam deliberationem agentis : in his omnibus simul et divisive sumptis vitatur simpliciter violatio legis, et malitia culpæ est levis, seu venialis. Ex ea radice provenit, quod peccatum grave sit inobedientia simpliciter erga Deum, et avertat ab ipso, ut ultimo fine super omnia dilecto : cujus oppositum ob oppositam rationem contingit in levi : quippe, quod leviter deficit in obediendo, et ab ultimo fine non avertit, sed solum secundum quid ab eo divertit, retenta habituali conversione, animique præparatione omittendi id ipsum, in quo venialiter peccamus, si ultimo fini absolute adversaretur, ut fuse explicuimus Tract. 8, dub. 4, discutientes, « Utrum justus pec-« cans venialiter habeat pro fine saltem « negative ultimo bonum inordinatum, « circa quod peccat, aut quis sit ultimus « finis illius actus »? Sequitur præterea ex eadem radice peccatum grave expellere gratiam habitualem, qua sanctificamur, et quæ constituit habitualem subjectionem ad Deum, et ordinem ad ipsum, ut ultimum finem dilectum super omnia : peccatum vero leve prædictam gratiam non excludere, quia non excludit illam subjectionem, nec illum ordinem. Inde ulterius fit peccatum grave inducere maculam simpliciter, quæ consistit in voluntaria privatione gratiæ, per ipsum inductæ : peccatum vero leve eam privationem, sive maculam non causat, sed aliam longe inferiorem et secundum quid consistentem in privatione nitoris gratiæ, sive fervoris charitatis qui cum possit esse per actus virtutum, impeditur, cum ab ultimo fine divertimur, et vel leviter delinquimus. Fit etiam peccatum grave merito appellari mortale, quia excludit vitam supernaturalem, quæ per gratiam sanctificantem habetur, et non reliquit in subjecto principium ad eam promerendam : peccatum autem leve rationabiliter vocari veniale, quia non excludit gratiam,quæ est principium ad consequendum ejusdem peccati remissionem.

127. Descendendo autem ad modum remissionis, sicut Tract. 15, de Justificat. disp. 2, dub. 5, statuimus peccatum mortale non posse remitti absque intrinseca mutatione peccatoris : sic etiam in eodem

Tract. et disp. dub. 8, decisum reliquimus, quod peccatum veniale auferri non valet absque intrinseca mutatione subjecti, et hoc primo loco firmavimus, addentes sequentes assertiones. Secundam, quod hæc intrinseca mutatio debet fieri per aliquid peccato veniali repugnans, et eidem incompossibile. Tertiam, quod istud intrinsecum, et incompossibile non salvatur in sola gratia sanctificante, nec in aliquo alio dono habituali, sed necessario exposcit aliquam operationem elicitam ab homine, in quo peccatum veniale præcessit. Quartam, non aliam operationem ad id sufficere, quam actum supernaturalem contritionis, aut charitatis. Quæ omnia late explicuimus, et communivimus, tum rationibus, tum auctoritate, et præsertim Angelici Doctoris, qui prædicta apertissime in diversis locis statuit. Et ea quasi ad compendium redegimus, et magis expolivimus Tract. 22, de sacramentis. disp. 10, dub. 2, « de modo, quo sacramentalia concur- « runt ad remissionem venialium peccato- « rum », ubi per varias conclusiones explicuimus, quod sacramentalia non efficiunt instrumentaliter physice remissionem venialium, sed solum ad eam concurrere per viam impetrationis, consequendo immediate auxilia ad eliciendum actus per quos formaliter excluduntur : qui actus possunt pro arbitrio ea auxilia suscipientium elici, aut impediri : quo circa ex usu sacramentalium non fit infallibiliter venialium remissio in se, sed solum in causa, sive auxiliis. Eandemque resolutionem extendimus ad remissionem venialium, quæ fit in hoc pœnitentiæ sacramento, et potest in aliis etiam contingere in priori hujus Tract. parte in Comment. ad art. 1, quæst. 87. Quia generale est his peccatis non posse per aliam formam expelli, nisi per actum contritionis, vel charitatis, sive eorum remissio fiat intra, sive extra sacramenta : unde sacramenta non remittunt illa immediate per formam aliquam eis incompossibilem producendo, sicut in remissione mortalium contingit; sed solum mediate, causando videlicet gratiam, et auxilia, quibus homo eliciat, si velit, actus contritionis. et charitatis, per quos venialia formaliter expellantur.

Et radix jam supra assignata fuit, quod mortalia excludunt gratiam, et per ipsam, cum restituitur, excludenda sunt : ipsam autem gratiam possunt sacramenta immediate afficere, et subinde mortalia immediate expellere. Ceterum venialia non privant hominem gratia, aut alio dono habituali, sed solo fervore charitatis ad exercitium pertinente : qua de causa pro formali eorum exclusione non sufficit gratia, vel ejus augmentum, vel aliud habituale donum ; sed determinate requiritur fervor charitatis in contritione, aut amore explicatus. Hunc autem nequeunt sacramenta efficere, cum sit actus vitalis, et liberæ voluntate immediate eliciendus. Quare licet sacramentum pœnitentiæ, et alia efficiant remissionem peccatorum venialium, non tamen immediate, et in se sed solum mediate, et in causa, quatenus efficiunt gratiam, et auxilia, quibus utens cum vult, elicit actus in quibus charitatis fervor splendet, et quo immediate, et formaliter expelluntur venialia. Si vero hic fervor ad influxum, et immediatum sacramentorum effectum non succedat ; id per accidens ex libertate voluntatis contingit non utentis gratia accepta, nec se porrigentis ad ultimum effectum, quem in remissione venialium posset habere. Ubi advertat Lector, ne confusionem, et deceptionem patiatur, alium esse actum, qui est sacramenti penitentiæ pars, et simul cum aliis compartibus influit effective modo proxime explicato in venialium remissionem : et alium esse actum, qui immediate et formaliter illa expellit. Ad primum sufficit attritio, ut constat ex supra dicti dub. 1, fere per totum, ad secundum vero requiritur contritio, vel amor charitatis ut ostendimus locis supra relatis ex Tract. 15, et 22.

128. Ex quibus, priusquam ad difficiliora descendamus, colliguntur aliqua quæ communiter recipiuntur, et ex dictis facile suadentur. Primum : remissionem venialium semper supponere gratiam in subjecto, cui fit : sive gratia tunc primo producatur, sive supponatur producta, et sive remissio fiat in sacramento, sive extra illud. Ita contra Durandum docet communiter Theologi, quorum plures refert N. Franciscus de pœnit. cap. 5 punct. 3, num. 18. Et ratio est : quoniam sicut peccatum veniale non privat hominem, nisi fervore charitatis; ita

no

n excluditur formaliter nisi per præ-
ctum fervorem, qui supponit charita-
em, et gratiam. Præsertim quia prædictus
rvor consistit vel in amore charitatis
a Deum, vel in contritione ex hujus-
di amore orta : et quilibet horum ac-
m dependet essentialiter a gratia sanc-
ficante, ut diximus disp. 5, num. 166,
ex professo ostendimus Tract. 15, de
ustificat. disp. 2, dub. 6, § 5, cum seq.
Tract. 19. de Charitate disp. 4, dub. 3,
Tract. 21, de Incarnat. disp. 13, dub.
num. 6, et disp. 28, dub. 5, § 2, quibus
is varia fundamenta expendimus, unde
obatur implicare, quod amor charitatis
ga Deum ultimum finem super omnia
rn procedat ex influxu gratiæ habitualis
anctificantis. Secundum : nullum actum
peccatore elicitum excludere formaliter
ccata venialia. Quia unica forma, qua
pelluntur, est fervor charitatis, qui per
norem, vel contritionem explicatur : hi
ro actus nequeunt procedere a peccatore
sensu composito : quippe, qui dependent
gratia sanctificante, sicut a principio
fectivo; quæ est incompossibilis cum
atu peccati. Tertium : peccatum veniale
ortali conjunctum non posse remitti,
in mortale remittatur, et quidem prius
dine naturæ. Quoniam veniale remitti
n valet nisi dependenter ab influxu gra-
e sanctificantis, atque ideo debet eam
æsupponere in subjecto : cum ergo hæc
ccato mortali repugnet, et illud forma-
er excludat; fit, quod, ubi mortalia, et
nialia in eodem subjecto conjunguntur,
in peccatore contingit; nequeat fieri
nialium remissio absque remissione
ortalium. Recolantur, quæ supra dixi-
us in Comment. ad art. 2, quæst. 87.

129. Quartum, quod licet sacramentum
nitentiæ nequeat remittere unum pec-
tum mortale, quin remittat omnia, quæ
pœnitente reperit; potest tamen remit-
re aliquod, aut aliqua venialia, aliis non
missis. Et ratio differentiæ constat ex
ctis, quod sacramentum pœnitentiæ re-
ittit mortalia immediate efficiendo gra-
am sanctificantem, quæ nulli mortali est
mpossibilis : quare sacramentum pœni-
ntiæ vel nullum mortale, vel omnia si-
ul excludit. Sed prædictum sacramentum
lum mediate efficit remissionem venia-
um, quatenus producit gratiam, et auxi-
lia, quibus homo possit elicere actus, per quos venialia immediate, et formaliter expelluntur. Unde cum homo possit elicere tales actus in ordine ad aliqua venialia, et non ad omnia; contingens est aliqua in hoc sacramento remitti, manentibus aliis; quin, et quod nulla in se ipsis remittantur, sed solum in causa, si homo gratia, et auxiliis non utatur in ordine ad actus, per quos immediate remittuntur. Itaque forma expellens mortalia, nempe gratia sanctificans habet cum illis insuperabilem oppositionem : quocirca, ubi adest, cuncta expellit. Forma vero excludens venialia est actus vel amoris charitatis, vel contritionis, non tantam habens cum venialibus oppositionem, sed potius secundum solam suam speciem consideratus potest cum illis cohærere : quare, ut ea excludat, debet ad ipsa cum quadam formali, aut saltem virtuali detestatione referri. Cum autem ista per detestationem extensio admittat inæqualitatem penes magis, aut minus, tam intensive, quam extensive; inde provenit inæqualitas in eorum remissione, sive quod quædam remittantur, et non omnia. Quamvis non negemus contingere posse, quod talis actus sit ita fervidus, et ad omnia extensus, ut omnia simul excludat. Et quia hactenus dicta lucem, et robur accipiunt ex D. Thoma, unum, aut alterum ex S. Doctore proferemus. In quæst. 7 de malo, art. 12 ad 4 inquit : D. Thom.

« Quamvis sacramentalia æqualiter se ha-
« beant ad omnia peccata venialia; tamen
« fervor ab eis excitatus non æqualiter
« semper se habet ad omnia : sed quan-
« doque respicit aliqua in speciali, et con-
« tra illa efficacius operatur. Et si in gene-
« rali respiciat ea, potest contingere, quod
« non habeat eumdem effectum in omni-
« bus : eo quod affectus hominis aliquando
« habitualiter est inclinatus ad aliqua ve-
« nalia committenda, ita, scilicet, quod, si
« in memoria haberentur, non displice-
« rent : vel forte, si opportunitas adesset,
« committerentur. Et raro contingit homi-
« nes in hac mortali vita viventes ab hu-
« jusmodi effectibus liberos esse. Et si
« etiam homo ad horam per hujusmodi
« remedia ab omnibus venialibus immu-
« nitatem consequatur quantum ad cul-
« pam : non tamen sequitur, quod sit
« liberatus quantum ad totam pœnam :

« nisi forte sit tantus fervor dilectionis, « quod sufficiat ad totius pœnæ remissio- « nem. » Et in hac 3 part, quæst. 79, art. 4, cum sibi objecisset illud D. Joan. in 1 canonica c. 1 : « Si dixerimus, quia « peccatum non habemus, ipsi nos seduci- « mus, *respondit*. Ad secundum dicendum, « quod illud verbum non est intelligendum, « quin aliqua hora possit homo esse abs- « que omni reatu peccati venialis : sed « quia vitam istam Sancti non ducunt sine « peccatis venialibus. »

Joan 1. Can. c.1. D.Thom

130. Denique præmittendum est, venialia per se ipsa, et præcisa a conjunctione cum mortalibus esse materiam remotam sacramenti pœnitentiæ, non quidem necessariam, sive quam teneamur ad prædictum adducere ; sed sufficientem, si velimus talia peccata confiteri. Quod satis constat ex supra dictis num. 88, quin opus sit in eo suadendo immorari. Ex suppositione autem, quod quis venialia confiteatur, velitque esse hujus sacramenti materiam ; necessarium est, quod de eisdem habeat dolorem, eo proportionali modo, quod de mortalibus, cum ista confitetur : est enim dolor pars essentialis hujus sacramenti ex suppositione, quod fiat : quare licet liberum homini sit confiteri, aut non, peccata venialia, tamen dato, quod illa confiteatur, necessarium illi est adhibere de prædictis peccatis dolorem. In quo pariter supervacanee detineremur, quia illud supra statuimus n. 68. Quare sicut in confessione mortalium ad sacramenti valorem requiritur aliquis dolor, et ad sacramenti fructum requiritur dolor efficax, et absolutus : sic etiam in confessione venialium dicendum est, ut eo loco magis explicuimus. Quod quantum ad sacramenti fructum est certa, et communis theologorum sententia : fieri enim non valet, quod venialia remittantur, nisi expulso ad illa affectu : nec hic excludi potest nisi per dolorem efficacem, et absolutam eorum retractationem : ubi namque hæc non interveniunt, perseverat inordinatus affectus.

Rejicitur sententia Tamburini.

Unde minime sustineri potest sententia Tamburini in methodo confess. lib. 1, cap. 3, § 1, asserentis in confessione venialium tam pro valore, quam pro fructu sacramenti, non solum sufficere simplicem illorum displicentiam ; sed etiam non requiri positivam, et formalem displicentiam, sed sufficere vel solam virtualem consistentem in sola voluntate confitendi, sive in desiderio recipiendi sacramentum pœnitentiæ, et ejus fructum. Nam prædicta doctrina videtur adversari Concilio Tridentino statuenti dolorem de peccatis esse partem essentialem hujus sacramenti, ut satis constat ex dictis tota hac disp. et præsertim dub. 1. Ergo sine peccatorum dolore repugnat valorem istius sacramenti consistere : voluntas autem confitendi, et desiderium percipiendi sacramenti fructum non sunt formaliter dolor de peccatis, sed alii actus longe diversi : alias cum eadem voluntate, et desiderio, et absque alio dolore possemus confiteri mortalia, et verum sacramentum consurgeret : quod dicere foret hæreticum. Adversatur etiam rationi theologicæ in eo, quod asserit illam voluntatem, et desiderium sufficere etiam pro consequendo fructum sacramenti, remissionem scilicet venialium. Quoniam cum voluntate confitendi, et desiderio consequendi remissionem venialium compatitur illorum perseverantia, et ad ipsa affectus : quibus stantibus nequit fieri eorum remissio, ut ex terminis liquet, et declaratur exemplo mortalium : nam voluntas ista confitendi cum desiderio recipiendi sacramentum non est verus de illis dolor, nec fructum sacramenti consequitur, nisi ulterius adsit verus, et efficax de peccatis dolor.

131. Suadetur insuper ex prima propositione damnata ab Innocentio XI. « Non est « illicitum in sacramentis conferendis se- « qui opinionem probabilem de valore sa- « cramenti, relicta tutiore, nisi id vetet « lex, conventio, aut periculum gravis « damni incurrendi. » In ea vero non fit limitatio ad solos ministrantes sacramenta, exclusis suscipientibus : unde damnatio non tantum ministrantes, sed et suscipientes comprehendere intelligenda est. Procedit enim ea propositio in sensu obvio, et inter theologos praticos satis communi : apud quos sacramenta ministrare, conferre, conficere, et perficere significant opus completum totius sacramenti secundum requisita ex parte tam ministri, quam suscipientis, et oppositum significans non occurrit limitatio, quam in tali propositione, ejusque damnatione reperimus. Quin adest motivum, ut contra-

rium

ıum censeamus : nam Ecclesia eam propositionem reprobavit non præcise ob omnum suscipientibus imminens non reciendi effectum sacramenti, ubi in ejus u procederetur juxta probabilem tantum sıtentiam, prætermissa tutiori : sed am, et multo magis ob irreverentiam, æ irrogatur sacramento ex periculo illud ritandi, dum non adhibentur requisita, æ tutior sententia præscribit, practiıdo alia minus certa orta ex opinione ntum probabili. Hoc autem periculum ritandi sacramenta non minus adest ex rte suscipientis, quam ministri, ut plane nstat in præsenti materia, cum præcise fert materiam proximam, sufficientem ræcise secundum probabilem opinionem, ıam sufficere negat tutior sententia : ergo ımnatio illius propositionis procedit ex otivo urgente tam in suscipientibus, ıam in ministris ; atque ideo utrosque ɔmprehendere debet. Addimus (quod jam ıpra diximus num. 52) ministrum hujus ıcramenti non posse pœnitentem absɔlere nisi certus moraliter sit illum adhiere materiam proximam certo sufficiem, ad quam pertinet dolor de peccatis : . ergo recognoscat illum præcise habere uandam simplicem displicentiam de vialibus, quæ confitetur, consistentem non uidem in vero dolore, quam communis, t tutissima sententia pro materia proxima xigit, sed in sola voluntate confitendi, et .esiderio suscipiendi sacramentum, quæ ufficere putant pauci juniores ; et nihilominus talem pœnitentem, et taliter dispoitum absolvit : eo ipso convincitur reduere ad praxim doctrinam reprobatam ab Ecclesia in prædicta propositione « sequens « in conferendo sacramento opinionem pro« babilem » (si hæc, quam impugnamus, talis est) « de valore sacramenti, relicta « tutiore : » nequit ergo dari talis sententiæ usus ex parte suscipientis, quin minister eidem se conformans in conferendo sacramento sequatur opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore : quod Pontifex reprobavit. Tenendum itaque omnino est pro confessione, et absolutione venialium non sufficere simplicem displicentiam, sed requiri verum aliquem dolorem.

132. Sed oppones, ex præmissa doctrina inferri, quod peccata venialia nunquam remittantur in hoc pœnitentiæ sacramento, et virtute clavium ; consequens est absurdum, utpote ex quo ulterius consequitur usum hujus sacramenti pro solis venialibus esse inutilem, quod est contra communem apprehensionem, et praxim fidelium, quin et contra expressam doctrinam Concilii Trident., sess. 14, cap. 5, ubi ait : « Venialia, quibus a gratia Dei non exclu« dimur, et in quæ frequentius labimur, « quamquam recte, et utiliter, citraque « omnem præsumptionem in confessione « dicantur, quod piorum hominum usus « demonstrat, taceri tamen citra culpam, « multisque aliis remediis expiari pos« sunt : » ergo præmissa doctrina admitti non debet. Sequela ostenditur : nam, ut affirmamus, ad remissionem venialium in hoc sacramento requiritur verus eorum dolor, qui absolutionem per modum partis materialis præcedat ; ubi autem hic dolor adest, statim ipsa excluduntur per eundem dolorem, tamquam per formam sibi oppositam : atque ideo superveniens absolutio non reperit peccata, quæ remittat, sed supponit illa antecedenter exclusa : sequitur ergo ex nostra doctrina venialia non remitti in hoc sacramento, et virtute clavium, sed alia via, et remedio longe diversis. Concil. Trid.

Respondetur negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est aliquando contingere, quod peccata venialia conjungantur mortalibus in peccatore pœnitente, qui cum de omnibus attritione ad hoc sacramentum accedit, et omnium consequitur remissionem : ubi maniteste elucet venialia remitti per sacramentum pœnitentiæ, et virtute clavium, et minime urgere intentatæ sequelæ probationem. Sed contingit etiam conjungi cum statu justitiæ, ut cum justus sola peccata venialia confitetur : et in isto adhuc casu neganda est sequela : quia, ut adhibeat dolorem pro valore, et fructu requisitum per modum partis, sufficit sola, et nuda de venialibus attritio, ut constat ex dictis, dub. 1. Attritio autem sola non est forma per se sufficiens ad expellendum peccata venialia, sed indiget perfectiori dolore importato vel formaliter in actu contritionis, vel virtualiter in amore charitatis Dei super omnia, ut statuimus locis supra relatis, ubi de hac materia ex professo egimus. Quare nec in Satisfact. object. 1.

præmisso casu impenditur, quod venialia per sacramentum, et virtute clavium remittantur. Verum quia in eisdem locis ostendimus aliam viam satis facilem, et securam, qua peccata venialia justorum remittantur per attritionem in ipsa directam; eo quod attritio in justis non est pura, et nuda attritio, sed participat ex influxu charitatis ordinem ad Deum ultimum finem super omnia dilectum, importatque ipsius charitatis fervorem : et hac de causa sicut est meritoria augmenti gratiæ, et gloriæ, quod de se non habet, ita etiam remittit venialia, quod per se solam non posset : respondetur itaque conformiter ad hanc doctrinam concedendo peccata a justis in confessione cum vera attritione exposita remitti antecedenter ad absolutionem per attritionem ad ipsam directa, quæ est forma eisdem incompossibilis. Nec propterea dicendum est inutile sacramentum; sicut nec tale dicitur, quando quis exponit mortalia, de quibus contritus est, et quæ per contritionem supponuntur exclusa. Nam sacramentum confert ex opere operato majorem gratiam, quam attritioni, aut etiam contritioni sibi relictis respondeat. Aliunde vero sacramentum quamvis supponat remissa venialia quantum ad maculam, sive culpam; confert nihilominus abundantiorem remissionem quantum ad pœnam temporalem, cujus reatus non semper dimissa culpa penitus diluitur. Confert præterea gratiam sacramentalem, et modalem ad magis vitandum illa peccata venialia, quæ absolutioni subduntur juxta doctrinam generalem, quam tradidimus tract. XXII de sacramentis, disp. 4, dub. 9, quod gratia sacramentalis addit aliquid intrinsecum supra gratiam communem in ordine ad peculiares effectus, singulis sacramentis accommodatos.

Object.2. Insistes tamen, et oppones, quod peccata venialia facilius, et per faciliora media remittuntur, quam mortalia; sed ad istorum remissionem in sacramento pœnitentiæ requiritur, et sufficit verus dolor, licet attritionem non excedat : ergo pro illorum remissione in hoc sacramento non requiritur verus dolor, qualem attritio importat, sed sufficit aliqua venialium displicentia inclusa in voluntate confitendi, et in desiderio recipiendi sacramentum.

Dilultur object.2. Respondetur omittendo præmissas, et negando consequentiam. Tum, quia licet facilius remittantur venialia, quam mortalia; nihilominus, ubi venialium remissio quæritur per medium submittendi illa in sacramento pœnitentiæ, tamquam materiam proximam sufficientem; ibi oportet salvari veram rationem hujus sacramenti, et partium, ex quibus constat. Est autem verus dolor contritionis, vel attritionis pars essentialis hujus sacramenti, et sine qua non consistit : et pro tali parte non sufficit simplex displicentia, quippe, quæ non formaliter, nec æquivalenter est dolor, sed affectio longe diversa, et inferior. Unde fieri non valet, quod per sacramentum pœnitentiæ remittantur peccata venialia absque vero de illis dolore per contritionem, vel attritionem. Tum etiam quia licet res ita se habeat, ut affirmamus, cum venialium remissio trahitur, et determinatur, ad hoc sacramentum; adhuc verificatur facilius absolute remitti, quam mortalia : nam ista non remittuntur, nisi determinate per hoc sacramentum in re, vel in voto susceptum : et neutrum horum requiritur in venialium remissione : possunt enim pluribus aliis modis remitti, ut significavit Concilium Tridentinum verbis supra relatis : « Taceri tamen citra « culpam multisque aliis remediis expiari « possunt, » utputa, susceptione Eucharistiæ, Extremæ unctionis, usu sacramentalium, etc. Quin. et intra ipsum sacramentum pœnitentiæ possunt quædam exponi, quædam supprimi juxta pœnitentis arbitrium; quod in prima mortalium confessione minime contingit. Tum denique, quia licet ad remissionem venialium tam intra, quam extra sacramentum requiratur perfectior forma, quam pro remissione mortalium (tacitæ objectioni occurrimus) quippe, ad istam sufficit gratia sanctificans, vel in minimo intensionis gradu : ad illam vero requiritur gratia sanctificans, non utcumque, aut secundum se, sed ut redacta ad actuale exercitium satis fervidum amoris, vel contritionis : (aliter enim non posset reparari charitatis fervor, in cujus carentia macula peccati venialis consistit) : tamen attentis omnibus, et præsertim proportione inter subjecta, et formas, facilius remittuntur venialia, quam mortalia. Subjectum namque, cui venialia remittuntur, præsupponitur saltem ordine

naturæ

turæ existere in gratia, ut diximus num. 8. Subjectum vero, cui remittuntur mortalia, præexistit in statu peccati. Unde cum major distantia, ac improportio detur inter statum peccati, et gratiam, quam inter hanc, et quemlibet charitatis, aut contritionis actum, et cum pariter majus beneficium fiat peccatori in remissione mortalis, quam justo in remissione venialis : sequitur attentis omnibus faciliorem esse remissionem venialium, quam mortalium. Hæc satis fuerit de venialibus, et eorum remissione in communi delibasse. Succedent.

§ II.

Quæstiunculæ circa dolorem pro confessione venialium, et earum decisio.

133. Supposita necessitate doloris, ut peccata venialia sint materia proxima sacramenti pœnitentiæ, inquires primo ; quale peccatum sit confiteri sola venialia absque illorum dolore ? committi namque culpam in ejus omissione, ipsa illius necessitas pro sacramento, quam præsupponitus, et probatam relinquimus, satis evincit. Secundum est committi peccatum mortale. Ita docent, aut supponunt communiter Theologi, qui rem attigerunt : et videri possunt Suarez disp. 20, sect. 6, Candidus inquisit. 24, art. 5, dub. 3, Lugo disp. 14, sect. 8, § 2, Dicastillo disp. 6, dubit. 15, sect. 3, N. Antonius disp. 3, sec. 14, concl. 1, et Leander disp. 7, quæst. 24, et 25. Et prætermissis aliis probationibus ut non necessariis, suadetur unico, sed certo, et efficaci fundamento : nam, qui sua culpa facit irritum sacramentum, peccat mortaliter ; sed qui sola venialia confitetur absque illorum dolore, facit sua culpa irritum sacramentum : ergo ita se gerens peccat mortaliter. Consequentia patet. Et minor est certa, quoniam dolor de peccatis, quæ confitemur, pertinet ad materiam proximam sacramenti pœnitentiæ, ut patet ex dictis § præced. atque ideo qui absque prædicto dolore sola venialia confitetur, sua culpa facit, quod sacramentum irritum, et nullum reddatur, et quidem non minus, quam si mortalia confiteretur absque dolore. Major etiam constat : nam irritatio sacramenti est materia gravissima, et gravissime prohibita : ergo, qui sua culpa facit, quod sacramentum sit irritum, nequit non peccare mortaliter.

Nec proderit dicere in prædicto casu irritari, aut frustrari sacramentum in re levi, qualia sunt peccata venialia, et eorum remissio : atque ideo voluntariam irritationem in tali materia esse etiam levem. Nam id evidenter refutatur : tum, quia quantitas prædictæ culpæ non debet regulari penes quantitatem materiæ remotæ, sed juxta dignitatem sacramenti, et injuriam illi irrogatam ; dignitas autem sacramenti magna est, et non minor in confessione venialium, quam in confessione mortalium : quippe semper est idem specie sacramentum : unde consequens est voluntariam ejus irritationem esse utrobique æqualem erga sacramentum injuriam, et irreverentiam. Tum etiam ; quia, licet remissio venialium videatur res levis, sicut, et ipsa venialia, nihilominus, ut includit gratiam sanctificantem, quæ in sacramento illorum remissione confertur, res est gravissima, et inæstimabilis dignitatis : ergo impedire hunc effectum, et privare sacramentum isto fructu, nequit velut leve reputari. Unde præcluditur aliud effugium in eo positum, quod pœnitens in tali casu nullum sibi notabile damnum infert, sed solam carentiam remissionis peccatorum venialium, quæ sine dolore confitetur. Id, inquam, præcluditur juxta proxime dicta. Et insuper, quoniam gravitas, vel levitas culpæ in materia, quam versamus, dimetiri non debet ex sola damnificatione pœnitentis ob impeditum sacramenti effectum, sed multo magis ex irritatione sacramenti, quæ est res gravissima : ut patet in femina, quæ se fingens virum susciperet sacramentum ordinis : non enim se privat ejus effectu, cujus alias incapax præsupponitur ; et tamen graviter peccat ob gravem injuriam contra sacramentum commissam in ejus nulla, et irrita susceptione.

Evasio præoccupatur.

134. Contra communem hanc, et veram doctrinam sensisse dicitur Philippus Faber Professor Patavinus, et ita colligitur ex his, quæ docet in 4, dist. 17, quæst. unic. disp. 14, cap. 3. Fundamentum, cui innititur, est, non semper esse peccatum mortale irritare sacramentum, aut impedire ejus effectum ; id vero, si alicubi admit-

Philip. Faber. Argumen. 1.

tendum est, maxime in confessione venialium, quæ de se sunt materia levis, et non impediens salutem. Assumptum suadetur primo : nam sacramentum Eucharistiæ non confert gratiam, et alios effectus, nisi cum attentione, et devotione suscipiatur, ut Cajetanus, et alii docent ; et tamen, qui distractus, ac indevotus Eucharistiam suscipit, non peccat mortaliter : ergo impedire effectum sacramenti non est semper
Secundo. peccatum mortale. Secundo, nam, qui non implet pœnitentiam sacramentalem sibi impositam, relinquit sacramentum imperfectum, et quasi mutilum quantum ad hanc ejus veram partem; quo non obstante omittere pœnitentiam impositam ob sola venialia non est peccatum mortale : ergo idem quod prius. Tertio, quia non peccat
Tertio. mortaliter, qui contrahit matrimonium absque intentione, ad vitandum aliquod notabile damnum, quamvis sacramentum matrimonii ob eam latentem fictionem irritum fiat : ergo non est universaliter verum, quod peccet mortaliter irritans
Quarto. alia sacramenta. Quarto, nam, cum aliquis confitetur plura peccata venialia, si non doleat de omnibus, sed solum de aliquibus, non peccat mortaliter, ut docent satis communiter auctores : et nihilominus frustrat sacramentum aliquo effectu partiali, videlicet remissione illorum venialium, de quibus non dolet : ergo non semper peccat graviter, qui fructui, aut effectui sacramenti obicem ponit.

Diluit. 1 arg. Sed hæc sunt levia in re tanti momenti, et communi assensu firmata : unde negamus assumptum universaliter, et prout jacet. Ad cujus primam probationem neganda est major, quia pro primario, et principaliori effectu Eucharistiæ (augmento scilicet gratiæ habitualis sanctificantis) non requiritur tanquam dispositio, attentio, nec devotio, nec carentia peccatorum venialium, ut ex professo ostendimus tract. 23, de Eucharistia, disp. 10, dub. 3. Sed si vera foret Cajetani sententia, consequenter ad illam dici deberet accedentem ad Eucharistiam cum distractione, indevotione, et peccatis venialibus actualibus, peccare mortaliter, sicut generaliter verum est ponentem obicem gratiæ in sacramentis conferendæ mortaliter peccare. Et cum istud consequens sit absurdum, gignens scrupulos innumerabiles, fidelesque revocans ab Eucharistiæ frequentia ob timorem imminentis sacrilegii, ut expendimus loco cit. num. 44, manifestat falsitatem antecedentis, et rejiciendam fore illam Cajetani opinionem. Unde nihil roboris ex illa adjicitur Fabri sententiæ contra communem. Ad secundam probationem, omissa majori in sensu statim explicando, et concessa minori, negamus consequentiam : nam, qui pœnitentiam sibi impositam non implet, nec irritat sacramentum in se, nec impedit principalem ejus effectum, sed solum illud privat levi fructus parte. In quo non occurrit gravis inordinatio : qualis datur, ubi vel sacramentum est nullum, vel principali effectu fraudatur. Ad tertiam neganda etiam est consequentia ob non obscuram differentiæ rationem inter matrimonium, et alia sacramenta : nam illud, quod prius erat merus contractus, elevavit Christus ad sacramenti rationem, relinquendo tamen ipsum in ratione contractus onerosi, quem habebat, cum eisdem conditionibus, et non adjectis aliis gravaminibus, ne onerosior contractus fieret. Unde reliquit hominibus eam, quam habebant facultatem, ubi gravis necessitas occurreret; fingendi consensum, et reddendi matrimonium irritum, qua parte contractus est. Idque non tam irritat sacramentum, quam subtrahit materiale sacramenti, nempe contractum. Id vero non occurrit in aliis sacramentis, quæ in id tantum sunt instituta, ut per ea homines sanctificentur, et cultus Dei promoveatur : quocirca omnia ad illa spectantia sancta sunt, et sancte tractanda : et oppositum nequit contingere absque gravi culpa juxta gravitatem materiæ, cujusmodi sunt irritatio sacramenti in se, et obex respectu primarii, ac principalis affectus.

135. Majorem difficultatem affert quarta probatio, quamvis illam non obscure diluant Lugo, Dicastillo, et alii reddendo rationem disparitatis satis congruam. Nam in casu majoris ex una parte sacramentum non fit irritum, cum habeat aliquam materiam validam, sufficientemque, ut verba Christi (sunt absolutionis) non proferantur frustra, et irrisorie : et ex alia parte non impeditur totus sacramenti effectus, sed salvatur in remissione illorum venialium, de quibus est dolor. Nihil autem horum salvatur, ubi pœnitens sola venialia confitetur

itetur absque ullo circa aliqua dolore : nam redditur sacramentum adæquate, sive x omni parte irritum : quod nequit contingere absque notabili irreverentia, et gravi subinde peccato. Sic facile, et breviter relati Auctores ab objecta difficultate se expediunt. Nos tamen illa adhuc pungimur ob sequentem instantiam : nam si tuis apponeret sacerdoti decem hostias consecrandas, quarum duæ, aut tres non essent triticeæ, proculdubio graviter peccaret, ut nemo negat : ergo pariter, qui confitetur decem peccata venialia, et de duobus, aut tribus non habet dolorem, graviter peccat. Id enim paritatis ratio suadere videtur : sicut enim materia consecrationis est panis triticeus, sic etiam materia proxima absolutionis sacramentalis est dolor de peccatis in concessione expositis : ergo si apponere cum hostiis panis triticei duas, aut tres alterius materiæ est peccatum grave ; similiter confiteri cum peccatis venialibus, de quibus dolemus, alia, de quibus non dolemus, erit grave peccatum : nam tam ibi, quam hic irritatur sacramentum in aliqua ejus, quæ pro materia proponitur, parte. Vel formetur e contrario discursus : qui inter peccata venialia, de quibus dolet, confitetur aliquod, cujus non habet dolorem, ideo non peccat mortaliter ita se gerens, quia absolute non fit irritum sacramentum adæquate, sed solum impeditur ejus virtus in quadam materiæ parte, videlicet quantum ad remissionem illius peccati venialis, de quo non est dolor ; idem autem contingit in casu proposito consecrationis hostiarum : non enim fit absolute, et adæquate irrita consecratio, cum operetur in pluribus hostiis, quæ ex vero tritico sunt, et solum impediatur, aut frustretur in quadam materiæ parte, hostia videlicet, quæ triticea non est : ergo, si subjicere absolutioni sacramentali aliqua venialia cum eorum dolore, et simul aliqua sine illo, non irrogat sacramento gravem injuriam, et consequenter non est peccatum grave ; idem, et ob eandem rationem dici debet, cum quis inter hostias triticeas miscet aliquam, aut aliquas non triticeas, omnes apponit sacerdoti consecrandas.

Nec satisfacit si ex doctrina Suarii disp. 22, sect. 10, n. 3, respondeatur assignando differentiam, quod forma Eucharistiæ respicit per se primo materiam, illamque, et effectum circa ipsam significat : quare, si falsa materia partialis apponeretur, ex ea saltem parte falsificaretur sacramenti forma : quæ foret inordinatio gravissima. At in sacramento pœnitentiæ forma significat per se primo personam pœnitentis, et effectum circa illam, ut constat ex ejus verbis, *Ergo te absolvo :* unde verificatur absolute, licet non omnia peccata actu remittat : quippe sensus talis formæ non est, quod remittantur omnia peccata ; sed quod pœnitens accipiat gratiam remissivam peccati ; qui effectus, et salvatur, et verificatur in prædicto casu, licet aliqua peccata non remittantur per accidens ob carentiam doloris circa illa. Hæc, inquam, responsio, non satisfacit, sed solis verbis consistit : nam esto, ita sit, quod forma absolutionis significet immediate, aut per se primo pœnitentis personam, non tamen eam significat absolute, sed ut absolvendam, nec absolvendam ab aliis, quam a peccatis (saltem directe) nisi ab illis, quæ explicantur in confessione, et apponuntur pro materia absolutionis. Itaque sicut verbum *absolvo* est de se indifferens, posset que significare liberationem a diversis generibus vinculorum ; et nihilominus ex ipsis circumstantiis trahitur ad significandum determinate solutionem sacramentalem a peccatis : ita pronomina *te* et a *tuis*, licet non ita determinate, trahuntur ad significandum non omnia, aut quælibet peccata, sed illa, quæ pœnitens confitetur, et absolutioni supponit, quasi sacerdos dicat, *Ab his peccatis de quibus te accusas, te absolvo*. Unde consequitur, quod in casu proposito, ubi pœnitens confitetur aliqua, de quibus non dolet, falsificetur sacramenti forma, non minus ac in casu, in quo inter hostias a sacerdote consecrandas apponitur aliqua, quæ triticea non est. Oportet igitur in utroque casu æqualiter theologizare, asserendo, vel utrobique peccatum grave, vel utrobique peccatum leve.

Lugonis responsio.

136. Nec iterum satisfacit, si cum Lugo disp. 14, sect. 8, § 3, n. 121, respondeatur rationem discriminis inter utramque formam esse, quod in pœnitentia verba absolutionis non significant omnino absolute ablationem culpæ, sed solum quantum est ex parte sacerdotis, quasi dicat, *Ego quantum ex me est, remitto tibi peccata.* Qui

sensus verus etiam est, ubi non remittuntur, vel quia supponuntur remissa, vel quia ob indispositionem pœnitentis nequeunt remitti. Idemque contingit in casu proposito, quando ob defectum doloris alicujus venialis inter alia confessi, illud non remittitur : adhuc enim verum est, quod sacerdos illud ex sua parte remittit nomine Christi. Verba autem formæ Eucharistiæ significant omnino absolute illud, quod pro materia apponitur, esse corpus Christi : idque intendit sacerdos affirmare de omnibus, et singulis hostiis sibi appositis. Unde provenit, quod apponens in hoc secundo casu hostiam non triticeam peccat graviter: et tamen non ita peccat, qui inter venialia, de quibus confitetur, et dolet, inserat aliquod sine dolore. Hæc, inquam, responsio minime satisfacit: nam (ut omittamus non recte in ea explicari sensum absolutionis, ut constat ex late dictis in priori parte, disp. 3, dub. 2, per totum, et præsertim § 5), disparitas in ea assignata non tenet, sed absque solido fundamento procedit. Sicut enim sacerdos est impotens ex parte sua consecrare per verba consecrationis nomine Christi materiam non consecrabilem; ita etiam est impotens ex parte sua remittere per verba absolutionis nomine Christi materiam non remissibilem. Et sicut panis non triticeus non est materia consecrabilis, quia Christus instituit, quod solus panis triticeus consecraretur in sacramento Eucharistiæ; sic etiam peccatum, de quo non est dolor, non est materia absolutionis, quia idem Christus instituit, quod sola peccata, de quibus esset dolor, remitterentur in sacramento pœnitentiæ : ergo, sicut, qui apponit panem non triticeum consecrandum, falsificat, quantum est de se, et irritam facit formam consecrationis : ita qui absolutioni submittit peccatum, de quo non dolet, falsificat quantum est de se, et nullam reddit formam absolutionis. Committitur itaque in utroque casu eadem contra sacramentum irreverentia. Ergo vel in utroque est gravis, vel in utroque levis. Unde corruit, quod dicitur de sensu quasi conditionato absolutionis : nam vel eo admisso nequit sacerdos ejus verba proferre super materiam per sacramentum non remissibilem, ut sunt peccata sine dolore : et si id certo cognosceret, et tamen ab eis absolveret

Dispellitur.

juxta sensum a Lugone propositum, proculdubio peccaret ob non levem injuriam in sacramentum. Quod a fortiori militat in pœnitente, qui sciens se non dolere de aliquo peccato, illud confitetur, ut materiam subjectam absolutioni.

Nec rursum satisfacit, si respondeatur cum Dicastillo disp. 6, dub. 15, nu. 284, disparitatem in eo sitam esse, quod ubi plures simul hostiæ una consecratione consecrantur, tot fiunt numero sacramenta Eucharistiæ, quot hostiæ fuerint (quod et nos statuimus Tract. 23, de hoc sacramento disp. 2, dub. 4, § 2); quare si in qualibet earum non verificatur consecrationis forma, ibi frustratur integrum quoddam Eucharistiæ sacramentum: quod absque gravi culpa apponentis indebitam materiam nequit contingere. In casu autem, quem versamus, solum fit unicum pœnitentiæ sacramentum, et præcise frustratur in aliqua levi materiæ parte, in eo scilicet, peccato veniali, de quo pœnitens non dolet: et propterea, quod pœnitens ita se gerat, non est peccatum mortale. Hæc, inquam, solutio, sive disparitas, quamvis præcedentibus apparentior, non satisfacit, ut recognovit, et ingenue fassus est ipse Dicastillo n. 285, cupiens meliorem responsionem, et paratus ab aliis discere. Quoniam assignata disparitas eliditur considerando, quod sicut in casu Eucharistiæ forma consecrationis, *Hoc est corpus meum*, ita est una, quod multiplicatur æquivalenter pro singulis hostiis : unde in capacibus verificatur, et habet effectum; in incapacibus vero falsificatur, ac frustratur, et impeditur effectus, sic etiam in casu pœnitentiæ forma absolutionis, *Ego te absolvo a peccatis tuis*, licet una sit, multiplicatur æquivalenter pro singulis peccatis, quæ eidem a pœnitente submittuntur : quare in capacibus propter adjunctum dolorem operatur, et verificatur illa excludendo; in incapacibus autem ob doloris defectum nullum habet effectum, et irritatur, ac falsificatur: ergo, si in priori casu peccat mortaliter, qui ad consecrandum apponit materiam ex parte aptam, et ex parte ineptam; sic etiam in secundo casu peccat mortaliter pœnitens, qui pro absolutione sacramentali subjicit materiam ex parte aptam, ut sunt peccata venialia confessa cum dolore, et ex parte ineptam, ut sunt peccata venialia

sine

sine dolore exposita in confessione. Et in hoc stat energia paritatis inter utrumque sacramentum, quidquid de aliis inter ea differentiis, quæ supponuntur, sed pro re præsenti non referunt. Porro dicere, quod absolutio in tali casu solum falsificatur, et frustratur in re levi, quale est unicum peccatum veniale, nec paritatem, nec difficultatem elevat: nam etiam una particula apparet res levis, et sine illa consecratio perficeretur: quo non obstante apponere vel unam minimam particulam non triticeam consecrandam, est peccatum mortale, quia in ea frustratur, et falsificatur forma consecrationis: ergo idem dicendum est, ubi absolutioni submittitur materia inepta, uti est peccatum sine dolore, licet ex se alias minimum sit.

137. His omnibus hinc inde positis, ac consideratis, dubii reddimur, et suspensi in eligendo determinatam viam ad declinandam difficultatem objectam. Nam ex una parte nullum recognoscimus inconveniens in concedendo, quod confitens sola venialia, et inter ea aliqua sine dolore peccat ex hoc ipso mortaliter: id namque exposcit gravitas materiæ, faciendi scilicet, aut irritandi sacramentum saltem in parte: idque etiam evincere videtur similitudo desumpta, et hactenus proposita ex sacramento Eucharistiæ. Aliunde vero, qui sic sentiret probabiliter procederet, ut satis aperte significat Lugo, et Dicastillo, dum suam, huicque adversam opinionem solum vocant probabiliorem. Denique nec singularis foret in ita sentiendo, sed duces non paucos haberet eodem modo sentientes, quorum meminit Suarez citata sect. 10, nu. 7. His itaque non immerito provocari possemus ad istam amplectendam opinionem. Juxta quam ad objectam num. 134 probationem (pro qua extricanda hactenus dicta produximus) respondetur magis consequenter negando majorem: nam, sicut peccat mortaliter confitens sola venialia absque dolore illorum, ita etiam peccat mortaliter, qui confitendo multa venialia, de aliquibus non dolet. Cæterum ex alia parte remoramur ad non ita sentiendum: tum, quod non facile asserendum est peccatum, præsertim mortale, nisi urgentibus motivis, satis probetur. Tum, quia asserere, quod non dolere de quolibet veniali in confessione explicato sit mortale affert innumeros scrupulos, et retrahit a confessione venialium; quod maximum foret inconveniens in personis religiosis ac timoratis. Tum, quia licet Suarius non paucos pro ea parte recensuerit, omnium tamen nomina suppressit, et nos neminem reperimus, qui in suis scriptis ita doceat. Tum, quia e converso, quotquot legimus, et ad manus habemus, negant carentiam doloris unius, aut aliquorum venialium in casu proposito esse peccatum mortale. Ita ipse Suarez, Henriquez, Vasquez, Fagundez, Lugo, Dicastillo, Candidus, Diana, Castro Palao, et Leander, quos refert, et sequitur N. Franciscus Tract. 6, cap. 5, punct 3, n. 38, Emmanuel a Conceptione disp. 2, quæst. 10, num. 167, Moya tract. 3, disp. 5, quæst. 6, Gonet. disp. 7, art. 4, num, 77, ubi dicit oppositam sententiam videri nimis rigidam, atque ideo improbabilem: in quo ipse excessisse videtur, cum illa innitatur fundamentis satis probabilibus.

Suarez, Henriq. Vasquez. Fagund. Lugo. Dicastil. Candid. Dian. Castro. Pal. Leand. Francis. Emman. Moya, Gonet.

Et hoc ultimum motivum pro secunda sententia propositum vehementer nos impellit, ut ei subscribamus saltem cum aliquo temperamento, et ut aliquam disparitatem assignemus inter rem præsentem, et instantiam ab Eucharistiæ exemplo desumptam. Etenim materiam aliquam moralem esse gravem, aut levem, multum dependet ex prudenti sapientium judicio. Videmus autem plurimos sapientes, et prudentes censere mortale peccatum non esse, quod quis confiteatur sine dolore unum, aut aliqua peccata venialia cum aliis, de quibus habet legitimum dolorem pro sacramento pœnitentiæ requisitum. E contra vero videmus omnes prudentes, et sapientes censere esse mortale peccatum, quod aliquis hostiam non triticeam cum aliis triticeis apponat sacerdoti consecrandam. Ergo hæc differentia sufficiens in re morali est, ut teneamus hoc posterius esse peccatum mortale, secus autem illud primum. Et per hæc congressa detur disparitas ab extrinseco. Sed rem altius eruere oportet: et non ita universaliter accipere extrema comparationis, quæ supponuntur. Nam, si quis non ex malitia, sed ex inadvertentia levi apponeret sacerdoti hostiam non triticeam consecrandam, quia triticeam ob minorem advertentiam censuit, minime damnaretur peccati mortalis, sed solum venialis ob minorem diligentiam:

qui casus quotidianus est in alia Eucharistiæ specie, nimirum in vino : ministri enim ex quadam æquivocatione, aut levi negligentia multoties aquam pro vino offerunt, quin propterea dicamus illos ex hoc ipso mortaliter peccare. Unde magis confirmatur communis sententia, quod non est peccatum mortale confiteri aliquod veniale sine dolore : quia id potest etiam contingere ex quadam levi inadvertentia in non discutiendo dolorem pro omnibus, et singulis venialibus. Sed dubio procul, si quis apponeret hostiam triticeam ex malitia ad decipiendum sacerdotem, advertensque consecrationem in ea frustrandam esse, mortaliter peccaret. Idemque certissime censemus, ubi pœnitens ex malitia confiteretur unum veniale, intenderetque illud constituere materiam sacramenti, aut quod in eo irrita fierent absolutionis verba : quia licet veniale sit materia levis, intentio tamen respiciens illud complexum est pessima, utpote sacramenti dignitati, et veritati vehementer derogans. Unde, si bene advertamus, paritas supra posita inter unum, et alterum sacramentum magis premitur, et pede faciliori devertitur; sicut enim confiteri aliquod veniale sine dolore est quandoque materia levis ; ita etiam apponere sacerdoti hostiam non triticeam, est quandoque levis culpa ; si utrumque contingat ex quadam levi negligentia circa debitam materiam. Et sicut apponere hostiam non triticeam consecrandam est aliquando peccatum mortale; ita etiam confiteri veniale sine ejus dolore erit aliquando mortale peccatum; si unum, et alterum fiat ex prava intentione, quod formæ sacramentorum irritentur in hac, et illa materia.

138. Sed, si res ita se habent, unde provenit, quod Theologi unum communiter excusent a gravi culpa ? Censemus provenire ex attentione ad ea, quæ regulariter, et per se loquendo in uno, et altero casu contingunt. Nam seclusa in utroque ignorantia, aut inadvertentia, quod aliquis inter hostias triticeas consecrandas inserat aliquam non triticeam, nequit non provenire ex malitiosa intentione, quæ pro qualitate materiæ, utique gravissimæ, nequit non esse peccatum grave. Sed quod aliquis inter plura peccata venialia, quæ cum dolore confitetur, recenseat aliquod sine dolore : minime revocatur necessario in intentionem pravam : sed multo magis revocatur in qualitatem materiæ, ipsa scilicet peccata venialia, quæ cum plurima soleant esse, et eorum dolor cadat sub diversis motivis, et quædam possint sine aliis remitti ; non cogitur homo, dum se ad de illis confitendum parat, tam diligentem exhibere curam vel in discutiendo numerum, vel in excitando dolorem, quam præstare debet in confessione mortalium ; unde facile contingit, quod absque dolore, et etiam absque gravi culpa venialia aliqua confiteatur.

Id autem magis perspicuum fiet, si observemus, eum, qui ex certa scientia unam hostiam non triticeam miscet inter alias legitimas a sacerdote consecrandas, vix aut nullo modo posse excusari a perversa intentione decipiendi sacerdotem in re adeo gravi, et etiam communicantes in materia non consecrata, utpote inepta : quod nequit non esse grave peccatum. Quin abstrahendo etiam a perversa illa, et explicita intentione, ipsum prævidere tales effectus ex appositione hostiæ non triticeæ, et tamen ab eo non abstinere, ipsumque impedire, cum possit, satis superque est ad peccandum mortaliter. Quæ omnia omnino aliter possunt accidere in eo, qui confitendo venialia cum dolore, aliqua alia in eadem confessione sine dolore recenset : quia sciens, et prudens potest se ita gerere, non quidem ut absolutio cadat super venialia sine dolore confessa, sed ob alios fines honestos : ut puta, ad majorem sui humiliationem, et confusionem, et ut majorem confessarius habeat de sua imperfectione notitiam; quemadmodum posset extra confessionem eadem peccata, et ob eundem finem patri spirituali referre, aut se de illis coram communitate accusare. Unde elucet discrimen inter extrema, quæ hactenus comparavimus : nam consecratio Eucharistiæ unice, et adæquate refertur ad transubstantiationem legitimæ materiæ in corpus Christi : quare illicitum objective, et omnino est inter hostias consecrandas apponere cum advertentia aliquam ineptam. Cæterum confessio peccatorum, vel eorum relatio in confessione non ordinatur unice, et adæquate ad eorum remissionem in eodem sacramento : sed tendit etiam ad curandas spirituales pœnitentis

tentis infirmitates, et ad regendum apte conscientiam ejus, ut satis clare significavit Concilium Trident. sess. 14, c. 8, cum agens de discretione, quam confessarii in imponendis pœnitentiis debent habere dixit : « Habeant autem præ oculis, ut « satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad « præteritorum peccatorum vindictam, « etc. » Pro quibus dignoscendis conveniens est, quod pœnitens manifestet in confessione, vel ipsa peccata venialia, de quibus non dolet : quin et aliqua alia, de quibus nequit esse dolor, aut absolutio, ut sunt habitus vitiosi, pravæ inclinationes, propensiones, et tentationes. Quocirca licet pœnitens recognoscat se non habere dolorem de aliquibus venialibus, potest illa recitare in confessione ob fines immediate relatos : et sic procedens nec mortaliter, nec forte venialiter peccabit : dummodo habeat dolorem de aliquibus, ne frustretur sacramentum, quod absque dolore peccatorum, parte scilicet ejus essentiali, non valet perfici. Ex quibus omnibus satis constat, quam merito in uno casu asseratur peccatum mortale, et in altero negetur juxta communes sententias, idque discrimen non revocandum (ut quidam faciunt) in solam extrinsecam Doctorum auctoritatem; sed multo magis in diversas unius, et alterius sacramenti naturas.

139. Sed adhuc circa hæc aliqua dubiola occurrunt. Nam inquires primo, an proxime dicta extendi possint, aut debeant ad peccata mortalia jam rite confesta, ita ut pœnitens, cum illa iterum confitetur, possit de aliquo, aut aliquibus non dolere, quin in hoc graviter peccet? Secundo, utrum ut pœnitens non peccet in confitendo aliqua venialia sine dolore, debeat de hoc admonere confessarium, ut sciat se illa patefacere in confessione non pro eorum absolutione, sed propter alios fines proxime relatos? Videtur enim id necessarium, ne Sacerdos frustra dirigat absolutionem ad omnia venialia exposita in confessione. Tertio, an possit quis dolere de uno peccato veniali, quin doleat de aliis ejusdem speciei : nam cum ejusdem rationis sint, et offerant idem motivum, non videntur posse admittere eam partitionem. Quarto, utrum quando quis confitetur plurima venialia non determinando eorum numerum, v. g. multa mendacia : omnia illa remittantur? Quia confessarius sicut non cognitione, ita nec intentione, et absolutione videtur eam multitudinem comprehendere? Quinto, an sicut pœnitentem confitentem aliquod peccatum veniale sine dolore excusamus a peccato mortali, idem dicendum sit de penitente, qui sibi imponit aliquod peccatum veniale, quod non fecit, et subinde in eo mentitur? Videtur enim esse eadem ratio ob levitatem materiæ. Quinto.

His eodem ordine respondebimus. Ad primum affirmative ob æqualitatis rationem. Sicut enim peccata venialia non sunt materia necessaria hujus sacramenti, ita nec mortalia, quæ præsupponuntur bene confessa : quare, sicut non imputatur gravi culpæ, quod quis confiteatur venialia, aliqua quidem cum dolore in quibus salvatur virtus, et veritas sacramenti, et aliqua sine dolore; sic etiam dicendum est in confessione voluntaria mortalium. Præsertim, quia, sicut potest occurrere finis honestus, ut quis vel venialia, de quibus non dolet, exponat in confessione, utputa ad majorem sui contemptum, et ut aptius curetur per confessarium juxta superius dicta : ita etiam potest quis in confessione exponere sine dolore aliqua mortalia prius confessa, ad consequendum prædictos fines, ut facile consideranti constabit. Idque in rigore ita verum est. Sed interest discriminis, sicut aliqui recte observant, quod in confessione venialium non solum non impeditur valor, et fructus sacramenti, quando aliqua confitemur sine illorum dolore, sed et si circa illa habeamus actualem, et positivam complacentiam : sunt enim divisim remissibilia, et complacentia circa aliqua non impedit erga alia verum dolorem, qui pro istorum remissione sufficit, et valore sacramenti. Id vero aliter omnino contingit in mortalibus ob gravem obligationem in nullo eorum complacendi : quare complacere in aliquo esset peccatum pariter, et mortale, et impediret valorem sacramenti. Unde nostra resolutio magis signate, quam practice in mortalibus jam confessis accipienda est : ægre namque continget aliquem recogitare peccatum sine dolore, et loqui de eo absque odio, et retractatione, quin eo ipso subsit ejus compla- Respondetur ad 1.

centiæ, aut se exponat periculo complacendi.

Ad 2. 140. Ad secundum respondemus; satis commune esse inter personas timoratæ conscientiæ, ubi de solis peccatis venialibus præsentis vitæ se accusant, addere aliquod grave ex jam alias confessis, per quod satis aperte significant se non omnino securos de dolore venialium, et non esse materiam absolutionis illa, de quibus non dolent. Quin aliqui manifeste se explicant dicendo v. g. De his me accuso, sed quia incertus sum de efficaci dolore circa ista venialia ob summam fragilitatem, quam experior in eadem reincidendi; ideo pro majori securitate me accuso de peccatis gravibus jam confessis, et præsertim de uno perjurio, etc. Et ubi pœnitens ita se gerit, procul pellitur dubitatio circa sacramenti valorem, et effectum, quamvis non unum tantum veniale, sed omnia venialia sine efficaci dolore exponerentur in confessione. Quare illa cautio non reprehendi, sed commendari debet, præsertim in personis nimis timoratis, quæ facile turbantur scrupulis, et dubietatibus. Sed absolute censemus non esse illam expressionem necessariam licet aliquis sola venialia confiteatur, et de aliquibus non habeat dolorem : quia sufficit generalis intentio non subjiciendi pro materia venialia, de quibus non dolet, quamvis nolit se privare libertate recensendi illa in confessione pro majori humiliatione, et suæ conscientiæ manifestatione, ut etiam extra confessionem facere posset. Unde prudens confessarius sciens hæc frequenter contingere in confessione venialium, et quædam posse remitti, non remissis aliis ob inæqualitatem doloris erga illa jam explicatam, ubi reperit pœnitentem nulla alia peccata exponere quam venialia, formam absolutionis dirigit ad sola et omnia venialia rite confessa, quorum absolutioni recipiendæ pœnitens dispositus sit. Et ita etiam sentiunt Suarez disp. 20, sect. 6, n. 7, Lugo disp. 14, n. 126, Leander disp. 7, quæst. 27, Castro Palao tract 3, disp. unica, punct. 7, d. 14, et Emmanuel a Conceptione disp. 2, quæst. 10, n. 168, pro eadem resolutione referens Gonet. in quo illam non reperimus.

Suarez. Lugo, Castro Palao Emman. Gonet.

Ad 3. Ad tertium respondetur affirmative cum eodem Lugone loco cit. num. 141, Leandro quæst. 29, Emmanuele n. 172, quia, sicut peccata venialia possent se excedere in gravitate secundum varias species; ita possunt excedere in gravitate secundum conditiones individuales : ergo sicut, qui dolet de uno veniali ob suam speciem, non dolet ex vi hujus de aliis specie inferioribus; sic etiam, qui dolet de uno veniali ob gravitatem individualem, quam habet, potest non dolere de aliis, quæ habent inferiorem gravitatem numericam. Et ita contingere potest in furtis levibus, si quis doleat de aliquo, quia accessit proxime ad quantitatem gravem : nam ex vi hujus non dolet de aliis commissis in levissima quantitate multum a gravi distante. Sic etiam mendacia levia, quæ quis in statu sæculari et in statu religioso protulit, solo numero differunt : et tamen potest quis dolere de mendaciis a se dictis post religiosum statum, quin propterea doleat de illis, quæ in sæculo dixit : quia licet solum numeric distinguantur, nihilominus mendacem magis religiosum dedecet, quam sæcularem et est ceteris paribus major individualite culpa.

141. Ad quartum patet ex immediat dictis : nam, si quis in genere, et sine ull determinatione confiteatur plurima peccat ejusdem speciei, v. g. mendacia, ut cum dicit se infinities mentitum fuisse; et no habet pro doloris erga illa motivo majorem aut minorem ipsorum gravitatem sed communem mendacii, ut oppositioni cum veritate rationem : consequens est quod aliqua remittantur : cumque non occurrat ratio, cur alia præ aliis remittantur; siquidem omnia cum eodem dolor absolutioni subduntur, concedere oporte omnia remitti. Et ita docent Lugo ub supra n. 142, et Leander disp. cit. quæst 30, cum asserant remitti omnia, aut fer omnia. Sed in hac additione minus consequenter procedunt, quia nullum haben fundamentum, ut cum ea formidine limitent; cum ex parte materiæ, doloris, confessionis, et absolutionis adsit æqualitas Quod autem confessarius non cognosca distincte numerum peccatorum, a quibu absolvit, impedimentum non est pro legitima absolutione : tum, quia nec in pœnitente requiritur ea cognitio : tum, qui confessarius attentis circumstantiis personæ cognoscit eam multitudinem in con

fus

fuso, juxta consuetudinem similium personarum. Quin et alii non improbabiliter addunt, quod licet sacerdos, neque ex circumstantiis cognoscat numerum peccatorum, sufficit ad valorem, et fructum sacramenti, quod pœnitens de omnibus saltem in confuso doleat, et se accuset, et confessarius pariter de omnibus velit absolvere.

Ad quintum respondetur cum distinctione: nam si peccatum illud veniale, in quo pœnitens mentitur ipsum sibi imponendo, cum non fecerit, sit unica, et totalis materia confessionis, quia alia non confitetur; manifestum est illum peccare mortaliter: quia irritatur simpliter sacramentum ob defectum materiæ; tum remotæ, cum illud peccatum nunquam fuerit; tum etiam proximæ, cum de peccato ficto nequeat concipi verus dolor. Sed, si illud veniale, quod sibi pœnitens falso imponit, non sit materia totalis, sed simul cum aliis, de quibus pœnitens vere dolet, recenseatur in confessione; satis probabile, et consequens ad hactenus dicta apparet, non esse peccatum mortale. Quia ex una parte non falsificatur forma absolutionis, nec irritatur sacramentum; sed tenet, et effectum habet in aliis venialibus vere commissis, de quibus est dolor: et ex alia parte irreverentia non sit gravis utpote facta in materia levi. Et sic sentiunt Sotus, Navarrus, Vasquez, Coninchus, quos refert, et sequitur Dicastillo disp. 8, dub. 3, num. 52, Lugo disp. 14, num. 142, et Tamburinus lib. 2, Metodi cap. 10, num. 37, quos refert, et sequitur Emmanuel ubi supra nu. 170. Erit tamen peccatum veniale, et in hac linea satis notabile: unde hic casus multum differt ab alio confitendi unum, aut aliqua venialia sine dolore, de quo supra. Quia id contingere potest absque peccato non solum gravi, sed etiam veniali, ut satis constat ex dictis n. 138; ceterum mentiri semper est peccatum, et ex nullo capite honestari valet, et multo minus in sacramento.

142. Nec refert, si contra præmissam resolutionem opponas primo: nam juramentum assertorium, quamvis cadat supra materiam levem, est peccatum mortale, quia gravis irreverentia Deo ex ejus falsitate irrogatur: ergo pariter mendacium in præsenti materia, sive confiteri peccatum veniale falsum, est etiam peccatum mortale. Probatur consequentia: quia licet materia talis mendacii sit de se levis, tamen injuria irrogata sacramento, et Deo ejus institutori est satis gravis. Secundo, quia si non peccat mortaliter pœnitens, qui cum veris peccatis, de quibus dolet, confitetur aliquod veniale, quod non fecit, sed fingit; pariter non peccabit mortaliter, qui cum veris peccatis, de quibus dolet, aliquod mortale recenset a se non factum, sed fictum. Nam ex una parte jam apponitur vera, et sufficiens materia sacramenti in aliis peccatis: et aliunde mendacium illud non est grave peccatum; cum possit quis sibi sine gravi culpa imponere mortale peccatum, quod non fecit. Absurditas autem consequentis vel ex eo liquet, quod viam sternit, ut pœnitentes negligentes sint in discutiendo peccatorum gravium numerum, et posse illum, dum confitentur, excedere, cum in eo excessu nullum ipsis periculum incurrendi culpam gravem immineat. Quod dicere adversatur communi, et veræ sententiæ, exactum, ac determinatum, quantum fieri potest, peccatorum gravium numerum pro legitima confessione exposcenti. Secundo

Non, inquam, referunt istæ objectiones: nam ad *primam* respondetur concesso antecedenti, et negando consequentiam. Ratio disparitatis est, quod in juramento assertorio falso adducitur Deus in testem: id enim generale est in omnibus juramentis, nempe vocare Deum in testem eorum, quæ dicimus. Attribuere autem illi, quod sit testis falsus, aut falsi, est gravissima contra illum irreventia, atque ideo peccatum grave. Idque minime vitatur per hoc, quod materia sacramenti sit materia de se levis, si est falsa: quia irreverentia non mensuratur penes materiam secundum se, sed penes falsitatem, et ejus approbationem, quam jurans falso in quacumque materia revocat in Deum, ut ejus confirmatorem: quod non admittit parvitatem, aut levitatem materiæ. Ceterum quando mendacium circa unum veniale conjungitur cum aliis venialibus veris, et cum dolore confessis, nec Deus adducitur in testem illius mendacii: nec forma absolutionis nomine Christi prolata falsificatur propter illud mendacium, sed manet in aliis peccatis; nec irritatur sacramentum, sed est validum simpliciter, et potest esse etiam fructuo- Object. 1 fit satis

tum. Unde liquet nullam ibi propter tale mendacium committi gravem irreverentiam, aut inordinationem. Ad secundam objectionem negamus sequelam: nam peccatum mortale est semper materia gravis, et variat notabiliter judicium confessarii; quare illud fingere, et sibi imponere in confessione est peccatum mortale: tum, quia inducit gravem deceptionem in confessario se in hoc sacramento gerente per modum judicis, et cognoscentis principaliter de culpis gravibus; tum, quia affert in gravi, et necessaria juxta judicium confessarii materia falsificationem absolutionis, et sacramenti nullitatem. Et sic sentiunt communiter Doctores Sotus in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, Navarrus cap. 21, num. 17, Suarez disp. 22, sect. 10, Vasquez quæst. 91, art. 1, dub. 7, Coninchus, Hurtado, Zerola, Reginaldus, quos refert, et sequitur Dicastillo disp. 8, dub. 3, n. 40, Lugo disp. 16, sect. 2, § 6, num. 100, N. Antonius disp. 3, sect. 14, num. 193, et alii. Prædicta autem motiva non occurrunt, nec urgent in peccato veniali, quod pœnitens sibi falso imponit: illud enim est materia levis, tam in se, quam in ordine ad confessarii judicium; aliunde vero ex ejus oppositione non sequitur, vel falsificatio formæ, vel irritatio sacramenti; cum detur alia materia legitima, in qua verificentur, et teneant, ut satis supra explicatum fuit.

Secundæ

Sotus, Navar. Suarez Vasquez. Coninch. Hurt. Zerola, Regin., Dicastil. Lugo, Antonius.

Et si insistas; hinc saltem inferri non peccare mortaliter pœnitentem, qui sibi mortale imponat, si rursus addat se jam illud fuisse confessum. Probatur sequela: nam ideo non peccat mortaliter, qui sibi aliquod veniale falso in confessione imponi, quia peccatum veniale non est materia necessaria confessionis; sed etiam peccatum mortale semel confessum non est materia confessionis: ergo sicut mortaliter non peccat, qui aliquod veniale a se non factum confitetur; ita nec mortaliter peccabit, qui sibi falso in confessione imponit aliquod mortale, dummodo addat esse ex jam confessis. Si id, inquam, objiciatur, adhuc persistendum est in resolutione proposita, quæ debilitari non debet ex additione novi mendacii: istud namque efficere non valet, quod materia prius, et de se gravis reddatur levis: peccatum autem mortale est de se materia gravis in ordine ad sacramentum, et judicium confessarii, ut ostensum est: ergo per hoc, quod novo mendacio dicatur esse jam confessum, non desinit esse materia gravis: et consequenter de illo confiteri, et se accusare erit mortale peccatum. Et sic in summa respondent, quamvis contrarientur in verbis. Lugo disp. 14, num. 125, et Dicastillo loco cit. num. 57. Ad probationem autem sequelæ constat ex hactenus dictis: nam quod quis peccet, aut non peccet graviter apponendo in confessione materiam aliquam ineptam, ut sunt peccata, vel quæ non fecit, vel de quibus non dolet, non regulatur penes hoc, quod sit materia necessaria, aut voluntaria, sed penes hoc, quod sit materia gravis, aut levis: ex terminis autem constat peccatum veniale esse materiam levem, et peccatum mortale esse materiam gravem: ergo confiteri peccatum veniale, vel non factum, vel non conjunctum dolori, si adsit alia materia apta pro sacramento, non est peccatum mortale; sed e contra mortale est fingere aliquod mortale pro materia, licet fingatur etiam confessum.

Instantia.

Solut. instantiæ.

§. III.

Alia dubiola circa propositum requisitum pro confessione venialium.

143. Consequens est, dicamus de proposito vitandi venialia, quod pro eorum remissione in sacramento pœnitentiæ requiritur. Et requiri supponimus: quia nequit dari dolor de peccatis absque proposito illa in futurum vitandi: quippe dolens, detestansque aliquod malum, illud, quantum fieri potest, præcavet juxta quantitatem detestationis, et odii; aliter enim non vere pœnitere, et odisse illud convinceretur. Unde sic communiter sentiunt, et supponunt Doctores, quos refert, et sequitur N. Franciscus tract. 6, cap. 5, punct. 4, num. 52. Prædictum autem propositum aliquando est expressum, et formale, distinctusque proinde actus a dolore; aliquando vero solum est virtuale, et in ipso dolore implicitum, ut immediate dicta satis evincunt, et non semel contingit, cum quis non advertens ad peccata futura, attendit ad præterita, et de illis vere dolet: sic enim tunc dispositus est, quod si futura cognitioni occurrerent, proponeret expresse illa vitare; quod satis esset

ex

ex parte propositi ad valorem sacramenti, cum non minus communi sententia docet idem Auctor loco cit. num. 54. Nec veritati, ac valori hujus propositi obest, quod illud habens, et cum eo ad confessionem venialium accedens timeat, existimetque se postea illa non vitaturum, et de eis in posterum vitandis deficiat : hic namque timor, et quasi desperatio cohærent cum voluntate actuali, quantum est de se, efficaci, non committendi venialia, de quibus dolet : quippe talis voluntas excludit actualem affectum peccandi, quod pro valore simul, et fructu hujus sacramenti requirit Concil. Trid. sess. 14, c. 4. Nec id peculiare est in confessione venialium, in quæ frequentius labimur, sed etiam extenditur ad mortalium confessionem : nam pessime assuefactus aliquibus peccatis mortalibus ; v. g. delectationibus morosis, cum hæc rite confitetur, solet prudenter timere futuram reincidentiam, et diffidere de futura, et continua resistentia: quibus non obstantibus dolet de præteritis, et firmiter decernit illa in futurum, quantum in se fuerit, vitare cum divinæ gratiæ adjutorio : et his positis confici verum sacramentum docet communis sententia apud eundem Auctorem n. 53, et alios plures Doctores, quos ipse refert.

Hæc omnia sunt tam confessioni mortalium, quam confessioni venialium communia : sed inter illas aliquæ differentiæ non minus communiter observantur. Prima, quod in mortalibus propositum illa vitandi debet ad omnia, nullo excepto, extendi ; id vero in venialibus non requiritur. Et ratio satis constat ex hactenus dictis in hoc Tract. et insinuatis § præcedenti : quia unum mortale non est remissibile sine aliis : quippe nullum excluditur nisi per gratiam sanctificantem ; et hæc cum datur, expellit cuncta, ob insuperabilem cum omnibus, et singulis repugnantiam, Quod motivum non occurrit in venialibus : sunt enim prædictæ gratiæ compossibiles, nec expelluntur per illam, prout in habitu existentem, sed quatenus actum exerit eisdem oppositum. Unde cum talis actus queat dirigi in una, aut aliqua, et non in omnia, fit posse quædam venialia remitti aliis remanentibus. In confessione itaque mortalium requiritur universale propositum vitandi omnia : sed id non requiritur in venialium confessione, sicut de eorundem dolore diximus §. præcedenti. Secunda est, quod licet in confessione, tam mortalium, quam venialium requiratur verum propositum vitandi illa, quæ in confessione exponimus, et pro materia absolutioni submittimus : nihilominus non requiritur, quod propositum vitandi venialia sit ita firmum, sicut propositum vitandi mortalia : idemque debet dici de proposito vitandi occasiones in istorum, et illorum materia. Nam cum peccatum mortale sit majus incomparabiliter animæ malum, magis deterrens, et non ita frequenter materiam deficiendi, et tentandi offerens ; ex hoc ipso facilius nobis est concipere firmius propositum illud non committendi. Peccatum autem veniale levius longe malum est, minorem sui horrorem inducens, illudque admittendi plurimæ sunt occasiones. Unde cum majori difficultate proponimus illud præcavere. Et ob hanc inter illas diversitatem, conniventibus communiter Doctoribus, possunt confessarii facilius absolvere pœnitentem, frequenter relapsum in eadem venialia. quæ confitetur, quam si in mortalia cum minori frequentia relaberetur. Quia prudenter judicare possunt reincidentiam in venialia non oriri ex defectu veri propositi, quam pœnitens habeat dum illa confitetur ; sed procedere ex multitude occasionum illa patrandi, et ex minori horrore, quem ob minorem gravitatem, cum occurrunt illæ occasiones, inducunt. Quæ motiva excusationis non occurrunt in eo, qui in eadem mortalia post repetitas confessiones frequenter relabitur : unde rationabiliter præsumitur non habuisse, nec modo cum ad confessionem accedit habere verum de emendatione propositum.

144. Sed occasione hujus ultimæ differentiæ, et pro ejus majori declaratione inquires, an, et quomodo possimus concipere verum propositum non peccandi venialiter, ut tam intra, quam extra sacramentum non semel accidit in personis præsertim valde perfectis ? Nam concipi non valet verum propositum erga illud, quod apprehenditur impossibile. Porro impossibile esse, et impossibile cognosci, quod homo tota vita non peccet venialiter, satis efficaciter colligitur ex Concilio Tridentini sess. 6, can. 23, diffiniente : « Si quis ho- Concil. Trid.

« minem semel justificatum dixerit posse « in tota vita peccata omnia, etiam venia- « lia vitare, nisi ex speciali Dei privile- « gio, quemadmodum de B. Virgine « tenet Ecclesia, anathema sit.» Nullum ergo verum aut absolutum, aut efficax propositum vitandi omnia venialia habere possumus. Et si id tentaremus, arrogantiæ, stultitiæ, et erroris, supposita doctrina Concilii, possemus argui. Et confirmatur, quia votum vitandi omnia venialia per totam vitam invalidum, et nullum est, utpote de re impossibili in communi, et præsenti providentia, et cum aliis plurimis docet N. Andreas tract. 17, de voto, cap. 1, punct. 3, n. 80. Ergo idem, ob eandem rationem de simili proposito dici debet.

Confirmat.

Nec satisfacit, si respondeatur cum aliquibus, quod licet homo non possit vitare omnia venialia per totam vitam, aut longum vitæ spatium, potest tamen vitare omnia venialia, quæ in confessione exponit : hæc enim nunquam sunt omnia possibilia, aut futura per tale tempus : ad valorem autem sacramenti, in quo venialia exponuntur, non requiritur, nisi propositum vitandi illamet peccata, de quibus pœnitens se accusat, ut num. præced. observavimus.

1 satisfact. rationis.

Id, inquam, minime satisfacit ; quia, et si doctrinam veram contineat, a difficultate tamen objecta divertit, et propositæ non occurrit, an scilicet possimus vere proponere non peccare in posterum venialiter, ut plane contingere videtur, cum dolemus, et proponimus illa ipsa, quæ confitemur vitare ex motivo universali ad omnia se extendente, utputa vitandi Dei offensam : istud namque comprehendit non solum quæ de facto confitemur sed omnia alia, quæ possunt occurrere.

Rejicitur satisf.

Nec iterum satisfacit, si cum aliis respondeatur, quod licet moraliter sit impossibile vitare omnia venialia per longum tempus : est tamen possibile physice, nec enim ad id desunt arbitrio vires : quæ possibilitas physica, sicut sufficit, ut homo teneatur vitare omnia venialia, sic etiam sufficit, ut vere proponat illa vitare ; quamvis ob impossibilitatem moralem certum sit, quod in aliquo eorum deficiat. Hoc, inquam, non satisfacit, sed efficaciter refellitur ex dictis Tract. 14, de Gratia, disp. 2, dub. 5, n. 191, et dub. 6, num. 229, (quæ lector recolat) ; nam impossibilitas moralis contraposita potestati physicæ ad aliquid faciendum, non est aliud, quam ingens difficultas exequendi illud : dicit autem non potest, quod homo solum habeat magnam, aut maximam difficultatem non autem impotentiam ad vitandum omnia venialia per totam vitam : ergo prædicta responsio sustineri non debet. Probatur minor, tum ex Concilio Tridentino, quod in verbis relatis anathematizat dicentem hominem justificatum posse sine speciali privilegio evitare omnia venialia per totam vitam : nam ly *posse* non negat maximam difficultatem, sed solum designat potentiam absolute ex parte virium. Tum etiam, quia ubi dantur sufficientes vires ex parte principii ad aliquem actum officium communis, et suavis providentiæ divinæ est removere obstacula, principiumque ab obsistentibus difficultatibus expedire, ut in actum suis viribus proportionatum erumpat, saltem in aliquibus individuis, et sic ejus virtus appareat ; sed nullus hactenus (excepta B. Virgine ob speciale privilegium) vitavit per longum tempus omnia venialia : et oppositum dicere adversaretur diffinitioni Concilii : ergo signum est, quod hoc nec ex se, nec ex communi gratia habet vires physice, sive absolute sufficientes ad vitandum venialia per longum tempus ; tum præterea, quia vel gratia communis dat vires sufficientes ad superandas eas difficultates, in quibus sita asseritur illa moralis impossibilitas, vel non ? Si primum : ergo non solum physice, sed etiam moraliter potest homo vitare omnia venialia ex gratia communi ; siquidem per illam superantur difficultates. Si secundum : ergo nec moraliter, nec physice valet homo omnia venialia vitare, cum, nec moraliter, nec physice habeat vires ad superandas difficultates, quibus non devictis impossibile est in actum vitandi venire. Tum denique (et est ratio a priori desumpta ex D. Thoma 1, 2, quæst. 109, art. 8, et quæst. 24, de Veritate, art 12,) quia gratia communis nec extinguit, nec ligat fomitem, sive appetitum sensitivum : ipse vero non ligatus nec extinctus seminarium est innumerabilium motuum contra rationem, eam obnubilantium, et allicientium ad malum, pro quibus superandis absque ullo levi defectu

Alia evasio

Impugnatio evas.

ectu requiritur continua vigilantia, atque dvertentia ad omnes circumstantias hinc nde occurrentes ; et gratia impotens exinguere, aut non ligans fomitem non præstat vires sufficientes ad continuo vigiandum, attendendumque ad omnes circumstantias, et propulsandum omnem nconsiderationem, sive inadvertentiam evem : ergo homo neque a virtute proria (quod ex se liquet) nec ex gratia ommuni habet vires vel moraliter, vel hysice sufficientes ad nunquam peccanum venialiter per longum tempus, ut atis plane docet Concilium sincere, et sine iolentia intellectum.

145. Omissis itaque prædictis responionibus ut insufficientibus, respondetur ; ominem posse elicere, habereque verum ropositum circa ea, quæ potest facere iribus vel propriis, vel gratiæ commuiter datæ: circa ea namque, quæ sub nosra facultate cadunt, vere, et firmiter posumus statuere. Porro certum est nos iribus propriis, aut gratiæ posse omnia, uæ tenemur facere, et quæ non faciendo eccamus : quippe ubi deest potestas ad liquid, ibi ejus omissio libera non est, ed necessaria, ac perinde non peccamiosa. Unde ipsum peccatum, et obligatio llud vitandi manifestant, quod potestaem habeamus ad ipsum vitandum, et quod ere, et absolute possimus, ac debeamus d ipsum proponere. Peccamus autem, non uod omnia collective peccata per longum empus non vitemus : neque enim datur num particulare præceptum omnia colective vitandi : sed peccamus, quia singua prout occurrunt, et sub lege cadunt, on vitamus : lex namque illa non in ommuni prohibet, sed in particulari uxta particularem uniuscujusque materiam, et prout in particulari occurrunt, t contingit in omnibus actibus. Unde conluditur, quod licet non possimus omnia enialia collective per longum tempus viare, ut testimonium Concilii, et rationes roxime propositæ satis evincunt; possimus amen vitare unumquodque illorum, prout le facto occurrit. Et licet infallibile sit, uod in aliquo deficiamus ; nullum tamen st designabile, pro quo vitando non habeamus vires sufficientes, et quod proinde itare non possimus, et debeamus. Inde tiam fit, quod, cum propositum commensuretur viribus ; possimus verum, et firmum concipere vitandi sine ulla exceptione omnia peccata divisive, prout in particulari occurrunt, et lege prohibentur. Propositum vero terminatum ad collectionem eorum, sive ad omnia collective, in nullo, adhuc vage, deficiendi, stultum foret : quia circa illa sumpta nulla datur lex, nec ipsa sic sumpta aliquando occurrunt : atque ideo foret propositum de re non supponente. In hoc itaque sensu admittimus, quod quis juxta communem, ac præsentem providentiam valeat vere, et firmiter proponere vitare omnia peccata venialia absolute, et sine termino ; omnia, inquam, divisim, et singillatim prout occurrunt, et lege prohibentur ; non tamen copulative, et simul, quo pacto nec occurrunt, nec respiciuntur a lege. Et quamvis contra præmissam resolutionem possint plures replicæ formari, in eis proponendis, et extricandis non oportet immorari, quia id fecimus in propiis locis supra relatis, ad quæ lectorem remittimus.

Unde ad confirmationem objectæ difficultatis respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam. Et disparitas inter votum, et propositum est, quod votum, ut prudenter fiat, et consequenter obliget, respicit objectum cum majori determinatione, utputa, quod non sit admodum difficile, nec afferat certum in eo deficiendi periculum. Quamvis autem possibile sit vitare omnia venialia per se, et divisive sumpta, prout occurrunt ; nihilominus id est valde arduum, et aliunde infallibile est, quod homo per longum tempus in aliquo deficiat. Unde imprudenter, et invalide ageret, qui voveret non peccaturum venialiter per totam vitam, ut bene expendit N. Andreas loco citato. Sed propositum respicit objectum cum minori determinatione, sed potius absolute possibile, et nullam supra materiam alias præceptam inducit obligationem : unde imprudens non est, sed magis obligatorium, quod quis firmiter, ac ex vero animo proponat vitare omne veniale peccatum, quamvis difficillimum id sit, aut infallibile, quod non erit. Unde aliqui dicunt ad legitime vovendum requiri spem de futuritione rei, quam promittimus : ad verum autem propositum non requiri spem, sed sufficere possibilitatem absolutam, ut declaratur exemplo D. Petri, qui a Christo

monitus de sua negatione futura, poterat, et debebat nolle efficaciter tale peccatum, et proponere se illud non commissurum; quamvis crederet, ut debuit, aliter tandem futurum esse. Declaratur etiam juxta communem Doctorum sententiam, qui id extendunt ad peccata mortalia, asserentes non esse contra veritatem, et firmitatem propositi requisiti ad valorem, et fructum sacramenti in mortalium confessione, quod pœnitens credat, et vehementissime timeat se postea peccaturum, et in eo proposito non permansurum : adhuc namque potest de præsenti oppositum efficaciter proponere, et quandiu ita se gerit, non potest, tanquam indispositus a suscipienda absolutione repelli. Idem itaque in proposito vitandi omnia venialia contingere potest.

146. Ex præmissa vero resolutione alia quæstio suboritur difficilior, an videlicet, cum pœnitens de suis peccatis dolet, et proponit evitare sub unico, et ex unico motivo, si post debitum dolorem, et propositum committat ante absolutionem aliquod peccatum veniale, amittat debitam partem, et dispositionem pro sacramento, debeatque proinde novum, et dolorem, et propositum adhibere ? Verbi causa, Petrus recogitata multitudine, et gravitate suorum omnium peccatorum, tam mortalium, quam venialium, doluit simul, et de omnibus propter unicum motivum nobilissimum, quod omnia prohibita fuerint a Deo, ipsumque offendant : et cum eodem dolore simile propositum concepit statuendo nullam unquam admittere Dei offensam : qui casus, nec impossibilis est, nec infrequens in perfectissime contritis, quibus Deus manifestat, quam absurdum sit ipsum offendere, ponereque ante ejus conspectum, quod illi displicet, et ab ipso reprobatur. Sic dispositus accessit Petrus ad sacramentum pœnitentiæ : sed antequam absolveretur incidit in aliquod peccatum veniale vanæ gloriæ, aut verbi otiosi. Dubitari valet, an præcedens doloris, et propositi dispositio revocetur, indigeatque novo dolore, et proposito ? Ratio autem dubitandi levis non est ; quia actus præcedentes doloris, et propositi dependebant essentialiter a suo objecto formali motivo, quod supponitur fuisse unica, et sola ratio divinæ offensæ : destructo autem, aut variato objecto formali alicujus actus, nequit non ipse destrui, atque variari, quippe, qui a tali objecto speciem mutuatur, ut inductive potest ostendi : ergo cum per commissionem cujuscumque peccati incurratur divina offensa, et destruatur, aut varietur motivum præmissum non peccandi, quia peccatum Deum offendit ; palam convinci videtur, quod in casu proposito cesset doloris, et propositi dispositio, et alia ex alio motivo sit de novo necessaria. Potestque id amplius confirmari : nam si quis confiteatur sola, et plura mortalia cum dolore, et proposito ortis ex motivo vitandi pœnam inferni, et ante absolutionem incidat in aliquod unum, et minimum mortale : ex hoc ipso cessat anterior dolor, et propositum circa alia, et nequit ab his absolvi absque nova dispositione : ergo idem, et ob idem motivum dicendum est in priori casu.

Pro hac difficultate diluenda conveniunt communiter Auctores in consulendo, quod pœnitens doleat (idem dicunt de proposito) seorsim de mortalibus, et seorsim de venialibus secundum eorum diversam gravitatem, et differentem modum Deum offendendi, idemque consulunt de diversis eorum speciebus intra genus, aut mortalium, aut venialium : sic enim vitatur objectum inconveniens. Nam cum motiva doloris, et propositi adeo distinguantur ; non sequitur, quod ex uno peccato, et defectu in ejus motivo, evertatur, aut varietur motivum doloris circa alia : sed fieri, et cohærere optime potest, quod exclusis dolore, et proposito circa unum peccatum, perseverent circa aliud vel genere, vel specie intra idem genus, distinctum. Sed quamvis ita consulant, tamen addunt aliqui non debere in dubium revocari valorem sacramenti, licet non adhibeatur talis cautela, quin id afferat plurimos scrupulos tam pœnitentibus, quam confessariis, qui obligationem haberent admonendi pœnitentes de renovando immediate ante absolutionem dolore. Quod cum non faciant, ex ipsa praxi, quæ est optima legum interpres, desumitur argumentum, quod in casu proposito, quamvis cesset dolor, et propositum circa unum peccatum, possint remanere dolor, et propositum circa alia, atque ideo, et dispositio sufficiens ad valorem, et fructum sacramenti. Idque ratione fundant : quia licet unus, et sub universali motivo

motivo sit universalis dolor de omnibus peccatis, nihilominus non terminatur ad omnia æqualiter, sed inæqualiter juxta majorem, aut minorem illorum gravitatem : nam pro majori peccato requiritur major dolor saltem appretiative, ut et nos ipsi docuimus supra n. 71, et seq. Quocirca licet aliquis cum eodem contritionis motu doleat de omnibus peccatis, tam mortalibus, quam venialibus, tamen multo magis dolet de illis, quam de istis ob longè majorem illorum, quam istorum gravitatem. Et consequenter, etsi post illam universalem contritionem commiserit aliquod peccatum veniale ; non propterea censendus est, quod defecerit in dolore, et proposito erga mortalia ; sed magis, quod in eisdem perseveret. Idemque censent ubi sola venialia in confessione exponenda terminant dolorem, et propositum sub eodem motivo : quia hoc non obstante sunt inæqualis gravitatis, et per dolorem, et propositum magis detestamur graviora quam leviora. Unde ex lapsu in aliqua venialia non revocantur dolor, et propositum circa omnia ; sed ad summum circa æqualia, et leviora; retinentur tamen circa graviora : et propterea ex defectu doloris, ac propositi circa illud particulare, aut illi æqualia, aut eo inferiora; non est dicendum sacramentum irritum circa alia graviora ob defectum dispositionis : præsertim cum quædam venialia tam intra, quam extra sacramentum remitti valeant, aliis non remissis. Et si prædictis Auctoribus objiciatur exemplum mortalium, supra insinuatum; respondent consequenter, quod deficiente dolore, et proposito circa unum mortale, perseverant dolor, et propositum erga alia mortalia, ut in venialibus theologizant : sed deficit dispositio pro mortalium confessione requisita : nam per peccatum mortale levius, cui homo de novo adhæret, ponit obicem sacramenti valori, et fructui. In confessione autem venialium sufficit, quod remaneant dolor, et propositum circa graviora, quæ dantur pro materia : quia istorum remissioni non opponitur carentia doloris, et propositi circa alia ; cum possint partialiter remitti. Hæc quasi ad litteram, sed compendiose transcripsimus ex Lugone, qui primus ex his, quos viderimus, hanc adhibuit propositæ quæstioni responsionem disp. 14, sect. 9, a num. 144. Eidemque subscribunt communiter Recentiores, Dicastillo disput. 6, dub. 18, num. 322, et alii : et ex nostris Antonius disput. 3, sect. 15, num. 201, et Franciscus cap. 5, punct. 4, num. 56.

147. Sed putamus exigere accuratius examen. Et probamus in primis consilium renovandi dolorem, ac propositum : est enim securum, et salubre, et forte in aliquibus necessarium. Probamus etiam, quod ultimo loco dicitur de insufficientia doloris, ac propositi erga aliqua peccata mortalia, rescissis circa aliud, aut alia, in quæ homo post universalem dolorem, et propositum labitur : manifestum namque est requiri pro sacramento pœnitentiæ novum dolorem de novo gravi peccato. In his convenimus cum prædictis Auctoribus. Ceterum in eorum responsione reperimus non pauca difficilia, et falsitati obnoxia. Et primo loco non videtur satisfacere propositæ quæstioni, quæ supponit dolorem universalem omnium peccatorum tam mortalium, quam venialium processisse ex unico, ac indivisibili motivo vitandi offensam, et displicentiam Dei in quolibet peccato. In qua hypothesi videtur necessario fatendum rescindi adæquate tale motivum per commissionem cujuslibet peccati, atque ideo non relinqui dolorem, et propositum erga alia : ubi enim motivum, sive ratio sub qua consistit in indivisibili, destructa circa unum objectum, destruitur circa omnia, ita quod circa nullum exerceri valet. Ex quo principio colligunt communiter Theologi eum, qui negat unum vel minimum nostræ fidei mysterium, non retinere prædictam fidem circa alia : quia motivum credendi est unicum, nempe testimonium Dei dicentis ; quare qui ei negat assensum in aliqua materia, licet de se levissima, ut quod canis Tobiæ caudam habuerit, convincitur nihil credere propter Dei testimonium, sed vel non credere, vel credere ob aliud motivum, ut cum communi sententia statuimus, et probavimus Tract. 17, de Fide, disp. 8, dub. 3. Cum ergo supra posita difficultas procedat ex suppositione, quod propositum universale vitandi omnia peccata processerit ex unico, et indivisibili motivo offensæ, et displicentiæ divinæ, quæ in omnibus, et singulis peccatis occurrit : sequitur quod per quodlibet peccatum rescindatur, et non maneat circa alia. Quod

amplius declaratur præcludendo Lugonis effugium : nam casus præsens procedit erga propositum conceptum ob præcisam rationem offensæ Dei abstrahendo a majori, et minori, a gravi, et levi peccato, ita quod nulla habita ratione, aut reflexione ad comparationem peccatorum inter se, elicitum fuerit propositum vitandi omnia peccata, quia important Dei offensam, in qua ratione cuncta conveniunt. Hoc autem motivum evacuatur, et cassum redditur per admissionem cujuscumque peccati : ergo ubi istud succedit, impossibile est tale motivum erga peccata permanere, et subinde propositum ex tali motivo conceptum. Alias homo aversus foret a motivo vitandi divinam offensam, et simul ad idem motivum conversus : quod implicat contradictionem.

Hujus impugnationis aculeos præsensit Dicastillo loco citato, et ingenue fassus est num. 324 non posse ab illa expediri, quin admittat propositæ quæstionis suppositionem, nempe motivum universale propositi vitandi omnia peccata esse simpliciter unum, et indivisibile. Quare negat esse moraliter possibile, quod quis concipiat propositum vitandi omne peccatum abstrahendo a gravi, et levi : nam quamvis ad utrumque genus offensæ detestandum unico actu feratur ; non tamen ita fertur, quin semper adsit saltem implicite, et virtualiter comparativa detestatio, major videlicet de majori, et minor de minori peccato : et consequenter ablatis detestatione, et proposito erga venialia, possunt adhuc permanere erga mortalia. Qui discursus nobis arridet, illumque ex D. Thoma firmavimus supra num. 76. Quare etiam censemus repugnare, quod quis æqualiter doleat de peccato veniali, ac de mortali, et quod ita firmiter proponat non peccare venialiter, ac mortaliter. Nam cum mortale sit simpliciter gravis offensa Dei, et, ut censemus, et suo loco statuimus, simpliciter infinita in æstimatione prudenti ; e contra veniale sit offensa levis, et secundum quid ; et dolor debeat esse, saltem appretiative juxta merita objecti : fieri non valet, quod homo, nisi stultus sit, non magis doleat de peccato mortali, quam de veniali, licet de utroque eodem actu doleat. Et similiter cum longe difficilius sit vitare omnia venialia, quam sola mortalia, ob majorem illorum multitudinem, et quia minori deliberatione committantur, ut constat ex dictis a num. 144, fit hominem hæc intelligentem, ut omnes ipsa experientia satis intelligunt, non posse formare propositum ita firmum vitandi venialia, sicut vitandi mortalia. Unde etiam fit, quod licet eodem actu, et ob idem expressum motivum vitandi Dei offensam proponat homo nullo modo peccare mortaliter, aut venialiter ; tamen hoc propositum principalius, et firmius referatur in mortalia ; in venialia vero minus principaliter, et cum minori firmitate, et quasi ex consequenti. Fit ulterius, quod si post illud propositum homo labatur in aliquod veniale, non propterea revocet propositum circa mortalia, quia de his erat principaliter, et permanet principale illius motivum. Fit denique relinqui in tali eventu sufficientem dispositionem pro valore, et fructu sacramenti, confessoresque non immerito parvipendere, seu non curare, quod pœnitens denuo concipiat alium dolorem, et propositum, pro certo reputantes, ut possunt, ex violatione alicujus venialis non cessasse propositum, et dolorem erga mortalia. Et hanc partem damus Lugoni, quæ vere sufficit pro diluendo punctum principale objectæ difficultatis.

148. Ceterum alia in ejus responsione occurrunt admodum difficilia, aut plane falsa. Et primo loco ; quod præmissam doctrinam extendit ad venialia inter se collata : nam, si quis proposuit vitare venialia omnia ex eodem motivo non inducendi Dei offensam, et displicentiam, et in aliquod postea lapsus sit ; non propterea, inquit Lugo, amittit dolorem, et propositum erga alia : idque confirmat ex doctrina immediate tradita de dolore, et proposito erga omnia complectendo venialia, et mortalia : quæ, si in aliquo veniali deficiant, perseverant tamen in ordine ad mortalia, et deservire absque renovatione possunt mortalium confessioni. Sed exemplum non convincit, et conclusio illi innitens incertissima videtur : nam cum mortalia quasi infinite distent a venialibus ob motiva proxime assignata ; facile intelligitur, quod dolor, et propositum, quæ in aliquo, aut aliquibus venialibus deficiunt, perseverant absolute erga mortalia, et sufficiunt pro illorum confessione. Sed omnia venialia conveniunt simpliciter in ratione

ratione offensæ Dei, quæ est talis secundum quid : unde violato, vel per unum veniale motivo communi vitandi talem offensam, ex quo processerunt dolor, et propositum erga omnia, non apparet, quomodo circa aliqua possint conservari, et pro eorum confessione sufficere. Unde securius in tali casu foret novum dolorem ex motivo magis limitato adhibere, idque consilium censemus, non solum salubre, sed necessarium.

Quod, si dicatur (et respondet Lugo) in genere, sive intra lineam venialium reperiri inæqualitatem ; quippe quædam sunt aliis graviora, vel minus gravia ; et inde fieri, quod licet deficiat dolor, et propositum in uno, non intelligatur propterea deficere circa alia graviora, sed solum circa minus gravia, aut æqualia : unde consequenter dolor, et propositum, quæ præcesserunt, non perseverant erga æqualia, et inferiora, nec poterant ad eorum confessionem deservire ; perseverabunt autem pro gravioribus, deservientque illorum confessioni. Si id, inquam, dicatur, quis non videat summam dictorum incertitudinem, et superfluum esse in ea magis detergenda immorari ? Sed tamen, vel ab uno capite eam ostendamus. Nam, si dolor, et propositum erga venialia ex uno motivo communi, ubi postea unum veniale committitur, revocantur erga æqualia, et inferiora, perseverant vero circa graviora ; ideo esset, quia sic exposcit eorum inæqualitas : id vero esse falsum liquet, quia illa inæqualitate non obstante, potest dari dolor circa leviora, et deficere circa magis gravia. Demus propositum, et dolorem fuisse erga omnia venialia ex uno motivo non offendendi Deum : demus postea hominem commisisse unum peccatum veniale ; v. g. mendacium officiosum, quo minora sunt alia venialia ; v. g. aliquis excessus in potu, verba superflua, inutiles imaginationes, etc., alia vero sunt eo majora, utputa aliquæ detractiones, imaginationes turpes non cito repulsæ, furta levia. In qua comparatione juxta Lugonis doctrinam eo ipso dolor, et propositum cessant circa minora, et manent erga majora. Et tamen, vel ipsa experientia testante, potest qui officiose mentitur, habere explicitum odium erga illa minora statuendo illa non committere, et e converso affici ad majora, illaque actu committere : ergo falsum est, quod dolor, et propositum erga omnia cesset, aut perseveret juxta majorem, aut minorem gravitatem venialium comparative ad illud, quod post dolorem, et propositum ex universali motivo committitur. Causa hujus deceptionis fuit attendere ad solam majorem, aut minorem malitiam venialium ex parte objecti, et omittere attentionem erga aliam radicem longe diversam, et magis considerandam, nempe ad majorem, aut minorem adhæsionem ad venialia ex parte subjecti. Constat namque homines juxta varias eorum complexiones, inclinationes, et assuefactiones affici magis, aut minus ad venialium objecta, sive respectu ad majorem, vel minorem eorum gravitatem. Plus enim aliqui afficiuntur ad excessum in potum, quam ad mentiendum ; et e converso aliqui plus afficiuntur ad furandum levia, quam ad verba scurrilia, et sic de aliis. Quamdiu autem manet hæc adhæsio non tolluntur peccata venialia, ut perpetuo docet D. Thomas, et satis insinuavit in hac 3 p. quæst. 87, art. 2, in corp. ait : « Peccatum veniale non contra- « riatur habituali gratiæ, vel charitati : « sed retardat actum ejus, in quantum ni- « mis inhæret homo bono creato, licet non « contra Deum, ut in secunda parte (1,2,q. « 88, art. 1.) habitum est. » Et in resp. ad 3, addit: « Ad tollendam maculam venialis « peccati requiritur aliquis actus procedens « ex gratia, per quam removeatur inordi- « nata adhæsio ad rem temporalem. » Cum ergo hæc inordinata adhæsio non commensuretur malitiæ objectivæ in materia peccatorum venialium, sed ex aliis capitibus desumatur ; perperam asseritur, quod, ubi quis incidit in aliquod veniale, decidit a proposito, et dolore erga æqualia, aut minora, sed illa retinet erga majora. Potest enim fieri, quod magis afficiatur ad majora, quam ad minora ; et e converso, ut facile consideranti constabit, et cito ostenditur, vel unico exemplo, si quis de se magis afficiatur ad furta levia, quam ad bibendum aquam cum aliquo excessu ; plane illud objective gravius est isto : et tamen, si post universale vitandi omnia venialia propositum peccet venialiter in potione aquæ, minime retinet propositum vitandi furta, ut Lugo censet : quia multo magis hærebat furtis, quam

D.Thom.

potioni : atque ideo si non retinetur propositum circa hanc, multo minus retinebitur circa illa.

149. Sed veniamus ad aliam partem comparationis penes majorem, aut minorem gravitatem peccatorum intra genus mortalium, ubi occurrunt majores, et evidentiores absurditates. Doluit quis de omnibus mortalibus, et proposuit efficaciter illa vitare ex aliquo uno, et universali motivo : sed postea antequam confiteretur, incidit in aliud mortale novum. Remanent dolor, et propositum, quæ præcesserunt, vel penitus destruuntur ? Respondet Lugo destrui erga peccata æqualia, aut inferiora; manere autem erga majora. Verbi causa peccaverat quis mortaliter per desideria turpia, per fornicationem simplicem, per adulteria : doluit postea de illis, et proposuit ea vitare ex unico motivo gravis offensæ Dei omnibus communi : sed tamen post hæc incidit in fornicationem. Juxta Lugonis discursum, et doctrinam, talis homo amittit dolorem, et propositum erga turpia desideria, quæ sunt levius fornicatione peccatum ; sed retinet dolorem, et propositum erga adulterium, quod est peccatum gravius : quoniam, ubi quis delinquit in uno, præsumitur non respuere æqualia, aut minora ; sed non præstat fundamentum, ut præsumamus admittere etiam atrociora, cum ista magis retrahant: atque ideo præsumere debemus, quod dolor, et pristinum propositum perseverent erga illa, etiam post aliquod minus grave commissum.

Hæc vero esse absurda constat ex dictis in non absimili venialium comparatione, et utrobique deseritur suppositio quæstionis, ubi recurritur ad objecta diversa penes majorem, aut minorem peccatorum intra idem genus gravitatem. Sed efficacius immediate dicta refelluntur : nam supponamus pro confessione omnium illorum peccatorum, quæ referuntur, hominem habuisse perfectum dolorem, et propositum in perfecta conditione ordinata ad sacramentum, et quod ante susceptionem sacramenti in fornicationem inciderit. In talu casu dici nequit revocari dolorem, et propositum circa fornicationem, et peccata æqualia, aut minora, ut sunt turpia desideria ; permanere autem pro adulterio. Tum quia in tali casu dolor, et propositum fuerunt ipsa contritio perfecta : de qua nullo modo dici valet, quod permaneat in eo, qui post ipsam incidit in peccatum mortale. Tum etiam, quia contritio importat essentialiter conversionem ad Deum ultimum finem super omnia ex charitate dilectum : sed eo ipso, quod quis incidat in peccatum, dici non valet, quod retineat ullam conversionem in Deum finem ultimum dilectum super omnia ; cum potius quodlibet peccatum avertat a tali objecto, et fine : ergo, qui post contritionem incidit in grave peccatum. totaliter destruit contritionem, et subinde nullo modo conservat dolorem, et propositum circa majora peccata. Tum præterea, quia si dolor, et propositum contenta in antecedenti omnium peccatorum contritione, permanerent etiam commissa fornicatione in ordine ad alia peccata graviora, ut adulterium, etc. vel permanerent in se, vel in aliquo alio : et neutrum dici potest. Non primum, quia non habebant aliud esse in se, quam in contritione : et hæc adæquate destruitur per sequens peccatum mortale. Nec secundum, quia nec contritio, in qua ipsa includuntur, manet virtualiter in aliquo alio a se distincto : alias perfecta contritio formaliter exclusa per peccatum conjungeretur virtualiter cum ipso: et licet non justificaret formaliter, justificaret tamen virtualiter : quæ omnia sunt chymerica, et plane contradictoria. Præterquam quod non est assignabilis ullus effectus, in quo profecto contritio, et dolor, ac propositum in illa inclusa, possunt virtualiter permanere in ordine ad graviora peccata.

Confirmatur : quia si in casu proposito dolor, et propositum imbibita in contritione perfecta de omnibus peccatis, etiam post subsecutam fornicationem permanerent in ordine ad adulterium, et alia graviora delicta, possent utique deservire pro sacramentali illorum absolutione, nec opus esset alio dolore, et proposito erga talia peccata : consequens est absurdum, et contra communem praxim confessariorum, et pœnitentium : ergo antecedens sustineri non potest.

Respondet Lugo negando sequelam : quia licet talis dolor, et propositum essent de se sufficiens dispositio pro sacramentali remissione illorum peccatorum magis gravium

vium, in quæ referuntur, et pro quibus conservantur ; aliunde tamen non sufficiunt absolute : quia dolor sacramento deserviens debet esse universalis erga omnia peccata gravia : hic autem supponitur, quod cessaverit dolor erga alia peccata mortalia minora. Sed minime satisfacit, nec ab objecto inconveniente declinat. Primo, quia perfecta contritio est dolor universalis de omnibus peccatis ; sed perseverat dolor contritionis perfectæ in ordine ad peccata graviora ; siquidem pro illis perseverant dolor, et propositum, quæ in contritione perfecta includuntur ; ergo perseverat dolor universalis omnium peccatorum. Et oppositum dicere est petere principium, et procedere inconsequenter. Secundo, nam esto, quod non perseveret dolor universalis (si perseverat dolor) sed solum particularizatus ad illa graviora peccata : tamen pro minoribus posset elici alius dolor particularis juxta peculiares eorum deformitates, ut est frequens apud illum Auctorem doctrina : atque ideo dolor ex isto, et illo coalescens foret universalis, et adæquatus, qualem sacramentum requirit : ergo tribuendo singula singulis verificatur, quod pro remissione adulterii in sacramento, sufficit contritio, cui peccatum fornicationis succedit, ante quam ipse contritionis dolor supponebatur ; et pro remissione fornicationis, et aliorum similium, aut inferiorum sufficiet attritio de eisdem peccatis ex particulari motivo juxta specialem eorum gravitatem concepta. Sed tunc superest illi Auctori declarandum, quis illorum dolorum sit pars essentialis illius sacramenti ; aut quomodo ex contritione, et attritione, qui sunt actus essentialiter differentes, constituatur unus dolor, qui ex parte materiæ requiritur, et simul cum toto sacramento in ejus effectum influit. In quibus exponendis non minus ac in præcedentibus plura difficilia, aut etiam absurda occurrent.

DISPUTATIO VIII.

De Confessione sacramentali.

1. Contritionem, confessionem, et satisfactionem esse partes sacramenti pœnitentiæ, requisitas ex parte pœnitentis, sæpius diximus, et supposuimus in hoc Tractatu, præsertim disp. 1, dub. 2, ubi statuimus essentialem compositionem hujus sacramenti ex pœnitentis actibus, et sacerdotis absolutione : et in observatione ad art. 2, quæst. 90, ubi Angelicus Præceptor resolvit quod « requiritur ex parte « pœnitentis, primo quidem voluntas re- « compensandi, quod fit per contritionem : « secundo, quod se subjiciat arbitrio sacer- « dotis loco Dei, quod fit in confessione. « tertio quod recompenset secundum ar- « bitrium ministri Dei, quod fit in satis- « factione. Et ideo contritio, confessio, et « satisfactio ponuntur partes pœnitentiæ. » Quare ubi accessimus ad disserendum de his partibus in speciali, et quæ ad primam, nempe dolorem, in præced. disput. tradidimus ; congruus ordo exposcit, ut immediate de secunda, scilicet confessione, sermonem aperiamus in præsenti, quem ordinem servavit D. Thom. in lib. 4 sent. observaruntque Discipuli Compilatores doctrinæ ibi traditæ in supplemento ad 3 part. nam postquam in primis quinque quæstionibus tradiderunt pertinentia ad dolorem, cœperunt in quæst. 6, immediate sequenti agere de confessione. Eundem itaque methodum convenienter observamus. D. Thom.

Sed ut quid nominis explicemus, et deveniamus ad proprium, determinatumque hujus disputationis subjectum, observandum est confessionem, si rigorem, et originem vocis attendamus, non aliud esse, quam locutionem cum altero : confiteri namque est simul cum aliquod fari, seu loqui. Unde juxta diversas materias, et respectus multiplex distingui valet confessio. Alia est cujuscumque veritatis ; et sic pertinet ad virtutem veracitatis. Alia magis determinata est veritatum fidei, et spectat ad hanc virtutem, et de illa agit D. Thom. 2, 2, quæst. 3, et nos egimus cum S. Doctore Tract. 17, disp. 7. Alia est confessio judicialis, pertinens ad forum externum, et subinde ad justitiam, de qua agit Aristoteles 4 Ethic. cap. 7. Alia est confessio laudis, quam Deo deferimus ob ejus perfectionem, opera, et beneficia : et hæc pertinet ad virtutem religionis, et de ea frequenter loquitur Scriptura, ut Ps. 6: *Confiteantur tibi populi Deus.* Ps. 94. *Præveniamus faciem ejus in confessione.* Matth. Multiplicitas confessionis. Ps. 6. Psal. 94. Matth. 11

11 : *Confiteor tibi Pater.* Alia denique, aliis omissis, quæ facile excogitari possunt, est confessio peccatorum, cum quis, nimirum sua peccata alteri exponit. Et hæc est duplex : nam alia est interior, quæ soli Deo fit, et vix distinguitur a contritione, juxta illud Ps. 31 : *Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Alia vero est confessio externa peccatorum : et hæc dupliciter fieri valet, primo cuilibet alteri personæ propter humiliationem, vel alios fines : secundo soli sacerdoti in ordine ad absolutionem, et remissionem eorundem peccatorum. Hæc autem, et in secunda acceptione, prætermissis omnibus aliis, pertinet ad præsentem disputationem, quæ proinde merito inscribitur *De confessione sacramentali.*

Ps. 21.

Ut vero quid rei explicemus, possumus confessionem sacramentalem describere (diffiniri namque exacte non valet, cum sit ipsa quoddam complexum, et magis diffinitio, quam diffinitum) ex doctrina D. Thom. in supplem. quæst. 7, art. 1, Soto in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 2, Prado in tract. de confess. quæst. 1, dub. 1, et aliorum. « Est legitima accusatio de propriis « peccatis facta sacerdoti ad obtinendum « remissionem eorum per absolutionem. » In qua descriptione particula *accusatio* gerit vicem generis, in quo confessio convenit cum aliis accusationibus externis, quæ non sunt confessio sacramentalis, ut proxime explicuimus. Et non ponitur loco generis confessio ut sic : quia illud esset valde remotum, et melius explicatur diffinitum per genus magis immediatum. Tum, ut ea particula magis exprimeret modum confessionis sacramentalis, in qua homo manifestat peccata, ut reus, non ut de illis jactet, aut glorietur, aut solam historiam narret, sed ut illa reprobans, et judicanda proponens. Additur *legitima* ad denotandum pro confessione sacramentali requiri aliquas conditiones (de quibus in hac disp. dicemus) ob quarum defectum soleat esse nulla. Subjungitur *de propriis peccatis*, quia hæc sola possunt esse materia ejus, ut ostendimus disp. præced. num. 88, et 93. Per illa autem verba, facta sacerdoti designatur judex proprius in hac confessione, sive accusatione, qui debet esse sacerdos, et nullus alius a sacerdote.

D. Thom. Diffinit. conf. sacrament.

Denique in ultimis verbis, *ad obtinendum remissionem eorum per absolutionem* significatur finis, et complementum confessionis sacramentalis. Et quibus constat, quam merito D. Thom. in supplem. quæst. 7, art. 3, collegerit confessionem istam esse actum virtutis, et pertinere determinate ad virtutem pœnitentiæ ; observat enim quod quando supra virtutis objectum additur aliqua specialis ratio boni difficilis, ibi addenda est nova, et specialis virtus, sicut supra liberalitatem respicientem sumptus mediocres ponitur magnificentia respiciens magnos sumptus, et subjungit : « Similiter « est in confessione veri, quæ quamvis ad « veritatis virtutem pertineat absolute, « tamen secundum quod aliqua ratio boni « additur, ad aliam virtutem pertinere « incipit : et ideo dicit Philosophus in 4 « Ethic. quod confessio, quæ fit in judiciis, « non pertinet ad veritatis virtutem, sed « magis ad justitiam. Et similiter confessio « beneficiorum Dei in laudem divinam, « non pertinet ad virtutem veritatis, sed « ad virtutem Latriæ. Et ita etiam confes- « sio peccatorum ad remissionem eorum « consequendam, non pertinet elicitive ad « virtutem veritatis, ut quidam dicunt, sed « ad virtutem pœnitentiæ. Imperative au- « tem ad multas virtutes pertinere potest, « secundum quod in finem multarum vir- « tutum trahi potest confessionis actus. » De hac igitur sacramentali confessione, et prout est in usu apud Catholicos, agendum est in præsenti disputatione, ac primo loco discutiendum occurrit

D.

DUBIUM I.

Utrum confessio sacramentalis cadat sub præcepto divino ?

2. Mirabitur quis, et non boni consulet, quod ab hac difficultate disputationem ordiamur : prius namque discutiendum videbatur, an sacramentalis confessio sit ex Divina institutione. Sed responsio est in promptu, quod prædictum dubium discussum, superatumque reliquerimus in priori hujus tract. parte, disp. 4, dub. 4, § 1, ubi statuimus Christum Dominum sacramentum pœnitentiæ instituisse, et § 2, assignavimus tempus prædictæ institutionis. Quare cum hoc sacramentum constet essentialiter

confessione

confessione sacramentali, ut ostendimus in eadem disp. 1, dub. 2, probatum reliquimus, quod hic desiderari videbatur, nempe confessionem sacramentalem esse ex institutione Dei, et opus non habemus illud reproducere. Sed tamen ex institutione non statim sequitur, aut convincitur sacramentalem confessionem cadere sub præcepto divino : sunt enim non pauca, quæ Deus instituit, et tamen non obligamur, ex divino præcepto illa complecti. Sic enim status religiosus est ex institutione divina, ut cum communi sententia ostendimus Tract. 20, de prædicto statu, disp. 1, dub. 2, et non propterea obligamur præcepto divino illum profiteri. Sic etiam, ut exemplum rei præsenti proximius afferamus, Christus Dominus instituit aliqua sacramenta, ut Extremam-Unctionem, et Ordinem ; ad quorum tamen usum ex divino præcepto non obligamur. Non est itaque tanta connexio inter institutionem alicujus sacramenti, et præceptum illo utendi, ut istud debeat esse divinum, quia illa divina sit. Unde videmus Lutherum (quamvis ab hæreticis consequentia expectari non debeat) nunquam negasse pœnitentiam esse vere sacramentum a Deo institutum, ut ex Roffensi observat Vasquez supra quæst. 84, art. 1, dub. 1, et tamen negavit divinum confessionis præceptum, ut referunt Castro contra hæreses verbo *Confessio*, et Prateolus in suo Elencho, verbo *Lutherani*. Et hac de causa, ut putamus, Concilium Trident. postquam sess. 14, can. 1, decrevit : « Si « quis dixerit in Catholica Ecclesia pœni- « tentiam non esse vere, et proprie sacra- « mentum... A Christo Domino nostro ins- « stitutum, anathema sit; » quasi prævidens in his non comprehendi saltem explicite obligationem confessionis, adjecit can. 6 ejusdem sess. « Si quis negaverit confessio- « nem sacramentalem vel institutam, vel « necessariam esse jure divino, aut dixerit « modum secrete confitendi soli sacerdoti, « quem Ecclesia Catholica ab initio semper « observavit, alienum esse ab institutione, « et mandato Christi, et inventum esse « humanum, anathema sit. » Ex quibus satis liquet ; quod post discussionem primæ difficultatis pertinentis ad hujus sacramenti institutionem, quam præmisimus loco citato, alia superest discutienda circa confitendi obligationem, quam in hoc dubio proponimus. Et nomine confessionis sacramentalis eam intelligimus, quæ in usu est apud Catholicos, qualem supra descripsimus, et de qua loquitur Tridentinum in canone immediato, secretam scilicet, et soli sacerdoti faciendam.

§ I.

Assertio, et propugnatio Catholicæ veritatis.

3. Dicendum est confessionem sacramentalem cadere sub præcepto divino, immediate imposito a Christo Domino : esseque proinde de necessitate salutis eorum, qui post susceptum baptismum prolapsi sunt in aliquod peccatum mortale. Posterior assertionis pars consequitur ad priorem, illamque declarat. Utraque autem est de fide, ut canon Concilii proxime relatus, et alia principia statim subjicienda palam evincunt : unde supervacaneum est Theologos particulares pro illa referre. Sed prætermitti pro majori explicatione non debet illorum Princeps B. Thomas, qui in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 1, id statuit, et refertur in Supplem. quæst. 6, art. 1, his verbis : « Illa sacramenta, quæ ordi- « nantur contra culpam, cum qua salus « esse non potest, sunt de necessitate salu- « tis. Et ideo, sicut baptismus, quo deletur « originale, est de necessitate salutis, ita « et pœnitentiæ sacramentum. Sicut autem « aliquis per hoc, quod baptismum petit, « se ministris Ecclesiæ subjicit, ad quos « pertinet dispensatio sacramenti ; ita etiam « per hoc, quod confitetur peccatum suum « se ministro Ecclesiæ subjicit, ut per sa- « cramentum pœnitentiæ ab eo dispensa- « tum remissionem consequatur : qui con- « gruum remedium adhibere non potest, « nisi peccatum cognoscat : quod fit per « confessionem peccantis : et ideo confessio « est de necessitate salutis ejus, qui in pec- « catum actuale cecidit. » D.Thom.

Probatur primo Scripturæ testimoniis, quæ ut evidentius rem demonstrent, congruum est illa introducere sub argumentationis forma in hunc modum. Qui est in statu peccati, tenetur jure divino pœnitentiam de peccatis agere, et quærere reconciliationem cum Deo ; sed remedium istud respectu peccatorum, post baptismum com- Testimoniis Scripturæ probatur.

missorum consistit in confessione omnium illorum sacerdoti facta : ergo prædicta confessio debetur ex jure divino, et cadit sub præcepto divino. Consequentia patet. Major autem, præter quam quod non negatur ab hæreticis, probata a nobis relinquitur in priori parte, disp. 4, dub. 1, et breviter probatur evidentibus Scripturæ testimoniis, Matth. 3 : *Pœnitentiam agite,* Matth. 3. Lucæ 13. et Luc. 13 : *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Minor denique probatur : nam ex Christi Domini institutione sacerdotes legis evangelicæ constituti sunt judices cum ea potestate, ut sine illorum sententia nemo post baptismum lapsus reconciliari Deo, et purgari possit ; sed ipsi sacerdotes non possunt, ut judices recte procedere, et justam proferre sententiam sine cognitione peccatorum, quæ pœnitens eis in sua confessione exponat. Ergo remedium, quod pœnitentes habent respectu peccatorum post baptismum commissorum, consistit in confessione illorum facta sacerdoti. Cetera constant. Et major, quam negant hæretici, probatur ex Evan- Matth. 16 gelio : nam Christus Matthæi 16, prædictam potestatem promisit Petro illis verbis : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Quam promissionem, soli Petro factam, recognoscunt, vel ipsi hæretici accepisse Petrum, non, ut solus ipse uteretur clavibus, sed etiam, ut in earum potestate communicaret cum ceteris sacerdotibus. Deinde prædicta promissio facta est omnibus Apos- Matth. 18 tolis, Matth. 18, illis verbis : *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis.* Quo loco promittitur, et prædicitur potestas, quam omnes Apostoli, et eorum successores accepturi erant in ordine ab absolutionem, aut alligationem peccatorum. Denique Joann. 20, Joann. 20. ipse Dominus Apostolis post Resurrectionem apparens dixit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* In quo loco recensentur actualis traditio promissæ potestatis, et integra sacramenti pœnitentiæ constitutio, ac institutio. Constat itaque ex Evangelio Christum Dominum suæ legis sacerdotibus eam dedisse potestatem, ut sine illorum sententia nemo post baptismum lapsus possit vere pœnitere, et Deo reconciliari. Istudque est solidissimum nostræ, et catholicæ assertionis fundamentum, cui ceteræ veritates huc concernentes superædificari debent, ut optime expenderunt patres Concilii Tridentini sess. 14, cap. 5, dicendo : « Ex insti- « tutione sacramenti jam explicata uni- « versa Ecclesia semper intellexit institu- « tam etiam esse a Domino integram « peccatorum confessionem, et omnibus « post baptismum lapsis jure divino ne- « cessariam existere : quia D. N. Jesus- « Christus e terris ascensurus ad cœlos « sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit « tanquam præsides, et judices, ad quos « omnia mortalia crimina deferantur, in « quæ Christi fideles ceciderint, quo, pro « potestate clavium remissionis, aut reten- « tionis peccatorum sententiam pronun- « tient. Constat enim sacerdotes judicium « hoc, incognita causa exercere non potuis- « se : neque æquitatem quidem illos in pœ- « nis injungendis servare potuisse, si in ge- « nere dumtaxat, et non potius in specie, « ac sigillatim sua ipsi peccata declaras- « sent. Ex his colligitur oportere a pœni- « tentibus omnia peccata mortalia, quo- « rum post diligentem sui discussionem « conscientiam habent, in confessione re- « censeri, etiam si occultissima illa sint, « etc. »

4. Mirum est, quod subterfugia inventa fuerint ad subruendum, si fieri posset, vires hujus fundamenti. Et primo occurrit commune apud hæreticos Lutheranos, et calvinistas, qui non negant in prædictis locis promitti, et dari Ecclesiæ potestatem ligandi, et solvendi, sive peccata remittendi, et retinendi : sed hanc potestatem non aliud esse dicunt, quam potestatem, et ministerium prædicandi pœnitentibus remissionem peccatorum, atque impœnitentibus iram, et condemnationem. Unde in summa dicunt sacerdotem, sive ministrum in hac re non esse judicem, sed Dei præconem, neque potestate, aut juridictione absolvere a peccatis, sed tantum annuntiare pœnitentibus indulgentiam ex parte Dei. Ita Calvinus lib. 3. Institut. cap. 4, § 18, et lib. 4, cap. 11, et § 1, Philipp. in Apolog.

Apolog. confess. Augustanæ art. de confessione, et in locis tit. de confessione, Kemnitius in 2 part. Examinis, cap. 5, de pœnitentia, et alii. Convulsa vero ex parte sacerdotum auctoritate, et jurisdictione, ut judicent, et absolvant, consequens est tolli ex parte peccatorum pœnitentium obligationem submittendi se sacerdotum sententiæ, ac perinde confitendi illis peccata de quibus judicant.

Sed istud hæreticorum effugium multipliciter præcluditur. Primo, quia violentiam infert verbis evangelii ; claves enim non dantur ad significandum ostium esse apertum, vel clausum, sed ut re ipsa aperiatur, aut claudatur. Unde cum in Apocal. cap. 3, dicitur de Christo : *Qui habet clavem David, aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit*, verus, et sincerus, et communis sensus est, non quidem quod Christus possit annuntiare absolutionem, vel condemnationem, aut declarare, quis sit ligatus, aut solutus ; sed quod possit vera, et judiciaria auctoritate ligare, vel absolvere. Et hujusmodi clavem, sive potestatem illa significantem promisit, communicavitque Apostolis, et eorum successoribus tanquam sui vicariis. Deinde, ligare, et solvere, non significant annuntiare, aut declarare, sed re ipsa vincula tollere, vincula injicere, aut injecta non auferre. Unde juxta hæreticorum sensum non debuit Christus dicere : *Quæcumque solveritis super terram erunt soluta et in cœlis*, sed, quæcumque solveritis, erant soluta et ita declarabitis prius soluta. Secundo, quia Patres Ecclesiæ verba Christi intellexerunt, non sicut hæretici : sed in sensu proprio, et obvio, sicut et nos unde D. August. hom. 49, ait : « Nemo sibi dicat, occulte ago, apud Deum ago. Ergo « sine causa dictum est. Quæ solveritis in « terra, soluta erunt in cœlo ? Ergo sine « causa datæ sunt claves Ecclesiæ Dei ? « Frustramus Evangelium, frustramus « verba Christi.» Et D. Chrysost. lib. 3, de sacerdot. inquit: «His, qui terram incolunt, « atque in eis versantur, iis commissum est, « ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent : iis « datum est : ut potestatem habeant, quam « Deus, neque Angelis, neque Archangelis « datam esse voluit : neque enim ad illos « dictum est: Quæcumque alligaveritis in « terra, etc... Habent quidem, et terrestres « principes vinculi potestatem, verum « corporum solum. Id autem, quod dico, « sacerdotum vinculum, ipsam etiam ani- « mam contingit, atque ad cœlos usque « pervadit, usque adeo ; ut quæcumque « inferne sacerdotes confecerint, illa ea- « dem Deus superne rata habeat, ac servo- « rum sententiam Dominus confirmat... « Quorumcumque, ait, peccata retinueri- « tis, retenta sunt. Quænam, quæso, po- « testas hac una major esse queat. » Eodem modo loquuntur, et accipiunt Christi verba D. Ambros. lib. 1, de pœnit. cap. 2, et c. 7, D. Hieron, in epist. ad Heliodorum de vita solitaria, D. Greg. hom. 26, in Evang. et alii passim Patres. Tertio, quia si prædicta verba non aliud significarent, quam, quod dicunt hæretici, potestatem, videlicet, annuntiandi pœnitentibus remissionem peccatorum, et non pœnitentibus damnationem, et iram ; prædicta verba directa fuissent non solum ad Apostolos, et eorum successores, sed etiam ad laicos, et fœminas : sunt enim capaces illa annuntiandi : adque ideo de illis etiam vere diceretur : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis quorum retinueritis, retenta sunt :* consequens est absurdum, et contra perennem, et antiquissimum sensum Ecclesiæ : ergo verba Christi non illud significant, sed auctoritatem, potestatemque Apostolis, et sacerdotibus datam, ut de peccatis post baptismum commissis judicent, vel ea dimittendo, vel retinendo. Nec in hoc amplius suadendo immoramur : nam talia verba continere sensum a nobis assertum, est etiam de fide, ob diffinitionem Concili Tridentini sess. 14, can. 3 : « Si quis dixerit verba illa « Domini Salvatoris, Accipite Spiritum « Sanctum : quorum remiseritis peccata, « remittuntur eis, et quorum retinueritis, « retenta sunt, non esse intelligenda de « potestate remittendi peccata in sacramento « pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab « initio semper intellexit : detorserit au- « tem contra institutionem hujus sacra- « menti ad auctoritatem prædicandi Evan- « gelium, anathema sit. » Unde circa legitimam intelligentiam prædictorum verborum quantum ad rem præsentem nulla deinceps potest esse inter catholicos controversia.

D. Amb. D. Hier. D. Greg. Tertio.

Conc. Trid.

5. Verum enim vero aliud effugium occurrit, hæreticis quidem commune, et non

2 Effug.

paucis catholicis familiare, quo dehiscere videntur nostri fundamenti vires. Admisso namque, quod Christus concesserit Apostolis potestatem absolvendi a peccatis, et consequenter judicandi de peccatis, quæ fideles eis in confessione exposuerint, ut ex propositis, et expensis Evangelii testimoniis evincitur : inde non sequitur, nec convincitur fideles obligari jure divino ad confitendum sacerdotibus peccata ; sed solum ex suppositione, quod velint eis se submittere ad consequendum peccatorum remissionem per illud medium, quam alias possunt per alia consequi ; v. g. per contritionem. Nec satisfacit, qui dicat, sacerdotes, si res ita se haberet, non posse vere appellari judices pro remissione peccatorum : quia judex meus non est, cui, si volo, manifesto mea delicta, et apud quem non teneor aliquid facere, quam quod volo. Id, inquam, non satisfacit : nam istud judicium potuit institui, potestque fieri in favorem pœnitentium, ut si velit frui sacerdotis absolutione, illi causam, et relationem suorum peccatorum submittat, illique in satisfactione injuncta ex potestate clavium obediat. Idque exemplo peccatorum venialium efficaciter fulciri, ac explicari valet : habent enim sacerdotes potestatem ex clavibus illa remittendi : et tamen pœnitentes nullo jure obligantur illa in confessione sacerdotibus referre, sed possunt pro eorum deletione ad alia media recurrere : at si voluerint, queunt sacerdotes adire, et ab eis sacramentaliter absolvi : quid ergo vetat, ut in mortalibus idem contingat ?

Occurritur evasion.

Nec iterum satisfacit, si dicatur inde fieri, quod sacerdotes pro remissione mortalium non sint judices ordinarii, sed arbitrarii ; arbiter enim est, qui solum judicat ex potestate, quam sibi deferunt partes a quibus eligitur judex in eorum causa, ut constat ex cap. *Sane*, de Arbitris. Id autem dicere est omnino absurdum, quia potestatem judicandi, et dimittendi peccata, quam habent sacerdotes, non acceperunt, nec accipiunt a pœnitentibus, aut cum illis conventione ; sed immediate a Christo Domino. Id, inquam, non satisfacit, nec obturat intentatum effugium : quoniam in tali eventu, si vim non ponamus in vocibus, sacerdotes non vocarentur judices arbitrarii, vel quia acciperent dijudicandi potestatem a pœnitentibus, vel quia non haberent potestatem ordinariam a Christo, vel delegatam ab Ordinariis ; sed ex eo præcise, quod subjectio pœnitentium sacerdotibus in manifestando illis peccata, penderet ex ipsorum pœnitentium arbitrio, qui voluntarie, id est, absque præcepto ad id obligante vellent uti remedio a Christo instituto remissionis culparum per sacerdotum absolutionem. Quod etiam facile explicatur exemplo jam proposito venialium, in quibus absolvendis procedit sacerdos ex potestate non accepta a partibus, sed ut judex ordinarius, et per acceptam a Christo potestatem : quo non obstante in arbitrio pœnitentium positum est, quod peccata venialia confiteantur sacerdoti, et ab illo judicium, sententiam, et absolutionem expectent. Idem itaque dici potest de confessione mortalium : et consequenter testimonia non extorquent, quod intendimus.

Alii evasioni occurritur.

6. Propter hæc, et alia, quæ, ut non necessaria, omittimus, non defuerunt viri catholici, qui licet non negaverint confessionem mortalium esse de jure divino, aut cadere sub divino præcepto ; negarunt tamen id convinci ex relatis testimoniis, et præsertim illo, quod magis expendimus, Joannis 20. Sic senserunt Scotus in 5, dist. 17, qu. 1, § *In ista quæstione*, Cajetanus in illa verba Joan. 20: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, etc.* Medina Complutensis codice de Confessione, quæst. 2, Gabriel in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 1, circa finem, et alii. Qui aliqua ratione excusari possunt, quod scripserunt ante Concil. Tridentinum, in quo magis, quam in aliis doctrina ad claves, pœnitentiam, et confessionem pertinens clarissime tradita est, ut propterea, qui modo negaret, vel confessionem mortalium cadere sub præcepto divino, vel hanc obligationem non erui ex loco Joan. 20 hæresis, aut notissimi, et gravissimi erroris argueretur. Quod demonstratur conjungendo duo Concilii loca sub hac forma. Eo modo intelligendum est testimonium Joannis in ordine ad remissionem peccatorum in confessione sacramentali, quo illud intelligit, intellexitque Ecclesia catholica ; sed hæc intelligit, intellexitque non solam potestatem clavium ex parte sacerdotum, sed etiam obligationem ex parte peccatorum submittendo

submittendo suas culpas clavibus sacerdotum : ergo prædictus locus Joannis ita est intelligendus : et consequenter conari ad alias intelligentias, et subterfugia nequit modo fieri absque notorio errore, aut etiam hæresi. Utraque consequentia patet ex præmissis. Major etiam constat ex verb. Conc. can. 5, jam cit. « Si quis dixerit verba « illa Domini Salvatoris, Accipite Spiritum « Sanctum, quorum remiseritis peccata, « remittuntur eis, et quorum retinueri- « tis, retenta sunt, non esse intelligenda « de potestate clavium remittendi, et reti- « nendi peccata in sacramento pœnitentiæ, « sicut Ecclesia catholica ab initio semper « intellexit.... Anathema sit. » Minor etiam constat ex eodem Concilio eadem sess. 14, cap. 5, ubi docet : « Ex institutione sacra- « menti pœnitentiæ jam explicata universa « Ecclesia semper intelligit institutam « etiam esse a Domino integram peccato- « rum confessionem, et omnibus post bap- « tismum lapsis jure divino necessariam « existere. » Et statim præsentia habens testimonia a nobis producta, et præsertim Joan. 20, quæ in margine recensentur, subjunxit : « Quia D. N. Jesus Christus e « terris ascensurus ad cœlos sacerdotes sui « vicarios reliquit tanquam præsides, et « judices, ad quos omnia mortalia crimina « referantur, in quæ Christi fideles ceci- « derint, etc. » Ex quibus satis constat Ecclesiam in ea sacra synodo congregatam declarare, quod ita sentiat, et senserit. Et quamvis id possemus amplius exornare, et fulcire diversis exemplis, sufficiet vel unum producere in persona Petri Oxomensis, qui doctrinam propositam subterfugiens admittebat in sacerdotibus potestatem clavium ad remittendum peccata sibi confessa ; et tamen ex alia parte negabat in pœnitentibus obligationem subjiciendi peccata clavibus Ecclesiæ : existimabat enim dilui sufficienter per contritionem independenter a subordinatione ad illas, ut constat ex Extravangati Sixti IV, condemnantis varias hujus Petri propositiones, quarum prima est : « Peccata mortalia « quantum ad culpam, et pœnam alterius « sæculi delentur per solam cordis contri- « tionem sine ordine ad claves. Secunda ; « Confessio peccatorum in specie fuit ex « aliquo statuto universalis Ecclesiæ, non « de jure divino. » In doctissimo etiam Soto in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 1, post 3, conclus. legimus : « Ætate nostra de « eodem errore damnatus fuit quidam His- « panus, vir alias insignis. » Putamus loqui de damnatione per S. Inquisitionis Tribunal ; sed quis ille fuerit, nescimus.

7. Ex quibus omnibus satis efficaciter concluditur eam, quam asserimus, catholicam veritatem contineri in testimoniis pro eadem stabilienda relatis, aditumque præcludere proposito subterfugio. Et ut magis impediatur, premamus amplius relata testimonia, et præsertim illud ex Joanne relatum : *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt* : ex eis namque recte expensis suapte natura fluit sensus catholici assertus, et præciditur omnis ab illo fuga. Sed attendi debet, ut id assequamur, non solum ad priora verba : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ex quibus omnes Catholici probati concedunt potestatem clavium in sacerdotibus ad absolvendum a peccatis sibi confessis ; sed etiam ad immediate sequentia : *Et quorum retinueritis, retenta sunt* : ex eis namque convincitur in peccatoribus esse obligationem submittendi sua peccata potestati sacerdotum per confessionem, quod aliqui Catholici negarunt, aut revocarunt in dubium, occasionemque dederunt evasioni propositæ, per quam firmior ex Evangelio pro nostra assertione probatio dissipari videbatur. Attendi ulterius debet in illa contrapositione, quam Christus, dum potestatem dabat, repræsentavit, secundam propositionem reddere sensum primæ contrarium in eadem materia, licet vocibus aliquantulum diversis. Perinde namque fuit dicere, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt*, ac dicere : Quorum remiseritis peccata, remittentur eis ; et si non remiseritis, non remittuntur eis : vel alio modo, si remiseritis peccata, remittuntur : et si non remiseritis, non remittuntur : vel alio modo, si dederitis sententiam absolutionis, remittuntur peccata ; si vero negaveritis, aut suspenderitis absolutionem, retenta erunt. Hic plane apparet esse sincerus, ac legitimus eorum sensus, et eo supposito arguitur efficaciter ex prædicto testimonio confutando adhibitam responsionem : quoniam, si, ut illa intendit, ex parte pœnitentium

non daretur obligatio, sed sola libera facultas confitendi sua peccata sacerdoti, et utendi beneficio clavium, falsificaretur sensus verborum Christi ; consequens est hæreticum : ergo et antecedens. Probatur sequela : quia in tali casu licet sacerdotes haberent potestatem absolvendi a peccatis sibi voluntarie, id est, sine ista confitendi obligatione, confessis : quod posset verificare primam verborum Christi partem : tamen non haberent sacerdotes potestatem retinendi, seu non remittendi hominum peccata ; quippe cum isti possent alio medio ab illis solvi, omisso confessionis, et subjectionis ad claves remedio ; idque, quantumcumque sacerdotes facerent, et uti potestate sibi data conarentur, impedire minime possent. Falsificaretur ergo illa posterior pars verborum Christi : *Et quorum retinueritis, retenta sunt :* quia sacerdotibus non absolventibus, quin retinentibus, et retinere conantibus, liberarentur homines a peccatis, subtrahentes se ab illorum confessione. In illis itaque verbis expressit Christus non solum potestatem clavium in sacerdotibus, sed etiam obligationem illi se subjiciendi in peccatoribus.

Nec contra hanc explicationem, et discursum est, quod peccator possit justificari per contritionem : quia quamvis hæc possit elici antecedenter ad confessionem, et sententiam sacerdotis, non tamen independenter ab illis : includit namque de facto omnis vera contritio votum, sive propositum adimplendi Divinum præceptum confitendi peccata, et obediendi sententiæ sacerdotis : et ubi homo id non facit, quando potest, et debet, iterum illigatur peccato. Idque declaratur exemplo baptismi, ante cujus susceptionem exercitam potest denuo justificari per contritionem ; sed non sine baptismo in voto, quide jure Divino est medium necessarium ad salutem ; quod votum, sive propositum tenetur homo, cum potest, ad exercitium reducere. In quo magis explicando non immoramur, quia illi operam dedimus ex professo in priori parte, disp. 4, dub. 1, ubi statuimus sacramentum pœnitentiæ esse necessarium ad salutem necessitate medii, et præcepti Divini. Nec ulterius contra præmissam doctrinam refert exemplum peccatorum venialium, quo opposita Evasio n. 5 se declarare, et protegere satagebat : quoniam sacramentum pœnitentiæ institutum est pro remedio hominis post baptismum lapsi, et ad reparandum deperditam justitiam : unde merito a Patribus appellatur secunda tabula post naufragium. Peccata autem levia non constituunt hominem lapsum, nec illum justitia spoliant, sed compatiuntur cum gratia. Quare non sunt materia necessaria hujus sacramenti, sed possunt remitti omnino independenter ab illo, ut si homo statuens illa non confiteri, uteretur aliis remediis pro eorum remissione obtinenda, ut contritione. Sunt tamen materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ, ut constat ex disp. præced. num. 88 et 132, et propterea licet homo nullo præcepto teneatur illa subjicere clavibus Ecclesiæ ; potest nihilominus voluntarie ipsa subjicere, et mediante sacramento pœnitentiæ consequi eorum remissionem, sicut per alia media arbitraria. Unde potestas clavium ad illa licet minus principaliter se extendit ex suppositione libera pœnitentis volentis illa submittere. Sed hoc exemplum nequit peccatis mortalibus adaptari ob oppositam rationem : quia in ipsa collatione significavit Christus retineri, seu non remitti, retinentibus, seu non remittentibus sacerdotibus.

8. Occurrunt præterea alia plura ejusdem catholicæ veritatis fundamenta ; quæ nec expendere pro meritis possumus ; cum diffusior præsentis rei consideratio magis pertineat ad Theologiam Dogmaticam, quam ad Scholasticam, cui incumbimus : nec par est cuncta omnino supprimere, et lectorem sine illa notitia relinquere, quæ illum saltem ducat in ea loca, ex quibus possit argumenta pro hac veritate contra hæreticos eruere. Propterea aliqua insinuabimus, et secundum in ordine sumitur ex variis testimoniis veteris testamenti, quæ late, et docte expendit Bellarm. lib. 3, de pœnit. c. 3, et possumus in unum colligere sub hac arguendi forma : Ea, quæ fiebant in veteri lege, figura erant eorum, quæ fiunt in lege Evangelica, ut docet Apostolus 1, ad Corinth. c. 10 ; sed in lege veteri erat confessio peccatorum in specie coram legitimo ministro : ergo præfigurabat confessionem peccatorum in specie, et coram sacerdote futuram in lege Evangelica, et quidem

tanto

tanto exactiorem, ac perfectiorem, quanto res figurata figuris præstat. Major, et consequentia patent. Minor autem, quam multis locis probat Bellarmin. ostenditur satis efficaciter, aliis prætermissis, unico testimonio ex lib. Num. c. 5, ubi dicitur : « Vir, sive mulier, cum fecerunt ex omni- « bus peccatis, quæ solent hominibus acci- « dere, et per negligentiam transgressi « fuerint mandatum Domini, atque deli- « querint, confitebuntur peccatum suum. » Et idem reipsa significatur Levit. c. 5, ubi pro diversis peccatis assignantur diversæ satisfactiones mediis diversis oblationibus, et sacrificiis, quæ qualitatem, et diversitatem peccatorum manifestabant, idque erat non solum expressa, sed publica illorum peccatorum confessio, ut cum pro peccato in juramento dicitur : « Agat pœnitentiam « pro peccato, et offerat de gregibus agnam, « sive capram, etc. Si peccaverit per igno- « rantiam, offerat arietem immaculatum, « etc. » et sic de aliis peccatis.

Unde refellitur Kemnitius in 2 part. examin. dicens eam veterum confessionem solum fuisse in genere, non autem in specie, et expressis circunstantiis, ut modo catholici facimus : unde ab exemplo confessionis peccatorum in veteri lege, nihil convincere possumus pro confessione in specie, et numero peccatorum. Refellendus, inquam, est ; nam esto, in veteri lege non fieret confessio peccatorum, nisi in genere, ut ipse vult ; ex hoc tamen ipso suadetur confessionem in lege gratiæ debere esse perfectiorem, atque ideo exactiorem in specie, et numero peccatorum : sicut generale est pertinentia ad legem Evangelicam, et præfigurata in antiquis esse suis figuris simpliciter perfectiora. Sed aliunde, quod Kemnitius assumit, penitus negari debet : quia oppositum constat tum ex Levitici loco, ubi pro diversitate peccatorum præcipiuntur diversæ oblationes, et hæ satis manifestabant conditionem, sive speciem peccati, in quod pœnitens inciderat, quin opus esset id verbo exprimere. Tum etiam, quia in hoc sincero, et decurrenti sensu dixit Ecclesiasticus cap. 4 illius gentis homines exhortans, et ad præceptum propositum in locis relatis alludens : *Non confundaris confiteri peccata tua.* Nam manifestum est erubescentiam, et confusionem non timeri in confessione, quæ vel soli Deo, vel de solis peccatis in genere homini fit, qualem Lutherani exercent ; sed de sola, quæ fit homini in specie, numero, et circunstantiis, ut ipsa experientia liquet : nemo enim veretur dicere se esse peccatorem, vel repræsentare Deo peccata, quæ ipse videt ; sed tota difficultas est in descendendo ab illa generalitate ad dearticulatam omnino peccatorum revelationem aliis faciendam : ad hanc itaque hortabatur Ecclesiasticus homines populi sui. Tum præterea, quia hanc fuisse, et esse consuetudinem Judæorum constat ex testimoniis Rabinorum, quæ refert Galatinus lib. 10, cap. 3. Quin Venerabilis, et Sapientissimus N. Thomas Waldensis lib. 2, de sacramentis cap. 37, testatur se, cum in Austria esset, hanc ab ipsis Hebræis cognovisse eorum consuetudinem, confitendi scilicet peccata in specie, et cum circumstantiis. Et D. Antoninus 3 par. tit. 14, cap. 6, § 1, affirmat Judæos sapientiores solere ante mortem confiteri omnia peccata Levitæ alicui, si reperiant, et ad se adducere possint. Unde facilius contigit, quod Evangelistæ referunt ad prædicationem Joannis Baptistæ plures Judæorum conversos fuisse ad pœnitentiam, et confessos peccata sua : nec enim tunc institutum fuerat a Christo sacramentum pœnitentiæ, Matth. cap. 3 : *Tunc exibat ad eum Jerosolyma, et omnis Judæa, et omnis regio circa Jordanem, et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua.* Marc. 1 : *Et baptizabantur ab illo in Jordanis flumine confitentes peccata sua.* Ad quam peccatorum confessionem facilius adduci potuerunt, quod illis erat familiaris secundum legem, et consuetudinem gentis.

Galatin. Wuald. D. Ant. Matth. c. 3. Marc. 1.

Quæ forte moverunt N. Waldensem, ut lib. cit. cap. 40, dixerit confessionem non fuisse a Christo in præcepto positam : nec enim opus illi erat, ubi confessio peccatorum supponebatur præcepta in lege, et recepta in usu. Quod aliqui Juniores carpunt in venerabili Doctore, et hæreticorum flagello, a quo ipsi hauriunt ; sed carpunt omnino immerito : quia Waldensis non negat, quod Christus instituerit sacramentum pœnitentiæ cum confessione peccatorum essentiali ejus parte : nec enim prius illa apud antiquos confessio erat, vel sacramentum, vel pars sacramenti. Sed solum asseruit Christum supposuisse præ-

Wald.

ceptum confessionis, et addidisse alia, quæ ipsi deerant : per quod aperte significat potestatem clavium ex parte sacerdotum, promissionem gratiæ ex opere operato, obligationem ex parte pœnitentium subjiciendi sua peccata clavibus, et denique ex parte confessionis majorem exactionem in recensendo peccata, quam olim fuerat. Quæ omnia sunt plane catholica, et indigna reprehensione, sicut illi non subjacet, qui affirmat Christum non instituisse matrimonium, quippe quod ante Christum supponebatur: sed instituisse matrimonium in ratione sacramenti conferentis gratiam ex opere operato, quod antea matrimonium non habebat. Et hæc satis sit attigisse in hoc assertionis fundamento.

3. Probatur conclus. ex Conc.

9. Tertium consistit in doctrina Conciliorum a tempore antiquissimo decernentium confessionem non præcise peccatorum in genere, aut soli Deo factam, quam solam hæretici admittunt, sed etiam in specie, et circumstantiis, atque faciendam sacerdoti, quam hæretici negant. Nam in Concilio Conc. Laod. Laodiceno ante annos MCC celebrato, can. 2, dicitur : « His, qui diversorum « peccatorum lapsus incurrunt, et instant « orationi, confessioni, ac pœnitentiæ, ma- « lorum suorum perfectam conversionem « demonstrantes, pro qualitate peccati « tempus pœnitentiæ tribuendum est. » Nequit autem pro qualitate peccati decerni tempus pœnitentiæ, nisi cognito ipso peccato in specie, et circumstantiis ; sic igitur jam tunc sub confessione cadebat. Concil. Carthag. Concilium Tertium Carthaginense ante M CC annos statuit, can. 31. « Ut pœni- « tentibus secundum peccatorum differen- « tiam, Episcopi arbitrio pœnitentiæ tem- « pora decernantur. » Quod fieri non potuit absque causæ cognitione, et peccatorum manifestatione in specie. Concilium Cabi- Conc. Cabilon. lonense secundum ante annos CM decrevit can. 32 : « Solerti indagine debent « inquiri ipsa peccata, ut ex utrisque plena « sit confessio, scilicet, ut et ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, et ea, « quibus in sola cogitatione delinquitur. » Quæ nequeunt per confessionem revelari, nisi illa detegendo in specie. Similiter in Concilio Turonico circa idem tempus celebrato legitur cap. 22 : « Episcopis, et Conc. Turon. « Presbyteris diligenti cautela tractandum « est, qualiter hominibus sibi sua delicta « confitentibus tempus abstinendi adscri- « bant. » Quod etiam exposcit peccatorum in speciali notitiam. Concilium Wormaciense celebratum anno 868, statuit cap. 25: « Pœnitentium secundum peccatorum « differentiam sacerdotis arbitrio pœniten- « tiæ decernuntur. Debet itaque sacerdos « in pœnitentia danda singulorum causas « singilatim considerare, etc. » Nequit autem sacerdos circa hæc considerare, et sine errore decernere, nisi peccatores sinus conscientiæ in confessione aperiant, et species, ac numerum peccatorum exponant. Et idem prorsus docent, ac decreverunt (ut prolixitatem repetendi eadem fere verba vitemus) sexta Synodus can. 102. Concilium Africanum can. 12, Concilium Cabilonense primum can. 8, Remense can. 12 et 16, Moguntinum cap. 26, et alia. Nec momenti erit, si Hæritici dicant in nullo horum Conciliorum dici, quod Confessio sit juris Divini, aut cadat sub Divino præcepto. Nam licet id expresse non dicant ; tamen manifestant antiquissimam consuetudinem, et obligationem confitendi sacerdotibus : et consequenter non obscure significant rem hanc esse a Deo præceptam. Tum, quia in nullo istorum Conciliorum, vel unquam indicatur, vel insinuatur alia origo talis obligationis. Tum, quia, cum tale præceptum sit valde arduum, incredibile, et inverisimile apparet, vel pastores illud imposuisse hominibus, vel hos illud admisisse, si putarent per peccatorum confessionem factam, vel generatim, vel solo Deo, se posse ab illorum onere liberari, Huic fundamento immensum robur accessit ex Conciliis Generalibus eandem veritatem expressius diffinientibus, Lateranensi cap. 21, Constantiensi sess. 8, Florentino in instructione Armenorum, et Tridentino locis supra relatis, et per totam sess. 14. Et quamvis Hæretici illa contemnant, ut moderniora, iniquissime tamen in hoc procedunt ; cum ex una parte eandem auctoritatem assistentiamque Dei habuerint, ac antiquiora : et ex alia fidem, et doctrinam statuerunt consonam eisdem antiquis Conciliis, et Ecclesiæ, quæ præcesserat, ut magis constabit ex immediate dicendis.

10. Quartum itaque ejusdem assertionis fundamentum, quo præcedens magis fulcitur, stat in perpetua Ecclesiæ traditione,

de

de qua nobis certo constat per testimonia Sanctorum Patrum, qui ab initio ipsius Ecclesiæ floruerunt, et usum confessionis secretæ, sive confessario faciendæ luculenter, tradunt, repetunt, et inculcant. Sed prolixum nimis esset nos singula illorum loca producere, eorumque formalia verba referre; et magis de re censemus Lectorem remittere ad Bellarminum, qui egregiam illi navavit operam lib. 3, can. 6, cum sequent. ubi discurrens per Patres, qui a Christi anno C, usque ad tempora Innocentii Tertii, et Concilii Lateranensis floruerunt, proferensque illorum verba erudite ostendit eos sensisse, ac docuisse id ipsum, quod a tempore Innocentii, et modo Ecclesia Catholica docet. Sed quamvis aliorum testimonia non recitamus, omittenda non duximus aliqua loca D. Joannis Chrysostomi ob speciale motivum, quod num. 15 occurret. Et in primis revocanda in mentem sunt verba tanti Doctoris, ex lib. 3, de Sacerdotio, quæ dedimus num. 4, et eis deinde addenda, quæ eodem lib. subjungit : « Corporis lepram purgare (sed « verius dicam haud purgare quidem, sed « purgatos probare) judæorum sacerdotibus « solis licebat : neque nescitis, quanta cum « ambitione, quanto studio, et concertatione « sacerdotalis dignitas id temporis acquire- « retur. At vero nostris sacerdotibus non « corporis lepram, verum animæ sordes, « non dico, purgatas probare, sed purgare « prorsus concessum est. » Qua vero ratione poterunt eas, vel purgare, vel purgatas ostendere, nisi illas cognoscant ? Et quomodo cognoscent animæ sordes, quæ internæ sunt, nisi pœnitentes illas sibi manifestent per confessionem ? Sicut ergo olim judicium de lepra corporali pertinebat ad sacerdotes, et leprosi tenebantur eorum judicio, ac declarationi se submittere : ita juxta Chrysostomum judicium de lepra spirituali ad sacerdotes nostros spectat, et peccatores debent ipsis sua crimina confiteri, ut purgentur, et purgati probentur ; quod minime fieri valet absque manifestatione prædictorum criminum in specie. Quod palam significavit idem Chrysostomus eodem opere lib. 2, dicens : « Multa quidem arte opus est, ut qui labo- « rant Christiani, ultro sibi persuadeant « sacerdotum curationi sese submittere « oportere, » nempe ut curentur. Id vero non procurat, qui ulcera tegit : nam, quæ ignorat, non curat medicus. Sentiebat itaque Chrysostomus Christianos infirmos debere suis spiritualibus medicis sacerdotibus manifestare morbi qualitatem, quod sola fit confessione peccatorum in specie. Unde subdit : « Equidem plures recensere « possent, quos constat in extrema mala « adductos, non ob aliud, nisi quod digna « ab eis pœna, et quæ peccatis perpetratis « par esset, exigeretur. Neque enim teme- « re ad delictorum modum oportet, et « multam adhibere : sed tanquam conjec- « turis quibusdam explorandus est animus « delinquentium, etc. » Quibus verbis desiderat, commendatque in sacerdotibus discretionem pro injungendis pœnitentiis, ut scilicet rationem habeant non solius multitudinis, aut gravitatis culparum, sed etiam infirmitatis, aut debilitatis delinquentium. Nihil autem horum fieri valet absque diligenti, et accurata ipsorum confessione, ut ex se liquet. Denique ipse Chrysostomus, ut alio modo ejus testimonia non recenseamus, homil. 30, in Genes, meminit confessionis peccatorum, quæ in Hebdomada sancta fieri solebat : « Quia, *inquit*, « in magnam hanc hebdomadam perveni- « mus, Dei gratia nunc maxime, et jejunii « cursus intendendus, et magis continuan- « dæ sunt preces ; faciendaque diligens, et « pura confessio peccatorum. » Ad quam consuetudinem etiam alludit D. Gregor. Nissenus, et ipse insignis Doctor inter Patres Græcos, et Chrysostomo antiquior, cum in epist. Canonica ad Episcopum Mitylen, cap. 1, (reperitur tom. 1 Biblioth. SS. Patrum) agens de Festo Paschæ, et diebus ei proximis inquit : « Recte habue- « rit, si hodierno die non solum eos, qui « ex regeneratione per lavacri gratiam « transmutati sunt, adducamus ; sed eos « etiam, qui per Pœnitentiam, et Confes- « sionem a mortuis operibus ad viventem « vitam ascendunt, ad viventem spem tan- « quam manu ducemus, a qua per peccatum « alienati sunt. » Ubi duo remedia, duo sacramenta recenset : Baptismum, quo homines primo regenerantur ad gratiam, et confessionem, sive pœnitentiam, quibus ad gratiam reparantur, a qua post Baptismum peccando exciderant.

D. Chrys.

D. Greg. Nissen.

11. Ex qua Patrum consensione formatur idem argumentum, quod num. 9 jam

Confirmatio.

proposuimus : nam ut optime advertit,
D Aug. docuitque D. August. 4 de Baptismo, cap. 24 : « Quod universa tenet Ecclesia, nec a « Conciliis institutum, sed semper reten- « tum est, non nisi authoritate Apostolica « traditum rectissime creditur ; » sed universa Ecclesia tenuit, ac tenet necessariam esse confessionem sacramentalem his, qui post Baptismum in mortalia labuntur, ut constat ex testimoniis Patrum ab initio ipsius Ecclesiæ. Idque ipsi non revocant, nec revocare potuerunt in decretum alicujus Concilii, quippe eorum non pauci sunt adeo antiqui, ut Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, quod antecesserint tempore non solum primi Concilii generalis, nempe Niceni, sed etiam omnium aliorum Conciliorum Provincialium, in quibus ulla mentio confessionis occurrit. Credendum itaque rectissima ratione est institutionem confessionis sacramentalis emanasse immediate a Christo Domino, et per Apostolos illius usum, et obligationem communicatum Ecclesiæ fuisse.

Porro rationes ad hanc veritatem firmandam non addimus : quoniam juxta qualitatem materiæ unica, et tota ejus ratio est voluntas Dei, de qua certo nobis constat per media, et fundamenta hactenus proposita. Si quis vero supposita institutio-
Congruentiæ ne, desideret congruentiæ rationes, non paucas inveniet, et eam præcipue, quæ desumitur ex insignibus utilitatibus, quæ ex confessione sacramentali, ejusque præcepto resultant ; sive ad Deum, sive ad sacerdotes, sive ad pœnitentes attendamus. Nam ex parte Dei relucet, tum misericordia non extorquendo ad instar judicum sæcularium publicam peccatorum confessionem, ut reos confessos damnent ; sed potius se gerendo per modum medici, ut exposita in secreto vulnera, continuo curet. Tum etiam justitia, qua peccatoris superbia confusione scelerum humiliatur, et impudentia rubore confessionis confunditur. Sacerdotibus autem, et pastoribus ingens ex confessione ovium bonum accrescit : cognitis namque eorum morbis, melius possunt eis consiliare, et oportuna remedia adhibere. Pœnitentes vero maximas ex confessione utilitates lucrantur, illam præsertim, quod liberati a peccatis in gratiam, et amicitiam Dei restituuntur ; et insuper consolationem, instructionem, libertatem a præteritis delictis, et remedium contra futura. Denique in Ecclesiam, et totam Rempublicam Christianam plurima bona ex Sacramentali fidelium confessione redundant : plurimi enim excessus, quos nec judices, nec ipsi Reges in foro externo emendare possent, per sacerdotes in foro conscientiæ facile, et suaviter compescuntur, dissolvuntur contractus injusti, restituuntur ablata, conciliatur pax, dimittuntur injuriæ, tolluntur scandala, aliaque plurima commoda bono publico proveniunt. Id quod, et opposita damna experti sunt ipsi, qui a Luthero, et discipulis decepti Germaniæ cœperunt parvipendere penitentiæ sacramentum, ut refert fidus, et oculatus testis Dominicus Soto in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 1, fol. 738, ubi ait : « Fac « confessionem sacramentalem non esse « necessariam, sed satis esse soli Dei con- « fiteri : profecto tota res publica plena « esset occultis vitiis, quæ non possent non « in publicum prodire : verecundia enim « confitendi vehementissime homines a « perversis moribus arcet. Id quod me « teste Germani ipsi, dum inter eos age- « bam, publice confitebantur. Qua ex in- « clita Norimberga missa est ad Cæsarem « legatio, per quam cives illi petebant, ut « Cæsar Imperatorio jure confessionem « auricularem judicaret. Aiebant enim se « usu, et more intellexisse Rempublicam « suam, postquam confessio cessaverat, « vitiis contra justitiam, et alias virtutes « scaturire, quæ ipsis antea fuerant inco- « gnita, etc. » Unde ipsa ratio naturalis, supposita fidei illustratione, dictat credibile omnino esse, quod Deus istud remedium instituerit in lege gratiæ, ob insignes nimirum utilitates, quæ ex illo in totum genus humanum derivantur. Quamvis enim hominibus in omni statu semper aliqua remedia providerit, ut a peccatis possint purgari, nullum tamen est perfectius, facilius, efficacius, et humanæ fragilitati, quam istud sacramentalis confessionis, merito proinde reservatum pro statu præsenti, in quo virtus passionis Christi magis elucet. Unde pro tanto beneficio immensas Deo debemus gratias, ut in ejus recommendationem dicamus cum D. Aug. ser. de Pœniten. « Confessio est salus ani- « marum, dissipatrix vitiorum, restauratio « virtutum, expugnatrix dæmonum. Quid

plura

« plura ? Obstruit os inferni, aperit portas « paradisi. »

§ II.

Refertur hæresis contraria, et evertuntur ejus motiva.

12. Contra nostram Catholicam assertionem plures hæritici olim censuerunt, et modo censent. Montanistæ, et Novatiani, qui potestatem dimittendi peccata Ecclesiæ, et sacerdotibus denegarunt, cum quibus jam egimus in priori parte disp. 1, dub. 1. Audiani hæritici, ut ex Theodoreto lib. 4, contra eorum fabulas possumus intelligere, errarunt circa confessionem, et ejus necessitatem, tollebant namque peccata graviora, confitentes præcise quædam levia eo plane modo, quo Lutherani solent confiteri coram ministro. Eandem necessitatem negarunt Massiliani apud Damascenum, lib. de hæresibus ; negarunt, et Jacobitæ, sic vocati a Jacobo Hæresiarcha, ut refert N. Guido in lib. de hæresibus. Sed post illos, et vehementius, atque impudentius, quam illi confessionem sacramentalem impugnavit Wicleff. illam vocans clancularium Papalem, sine auctoritate Dei, et multum Ecclesiæ nocivam, ut refert V. N. Waldensis tom. 2, de sacrament. cap. 138. Quam hæresim Lutherus, ut populum palparet, et facilius, molliusque ad se pertraheret, totis viribus suscitare, et persuadere curavit. Unde licet a principio non negaverit confessionem secretam, sed potius esse utilem, et sibi placere dixerit, ut constat ex lib. de captivit. Babyl. cap. de pœnitentia, jam tamen ibi cœpit venenum evomere, asserendo, tum, confessionem non posse probari ex Scripturis ; tum, non fieri de necessitate sacerdoti, sed posse etiam fieri laicis. Deinde progressus negavit sermon. de pœnitentia, omnia peccata mortalia esse confitenda, ut constat ex ejus art. 8 condemnato a Leone X. Nam in serm. de Confessione, et Euchar. dixit, Confessionem, quæ fit coram sacerdote, non esse præceptam a Deo, sed a Papa. In serm. de Eucharist. anno 1526, prædicavit neminem cogendum esse ad confessionem. In articulis Smalchaldicis anno 1527, art. de Confes. asseruit enumerationem peccatorum debere esse liberam, ut quisque enumeret, quæ voluerit. Denique alia sexcenta in aliis scriptis contra legitimam confessionem sacramentalem effutivit, quæ prolixum, et superfluum foret referre. Idem docuerunt Œcolampadius in lib. Quod confessio non sit onerosa Christiano. Melanchthon in Confessione Augustana, art. de Confessione, et in Apologia ejusdem art. et in examine ordinandorum, et in locis communibus, tit. de Confessione. Calvinus lib. 3, Instit. cap. 4, § 7, et 11. Kemnitius in 2 part. Examinis, cap. 5, de pœnitentia, Brentius in Confessione Witemberg, art. 11, de Confessione, et alii istorum discipuli. Quamvis enim admittant utilitatem aliqualis confessionis, eaque utantur tamen in modo, et sensu prorsus differentibus ab his, quos Ecclesia docet. Dicunt enim confessionem fieri debere, vel in genere, vel soli Deo : et quamvis admittant posse etiam fieri ministris, addunt tamen manifestationem horum, aut illorum peccatorum esse arbitrariam, et non ordinari ad peccatorum remissionem, pro qua nullam in ministris potestatem recognoscunt, sed ad solam consolationem, vel instructionem. Ubi autem sermo fit de confessione, qualem exercemus Catholici, omnium scilicet mortalium in specie, et numero, ac circunstantiis, submittendo illa judiciariæ sacerdotis potestati ; negant prorsus esse ex Deo, vel a Deo institutam, vel a principio Ecclesiæ, et subsequentibus sæculis usitatam ; sed affirmant esse modernius inventam, et primo præceptam fuisse ab Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi, eoque præcepto minime obligari Christianos in re adeo onerosa, et difficili. Hæc in summa est illorum sententia, quam immensis falsitatibus, calumniis, et convitiis in Papam, et Catholicos adornant.

Calvinus, Kemnitius, Brent.

Et probant primo ex facto Nectarii Patriarchæ Constantinopolitani præcessoris Chrysostomi : nam referentibus antiquissimis testibus Sozomeno lib. 7, cap. 16, Socrate lib. 5, cap. 19, et Historia tripart. lib. 9, cap. 35, accidit Constantinopoli, quod cum nobilissima fœmina, ut preces sibi a Confessario in satisfactionem impositas solveret, frequens esset in Ecclesia, inventa, est cum Diacono concubuisse : unde populus scandalum passus, indignari, et sævire cœpit in sacerdotes. Cui malo, ut occurreret Nectarius, prohibuit usum con-

Argum. 1 Hæreticor. Sozomeno, Socr.

fessionis, auricularis utique, et secretæ, qualis nunc est in usu apud Catholicos : nam ut prædicta Historia refert, ad id constituebatur presbyter bonæ conversationis, sapiens, et servans secretum, quod ultimum superfluum foret, si sermo fieret de publica confessione, aut pœnitentia. Hinc vero facile suadetur confessionem secretam, sive auricularem non esse de jure, aut præcepto Divino, nec ortum duxisse ab antiquissimis temporibus, nec fuisse tunc in Ecclesia communem. Si namque istæ conditiones haberet, Nectarium non latuissent, nec ipse auderet oppositum sancire in re tanti momenti.

Confirm. 1. Confirmatur primo satis urgenter : nam Chrysostomus Nectarii in illa sede successor, et Doctor sapientissimus eandem sententiam Nectarii tenuit, asseruitque, ut constat ex ejus scriptis. Homil. 2, in Psalm. 50, ait : « Peccata tua dicito, ut deleas illa. « Si confunderis alicui dicere, quia peccas- « ti , dicito ea quotidie in anima tua.. Non « dico, ut confitearis conservo tuo, qui ex- « probret : dicito Deo, qui curet ea.. » Et in oratione de S. Philogonio inquit : « Ego « testificor, ut si quisque nostrum recedens « a pristinis malis, ex animo vereque pro- « mittat Deo se postea nunquam ad illa « rediturum, nihil aliud Deus requirat ad « satisfactionem ulteriorem.. » Homil. de Pœnit. et confess. « Cogitatione fiat exqui- « sitio delictorum : absque teste sit hoc ju- « dicium : solus te Deus confitentem vi- « deat. » Homil. 8, de Pœnit. « Non delic- « torum testes statuas: intus in conscientia, « adstante nemine præter eum, qui cuncta « videt, Deum ; reforma, quod deliquisti.» Similia profert homil. 20, in Genes. et homil. 31, in epist. ad Hebræos, et alibi. Ex quibus convinci videtur D. Chrysostomum in ea sententia fuisse, quod non tenemur nostra peccata exponere sacerdoti confessione secreta, et auriculari, sed possimus uti alio remedio confitendi illa Deo soli.

Confirm. 2. Confirmatur secundo : nam quod Nectarius Constantinopoli jussit, extensum est ad alias Græcorum Ecclesias, ut palam significat Theodorus Archiepiscopus Cammariensis relatus in can. finali de pœnitentia, dist. 1, dicens : « Quidam, soli Deo debere « confiteri peccata, dicunt, ut Græci.. » Id vero minime contigisset, si confessio peccatorum facienda sacerdoti esset de jure Divino, et ab Ecclesiæ initiis, ut affirmamus.

Confirmatur tertio : quia non pauci, qui ab Ecclesia damnati non sunt, sed vere censentur Catholici, satis aperte significant non dari præceptum Divinum confitendi sacerdoti omnia mortalia in specie. Joannes Cassianus collat. 30, cap. 8, inquit : « Quis est, qui non possit suppliciter dice- « re, Peccatum meum cognitum tibi feci, « et injustitiam meam non operui, ut per « hanc confessionem illud etiam confiden- « ter subjungere mereatur, et tu remisisti « impietatem cordis mei ? Quod si vere- « cundia retrahente revelare coram homi- « nibus erubescis, illi, quem latere non « possunt, confiteri ea jugi supplicatione « non desinas. » Quibus non obscure significat non obligari præcepto divino illa confiteri sacerdoti, sed posse alio remedio uti. Hugo de S. Victore lib. 2, de sacram. part. 14, cap. 1, docet Christum dedisse quidem sacerdotibus potestatem absolvendi, sed pœnitentibus non imposuisse obligationem confitendi. « Sed quare, *inquit*, « non similiter præceptum non dedit Chris- « tus hominibus peccata sua confitendi ? « Audi quare : voluit Christus, ut a te « ipso surgeres, et non quasi extorta, et « coacta videretur esse confessio... Medicis « dixit, ut sanarent, sed infirmis non dixit, « ut ad medicos curandi venirent : hoc « quasi certum esse voluit, quod ægri li- « benter salutem quærerent. » Sed paulo inferius observat, et addit, quod, cum Medici, viderent infirmos in hac re negligentes, præceptum eis imposuerunt, ut ad se venirent, et curarentur, sicut Jacobus fecit, cap. 5 suæ Canonicæ dicens : *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Et hanc Hugonis sententiam tenuisse etiam Alexandrum Alensem, et D. Bonaventuram censet Vasquez q. 90, art. 1, dub. 1, n. 5, et 6 ; nam Alexander 4 part. quæst. 17, membro 3, art. 2, docet Christum Matth. 4, illis verbis : *Pœnitentiam agite* insinuasse confessionem : et illis Joann. 20 : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis etc.* dedisse potestatem absolvendi : sed confessionem promulgatam postea fuisse ab Apostolo Jacobo verbis proxime relatis. Et D. Bonaventura in 4, dist. 17, in 2 p. dub. 1, circa textum docet, quod ante institutionem Innocentii Tertii in Concil. Lateranensi

Lateranensi non foret hæreticum asserere non esse necessariam confessionem, quia ex hoc non tollebatur utilitas clavium, sed solius confessionis obligatio. Addit vero in 2 part. ejusdem distin. art. 1, quæst. 3, Christum non præcepisse confessionem, sed insinuasse, ut Apostoli ipsius auctoritate ipsam præciperent, sicut et fecit Jacobus in sua Canonica. Deinde Joannes Teuthonicus Glossator in initio dist. 5, de Pœnit. docet melius esse dicere confessionem institutam fuisse per quandam universalis Ecclesiæ traditionem, quam per novi, aut veteris testamenti auctoritatem. In quam sententiam, licet vacillans, multum inclinat Panormitanus in cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. et remission. Denique confessionem non esse jure Divino institutam docent Erasmus in annotat. ad epist. D. Hieronymi ad Occanum de obitu Fabiolæ, et in annotat. in cap. 19 Act. et in Methodo Theologiæ, et Rhenatus in annot. ad lib. Tertullian. de Pœnitentia.

13. Argumentum desumptum ex facto Nectarii tres sunt Catholicorum responsiones. Prima nullam esse adhibendam fidem prædictæ narrationi: nam Socrates, qui primus illam scripsit, et Sozomenus, ejus scriptor fuerunt hæretici Novatiani, ac jurati sacramenti penitentiæ inimici. Unde indignum est, quod eis in hac materia fidem adhibeamus, qui odio confessionem habuerunt, et alii curarunt facere odiosam. Nicephorus testatur lib. 6, cap. 27, et lib. 9, cap. 13, et satis palam colligitur ex ipso Socrate lib. 6, suæ Histor. cap. 19, præsertim cum D. Gregor. lib. 6 epistol. 195, dicat Sozomenum in multis mentiri, et propterea Ecclesiam Romanam non recipere ejus historiam. Porro illorum non pauca mendacia propalant Arment. in lib. vitæ Chrysost. et ex ipso Contensonius dissert. unica de Pœnitent. cap. 1, pag. 96. Et in hunc fere modum respondet, illamque historiam repellit Baronius anno Christi 56. Illa vero convulsa, nullæ vires argumento relinquuntur, nec opus habemus alia satisfactione. Sed, ut bene observavit Suar. disp. 17, sect. 2, num. 31, quamvis prædicti auctor. mentiri soleant, et præsumere possimus ipsos minus fideliter factum Nectarii narrasse; negare tamen non oportet, nec debemus Nectarium aliquid sustulisse ad negotium penitentiæ, aut confessionem spectans. Tum, quia non potuisset, vel ex industria fingi mendacium in re tam gravi, et manifesta, si non præfuisset aliquod circa eandem rem fundamentum: tum, quia ejus facti memoria occurrit in aliorum historiis, et colligitur ex diversis locis D. Chrysostomi, qui fuit Nectarii successor. Admittendum itaque est Nectarium aliquid sustulisse pertinens ad confessionem, quamvis incertum sit, quid illud fuerit.

Secunda, et melior responsio est Nectarium non sustulisse secretam, et auricularem confessionem, sed quandam ejus appendicem, eo tempore Constantinopoli, et alibi usitatam, nimirum publicam peccatorum recitationem, vel ex imposita publica pœnitentia indicationem: unde ortum duxerant, et matronæ pervulgata infamia, et populi scandalum, atque in sacerdotes ira. Ex hoc autem facto nihil concluditur contra nostram Catholicam assertionem; siquidem illud non attingit confessionem secretam, sed alium illi morem tunc, et ibi annexum, quem fatemur non fuisse, nec esse de jure Divino. Sic primus, pervestigatis historiis, videtur respondisse Joannes Hasselius, eximius Theologus, in suo judicio de relato Socratis, et Sozomeni testimonio, quod Patribus Concilii Tridentini exhibuit. Et deinceps idem satis communiter sequuntur, et respondent viri graves, Bellarminus lib. 3, de Pœnit. cap. 14, Suarez loco cit. a num. 35, Vasquez quæst. 90, art. 1, dub. 3, Contenson loco cit. fol. 93, et alii. Pro qua responsione magis elucidanda, et firmanda observandum est, quod licet in Ecclesia nunquam licitum, et usitatum fuerit peccata in confessione exposita divulgare, nihilominus veteres canones in primitiva Ecclesia servari soliti pro diversitate criminum præscribebant pœnas etiam exteriores. Sic enim Clerici in fornicationem lapsi ab exercendis Ordinibus suspendebantur, et in sortem laicorum redigebantur. Sic etiam adulteri per duos annos stabant cum privatis communione, quatuor cum flentibus, et quinque cum audientibus, et sic etiam de aliis criminibus, ut videre est in Constitutionibus Apostolicis, et in Concilio Neocæsariensi, et in Canonibus S. Basilii Magni. Ut autem ista sobrie, et prudenter man-

Secunda

Bellarm. Suar. Vasq. Contens.

darentur executioni, solebant Ecclesiæ principaliores eligere unum Presbyterum cui nunc correspondet quadam ex parte in singulis Cathedralibus Canonicus Pœnitentiarius) ad audiendos pœnitentes,et declarandum, quando, ubi, et quomodo deberent pœnas externas criminibus secundum Canones debitas exercere. Et ad hæc alludit, vel ipse Sozomanus, dum ait : « Visum « est antiquis Pontificibus, ut velut in « theatro snb testimonio Ecclesiastici po- « puli delicta pandantur ; et ad hanc cau- « sam Presbyterum bonæ conversationis, « servantemque secretum, ac sapientem « virum statuerunt, ad quem accedentes ii, « qui deliquerant, delicta propria fateban- « tur. » Et quamvis *servantem secretum* dixerit, non propterea colligendum est ipsum loqui de confessione secreta, et auriculari, quam prohibuerit Nectarius, sed ita loquutus est, quia licet confessio fuisset omnino occulta, ut semper quidem fuit de occultis peccatis ; tamen aliquando imponebatur pœnitentia publica juxta Canones. Ne vero ita per notoriam pœnitentiam patefierent occultiora, et graviora crimina in confessione secreta exposita, voluerunt Patres, quod ad id judicii de exequendis pœnitentiis munus eligeretur Presbyter discretus, et silentii tenax. Sed id, quamvis his præcautionibus septum, erat, observare difficile : qui namque vidisset alicujus uxorem ex præscripto Presbyteri posita in loco adulteris debito juxta Canones, facile conjectaret hanc fuisse illi pœnam ob adulterium injunctam. Ad hæc itaque inconvenientia propellenda censuit, nec imprudenter. Nectarius arcendam esse ab Ecclesia publicæ pro peccatis occulte confessis pœnitentiæ impositionem, et de medio sustulit Tribunal, ac judicium illius Presbyteri, qui ad hoc munus olim eligebatur. Quod etiam remedium in simili periculo adhibuit postea D. Leo Magnus, nam prævidens pericula ex qualibet, vel quolibet titulo peccatorum publicatione scaturientia, scripsit in hunc modum epist. 80 : « Illam contra Apostolicam regulam præ- « sumptionem, quam nuper agnovi a qui- « busdam illicita usurpatione committi, « modis omnibus constituo submoveri : ne « de singulorum peccatorum genere libel- « lis scripta professio publice recitetur ; « cum reatus conscientiarum sufficiat solis « sacerdotibus judicare confessione secre- « ta. »

Leo Magn.

De probabilitate hujus responsionis non dubitamus, nec quod inter Catholicos sit plausibilis. Sed in ea non quiescimus : tum, quia insufficiens nobis videtur ad obturandum hæreticorum ora. Tum, quia, ut ipsi dicent, plurima assumit, et ex pluribus dependet, quæ magis supponuntur, quam probentur, cum probari deberent. Tum quia licet admittantur, non hærent, nec quadrant præsenti difficultati : peccatum enim illius matronæ non fuerat publicum; alias populus scandalizatus non fuisset, ubi primam illius notitiam habuit. Nec illud illa manifestavit publica confessione, nec talis mos erat in Ecclesia, quin ut inquit Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 5 : « Neque satis consulte humana aliqua lege « præciperetur, ut delicta præsertim se- « creta, publica essent confessione ape- « rienda. » Quod itaque illud peccatum innotuerit, ortum duxit ex secreta confessione, adjuncta imprudentia Presbyteri, qui ob adjunctam publicam pœnitentiam, dedit occasionem, ut patefieret. Hinc orta indignatio civium in sacerdotes, hinc sententia Nectarii, qui ut eam sedaret, usum confitendi, vel interdixit, vel suspendit, ut vere narrant Socrates, et Sozomenus. Quæ itaque Auctores relati respondent, possibilia quidem sunt, et ingeniose excogitata ; at non videntur facto congruere, sed ansam offerre novis hæreticorum impugnationibus.

14. Eis itaque in sua probabilitate relictis, tertia, vera, sincera, et rotunda ex V. N. Waldensi tom. 2, de Sacrament. cap. 141, responsio est Nectarium prohibuisse, aut suspendisse ad tempus secretæ, et auricularis confessionis usum. Quo antecedenti dato, quid colligent Hæretici ? Confessionem secretam sacerdotibus faciendam non esse ex jure, et institutione Divinis : minime gentium. Nam oppositum constat ex Scriptura, Traditione, Conciliis, et Patribus supra relatis : contra quæ nullius ponderis, minimeque auctoritatis esse potest unius Nectarii factum. Melius colligent, ex nos admittimus, in illo errasse. Permisso itaque illis, aut etiam concesso antecedenti, negamus absolute consequentiam, quod confessio non sit de jure Divino, ut intendunt.

Sed

Sed compendiosam hanc responsionem impugnant Auctores, præcedentis patroni. Unde Suarius loco citat. num. 33, inquit : Incredibile mihi est illum abstulisse usum confessionis sacramentalis etiam ad tempus, nisi concedamus Nectarium fuisse a Novatianis deceptum, a qua sententia non longe abest Baronius supra. Non invenio tamen sufficiens fundamentum, ut hanc notam illi viro impingamus, etc. Bellaminus etiam loco cit. § *Non ignoro*, ait, se non facile id concessurum, quod Nicolaus Papa in epist. ad Photium, recitata in Synodo 8, act. 4, Nectarium vocat hæreticorum impugnatorem, et Ecclesiarum defensorem. Hæc tamen parum urgent. Tum, quia videmus viros doctissimos amplecti responsionem nostri Waldensis, Petrum de Soto relect. 2, de necessit. confessionis circa finem. Dominicum de Soto in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 1, § *Circa Canonem*, Canum in relect. de Pœnit. part. 5, in resp. ad 6, Nugnum quæst. 6, art. 1, dub. 2, in resp. ad 3, qui, cum pro multis valeant, alios non referimus. Tum, quia non debemus adeo impediri auctoritate Nectarii, quam ei largam detulit Calvinus lib. 3 institut. cap. 4, § aut sect. 7, dicens : « Ob id facinus Nec-« tarius vir, et sanctitate, et eruditione « clarus, illius Ecclesiæ Episcopus confi-« tendi ritum abrogavit. Si lex Dei erat « auricularis confessio, qui ausus esset « Nectarius eam refigere, et convallare. « Nectarium Sanctum Dei hominem omni-« bus veterum suffragiis probatum hære-« seos, et schismatis accusabunt. » Hæc Calvinus. Cui Bellarminus loco cit. § *Sexto duo* occurrens, nosque docens a se objecta diluere, respondit : Duo simul falsa Calvinus scribit, cum addit. Nectarius vir sanctitate, et eruditione clarus, etc. Nectarius enim jam senex, et laicus, et quod majus est, nondum baptizatus erat, cum ad Episcopatum assumeretur, ut non sit credibile, aut eo tempore clarum eruditione fuisse, aut postea ad insignem aliquam eruditionis gloriam pervenire potuisse. Quo circa Sozomenus lib. 7, cap. 8, laudat eum a canitie, et morum suavitate, sanctitatis, et eruditionis mentionem nullam faciens. Et Nugnus loco cit. Nectarium auferendo confessionem saltem ad tempus maxime errasse, quia vir erat idiota, miles, et antequam baptizaretur, assumptus est ad Archiepiscopatum : de ejus autem sanctitate nihil constat.

Hæc, et nos possemus respondere ; sed addimus, quod qualiscumque fuerit Nectarius, non doctor, non sanctior fuit, quam D. Cyprianus, et hunc constat aliquando errasse circa valorem sacramentorum, quæ hæretici, et schismatici conferebant, ut constat ex D. Augustino lib. 2, de Bap- D. Aug. tismo, cap. 7, et in epist. 48, ad Vincentium, et ex aliis communiter. Et tamen certum est Cyprianum pro humana fragilitate errasse, nec id dicere derogare ipsius venerationi, ut loquitur D. August. lib. de unico Baptismo, cap. 3, ubi conferens Donatistas cum S. Cypriano, et Agrippino ejus prædecessore, ait : « Rebaptizare « hæreticos, quod illi fecisse dicuntur, tunc « fuit humani erroris : rebaptizare autem « Catholicos, quod adhuc isti faciunt, sem-« per est diabolicæ præsumptionis. » Et si dicatur, turpe nimis videri, quod Nectarius tantæ Ecclesiæ præsul erraverit in re adeo certa, communi, et antiqua, qualem jam tunc fuisse secretam peccatorum confessionem ; respondemus, et urgebimus idem Cypriani exemplum, qui etiam erravit in re antiquissima, et usu communi recepta, ut merito dixerit D. Augustin. D. Aug. lib. 2, de Baptismo : « Consuetudinis ro-« bore tenebatur orbis terrarum, et hæc « sola opponebatur inducere volentibus « novitatem. » Et Vincentius Lirinensis in Commonit. eleganter expendit tantum valuisse hoc Catholicorum argumentum a traditione, et Ecclesiæ consuetudine ductum, ut hoc uno superata fuerit causa, D. Cypriani, qui summa eloquentia, et frequentissimo Sanctorum Episcoporum concilio contra veritatem pugnabat. Quid ni morabimur cum uno Nectario? Præsertim, cum ille (ut recte expendit piissimus Doctor Petrus de Soto, agens etiam ipse contra Lutheranos) quamquam Catholicus, et pius, potuerit errare, re nondum per plenarium Concilium, et ultimum Ecclesiæ judicium diffinita. Hoc itaque modo congruum duximus respondere hæreticis, qui cum traditionem, Concilia, Patres, et ipsam scripturam parvipendant, ut ex dictis § præced. satis liquet, conantur nos onerare Nectarii facto, quod primi scripserunt hæretici Novatiani, in sacramento pœnitentiæ jurati hostes.

Solvit 1 confirmat.

13. Ad primam confirmationem desumptam ex diversis testimoniis D. Joannis Chrysostomi, Auctores illi, qui num. 13 defendebant Nectarium, existimantes ipsum non prohibuisse secretam peccatorum confessionem, sed illam, quæ ordinabatur ad publicam pœnitentiam, ex qua imminebat periculum, quod peccata confessa aliis innotescerent, respondent eodem modo intelligendum esse Chrysostomum, qui Nectario successit, et prædecessoris voluit, ut par erat, sanctionem conservare, atque tueri. Unde cum dicit peccata revelanda esse non hominibus, quorum notitia confundimur, sed soli Deo, qui peccata nostra cognoscit; solum excluditeam confessionem, ex qua ob injunctam secundum canones publicam pœnitentiam possit rumor, aut confusio pœnitentis oriri, qualem præcise Nectarius proscripserat : sed non excludit secretam ex omni parte confessionem, soli, et uni sacerdoti factam. Cum enim hic vices Dei gerat, et strictissimo sacramentalis sigilli secreto adstringatur : quæ illi in confessione manifestantur, soli Deo innotescere merito dicuntur. In hoc itaque sensu loquitur Chrysostomus, et cum magna consequentia ad Nectarii decretum. Cui responsioni multum probabilitatis adferunt graves ejus patroni. Sed nobis multum displicet propter duo : nam in primis violenta apparet ob non cohærentiam cum motivo Chrysostomi, qui locis relatis monet fideles, ut confiteantur soli Deo, non autem proximo, aut coram testibus, ut vitent confusionem, et erubescentiam, aut e proximo exprobrationem, ut evidenter constat ex relatis ipsius locis. Id vero minime vitatur ex hoc, quod peccata confessione omnino secreta exponat uni soli sacerdoti, nec ex hoc quod sacerdos vices Dei gerat; nam his non obstantibus, et concurrentibus nimis confundimur, et erubescimus in confitendo peccata, præsertim turpia, et infamiam afferentia. Unde inter præcepta Religionis Christianæ istud confitendi omnia peccata censetur difficillimum, et re vera est. Deinde, si D. Chrysostomus in ea præcise sententia fuisset, quam ei attribuunt Auctores illi, plane illam explicaret, utpote nihil absurdi continentem : atque ideo profiteretur se docere, et probare Nectarii sui prædecessoris doctrinam, et legem, siquidem eademmet, ipsis testantibus erat. At nihil horum in Chrysostomo reperimus, sed altum quantum ad Nectarii dispositionem silentium. Et profecto si illam in suis scriptis recensuisset, aut probasset; illud nobis objicere non omitterent Lutherani. Aliud itaque, et valde diversum voluit, et significavit D. Chrysostomus in eis locis, quæ contra nostram assertionem producuntur.

Quibus etiam motivis ducimur ad non probandam responsionem Auctorum, quibus num. præcedent. adhæsimus, qui dicunt Chrysostomum, ubi successit Nectario, putasse tunc aliquid esse dissimulandum, et consensisse pro eo tempore cum illo propter scandalum populi. Sed id, inquam, non probamus. Tum, quia in scriptis Chrysostomi non reperimus facti, aut præcepti Nectarii mentionem. Tum etiam, quia peccatores debere sua peccata confiteri, sicut et sacerdotes posse absolvere a peccatis docet apertissime locis a nobis relatis num. 4 et 10, unde incredibile est docuisse aliquando contrarium. Tum præterea, quia homiliæ illæ, ex quibus hæretici suum errorem confirmare nituntur, dictæ, et scriptæ fuerunt a Chrysostomo Antiochiæ, ubi abrogatam exemplo, aut jussu Nectarii sacramentalem, et secretam confessionem nemo asserit, aut imaginatus est. Tum denique, quia de hoc sapientissimo, et Sanctissimo Ecclesiæ Doctore (in cujus pervigilio 1701 hæc scribimus) absurdum nobis videtur præsumere, quod contrarium errorem scripserit, aut permiserit : quippe, quia ea sapientia fulgebat, ut non ignorarit communem usum, et traditionem Ecclesiæ, et eo ardebat zelo, ut minime illos toleraret, qui se ei opponerent.

Respondetur ergo aliam omnino fuisse intentionem, et sententiam Chrysostomi in eis locis : hortatur quidem ad frequenter discutiendam conscientiam, et ad confitendum peccata Deo : sed minime negat confitenda aliquando esse sacerdoti, nec ab hac obligatione, ejusque executione dehortatur fideles. Sunt enim hæc toto cœlo diversa : nam quamvis nemo teneatur singulis diebus confiteri peccata, in quæ incidit, sed faciat satis suæ obligationi, si semel in anno illa sacerdoti exponat : tamen saluberrimum consilium est, quod de illis frequenter recogitet, illa ad examen conscientiæ

revocet

revocet, et de illis se coram Deo accuset. Unde peccatores, vel desides, vel nimis verecundos, vel excessive circa sacramentalem confessionem perplexos, et scrupulosos hortamur, inducimusque, ut, si adeo reformidant, ac renuunt ad pedes sacerdotis accedere, nisi semel in anno; satagant nihilominus, et ad minus peccatorum suorum recordari, fœditates eorum recensere, coram Deo, qui cuncta videt, manifestare, de eis pœnitere, et propositum emendationis aspirante ejus gratia concipere. Hæc enim, cum ex una parte utilissima sint, ex alia, addimus, sunt facillima, ut pro quibus opus non est confessorem adire (licet alia foret optimum) nec confusionem, et erubescentiam ex confessione ad ipsum subire, nec testem delictorum habere, sed totum, quod petimus, inter Deum, et peccatorem peragitur. Quem hortando in hunc modum, minime avocamus, aut deobligamur a confessione sacramentali, quando, et ubi præceptum ejus instaverit, coram sacerdote facienda; sed provocamus ad ea, quæ optimi consilii sunt, et in quibus non occurrunt eæ difficultates, quas sibi nonnulli ex sacramentali confessione solent obtendere. Et hæc contingunt de facto inter Catholicos, apud quos nemo dubitat teneri ad annuam saltem mortalium confessionem. Hac itaque ratione se gessit Chrysostomus: nam in locis relatis num. 4 et 10, supposuit, palamque asseruit obligationem, quam fideles habent confitendi peccata sacerdoti; sed in locis, quæ ab hæreticis objiciuntur, hortatus est, ut qui nollent (ut sæpe licet, quia non semper instat sacramentalis confessionis præceptum) aut nimis erubescerent confiteri sacerdoti peccata, illa saltem confiterentur Deo per frequentem eorum coram illo memoriam, odium, et accusationem. In quo consilio securius processit, quia tunc non erat impositum ab Ecclesia præceptum annuæ confessionis longo post tempore editum in Concilio Lateranensi: aliunde autem videbat plurium socordiam (quam forte suo decreto Nectarius promoverat) in confitendo sacerdotibus: quare voluit, vel ab ipsis extorquere, quod coram Deo confiterentur, et sic cum majori puritate, vel omissa confessione sacramentali (de se requisita, sed obligatione tunc non ita exposita sicut in Concilio Tridentino) ad Eucharistiam suscipiendam accederent. Sic cohærent omnia Chrysostomi testimonia, quæ hæretici conciliare non valent aut non posse affectant: sed aperte convincuntur imponere in dictis S. Doctoris contrarietatem; et tunc ostendendum ab illis est, cur magis debeamus suscipere ab eis allegata, quam ipsi debeant revereri, quæ nos producimus. Aliunde vero, vel apud ipsos hæreticos habemus, quo fulciamus responsionem datam, et ponamus concordiam inter diversa loca Chrysostomi. Docent illi, et usu frequentant confessionem soli Deo factam, sive absque interventione ministri: sed tamen non negant debere aliquando coram ministro fieri. Sic enim Calvinus lib. 3 institut. cap. 4, § 13, ait: « Interim quin sistant se « oves pastori, quoties Sacram Cœnam « participare volunt, adeo non reclamo, « ut maxime velim hocubique observari. » Et Melancthon in confes. August. cap. de Confessione dixit: « Confessio apud nos « non est abolita: non enim solet porrigi « corpus Domini, nisi antea exploratis, et « absolutis. » Et Kemnitius in 2 part. examinis, cap. de pœnitent. inquit: « Cum « non sine judicio usurpanda sit clavis, « vel solvens, vel ligans, in privato illo « colloquio Pastores explorant auditorum « judicia... Traditur illis doctrina, et « exhortatione de emendatione, quæritur « vel consilium, vel consolatio in grava- « minibus conscientiæ: et tali confessioni « impertitur absolutio. » Sicut igitur ex frequentata apud ipsos confessione soli Deo facta, non colligunt, quod nunquam sit facienda ministris: sic ex eo, quod D. Chrysostomus hortatus homines fuerit, quod frequenter confiteantur soli Deo, minime colligere possunt Sanctum Doctorem negasse, quod possit, ac debeat etiam sacerdotibus fieri quando instat præceptum Divinum, vel saltem impositum ab Ecclesia. De quo inferius.

Calvin. Melanc. Kemnit.

16. Ad secundam confirmationem negatur antecedens: oppositum enim constat tum ex Concil. Laod. apud Græcos celebrato, et relato n. 9, cui modo addimus sextam Synodum can. 102, ubi dicitur: « Oportet autem eos, qui solvendi, atque « ligandi potestatem accepere, peccati qua- « litatem considerare, et ejus, qui peccavit, « ad eam conversationem, studium, etc. » Quod fieri non valet absque confessione

Ad 2 confirm. respondetur. Sexta Syno

peccatorum in specie. Constat etiam ex Sanctis Chrysostomo, et Nisseno relatis num. 10, quibus plurimos alios Ecclesiæ Græcæ Doctores possemus adjungere, sed sufficiet modo duo ejus lumina ob oculos
S. Athan. proponere. Magnus Athanasius in serm. ad illa verba, « Invenietis pullum alligatum *inquit :* Nos ipsos examinamus, non « soluta sicut nostra vincula, ut in melius « proficiamus. Quod si nondum soluta sint « vincula, tradat te ipsum discipulis Jesu : « adsunt enim, qui te solvant pro ea po- « testate, quam a Salvatore acceperunt. « Quæcumque enim, inquit, ligaveritis in « terra, erunt ligata et in cœlis ; et quæ- « cumque solveritis in terra, erunt soluta « et in cœlis, et quorum remiseritis peccata,
D. Basil. « remittuntur eis. » Magnus etiam Basilius in regulis brevioribus, regula 229, inquit : « Omnino in peccatorum confessione « eadem ratio est, quæ in aperitione vitio- « rum corporis. Ut igitur vitia corporum « nequaquam quibusvis temere homines « aperiunt, sed his tantummodo, qui ra- « tionem, qua ea curanda sint, teneant, « eodem modo peccatorum confessio fieri « debet apud eos, qui ea possint curare. » Qui autem hi sint, declarat reg. 228, dicens : « Necessario iis peccata aperiri de- « bent, quibus credita est dispensatio mys- « teriorum Dei, » nempe solis sacerdotibus. Tum præterea, quia descendendo ab illis Sacris Doctoribus ad alios Scriptores Græcos, antiquos, et satis graves, idem reperimus in Anastasio Nisseno in quæst. super
Anast. Nissenus Nicolao Cabasil., Niceph. Cartophylace. Theod. Study. Scripturam, quæst. 6, Nicolao Cabasilas in exposit. Liturgiæ cap. 29, Nicephoro Cartophylace in epist. ad Theodosium, Theodoro Studyta in vita S. Planovis, et aliis, qui cum Græci sint, aperte supponunt, ac docent confessionem secretam, et sacramentalem. Tum denique, quia vel ab hæreticis consultus Hieremias Patriarcha Constantinopolitamus, in judicio de Confessione Augustana cap. 11, vehementer reprehendit Lutheranos, quod dicerent non opus esse omnia peccata mortalia per singulas species in confessione numerari, et aperiri : et quod id revocare conarentur ad usum Ecclesiæ Græcæ; cum ipsa nihil tale docuerit, vel censuerit facere. Ex quibus falsitas antecedentis evidenter patet. Ejus autem probatio nullius momenti est : quia illud, *ut Græci*, apud Gratianum repertum minime scriptum fuit ab Archiepiscopo Theodoro ; siquidem non reperitur in hujus Capitulari, unde desumptus dicitur ; nec in Concilio secundo Cabilensi, ex quo Theodorus illum canonem accepit. Quare existimandum est ab aliquo imperito, aut etiam hæretico, qui ex facto Nectarii censuit sublatam fuisse apud Græcos sacramentalem Confessionem, illud de suo addidit in marginandam annotationem : et ex margine irrepsit in textum. Unde nihil faciendum est, sicut non pauca, in Decreto Gratiani reperta, ut communiter notant Expositores.

Ad tertiam confirmationem respondemus leviorem esse : nam permisso aliquos Catholicos errasse materialiter circa originem obligationis confitendi omnia peccata in specie sacerdoti, ut circa tempus institutionis sacramenti pœnitentiæ : tamen non negarunt istud verum sacramentum esse, nec illam confitendi obligationem. Excusandi vero sunt de illo materiali errore : quoniam licet assertio nostra fuerit semper de fide secundum se, utpote contenta in sacra Scriptura : nihilominus non erat ita explicata, et adeo declarata, ut modo illam habemus, et specialiter in Concilio Tridentino, cui plane obedirent Scriptores Catholici, si illud vidissent. Sed descendamus ad singulos, qui in confirmatione recensentur. Cassianus non negat confessionem sacramentalem, aut ejus necessitatem ; sed hortatur ad frequentem peccatorum discussionem, et confessionem coram Deo, sicut hortabatur D. Chrysostomus supra explicatus, cujus ille fuit discipulus, et eodem modo accipiendus est. Hugo de S. Victore, D. Bonaventura, et Alensis catholice recognoverunt obligationem, quam ex jure Divino habemus submittendi clavibus peccata per eorum confessionem ministro legitimo factam ; sed disputarunt de modo, initio, et tempore institutionis sacramenti pœnitentiæ, cui annexa est confessionis obligatio : et non comprehenderunt, nec recte intellexerunt verba Christi Joann. 20 : *Accipite Spiritum : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt :* ex quibus convincitur et Christum instituisse immediate sacramentum pœnitentiæ, et imposuisse hominibus obligationem confitendi sua peccata Apostolis, et

eorum

eorum successoribus, ut Concilium Tridentinum aperte decrevit, et docuit, et supra expendimus a num. 3, ex cujus sententia constat et de fide esse, quod Christus instituerit sacramentum pœnitentiæ, ut diffinit sess. 14, can. 1, et quod illud instituerit quando verba relata dixit, ut diffinit can. 3, et de fide esse, quod confessio peccatorum in specie, et numero sit pars talis sacramenti, et jure Divino præcepta, ut diffinit can. 4, et 6, et 8. Hæc cum non ita perspecta haberent illi Doctores, ut modo habemus, excusandi sunt ab errore in his, quæ dixerunt cum minori consonantia ad legitimam originem obligationis, quam habemus confitendi sacerdotibus peccata. Illam tamen sive ab hac, sive ab alia radice desumptam, et obstringentem in conscientia fideles minime negaverunt ; nec ullo modo faverunt hæresi, quam sequuntur Lutherani, et alii Sectarii. Auctoritate vero Joannis Theutonici æquum non est implicari : nam, ut inquit Soto supra relatus, illa glossa non est opinio, sed manifestus error de glossis Decretorum abradendus. Glossatores enim, addit ille, quoties in jus divinum se se immergunt ; quia illud non colunt, non possunt non multis erroribus intincti inde emergere. Et idem dicendum est de Panormitano, si vacillaverit, aut non. Multo minus impediri debemus testimoniis Erasmi, et Rhenani : nam hos constat manifeste errasse, atque hæreticis favisse. Et si Erasmus non est hactenus, ut manifestus hæreticus damnatus, est tamen dubiæ fidei, et de hæresi suspectus, ut qui insinuaverit, ac suggesserit omnes fere errores, quibus Lutherus, et subsequentes sectarii, deposita aperte Catholica fide, Ecclesiam Catholicam impugnarunt, et turbaverunt.

17. Secundum eorum argumentum est : nam Christus eam potestatem contulit Apostolis, quam ipse habebat, nec aliter Apostolos misit, quam ipse missus fuerat : unde ante illa verba, quæ dixit Joann. 20, et ex quibus necessitatem confessionis deducimus : *Accipite Spiritum Sanctum : quorum remiseritis peccata, etc.* præmisit : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* Sed ipse ad generalem, et in communi peccatorum confessionem ore, aut signis expressam, absolutionem impertiebatur, et singulorum peccatorum enumerationem a pœnitentibus non exigebat, ut de peccatrice patet Luc. 7, et de Paralytico Matth. 9 ; ergo hanc eorundem absolvendi potestatem contulit Apostolis, et sacerdotibus : atque ideo necessarium non est illis omnia peccata in specie, et numero confiteri.

Confirmatur primo : quia per illa media consequimur de facto remissionem peccatorum, quæ de se, vel ex promissione Dei talem remissionem inducunt, et semper induxerunt : cum non sit pejor conditio Christianorum in præsenti providentia, quam aliorum in aliis statibus ; sed sunt plura alia media ad prædictum effectum, præter confessionem peccatorum in particulari sacerdotibus factam : ergo per talia media, exclusa etiam prædicta confessione, consequimur remissionem peccatorum. Et consequenter hujusmodi confessio non cadit sub præcepto Divino, vel institutione Christi. Cætera constant. Et minor certissima probatur : nam amore Dei remitti peccata tradit ipsa veritas Christus, Luc. 7: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, et Petrus in I, c. 4: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Martyrium etiam efficaci tatem habet remittendorum omnium peccatorum, juxta illud Christi, Matth. 10 : *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Remissionem etiam peccatorum remittentibus proprias injurias spopondit ipse Dominus, Matth. 6 : *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, et Pater vester cœlestis dimittet vobis vestra.* Eadem efficacia eleemosynæ tribuitur Tobiæ 8, et Lucæ 11. Et ut magis particularia omittamus, communis, ac celebris peccatorum remissio promittitur illis verbis, Ezech. 18 : *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et David Psalm. 31, de se testatur : *Dixi, confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.*

Confirm. 1.

Luc. 7. D. Petrus in 1, cap. 4.

Matth. 10.

Matth. 6.

Ezech. 18.

Psalm. 31.

Confirmatur secundo : quia sola contritio etiam sine peccatorum confessione sufficit ad delendum omnia peccata : ergo pro eorum remissione non requiritur ex jure Divino illorum confessio. Antecedens præterquam constat ex testimoniis immediate relatis, probatur, tum, quia contritio ex natura rei, et specie sua excludit peccata, estque illis incompossibilis, ut constat ex dictis disp. præced. num. 12, et locis aliis

Confirm. 2.

ibi relatis : ergo per se, sive absque peccatorum confessione sufficit ad delendum omnia peccata. Tum etiam, et sequitur ex præcedenti ; nam priusquam aliquis cognoscat confessionem, aut ejus recordetur, potest actum contritionis elicere, et justificari, quin statim mori, ac salvari.

Ad 2 argum. resp. 18. Ad argumentum respondetur omittendo majorem in sensu statim declarando, concedendo minorem, et negando consequentiam ob manifestam disparitatem : quia Christus majorem longe potestatem habuit in remittendo peccata, et conferendo gratiam, quam concesserit Apostolis, et sacerdotibus : et sic decuit pro suprema Christi dignitate, et auctoritate : unde ex eo, quod Christus aliquando remiserit peccata absque illorum confessione ex parte pœnitentium ; minime sequitur, D.Thom. quod sacerdotes idem possimus. Sic D.Thomas cum in relatis in suppl. quæst. 6, art. 1, idem argumentum sibi opposuisset, respondit : « Ad tertium dicendum, quod « Christus habebat potestatem excellentiæ « in sacramentis : unde sine his, quæ ad « sacramentum pertinent, potuit valorem « sacramenti conferre. » Et supra quæst. 84, art. 5, ubi statuit hoc pœnitentiæ sacramentum esse de necessitate salutis, opposuit : sacramenta Ecclesiæ habent initium ex institutione Christi ; sed sicut legitur Joann. 8, Christus mulierem adulteram absolvit absque pœnitentia : ergo videtur, quod pœnitentia non sit de necessitate salutis. Sed respondit ; « Ad tertium di- S. Tho. « cendum, quod ad potestatem excellentiæ, « quam solus Christus habuit, ut supra dic- « tum est (quæst. 64, art. 3,) pertinuit, « quod Christus effectum sacramenti pœni- « tentiæ, qui est remissio peccatorum, « contulit mulieri adulteræ sine exteriori « pœnitentiæ sacramento, licet non sine « interiori pœnitentia, quam ipse in ea « per gratiam est operatus. » Accedit quantum ad necessitatem confessionis erga Christum, et sacerdotes aperta differentia, quod Christus omnium supremus judex cognoscebat omnium hominum status, peccata, et infirmitates : unde opus non habebat, ut hæc sibi pœnitentes revelarent per confessionem ; sed Apostoli, et alii sacerdotes, qui a Christo habent potestatem judicandi de peccatis, et proferendi legitimam sententiam absolutionis, aut retentionis, non cognoscunt hominum peccata, et morbos, nisi pœnitentes, qui rei, et simul sui accusatores sunt, illa per confessionem manifestent : et sacerdotes absque illa procedentes manifesto periculo errandi in adeo gravi judicio sese exponerent. Quare ex ipsa judiciaria potestate, quam Christus eis contulit, evincitur necessario obligatio ex parte pœnitentium manifestandi sacerdotibus peccata. Addimus remissiones, sive absolutiones peccatorum, quas argumentum recenset a Christo factas, contigisse ante hujus sacramenti institutionem, quam post suam Resurrectionem executus fuit Joann. 20, verbis supra relatis : atque ideo ex illarum modo non desumi efficax argumentum pro his, quæ sacramentum exposcit.

Ad primam confirmationem concedimus præmissas, et negamus consequentiam, quantum ad illos terminos, *exclusa etiam sacramentali confessione*, qui in præmissis non expenduntur, et illegitime inducuntur in consequenti. Fatemur itaque plura esse media a confessione distincta, per quæ peccata possint remitti, et remittuntur, ut evincunt testimonia, quæ pro suadendo (absque necessitate) minorem expenduntur. Fatemur etiam prædicta media retinere suam efficacitatem remittendi peccata, et modo non esse pejoris conditionis, quam de se, et olim fuerint. Sed respondemus omnibus illis mediis ex magna, ac misericordiosa Dei liberalitate additum aliud fuisse ad salutem, videlicet peccatorum confessionem. Nam cum omnia relata media vel collective, vel divisim sumpta non possent expellere peccata, et inducere justificationem absque formali, aut saltem virtuali amore Dei supernaturalis finis, et super omnia dilecti, qui actus æque nobilissimus, et difficillimus est ; summa erga nos liberalitate, et cum excellenti legis Evangelicæ ultra alios status prærogativa dispositum est, quod Christus instituerit sacramentum pœnitentiæ, ad quam accedentes cum alio actu longe, et quasi infinite inferiori, quam sit prædictus amor (nempe cum attritione, sive dolore de peccatis ob damna, quæ nobis afferunt,) consequeremur remissionem peccatorum. Sed voluit, ut tantum beneficium consequeremur ministerio Apostolorum, et sacerdotum, quos sui Vicarios reliquit, ut alligarent, aut retinerent

retinerent pœnitentium peccata, ejusque mederentur intellectis prius, ut decebat, eorum statu, ac dispositione. Et quia id fieri absque periculo errandi non valet, si pœnitentes non manifestant sua peccata in specie, et numero ; ibi necessario ex tali institutione, et suppositione inclusum est onus pœnitentibus injunctum confitendi sua peccata sacerdotibus. Retinent itaque omnia prædicta media virtutem, quam de se habent, sed adjuncta hac nova obligatione, absolute, et attentis omnibus favorabili. Unde in excludendo peccata habent dependentiam vel a sacramento pœnitentiæ in re suscepto, vel a voto illud suscipiendi, quando, et ubi fuerit necessarium. Quæ doctrina declaratur exemplo baptismi, regerendo objectam difficultatem in hæreticos, qui ejus necessitatem non negant. Etenim remissio peccatorum, quæ nunc est, semper fuit : et amor charitatis, contritio, et injuriarum condonatio, et alia, quæ opponunt, vim de se habent ad illa remittenda, sive excludenda : quare vel Baptismus necessarius non est de facto, vel necessarius fuit ab initio mundi : et quodlibet horum dicere est contra fidem. Quid ad hæc Adversarii ? Non aliud dicunt, nec dicere possunt, quam prædictis mediis adjectam fuisse hanc baptismi obligationem ex institutione Christi disertis verbis dicentis in Evangelio : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum cœlorum.* Eandem itaque responsionem habeant ; quantum ad obligationem sacramenti pœnitentiæ, et confessionis ipsi adjunctæ : nam idemmet Christus asseruit perspicue in Evangelio, Joann. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Ad secundam confirmationem patet ex immediate dictis, quia eodem modo applicari valet sacramento Baptismi, et concludere, si quid valeret, non esse ad salutem necessarium : quod nec hæretici admittent. Dicendum itaque est, quod, sicut supposita institutione Christi nequit in non baptizatis reperiri vera contritio sine ordine ad baptismum, sive absque voto illud suscipiendi, et utendi omnibus mediis ad salutem necessariis : includit namque omnis vera contritio id propositum ; sic etiam, et ob similem institutionem nequit in jam baptizatis dari vera contritio sine ordine ad sacramentum pœnitentiæ, et peccatorum confessionem : quia tam in illis, quam in istis imbibit essentialiter propositum exequendi omnia ad salutem necessaria quamvis ex parte istorum possit esse variatio respective ad subjecta, et status, vel naturæ, vel legis, vel gratiæ, in quibus reperiuntur. Juxta quam doctrinam distinguendum est antecedens, et concedendum, si solum excludat sacramentum pœnitentiæ, et confessionem in re : sed negari debet, si excludat necessitatem confessionis, et sacramenti pœnitentiæ, tam in re, quam in voto. Probationes autem antecedentis non aliud evincunt, quam quod concedimus.

19. Arguitur tertio : nam incredibile est Deum instituisse, aut præcepisse rem impossibilem : sed impossibile est hominem confiteri omnia sua peccata in specie, et numero : ergo talis confessio non est instituta a Deo, nec cadit sub ejus præcepto. Minor probatur ex Psal. 18 : *Delicta quis intelligit ?* et Psal. 37 : *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.* Unde subinfert Calvinus : Quis suorum peccatorum supputationem cogitet, ubi Davidem videt suorum numerum inire non posse ? In quibus repræsentatur physica impossibilitas : sed aliunde occurrit impossibilitas moralis, sive in manifestando peccata summa difficultas, quam exaggerat Kemnit. verbis D. August. lib. 10 Confes. cap. 3 : « Quid mihi est cum hominibus, ut audi« ant confessiones meas, quasi ipsi sana« turi sint omnes langores meos: curiosum « genus ad cognoscendum alienam vitam, « desidiosam ad corrigendum suam. » Expendit etiam verba D. Ambrosii lib. 10, in Lucam, cap. 96, ubi ait : « Petrus do« luit, et flevit, qui ut homo erravit : non « invenio, quid dixerit ; invenio, quid « fleverit. » Et subdit : « Lavent lacrymæ « delictum, quod voce pudor est confiteri.» Deinde evomit innumeras blasphemias contra sacramentalem confessionem, dicens : « Hæc est vetus illa carnificina « conscientiarum, quam gladio spiritus « Ecclesiæ nostræ excusserunt propter « multas gravissimas causas,» quas ibi audacter recenset, ut quod sit de re impossibili ; quod nec Christi præceptum, nec Apostolorum exemplum habeat ; quod nulla in scriptura gaudeat permissione ;

3 argum.

Psalm. 18.

Psalm. 37.

D. Aug.

D. Amb.

quod Evangelium transformat in legem, etc. quæ omittimus, quia in superioribus sunt recitata, et rejecta.

3 Argum. diluit. Respondetur negando minorem cum Concilio Tridentino sess. 14, cap. 5, ex cujus verbis liquet, quod confessio a Deo, et Ecclesiæ præcepta non sit impossibilis, quia non importat metaphysicam, et omnino certam peccatorum supputationem; sed prudentialem, et moralem juxta pœnitentium recordationem post gravem sui discussionem: liquet etiam ab hæretici. objecta esse meras falsitates, et calumniass

Concil. Trid. Ait itaque Concilium: « Sed et impium est « confessionem, quæ hac ratione fieri præ- « cipitur, impossibilem dicere, aut carni- « ficinam illam conscientiarum appellare. « Constat enim nihil aliud in Ecclesia a « pœnitentibus exigi, quam, ut postquam « quisque diligentius se excusserit, et « conscientiæ suæ sinus omnes, et late- « bras exploraverit, ea peccata confiteatur, « quibus se Dominum, et Deum suum « mortaliter offendisse meminerit: reli- « qua autem peccata, quæ diligenter cogi- « tanti non occurrunt, in universum « eadem confessione inclusa esse intelli- « guntur; pro quibus fideliter cum Pro- « pheta dicimus: « Ab occultis meis mun- « da me Domine. Itaque nihil physice im- possibile pro confessione præcipitur, sed solum facere, quod in nobis est, pro legitima peccatorum dinumeratione, sicut in aliis gravibus negotiis contingit. Ubi vero alia peccata, de quibus obscura quadam suspicione timemus, et memoriæ non occurrunt, cum eodem Davide, qui dixit, *Peccata quis intelligit?* addemus, quod ipse immediate subjunxit, *Ab occultis meis munda me Domine.* Et, *Peccavi super numerum arenæ maris.* Ex quibus constat minorem ab hæreticis assumptam esse evidenter falsam, nullamque impossibilitatem physicam in nostris confessionibus contineri. Quin totius difficultatis objectæ pondus in eos regerendum est: nam Calvinus lib. 3 Inst. cap. 4, § 18, cum aliis sectariis docet in confessione soli Deo facta (cujus usus est apud illos frequens, et de præcepto, ut ipsi loquuntur, divino,) non sufficere generatim dicere, peccator sum, aut peccavi: sed requiri, *quantum in nobis est*, singula peccata accurate confiteri. Idque nos catholici dicimus de confessione, quæ ex præcepto Dei, et Ecclesiæ fit sacerdotibus, solum enim affirmamus debere omnia peccata, quantum in nobis est (qua phrasi utitur Calvinus,) recenseri, ut de eis sacerdos judicet, sicut ex Tridentino jam relato est manifestum. Vel ergo utraque confessio, aut Deo soli, ut Deo per sacerdotem facienda est impossibilis, quod ipsi negant: vel, si confessio, quæ Deo soli fit, non est impossibilis, ut iidem dicunt, quia sufficit facere, *quantum in nobis est;* pariter non est impossibilis confessio facienda sacerdoti, vel Deo per sacerdotem, quia satis est facere, quantum in nobis est, ut palam affirmamus. Inique igitur, et inconsequenter nobis opponunt, quæ ab eis dissolvenda sunt.

20. Magis ridiculum est, quod ex Kamnitio additur de erubescentia, sive impossibilitate morali, aut insigni difficultate in manifestando peccata. Sed illud optime prævidit, diluitque Concilium Trident. loco cit. subjungens: « Ipsa vero hujus- « modi confessionis difficultas, ac peccata « detegendi verecundia, gravis quidem « videri posset, nisi tot, tantisque commo- « dis, et consolationibus levaretur, quæ « omnibus ad hoc sacramentum acceden- « tibus, per absolutionem certissime con- « feruntur. » Inter quæ est ipsa a peccatis solutio, de quibus erubescimus. Unde, sicut in corporalibus solet imminere mors ex aliquo ulcere partium occultarum, ex quarum visu vehementer erubescimus, et tamen amor vitæ urget, inducitque, ut illud, licet cum magna verecundia, manifestemus; et erubescentia vincitur, ac compensatur vivendi desiderio: sic in spiritualibus contingit, quod verecundia, et difficultas confitendi peccata superetur, ac levior fiat ex commodo recuperandi vitam gratiæ eisdem criminibus, de quibus verecundamur, amissam. Nec id vitare queunt vel ipsi hæretici, qui, ut num. 15 vidimus, pœnitentes obligant ob particulares fines, et præsertim, si suscepturi sint Eucharistiam, se sistere ministris, illisque manifestare saltem in genere sua peccata, et conscientiæ statum: ubi occurrunt eadem erubescentiæ motiva, et non levis difficultas. Quæ vero Kamnitius ut suæ causæ foventia profert testimonia D. Augustini, et D. Ambrosii, non sunt ad rem, sed ad fallendum idiotas; nam confessio,

fessio, de qua loquitur D. Augustinus, non est sacramentalis, sed peccatorum commissorum ante baptismum, quæ manifestat, ut inde cognoscatur, atque laudetur divina misericordia. D. Ambrosius loquitur de peccato, et pœnitentia Petri, quæ præcesserunt institutionem confessionis sacramentalis : quæ proinde opus non habuit. Addimus lacrymas pœnitentis, ubi delictum alicui innotescit, esse quandam ejus confessionem, et accusationem, licet verbis non exprimantur. Unde Ambrosius subjunxit : « Maluit Petrus suum accusare « peccatum, ut justificaretur fatendo, « quam gravaretur negando. Justus enim « in principio accusator est sui : et ideo « flevit. Et in hoc sensu dixit : « Lavant « lacrymæ delictum, quod pudor est con« fiteri, » apud illum scilicet, qui crimen jam noverat, et lacrymas videt illud prodere, et accusare. Ubi nota, quod referente Soto ubi supra, § *Circa Canonem*, pag. 743, prædicta verba attribuuntur Chrysostomo in Can. *Lacrymæ* de pœnitentia, disp. 5, ubi Glossa ita illa verba exponit, ut si propter pudorem peccatum sacerdoti non manifestetur, sufficient lacrymæ. Sed primum ponit esse æquivocatio Gratiani : sunt enim illa verba propria non Chrysostomi, sed Ambrosii. Secundum autem est intolerabilis Glossatoris error contra fidem, ut patet ex dictis. Sed eorum legitimus sensus est sufficere lacrymas extra tempus necessariæ confessionis, ut accidit in Petro, et Magdalena ante institutum hoc sacramentum, et potest cum illo instituto contingere, quando non instat tempus, vel obligatio illud suscipiendi in re ; sed tamen nunc lacrymæ, ut lavent, sacramenti recipiendi votum important. Ad blasphemias a Kemnitio additas opus non est respondere, quia falsitatis notoriæ convincuntur ex hactenus dictis.

Hic solent aliqui disputare, utrum confessio sacramentalis sit, et qua ratione medium necessarium ad salutem, et quando debeat homo exequi prædictum medium ? Sed ab hac difficultate seorsim discutienda supersedemus. Tum, quia ejus decisio haud obscure innotescit ex dictis in præsenti dubio. Tum, et præsertim ; quia illam jam alibi versavimus ex professo, nempe in priori parte, disp. 4, dub. 1, inquirentes, utrum sacramentum pœnitentiæ sit necessarium, et qualiter ? Ibique per tres assertiones declaravimus esse medium in re, vel in voto necessarium ad salutem, et sufficere, quod ejus votum sit, vel explicitum, vel implicitum. Eadem autem omnino circa hæc est difficultas de confessione sacramentali, ac de ipso pœnitentiæ sacramento : quia illa est hujus pars, et propter ipsum requiritur : Unde illa difficultate circa sacramentum jam superata, non oportet in eadem circa confessionem cunctari ; sed magis præcedenti annectere similem, et prorsus consequentem, quam submittimus.

DUBIUM II.

An, et qua ratione confessio sacramentalis cadat sub præcepto ecclesiastico.

Sub hoc titulo occurrunt multa non admodum difficilia, si seorsim considerentur; sed adeo multa, ut vix absque nostri molestia, et lectoris fastidio conjungi valeant, dum alias distinctam exagitationem non expostulent. Unde curabimus ea ita sub proposito dubio comprehendere, ut per diversas assertiones, consectaria, et appendices confusio, quantum fieri possit, ordine, ac distinctione vitetur.

§ I.

Resolutio dubii tribus assertionibus explicatur.

21. Dicendum est primo confessionem sacramentalem, si non caderet sub præcepto divino, non posse cadere sub præcepto Ecclesiastico. Sensus hujus assertionis declaratur ex dictis dub. præc. num. 2, quia non est tanta connexio inter institutionem sacramenti pœnitentiæ, et præceptum divinum confessionis sacramentalis, ut illa istud inferat necessario : potuit enim Christus instituere hoc sacramentum, et conferre sacerdotibus potestatem remittendi peccata accedentibus ad se, non imponendo fidelibus obligationem ad ipsum accedendi, aut illo utendi, sed relinquendo liberæ illorum electioni uti vel hoc remedio, vel remedio contritionis, aut dilectionis Dei super omnia sine ordine ad claves Ecclesiæ. Idque ita contigisse senserunt

Prima conclusio.

non solum aliqui hæretici relati num. 2, sed etiam aliqui Theologi Catholici ex his, qui antecesserunt Concilium Tridentin. ut insinua vimus num. 6. Et quamvis nunc dicere, quod ita Christus de facto disposuerit, foret manifesta hæresis : nam oppositum est de fide, ut constat ex dictis dub. præced. nihilominus omnes recognoscunt potuisse Christum ita disponere ; cum in eo nulla occurrat contradictio ; aut indecentia. Et permissa itaque conditionate illa suppositione, procedit assertio, estque proinde ejus sensus ; Ecclesiam non potuisse, aut posse imponere fidelibus præceptum confessionis sacramentalis, si non supponeretur divinum præceptum ejusdem sacramentalis confessionis a Christo impositum. In hoc itaque sensu illam tuentur Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 2, Soto dist. 18, quæst. 1, art. 1, Cano in relect. de pœnit. part. 5. Turrecremata de Pœnit. dist. 1, § *Denique* ut num. 4, Durandus in 4, dist. 17, quæst. 8, Navarrus de Pœnit. dist. 5, numer. 28, Lugo disp. 15, sect. 6, num. 91, N. Antonius disp. 4, sect. 4, Delgaldillo de Pœnitent. cap. 17, dub. 18, num. 41, et alii. Cui assertioni favent, quin subscribere, si consequenter loquantur, debent Sylvester, Henriquez, Rodriguez apud Dianam 3 part. tract. 4, resolut. 125, Archangelus dist. 17, pag. 191, Leander disp. 3, quæst. 36, referens, suppresso tamen nomine, sapientissimos Juniores, qui docent Ecclesiam non posse præcipere confessionem venialium : quia nequit instituere distinctum forum pœnitentiæ, ac Christus instituit : Christus autem solus instituit, quod mortalia necessario confiteamur ; venialia vero non necessario, sed ex voluntate libera pœnitentis : ergo Ecclesia non potest præcepto obligare ad necessariam eorum confessionem. Quæ ratio æque, aut magis urget in mortalibus, facta suppositione, quod Christus eorum confessionem non præcepisset. Sed omissis aliis motivis, quæ apud illos videri possunt.

Paludan. Sotus. Can. Turrec. Durand. Navar. Lugo, Anion. Delgaldillo, Sylv. Henr. Rodrig. Archang. Leand.

Conclus. probatur

Probatur assertio satis efficaci fundamento : quia Ecclesiæ potestas non extenditur ad præcipiendum communitati fidelium rem difficillimam, quam Deus illis non præcipit ; sed confessio sacramentalis est res difficillima inter omnes, quæ occurrunt in Religione Christiana : ergo, si non fuisset præcepta a Deo, non posset Ecclesia illam præcipere. Consequentia est legitima. Minor constat ipsa experientia, et ratione : nam summa cum repugnantia, et confusione manifestat homo alteri homini sua delicta, ea præsertim, quæ majorem afferunt infamiam, et verecundiam : unde plurimi mallent quascumque pœnalitates subire, quam sua scelera confiteri. Aliunde maximam molestiam patiuntur in recogitando, et recensendo omnia sua peccata quantum ad varias species, quantum ad numerum peccatorum intra quamlibet speciem, et insuper quantum ad omnes circumstantias mutantes speciem, et denique, ut quidam volunt, quantum ad omnes circumstantias notabiliter aggravantes. Hæc omnia amplectitur sacramentalis confessio, quam proinde nemo negat esse de se summe arduam inter ea, quæ profitemur Catholici. Hinc procedunt, et non absque necessitate tam frequentes, tam ardentes exhortationes tum in concionibus, cum in libris spiritualibus, ut Christiani confiteantur peccata, et bene confiteantur : quia compertum est non paucos huic difficultati succumbere, vel non confitendo, vel confitendo absque illa integritate, dolore, et aliis conditionibus, quæ pro confessione sacramentali debentur. Major, in qua poterat esse difficultas suadetur : quia lex humana nequit obligare communitatem ad rem difficillimam, et pro fine communitatis non necessariam, ut vitare omnia vitia, servare omnes virtutes, ut docet D. Thom. 1, 2, quæst. 96, art. 2, et 3, et cum pluribus tradit N. Andreas in tractat. de legibus, cap. 1, punct. 5, a num. 62 ; sed lex, qua Ecclesia præcipit rem a Deo non præceptam, est lex humana, et de re pro bono communitatis fidelium non necessaria : quippe quæ eo ipso, quod supponatur non præcepta a Deo, nequit esse necessaria necessitate vel medii, vel præcepti divini : ergo Ecclesiæ potestas non extenditur ad posse præcipere communitati fidelium rem difficillimam, quam Deus alias non præcipit.

22. Nec satisfaciet, qui dicat potestatem, qua Ecclesia id præciperet, esse divinam, sive acceptam a Deo, qui ad præcipiendum quodlibet difficile potest se extendere, ut de facto se extendit ad præcipiendum confessionem sacramentalem. Aliunde vero confessio

confessio licet difficilis sit, multum tamen confert ad bonum commune fidelium, sicut de facto contingit, ut illam ab hæreticis defendentes expendimus num. 11. Remanerent itaque omnia, ut, quamvis Christus illam non præcepisset, posset tamen Ecclesia illam præcipere communitati fidelium.

Id, inquam, non satisfacit: nam in primis æquivocat, dum potestatem, quam a Deo habet Ecclesia, vocat divinam, quo etiam sensu omnem legem ab Ecclesia latam posset divinam dicere: quod foret absurdum; lex namque divina est immediate a Deo, et distinguitur contra legem humanam, quæ rursus dividitur in Ecclesiasticam, et civilem, quæ sunt immediate vel ab Ecclesia, vel a Principibus secularibus secundum potestatem, quam illa, et hi a Deo habent, juxta illud quantum ad Ecclesiæ Prælatos, Luc. 10: *Qui vos audit, me audit:* et quantum ad sæculares Principes Proverb. 8: *Per me Reges regnant, et legum conditores justa decernunt*, ut optime contra Gersonem asserentem omnia præcepta Ecclesiæ esse divina, docet Soto lib. 1, de justit. et jure, quæst. 6, art. 4. Unde quantum ad præsentem considerationem vitatur æquivocatio sola observatione, quod nos loquimur de potestate ordinaria, et nobis revelata, quam de facto habet Ecclesia pro subditorum regimine: et in hoc sensu procedit nostra conclusio, dum negat Ecclesiam potuisse præcipere subditis sacramentalem confessionem, si supponeretur non fuisse a Christo præceptam. Sed non dubitamus Christum potuisse supra hanc generalem, et ordinariam potestatem illi conferre quasi specialem commissionem præcipiendi confessionem sacramentalem, quam ipse non relinqueret a se præceptam, sed exercendam pro fidelium arbitrio. Et in hac suppositione, quæ supra priorem addit, non agimus, sed in sensu jam præmisso. Aliunde vero non occurrit fundamentum, ut illam admittamus de facto: et si datur in Ecclesia illa specialis commissio tollitur status quæstionis, et rem ultronei concedimus. Deinde, quod in hac responsione adjungitur, difficultatem non evacuat: quia generaliter non omnia utilia, aut utilissima pro fine, et bono communitatis possunt illi sub præcepto injungi, nisi alias etiam sint necessaria, ut patet in Superioribus Regularium, qui nequeunt suis communitatibus præcipere utilissima, et sanctissima, sed ea solum, quæ pro conservando statu, et consequendo fine uniuscujusque proprio necessaria sunt, ut cum communi sententia docet N. Andreas in tr. de statu religioso cap. 6, punct. 7. In casu autem nostræ suppositionis, quod confessio sacramentalis non fuisset a Christo ejus institutore præcepta, minime necessaria foret, ut fideles consequerentur salutem. Tum, quia relinqueretur aliud medium sufficiens pro illo fine, et communi bono consequendo, nempe recursus ad contritionem absque ordine ad claves, ut in aliis statibus legis naturæ, et legis scriptæ contingebat. Tum, quia eo ipso, quod Christus non præcepisset talem confessionem, argueretur illam de se non esse medium necessarium ad consequendum salutem: quippe, quæ talia sunt, a Deo immediate præcipiuntur, et non fuissent a Christo prætermissa: ergo ubi supponeretur Christum non præcepisse suis fidelibus confessionem sacramentalem, non posset Ecclesia illam eisdem injungere sub præcepto; sed solum posset illos exhortationibus ad ejus usum inducere. Andreas

23. Unde magis confirmatur propositum fundamentum: quia Ecclesia non habet potestatem, ut ea, quæ Christus solum proposuit tanquam materiam consilii, et utilissimam ad salutem, sint materia præcepti, atque ideo ad salutem necessaria; sed in suppositione præmissa Christus solum proponeret confessionem sacramentalem tanquam materiam consilii utilissimam ad salutem: ergo Ecclesia in tali suppositione non posset facere confessionem sacramentalem materiam præcepti ad salutem necessariam. Consequentia patet. Et minor videtur evidens: nam fit suppositio, quod Christus solum instituisset, et proposuisset fidelibus confessionem sacramentalem, illam tamen non præcipiendo: ergo solum illam proponeret tanquam materiam consilii, utilissimam utique, ut re vera est, ad consequendum salutem: sicut se gereret medicus, qui invenisset aliquod remedium utilissimum ad salutem corporalem, et ad illud hortaretur infirmos. Cum hoc tamen discrimine inter Christum, et medicum, quod iste non habet potestatem præcipiendi infirmis talem medicinam; unde ex defectu talis Confirm. 2.

præcepti non evincitur talem medicinam non esse medium necessarium pro salute corporali, sed id infirmorum conscientiæ, et arbitrio relinquendum est. Christus autem legifer noster potestatem, auctoritatem, ac providentiam habuit præcipiendi nobis necessaria ad salutem æternam; unde eo ipso, quod instituerit, ac proponeret sacramentalem confessionem, illam tamen non præciperet; satis convinceretur illam, etsi utilissimam, non esse simpliciter necessariam ad prædictum finem, sed alia superesse remedia, quibus homines uti possent. Major autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur: tum, quia Ecclesia non valet alterare ordinem, ac gubernationem, quam Christus in ea instituit: illa autem plane immutaret, si quæ Christus solum proposuit, ut materiam consilii; v. g. castitatem perpetuam, vel abdicationem rerum temporalium, Ecclesia sua jussione faceret materiam præcepti. Tum etiam; quia hac ratione non solum non potest Ecclesia injungere sub præcepto, quæ sunt consilii, toti fidelium communitati, sed nec uni fideli particulari, mandando; v. g. quod servet perpetuam castitatem, aut quod abdicet omnia temporalia, ut bene cum communi sententia ob-
Andreas. servat N. Andreas loco cit. de Legibus n. 64. Tum denique; quia hujus limitationis haud obscurum signum est quod Ecclesia hactenus in tot sæculis tam diversis nunquam, vel communitatem, vel particulares obligaverit sub præcepto ad ea, quæ ex institutione Christi sunt sola materia consilii, ut continentia perpetua, et paupertas voluntaria; quo pacto se gerens profiteri videtur se non habere potestatem ad ordinandum, ut ea quæ ex Christi institutione sunt sola materia consilii fiant materia
Evas'o. præcepti. Nec contra hoc proderit dicere Ecclesiam obligare omnes Clericos majorum Ordinum ad continentiam perpetuam; quæ est materia consilii, et satis ardua. Nam respondendum Ecclesiam id non præcipere absolute, sed solum illis hominibus, qui volunt ad prædictos ordines promoveri. Unde obligatio illis ab Ecclesia injecta non est necessaria, nec absoluta: sed oritur ex libera ipsorum hominum, ac voluntaria suppositione, quod volunt ordinari cum illo onere ab Ecclesia præscripto.

Confirmatur secundo, ad rem, quam versamus, proximius accedendo: nam Ecclesia in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III, præcepit fidelibus, quod singulis annis confiterentur, ut statim videbimus. Contra quod præceptum tanquam injuste, ac irrationabiliter positum insurrexerunt diversis temporibus plures hæretici, illud præsertim opponentes Papam, Concilium, et Ecclesiam non potuisse obligationem adeo gravem fidelium conscientiis imponere, nec habuisse ad id potestatem. Quorum calumniis, et objectionibus directe obviam iret, qui per oppositum diceret Ecclesiam suam, qua gaudet, auctoritate, et jurisdictione ordinaria potuisse, et posse fideles ad confessionem sacramentalem gravi præcepto obligare; et hac potestate usam esse in eo Concilii Lateranensis decreto. Id, inquam, hæreticorum impetum retunderet, et ora confringeret cum non modica potestatis Ecclesiasticæ commendatione. Sed tamen, nec Ecclesia, nec ejus filii Scriptores doctissimi ita respondent, sed alia via longe diversa, quæ nostram assertionem confirmat, nempe illud præceptum quantum ad substantiam esse Divinum ex Christi institutione, ut dub. præced. vidimus; solam autem determinationem, aut modificationem quantum ad tempus (quæ re ipsa in prima ejus institutione imbibuntur) fuisse in eo Concilio declaratam, ac præceptam. Et quantum ad Ecclesiam constat ex Concilio Trident. sess. 14, cap. 5, quæ se ab hæreticorum impugnatione protegens, inquit: « Manifeste refellitur eorum calumnia, « qui eam (*confessionem*) a Divino mandato « alienam, et inventum humanum esse, « atque a Patribus in Concilio Lateranensi « congregatis initium habuisse docere non « verentur. Neque enim per Lateranense « Concilium Ecclesia statuit, quod Christi « fideles confiterentur, quod jure Divino « necessarium, et institutum esse intellexe- « rat, sed ut præceptum confessionis sal- « tem semel in anno, ab omnibus, et sin- « gulis, cum ad annos discretionis perve- « nissent, impleretur. » Ubi manifestum est Ecclesiam illud præceptum ab hæreticorum telis defendisse, non sibi deferendo absolutam potestatem illud imponendi: (quidquid fuerit de Christi præcepto, quod ab ipso impositum negarunt aliqui ex antiquis

antiquis, et Catholicis Scriptoribus, qui Concilium præcesserunt) ; sed palam confitendo tale præceptum fuisse jure Divino impositum ante Concilium Lateranense, atque Concilium istud non errasse in determinando præcise tempus, quo fideles Divino illo præcepto satisfacerent. In quibus satis aperte significat Ecclesia se minime tale præceptum impositurum, nisi illud supposuisset impositum : et sic propellit hæreticorum calumnias contra eam ipsius Ecclesiæ dispositionem objectas.

Et quod ad Scriptores Catholicos attinet, nihil est apud illos ista doctrina, sive responsione frequentius. Sed quia prolixum foret omnes audire, satis nobis erit unus Bellarminus in controversiis hujusmodi versatissimus. Observat Calvinus lib. 3 instit. cap. 4, § 7 : « Certe nullam de ea « (*confessione sacramentali*) statutam fuisse « legem, aut constitutionem ante Innocentii III tempora, eorum quoque Annales « narrant... Itaque ipsis testibus nondum « elapsi sunt anni trecenti, ex quo injectus « ab Innocentio III laqueus, et imposita « confitendi necessitas. » Ad hæc responsurus Bellarminus, lib. 3, de Pœnitent. cap. 13, minime dixit Innocentium habuisse potestatem præcipiendi confessionem sacramentalem, illaque rationabiliter utentem voluisse fideles pro majori eorum utilitate ad illam obligare : ut plane respondere possent, quos modo contra nostram assertionem Adversarios habemus, qui juxta suam, et non inconsequenter defenderunt Innocentii decretum, quidquid fuerit de existentia, aut non existentia Divini de confessione præcepti : et sic compendiosius, et absolutius responsum Calvini objectioni opponerent. At Bellarminus aliter omnino se gessit, et omnino consone ad ea, quæ hactenus diximus. « Neque « Innocentius, *inquit*, aut Lateranense « Concilium Confessionem simpliciter im« peravit, sed solum tempus determinavit, « quo ea facienda esset. » Quemadmodum etiam Concilia cetera supra citata ex Græcia, Africa, Gallia, Germania, et Pontificum Innocentii I, ac Leonis I, decreta non confessionem simpliciter imperarunt, sed aut de secreto confessionis, aut de aliis id genus circumstantiis regulas statuerunt. Idque ex simili decreto Zephirini Pontificis probari potest. Zephirinus enim, ut in ejus vita refert Platina, statuit, ut omnes Christiani adulti in solemni die Paschæ Eucharistiæ Sacramentum perciperent, Quod decreto non intelligitur voluisse præcipere, ut Eucharistiam Christiani aliquando sumerent : quod a Christo ipso esse præceptum neque Catholici, neque Hæretici negant, sed tantum negligentiæ aliquorum occurrere, ac tempus determinare, ultra quod perceptionem tam salutiferi Sacramenti differre non liceret. Sic igitur Innocentius III, non confessionem instituit, aut simpliciter imperavit : sed tempus, ultra quod nemo Christianus eam differret, utiliter omnino præscripsit. Hæc omnia Bellarminus non aliter defendens obligationem, justitiam, et utilitatem (quas Calvinus negabat) prædicti decreti Innocentii III, et Concilii Lateranensis, quam ex suppositione præcepti Divini circa eandem confessionem : quasi concedens, et hæreticis dans Ecclesiam minime tale præceptum impositurum, si ipsum jam Christo absolute impositum non supposuisset.

24. Dicendum est secundo confessionem sacramentalen cadere sub præcepto Ecclesiastico. Hæc conclusio est de fide, et communis proinde inter Catholicos. Et probatur : quia Concilium generale Lateranense sub Innocentio III, eoque præsidente, cap. 21, sequens decretum edidit, quod refertur in cap. *Omnis utriusque*, de Pœnit. et remis. « Omnis utriusque sexus « fidelium, postquam ad annos discretionis « pervenerit, omnia sua peccata semel « saltem in anno confiteatur proprio « sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam « propriis viribus studeat adimplere, sus« cipiens ad minus reverenter in Paschate « Eucharistiæ sacramentum : nisi forte de « propriii sacerdotis consilio ob aliquam « rationabilem causam ad tempus ab hu« jusmodi perceptione duxerit abstinen« dum. Alioquin vivens ab ingressu Eccle« siæ arceatur, et moriens christiana se« pultura. » Et quamvis Durand. in 4 dist. 17, quæst. 14, probabile censuerit in prædicto decreto non contineri præceptum rigorosum circa confessionem annuam, sed solum circa communionem in Paschate, cui immediate applicantur pœnæ in illo relatæ : et quamvis etiam D. Antoninus 3 part. tit. 14, cap. 19, § 3, judicaverit præceptum in eo decreto contentum, ut conti-

Secunda.

Conc. Lateran.

Durand.

D. Anton.

neri evincunt ipsæ pœnæ illi adjunctæ, esse per se de sola Communione in Paschate facienda, de Confessione vero solum esse per accidens, aut ratione alterius, nempe ipsius Communionis, ut debito modo fiat : nihilominus post Concilium Tridentinum concors sententia Theologorum est constitutionem relatam continere verum præceptum erga confessionem per se, et independenter a Communione.

Et ita rem se habere ostenditur primo : quia in Conc. Trident. ubi mentionem fecit hujus decreti Concilii Lateranensis, aperte significatur dari præceptum annuæ Confessionis, ex constitutione Lateranensi: nam ses. 14, cap. 5, ait : « Neque enim per « Lateranense Concilium Ecclesia statuit, « ut Christi fideles confiterentur, quod jure « divino necessarium esse intellexerat ; « sed, ut præceptum confessionis saltem « semel in anno ab omnibus, et singulis, « cum ad annos discretionis pervenissent, « impleretur. » Et can. 8 ejusdem ses. inquit : « Si quis dixerit... ad eam (*confes-* « *sionem sacramentalem*) non teneri omnes, « et singulos utriusque sexus fideles, juxta « magni Concilii Lateranensis constitutio- « nem, semel in anno... anathema sit. » Quæ obligatio supponit necessario præceptum ; in his locis non fit communionis mentio. Secundo, quia illa verba Lateranensis : « Omnis utriusque sexus fidelium, « postquam ad annos discretionis pervene- « rit, omnia sua solus peccata semel sal- « tem in anno confiteatur proprio sacer- « doti, etc.,» vim præceptivam important : nec circa præceptum Communionis in Paschate (de quo nemo dubitat), alia adhibentur, quæ sint magis præceptiva. Tertio, quia nihil est apud fideles magis vulgare, et ab ipsis unguiculis in Catechismo Christianæ doctrinæ magis apprehensum, quam dari quinque Ecclesiæ præcepta, unum confessionis in anno, et aliud communionis in Paschate, quæ sunt ipsa lata in Lateranensi Concilio. Quarto, quoniam si quis ob rationabilem causam excusaretur a Communione, non propterea excusatur a confessione in anno : et hac ratione pueri antequam ad communionem sacram admittantur, obligantur ad confessionem. Quæ omnia satis evidenter manifestant contineri in eo decreto duo præcepta, confessionis scilicet, et communionis, et eorum quodlibet obligare per se. Hinc colligitur (et est præcedentium confirmatio) eum, qui culpabiliter confessionem, et communionem omittit in anno, committere duo peccata, et unum, et alterum confiteri debere. Id docet communis Theologorum sententia : et verum non esset, si homines non obligarentur ad annuam confessionem per se, sed solum ratione præcepti obligantis ad communionem.

Concil. Trident.

Idem.

25. Dicendum est tertio præceptum istud annuæ confessionis positum in Concilio Lateranensi esse simpliciter pure humanum, licet improprie, et secundum quid possit appellari divinum. Ita Adrianus in 4, q. 1, de Confessione, Arauxo 3 part. q. 84, art, 5, dub. 2, concl. 2, Prado in tract. de Confes. q. 1, dub. 2, concl. 2. Dicastillo disp. 7, dub. 3, concl. 2, et 4, et alii. Probatur conclusio : nam esse præceptum divinum, vel humanum non attenditur simpliciter penes materiam præceptam, quippe eadem materia potest cadere sub utroque præcepto ; sed penes id præsertim attenditur, quod præceptum divinum est a Deo immediate ; præceptum autem humanum est immediate ab homine; atqui præceptum annuæ confessionis in Concilio Lateranensi editum, fuit immediate non a Deo, sed ab homine, ab ipso scilicet Concilio, ut ex terminis liquet, et ex præcedenti assertione : ergo tale præceptum est simpliciter pure humanum. Improprie vero, et secundum quid potest appellari divinum : quia per se supponit materiam præceptam divino jure, nempe confessionem sacramentalem, et super eam adjicit determinationem temporis: sed hæc est impropria locutio : alias eadem ratione præceptum, quo Ecclesia præcipit modum, et cæremonias, quibus conficitur Eucharistia, foret divinum, saltem quoad substantiam, ut quidam loquuntur ; quod est falsum, cum sit præceptum novum, variabile pro tem«oribus, et locis, ac omnino distinctum ab eo, quo Christus præcepit absolute confici in Ecclesia Eucharistiæ Sacramentum.

Confirmatur, et declaratur amplius, destruendo pariter motivum sententiæ contrariæ : nam si præceptum in Lateranensi editum circa confessionem deberet dici divinum, maxime quia ejus objectum, sive materia esset illudmet, quod jure divino fuerat

fuerat, et supponebatur præceptum (licet revera distinctio inter præceptum divinum, et humanum non ex objecto, aut materia desumatur, sed ex diversis potestatibus, a quibus præcepta oriuntur, ut proxime diximus). Atqui falsum est idem esse objectum, præcepti impositi a Christo, et præcepti impositi a Concilio Lateranensi : ergo talia præcepta sunt simpliciter duo, et absolute diversa : atque ideo dici non valet præceptum positum in eo Concilio esse quoad substantiam ipsummet præceptum Christi, sive divinum. Hæc secunda consequentia patet ex prima, quæ legitime colligitur ex præmissis. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, probatur tum ex Concilio Tridentino sess. 14, c. 5, ubi clamoribus, et objectionibus hæreticorum occurrens, inquit : « Neque enim per La-« teranense Concilium Ecclesia statuit, ut « Christi fideles confiterentur, quod jure « Divino necessarium, et institutum esse « intellexerat » : sed ut præceptum confes-« sionis saltem semel in anno, ab omnibus, « et singulis, cum ad annos discretionis « pervenissent, impleretur. » In quo testimonio duæ sunt propositiones, prima negativa, scilicet Concilium Lateranense non statuisse, quod fideles confiterentur : secunda affirmativa ; nimirum Concilium Lateranense statuisse, quod præceptum confessionis saltem semel in anno adimpleretur. Ex quibus liquet non idem esse objectum præcepti impositi a Christo, et præcepti impositi a Concilio Lateranensi : nam, ut Ecclesia semetipsam declarans docet, Christus præcepit, quod sui fideles confiterentur, sed Lateranense id *non statuit* : statuit vero præceptum confessionis impleri saltem semel in anno, quod tamen non fuerat a Christo præceptum. Tum etiam (et ex præcedenti deducitur), nam objectum, sive materia præcepti impositi a Christo fuit sola Confessio sacramentalis; objectum vero præcepti impositi a Concilio Lateranensi non fuit prædicta confessio secundum se, et absolute, sed fuit, ut exponit Tridentinum, impletio illius præcepti saltem semel in anno, sive hoc complexum, *Confessio sacramentalis singulis annis facienda* : quæ duo sunt objecta simpliciter diversa, et primum non determinatur in suo genere per secundum, sed istud addit super aliud materiam absolute diversam. Quare præceptum impositum a Lateranensi solum secundum quid, et quid improprie potest vocari divinum quoad substantiam, quia præceptum divinum supponit : sed est simpliciter præceptum humanum Ecclesiasticum, quia, et processit immediate ab humana Ecclesiastica potestate: et dirigitur in materiam non a Christo præceptam, sed in aliud tali materia superadditum, et a Christo non præceptum. Idque facile declaratur exemplo supra posito conficiendi Eucharistiam, quod magis expendere possumus in hunc modum : nam Christus instituit, præcepitque sacrificium Missæ in Ecclesia ; hæc vero pro majori ipsius sacrificii veneratione præcepit, quod offerretur a solis jejunis, indutis vestibus sacris, et certis diei horis. Plane omnes istæ sunt additiones adjectæ sacrificii substantiæ, illudque ex parte objecti, sive materiæ a Christo præceptæ supponentes. Quo non obstante nemo dicet illud ab Ecclesia præceptum esse divinum quoad substantiam, aut idem quoad substantiam cum divino Christi præcepto ; sed omnes recognoscunt esse præceptum simpliciter diversum, et pure humanum. Idem ergo, et ob eandem rationem in præcepto, de quo agimus, dicendum est, ut facile consideranti eorum paritatem constabit.

Replica. 26. Nec refert, si dicas, prædicto discursu urgeri quidem posse Auctores asserentes, quod Divinum confessionis præceptum a Christo impositum solum obligat per se in articulo mortis, ut cum pluribus tradit Arauxo supr. q. 86, art. 2, dub. 3, concl. 2, aut asserentes, quod licet obliget extra illud etiam periculum, et in decursu vitæ, non tamen in tempore aliquo determinato, utputa intra duos, aut tres annos, sed solum vage, et in aliquo indeterminato vitæ spatio, ut cum non paucis, referente eodem Arauxo, docet Nugnus q. 2, Supplem. art. 3, dub. 3. Hi namque omnes, cum non dicant fideles obligari divino præcepto ad confitendum singulis annis ; recognoscere debent præceptum illud Concilii Lateranensis confitendi in unoquoque anno cadere supra materiam a Deo non præceptam, atque ideo non esse divinum quoad substantiam, sive materiam injunctam ; sed esse simpliciter humanum tam ex parte Ecclesiæ præcipientis, quam ex parte rei præceptæ, confessionis videlicet annualis,

Arauxo.

Nugnus.

ad quam nos Deus non obligavit. Sed præmissus discursus nec vim, nec locum videtur in nostris principiis habere, qui in priori parte, disput. 5, dub. 7, n. 329, statuimus præceptum divinum pœnitendi de peccato commisso obligare per se intra annum ab ejus commissione, et subinde contra tale præceptum peccare, qui ultra annum differt pœnitentiam. Nam Confessio sacramentalis, cum sit sacramenti pœnitentiæ pars, eodem modo ac illud cadit sub præcepto : ergo ubi Ecclesia præcepit fideles confiteri in singulis annis, non aliud mandavit, quam illudmet, quod divino jure, ac præcepto nobis injunctum erat : et consequenter illegitime, et inconsequenter procedimus, dum ex eo, quod Ecclesia præceperit confessionem annuam, colligimus mandasse rem a Deo non præceptam, et tale Ecclesiæ præceptum esse simpliciter, et quoad substantiam humanum.

Responsio replicæ.

Id, inquam, si dicatur, nullius momenti est. Primo, quia licet nos ita sentiamus de spatio, intra quod homo lapsus obligatur ad pœnitendum, nihilominus sententia nostra (quam etiam tuentur Soto, Prado, Joannes a Cruce, et alii) solum est probabilis, contradicentibus pluribus, referentibus eam obligationem vel ad solam extremam necessitatem in articulo mortis, vel ad aliud tempus vage, et indefinite per vitæ spatium. Quod adhuc defendunt post

Propositiones reprobatæ.

reprobatas a Sede Apostolica has propositiones : « An peccet mortaliter, qui actum « dilectionis semel tantum in vita eliceret, « condemnare non audemus. Probabile « est nec singulis quidem rigorose quin- « quenniis per se obligare præceptum cha- « ritatis erga Deum. » (Ex quarum condemnatione satis efficaciter confirmari valet resolutio a nobis proposita loco cit. ut in eodem expendimus). Sed tamen perstant plurimi, qui etsi contrariam tuentur: et forte plures adhuc erant circa tempora Concilii Lateranensis, quin nec ex Catholicis deerant tunc aliqui sentientes sacramentum pœnitentiæ institutum quidem fuisse a Christo, et sacramentalem confessionem non fuisse ab ipso præceptam, nec jure divino necessariam, sed relictam fuisse voluntariæ fidelium electioni. His itaque sententiis ducti fideles tepefieri cœperunt circa confessionis usum, rem certe de se difficilem : unde multi raro, alii rarissime, et post longas temporis moras accedebant ad sanctum adeo, et necessarium pœnitentiæ sacramentum. Videns ergo illud generale Concilium summam perniciem ex hac fidelium socordia, indevotione, infrequentia, et quasi contemptu erga hoc sacramentum, eisdem fidelibus, totique ipsius Ecclesiæ corpori imminere ; præcepit (non obstantibus hinc inde opinionibus, quas nec approbavit, nec damnavit, sed prætermisit) ut fideles singulis saltem annis semel confiterentur. In quo summa providentia, et non minori temperantia se gessit : nam prioribus temporibus, ubi major erat fervor, et sanctitas Christianorum, ter in anno obligabantur ad confessionem, ut patet ex Fabiano Papa in cap. *Et si non frequentius*, de Consecrat. dist. 2, et ex Concilio Turonensi tertio, can. 50. Sed Lateranense attendens ex una parte ad fidelium teporem, et ex alia ad utilitatem ex sacramento obvenientem, nec ejus usum reliquit eorum arbitrio, ex quo noluit in dissuetudinem verti, nec illum præcepit cum majori frequentia, ut absolute poterat, sed quasi medium prudenter eligens jussit, ut saltem in unoquoque anno semel facerent sacramentalem Confessionem. Ex quibus, ut ad id, unde processimus, regrediamur, patet Concilii Lateranensis decretum esse de re, quam certe non constat cadere sub præcepto divino ; quamvis nos opinemur cadere in sensu statim declarando.

Et hinc, ut tacitæ objectioni occurramus, non labefactatur doctrina superius tradita, Ecclesiam scilicet non potuisse, nec posse præcipere confessionem sacramentalem, si illam non supponeret a Christo præceptam : quod falsum apparet, siquidem admittimus Christum non præcepisse confessionem annuam, quam tamen præcipit Ecclesia. Non, inquam, corruit, aut dehiscit ille discursus : quia licet Christus non præceperit determinatum confitendi tempus, præcepit tamen, nemine Catholicorum nunc reclamante, vel oppositum sentiente, quod fideles confiterentur omnia sua peccata ante mortem ; in quo tota hujus præcepti difficultas posita est. Quare illa supposita, et aliquando superanda, potuit Ecclesia tempus aliquod, ut ei fieret satis, assignare, atque præcipere, non adjiciendo

ciendo novam aliquam substantialem, et gravem difficultatem. Quod secus contingeret, si præciperet confessionem peccatorum a Christo nullo modo præceptam, sed relictam per modum consilii libero fidelium arbitrio, ut supra ponderavimus.

Secundo, ac brevius illud effugium, in quo præcludendo sumus, obtruditur animadvertendo, quod nos loco citato non asserimus hominem jure Divino obligari post lapsum ad pœnitentiæ sacramentum suscipiendum intra annum, sed ad pœnitentiam : quæ sunt res diversæ, et posterior latius longe patet, quam prima. Itaque diximus, et modo affirmamus hominem, qui post baptismum lapsus fuerit in mortale, teneri jure divino intra annum de eo pœnitere, tum ut Deo satisfaciat, et reconcilietur, tum ut propriæ saluti consulat. Id vero potest fieri, vel per contritionem cum voto confitendi peccata tempore debito, ut puta juxta plurium sententiam in articulo mortis; vel per ipsum pœnitentiæ sacramentum eum faciens cum attritione contritum, ut disp. præced. n. 65, et seq. explicuimus. Unde minime sequitur quod juxta nostram sententiam obligentur jure divino fideles in mortale lapsi ad confessionem intra annum, et sacramentum pœnitentiæ in re; sed solum sub disjuncte explicata : quare, si contritionem eliciant, illi obligationi ex jure divino satisfaciunt, proponendo confiteri tempore debito, quodcumque illud sit, et juxta diversas opiniones assignatum. Unde magis roboratur fundamentum pro nostra assertione propositum : quoniam Concilium Lateranense præcepit determinate confessionem annuam : hæc autem non erat. neque est jure divino præscripta : ergo Concilium injunxit rem divino jure non præceptam : atque ideo præceptum Concilii tam ex parte immediate præcipientis, quam ex parte materiæ præceptæ est simpliciter humanum, et non potest dici divinum quoad substantiam, nisi improprie, et secundum quid, quatenus supponit aliquod præceptum divinum de confessione absoluta.

27. Ex quibus infertur primo hominem lapsum, qui culpabiliter omittit annuam confessionem, non peccare ex vi hujus contra præceptum divinum, sed solum contra præceptum Ecclesiasticum. Ratio patet ex dictis : nam præceptum præcipiens annuam confessionem non est divinum, sed humanum Ecclesiasticum : ergo illam omittens non contra illud, sed contra istud ageret, et peccaret. Et confirmatur : quia si post lapsum eliceret contritionem, satisfaceret præcepto divino de pœnitentia, etiam juxta strictiorem, quam tenemus sententiam, quod illud obligat ad non differendum pœnitentiam ultra annum : et tamen omittendo postea culpabiliter confessionem annuam peccaret contra decretum Concilii Lateranensis determinate illam præcipientis : ergo talis confessionis omissio peccatum foret non contra præceptum divinum, sed contra Ecclesiasticum. Diximus, *ex vi hujus* : quia si per totum annum tam contritionem, quam sacramentalem confessionem omitteret, profecto unum, et alterum præceptum violaret, et peccaret contra utrumque. E converso recipiendo cum sola attritione validum, ac fructuosum pœnitentiæ sacramentum, utrumque præceptum adimpleret : ecclesiasticum quidem, ut ex se liquet; divinum vero, quia per attritionem cum sacramento assequeretur ejus finem, nempe reconciliationem cum Deo, et propriam peccatoris salutem, dum ex attrito fit per sacramentum contritus, utique habitualiter per gratiam, et charitatem, ut suo loco explicatum reliquimus. Illatio prima.

Infertur secundo, Ecclesiam posse abrogare, seu tollere præceptum annuæ confessionis. Sic docent communiter Theologi, et videri possunt Soto in 4, dist. 18, q. 1, art. 5, et Suarez disp. 36, sect. 1, an. 5. Sed an omnes loquantur consequenter, non ita patet : quia Ecclesia nequit abrogare præcepta divina : plures autem eorum asserunt istud annuæ confessionis esse simpliciter divinum quoad substantiam. Sed juxta nostram sententiam res est perspicua ab opposito fundamento : nam prædictum præceptum est simpliciter humanum ecclesiasticum; Ecclesia vero abrogare valet leges a se conditas, sicut in aliis communitatibus, et principibus contingit. Sed ut talis abrogatio licite fieret, necessaria foret causa satis gravis, et urgens, quippe ea potestas data est Ecclesiæ in ædificationem, et non in destructionem : talis vero abrogatio sine urgenti causa esset toti fidelium communitati valde nociva, atque ideo illicita. Unde oportet distinguere : nam Secunda. Soto. Suarez.

Duo modi abrogandi præceptum confessionis.

prædicti præcepti abrogatio dupliciter fieri posset : primo tollendo absolute illud, et nullam relinquendo pro confessione temporis determinationem : secundo prorogando tempus de facto assignatum designando v. g. pro ea obligatione tempus duorum, aut trium annorum. Ad primum censemus nunquam posse occurrere rationabilem causam, quæ illud honestaret ; et aliunde ex prædicta abrogatione sequi gravissima damna, utputa minorem de sacramento pœnitentiæ existimationem, et nullam, aut fere nullam in fidelibus, præsertim idiotis, et rusticis curam de propria salute : quare Ecclesia suo muneri, et potestati illa incommoda vitandi palam contrairet, si nullum confitendi tempus designaret, vel assignatum pœnitus tolleret. In secundo autem non videmus repugnantiam : fieri enim posset, quod Ecclesia ad eum statum, et miseriam ob persecutionum rabiem redigeretur, ut facile non possent fideles confiteri singulis annis ; atque ideo licitum appareret prorogare tempus, et assignare majus spatium duorum v. g. annorum. Sed hoc non ita contingens est in tota Ecclesiæ communitate, sed magis in aliquo regno, aut Provincia, in quibus nimis urgeret in fideles persecutio, et in confessionem odium. At nec in isto casu videtur illa abrogatio necessaria, vel in toto, vel in parte : sufficeret namque epicheja, seu rationale lumen dictans præceptum illud humanum tempus confessionis determinans, non obligare tunc cum tanto periculo.

Quæ de abrogatione diximus, extendi possent, et debent ad dispensationem per Ecclesiam, sive Papam in eodem annuæ confessionis præcepto, et quidem a fortiori ; cum plus sit abrogare legem, quam in illa dispensare : abrogatio enim totaliter relaxat legem, dispensatio vero solum in parte : unde si Ecclesia potest, ut diximus, prædictum præceptum abrogare, pariter in eo dispensare. Sed sicut abrogatio requirit justam causam, quæ nullo modo occurrere potest ad abrogandum totaliter prædictum præceptum respectu totius communitatis fidelium ; ita nec ad dispensandum in eo cum eadem extensione, et latitudine. Cæterum sicut ad abrogandum illud partialiter quantum ad aliquam temporis partem, vel respectu alicujus Provinciæ non repugnat rationem justam occurrere : sic etiam dicendum est de dispensatione, quæ aliquid temporis prorogaret respectu alicujus, aut aliquarum personarum ; degentium v. g. inter barbaros, aut hæreticos. Quoquo autem modo, et abrogatio, et dispensatio fierent, validæ forent : quia cum prædictum præceptum factum fuerit, et conservetur dependenter a voluntate Papæ, vel Ecclesiæ, abrogatio, vel dispensatio teneret, quamvis fieret illicita. An autem ea inordinatio foret peccatum mortale, aut non, regulandum est juxta duas satis communes sententias, quarum una in universum affirmat superiorem, aut legislatorem peccare mortaliter, quando sine causa in sua lege dispensat. Ita Sotus, Covarruv. Suar. Tapia, et alii, quos refert N. Andreas tract. de Legibus c. 5, punct. 6, n. 65. Alia vero id cum hac generalitate negat. Ita Basil. Sanch. Villalobos, et alii, quibus relatis subscribit ipse Andreas loc. cit. n. 66. Sed hæc ipsa secunda sententia addit, quod si ex dispensatione sequatur damnum extrinsecum, utputa scandalum, turbatio Reipublicæ, contemptus legum, etc., tunc dispensatio foret peccatum mortale. Et conformiter ad prioris sententiæ resolutionem, et posterioris limitationem dicendum est Pontificem, vel Ecclesiam non posse absque gravi peccato abrogare totaliter, vel dispensare cum tota fidelium communitate in prædicto præcepto : quia ex tali vel abrogatione, vel dispensatione plura Christianæ Reipublicæ sequerentur incommoda, et inter ea potissime ipsius Confessionis contemptus, ut supra diximus. Quæ damna forsan vitari possent in abrogatione particulari ad modicum tempus, et in dispensatione cum aliquo particulari, cessante scandalo, et aliorum notitia : et sic abrogans, aut dispensans vel non peccaret absolute, vel non peccaret mortaliter. Sed vix, aut nullo modo causam reperimus, quæ abrogationem, aut dispensationem in tanto præcepto honestet ; cum aliæ providentiæ, quælibet necessitas repræsentetur, possint pro ejus remedio occurrere.

§ II.

§ II.

Recensentur sententiæ præmissis assertionibus oppositæ.

28. Contra primam conclusionem sentiunt Adrianus in 4, q. 2, de Confessione, Joannes de Medina cod. de Confessione, q. 2, Suarez disp. 35, sect. 1, Vasquez q. 90, art. 1, dub. 4, Filliucius tract. 7, cap. 2, quæst. 2, Gaspar Hurtado disp. 7, difficult. 8, et communiter Recentiores, eisque ex Thomistis adhæret Nugnus q. 6, Suppl. art. 1, dub. 3, qui affirmant Ecclesiam potuisse præcipere annuam confessionem peccatorum, licet confessio a Christo præcepta non esset. Quod probant primo : quia Ecclesia, salva sacramentorum essentia, et veritate, potest circa illorum usum præcipere, quæ congrua judicaverit pro salute, et utilitate fidelium ; sed quod confessio fiat singulis annis non est contra essentiam, et veritatem sacramenti pœnitentiæ, ut de se liquet ; aliunde vero multum congruit fidelium utilitati, ut nos supra ponderavimus : ergo Ecclesia posset præcipere fidelibus confessionem annuam, quamvis a Christo præcepta non fuisset. Major, in qua sola poterat esse difficultas, probatur ex Concilio Trident. sess. 21, cap. 2, ubi ait : « Præterea declarat hanc potestatem « perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in sacra« mentorum dispositione, salva illorum « substantia, ea statueret, vel mutaret, « quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum « sacramentorum venerationi, pro rerum, « temporum, et locorum varietate magis « expedire judicaret, etc. » Idque varietate in modo celebrandi sacramentum matrimonii, in modo conferendi baptismum per immersionem, aut per aspersionem in dando, aut negando laicis sacramentum Eucharistiæ sub utraque specie, et aliis sexcentis exemplis, confirmari potest.

Confirmatur primo : quia non obstante, quod Christus non præcepérit fideles confiteri in unoquoque anno, Ecclesia potuit præcipere, præcepitque annuam confessionem, ut constat ex secunda assertione nostra : ergo quamvis Christus confessionem non præcepisset, Ecclesia illam præcipere posset. Probatur consequentia tum a paritate : quia ita comparatur præceptum Ecclesiæ confitendi non supposito Christi confitendi præcepto ; sicut præceptum Ecclesiæ confitendi singulis annis non supposito præcepto Christi in eisdem singulis annis confitendi : ergo si Ecclesia potuit hoc præceptum imponere, potuit et illud. Tum etiam, quia si non posset, maxime ob ingentem difficultatem rei a Christo non præceptæ ; sed etiam in confitendo singulis annis est notabilis difficultas in re, quæ a Christo præcepta non est : ergo sicut Ecclesia præcepit confessionem annuam, licet a Christo præcepta non fuerit, sic etiam posset præcipere absolute confessionem peccatorum, quamvis hæc absolute a Christo præcepta non esset.

Confirmatur secundo : quia Christus non præcepit confessionem venialium ; et tamen Ecclesia potest illorum confessionem præcipere : ergo pariter posset præcipere mortalium confessionem, licet non esset a Christo præcepta. Cetera constant, et minor, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam Ecclesia in Clementina, *Ne in agro Dominico* de statu Monachorum, præcepit Benedictinis, ut singulis mensibus confiterentur ; sed incredibile est, quod hoc præceptum direxerit ad confitenda sola mortalia, cum hæc non ita communiter reperiantur in personis religiosis, ut plane erant illi, qui ex desiderio majoris perfectionis, ac reformationis in suo Ordine, illud præceptum a Sede Apostolica petierunt : ergo tale præceptum obligavit etiam ad confessionem venialium. Confirmat. 2.

Confirmatur tertio : quia Christus non præcepit iteratam mortalium confessionem ; sed Ecclesia potest fidelibus præcipere, ut peccata mortalia semel confessa iterum confiteantur : ergo similiter licet Christus non præcepisset absolute mortalium confessionem, posset Ecclesia illam absolute præcipere. Minor probatur primo ex decreto Martini V, in Extravag. *Ad uberiores fructus*, ubi statuit fideles, qui Fratribus confiterentur, teneri nihilominus semel in anno suis Parochis confiteri. Et Sixtus IV, in Extravag. *Vicos* inter communes, titulo *de tregua, et pace* præcepit Mendicantibus, ut desisterent prædicare, quod subditi non tenentur saltem in Paschate confiteri proprio sacerdoti, et subjunxit : « Quia de jure tenentur Parochiani « saltem in Paschate proprio confiteri sa« cerdoti. » Obligavit itaque Ecclesia fide- Confirmat. 3.

les, ut confiterentur Parocho peccata, de quibus fuerant per Mendicantes, et alios Fratres jam absoluti. Secundo, et urgentius, probatur eadem minor : quia apud Cistercienses statutum est Monachos, qui intra annum cum confessario ordinario confessi fuerint, debere eadem peccata in fine anni suo Abbati confiteri, ut ex eodem Ordine refert Dionys. in 4, dist. 23, q. 2, art. 2. Et quamvis ille non bene sentiat de tali statuto, quasi imprudenter facto, et non habente vim obligandi : nihilominus illud approbatum, et confirmatum est a duobus Pontificibus, Sixto IV, et Pio II. Ergo Ecclesia præcipere potest iteratam peccatorum confessionem, quam Christus non præcepit.

Responsio argument. 29. Ad argumentum respondetur majorem solum verificari per se loquendo in rebus, quæ non afferunt gravissimam fidelibus difficultatem ; vel si eam afferant, non præcipiuntur absolute, sed solum ex suppositione ipsis fidelibus voluntaria ; sicut continentiam perpetuam, rem de se satis difficilem, præcipit aliquibus hominibus, nempe Clericis majorum Ordinum, non quidem absolute, sed ex suppositione illis libera, quod voluerint ordinari cum tali onere. Illa vero, quæ pro suadendo majorem efferuntur tum ex Tridentino, tum ab exemplis, non amplius, quam a nobis concessum evincunt : omnes enim illæ mutationes, vel additiones nullam fidelium considerabilem molestiam inducunt, ut facile consideranti constabit. Si autem notabilissimam ultra præceptum Divinum afferrent, forsan præcipi non valerent, ut quod matrimonium non celebraretur inter consanguineos in quolibet gradu etiam remotissimo, aut quod nemo susciperet Eucharistiam, nisi præmissa semper confessione, licet nullum adesset mortale novum, sed sola venialia. Ad minorem autem dicendum, quod ea utilitas, quam ex confessione annua præcepta repræsentatur, non dependet a præcepto ; sed possent fideles illam consequi independenter ab illo, accedendo ad sacramentum, quoties vellent illo voluntarie uti : sicut et modo sæpius intra annum confitentur, quamvis id ab Ecclesia non præcipiatur. Intellectis itaque, et omissis in prædicto sensu majori, ac minori, neganda est absolute consequentia : nam in confitendo omnia peccata mortalia est adeo magna difficultas, ut soli Dei præcepto reservatur : quo non supposito, si Ecclesiasticum poneretur, non multum afferret utilitatis, quippe quæ haberi etiam posset sine illo, per voluntarium fidelium accessum. Modo autem supponitur præceptum divinum, et congruit quod Ecclesia per proprium excitet desides, ut confitendo saltem semel in anno, tam Divino, quam Ecclesiastico satisfaciant, et fructum ex confessione percipiant.

Unde ad primam confirmationem, præ- Sa
termisso antecedenti, negamus consequen- t
tiam ob manifestam disparitatis rationem : ma
nam modo adest Divinum præceptum nos obligans absolute ad confitendum omnia peccata mortalia, quamvis de illis perfectam contritionem habeamus ; ista quippe de facto non aliter peccata remittit, quam voto, sive proposito illa subjiciendi clavibus. Sub quo onere, sive obligatione positos nos supponit Ecclesia. Quod autem huic obligationi satisfiat hoc, vel illo tempore, non addit notabilem, aut molestam nimis difficultatem ; cum solum versetur circa differentiam temporis, et non circa substantiam illius oneris a Deo injecti. Et cum circa determinationem temporis, in quo præceptum Divinum urgebat, essent plures sententiæ, ut vidimus num. 26, aliis assignantibus totum vitæ spatium, aliis ad brevius tempus restringentibus : consultissime processit Ecclesia determinando tempus unius anni, et præcipiendo, quod fideles saltem intra illud confiterentur ; ne scilicet præceptum Divinum usu, fine, ac fructu, ut in multis contingebat, defraudaretur cum summo non confitentium in tota vita dispendio. Assignavit autem spatium unius anni, quod nimis multum non est, et quale laxa aliquorum sententia desideraret ; nec tamen est nimis breve, ut molestiam notabilem afferat ; sed medium, ac temperatum, ut prudentia posset præscribere. Hinc ad primam consequentiæ probationem patet nullam esse paritatem : nam de facto datur absolute Divinum de confessione præceptum, cui Ecclesia potuit in sensu præmisso adjicere : sed in contraria suppositione nullum præceptum Divinum daretur de confessione : et ideo Ecclesia non posset ejus onus simpliciter introducere. Ad secundum etiam constat : nam

molestia

molestia, quæ de facto occurrit ex determinatione unius anni, est satis levis comparative ad provenientem ex Divino præcepto confitendi absolute omnia mortalia : unde minime excedit potestatem Ecclesiæ in recta gubernatione fidelium. Sed facta suppositione contraria, quod non daretur præceptum Divinum ; onus molestissimum imponeret ipsa Ecclesia, si confessionem præciperet, quam Christus sacramenti pœnitentiæ institutor solum sub consilio, et pro pœnitentium arbitrio relinqueret.

30. Ad secundam confirmationem respondetur distinguendo minorem, eamque, si intelligatur de confessione aliquorum peccatorum venialium aut vage, aut deternate, admittimus ; sed intellectam de confessione omnium venialium illam negamus, et deinde absolute consequentiam. Itaque dicimus non posse Ecclesiam obligare fideles ad confitendum omnia venialia : id enim, præterquam quod non est præceptum a Christo, foret nimis durum, et intolerabile, ut recte notavit Lugo disp. 15, sect. 6, § 4, num. 129 ; sunt enim ipsa plurima, et non omnia facile cognoscuntur. Quin Arauxo q. 84, art. 5, dub. 4, vehementive addit talem legem non fore validam : quia esset imprudens, et injustum facere peccata venialia materiam necessariam sacramentalis confessionis, et quod essent connexa in ordine ad absolutionem, quæ non sunt connexa in ordine ad remissionem, cum unum possit sine alio remitti. Lex autem maxime Ecclesiæ, saluti animarum prospiciens debet esse justa et prudens. Sed tamen non reperimus repugnantiam in eo, quod Ecclesia præciperet confessionem aliquorum venialium determinatæ speciei, v. g. mendacii, vel vage hujus, vel alterius ad arbitrium pœnitentis ; quamvis id a Christo præceptum non sit. Quia ex una parte sic confiteri venialia vix ullam molestiam afferret, non quidem examinis, quod illo modo præcipiendi in totum pœna vitaretur : nec alterius erubescentiæ, cum non sit, qui in venialia non labatur. Aliunde vero ex parte finis occurreret magna utilitas frequentandi confessionem, et percipiendi gratiæ augmentum. Hæc autem non ita occurrunt in confessione mortalium : quia cum unum absque aliis remitti non possit, si semel unum ; omnia confiteri debent : et omnia ob sui gravitatem, et quædam ob specialem turpitudinem, aut malitiæ excessum summam in sua manifestatione afferunt pœnitenti confusionem, omnibus molestiis graviorem. Quare, si non fuisset mortalium confessio præcepta, non posset ab Ecclesia præcipi ob magnam, quæ fingatur, utilitatem : præsertim cum hæc per alia media, et confitendo voluntarie, sive absque præcepto obtineri posset, ut supra diximus. Probatio autem minoris id tantum suadet, quod concedimus, ut facile consideranti constabit : illa enim constitutio obligabat Benedictinos monachos ad semel confitendum singulis mensibus, quod multum ad eorum reformationem, et majorem perfectionem referebat. Sed non obligabat determinate ad mortalia, nec determinate ad venialia : et rursus ubi non occurrerent mortalia, non obligabat ad confessionem omnium venialium, sed ad confessionem saltem alicujus, quodcumque esset. In quo sensu non multam molestiam afferebat, nec singularitatem odiosam : et aliunde multum conducebat ad perfectionem vitæ Religiosæ, et ad propulsandam notam, quam certe non vitaret Religiosus, qui integrum mensem absque confessione sacramentali transigeret.

An autem illud decretum Clementinæ obligaverit Benedictinos sub peccato mortali, non certo constat. Sunt, qui sentiunt illud solum obligasse ad confessionem mortalium, in quæ monachi post ultimam confessionem incidissent : nam censent, quod, sicut in cap. *Omnis utriusque sexus*, facta est determinatio præcepti divini ad confessionem annuam pro omnibus fidelibus ; ita in dicta Clementina facta est major determinatio tam præcepti divini, quam præcepti Ecclesiastici ad confessionem menstruam pro monachis Benedictinis, sic exigente majori illorum perfectione supra communem vitam fidelium. Unde consequenter docent, quod sicut fideles in vi prædicti decreti *Omnis* non tenentur confiteri nisi peccata mortalia hactenus clavibus non subjecta : et ideo si illis careant non tenentur ad annuam confessionem juxta communiorem, et probabiliorem sententiam : sic etiam illi monachi solum obligarentur ad confessionem menstruam, si haberent mortalia ; secus vero si solum venialia : horum enim con-

fessio non cadit sub præcepto divino, nec sub Ecclesiastico, quorum illa Clementina Delgad. fuit determinatio. Quam doctrinam indicavit Glossa, quam refert, et sequitur Delgadillo cap. 17, dub. 22. Sed illis non acquiescimus ; quia communis sententia est, et prædictæ Clementinæ valde conformis, illam absolute obligasse Benedictinos, ut singulis mensibus confiterentur in sensu supra præmisso, hoc est, abstrahendo a qualitate materiæ remotæ, quod essent mortalia, aut venialia prius confessa, vel non confessa. Attendit enim per se illa Apostolica constitutio non ad necessitatem absolutam, sed ad majorem profectum, et decentiam, quæ in Religiosis frequenti usu sacramentorum proveniunt, et quod indecens esset illos ultra mensem omittere confessionem. Cujus generis sunt similia statuta cum apud nos, cum apud alios Ordines confitendi non solum singulis mensibus, sed etiam in singulis hebdomadibus. Nec ista referuntur ad casum præcisum conscientiæ peccati mortalis ; sed præcipitur absolute confessio, quamlibet materiam afferat.

31. Quare prætermissa ea responsione, perstat dubium propositum de qualitate obligationis ex vi illius Clementinæ. Cajetan. Canus. Cajetanus tom. 1 opusc. tit. 5, q. 1 Canus de pœnit. part. 5, § *At vero huic* : et alii sentiunt non obligasse sub mortali. Quia ut proxime vidimus, non obligabat ad confessionem mortalium, sed illi fiebat satis confitendo præcise vel unum veniale : id vero est materia levis, ad cujus confessionem nemo sub mortali obligatur. Ad quam sententiam videtur accedere Navarrus de Navarr. pœnit. dist. 6, dum dixit monachos illos debuisse confiteri singulis mensibus ex honestate, non addens majorem obligationem. Sed alii non minus graves censent eam obligationem fuisse sub mortali. Ita Sotus in 4, dist. 18, q. 1, art. 3, Vasquez Sotus, Vasqu. q. 90, art. 2, dub. 3, a num. 8 et alii, quiSuarius. bus favet Suarius disp. 36, sect. 5, num. 5, cum motiva contrariæ opinionis dissolvit. Horum ratio est, quod lex non minorem vim habet ad obligandum subditos in debita materia, quam votum ; sed votum confitendi singulis mensibus, vel non determinando materiam, vel determinando sola peccata venialia, obligat sub peccato mortali : quippe talis voti materia, nempe confessio est satis gravis, quidquid fuerit de qualitate peccati in ea explicandi ; ergo idem dicendum est de lege, aut decreto confitendi singulis mensibus. Præsertim cum legislator utitur verbo *teneantur*, aut alio simili de se sufficienti ad inducendum gravem obligationem. Utramque sententiam censemus valde probabilem. Sed quæ sit præferenda, determinare non possumus, nisi cognitis prius traditione, acceptatione, et modo, quibus ea lex in prædicto Sacro Ordine practicari cœpit, et nunc est in usu : ab his namque, et non a nuda lege pendet qualitas obligationis, ut sæpe in similibus contingit. Quare accurata decisio remittenda est ad domesticos, sapientes, et timoratos prædicti Ordinis professores. Interim in casu dubii magis inclinamur ad secundam opinionem : quia, ut recte vidit Suarez loco cit. in dubio qualitas obligationis legis regulari debet juxta vim verborum, quibus utitur, et conditionem materiæ, in quam cadit : ad quæ, si in ea Clementina attendamus, gravem reperiemus obligationem induxisse. Et motivum primæ opinionis non premit : quia licet peccatum veniale sit materia levis, confessio tamen ejus est materia satis gravis, et multum conferens ad perfectionis augmentum : quare sicut potest esse materia obligationis gravis respectu voti, ut omnes concedunt, sic etiam respectu legis. Et minime dubitamus, quod si apud nos convinceretur aliquem religiosum per tres, aut quatuor menses non accessisse ad sacramentum pœnitentiæ, possent superiores illum cum præcepto formali obligare ad confitendum : tum, ut isto medio adeo opportuno illum inducerent ad studium perfectionis, cui comparandæ ex professione tenetur : tum, ut vitaretur scandalum aliorum religiosorum ex tam extraordinaria apud nos confessionis infrequentia, quæ videretur ejus contemptus, aut potius propriæ salutis : timerent namque omnes, ne quid gravioris ibi mali lateret.

Hic vero duo observanda sunt. Primum, in Concilio Trident. sess. 25, cap, cap. 10, istud decretum reperiri : « Attendant dili« genter Episcopi, ac ceteri Superiores « Monasteriorum Sanctimonialium, ut in « Constitutionibus earum admoneantur « Sanctimoniales, ut saltem singulis men« sibus confessionem peccatorum faciant, etc.

« etc. » Ex quo dicere quis posset eodem modo discurrendum esse de illis quantum ad obligationem confitendi singulis mensibus in vi hujus decreti, ac de Benedictinis in vi decreti Clementinæ relatæ. Sed res aliter omnino se habet : nam verba Tridentini immediate relata non important rigorosam legem, quæ præcepti obligationem inducat : quippe verbum *Admoneantur*, quo Concilium utitur, non est præceptivum, sed exhortativum. Secundum, aliquos esse, qui ex prædicta Clementina, præsertim prout a nobis explicata, colligunt, quod sicut Benedictini tenentur confiteri singulis mensibus, quamvis peccata mortalia non habeant, sed opus eis fit aliam materiam adhibere, utputa venialia, vel mortalia jam confessa : sic etiam omnes fideles tenentur absolute confiteri singulis annis, quamvis nullum peccatum mortale non confessum habeant, sed sola venialia : quia Concilium Lateranense absolute, et sine ulla restrictione præcepit omnibus fidelibus annuam confessionem, sicut Benedictinis præcipitur menstrua. Sed de hac difficultate congruentior erit locus infra n. 44. Interim notamus illationem esse illegitimam : quia attendit ad solam materialem similitudinem verborum in utroque decreto, prætermisso respectu ad personas, et fines, ex quibus major, aut minor extensio legis dependet, ut rationabilis sit. Clementina directa est ad viros religiosos perfectioni vacantes, quibus congruit singulis mensibus confiteri saltem de venialibus, nec id ipsis durum, aut molestum reputari debet ; sed decretum Lateranense ordinatum fuit pro omnibus fidelibus etiam idiotis, quibus molestissimum foret, ubi mortalia non habent, obligari ad venialium confessionem. Præterea Clementina in id studuit, ut illi monachi suo profectui vacarent tum per alia media, tum per confessionem menstruam quorumlibet peccatorum, ad quam illa in personis spiritualibus est aptissima. Sed Lateranensis constitutio illud præcipue intendit, ut præceptum Christi de confessione non penitus vacaret, ut in multis contingebat : et ideo tempus, in quo impleretur, determinavit : cum autem divinum Christi præceptum ad solam mortalium confessionem se extendat ; istorum præcise confessio in decreto illius Concilii comprehensa fuisse videtur. Reliqua prosequemur loco citato.

32. Ad tertiam confirmationem negamus minorem. Et ad primam ejus probationem dicendum est illas pontificias constitutiones, tunc obligantes, non imposuisse fidelibus obligationem confitendi iterum Parocho peccata jam apud alios confessa ; sed solum confitendi semel in anno Parocho saltem in Paschate : sicut modo est obligatio accipiendi semel communionem ab illo. Unde confessio ex præcepto Parocho facienda solum erat de peccatis, quæ post ultimam confessionem occurrerent, ut postea declaravit Benedictus XI, in Extravag. *Inter cunctas* diffiniens confessos Fratribus privilegiatis non teneri illa peccata iterum confiteri, « non obstante, *inquit*, constitu-« tione Generalis Concilii, quæ sano intel-« lectu (ne sequatur absurdum, quod per « pœnitentiam peccata dimissa quis confi-« teri debeat, et quod liberatus debitor ad « solvendum maneat obligatus) intelligen-« tia est de illis, qui peccata sua confiteri « aliis neglexerunt. » Diximus *tunc obligantes*, quia modo certum est non obligare : et omnes Religiosi sumus in pacifica possessione utendi privilegio, quod habemus administrandi sacramenta pœnitentiæ, et Eucharistiæ in quolibet tempore, excepta Eucharistiæ administratione in Paschate, et in articulo mortis.

Fit satis 3 confirmationi.

Benedict. XI.

Unde ad secundam ejusdem minoris probationem, quæ tangit speciale sacri Ordinis Cisterciensis statutum, et solet majus negotium facessere (omissa Vasquii responsione, qui q. 93, art. 1, dub. 6, dicit illud approbatum fuisse a Sixto IV, secundum quorundam opinionem, reclamantibus multis viris : quia hæc solutio parum consulit et Patribus, qui illud statutum fecerunt, et Summo Pontifici illud approbanti,) possemus eodem modo respondere statutum illud solum obligare monachos ad confitendum semel in fine anni suo Abbati, non tamen peccata, a quibus absoluti jam sunt, sed solum illa, quæ commiserunt ab ultima confessione. Et ita sensisse Henriquez refert Lugo disp. 15, sect. 6, num. 97. Sed id non ita congruit veteri illo statuto, quod declarat monachos teneri ad confitendum semel in anno suis prælatis omnia peccata, quæ fecerant ab ultima sua confessione prælatis facta : atque ideo

Henriqu. Lugo.

obligabat non ad solam peccatorum confessionem, quæ patrata fuerunt a confessione ultima Confessario cuilibet facta. Sed quidquid olim fuerit, Llamas ejusdem Sacri Instituti professor, testatur 1 p. Method. c. 6, § 20, illud statutum ita a Prælatis temperatum, ac explicatum modo esse, quod subditos non obligat ad repetendas confessiones cum aliis factas, sed solum ad confitenda peccata illa, quæ ab ultima confessione fecerunt. Et rebus ita se habentibus, evanescit illa minoris probatio. Ceterum pro majori veneratione veteris statuti, et a fortiori Pontificiæ approbationis, duximus addendum nihil absurdi, aut difficultatis impraticabilis continuisse: quia licet respectu communitatis omnium fidelium id foret nimis arduum, et propterea non possit ab Ecclesia omnibus præcipi, neque a Christo præcipiatur ; respectu tamen profitentium magnam perfectionem non insolens, nec ita difficile est, quod subditi conscientiæ secreta, et ipsa peccata superioribus manifestent. Unde et subditi possunt ad id voto se obligare, et superiores in ipsum pro suo munere eisdem injungere. Idque, (quamvis sine statuto in conscientia obligante) putamus esse multis religionibus commune. Et quod ad nostram attinet, constat ex 1 p. Constitut. cap. 18, n. 4, ubi dicitur : « Quare prælatis omnibus danda est opera, ut semel « ad minus in unoquoque mense separatim « cum singulis confabulentur, eorumque « necessitates non solum spirituales, sed « etiam temporoles inquirant. Ad majorem « vero conservationem hujus reciproci « amoris, et paternæ conversationis inter « prælatos, et subditos, præcipimus prælatis, ut saltem una vice pro singulis « mensibus, suorum subditorum (ipsis « ultro, et sponte petentibus) confessiones « audiant, eosque sæpius ad communica- « tionem spiritualem alliciant, et adhor- « tentur : moneantque non semel, quantum « eorum profectui intersit suis prælatis, « Christi vicem gerentibus, conscientias « detegere, animæ sinus aperire, et inte- « riora omnia fideliter nudare : cum im- « possibile sit secundum probatissimam, et « verissimam Patrum sententiam quem- « quam eorum, qui sub obedientia vivunt, « absque spiritualis magistri ductu ad « perfectionis metam pervenire. » Convenit itaque religiosorum perfectioni, ut compendiosius ad eam perveniant, et solerter in via spiritus dirigantur, quod sua peccata, statumque conscientiæ prælatis patefaciant. Nullus vero modus aptior, securior, et suavior hujus manifestationis potest excogitari, quam sacramentalis confessio, ubi omnia peccata relinquuntur sub sacramenti sigillo, quin prælatus simul confessor possit subditum confitentem in foro externo infamare, molestare, vel a muneribus, et honoribus tum habitis, tum expectatis impedire ; sed tantum intra idem sacramentum commonefacere, et ad propositum perfectionis studium, quod professus fuit, urgere. Nulla ergo est repugnantia, nullum momenti inconveniens in eo, quod Sacer ille Ordo statuerit id, quod asseritur. Sicut enim potuit reservare omnia peccata mortalia, ut a solis superioribus sacramentaliter remitterentur : sic potuit præcipere, quod vel aliis primo confessa subjicerentur iterum Prælatis in confessione : et forte illud statutum hunc modum, aut quasi conditionem reservationis continebat.

Constit. nostra 1 p. cap. 18. n. 4. et 5.

Nobis autem post multa hinc inde excogitata, et attente considerata illud verosimilius videtur ; a principio illius Ordinis non fuisse præceptum, aut statutum, sed solum usum, et laudabilissimam consuetudinem, quod monachi manifestarent Abbatibus etiam extra sacramentum peccata gravia, in quæ incidissent, sicut omnes Doctores spirituales monent, et commendant. Sed postea cum viderent Prælati, deficiente in subditis pristino illo spiritus fervore, antiquam consuetudinem in dies deficere pro humana fragilitate ; statuerunt, quod monachi in fine anni intra sacramentum pœnitentiæ manifestarent Abbati omnia peccata mortalia eo anno commissa, abstrahendo, quod fuissent, vel non alteri sacerdoti exposita. Et quidquid fuerit de obligatione, quam jam professorum conscientiis tale præceptum tunc injecerit : tamen ubi positum fuit, et a denuo profitentibus secundum Ordinis statuta, et constitutiones cognitum, gravem obligationem induxit fundatam saltem in profitentium voto ; quod negat nemo fieri ab unoquoque posse de manifestandis suis culpis gravibus prælato tam intra, quam extra sacramentum. Sicut in reformatione nostra non erat

erat olim præceptum non comedendi carnes extra domum, sed solum regula obligans præcise sub peccato veniali, aut laudabilis, et satis accurate observata consuetudo. Sed ubi superiores id ob justissimas, quas habuerunt causas, præceperunt sub culpa gravi ; certum est omnes, qui inter nos profitentur, ex vi votorum, quæ ultronei faciunt, obligari ad observandum dictum præceptum. Quare, ut regrediamur ad propositam difficultatem, pro qua superanda ista expendimus, liquet in religionibus profitentibus magnam perfectionem posse reperiri obligationem gravem (undecumque oriatur) confitendi peccata jam confessa : sed prædictam, aut similem obligationem imponi ab Ecclesia non posse omnibus indiscriminatim fidelibus.

33. Contra secundam nostrarum assertionum non invenimus, quem referamus absolute loquendo; quippe Concilium Lateranense præcepisse fidelibus annuam confessionem, est res facti, atque omnibus notoria, quam nec hæretici negant, licet vehementer oppugnent ut rem ipsis palpantibus nimis duram. Et quamvis aliqui ex Catholicis olim senserint præceptum Concilii non fuisse circa confessionem annuam per se, sed solum erga communionem in Paschate, et ejus ratione confessionem in habentibus mortalia : nihilominus contrarium est nunc omnino certum, ut numer. 24 ostendimus ex doctrina, ac diffinitione Conc. Tridentimi, adjuncta communi Theologorum sententia, et fidelium apprehensione. Unde nihil occurrit, quod contra existentiam præcepti Ecclesiastici de confessione annua opponamus, et dissolvamus.

Ab alio tamen latere possent contra illam referri, qui de vi obligandi in tali præcepto vel dubitarunt, vel minus recte sensisse videntur : præceptum enim, quod virtute obligandi destituitur, voce tenus est præceptum, sed vere non existit. Durandus quidem in 4, dist. 17, q. 8 et 14, et Turrecremata dist. 1, § *Denique*, n. 4, de hoc dubitarunt : quia Ecclesia nequit imponere præceptum, cujus transgressionem punire non valeat : ita autem se habet omissio confessionis : nam si quis dicat Parocho, aut Ecclesiæ se non peccase mortaliter, et ideo non confiteri ; non posset per Ecclesiam convinci, neque puniri. Audacius processit Auctor Margaritæ Confessorum, verbo *Confessio*, fol. 44, dicens, prædictum præceptum non comprehendere peccata cordis, eo quod Ecclesia nequeat de illis judicare. Idemque prius dixerant Petrus Oxonensis (qui in multis circa sacramentum pœnitentiæ erravit, ut sæpius in hoc Tract. diximus), apud Frias in Summa cap. 4, fol. 43, et Glossa ex Bartolo in cap. *Sicut*, de Pœnitentia, dist. 1. Sed omnes isti assertionem nostram non negant, fatentur enim dari præceptum annuæ confessionis ; negant tamen ejus extensionem ad hanc, aut illam materiam, vel de illa dubitant. Aliunde vero motivum eorum levissimum est : nam confessio sacramentalis, quam in unoquoque anno faciendam præcipit Ecclesia, est res externa, ac sensibilis, de qua ipsa optime judicare potest, ejusque culpabilem omissionem punire. An vero confessio sacramentalis ex præcepto, et institutione Christi importet obligationem manifestandi omnia mortalia, licet occultissima, est difficultas longe diversa, quam superatam dub. præced. reliquimus, et ulterius congruentiori ordine attingemus infra n. 60, agentes de materia hujus Ecclesiastici præcepti. Modo satis sit dicere oppositam sententiam in his dicendi modis insinuatam esse erroneam, et temerariam, ut omnes observant, et convincitur præsertim ex Concil. Trid. sess. 14, cap. 5, ubi agens de divino confitendi præcepto, inquit : « Ex his colligitur oportere a pœnitentibns omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessionem recenseri, etiamsi occultissima illa sint, et tantum adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa. » Deinde circa finem capitis addit : « Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiterentur, quod jure divino necessarium, et institutum esse intellexerat : sed ut præceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, et singulis, cum ad annos discretionis pervenissent, impleretur. » Ex quibus patet, quod sicut non ab institutione Ecclesiæ, sed ab institutione Christi est obligatio confitendi omnia mortalia in genere ; ita non ab Ecclesia, sed a Christo est obligatio confitendi mortalia licet occultissima sint, de quibus Ec-

Concil. Trident.

ecclesia non judicat. Ipsa vero solum præcepit, quod impleretur præceptum Christi in singulis annis. Cetera, quæ circa hoc desiderari possent, suo loco prosequemur.

Argumentum circa tertiam conclusionem.

34. Contra tertiam conclusionem sentit Durandus apud Arauxum loco supra cit. § *Alii enim*, affirmans præceptum annuæ confessionis esse ex lege pure divina. In quo, ut ipse Arauxo observat, valde inconsequenter processit : nam illis vocibus satis aperte significat Durandus Ecclesiam fidelibus imposuisse obligationem confessionis annuæ, non ex ordinaria potestate, quam habet condendi alias leges Ecclesiasticas, sed ex potestate speciali sibi a Christo pro tali effectu commissa. Et sic docet in 4, dist. 17, q. 8, et q. 14, n. 5, Ecclesiam auctoritate Christi posse præcipere susceptionem aliorum sacramentorum, non tamen confessionem. Nam aliorum sacramentorum susceptionem, quam Christus non posuit sub præcepto, nequit Ecclesia fidelibus præcipere ex potestate ordinaria, qua leges Ecclesiasticas condit, sed ex speciali Christi commissione : ergo hac via nequit Durandus constituere differentiam inter confessionem, et alia sacramenta, ut hæc Ecclesia possit, non autem illa præcipere. Fundamentum autem ejus erat, quod Ecclesia nequeat præcipere actus internos, cujusmodi est dolor pro confessione requisitus : ergo præceptum, quo id præcipitur, est pure divinum, et non humanum : ergo et præceptum annuæ confessionis. Sed istud fundamentum corruit ex doctrina proxime tradita, juxta quam omisso antecedenti, et concessa prima consequentia, negamus secundam : nam pro obligatione passiva, quam fideles habent confitendi semel in anno, concurrunt duo præcepta, unum præcipiens pœnitenti omnia, quæ ex parte ejus ad sacramenti valorem requiruntur ; et istud est pure divinum : aliud vero est, quod primum illud supponens, præcipit, vel assignat tempus, in quo, quæ Christus jussit, ut fideles illud adimpleant ; et istud est simpliciter humanum, ut supra ostendimus. Permisso igitur, quod Ecclesia nequeat præcipere actus internos, solum sequitur eam non præcepisse dolorem pro valore confessionis requisitum, sed non sequitur, quod non præceperit tempus confitendi, et quod istud præceptum non sit humanum. Fallitur autem imaginatio apprehendens, quod sicut ex parte pœnitentis est unica obligatio confitendi semel in anno, sic illi correspondeat unicum præceptum; cum vere sint duo, unum divinum præcipiens absolute confessionem, aliud humanum præcipiens confessionem annuam, sive quod confessio jure divino alias præcepta fiat saltem semel in anno, ut constat ex supra dictis, et magis ex dicendis constabit.

Fallitur argumentum.

Contra eandem assertionem referri possunt, qui docent præceptum confessionis annuæ esse divinum quoad substantiam rei præceptæ, nempe confessionis, humanum vero quantum ad modificationem rei præceptæ, hoc est, quantum ad tempus, ntra quod debet fieri confessio. Ita loquuntur plures, Sotus, Cano, Suarez, Vasquez, Villalobos, Petrus Ledesma, Becanus, Fagundez, Archangelus, Leander, N. Gabriel a S. Vincentio : quos refert, et sequitur N. Franciscus tract. 6, c. 7, punct. 3, n. 26, et alii communiter. Et quidem si per voces quibus se explicant, significent confessionem prius fuisse a Christo præceptam quantum ad substantiam, sed postea Ecclesiam injunxisse, addidisseque modificationem, sive determinationem temporis ; verum docent, et nobis non adversantur, qui totum id concedimus. Sed si intendant præceptum annuæ confessionis dicendum propterea esse divinum quoad substantiam, et humanum quoad modum ; improprie loquuntur : quia significant præceptum annuæ confessionis esse divinum ex parte rei præceptæ quantum ad ejus substantiam. Quod est falsum : nam Ecclesia non præcepit confessionem, sed præceptam a Christo supposuit. Porro quod præceptum aliquod supponat aliquid a Deo præceptum, et ipsi addat, minime sufficit, ut divinum dicatur quoad substantiam : nam res tunc præcepta non est, quod supponitur, sed quod additur, et jure divino præceptum non fuerat. Loquuntur ulterius improprie, qui ea loquendi formula significant esse unum præceptum, per ordinem ad substantiam rei præceptæ divinum, et per ordinem ad rei præceptæ modificationem humanum. Sunt enim in hac materia duo præcepta omnino distincta: unum Dei, alterum Ecclesiæ ; unum præcipiens confessionem, alterum præcipiens tempus confessionis : primum propositum ab initio Ecclesiæ, secundum

Sotu Conc Suar Vasq Villa Ledc Beca Fagi Arch Lea Gab Fra

secundum injunctum longo post tempore, primum immutabile per Ecclesiam, secundum alterabile, et dispensabile per Ecclesiam: ac denique, ut ex præcedentibus sequitur, primum pure divinum, quod Ecclesia edere non potuit, secundum pure humanum, quod Deus per se, et immediate non edidit. Porro apud relatos Auctores non reperimus motiva, quibus suum dicendi modum in eo, in quo nobis opponitur, fundent, præter ea, quæ superius fundando nostrum opposuimus, ac diluimus. Unde miramur, quod cum hæc ita se habeant, ille loquendi modus adeo invaluerit apud plures. Sed quia cum pluribus loquendum est, licet sentiendum sit cum paucioribus; inconveniens non reputamus ita communiter loqui, quamvis veritas, et proprietas sint, quas asseruimus, ac explicuimus.

§ III.

Ad quas personas extendatur Ecclesiasticum confessionis præceptum.

35. Supposito in communi, quod datur Ecclesiasticum præceptum annuæ confessionis, ut hactenus ostendimus, occurrunt magis in particulari specialia dubia circa plura, quæ concernit prædictum præceptum supra n. 24 ad literam relatum, utputa circa personas, quas comprehendit, circa materiam ejus, circa tempus, quod assignat, et alia similia ad ipsum pertinentia. Pro quibus elucidandis opus non habemus novas quæstiones aperire; sed magis expedit per modum appendicis illa principali difficultati jam decisæ subnectere: quamvis seorsim, ut majorem conciliemus claritatem, in classes dividemus, et discutiemus. Et primo circa illa Lateranensis Concilii verba, *Omnis utriusque sexus fidelium, etc.* occurrit hujus obligationis subjectum, videlicet, quæ personæ illic comprehendantur. Et tenendum est, esse omnes homines baptizatos, qui post baptismum mortaliter peccarunt. Sic docent communiter Theologi, et constat ex ipsa Lateranensi constitutione, et certa in hac materia doctrina: quia Ecclesia in eo Concilio non præcepit confessionem, quam a Christo præceptam intelligebant, sed solum assignavit, determinavitque tempus, in quo divinum Christi præceptum impleretur; sed istud extenditur ad omnes baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis post baptismum commissi: ergo hi comprehenduntur sub præcepto ab Ecclesia imposito annuæ confessionis. Minor liquet ex dictis disp. 4, dub. 1, ubi ostendimus sacramentum pœnitentiæ esse ex Dei institutione medium ad salutem necessarium his, qui post baptismum prolapsi sunt in mortale. Modo sufficit id ostendere ex doctrina, ac diffinitione Concil. Trid, quod sess. 14, cap. 2, inquit: « Est autem hoc sacramentum « pœnitentiæ lapsis post baptismum ad « salutem necessarium, ut nondum regenerati ipse baptismus. » Et can. 2 ejusdem ses. « Si quis dixerit Pœnitentiam « non recte secundam post naufragium « tabulam appellari, anathema sit. » Et can. 6: « Si quis negaverit confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse de jure divino, etc. « anathema sit. »

Fundamentum.

Concil. Trident.

Hinc sequitur primo hæreticos, et apostatas comprehendi in prædicto præcepto, et illo obligari ad annuam confessionem. Id asserere est adeo commune inter Theologos ut N. Franciscus c. 7, punct. 3, n. 28, præter morem dixerit « esse communem « Theologorum conspirationem. » Et facile probatur: quia hujusmodi præceptum extenditur ad omnes baptizatos, qui post baptismum aliquod peccatum mortale commiserunt; tales vero sunt non solum Catholici, sed plures etiam apostatæ, et hæretici: ergo ad omnes istos extenditur prædictum præceptum.

Primum consectarium.

36. Nec refert, si cum aliquibus apud Dicastillum disput. 7, dub. 5, num. 77, (qui ausi sunt negare apostatas, et hæreticos isto Ecclesiæ præcepto comprehendi) opponatur primo: nam ipsa vox, qua utitur Lateranense, nempe *fidelis*, illos palam excludit: sic enim habet, *Omnis utriusque sexus fidelium*. Et eandem vocem constanter retinet Tridentinum, quoties agit de hac confitendi obligatione, ut videre est sess. 14, cap. 6, et can. 8. Manifestum autem est apostatas, et hæreticos non esse, nec dici *fideles*, sed infideles: ergo tales non comprehenduntur in isto Ecclesiastico annuæ confessionis præcepto. Secundo, quia minime concedendum est Ecclesiam edidisse legem omnino imprudentem, et

Dicastill.

Object. 1.

2 objec.

contra rationem ; talis autem foret lex, quæ apostatas, et hæreticos obligaret ad confessionem annuam, quippe cum ab illis non foret observanda, sed solum deserviret pro offendiculo, et majori peccatorum augmento : ergo asseri non debet, quod Ecclesia illo suo decreto hæreticos, et apostatas comprehenderit.

1 object. respon-sio. Hæc, inquam, non referunt. Nam ad primum respondetur satis commune esse apud Concilia, Canones, et Theologos, *infidelium* vocabulo significari eos, qui baptizati non sunt, et idcirco omnino sunt extra Ecclesiam ; et e contra fidelium nomine comprehendi omnes, qui validum susceperunt baptismum, et Ecclesiæ aggregati sunt, licet postea a fide Catholica exciderint : quia isti adhuc ad Ecclesiam, sive fidelium congregationem pertinent : unde et Ecclesiæ jurisdictioni subduntur, et per eam puniri possunt, ut ex se, et ipsa experientia liquet. Sic Theologi se gerunt, dum docent non licere baptizare filios infidelium invitis parentibus, licere tamen baptizare filios hæreticorum : ubi manifestum est hæreticos contraponi infidelibus, et fidelium vocabulo comprehendi. Sic etiam docent matrimonium fidelis cum infideli esse non solum illicitum, sed etiam irritum : e converso autem matrimonium fidelis cum hæretico esse quidem per se, et regulariter illicitum, absolute tamen valere. Ubi occurrit eadem contrapositio, et hæreticus ab infideli distinguitur. Et ut rem graviorem proferamus, ex qua omnino patefiat Conciliorum, qua modo nobis Concil. Trid. objiciuntur, usus, ipsum Tridentinum in eodem cap. 5, sess. 14, inquit : « Dominus « N. Jesus Christus, e terris ascensurus ad « Cœlos, sacerdotes sui vicarios reliquit « tanquam Præsides, et Judices, ad quos « omnia mortalia crimina deferantur, in « quæ Christi fideles ceciderint, quo pro « potestate clavium remissionis, aut reten« tionis peccatorum sententiam pronun« tient. » Quo loco manifestum est per ea verba *Christi fideles* significari non solum Catholicos, sed etiam omnes Christianos, aut vere baptizatos, quamvis hæretici sint: hi namque non excluduntur a facultate se subjiciendi sacerdotibus, et clavibus Ecclesiæ per confessionem sacramentalem. Sic ergo eisdem vocibus significantur, et comprehenduntur hæretici, et apostatæ in præcepto annuæ confessionis, cum illud proponit Concilium Lateranense, et explicat Tridentinum : nec oppositum ulla ratione, vel intendisse, vel significasse persuadet concors Theologorum acceptio. Secundum motivum nihil valet : nam, ut lex pro aliqua communitate prudenter fiat, attendi debet ad bonum ipsius communitatis, non vero ad has, aut illas ejus personas, qui pro sua perversitate legem non observabunt, sed in nova ex legis violatione peccata ruent. Unde prudentissime Ecclesia præcepit omnibus Christianis confessionem annuam, toti Communitati summe proficuam ; quamvis sciat plurimos non solum hæreticos, sed etiam Catholicos ea lege abusuros in sui perniciem. Et, si illud motivum probaret in hac lege, probaret etiam in aliis Ecclesiasticis, utputa abstinendi a carnibus in Quadragesima: probaret etiam in censuris contra aliqua crimina latis : nihil enim horum obligaret hæreticos : quia, ut aiunt Juniores, non sunt eæ leges observandæ ab hæreticis, atque ideo irrationabiles. Id vero dicere absurdissimum foret, et gravem mereretur censuram.

37. Infertur secundo, publicas meretrices comprehendi in hoc præcepto annuæ confessionis. Quod per se patet ex relatis ejus verbis : *Omnis utriusque sexus fidelium*, in quibus manifestum est ipsas comprehendi, sicut et alios fideles, quamvis publicos peccatores ; atque ideo, et ipsas mortaliter peccare, cum singulis annis non confitentur : et neminem videmus, qui id neget. Magis dubitari posset, an incurrant censuras in eo præcepto positas contra non confitentes intra annum ? Non incurrere docent Vivaldus, Zerola, Rodriguez, Sa, Grassis, quos refert, et sequitur Leander disp. 3, q. 58, et in hanc opinionem inclinat Dicastillo disput. 7, dub. 5, n. 81. Quod probant ; tum, quia miserrimus illarum status permittitur ab Ecclesia ad vitandum majora mala ; non dicerentur autem permitti, si tam gravi pœna punirentur, qualis imminet omittentibus annuam confessionem. Tum, quia tales non denuntiantur, quamvis non confiteantur per plures annos; quod satis indicat eas illis pœnis non subjici. Contrariam autem sententiam tuentur Fagundez de 2 præcepto, lib. 1, cap. 3, num. 16, et cap. 4, n. 10. Cui sententiæ favere videtur Vasquez in præs. q. 9, art. 3, dub. 5.

dub. 5. Et probari potest, quod impudentissimæ illæ non debent ex infami adeo statu exemptionem illam, aut commodum reportare.

Nobis distinguendum videtur: quia in Hispania, ubi hæc scribimus, non permittuntur lupanaria, nec in hoc sensu publicæ meretrices: quare censemus nullam esse meretricem in Hispania, quæ omittendo præceptum annuæ confessionis non peccet mortaliter, et insuper incurrat pœnas a Lateranensi statutas, et denuntiari possit. In aliis autem Regnis, ubi sunt lupanaria, attendendum putamus ad leges, sive statuta, cum quibus permittuntur. Et si quidem facta fuerint cum approbatione Ordinariorum illas miserabiles eximentium ab his pœnis Ecclesiasticis (de quo multum dubitamus, cum sint pœnæ a Concilio Generali impositæ, in quibus per se loquendo nequeunt Judices inferiores dispensare) sustineri potest prima sententia. Sed, ubi prædicta exemptio non invenitur, oppositum dicendum est cum secunda, quam absolute probabiliorem, et securiorem censemus. Nam cessante exemptione, aut dispensatione standum est legi communi: quare prædictæ mulierculæ sicut comprehenduntur in decreto Concil. Lateranensis quantum ad culpam mortalem in omittendo confessionem annuam, sic etiam quantum ad pœnam. Et incredibile nobis apparet Ecclesiam, quæ exhortationibus, et aliis mediis curat eas ab infelici illo statu revocare, ipsis indulgere tales pœnas, quo indulto magis radicentur in perditione. Ex quibus satis constat ad primum contrariæ opinionis motivum. Ad secundum dicendum est posse illas denuntiari, et si non denuntiantur, non id provenit a privilegio, sed a quasi desperata illarum conditione, quam ceteri nolunt attendere.

38. Infertur tertio Summum Pontificem obligari in conscientia ad observandum annuæ confessionis præceptum. Istud consectarium nec in deductione, nec in re deducta est ita perspicuum sicut præcedentia: unde ab aliquibus gravibus, et doctis negatur, Scoto in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 1, Richardo ibi art. 2, quæst. 4, Ludovico a S. Joann. quæst. 5, de Confess. art. 6, dub. 2, et aliis. Pro ejus ergo legitima intelligentia advertere oportet duplicem in lege, aut præcepto Ecclesiæ distingui vim, aliam directivam, secundum quod lex ostendit bonum faciendum, ad illudque dirigit per obligationem ad culpam: alteram autem coactivam, secundum quod inducit obligationem ad pœnam ab ea taxatam contra sui transgressores. Communis autem Doctorum sententia est supremum principem legislatorem (quo pacto comparatur Summus Pontifex ad Ecclesiam, et ad omnes leges Ecclesiasticas) obligari ad observandum leges a se latas, non quidem quantum ad vim coactivam, sive quantum ad pœnas in eis taxatas; sed solum quantum ad vim directivam, sive in conscientia, et quoad culpam. Et in hoc ultimo conveniunt Theologi cum D. Thom. 1, 2, quæst. 96, art. 5. D. Tho Sed assignando hujus obligationis radicem gravis est inter illos differentia. Nam quidam dicunt provenire immediate ab ipsa lege, quasi hujus natura sit, quod semel lata obligat adæquate communitatem, in quam dirigitur, atque non solum membra, sed caput. Et ita sentiunt Soto, Tapia, Vasquez, et alii, quos refert N. Andreas tract. de legibus cap. 3, punct. 3, num. 38. Soto, Tapia. Vasq. And. Et hi consequenter docent Summum Pontificem, nisi secum dispenset, peccare mortaliter non observando leges Ecclesiasticas, ut si non recitet officium divinum, si non dicat, vel audiat Missam in diebus festis, etc. Quare plurimi, ut ad propriam materiam magis accedamus, affirmant Summum Pontificem obligari sub mortali ad annuam confessionem. Ita Covarrubias, Suarez, Vasquez, Henriquez, Nugnus, Azor, Bonacina, Becanus, Lugo, et alii, quibus relatis subscribit Leander in præs. disp. 3, quæst. 27.

Aliorum autem sententia satis communis, et probabilis negat radicem prædictæ obligationis in quantum ad vim directivam oriri directe, et immediate ab ipsa lege a superiore lata: alias se ipsum per se ipsum obligaret; cum nemo possit imperium politicum in se ipsum exercere: quippe par in parem non habet imperium, ut est vulgare Juristarum, ac Theologorum axioma. Aliunde etiam sicut superior in sua lege se obligaret ad culpam, pariter se obligaret ad pœnam: quod est contra communem sententiam jam præmissam, et ab omnibus suppositam. Unde hi obligationem revocant, non in ipsam legem particularem a Principe positam; sed in jus naturale ex Covarr. Suarez, Vasqu. Henriq. Nugnus. Azor, Bonac. Becanus. Lugo, Leand.

honestate obligans ad hoc, quod caput suis membris conformetur, et quod sibi non contradicat, aliud docens verbo, ac lege, aliud vero exhibens opere, et exemplo. Quod fundamentum docuit D. Thom. loco cit. in resp. ad 3, D. August. lib. 3 Confes. cap. 8, dicens « Turpis est omnis « pars » (et caput pars est) « suo universo « non congruens. » Sic sentiunt Vivaldus, Rodriguez, Lessius, Azor, Castro Palaus, Diana, et alii quos refert, et sequitur N. Andreas loco cit. num. 42, et hi suffragante Lugone disp. 15, sect. 7, num. 143, in fine, consequenter docent Principem non observantem legem a se positam non peccare mortaliter, sed solum venialiter; quia ipse ad id non obligatur ex ipsa lege, cujus trangressio in re gravi, est gravis respectu subditorum, qui sub ipsa tenentur: sed obligatur solum ex honestate, et congruentia conformandi se cum subditis, quæ sufficiunt quidem ad culpam levem, sed non ad gravem. Et hinc ulterius facile assignant radicem, et disparitatis rationem (quod non ita expedire potest prima sententia), quare Princeps legislator non obligatur sua lege quantum ad vim coactivam, sive applicationem pœnæ: quia talis pœna solum imponitur transgressoribus legis: ille autem sua lege non obligatur; atque ideo, quamvis illam non observet, nequit dici ejus transgressor, nec pœnas in ea taxatas incurrit. Agit vero contra honestatem, et congruitatem juris naturalis dictantis conformitatem cum subditis: sed hoc jus non inducit illas pœnas a lege taxatas.

D. Tho. D. Aug. Vivald. Rodrig. Lessius, Azor, Palaus, Diana, And.

39. Hæc sufficit delibasse ex prædictis sententiis (licet majorem discussionem exposcant alio referendam), ad melius intelligendam doctrinam propositi corollarii, ut illud explicando per partes constabit. Consulto non diximus Pontificem (sicut diximus, et dicemus de aliis personis) contineri sub Ecclesiastico præcepto confessionis annuæ: quia juxta hanc secundam opinionem Princeps non comprehenditur sub lege a se lata, nec illi subditur: Papa vero est Princeps supremus respectu omnium legum Ecclesiasticarum, cujusmodi hanc de annua confessione esse constat ex dictis num. 25. Sed diximus Papam in conscientia obligari ad observandum illud præceptum, quia in hoc conveniunt omnes utriusque opinionis Auctores, quod Princeps lege a se lata obligatur secundum vim directivam, et in conscientia: unde, si Pontifex omitteret annuam confessionem, peccaret, sicut omittendo missam in die præcepti peccaret. Et quidem juxta priorem opinionem illud peccatum esset mortale, utputa contra legem in re gravi: sed juxta secundam foret præcise veniale ob defectum conformitatis cum subditis, quam jus naturale dictat. In neutra porro sententia incurreret Pontifex censuras, et pœnas contra omittentes annuam confessionem impositas: quia istæ pertinent ad vim coactivam, secundum quam certum apud omnes est Principem non subdi legibus a se latis. Quod in Summo Pontifice plusquam in aliis evidentius patet: quia nullum in terris superiorem habet, qui illum queat excommunicare aut absolvere. In hoc itaque sensu dictum a nobis est, et ex præcedentibus colligitur Papam obligari in conscientia ad observandum annuæ confessionis præceptum.

Sed hic meminisse oportet dictum a nobis fuisse nu. 27, Ecclesiam posse, et abrogare præceptum annuæ confessionis, et in eo dispensare: cum, enim, sit pure humanum, et ab ipsa Ecclesisia impositum, sicut per eam conservari, ita etiam per eam abrogari, et dispensari potest: tota vero Ecclesiæ potestas residet in Papa, sicut in capite, et supremo Principe: ergo Papa potest illud præceptum abrogare, et in eo dispensare. Unde sicut Pontifex posset dispensare cum aliis, ut tempus hujus præcepti prorogaretur ad duos annos, ita et cum se ipso: alias pejoris conditionis præ aliis quoad istud foret: præsertim cum non habeat superiorem, a quo talem dispensationem obtineat, ut expendit D. Thom. 1, 2, qu. 96, art. 5, ad 3. Juxta Lu quam doctrinam recte colligit Lugo disp. 15, sect. 7, num. 143, probabile esse, quod si Pontifex hanc legem Ecclesiasticam quoad se non omnino abrogaret; sed solum alteraret, aut dispensaret quoad aliquam temporis partem, volendo, quod terminatio temporis pro hac, aut illa vice foret annus cum dimidio, non peccaret graviter; adhuc secundum priorem sententiam supra relatam, quæ censet ipsum sub mortali obligari ad confessionem annuam omnibus præceptam. Quin addimus

ipsum

ipsum nec venialiter peccaturum occurrente rationabili causa talis dispensationis, ut occurrere non repugnat.

40. Nec refert, si opponatur, quod, quando lex humana est declarativa juris naturalis, vel divini, obligat Papam, sicut et alios, et Pontifex nequit in ea vel secum, vel cum aliis dispensare : quia talis lex est ab alio Superiore, nempe a Deo, et ab ipso habet vim obligandi, secundum quod in ea declaratur, licet declaratio sit a Pontifice, vel Ecclesia. Unde supra relatus Andreas loco cit. nu. 36, colligit Pontificem peccaturum omittendo annuam confessionem, et non sumendo Eucharistiam in Paschate, quia Ecclesiastica confessionis et communionis lex, est declarativa juris divini, licet quantum ad determinationem sit solum ex jure Ecclesiastico. Quæ objectio magis debet nos premere, qui sentimus hominem graviter peccantem teneri jure divino ad non differendum pœnitentiam ultra annum, ut statuimus disp. 4, dub. 1.

Id, inquam, non refert; sed facile diluitur observando legem humanam posse dici declarativam juris divini uno ex duobus sensibus. Primo dogmatice, et in actu signato, ut si Ecclesia diffiniret v. g. jus divinum præcipere confessionem annuam : secundo practice, absque predicta diffinitione, determinando aliquod tempus, in quo jus divinum vage obligans in aliquo tempore ab Ecclesia assignato impleatur, sicut de facto assignantur dies festi, in quibus specialiter vacamus Dei cultui, ad quem vage, et absque illa determinatione jure divino obligamur. Inter quæ est notorium discrimen : nam priora sunt prorsus juris divini, et constat esse per Ecclesiæ diffinitionem : quæ proinde Pontifex nec abrogare, nec per dispensationem alterare valet. Et, si ita se haberet præceptum annuæ confessionis, idem de illo dicendum foret. Sed res aliter omnino se habet : nam Ecclesia hactenus non diffinivit peccatores jure divino ad annuam confessionem teneri. Cum vero certum de fide esset peccatores obligari ad confitendum aliquando peccata, ut constat ex dictis dub. præced. et Ecclesia adverteret plurimos illi obligationi non satisfacere, frustrarique in multis sacramenti tam proficui institutionem ; justissime, ac prudentissime determinavit tempus uniuscujusque anni pro talis præcepti observatione. In quo processit practice assignando rationabile tempus, sed non diffiniendo illud esse jure divino taxatum. Ubi patet talem Ecclesiæ determinationem non fuisse declarationem dogmaticam circa jus divinum, sed præceptum pure humanum juxta superius dicta num. 24, assignans tempus, in quo divinum præceptum impleatur, quod talem determinationem certa fide constantem non afferebat. Sicut igitur Ecclesia potuit præceptum annuæ confessionis non imponere, sic etiam absolute potest illud, si occurrat rationabilis causa, abrogare, et in eo dispensare, ut jam diximus num. 27. Idemque dicendum de Summo Pontifice Ecclesiæ capite. Nec amplius, quam exigentiam causæ rationalis pro evitando in dispensando omni culpa, voluisse Auctorem relatum intelligendum est : alias eadem doctrina conficeret Papam non posse absolute tollere unum diem festum ex assignatis, nec in illo dispensare ; quod est prorsus absurdum. Quod denique in nos ex nobis opponitur, nihil valet : sentimus quidem obligari peccatores jure divino ad pœnitendum intra annum a suo peccato : et hoc nec diffinitum est ab Ecclesia, quin plurimi sunt doctores Catholici oppositum asserentes. Et quamvis omnes, quod nos, affirmarent ; illud præceptum divinum posset impleri per pœnitentiam disjunctim sumptam vel sacramento pœnitentiæ in re suscepto, vel contritione cum voto sacramenti : quodlibet enim istorum sufficeret ad satisfaciendum divino præcepto. Sed adhuc homo obligaretur præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis ad suscipiendum actu sacramentum pœnitentiæ, istudque omittendo contra illud ageret, et pœnis Ecclesiasticis subjaceret. Quod palam declarat hoc confessionis annuæ præceptum esse diversum a divino, ac pure humanum.

41. Infertur quarto pueros in qualibet ætate, si in peccatum mortale labantur, obligari præcepto Ecclesiæ ad annuam confessionem. Id constat satis perspicue ex cap. sæpius cit. Concil. Lateranensis, « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam « ad annos discretionis pervenerint, omnia « sua peccata saltem semel in anno fideli« ter confiteantur, etc. » Ergo pueri si aliquod peccatum mortale committant, tenentur illud intra annum confiteri. Patet con- Quartum Conc. Later.

sequentia, quia, ubi supponitur illos mortale perpetrasse, supponitur ad annos discretionis pervenisse : nemo namque valet mortaliter peccare absque discretione, et sufficienti rationis usu. Quare in peccantibus mortaliter purificatur, ac verificatur conditio, aut limitatio illa Concilii: « Postquam ad annos discretionis perve-
Leand. « nerint. » Unde sic communiter docent Scholastici in 4, dist. 17, et Canonistæ in prædictum cap. *Omnis*, et communiter Doctores, quorum plurimos referunt Leander disp. 3, qu. 28, et Dicastillo disp. 6, dub. 5, a n. 100. Et res adeo clara apparet, ut supervacaneum censebit quispiam istud consectarium addidisse. Addidimus tamen ad referendum, et refellendum falsas aliquorum in re tam clara sententias. Joannes
Sanctius, Diana. Sanctius, et Castro Palao, quos refert, et sequitur Diana 4 p. tract. 3, res. 52, docent pueros ante septem annos non teneri ad confessionem annuam, etiam si constet esse doli capaces, et habere usum rationis. Cui sententiæ favet Lugo disp. 15, n. 152, affirmans eos non teneri ad confessionem
Lugo. annuam ante octo annos. Cum majori adhuc latitudine procedunt asserentes pueros non obligari præcepto ecclesiastico (quidquid de divino fuerit) ante annos pubertatis, hoc est, pueros ante decimum quartum annum, et puellas ante duodecimum : quamvis aliqui in assignando hunc terminum varient, et illum magis restringant. Pro qua sen-
D. Anton. Sot. Ostiens. Sa. tentia refert Leander D. Antoninum, Sotum, Viguersum, Ostiensem, et Sa. Sed Sotus in 4, dist. 18, qu. 1, art. 3, circa finem, statuit communem nostri consectarii sententiam, non sui immemor, sed a priori resipiscens. Et in summa Sa reformata additur pueros non obligari ante pubertatem « ad « pœnas transgredientibus impositas, » pro quibus non incurrendis occurrit diversa ratio, ut statim videbimus. Lugo merito dixit pueros non obligari ante octavum annum ad confessionem : quia regulariter loquendo discretio, et usus rationis incipit a septennio completo ; et cui additus annus ab Ecclesia pro adimplendo istud præceptum præscriptus, ad octavum usque porrigitur obligationis instantia. Et dicimus *regulariter loquendo* : quia inchoatio usus rationis est in septennio frequentior, sed non infallibilis : in aliquibus enim incipit usus rationis ante septimum, et ante sextum annum, in quibusdam vero non nisi post septimum citius, aut tardius, juxta variam puerorum complexionem, et educationem, ut agentes de puero perveniente ad usum rationis diximus tract. 13, disp. 20, dub. 1.

Sed quidquid sit istorum, aut aliorum Auctorum opinionibus standum omnino est Concilii decreto, ut docet sententia communis : quia pueri, postquam discretionem, sive usum rationis habent, capaces sunt obligationis ex lege naturali, et divina ; ergo etiam sunt capaces obligationis ex lege humana : neque enim major discretio requiritur pro cognitione unius, quam alterius. Ergo lex humana generalis, qualis est illa Concilii Lateranensis, dum pueros hujus, aut illius ætatis non excipit, omnes habentes discretionem, in quacumque ætate sint, comprehendit.

42. Nec refert, si opponas primo præceptum Concilii Lateranensis obligare fideles, « postquam ad annos discretionis « pervenerint » ad confitendum semel in anno, et ad suscipiendum Eucharistiam in Paschate, ut constat ex verbis Concilii n. 24 relatis ; sed juxta communem sententiam pueri non obligantur suscipere Eucharistiam, postquam ad annos discretionis perveniunt, quin possunt eam diferre usque ad novum, vel decimum annum : ergo idem de confessione annua dicendum est : vel saltem oppositum nos efficaciter colligimus ex eo Concilii decreto, quippe quod uniformiter de confessione in anno, et communione in Paschate loquitur. Secundo, Concilium imponit non confitentibus intra annum pœnam privationis ab ingressu Ecclesiæ, et a christiana sepultura : et tamen pueri non confitentes hanc pœnam non incurrunt, quamvis octavo, nono, aut etiam decimo anno non confiteantur, ut est sententia communis : ergo signum est, quod confessionem illis annis omittendo, non peccant graviter contra prædictum præceptum : aliter enim sicut committerent culpam, ita incurrerent pœnam, et illam deberent subire.

Ista, inquam, non referunt. Nam ad primum respondetur concedendo præmissas, et negando consequentiam. Ratio vero disparitatis desumitur ex ipsa objectione : quia sicut communis sententia docet pueros obligari ad confessionem a septimo,

aut

ut octavo anno : ut vidimus; sic etiam ommunis sententia negat pueros ab illa ætate obligari ad communionem, et majus patium expectat, ut obligatione urgeantur. :t hic est communis usus, et apprehensio delium, quod pueri tardius accedunt ad ucharistiam, quam ad confessionem. Inredibile autem est tantam fidelium multiudinem falli in praxi talis præcepti : id nim multum derogaret providentiæ Dei in irigenda sua Ecclesia, ut optime defenens sententiam communem evincit Diist. disp. 10, de Euchar. dub. 5, quidquid contrarium dicant Joannes Sanctius ta disp. 26, et alii pauci. Quæ disparitas ndatur in ipsis verbis Concilii, quibus remi possumus, « postquam ad annos discretionis pervenerint » : nam licet hæc nferantur tam ad confessionem, quam l communionem, referuntur tamen ad las secundum uniuscujusque naturam : ajor autem discretio requiritur ad comunicandum decenter, distinguendo inter anem vulgarem, et cœlestem, quam ad nfitendum cognoscendo peccatum. Quare lud *ad annos discretionis*, non est acciendum uniformiter, sed cum distribuone accommoda pro rerum naturis : ac Concilium dicat, *confiteantur* fideles, m pervenerint ad annos discretionis pro nfessione ; et communicent fideles, cum ervenerint ad annos discretionis pro mmunione. Et ita accipienda esse præicta verba satis declarat ipsa Ecclesia, stinendo assignatam differentiam, quam mnes fideles observant. Videantur N. ranciscus tract. de Euchar. cap. 7, punct. , a num. 15, et N. Andreas tract. de legius, cap. 3, punct. 4, num. 52.

Ad secundum respondetur eodem fere odo, omittendo præmissas, et negando nsequentiam, quia licet pueri, quando nt doli capaces, possint absolute sicut eccare, ita incurrere pœnas debitas, aut xatas; nihilominus regulariter loquendo, m sunt impuberes, non puniuntur secunm rigorem juris, et multo minus excomunicatione, aut aliis censuris Ecclesiastis, ut post Hugolinum, Sayrum, et alios cet Villalobos tract. 16, difficult. 14, nu. Unde commune est apud Auctores obserre, quod licet pueri impuberes sint caces subeundi pœnam excommunicatiois, et aliarum censurarum, illas tamen vel a jure, vel ab homine latas non incurrunt de facto, nisi specialiter exprimantur. Quare in dubio (quale in præsenti occurrit, siquidem Concilium Lateranense in privatione ingressus Ecclesiæ, et christianæ sepulturæ pueros non expressit) præsumendum est Ecclesiam non præcepisse omne, quod potuit, sed quod convenientius est facere : convenientius autem est pueros flagellis potius, quam excommunicatione, et aliis censuris compesci, ut recte expendunt Soto, Suarez, Azor, Granados, et alii communiter, quos refert, et sequitur N. Andreas in tract. de Censuris cap. 1, punct. 13, n. 168. Quocirca leges, taxantes in genere hujusmodi pœnas, interpretari benigne oportet quantum ad pueros, sive impuberes, ut non incurrant excommunicationem, licet transgrediantur legem, quæ illam habet annexam, ut tradit Sanchez lib. 1 Summæ, cap. 12, n. 5, ubi nominatim observat illos non esse puniendos pœnis assignatis in cap. *Omnis utriusque sexus*, nempe privatione ingressus Ecclesiæ, et Ecclesiasticæ sepulturæ, nec excommunicandos saltem ante duodecimum annum. Diximus *regulariter loquendo*, ut significaremus oppositum posse aliquando, et si raro contingere ut plane contingeret, si puer doli capax Clericum occideret : nam excommunicationem incurreret, ut observant Sanchez loc. cit. et cum Azor, et Henriquez Dicastillo disp. 6, dub. 5, n. 13, et constat ex cap. ult. de sententia excommunicat. colligiturque a contrario sensu ex Clementina, *Si furiosus*, de homicidio. Potestque esse disparitas, quia relati Auctores assignant, quod excommunicatio contra percutientes Clericum est lata, et ipso facto incurritur, ut constat ex juribus citatis ; sed in nostro casu annuæ confessionis, et in aliis communiter, excommunicatio non est lata, sed ferenda : et expedit ob superius dicta, quod prælati illam contra impuberes non ferant, saltem ante duodecimum annum.

Soto, Suarez, Azor, Granad.

Sanch.

43 Infertur quinto senes octogenarios, et cujuscumque ætatis, retinentes usum rationis, obligari præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis. Quod patet ex dictis pro præc. consectario : nam eo præcepto comprehenduntur, et ligantur omnes fideles, postquam ad annos discretionis pervenerint; manifestum autem est has conditio-

Quintum.

nes reperiri in senibus fidelibus cujuscumque ætatis, quamdiu discretionem, et usum rationis retinent : ergo octogenarii, et alii cujuslibet ætatis, dum rationis usum habent, ligantur illo præcepto. Pudet in tam manifestis, et facilibus immorari : sed varia, liberaque hominum ingenia nos ad hæc impellunt. Didacus de Narbona lib. de statu hominis, anno 80, qu. 4, n. 2, in universum affirmat senes octogenarios, qui fere semper, ita fiunt simplices, et rationis expertes, ut nihil a pueris differre videantur, ab omnibus, et quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam divinis legibus immunes reddi. Cui resolutioni adeo inhæret, ut dicat esse non solum probabiliorem, sed etiam certiorem contraria. Et illam probat primo : quia senes hujus ætatis reputantur, quasi pueri infantes, ut loquuntur Hippocrates, Ludovicus Vives, et alii ab eo relati; sed pueri ante septennium soluti sunt ab omnibus legibus Ecclesiasticis, et divinis, ut omnes docent : ergo idem de senibus octogenariis dicendum est. Secundo probat : quia Hostiensis, Stephanus Gaeta et Paluc. Rubeus affirmant esse aliquos ita senes, ut jam discretione careant (sicut octogenarii esse solent) et hos non teneri ad annuam confessionem, nec ad communionem in Paschate. Quia in his, addit ille, idem capacitatis defectus militat, ac in parvulis.

Narbonæ opinio.

Gaet. Palac. Rubeus.

Sed hanc Narbonæ sententiam, quam vocat probabiliorem, et certiorem, nemo prudentum negabit esse omnino falsam, absurdam : et contemnendam, ne plus dicamus. Et cum videatur ille senum levamini consulere, aliquodque satis singulare indultum afferre ; illos plane contemnit, in classe non solum infantum, sed fatuorum constituens. In qua comparatione stat falsa adeo imaginatio, distinctione corrigenda : non enim dubitamus dari aliquos octogenarios, qui usum rationis amiserint, et proinde infantibus comparentur, et eisdem privilegiis, si ita appellari possunt, fruantur : sed prædictus defectus contingere etiam potest in sexagenariis. Unde sicut propter hoc foret absurdum statuere regulam, quod sexagenarii nullis obligantur legibus Ecclesiasticis, aut divinis ; sic etiam est, si applicetur octogenariis. Verum enim vero communiter loquendo octogenarii ex hoc, quod ad eam ætatem perveniant, minime amittunt rationis usum, et discretionem. Quod ipsa experientia constat, et posset confirmari, si opus esset exemplo plurium gravissimorum Scriptorum, et Sapientium, qui ultra illam ætatem provecti scripserunt, et docuerunt. Quid moramur ? Vidimus nostris diebus D. D. Didacum de Valladares et Sarmiento, Supremæ Inquisitionis Præsidem, qui in majori adhuc ætate retinebat summam Juris peritiam, et stupendam ad mirandum memoriam, ut non semel ipsum allocuti fuimus cum admiratione experti. Et annis proximis SS. D. N. Innocentius XII, octogenario major sapientissime, et cum summa providentia gubernavit Universalem Ecclesiam. Itaque illa comparatio inter senes, et infantes a Narbona asserta minime admitti debet, sed magis assignanda disparitas satis notoria. Quod pueri communiter loquendo ante septennium non habent usum rationis, licet iste, aut ille infans citius illum assequatur : unde usus rationis ante septennium non præsumitur, nisi probetur : quibus autem signis id dignoscatur, sapientissimus docet Nalcarrus in Summa cap. 21, num. 33. Sed senes etiam octogenarii communiter loquendo conservant usum rationis in illa ætate, et ultra illam : et oppositum præsumi non debet, nisi probetur satis manifeste ; cum enim in possessione ejus hactenus fuerint, ab ea deturbandi non sunt, quandiu oppositum evidenter non convincitur : alias Episcopi, et alii Superiores ad eam ætatem pervenientes privarentur auctoritate gubernandi subditos, quod est ridiculum, et contra justitiam. Juxta quam disparitatem communiter dicimus pueros ante septennium non obligari ad confessionem annuam, senes autem octogenarios aut eo majores obligari. Sed sicut puer, si ante septennium est doli capax, obligatur ; sic e converso si senes ante annum octogesimum amittat rationis usum, non obligatur : hoc autem posterius est per accidens, et ideo standum est priori regulæ, et comparationi. Et tunc urget motivum a nobis propositum, quod est demonstratio Theologica : nam omnis fidelis capax rationis, si habeat conscientiam peccati mortalis, tenetur ex præcepto Ecclesiastico illud intra annum confiteri ; sed fidelis octogenarius retinet communiter usum rationis : ergo si habeat conscientiam peccati mortalis obligatur præcepto Ecclesiastico illud intra annum confiteri, sicut alii

Opinio. Narbonæ rejicitur.

i fideles : falsum itaque omnino est oc-
genarios immunes esse ab omnibus Ec-
siasticis, ut ille Auctor affirmat.
Motiva vero, quibus utitur, sunt admo-
m levia in re tam gravi. Ad primum
spondetur majorem solum verificari
antum ad defectum virium corporalium,
alias miserias, in quibus valde senes
eris infantibus æquiparantur; sed non
antum ad usum rationis, in quo senes
eris præeminere constat ex immediate
tis. Nec Hippocrates aliud docere potuit,
i satis longam duxit ætatem, et cum me-
us esset, non usum rationis, non leges
clesiasticas, quas minime novit, sed cor-
rum statum, et vires potuit dimetiri.
jus proinde doctrina, et multo magis
a experientia uti poterimus, ut censea-
is valde senes non obligari ad aliquas
es Ecclesiasticas, quæ vires corporales
poscunt, veluti ad abstinentiam a carni-
s, et ad jejunia in Quadragesima. Sed ad
nfessionem tales vires non requiruntur,
c ob earum defectum potest, aut debet
cusatio circa illam admitti. Deinde minor
n est universaliter vera : reperiuntur
im pueri, qui ante septennium usu ra-
nis gaudent, qui si mortale committant,
ud, sicut alii, intra annum confiteri te-
ntur, ut constat ex dictis num. 41. De-
que, ut rem absolvamus uno verbo, hæc
ligatio ad annuam confessionem non re-
latur penes numerum annorum, sed
nes usum rationis : quare qui illo
nuntur, sive pueri, sive senes, ad illam
hentur; qui vero illum non acquisierunt,
t acquisitum perdiderunt, ad eam non
ligantur. Sed in pueris ante septennium
gulariter non est, nec communiter præ-
mitur : at in senibus octogenariis adest
gulariter, et præsumi debet, nisi occur-
nt signa clara fatuitatis. Minus adhuc
cendum valet : quia illi Auctores solum
rmant reperiri aliquos adeo senes, et de-
pitos, ut furiosis, et amentibus comparen-
r ; de quibus affirmari posset non teneri
confessionem, et communionem. Quod
rissimum est, et non semel contingit. Sed
de assumere regulam generalem ad sta-
endum hujusmodi esse omnes octogena-
os, et subinde immunes reddi ab omnibus
gibus divinis, et humanis, alienum pror-
s est a ratione, et vel ab ipsis octogena-
is, quos illa adeo deprimit, non diceretur.

Sextum et ultimum consectarium.

44. Sexto, et ultimo infertur omnes, et soles, qui commiserunt aliquod peccatum mortale, et illud nondum confessi sunt, et ab eo confitendo alias non excusantur, obligari ex præcepto Ecclesiastico ad annuam confessionem. Ratio est : nam dubio procul aliqui isto præcepto ad confessionem annuam obligantur ; alioquin vanum, ac superfluum illud foret : si qui vero obligantur, sunt illi, in quibus propositæ conditiones concurrunt, videlicet peccavisse mortaliter ; ubi enim id non supponitur, nulla ad confitendum est obligatio. Deinde tale mortale peccatum non fuisse in confessione expositum : nam, si jam confessum est, etiam illa obligatio cessat. Sicut e converso quamvis ablatum, dimissumque fuerit per contritionem, adhuc perseverat obligatio illud subjiciendi clavibus, et manifestandi in annua confessione. Sed contingens est occurrere aliquando causas excusantes ab ejus manifestatione, ut si non sit nisi unicus sacerdos cui ob justas rationes scandali, infamiæ, aut alterius periculi oporteret tale peccatum non manifestari. His itaque conditionibus suppositis, et non aliter intelligendum est fideles isto præcepto obligari. Quod sic in genere propositum non ita bene percipitur : intelligetur facilius descendendo ad aliquos in particulari casu, quorum decisiones erunt velut quædam hujus consectarii appendiculæ et confirmationes evincentes ejus in communi resolutionem.

Contingit ergo aliquos fideles nullius peccati mortalis conscientiam habere, sed præcise venialium. Tenebuntur confiteri venialia, ut præceptum annuæ confessionis adimpleant ? Nullo modo : quia illud præceptum solum est circa confessionem mortalium. Et ita contra D. Bonaventuram, Alensem, Ricardum, Nugnum, et paucos alios, docent cum D. Thoma in 4, dist. 17, qu. 3, art. 1, quæstiunc. 3, ad 3, communiter Theologi, quos in magno numero refert Leander disp. 3, qu. 31, et videri possunt Suarez disp. 6, sect. 2, Candidus disquisit. 24, art. 5, dub. 1, Lugo disp. 15, n. 132, N. Philippus disp. 10, dub. 4, N. Franciscus cap. 7, punct. 3, num. 30, et Petrus de Ledesma cap. 8, post sextam conclusionem pro eadem referens D. Thomam, Durandum, Cajetanum, Sotum, Canum, ac Medinam Complutensem. Et

D. Bonav. Alens. Ricard. Nugn. D. Tho. Leand., Suarez, Cand. Lugo, Philipp. Franc. Ledesm. Durand. Cajet. Soto. Canu, Medina.

ostenditur efficaciter probando illam propositionem jam insinuatam, Ecclesiam scilicet illo suo præcepto solum obligare ad annuam confessionem mortalium : quoniam Ecclesia supponens præceptam a Christo peccatorum confessionem, præcepto suo determinavit tempus in quo impleretur divinum præceptum, ut ipsa Ecclesia se declaravit verbis sæpe relatis ex Conc. Trid. sess. 14, cap. 5 : « Neque enim per « Concilium Lateranense Ecclesia statuit, « ut Christi fideles confiterentur, quod jure « divino necessarium, et statutum esse « intellexerat : sed ut præceptum confes- « sionis saltem semel in anno ab omnibus, « et singulis, cum ad annos discretionis « pervenissent, impleretur. » Certum autem est fideles non obligari jure, vel præcepto divino ad confessionem venialium, ut omnes docent, et manifeste constat ex declaratione ipsius Ecclesiæ in eodem Conc. Trid. et loco citato, ubi postquam ostendit institutam, et præceptam a Christo peccatorum mortalium confessionem, immediate subjunxit : « Nam venialia, quibus « a gratia Dei non excludimur, et in quæ « frequentius labimur, quamquam recte, « et utiliter, citraque omnem præsump- « tionem in confessione dicantur, quod « piorum hominum usus demonstrat ; « taceri tamen citra culpam, multisque « aliis remediis expiari possunt. » Ergo Ecclesia in illo suæ annuæ confessionis præcepto minime comprehendit peccata venialia, quippe, quæ nec in ipso divino Christi præcepto comprehensa supponebantur. Recolantur supra dicta n. 30.

Conc. Trid.

45. Ex quibus omnibus colligitur fideles non habentes conscientiam peccati mortalis, qui omittunt annuam confessionem, non peccare mortaliter, ut hactenus dicta aperte evincunt ; sed nec venialiter ex vi hujus : quia nec Christus, nec Ecclesia obligat fideles ad venialium confessionem, ut ipsa Ecclesia verbis jam relatis exposuit. Colligitur ulterius conscium peccati mortalis, quod tamen ex juxta causa non debet confessario aperire, minime teneri pro confessione annua confiteri venialia, ut indirecte absolvatur a mortali. Oppositum docuerunt Nugnus in Supplem. qu. 6, art. 6, difficult. 1, et Granados tract, 9, disp.5, num. 23. Sed persistendum est in communi, ac vera resolutione : quia licet non negamus posse fidelem, vel ex charitate, vel ex pœnitentiæ virtute procurare illo medio, aut aliis propriam salutem, et reconciliationem cum Deo : hæc tamen obligatio non oritur ex præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis, quod solum se extendit ad confessionem mortalium, ut vidimus. Quare licet in casu proposito omitteret illud medium, aut remedium, et peccaret forsan graviter contra alia præcepta ; non tamen contra Ecclesiasticum annuæ confessionis, ut bene observant Suarez, Lugo, Archangelus, et Diana, quos refert, et sequitur Leander ubi supra qu. 32. Colligitur denique, et ab opposito eum, qui scit se mortaliter peccasse, quamvis justificatus media contritione fuerit, teneri ad annuam confessionem, in quo illud manifestet, ut in extrema nostri consectarii parte statuimus. Nam Concilium Lateranense relatum num. 24, præcepit fidelibus « omnia sua peccata saltem semel in « anno confiteri, » ut sic omnia subderentur, ut fieri ex Christi institutione opus est, clavibus Ecclesiæ. Quamvis autem aliquod mortale dimissum prius fuerit per contritionem ; tamen non fuit clavibus Ecclesiæ subjectum actu, et exercite, sed solum in voto. Quare debet intra annum in confessione exponi adimplendo Ecclesiastico præcepto. Ubi incidenter in verbis relatis observandum est pro exclusione supra posita venialium, quantum ad istud præceptum, illud « omnia sua peccata » ; impossibile namque est omnia venialia intra annum commissa meminisse, recensere, ac confiteri ; atque ideo illorum confessionem minime comprehendit illud præceptum.

Si autem inquiras, an in casibus, in quibus diximus fideles non obligari ad confessionem annuam, obligentur saltem ad comparendum coram proprio sacerdote, et illi manifestandum se non habere mortalia, quæ confiteantur? Plures sunt, qui dicunt teneri, ut Scotus, Suarez, Vivaldus, Fagundez, et alii, qui pro sua opinione referunt D. Thom. in Suppl. qu. 6, art. 3, ad 3. Et id esse quidem salubre consilium minime dubitamus, ut proprius sacerdos vultum sui pecoris melius cognoscat. Sed absolute censemus ad id non obligari ex vi præcepti confessionis ; quoniam tale præceptum solum obligat fideles ad confitendum suo sacerdoti

sacerdoti peccata mortalia : ergo ubi non adest obligatio hæc illi confitendi, quia non sunt, cessat adæquate illud præceptum : atque ideo ex vi illius non obligantur fideles ad alium modum comparandi coram proprio sacerdote. Unde simul diluitur motivum contrarium : nam ex parte fidelium non est alia obligatio, ut pastor eorum vultum, sive conscientiæ statum cognoscat, quam per confessionem sive in sacramentali discussione, atque judicio : et consequenter, ubi cessat obligatio confessionis, non tenentur fideles alio modo se pastori manifestare, et revelare conscientiam. Et sic docent N. Thomas a Jesu in suo Tribunal, de Conf. cap. 8, Ledesma de Pœnit. cap. 8, concl. 6, dub. 2, Vasquez qu. 90, art. 8, dub. 2, Lugo disp. 15, num. 133, et alii plures. Diximus tamen « ex vi « præcepti confessionis » : quia non negamus (et ita communiter Auctores relati observant) posse aliunde, et per accidens oriri illam obligationem coram proprio Parocho, aut superiore comparendi, et manifestandi in genere statum conscientiæ, ut si scandalum oriretur ex eo, quod quis non confiteretur, et aliter sedari non posset, quam isto comparendi remedio. Nec aliud voluit D. Thomas loco cit. ut constat ex ejus verbis, « ille, qui non habet mor- « talia, non tenetur ad confessionem ve- « nialium, sed sufficit ad præceptum Ec- « clesiæ implendum, ut se Sacerdoti « repræsentet, et se ostendat absque con- « scientia mortalis esse : et hoc ei pro « confessione reputatur. » Sicut enim hæc repræsentatio, et ostensio non est confessio vera, sed reputative : sic illud comparendi præceptum non est vere præceptum, sed consilium, et tanquam consilium implendum.

§ IV.

Qua anni parte urgeat hoc præceptum, et qualiter annus pro illo computari debeat.

46. Petrus de Soto lect. 9, de confessione, et Joannes de Medina qu. 18, de confessione semel in anno, censuerunt, quod præceptum annuæ confessionis obligat jam fideles in determinata anni parte, nempe in Quadragesima, et præsertim circa Pascha. Idque probant ex communi fidelium eo tempore confitendi, et adimplendi hoc præceptum consuetudine, quæ tempus in Concilio Lateranensi assignatum declarare, et vim legis habere videtur. Quam consuetudinem approbat, et multum commendat Concil. Trid. sess. 14, cap. 3, ubi post relatum Lateranense decretum subdit : Conc. Trid.
« Unde jam in universa Ecclesia, cum in-
« genti animarum fidelium fructu obser-
« vatur mos ille salutaris confitendi sacro
« illo, et maxime acceptabili tempore Qua-
« dragesimæ : quem morem hæc Synodus
« maxime probat, et amplectitur tanquam
« pium, et merito retinendum. »

Communis tamen Theologorum, et Canonistarum sententia est fideles posse in qualibet anni parte, mense, aut die huic præcepto satisfacere. Et efficaciter probatur ex ipso Concilio Lateranensi, in quo latum, et promulgatum est : nam solum ait : Conc. Later.
« Omnes fideles, postquam ad annos dis-
« cretionis pervenerint, omnia sua peccata
« semel saltem in anno confiteantur. »
Ubi nulla occurrit limitatio eam obligationem trahens ad determinatum Quadragesimæ tempus, sed magis libera ad totum annum extensio pro ejus adimpletione. Et confirmatur : nam idem Concilium, et eodem loco præcepit communionem in determinato anni tempore, nempe in Paschate, ut liquet ex illis verbis : « Susci-
« piens ad minus reverenter in Paschate
« Eucharistiæ Sacramentum. » Sicut ergo quia pro communione determinavit hoc speciale tempus, in eo specialiter urget Communionis præceptum : ita quia pro confessione assignavit totum annum, in nulla ejus determinata parte urget præceptum confitendi, sed in qualibet valet impleri. Et plane si oppositum intendisset Concilium, non se recte declarasset ; cum facile posset signare pro confessione Quadragesimam, sicut Pascha pro communione. Et motivum oppositum non premit: quia ille mos, quem videmus in fidelibus confitendi in tempore proximo Paschati, ortum non duxit ab auctoritate, vel ex mandato Ecclesiæ ; sed ex eo, quod fideles cum adimpleturi essent præceptum communionis, rationabile putarunt eodem fere tempore confiteri : tum ut utrique præcepto satisfacerent, tum ut per confessionem puriores ad Eucharistiam accederent: et forte multi intellexerunt ignoranter ad

Dissolvitur motivum opinionis contrariæ

utrumque tunc obligari. Quare consuetudo in his fundata minime sortita fuit, nec habet vim legis. Quam quidem laudavit Conc. Trid. tanquam piam, et conservandam ; sed tamen nullam, cum facile posset novam, obligandi vim adjecit, sed in eodem statu reliquit. Et hæc, ut diximus, est communis, et non minus secura sententia. Nec refert, quod in aliquibus diœcesibus soleat pro implendo hoc præcepto assignari tempus Quadragesimæ per Synodalia statuta ; et fieri eo tempore catalogus confitentium, ut non confessi compellantur per censuras ad confitendum. Id, inquam, non refert : ex quo enim Ecclesia pro confessione assignavit unius anni spatium, non possunt Episcopi illud limitare, et majorem determinationem adjicere, nec id intendere existimandum est, sed studere, quod prædicto præcepto satisfiat eo saltem tempore, quod in frequentiori usu est inter Christianos. Unde quem constaret confessum semel jam esse in anno, minime obligare possent ad confitendum in Quadragesima, nec super hoc molestare ; sed solum, hoc præsupposito, ad communicandum in Paschate.

47. Majus dissidium occurrit in modo computandi annum pro adimpletione hujus præcepti assignatum. Et omissis aliis sententiis, duas reperimus celebriores, valde communes. Prima affirmat computandum esse a prima die Januarii usque ad ultimam Decembris. Quoniam annus ita communiter computatur hominum consuetudine : et sic annum accipunt omnia jura, nisi aliud exprimant, et excipiant. Sic sentiunt Vasquez qu. 90, art. 3, dub. 1, Lugo disp. 15, nu. 157, Diana 2 part. tract. 17, resol. 54 et 3 part. tract. 4, resol. 81, et 4 part. tract. 4, resol. 206, Ochagavia, Gaspar Hurtado, Becanus, Franciscus, Bonæ Spei, et alii.

Vasqu. Lugo, et alii.

Secunda asserit prædicti anni comparationem fieri debere ab una Quadragesima in aliam, vel ab uno Paschate ad alterum. Quoniam hic censetur annus Ecclesiasticus, accedente consuetudine, et apprehensione fidelium existimantium se in prædicta anni acceptione esse obligatos ad confessionem annuam; ita docent D. Antoninus 3 p. tit. 14, cap. 19, § 3, Sylvester verbo *Confessio* 1, qu. 2. Victoria n. 126, alias 127, Martinus de Ledesma in 4, part. 2, q. 6, art. 5, dub. 6, Arauxo q. 84, art. 5, dub. 4, dubitat. 2, num. 27, (qui bene observat huic parti multum favere D. Thomam quod lib. 1, q. 6, art. 11,) Navarrus de Pœnit, cap. 21, n. 45, Suarez disp. 36, sect. 3, N. Gabriel disp. 5, q. 2, N. Antonius disp. 4, sect. 5, nu. 239, N. Franciscus cap. 7, punct. 5, pro eadem referens Henriquez, Azor, Coninchum, Reginaldum, Sa, Filliucium, Laymam, Bonacinam, Nugnum, Mercarum, Fagundez, Leandrum, Trullench. in Decalogum lib. 3, cap. 1, sect. 6, n. 54, dicens hoc esse certius, et securum morem Ecclesiæ. Denique Castro Palao disp. unica, punct. 20, § 2, nu. 10, dicit hanc sententiam esse communi Doctorum auctoritate receptam, quamvis ipse propendat in oppositam, seclusa, ut ille loquitur, auctoritate, spectatis præcise jure, et ratione naturali. Sed hoc ipso motivo huic secundæ, et communi sententiæ absolute subscribimus: quia non videmus, quid circa anni pro istius præcepti inchoatione potuerit ratio naturalis investigare, et minus diffinire. Nec in jure (saltem Canonico, quod solum pro re Ecclesiastica posset referre) aliquid reperimus, quod suffragetur illi opinioni : nam annus Ecclesiasticus quantum ad officium divinum, et alia plura incipit a principio Adventus. Alias vero in re, quam versamus, et quam hactenus Ecclesia non statuit, videmus annum communiter computari a Quadragesima in Quadragesimam, et hanc esse gentium, et populorum apprehensionem, et consuetudinem, quo tempore Quadragesimæ, et Paschatis adimplendum instat annuæ confessionis præceptum : quod non contingeret, si annus pro illa inchoaret a principio Januarii. Cui consuetudini aperte favet Conc. Trid. loco relato n. præc. dicens : « Quem morem » (nempe satisfaciendi in Quadragesima præcepto annuæ confessionis, de quo loquitur) « hæc Synodus maxi- « me probat, et amplectitur tanquam pium, « et merito retinendum. » Aliunde vero ex opposita opinione, quod inchoatio sumenda sit a Januario, nullum videmus fidelium levamen, aut convenientiam aliquam toti Ecclesiæ provenire. Quare stare oportet pro sententia non minus probabili, et magis communi.

D. Anton. Sylvest. Ledesm.

48. Illa ergo præsupposita, oportet decidere aliqua dubia, quæ ex hac circa annuam

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

nuam confessionem, et Ecclesiæ determinationem suboriuntur. Et primum sit, an, qui confessionem integro anno omisit, teneatur illo transacto statim confiteri, cum primum possit. Negant D. Antoninus 2, part. tit. 9, cap. 6, § 3, Martinus de Ledesma loco cit. art. 5, dub. 7, Sylvester verbo *Eucharistia* 3, et alii apud Dicastillum disp. 6, dub. 9, nu. 146. Et fundamentum eorum est, quod annualis confessio est onus alligatum uni anno : ergo obligatio ad annualem confessionem finitur cum ipso anno : et consequenter contra illam obligationem non agit, nec peccat, qui transacto illo anno, omittit confiteri, quamvis possit. Qui discursus magis explicatur, et fulcitur exemplo ejus, qui die Dominica omittit Missam : peccat quidem, sed non tenetur die sequenti illam audire : et exemplo clerici, qui hodie omittit recitare officium divinum, et non propterea obligatur cras illud repetere.

Sed dicendum est oppositum cum Soto in 4, dist. 18, qu. 1, art. 4, Nugno in add. quæst. 6, art. 5, difficult. 5, Victoria in Summa, num. 137, Arauxo q. 84, art. 5, dub. 4, dubit. 3, Navarro cap. 21, num. 45, Suarez disp. 36, sect. 4, Vasquez quæst. 90, art. 3, dub. 2, Lugo, Villalobos, et aliis plurimis, quos refert, et sequitur Leander disp. 3, quæst. 41. Et ex nostris idem docent Gabriel a S. Vincentio quæst. 2, Philippus a Trinitate dub. 6, Urbanus, Antonius a Spiritu Sancto, et alii, quibus relatis subscribit N. Franciscus cap. 7, punct. 4, num. 39. Et probatur destruendo oppositum fundamentum : nam præceptum annuæ confessionis sic est affirmativum, quod simul est negativum non differendi confessionem ultra annum : unde reddit hunc sensum, quilibet fidelium confiteatur omnia sua mortalia semel in quolibet anno, et ultra annum non differat : ergo tenemur non solum ex præcepto positivo ad confitendum in unoquoque anno, sed etiam ex præcepto negativo ad non differendum confessionem ultra annum : atque ideo non solum peccabimus non confitendo intra annum, sed etiam differendo confessionem, sive non confitendo quam primum transacto anno possimus. Sicut, ubi quis tenetur restituere, aut solvere intra aliquod tempus assignatum, peccat non solum in non restituendo intra illud tempus, sed etiam illo transacto, si non restituat, cum primum possit, ut docent communiter Auctores ex leg. Celsus, § Sed ipse, ff. de receptis arbitr.

Porro præceptum Ecclesiasticum annuæ confessionis sic accipiendum dicimus, et exponendum esse (in quo poterat esse difficultas) suadetur ; tum ex communissima, quam tuentur, Doctorum sententia : tum etiam, ex communi fidelium apprehensione et praxi ; ubi enim intra annum non confitentur, sentiunt se gravatos onere confitendi, quam primum possint, et onus illud non deponunt, aut ab eo liberos se putant, nisi confitendo. Tum præterea, ex fine ipsius præcepti, quia Ecclesia illud statuit, ut fidelium provideret saluti, quæ ex dilatione confitendi peccata, sive in peccati statu manendi, multum habet novi periculi ruendi in alia : atque ideo Ecclesia annuam confessionem præcipiendo voluit, mandavitque confessionem non solum intra annum fieri, sed etiam ultra annum non differri. Tum ulterius, ex proportione ad divinum præceptum de pœnitentia : ubi enim homo incidit in peccatum mortale, obligatur jure divino ad faciendum de eo pœnitentiam, et ad illam non longo tempore differendam, et utrumque omittendo peccat, agendo tam contra præceptum affirmativum pœnitendi, quam contra negativum non differendi longo tempore pœnitentiam, ut late ostendimus disp. 4, dub. 2. Idem itaque proportionabiliter dici debet de præcepto ab Ecclesia imposito pœnitendi mediante confessione intra annum : præsertim cum istud Ecclesiæ præceptum supponat divinum, et solum determinet tempus, in quo impleatur, ut sæpius a nobis inculcatum est ex doctrina, et declaratione Concilii Trid. sess. 14, cap. 5. Tum denique, ex ipsa consuetudine Prælatorum Ecclesiæ, qui solent excommunicare illos, qui in anno non confitentur. Excommunicant autem, non præcise quia confessi non sunt in anno, sed quia illo transacto nolunt confiteri. Idque liquet, quia Parochus nequit absolvere hos excommunicatos adhuc virtute cruciatæ, nisi velint confiteri, et ad confitendum se submittant ; et tamen possunt per cruciatam absolvere ab excommunicatione lata ob peccatum præteritum, etiam si ab homine lata fuerit : signum ergo est hujusmodi

excommunicationes decerni a Prælatis Ecclesiæ non præcise ob peccatum præteritum omissionis confitendi intra annum ; sed etiam et maxime quia illud peccatum adhuc perseverat, et continuatur, usque dum excommunicatus confiteatur, cum primum valeat. Idque magis confirmatur ex eo, quod, ut bene observat Arauxo loco cit. prælati sic obligant subditos ad confessionem pro anno præsenti, in quo confessi non sunt, ut licet eo elapso confiteantur, nihilominus censeant eos adhuc obligatos esse ad novam confessionem in sequenti Quadragesima : et propterea eisdem censuris, ac pœnis exigant ab illis sequentem confessionem, quibus exigunt præsentem pro anno præterito. Quæ satis manifestant confessionem præceptam pro unoquoque anno non illi sic alligari, ut cum eo finito finiatur, sed potius manere, et urgere, usque dum homo actu confiteatur. Pie tamen crediderimus ita omittentem, et procrastinantem annuam confessionem non committere tot peccata mortalia, quot sunt occasiones, in quibus oblatis non confitetur; sed continuare, et augere idem peccatum ; unde sufficiet illi postea, et peccatum omissionis, et tempus dilationis confiteri, ut contra Bonacinam, et alios non improbabiliter, nec inconsequentur multiplicantes in tali casu peccata, docent Nugnus loco citato, Villalobos tract. 9, difficult. 28, num. 8, Diana 3 part. tract. 4, resolut. 35, Valentia, Layman, et alii, quos refert, et sequitur Leander disput. 3, quæst. 42. Ex quibus satis constat ad motivum contrariæ opinionis : nam præceptum istud non est pure affirmativum, aut determinatum unius anni tempori, et ideo illo elapso adhuc perseverat : oppositum autem contingit in præceptis audiendi sacrum et recitandi officium divinum, quæ alligantur determinato die, et illo transacto cessant.

Confirmatio.

Nugnus, Villalob.

49. Unde incidenter colligitur eum, qui ob aliquam causam distulit confessionem unius anni usque ad principium sequentis, non posse una, et eadem confessione satisfacere præcepto confitendi in uno, et altero anno. Oppositum docent Gaspar Hurtado, Lugo, et Diana, quos refert, et sequitur Leander loco citat. quæst. 44. Quorum motivum est, quod uno, et eodem actu possumus, et solemus duplici obligationi occurrenti satisfacere. Sed consectarium nostrum efficaciter demonstratur : quia per illam confessionem factam in principio hujus anni satisfit quidem, licet sero, obligationi confitendi in præterito anno ; sed minime satisfit obligationi confitendi in anno præsenti : ergo per talem confessionem non potest satisfieri obligationi confitendi in uno, et altero anno. Probatur secunda antecedentis pars, in qua sola poterat esse difficultas : nam contingens est, quod in decursu anni nunc incipientis committat homo unum, aut plura peccata mortalia, quæ debet ante finem talis anni confiteri : ergo per confessionem debitam pro anno præterito in principio anni præsentis factam non satisfit Ecclesiæ præcepto obliganti per se ad præsentis anni confessionem de peccatis eodem anno commissis; sed necessaria est illorum confessio in eodem anno. Nec satisfaciet, qui dicat contingens etiam esse, quod homo post illam primam confessionem non peccat mortaliter, et consequenter, quod non teneatur ad novam in anno confessionem. Nam id facile refellitur, quia id non salvat, quod in uno, et altero anno satisfiat præcepto per unicam confessionem ; sed solum quod in secundo non detur obligatio confitendi ob defectum materiæ : istud namque præceptum solum obligat conscios peccati mortalis nondum confessi, juxta superius dicta n. 44.

Hurtad. Lugo, etc

Nec iterum satisfaciet, qui dicat, quod licet succedat aliquod peccatum mortale, jam homo satisfecit antecedenter præcepto confessionis pro illo anno. Nam id etiam rejicitur : quia tale peccatum in aliquo anno confitendum est ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto de annua peccatorum confessione ; sed juxta tale præceptum non pertinet ejus confessio ad annum sequentem: ergo pertinet ad annum præsentem, in quo committitur : ergo adhuc in ipso præsenti anno tenetur homo ad annuam confessionem peccati denuo commissi, non obstante, quod in hoc ipso anno confessus fuerit. Unde minime verificatur, quod per unam confessionem in principio anni factam satisfiat præcepto confitendi in anno præsenti, et in anno præterito : nam, si peccatum mortale non succedat, non obligat præceptum : si autem succedat, tenetur homo illud illo anno confiteri. Et, si fiat recursus ad alium annum sequentem ; inde fiet

annum

annum Ecclesiasticum pro impletione hujus præcepti non computari a Quadragesima in Quadragesimam, sed inchoare ab ultimo peccato mortali, quod homo admisit. Id vero dicere est nullum terminum fixum pro communitate fidelium in adimplendo annuam confessionem statuere, et contradicere ipsorum fidelium apprehensioni, et Pastorum praxi in usu satisfaciendi huic præcepto, ut vidimus num. præc. est etiam contra communem sententiam num. 47 relatam, quam defendunt Leander, et aliqui ex his, quos modo impugnamus, et possemus inconsequentiæ arguere. Sed pro hac nostra resolutione sunt Sotus in 4, dist. 18, q. 1, art. 4, Nugnus q. 6, art. 5, difficult. 5, Navarrus cap. 21, n. 95, Suarez disp. 36, sect. 4, Bonacina, Becanus, Filliucius, et alii plures. Et motivum contrariæ sententiæ non urget: fatemur enim non repugnare in genere, quod per unum actum fiat satis duobus præceptis : sed in præsenti occurrit specialis ratio, ne id contingat : quia nequeunt præceptum unius anni, et præceptum alterius anni concurrere per se in una duratione, et cadere supra eandem rem præceptam : sicut namque sunt duo anni, sic etiam duæ confessiones præceptæ, ut constat ex dictis, et magis constabit ex immediate dicendis.

50. Dubitatur secundo, an qui intra annum confessus est peccata mortalia, quorum erat conscius, et postea ante finem anni peccavit mortaliter, teneatur illo anno iterum confiteri, ut satisfaciat præcepto annuæ confessionis ? Negant Bonacina disp. 5, q. 6, sect. 2, punct. 4, Lugo disp. 15, sect. 7, n. 164, Diana, Castro Palao, Coninchus, Leander, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 7, punct. 4, num. 42. Et moventur : quia præceptum annuæ confessionis solum obligat ad confitendum semel sive una vice in anno manifestando in confessione omnia mortalia, quæ tunc pœnitenti post sufficientem discussionem occurrunt : ergo cum fidelis hoc facit, adimplet præceptum annuæ confessionis : ergo quamvis post hoc factum peccet mortaliter, non tenetur ad aliam in eodem anno confessionem, sed potest reservare illa peccata pro confessione in sequenti anno facienda.

Sed securior et etiam verior est contraria sententia, quam docet Suarez disp. 36, sect. 3, n. 9, Henriquez lib. 4, cap. 4, n. 2, et 6, Mercarus in 3, part. 6, q. 6, art. 2, et alii. Probatur : tum, quia in cap. *Omnis utriusque* præcipitur confiteri semel in anno omnia peccata mortalia in eo anno commissa, quorum homo conscius fuerit ; sed in casu proposito homo non confitetur omnia peccata illo anno commissa, quorum conscius est : ergo tenetur illa confiteri ante illius anni finem : atque ideo non satisfacit annuæ confessionis præcepto confitendo semel in qualibet parte anni, si post illam confessionem alia mortalia ante finitum annum succedant. Tum, quia consuetudo fidelium, et Ecclesiæ id vehementer confirmat : ut enim recte vidit Suarez, nemo contentus est confessione priori tempore facta, si postea tempore Quadragesimæ habeat conscientiam novi peccati mortalis : et propterea Prælati eo tempore compellunt ad confessionem : signum ergo est adesse tunc, si tunc detur conscientia peccati mortalis, obligationem satisfaciendi præcepto annuæ confessionis. Nec id revocari potest in obligationem, quam fideles eo tempore habent suscipiendi Eucharistiam, pro quo debent mortalium confessionem præmittere : quia non solum communicaturi, sed etiam alii se reputant obligatos ad confitendum tempore peccata mortalia hactenus non confessa. Quin et communicaturi se reputant sub hoc munere non solum ex præcepto communicandi, sed etiam ex præcepto annuæ confessionis. Hæc autem communis fidelium existimatio, accedente Pastorum praxi, vel id ipsum compellentium, multum urgere debet apud prudentes. Tum denique, nam ex opposito fieret eum, qui in principio hujus Ecclesiastici anni, nempe post octavam Paschatis lapsus fuit in aliquod mortale, quod statim confessus est, adimplere intra præceptum annuæ confessionis, manereque exoneratum ab illo, quamvis innumera peccata mortalia in hoc eodem anno committat ; quin, et posse illorum, et aliorum committendorum confessionem usque ad finem sequentis anni differre, transigendo duas Quadragesimas præsentis videlicet, et sequentis anni absque confessione tot peccatorum. Id vero licet admittatur ab Adversariis, revera est inconveniens propter oppositionem ad communem apprehen-

Vera, et securior opinio Suarez, Henriq. Mercar.

Præcluditur quædam evasio.

sionem fidelium, quos avertit a communi usu, commendatoque in Conc. Trid. confitendi in Quadragesima, eumque desererent, si intelligerent, vel conscius peccati mortalis non obligari ad confitendum ante finem anni, ut Adversarii docent; accedunt namque communiter eo tempore, quia communiter judicant se obligatos. Opponitur etiam praxi Pastorum fidei monitis, et pœnis urgentium, ut confiteantur tunc, quidquid fuerit de aliis intra annum confessionibus. Opponitur denique rationi congruentiæ in assignando aliquem terminum fixum prædictæ obligationis : nam juxta contrariam opinionem in arbitrio peccantium positum est differre confessionem per duos fere annos, ut supra expendimus : et Ecclesiæ nequit constare, quando huic obligationi satisfecerint ; et opus habebit de singulis inquirere, quando confessi fuerint ultima vice.

Motivum oppositæ sententenervatur.

Motivum autem contrariæ opinionis facile diluitur : nam, qui in principio anni peccavit, et confessus est, cœpit quidem adimplere præceptum de confitendis peccatis eo anno commissis ; sed non manet absolute liber ab onere annuæ confessionis, quia potest alia in eodem anno committere, quæ cadunt sub præcepto pro eo anno obligante usque ad ejus finem. Unde, si iterum peccat mortaliter, iterum confiteri tenetur. Si autem mortaliter non peccat, manet in fine liber, quia omne mortale, quod commisit, jam eo anno confessus fuit, juxta superius dicta num. 44, ubi statuimus solos conscios peccati mortalis non confessi obligari isto præcepto. Quare satis erit juxta ibidem dicta, si hoc Parocho manifestet.

51. Hinc vero aliud dubium suboritur, an scilicet idem dicendum sit, ubi quis adhibita sufficienti examinis diligentia confitetur omnia mortalia eorum, quæ tunc illi memoriæ occurrunt, et post confessionem recordatur alterius peccati mortalis prius obliti ; tenebitur ne illud eodem anno confiteri, ut satisfaciat annuæ confessionis præcepto ; Suarez disp. 36, sect. 4, num. 8, respondet non teneri. Et opponens sibi, quod sect. 3 statuerat, et amplexi fuimus num. præced. eum scilicet, qui post confessionem mortalium intra annum factam labitur in aliud, obligari ad novam hujus confessionem intra eundem annum ; quia Ecclesia præcipit confiteri omnia mortalia illius anni ; ergo pariter si in confessione omittat aliquod peccatum mortale propter oblivionem, ubi ejus recordatur, tenebitur illud intra eundem confiteri. Id, inquam, cum sibi opposuisset Suarez, respondit negando consequentiam: quia obligatio, ait ille, confitendi intra eundem annum peccatum post primam confessionem commissum, magis oritur ex usu fidelium, et consuetudine Ecclesiæ, quam ex vi verborum ipsius præcepti : quæ consuetudo est circa peccata denuo commissa, quæ nec per se, nec per accidens in prima confessione auferri potuerunt, sed non est, nec vim habet circa peccata invincibiliter in priori confessione oblita, quippe quæ saltem indirecte, et per accidens in illa remissa sunt. Sed contra hanc responsionem invehitur Arauxo q. 84, dub. 4, § *Sed quis non videat*, vocans illam voluntariam, et asserens, quod licet ea opinio sit speculative probabilis, oppositum tamen in praxi est probabilius, et securius: nam sicut ille, qui post præcedentem confessionem novum mortale committit, si illud intra eundem annum non confiteretur, peccaret contra præceptum annuæ confessionis obligans ad confessionem omnium mortalium ejusdem anni : ita qui inculpabiliter in confessione non recensuit aliqua mortalia propter oblivionem, si postea eorum recordetur, tenetur illa eo anno confiteri ; quod, si non faciat, agit contra tale præceptum obligans ad confessionem omnium mortalium illius anni, atque ideo peccat. Si enim regula ex illo præcepto desumpta est generalis, nempe confitendi in unoquoque anno omnia peccata nondum confessa ; nihil pro disparitate refert, quod vel fuerint commissa post primam confessionem, vel quod in prædicta confessione inculpabiliter omissa fuerint: de illis namque, et de istis verificatur esse peccata nondum confessa, atque ideo materiam illius præcepti pro annuali confessione.

Videmus rei difficultatem ab utraque parte, et hæremus : sed attentis omnibus, inversa aliquo modo Arauxii censura, judicamus ejus sententiam esse speculative probabilem, oppositam vero opinionem esse in praxi probabiliorem, et satis securam. Primum patet ex præmisso fundamento

nento a paritate inter utraque peccata, quod non leviter premit, ne minus consequenter procedamus. Et eidem suppetias ferre possumus alia similitudine in hunc modum ; nam, sicut Conc. Later. in illo cap. *Omnis utriusque* præcepit, quod omnis fidelis in quolibet anno confiteatur omnia mortalia peccata, quorum conscius sit ; sic Conc. Trid. sess. 13, cap. 7, præcipit, quod nemo conscius mortalis accedat ad sacram Eucharistiam, nisi præmissa sacramentali confessione : sed in casu, quo quis pro sumendo Eucharistiam confiteretur omnia peccata mortalia, quæ post diligens examen illi occurrerent, si postea alicujus mortalis in confessione inculpabiliter obliti recordaretur, teneretur illud confiteri ante Eucharistiæ sumptionem ; quamvis tale peccatum supponeretur in prima confessione indirecte remissum, et homo consequenter esset in statu gratiæ. Et ita docent ipse Suarez de Eucharistia disp. 66, sect. 3, vers. *Sed hujus occasione.* Et Lugo (ut plurimos omittamus) disp, 14, de Eucharist. sect. 6, n. 26, dicit esse praxim, et consensum omnium fidelium : ergo pariter in casu, quo quis post diligentem discussionem confiteatur omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt, si postea ante elapsum annum confessionis recordetur alicujus ondum confessi, tenebitur ante anni finem confiteri ; nec aliter præcepto omnia onfitendi poterit satisfacere ; quamvis upponatur esse in gratia, quod videtur sse finis præcepti, sicut et præcepti contendi omnia mortalia ante Eucharistiæ umptionem.

52. Secundum etiam suadetur. Tum, uia illam, quam Suarez docuit sententiam, ocent etiam alii Auctores, tam antiquiores lo. quam moderniores Sylvester, Victoria, Navarrus, Toletus, Valentia, Joannes de la ruz, Bonacina, Reginaldus, Nugnus, Coinchus, Filliucius, Molfecius, Villalobos, ylvius, Layman, Fagundez, Granados, ugo, Dicastillo, Gaspar Hurtado, Diana, . Gabriel, N. Antonius, quos omnes refert, et sequitur N. Franciscus cap. 7, unct. 4, num. 43. Et alios possumus ddere ; sed superfluum est. Tum etiam, x communi usu, tam pastorum, quam œnitentium : ubi enim homo post diligens examen confitetur omnia mortalia, uæ memoriæ occurrunt, censetur sufficientissime adimplevisse præceptum annuæ confessionnis, quamvis aliqua peccata veniant postea in memoriam, quæ ab illa prius inculpabiliter exciderant : nec enim necessarium censetur illa ante finem anni confiteri : sed remittuntur ad aliam alio tempore confessionem, sive voluntariam, sive ex præcepto. Tum præterea, ratione fundata in intentione. et fine tam Ecclesiæ præcipientis, quam pœnitentis ei obedientis: nam finis, quam Ecclesia annuam confessionem præcipiens intendit, est, quod fideles adimpleant divinum Christi de confessione præceptum, et non diu perseverent in statu peccati : cui fini, et intentioni facit satis ille pœnitens, qui diligenter discussa conscientia confitetur omnia peccata mortalia tunc memoriæ occurrentia : hic enim quantum in se est, omnia confitetur, et facit confessionem formaliter integram : unde absque dubio satisfacit divino Christi præcepto, et statum justificationis consequitur. Quare, sicut licet aliud peccatum postea memoriæ occurrat ; non tenetur jure divino ad aliam statim novam de illo prius oblito confessionem, sed potest illud remittere ad aliam alio tempore ex jure divino faciendam ; sic etiam jure Ecclesiastico non obligatur ad aliam tunc pro illo peccato confessionem ; sed sufficit, quod illud anno sequenti, aut cum voluerit, confiteatur. Tum denique ab inconvenienti ex opposita opinione : nam, si facta prius integra ex intentione, atque etiam ex diligenti confessione, occurrente memoriæ peccato prius oblito, tenetur homo illud ante finem confiteri ; pariter, si post secundam confessionem aliud occurrat, tenebitur ad tertiam : et si post hanc aliud in memoriam veniat, tenebitur ad quartam, et sic de aliis sine fine, sed ante finem anni. Nec casus est impossibilis, nec infrequens, præsertim in personis scrupulosis ; consequens vero est incredibile, utpote afferens pœnitentibus immensum onus, et non minorem pastoribus molestiam in tot confessionibus faciendis, et audiendis, præsertim in angustia temporis, et magno pœnitentium concursu, quæ simul adsunt circa finem anno pro isto præcepto adimplendo. Tenendum itaque est pœnitentem, qui sufficienti examine confessus est omnia mortalia sibi occurrentia, licet peracta confessione, aliud,

aut alia occurrant, satisfecisse plene illius anni præcepto, et non teneri ad confitendum iterum ante anni finem : sed posse peccata denuo memoriæ occurrentia ad aliam confessionem ultra illum annum transmittere.

Occurritur fundamento opposito.

Ad fundamentum vero Arauxii respondetur ex immediate dictis, disparitatem inter utrumque casum esse satis manifestam : nam licet Ecclesia præcipiat confiteri singulis annis omnia mortalia non confessa ; tamen inter eum, qui post confessionem committit novum mortale, et illum, qui post confessionem rite, et legitime factam, alicujus mortalis prius obliti recordatur, adest notabilis differentia. Nam de primo nullatenus verificatur, quod illud novum peccatum confessus fuerit : et ideo debet illud ante finem confiteri, ut satisfaciat Ecclesiæ omnium confessionem præcipienti : præsertim cum manifeste exciderit a gratia ad quam Ecclesia suo præcepto intendit fideles annis singulis reparare. Sed de secundo e contra verificatur, quod omnia sua mortalia ex intenttone in confessione exposuerit, et reipsa in confuso, et quantum fuit ex parte doloris universalis exposuit; et ab omnibus, nempe ab explicatis directe, et a non explicatis indirecte absolutus est, ac denique gratiam justificationis assecutus in ea permanet : quod est finis ab Ecclesia intentus in præcepto confitendi in unoquoque anno mortalia non confessa. Quare de isto secundo præsumendum non est, quod ab Ecclesia obligetur ad aliam novam in eo anno confessionem : præsertim accedente opposita fidelium apprehensione, ac consuetudine, et non minus communi Pastorum approbatione. Illud etiam, quod pro Arauxo addidimus, non urget, sed diluitur concesso antecedenti, et negando consequentiam. Ratio disparitatis est, tum, quod antecedens asserit communis sententia, consequens autem communis sententia negat : quod motivum in rebus moralibus magni ponderis solet esse ; quippe notabilis adeo differentia nequit non ex urgenti aliqua radice descendere. Tum etiam (et detegimus radicem) quod Ecclesia in præcepto de quo agimus, non jubeat, ut quis post confessionem rite peractam, si alicujus mortalis postea recordetur, illud confiteatur ante finem anni ; nec tale quid, aut simile in eo præcepto reperimus ; quin usus pœnitentium, et pastorum declarat oppositum, ut hactenus expendimus. At vero præceptum Ecclesiæ quantum ad sumptionem Eucharistiæ expresse jubet confessionem cujuscumque peccati, etiam si homo supponatur in statu gratiæ, præmitti debere. Sic enim habet Conc. Trid. loco cit : « Ut nullus sibi conscius peccati « mortalis, quantumvis sibi contritus vi- « deatur ; absque præmissa sacramentali « confessione, ad sacram Eucharistiam « accedere debeat : quod ab omnibus Chris- « tianis, etiam ab iis sacerdotibus, quibus « ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta « Synodus perpetuo servandum esse decre- « vit.» Unde circa hoc non relinquitur controversia.

53. Ex qua resolutione possumus aliquas ei similes, velut appendiculas colligere. Nam si quis tempore annuæ confessionis recensens omnia alia peccata mortalia, ex justa causa tacuit aliquod, dubitari potest, an teneatur illud intra eundem annum confiteri, quando jam absque inconvenienti potest? Et respondetur negative cum Lugo, Dicastillo, Leandro, N. Gabriele, et aliis apud istos, quos refert, et sequitur N. Franciscus loco cit. num. 44, contra Sotum, Cordubam. et aliquos alios, qui affirmant teneri. Et fundamentum stat in superius dictis : quia prædictus rite confessus est, et de omnibus peccatis vel directe, vel indirecte, absolutus fuit, et de novo non incidit in aliquod mortale, ut supponitur ; ergo sicut in tali casu adimplevit divinum Christi præceptum de confitendo absolute ; ita et satisfecit Ecclesiæ præcepto de confitendo in singulis annis : ergo non tenetur illo anno iterum confiteri de tali peccato ; sed potest illud remittere ad aliud tempus, sicut de peccato oblito inculpabiliter, et postea memoriæ occurrente dictum fuit.

Oppositum dicendum est, si quis habens unum peccatum mortale, a cujus confessione excusaretur ob justas causas confiteretur sola venialia, et indirecte ab illo mortali absolveretur : hic enim adhuc intra illum annum cessantibus justis causis, tenetur illud mortale confiteri ut bene observavit Dicastillo disp. 6, dub. 8, num. 138. Quoniam confessio, quam fecit, licet fuerit formaliter integra, non fuit tamen

confessio

confessio peccati mortalis, quæ sola est materia præcepta; unde non potest de illo dici, quod satisfecerit positive præcepto, et propterea ubi non adest justa causa tacendi illud peccatum, debet illud eodem anno confiteri. Sed quid, si confitendo peccata venialia confessus est unicum, quod tunc præcise occurrebat, peccatum mortale dubium, si postea certo cognoscat fuisse mortale, tenebitur ad confitendum illud ut certum, antequam annus finiatur? Respondetur non teneri: quia licet materia præcepti Christi, et præcepti Ecclesiæ non sint peccata venialia, est tamen peccatum mortale dubium, ut suo loco dicemus. Unde confitendo illud peccatum mortale dubium, satisfacit Ecclesiæ præcepto de annua confessione: et alias in eo anno non incidit in aliud mortale novum, ut supponitur. Quod vero intra illum annum recognoscat fecisse certe mortale, non obligat ad illud ut tale statim confitendum, quia illud alias jam confessus fuit; sed potest illud, ut certum ad aliud tempus sequentis anni remittere. Videatur Dicastillo loco cit. num. 134, ut ex professo dicemus dub. 6.

Idem dicendum putant Dicastillo, et Lugo de eo, qui in periculo repentinæ mortis positus confessus est unum aliquod mortale, sed alia, quæ habebat confiteri non potuit, censent namque hunc, licet illud periculum evadat, non teneri in illo anno ad aliam confessionem, quia illa prima implevit annuæ confessionis præceptum. Quod tamen videtur assensu difficile: quia cum contingens sit illum habere plurima mortalia, et atrociora illo uno confesso, absurdum apparet, quod ejus solius confessione liberetur ab onere omnia illa eo anno confitendi. Sed nihilominus non audemus negare auctorum opinionem esse probabilem: quia prædictus fecit per se, et ex sua intentione integram formaliter omnium suorum peccatorum confessionem, quamvis cuncta recitare non potuerit; et deinde constitutus est in statu gratiæ, et reconciliationis cum Deo; quod videtur esse præcipuus hujus Ecclesiastici præcepti finis: quare si denuo non incidat in novum mortale, ut supponendum est, excusabitur a nova in illo anno confessione. Sed si in mortale labatur, tenebitur illud ante finem confiteri justa superius dicta num. 50, et consequenter omnia alia, quorum conscientiam habet, et in prima illa repentina pro articulo mortis confessione explicare non valuit: ubi enim de mortalibus confessio sit, omnia non confessa debent exponi, cum unum absque aliis omnibus nequeat remitti. Prior autem confessio, quamvis pro tunc satisfecerit præcepto Ecclesiæ, ut concedimus; satisfecit tamen satisfactione inadæquata: quia exsolvere non potuit pro peccatis postea eodem anno committendis: quare, si subsequantur, opus est illa ante finem anni confiteri. Hinc colligimus falsam esse opinionem ejusdem Lugonis disp. 15, num. 180, Dicastillo ubi supra num. 142, et N. Antonii disp. 4, sect. 5, num. 249, docentium illum, qui toto anno præcedenti omisit confessionem, si inchoato hoc anno præsenti confiteatur, manere liberum ab obligatione hoc anno confitendi. Quia vel succedunt nova peccata, vel non? Si hoc ultimum, deobligatus quidem manet, quia non adest materia præcepti. Si vero primum; omnino tenetur illa nova peccata eodem anno confiteri, quia in anteriori confessione non explicuit, nec potuit; cum tamen singulis annis debeat confiteri omnia peccata hactenus non confessa. Quæ satis constant ex dictis num. 49, et declarari magis possunt exemplo ejus, qui singulis annis debet solvere unum aureum: nam si in præcedenti anno illud non solvit, quamvis illud solvat in principio hujus anni, non satisfacit obligationi anni præsentis, sed debet aliud pro eodem solvere. Et ita docent Sotus, Nugnus, Navarrus, Suarez, Bonacina, et alii plures apud N. Franciscum cap. 7, punct. 4, num. 45, qui aliam tertiam, et quasi mediam refert sententiam, in eamque inclinare videtur: sed vere non habet locum, et huic secundæ oportet stare. Alias appendiculas non addimus, qui et has ipsas scribere molestum ducimus, eandemque molestiam sapienti lectori timemus, qui malet profecto unam aliquam notabilem difficultatem, cui superandæ, continuatæ attentionis filo accingeremur. Sed patientia opus habemus in tractandis his moralibus, sive practicis, quæ ad tam minuta in singulari descendunt.

Lugo Dicast.

Nugnus Navar. Suarez. Bonac.

54. Tertium dubium in materia, quam versamus, est, an qui in principio, vel

medio anni prævidet se postea non habiturum copiam Confessarii, vel alia via impediendum toto sequenti tempore fore a facienda confessione, teneatur illam anticipare priusquam ad illas augustias, et finem anni deveniat? Et supponitur talem habere conscientiam peccati mortalis, quod solum est hujus præcepti materia : unde si habeat sola venialia minime obligatur, vel absolute, vel ex tali suppositione illa confiteri. Neminem legimus, qui negat in casu proposito obligari peccatorem ad anticipandum annuam confessionem : quamvis aliquos id negantes referat suppresso nomine Ludovic. a S. Joan. q. 5, de pœnit. art. 6, dub. 7. Sed communis Doctorum sententia affirmat obligari ad hanc præventionem. Ita Sylvester, Tabiena, Navarrus, Villalobos, Suarez, Vasquez, Bonacina, Diana, Lugo, Dicastillo, et alii plures apud N. Franciscum ubi proxime, num. 40. Fundamentum est : quoniam ab initio anni præsentis incipit obligare præceptum annuæ confessionis, sive, et in idem recidit, præceptum illud comprehendit totius anni spatium : ergo si homo non potest illud implere tempore sequenti, tenetur implere in antecedenti ; atque ideo prævenire confessionem. Sicut quia præceptum audiendi Missam die Dominica obligat a mane usque ad meridiem, et totum illud tempus complectitur, si mane hora septima prævidet ea elapsa non habiturum deinceps facultatem Missam audiendi, tenetur statim illam audire, ut præcepto satisfaciat. Hinc etiam fit habentem peccata reservata, et copiam confessarii potentis ab eis absolvere, teneri nunc illa confiteri, si prævidet in decursu anni non habiturum copiam similis confessarii talem facultatem habentis.

Sylvest. Tabien. Navar. Villalob. Suarez Vasquez Bonac. Dian. Lugo Dicast.

Juxta hanc communem sententiam sunt, qui colligant, et consequenter, ut putant, sentiant eum, qui in hoc anno prævidet se in sequenti non habiturum copiam confessarii, vel alio obstaculo impediendum a confessione, obligari ad anticipandum anni sequentis confessionem, illam exequendo. Pro qua opinione Dicastillo disp. 7, dub. 11, num. 183, refert graves Auctores D. Bonaventuram, Durandum, Paludanum, Majorem, Navarrum, Canum, et Medinam Complutensem. Et ex Modernis idem docet Gaspar Hurtado disp. 7, difficult. 13, et plures alii apud Leandrum disp. 3, quæst. 46. Quorum fundamentum est et stare videtur in præmissa resolutione : nam si prævidens non posse facere confessionem in fine, aut decursu anni, tenetur illam facere in principio : idemque contingit proportionabiliter in Missa, et aliis rebus, ad quas tenemur : cur prævidens se non posse in anno præsenti confiteri, non obligatur ad confitendum in præsenti, anticipando tempus obligationis præcepti? Hæc opinio est valde probabilis ab auctoritate illam docentium. Sed subscribimus oppositæ, quam tuentur Dicastil. loc. cit. n. 184, Leander disp. 3, qu. 46, Delgadillo c. 17, dub. 36, et probatur diruendo simul oppositum fundamentum : quoniam nemo tenetur adimplere aliquod præceptum, priusquam illud obligare incipiat : ergo quamvis ille, qui est constitutus in anno, in cujus decursu, et fine desperat se posse confiteri, tenetur confessionem prævenire, quia jam cœpit obligatio confitendi in tali anno ; nihilominus ob oppositam rationem, qui in anno præsenti prævidet non posse confiteri in sequenti, non tenetur sequentis anni confessionem prævenire, de præsenti confitendo ; quippe cum modo non currat obligatio confitendi in sequenti anno.

D. Dicastil. Bonav. Durand. Palud. Major. Navar. Cano, Medina. Hurtado.

55. Et si inquiras, quid juxta præmissas resolutiones dicendum sit, tum de illo, qui existens in peccato mortali prævidet se non habiturum deinceps longo tempore, et præsertim in articulo mortis copiam confessoris, ut contingit in pergentibus ad gentes barbaras, et inter eas degentibus? Tenebitur ne ad præveniendum confessionem pro eo articulo præceptam confitendo de præsenti? Tum de illo, qui ob defectum memoriæ experientia cognitum, timet, quod de peccatis mortalibus, quæ modo habet, et cognoscit, non recordabitur in fine anni? Obligabitur propterea ad præveniendum illud tempus, et faciendum statim de mortalibus cognitis confessionem?

Ad primum quæsitum respondetur, eam difficultatem non esse regerendam ad confessionem, ut præceptam solo jure Ecclesiastico determinante pro singulis annis confessionem, quidquid de mortis articulo fuerit ; sed ad confessionem ut præceptam in articulo mortis jure divino, quod

quod tunc specialiter urget, ut docent unanimiter Theologi, quamvis alias dissideant circa obligationem ex prædicto jure in aliis durationibus vitæ, aliquibus restringentibus ad determinata tempora, aliis prorsus laxantibus usque ad ipsum mortis articulum, ut constat ex disp. 3, dub. 7. In suppositione itaque, et sensu præmissis Leander disp. 3, sect. 11, docet hominem illum non teneri ad anticipandum confessionem. Pro qua resolutione nullum alium in particulari refert ; sed solum dicit alios modernos, quorum nomina supprimit, idem docere, et quod in simili docet Azor, et probabile reputant Joan. a Cruce, et Joan. Sanctius. Fundamentum autem est illud met, quod supra pro nostris resolutionibus expendimus : nam ideo qui prævidet hoc anno se in ejus fine non habiturum confessarii copiam, debet confessionem anticipare, quia prædictum præceptum cœpit obligare ab hujus anni principio : e converso autem, qui prævidet, quod anno sequenti non poterit confiteri, non tenetur anticipare hoc anno confessionem anni sequentis, quia præceptum pro sequenti adhuc non cœpit obligare in præsenti anno. Sed etiam in casu proposito præceptum divinum confitendi in articulo mortis non obligat de præsenti ; siquidem de præsenti non occurrit talis articulus ; cum homo sanus sit, et procul distans ab eo periculo : ergo quamnis nunc prævideat non habiturum deinceps copiam confessarii, nec locum confitendi, non obligatur confessionem pro illo tunc debitam, nunc anticipare.

Sed contrarium omnino dicendum est cum communi, et secura sententia, quam tuentur Paludanus, Sylvester, Tabiena, Cano, D. Bonaventura, Richardus, Durandus, Major, Gabriel, Henriquez, Suarez, Fagundez, Layman, Gaspar. Hurtado, Lugo, Molfesius, Bonacina, Diana, Reginaldus, Villalobos apud Leandrum loco citato, qui recognoscit, et fatetur hanc esse communem. Addimus N. Antonium, (in opinionibus alias minime scrupulosum) disp. 4, sect. 2, n. 214, et Delgadillum non absimilis ingenii) cap. 17, dub. 36, n fine. Et hinc probatur primo : quia in re adeo gravi, a qua pendere potest æterna salus, oportet illud asserere, quod ab omnibus communiter asseritur, et securissimum est in ordine ad talem finem : ergo debemus asserere eum, qui de præsenti habet copiam confessarii, et prævidet, quod illa carebit deinceps, et in ipso articulo mortis, obligari ad præveniendum eam confessionem, ad quam in eo articulo faciendam jure divino tenetur. Probatur secundo destruendo oppositum fundamentum, et aperiendo falsam æquivocationem, cui innititur : nam licet multi (quos impugnavimus loco proxime citato) opinentur præceptum divinum confitendi peccata non urgere in aliqua determinata vitæ duratione, nisi in proxima morte, sive cum hujus periculum adest : nihilominus prædictum præceptum obligat, decurritque per omnia vitæ spatia, incipitque obligare ab ipso primo usu rationis : cujus manifestum signum est, quod in qualibet vitæ parte potest impleri ; et non posset proprie impleri, nisi obligaret. Itaque sicut in quolibet vitæ spatio, aut tempore potest homo mori, aut incidere in moriendi periculum ; ita in quolibet obligatur jure divino ad non moriendum in mortali, sive ad procurandum non mori absque mortalium confessione. Ubi autem datur præceptum obligans, et quis prævidens, quod transacta occasione, quam ei satisfaciendi habet, non poterit postea illud adimplere, debet de præsenti anticipare ejus adimpletionem : et hac de causa, qui prævidet, quod in fine anni non poterit satisfacere ecclesiastico de annua confessione præcepto, tenetur illam prævenire confitendo de præsenti : sicut e converso, quia præceptum confitendi in sequenti anno non obligat, nec cœpit obligare in præsenti, licet aliquis in præsenti prævideat non habiturum in sequenti copiam confessarii, non obligatur ad anticipandum futuri anni confessionem, ut satis constat ex dictis n. præced. Cum ergo homo jure divino teneatur confiteri mortalia ante mortem, si prævideat se in ejus articulo non habiturum confessarii copiam, tenetur ad anticipandum alio tempore, licet ab illo articulo distante, confessionem divino jure præceptam.

Ad secundum respondetur negative : nam præceptum confessionis de peccatis in specie, et numero non obligat ad summam, extremam, et metaphysicam diligentiam circa eorum recordationem, et relationem ; sed ad id sufficit alia inferior,

et prudentialis, qualem adhibere consuevimus in aliis rebus gravibus, quæ cordi sunt, ut docent communiter Auctores apud N. Franciscum, c. 6, punct. 2: sufficit itaque pro adimplendo tam Divino, quam Ecclesiastico confessionis præcepto confiteri illa peccata, quæ post præmissam in sensu dicto diligentem conscientiæ discussionem memoriæ confitentis occurrunt, quamvis aliorum non recordetur. Qua de causa licet aliquis probabiliter conjiceret, atque speraret, ut facta longa, et prolixissima inquisitione, occurrerent sibi aliqua peccata præter illa, quæ hactenus in mentem venerunt, non teneri ad hujusmodi exactissimam diligentiam docet cum aliis Bonac. disp. 5, qu. 5, punct. 2. Hacque doctrina præsertim se gerere debet confessarius cum personis scrupulosis, et timidis cum excessu conscientiæ: quas non dubitamus amentiæ periculum subituras, si in eam, quam sæpius tentant, exactissimam diligentiam imprudens confessarius illas se committere permitteret, aut, quod pejus est, juberet. Eadem etiam de causa, quamvis aliquis sit lubricæ memoriæ, ac timeat, quod tempore confessionis omnium suorum peccatorum non recordabitur, nihilominus non obligatur ille, cum ea committit, vel alio tempore scribere, ne illa obliviscatur; quia id, præterquam habet alia inconvenientia, est diligentia extraordinaria, ut recte docent Suar. Vasq. et alii plures apud N. Franciscum ubi proxime n. 6. Ex eadem itaque de causa ille, qui prævidet, quod si statim, aut anteriori tempore non confiteatur, in fine anni, ubi urget annuæ confessionis præceptum, plurium non recordabitur, non propterea obligatur ad anticipandum eam confessionem, ut cum multis resolvit Bonac. loc. cit. punct. 2, n. 4, et idem docent Diana, 2 par. tr. 4, resol. 155, et N. Antonius disp. 4, sect. 2, n. 220. Potestque ab inconvenienti confirmari: nam si quis ob periculum oblivionis deberet annuam confessionem anticipare: ea peracta idem periculum circa alia peccata denuo committenda succederet; et his confessis adveniret circa alia, et sic in infinitum: unde consequenter ad plures eodem anno confessiones obligaretur. Quod est absurdum, et onus grave nemini ob solum naturalem defectum memoriæ imponendum.

Bonac.

Suarez, Vasqu.

Bonacin. Diana, Anton.

§ V.

Conditiones annuæ confessionis, ut per eam satisfiat Ecclesiæ præcepto.

56. Non omnes conditiones prædictæ confessionis hic recensendæ sunt, sed suis locis reservandæ, quæ specialem disceptationem exposcunt; hic vero sufficiet recensere, et colligare communiores. Et primo dubitari potest, an qui facit confessionem validam, sed informem satisfaciat huic præcepto? Validam confessionem appellamus, in qua concurrunt omnia requisita pro essentia sacramenti: informem autem, quæ non inducit, saltem cum actu fit, suum effectum, nempe remissionem peccatorum per gratiam justificantem. Quod hic est supponendum ex dictis Tractat. XXII, de Sacramentis, disput. 4, dub. 6, et magis constabit ex infra dicendis dub. 11, ubi ex professo ostendemus posse dari pœnitentiæ sacramentum validum, et informe. Ad quæstionem autem propositam respondetur affirmative cum communi sententia inter Doctores, tam admittentes sacramentum pœnitentiæ validum, et informe, quam illud negantes: nam hi etiam communiter sentiunt, quod si daretur, per illud fieret satis Ecclesiastico de annua confessione præcepto. Unde supervacaneum est illos in particulari referre. Videri tamen possunt Sotus in 4, dist. 18, q. 3, art. 5, Nugnus in supplem. qu. 6, art. 5, difficult. 5, et 6, qu. 9, dub. 2, concl. 2, dicens contrariam sententiam parum, vel nihil habere probabilitatis. Suar. disp. 35, sect. 4 et disp. 36, sect. 7, et Dicastillo disp. 7, dub. 12, n. 195. Fundamentum est: quia materia præcepta per hoc Ecclesiæ præceptum est vera confessio; sed confessio valida, et informis est vera confessio; alias valida non esset, ut supponitur: ergo qui fecit confessionem validam, licet informem, adimplet Ecclesiasticum de annua confessione præceptum. Patet consequentia: quia pro adimplendis præceptis sufficit ponere illud, quod præcipitur. Confirmatur: nam si ille, qui fecit confessionem validam, et informem, non adimpleret istud annuæ confessionis præceptum, adhuc maneret sub illo, et teneretur ad confessionem eorundem peccatorum; consequens est

falsum

falsum; siquidem non minus liberatur ab illo onere, et obligatione, quam qui valide baptizatur, licet non assequatur baptismi gratiam, de quo nemo dixit, nec salva fide dicere potest, obligari ad repetendum baptismum : ergo qui fecit validam, etsi informem confessionem, satisfacit annuæ confessionis præcepto.

Nec refert, si contra hanc resolutionem opponatur primo, Ecclesiam præcipere confessionem in justificationem animarum; sed in confessione informi non obtinetur animarum salus : ergo per confessionem informem licet validam non fit satis Ecclesiæ præcepto. Secundo, quia si per talem confessionem satisfieret Ecclesiæ præcepto, pariter et præcepto Christi, siquidem illud est istius determinatio; consequens est falsum : ergo et antecedens. Probatur minor : quia divinum Christi de confessione præceptum est virtualiter, aut æquivalenter duplex, nempe affirmativum de confessione facienda, et negativum de non facienda indigne confessione, quod redundat in injuriam sacramenti ; sed qui facit confessionem informem non adimplet Christi præceptum quantum ad hanc secundam partem, siquidem quod confessio sit informis, semper provenit ex aliquo confitentis defectu : ergo per confessionem informem non satisfit absolute divino Christi præcepto. Tertio, nam contingit aliquem peccare mortaliter in eo ipso, quod fecit confessionem validam, et informem, ut non pauci affirmant de eo, qui accedit ad confitendum absque debito peccatorum examine, quod tamen ipse ex ignorantia culpabili putavit sufficiens ; ita se gerens non adimplet Ecclesiæ præceptum; siquidem non confitetur illud mortale peccatum, quod in tali confessione committit : ergo falsum est per confessionem validam informem adimpleri istud præceptum Ecclesiæ. Quarto, quia per communionem validam, et informem non satisfit præcepto Ecclesiastico annuæ communionis, ut colligitur ex decreto SS. Innocentii XI, ann. 1679, damnantis hanc propositionem (inter alias 55.) : « Præcepto communionis « annuæ satisfit per sacrilegam Domini « manducationem : » ergo pariter non satisfit præcepto Ecclesiastico annuæ confessionis per confessionem validam, et informem, quæ solet esse sacrilega.

57. Hæc, inquam, non referunt : nam ad primam respondetur, quod licet finis Ecclesiæ in præcipiendo annuam confessionem sit salus animarum; materia tamen præcepta non est ipsa salus, sive status gratiæ, sed sola annua confessio : quia quod cadit sub præcepto non est finis, sed id, quod in ordine ad finem præcipitur : sicut etiam Ecclesia in præcepto jejunii intendit salutem animarum per mortificationem, et macerationem carnis ; at res præcepta non est salus animarum, sed jejunium. Unde sicut in hoc exemplo homo jejunando satisfacit Ecclesiæ præcepto, licet non sit in statu gratiæ, nec illum jejunando assequatur : sic in præsenti materia satisfacit Ecclesiæ præcepto, qui facit validam confessionem, licet alias ob aliquod impedimentum, vel desideratæ dispositionis defectum non consequatur gratiam, quæ est sacramenti fructus. Quare ad objectionem concessis præmissis negamus consequentiam, quæ ex illis illegitime deducitur. Diluitur object. 1.

Ad secundam concedimus sequelam, et negamus minorem. Cujus probatio non urget : nam illud, quod dicitur de negativo Christi præcepto prohibente indignam sacramentorum susceptionem, verum quidem est, sed applicandum actibus humanis, sive liberis ; ubi enim id non adest, nec adest ulla violatio præcepti affirmativi, vel negativi. Unde quamvis aliquis exerceat aliquod opus re ipsa prohibitum, quod tamen ipse ex ignorantia invincibili, aut probabili non cognoscit esse prohibitum, minime peccat, quia defectus scientiæ inducit involuntarium. Unde in nostro casu, qui ex ignorantia, aut dictamine probabili putat se esse dispositum ad recipiendum sacramentum pœnitentiæ, et ita accedit, non solum suscipit sacramentum validum, adimpletque affirmativum Christi de confessione præceptum ; verumetiam nullo modo formaliter violat præceptum negativum de non suscipiendo indigne sacramentum : illa enim susceptio licet materialiter, aut objective mala ob defectum alicujus requisiti, non est formaliter peccaminosa, et multo minus sacrilega : quia ad hoc ultimum requirebatur, quod homo voluntarie, et scienter confiteretur sine conditionibus requisitis. Id vero minime contingit in casu proposito (admisso vel Fit satis 2 object.

conditionate, vel absolute) suscipiendi sacramentum validum, sed informe. Si enim sciens, et volens in eo suscipiendo graviter peccaret, eo ipso nullum redderet sacramentum, et tolleretur status quæstionis. Nam hac suppositione facta, omnino, et absque ulla inter Catholicos disceptatione tenendum est per talem confessionem non satisfieri Ecclesiæ præcepto, ut patet ex decreto Alexandri VII, damnantis anno 1665 sequentem propositionem (14, inter reprobatas.) : « Qui facit confessionem vo- « luntarie nullam, satisfacit præcepto « Ecclesiæ. » Confessio autem nulla nequit esse, aut dici valida, etsi informis : et nos de sola informi, quæ sit valida, tractamus.

Ad 3. object. respons.

Ex quibus ad tertiam objectionem dicendum est nostram, et communem resolutionem procedere indefinite circa confessionem validam, et informem : ad quod satis est per unam, aut plures hujus generis posse impleri Ecclesiæ præceptum. Quod vero quidam affirment posse dari confessionem validam, et informem, in qua homo actu mortaliter peccet ; et per quam, ut alii subinferunt, non fiet satis præcepto Ecclesiæ de confessione omnium peccatorum, ut in objectione expenditur ; nostra non refert, qui in præsentiarum opus non habemus descendendi ad particularium casuum probabilitatem, et multo minus conciliandi opiniones inter se oppositas. Sed addimus eos, qui docent posse hominem facere confessionem validam, et informem, in qua actu peccet, dicere etiam, ut sibi consequenter loqui videantur, per talem confessionem satisfacere Ecclesiæ præcepto : quia talis confessio etsi informis, et conjuncta non solum statui peccati, sed etiam actuali peccato in ea commisso, nihilominus est simpliciter valida : atque ideo per eam adhibetur simpliciter illa materia, in quam cadit Ecclesiæ præceptum. Nec agit ex vi hujus contra præceptum Ecclesiæ confitendi omnia peccata, quia intelligitur de omnibus, quæ memoriæ occurrunt : illud autem peccatum, quod committitur, non occurrit tunc memoriæ, et pœnitentis judicio, quamvis tunc ignorantia culpabili mortaliter peccet, sicut solet etiam contingere in aliis peccatis, quæ ex ignorantia non excusante fiunt : non enim cognoscitur expresse malitia, sed tamen admittitur. Dicunt præterea illam opinionem tuentes prædictum casum non comprehendi in propositione proxime relata, et condemnata ab Alexand. VII : « Qui facit confessionem voluntarie « nullam satisfacit præcepto Ecclesiæ : » nam ly *facit voluntarie nullam*, idem est ac scienter, et ex certa malitia, vel supprimendo peccatum mortale, vel perseverando in proposito peccandi, totumque id cognoscendo. Hoc autem non verificatur de eo, qui facit confessionem validam, etsi informem, et in qua actu peccat : nam implicatio est in terminis, quod, qui facit confessionem voluntarie nullam, faciat confessionem validam. Et ideo semper tenet universalis nostra resolutio, quod, qui facit confessionem validam, sive formatam, sive informem, satisfacit annuæ confessionis præcepto. An vero prædictæ propositionis expositio illi omnino quadret, minime affirmamus, sed Ecclesiæ judicio, ut fieri debet, remittimus, et de eadem re adhuc dicemus, præsertim dub. 12, n. 315, ad quem locum per se spectat.

58. Hinc patet ad objectionem ultimam : nam solum probat, quod sicut per sacrilegam communionem sacrilegam non satisfit annuo confessionis præcepto, ut declaravit Innocentius XI, condemnando oppositam assertionem : sic etiam non satisfit annuæ confessionis præcepto per confessionem sacrilegam. Id vero nostram resolutionem non oppugnat quippe solum statuit satisfieri dicto præcepto per confessionem validam, et informem ; et manifestum est non omnem confessionem informem esse sacrilegam, sed posse informitatem provenire ex aliquo defectu inculpabili, ut suo loco magis apparebit. Unde hæc objectio ita retorquenda est, ut faveat communi nostræ resolutioni : etenim dupliciter potest contingere communionem esse informem : primo scienter, et ex malitia suscipientis, qui cognoscit se esse in peccato mortali, et indigne accedere ad corpus Domini suscipiendum : et hæc proprie loquendo est sacrilega Domini manducatio, ut loquitur Pontifex reprobans sententiam asserentium per talem communionem satisfieri præcepto annuæ communionis. Et quamvis talem sententiam docuerint olim graves Auctores (plusquam viginti recensuit N. Franciscus tr. 4, c. 8, punct. 2, et usque triginta

congessit

congessit Filguera ad prædictam propositionem) quorum commune, et velut unicum fundamentum erat finem præcepti non cadere sub præcepto : nihilominus meritissime a Sede Apostolica reprobata fuit : tum, quia in ipso præcepto communionis annuæ ponitur vox *reverenter ;* non communicat autem reverenter, qui sciens, et volens communicat indigne cum conscientia peccati mortalis. Tum, quia præceptum Ecclesiæ applicat divinum Christi præceptum de communione ad determinatum tempus : Christus autem præcepit communionem non sacrilegam, sed sanctam, et fructuosam, quantum est ex intentione communicantis. Tum denique ob alia motiva, quæ habuit Sedes Apostolica, et opus non habemus scire, ac minus expendere ; sed magis Sanctæ Sedi summa sinceritate obedire, ut profitemur. Secundo modo contingit communionem esse informem, sive non inducere fructum, absque suscipientis novo peccato, ut contingit in eis, qui discussa conscientia, non reperiunt in ea peccatum grave, habent tamen aliquod occultum, et cum bona fide in eo statu ad communicandum accedunt ; aliunde vero non eliciunt aliquem contritionis, vel attritionis actum, quia eis se indigere non vident. Cum itaque ista conjunguntur (et conjungi non raro contingit) communio est quidem informis ob defectum dispositionis ad suscipiendum gratiæ augmentum, aut ipsam primam gratiam (quam Eucharistiam efficere in peccatore, se existimante in statu gratiæ, et accedente cum attritione, diximus tract. de Eucharist. disp. 10, dub. 1, § 2,) sed tamen non est, nec dici potest sacrilega saltem formaliter : quin potius esse potest actus moraliter bonus supposita ignorantia, et bona fide suscipientis, ut ex se liquet. Unde illi non applicatur condemnatio illius propositionis : « Præcepto « communionis annuæ satisfit per sacrile- « gam Domini manducationem : » quippe cum ita accedens non sacrilege, quantum ipse putat, manducet, sed potius bona fide, atque intentione, atque religiose, et reverenter accedat. Atque ideo non solum non transgreditur præcepta Ecclesiæ, et Christi, ut pertinent ad annuam communionem, sed illis etiam satisfacit quantum est ex vi modi, quo se gessit, et accedit ad communionem, sive quantum ad rem præceptam, sumendi scilicet reverenter, et bona fide corpus Christi. Ubi autem, et quando recognoverit se tempore communionis fuisse in statu peccati, et fructum sacramenti non suscepisse ; an teneatur iterum communicare, et quo jure ? Alia quæstio est, sed illa, et ejus resolutione in præs. non egemus.

Regrediendo igitur ad confessionem, illique applicando communionis exemplum, quod in nos intorquebatur ; dupliciter contingit illam esse informem, sive absque effectu gratiæ justificantis. Uno modo scienter, voluntarie, atque ex malitia, aut proposito : et hæc est proprie loquendo sacrilega : atque ideo non solum informis, sed etiam invalida, nulla, atque inepta, ut per illam satisfiat divino, vel humano præcepto : in eamque cadit damnatio relatæ propositionis : « Qui facit confessionem vo- « luntarie nullam, satisfacit præcepto Ec- « clesiæ. » Altero modo contingit esse informem ex defectu alicujus, non quidem requisiti ad valorem Sacramenti (sic enim esset etiam invalida) sed requisiti per modum dispositionis ad Sacramenti fructum, nempe gratiam justificantem, utputa extensionis, aut efficaciæ doloris, ac propositi : quem tamen defectum non deprehendit pœnitens, sed e converso positive judicat se recte dispositum ad pœnitentiæ sacramentum accedere. In quo casu dici non potest, quod facit confessionem voluntarie nullam : facit enim confessionem veram et validam, licet informem : at neque voluntarie facit informem, sed ex defectu, qui latet ipsum, et est præter ejus intentionem. Et hanc confessionem validam, et informem, quam non tangit Pontificia damnatio, asserit communis sententia sufficere ad satisfaciendum ecclesiastico annuæ confessionis præcepto : potestque id confirmari exemplo communionis, non quidem sacrilegæ, sed precise informis, ut proxime explicuimus.

Replica. 59. Sed ecce ex recentioribus Theologis Emmanuel a Conceptione in tract. de Pœnitent. disp. 3, qu. 4, n. 342, surgit, et invehitur contra nostram, et communem sententiam, quasi hoc tempore non securam ob damnatas ab Ecclesia propositiones. Fatetur tamen non tangi in reprobata ab Alexandro VII: « Qui facit confessionem « voluntarie nullam, satisfacit præcepto « Ecclesiæ : » quia confessio informis va-

lida non est confessio nulla voluntarie, aut involuntarie, cum sit valida, ut supponitur. Fatetur etiam, quod in propositione condemnata ab Innocentio XI: « Præ-
Propositio damnata. « cepto Communionis annuæ satisfit per « sacrilegam Domini manducationem, » nemo ex illam exponentibus dixerit, quod per eam sententia communis damnata sit, imo nec id in dubium revocaverit : Ego vero, subdit ille, ex damnatione ipsius ducor, ut asseram, quod licet damnata non sit ea communis sententia : tamen quia ejus fundamentum ex damnatione prædictæ propositionis infirmatur, jam sustinenda non est, etc. Sed videamus, quibus arietibus illam quatiat. Primo in hunc modum : ideo communis sententia asserit impleri præceptum annuæ confessionis per confessionem validam, et informem ; quia pœnitens recipit verum sacramentum pœnitentiæ ; sed qui communicat sacrilege, etiam recipit verum sacramentum Eucharistiæ ; et tamen non satisfacit præcepto annuæ communionis, ut patet ex condemnatione propositionis oppositum asserentis : ergo præmissa ratio non probat, quod per confessionem validam, et informem satisfiat annuæ confessionis præcepto : atque ideo negari debet, quod per illam satisfiat. Secundo : nam ideo per communionem sacrilegam non satisfit præcepto annuæ communionis, quia tale præceptum quoad substantiam est divinum, cui satisfieri non potest per communionem sacrilegam ; sed etiam præceptum annuæ confessionis est divinum, cui satisfieri non potest per confessionem validam informem : ergo per hujusmodi confessionem non satisfit præcepto illam singulis annis injungenti. Minorem quoad secundam partem, in qua est difficultas, probat : quia, si præcepto divino per confessionem validam informem satisfieret, homo non peccaret confessionem validam, et informem scienter faciendo : cujus oppositum omnes supponunt : ergo de primo ad ultimum, inquit ille, confessio informis post decretum SS. P. N. Innoc. XI, non sufficit ad impletionem confessionis annuæ. Hæc ille, et non plura motiva.

Prima.

Secunda

Extricantur objecta. Sed sunt levia, quibus unus contra tantos pugnet in re tam gravi, et uno fere verbo dispelluntur, juxta superius dicta, concedendo, quod, sicut per communionem sacrilegam non satisfit annuæ communionis præcepto ; ita per sacrilegam confessionem non adimpletur præceptum confessionis annuæ : sed confessio, quæ est valida, licet informis, non est sacrilega ; quin potius, si sacrilega foret, non esset valida. Oportet tamen, quod ille recognoscat etiam, et concedat dari aliquam communionem validam, et informem, sed non sacrilegam, ut supra ostendimus, per quam satisfiat annuæ communionis præcepto : et consequenter insistendo paritati, et similitudini, quam intendit, debet admittere aliquam confessionem validam, et informem, sed non sacrilegam, per quam satisfiat præcepto annuæ confessionis. Unde objectiones ab illo factæ regerendæ sunt in ipsum. Sed occurramus eis magis specialiter.

Ad primam ; permissa majori, et concessa minori, negamus consequentiam, ob manifestam disparitatem (neque enim ex vi formæ aliquid concluditur cum ly *sacrilege* solum reperiatur in minori,) quia communio, per quam non impletur annuæ communionis præceptum, est determinate sacrilega, ut objectio supponit. Sed confessio valida, et informis, non est sacrilega, et si sacrilega foret, non esset valida, nec fieret pœnitentiæ sacramentum. Unde nulla est similitudo, quæ intenditur inter confessionem informem validam, et communionem sacrilegam. Radix autem differentiæ inter hæc extrema est, quod sacramentum Eucharistiæ supponitur factum antecedenter, et independenter a communione : est enim sacramentum permanens, et non consistens in usu : unde provenit, quod verum sacramentum suscipiatur a suscipiente illud per sacrilegam communionem. Ceterum sacramentum pœnitentiæ dependet in sua essentiali constitutione ab actibus pœnitentis, utputa confessione, et dolore : in eo autem, qui facit confessionem, vel tacendo peccata, vel fingendo dolorem, etc. non adsunt tales actus essentialiter requisiti : et ideo nec fit, nec adest verum pœnitentiæ sacramentum : quo non posito minime adimpleri valet confessionis præceptum. Unde communis sententia asserens pro talis præcepti adimpletione sufficere confessionem validam informem, ex hoc ipso excludit confessionem sacrilegam, sive scienter factam sine essentialibus requisitis : nam quæ hujusmodi est, nequit esse valida,

lida, nec verum sacramentum constituere, quod suscipiatur a confitente. Ad secundum, negamus minorem quoad secundam partem. Et ad hujus probationem respondetur negando sequelam : nam cum homo scienter facit confessionem informem, facit etiam sacrilegam, et nullam : quia nequit scienter confessionem informem facere, quin velit etiam scienter impedimentum, quo informis fit : in quo ipso peccat mortaliter actu , et reddit confessionem nullam, cum ob defectum doloris, ac propositi, cum ob defectum manifestationis peccati mortalis tunc scienter commissi. Quare per talem confessionem nulli præcepto vel divino, vel ecclesiastico potest satisfieri, quippe quæ nulla, et invalida est. Sed hæc non contingunt in confessione informi valida,si datur : nam eo ipso, quod talis sit, (ut supponendum est vel absolute vel conditionate) verum sacramentum constituit, per cujus susceptionem non sacrilegam (ut etiam supponitur hoc ipso, quod confessio valida sit,) adimplet homo præceptum, tam ecclesiasticum confitendi in unoquoque anno, quam divinum confitendi absolute.

60. Dubitari secundo potest, utrum huic annuæ confessionis præcepto satisfiat per confessionem exterius rite factam, sed revera, et coram Deo nullam ob defectum omnino internum ; quod multipliciter potest contingere. Ut, si quis confiteatur omnia peccata, quæ in conscientia habet, sed tamen absque interno dolore, et proposito emendationis, aut etiam absque intentione recipiendi sacramentum . Vel, si aliquis confiteatur omnia peccata externa, subticendo tamen interna, quæ dicuntur cordis, ut sunt cogitationes, et desideria. Et non pauci ex antiquis docuerunt partem affirmativam, suffragantibus aliquibus modernis, Alensis, Paludanus, Sylvester, Victoria, Gabriel, quos refert, et sequitur Fagundez præcepto 2. l, 1, c. 4, n. 4, Vasquez quæst. 90, art. 1. dub. 4, n. 45, Dicastillo disp. 7. dub. 2, nu. 199, Margarita Confessorum, verbo *Confessio*, Glossa ex Bartolo in c. *Si cui* de Pœnit. dist. 1, Ludovicus a S. Joanne, quæ. 8, ar. 2, difficult. 2, Sa verbo *Confessio*, num. 1, in priori additione. Quorum sententiam probabilem vocat Diana 3 p. tract. 4, resolut. 120. Eorum autem commune motivum fuit, quod peccata interna, et dolor internus, et similiter intentio nequeunt,cadere sub præcepto Ecclesiastico : ergo Ecclesia solum præcipit externam confessionem externorum peccatorum : ergo per confessionem hujusmodi satisfit ecclesiastico præcepto annuæ confessionis, quamvis talis confessio sit absolute invalida ob defectum intentionis, vel propositi, vel doloris, vel manifestationis omnium peccatorum. Quod confirmabant : quia Ecclesia solum potest ea præcipere, quæ potest cognoscere, judicare, atque punire ; alias vanum, et ridiculum foret præceptum circa ea, quæ non sunt ejusmodi; sed manifestum est Ecclesiam non posse cognoscere, judicare et punire peccata omnino interna, ut sunt carentia intentionis,aut doloris,etc.unde vulgo dicitur Ecclesiam non judicare de occultis, ut desumitur ex cap. Consuluit 2, qu. 5, et can. *Cogitatio* de Pœnitentia, qu. 1 : ergo Ecclesia non potuit præcipere intentionem, dolorem, propositum, et manifestationem peccatorum omnino internorum, sed solam confessionem externam : ergo qui hanc facit, satisfacit præcepto Ecclesiæ de annua confessione, quamvis confessio sit simpliciter nulla ob aliquem defectum internum, vel plures ex assignatis.

Hinc iidem Auctores colligebant sic confitentes non incurrere censuras, et alias pœnas , quas non confitentibus quolibet anno comminatur Ecclesia, et quæ in aliquibus diœcesibus publicantur ipso facto incurrendæ. Quoniam pœnæ Ecclesiasticæ non incurruntur nisi a frangentibus Ecclesiæ præceptum : sed in tali casu non frangitur præceptum Ecclesiæ, quin potius adimpletur, ut affirmat prædicta sententia: ergo sic confitentes non incurrunt censuras, et alias pœnas ferendas, vel latas ab Ecclesia contra non confitentes singulis annis. In cujus confirmationem haud immerito aliqui expendunt c. « Quod qui- « dam » de pœnitentiis, et remis. ubi Episcopo Belvacensi dubitanti, et consulenti, quid faciendum, quando « quidam « ad confessionem de criminibus veniunt, « et quamvis confiteri velint, se tamen « asserunt abstinere non posse, » Pontifex Alexander III respondit in hunc modum : « Eorum confessiones excipere debes, et « eis de criminibus consilium exhibere : « quia licet non sit vera ejusmodi pœniten-

« tia, admittenda tamen est eorum con-
« fessio, et crebris, et salubribus monitis
« pœnitentia inducenda. » Ex quibus patet sic accedentes, et nullum reipsa sacramentum pœnitentiæ suscipientes, repellendos omnino non esse, nec illis irrogandas ecclesiasticas pœnas, sed magis adhibenda consilia, ut resipiscant.

61. Sed quidquid olim de prædicta sententia fuerit, hodie nulla ratione sustineri potest, quia reprobata, et damnata est ab Ecclesia in decreto Alexandri VII, inter propositiones prohibitas, quarum 14, est : « Qui facit confessionem voluntarie nul-
« lam, satisfacit præcepto Ecclesiæ. » Quæ propositio præcipue asserebatur de confessione nulla ob aliquem ex assignatis interiorem defectum. Unde negativa sententia est hodie certa, et communis. Illamque jam prius tuebantur graves Auctores Sotus, Medina, Nugnus, Navarrus, Suarez, Henriquez, Azor, et alii plurimi, quos ad satietatem refert N. Franciscus c. 7, punct. 5, n. 48. Et supposita determinatione Ecclesiæ, supervacaneum videtur alia fundamenta præmissæ veritatis adjicere. Adjicimus tamen unum, aut aliud, quod opposita diruat, evincatque justissimam fuisse prædictæ sententiæ condemnationem.

Soto. Medina, Nugnus, Navarr. Suarez. Azor.

Probat. 1 concl. Et primum, ac validissimum stat in anteriori ipsius Ecclesiæ doctrina, qua nemo melius potuit intelligere ejus intentionem, et extensionem in ferendo annuæ confessionis præceptum. Nam in Concilio Lateranensi relato in cap. *Utriusque*, præcepit universaliter, et absque ulla restrictione, quod omnes fideles ad annos discretionis pervenientes confiterentur saltem semel in anno « omnia sua peccata » : ergo non solum externa, sed etiam interna, et occulta : atque ideo illi præcepto non satisfacit, qui aliqua quantumvis occulta voluntarie non confitetur. Unde Concil. Tri-
Conc. rid dent. sess. 14, can. 8, Ecclesiæ mentem in Lateranensi magis explicans diffinivit : « Si quis dixerit confessionem omnium « peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse « impossibilem, et traditionem humanam « a piis abolendam : aut ad eam non teneri « omnes, et singulos omnes utriusque sexus « fideles juxta magni Concili Lateranensis « constitutionem semel in anno, etc. ana-
« thema sit. » Ubi notandum est loqui de « confessione omnium peccatorum, qualem « Ecclesia servat, » quæ proculdubio es omnium tam externorum, quam internorum. Et ly *ad eam*, quod est relativum præcedentis, affirmat teneri omnes fideles juxta Constitutionem Conc. Lateran. Sentit ergo Ecclesia, quod ex Constitutione sua in Lateranensi omnes fideles tenentur ad confitendum omnia sua peccata tam externa, quam interna : ergo qui sola externa confitetur subticendo interna, non satisfacit illi Ecclesiæ præcepto.

Quod fundamentum confirmari, et magis fulciri valet ex alia Ecclesiæ declaratione : nam in Trident. sess. cit. c. 5, ait : « Neque enim per Lateranense Concilium « Ecclesia statuit, ut Christi fideles confite-
« rentur, quod jure divino necessarium, et « institutum esse intellexerat : sed ut præ-
« ceptum confessionis, saltem semel in « anno ab omnibus, et singulis, cum ad « annos discretionis pervenissent imple-
« retur. » Quibus verbis satis aperte declarat Ecclesia se in determinatione illius temporis non aliam præcepisse confessionem, quam jam a Christo jure divino præceptam. Hanc vero se extendere ad omnia sine limitatione peccata etiam occultissima jam docuerat eodem capite dicendo : « Ex « his colligitur oportere a pœnitentibus « omnia peccata mortalia, quorum post « diligentem sui discussionem conscientiam « habent, in confessione recenseri, etiam « si occultissima illa sint, et tantum adver-
« sus duo ultima Decalogi præcepta com-
« missa, etc. » Ergo hæc omnia debent patefieri, ut fiat satis præcepto Ecclesiæ : atque ideo, qui scienter aliquod in confessione occultat, non adimplet annuæ confessionis præceptum.

Secundum fundamentum, est quod Ecclesia cum annuam confessionem in locis relatis injungit, præcipit veram peccatorum confessionem ; hæc autem salvari nequit absque intentione, dolore, proposito et ipsorum peccatorum manifestatione : ergo Ecclesia cum præcipit annuam confessionem, præcipit confessionem cum his conditionibus : ergo qui in aliqua earum deficit, non satisfacit annuæ confessionis præcepto. Utraque consequentia patet. Et major videtur manifesta : quia regulariter actus appellatione solus actus validus comprehenditur, ut docent Juristæ : et apud eosdem idem est nullum non esse, ac ac-

tum

ım esse : ergo vel Ecclesia nihil illo præ-
epto fecit, vel præcepit veram peccatorum
onfessionem. Minor denique ostenditur
uoad omnes partes : nam in primis, si
esit intentio subjiciendi peccata clavibus
cclesiæ, non adest vera confessio : hæc
amque eam subjectionem importat, ut
cclesia possit de peccatis judicare, illa vel
imittendo, vel retinendo. Deinde ubi de-
cit dolor de peccatis, eorum confessio est
ıera recitatio, aut relatio, non autem vera
ccusatio, quæ pro constituendo spirituale
ıdicium in foro conscientiæ desideratur.
ariter si desit emendationis propositum,
onvincitur non dari de culpa dolorem.
andem ubi quædam peccata referuntur,
quædam ex industria occultantur, nequit
sse peccatorum confessio ab Ecclesia locis
elatis præcepta, sed quædam, et aliquo-
ım pro arbitrio confitentis relatio.

Confirmatur præcludendo tacitam eva-
ionem : nam Ecclesia potest præcipere,
præcipit confessionem sacramentalem ;
ed confessio sacramentalis complectitur
mnes prædictas conditiones : ergo nisi
ænitens illas adhibeat, non satisfacit
cclesiastico annuæ confessionis præcepto.
onsequentia patet. Et minor constat tum
x dictis disp. præced. fere per totam, et
ecialiter dub. 1. Tum etiam, quia con-
ssio sacramentalis est pars sacramenti
ænitentiæ ; nequit autem munus partis
cramenti obire, nisi habeat eas condi-
ones : unde provenit, quod earum quali-
et deficiente, non subsistat pœnitentiæ
cramentum. Tum denique, quia confessio
cramentalis est illamet, quam Christus
ıstitutor hujus sacramenti præcepit,
ıamque independenter a præcepto Eccle-
æ teneretur peccator ante mortem facere:
hac vero nemo ambigit complecti om-
es conditiones relatas. Major autem os-
nditur : quoniam Ecclesia potestatem ha-
et præcipiendi actus externos, et sensibi-
s, ut nemo negat : confessionem autem
cramentalem esse actum externum, et
nsibilem ita manifestum est, sicut omne
cramentum esse externum, ac visibile
gnum.

62. Tertium fundamentum, per quod
æcedens magis roboratur, et motivum
incipale sententiæ contrariæ simul di-
itur, potest ita proponi : nam ideo per
nfessionem externam, cui non adesset dolor, et omnium peccatorum etiam internorum manifestatio, satisfieret annuæ confessionis præcepto ; quia talis dolor, talia cordis peccata, et eorum manifestatio non cadunt sub tali Ecclesiæ præcepto ; sed hoc est falsum : ergo per confessionem externam ita factam non impletur illud præceptum. Probatur minor : ideo tales conditiones non caderent sub illo Ecclesiæ præcepto, quia sunt pure internæ, et Ecclesia nequit actus pure internos præcipere. Hoc autem motivum nihil in præsenti materia valere ostenditur in hunc modum : etenim plane fatemur Ecclesiam non posse præcipere, nec prohibere directe, et per se actus mere internos, eos videlicet, qui solum habent esse in intellectu, et voluntate, et nullo externo signo manifestantur, ut cum. D. Tho. I, 2, qu. 91, ar. 4, et qu. 100, ar. 9, et alibi docent communiter Theologi, quos refert, et sequitur N. Andreas tract. 10, de censur, c. 1, punct. 11, n. 136, et tract. 11, de legibus. c. 1, punct. 5, n. 66. Et convincitur ratione D. Thomæ : nam lex nequit esse de illis, de quibus legislator judicare non potest ; siquidem inutilis redderetur, si potestati coactivæ, et judicativæ non conjungeretur ; sed legislator humanus nequit judicare de actibus mere internis, cum sint per se occulti, et nullo signo sensibili manifestantur, ut supponitur : ergo legislator humanus, ac proinde Ecclesiæ prælati nequeunt præcipere directe, et per se actus mere internos, qui nullo signo externo explicantur. Unde in c. *Tua nos* de Simonia ait ipse Papa, « Nobis solum datum est de manifestis ju-« dicare. »

D. Tho.

Andreas.

Sed quamvis hæc ita se habeant, nihilominus fieri potest, quod actus interiores intellectus, aut voluntatis conjungantur per se cum aliquibus exterioribus, quia comparantur ad ipsos tanquam forma, vel causa, vel conditio essentialis, ut constituantur in ordine morali, et sint actus virtutum. Et circa hæc, sicut potest Ecclesia præcipere, aut prohibere directe, et per se actus externos, sic etiam potest eadem lege præcipere, aut prohibere indirecte, et ratione alterius actus interiores pro externis in sensu præmisso necessarios. Hoc pacto, quia oratio vocalis non constituitur in esse orationis absque interiori attentione, sicut Ecclesia potest præcipere per se, et directe oratio-

nem vocalem, sic potest præcipere indirecte, et ratione alterius attentionem interiorem. Eadem ratione præcipiendo Parochis baptizare, et celebrare Sacrificium Missæ, præcipit eisdem intentionem, aut alios interiores actus, sine quibus actus externi non habent valorem. Ubi etiam obligat aliquos fideles, ut certe potest. ad contrahendum matrimonium, vel celebrandum alios contractus ; obligat indirecte, et ratione alterius, ut contrahentes habeant intentionem se obligandi. Eadem pariter ratione præcipiendo aliquos actus externos, prohibet indirecte actus internos exterioribus contrarios : sicut præcipiendo Missam, aut jejunium, prohibet intentionem contrariam non audiendi Missam, aut non jejunandi, et prohibendo actum externum prohibet intentionem illam exequendi, sicut prohibendo furtum, prohibet intentionem furandi : et prohibendo simoniam externam, prohibet mentalem, quæ inducit largitionem ex animo simoniaco, ut constat ex c. finali, de simonia. Idque aliis multis exemplis confirmare possemus, quæ, ut non necessaria, omittimus. Ex eis vero, et doctrina illis adjuncta liquet veritas minoris, in cujus confirmationem educta sunt : nam licet actus interni, qui mere interni sunt, nequeant ab Ecclesia præcipi, vel prohiberi : possunt tamen illi, qui habent per se connexionem cum externis, quam immediate explicuimus. Dum enim per se præcipiuntur, aut prohibentur ab Ecclesia actus externi ; prohibentur etiam, aut præcipiuntur indirecte, et ratione alterius actus interni externis per se connexi : et cadere possunt, et frequenter cadunt in prædicto sensu sub Ecclesiæ præcepto. Et sic contingit in præsenti materia : nam Ecclesia præcipit pro singulis annis confessionem sacramentalem, pro qua necessarii sunt actus interni intentionis, doloris, etc. unde præcipiendo per se talem confessionem, præcipit directe prædictos actus. Atque ideo pro implendo annuæ confessionis præcepto requiruntur non sola confessio exterior, sed illi actus interni : et consequenter non solum agit contra ecclesiasticum annuæ confessionis præceptum, qui omittit confessionem absolute ; sed etiam ille, qui faciendo confessionem omittit illos actus internos ad confessionis valorem desideratos.

63. Unde corruit oppositum, et quas unicum Adversariorum motivum, nempe Ecclesiam non posse præcipere actus internos : id enim non est universaliter verum, sed juxta præmissam doctrinam, e distinctionem : secundum quam actus interni requiruntur ad externam sacramentalem confessionem, et cadunt cum ill sub eodem Ecclesiæ præcepto ; cum differentia tamen assignata, quod confessi directe, et per se ; illi vero indirecte, e ratione alterius. Et quamvis peccatum interius (adjectam pro Adversariis confirmationem diruimus) probari non possit id nihil refert : quia illud peccatum interius non est materia per se, et directe præcepta, pro qua requiritur ea conditio ; se solum indirecte, et per aliud, seu ration externæ confessionis, quam dubium no est posse probationi, et judicio Ecclesi submitti. Quæ doctrina facile explicatu exemplo simoniæ mentalis, et aliis proxime adductis. Corruit præterea consectarium, quod illius sententiæ Auctores colligebant, nempe eum, qui ob peccatum internum nullam facit confessionem annuam exterius executam, non incurrere censu ras, et alias pœnas Ecclesiasticas omitten tibus annuam confessionem impositas Nam contrarium omnino dicendum e cum Nugno, Suarez, et aliis, quibus relati subscribit N. Franciscus ubi supra numer 51. Et quidem quantum ad excommunica tionem, illa non est universaliter lata a Ecclesia contra omittentes annuam con fessionem. Sed in aliquibus Ecclesiis, se diœcesibus imposita est Synodalis excom municatio ipso facto incurrenda ab omit tentibus talem confessionem : et eam in currunt non solum non confitentes, se etiam qui scienter faciunt confessione nullam ob aliquem defectum internu vel doloris, vel manifestationis peccatoru cordis : idem namque est non confiteri, facere scienter confessionem nullam ; quolibet ex his modis se gerens est contu max contra Ecclesiæ præceptum. Idemqu contingit in omnibus fere exemplis supr dictis : nam si Ecclesia sub excommunica tione præciperet recitationem Officii Di vini, vel auditionem Missæ, non solu incurrerent eam excommunicatione omittentes absolute officium, et Missam sed etiam qui scienter, et voluntarie sin attention

attentione recitationem, et auditionem exhiberent, quia interior attentio (ut verior docet sententia) est de illorum actuum substantia, ut cum Suarez, Bon. et aliis resolvit N. Andreas loco citat. de censuris, n. 138.

Sed addere oportet aliter sentiendum esse de pœna imposita in sæpius relato cap. *Omnis utriusque*, contra non communicantes in anno, nempe privationis ingressus Ecclesiæ, et ecclesiasticæ sepulturæ : hæc enim pœna numquam applicatur, nisi per judicis sententiam, ad quam probatio requiritur. Probari autem potest aliquem omisisse annuam confessionem, et in tali casu potest illa pœna injungi. Sed fecisse scienter confessionem nullam ob aliquem internum defectum, probari non valet : et consequenter nec illa pœna potest, aut debet pronunciari contra ita se gerentes. Sed in excommunicatione lata, et de facto incurrenda contra non communicantes in anno alia est ratio, ut constat ex dictis : potest enim Ecclesia proferre excommunicationem ipso facto incurrendam a committente aliquod delictum, quamvis probari postea non possit, sicut ex Clementina *Ad abolendum*, de hæreticis, excommunicantes Inquisitores, qui odio, vel amore aliquid faciunt, vel omittunt : et tamen quod actus exterior, vel omissio proveniens ex interiori odio, vel amore, probari non valet. Caput autem *Quod quidem* ab Adversariis pro se relatum nihil probat : quia non loquitur Pontifex de confessione sacramentali, quam nullam esse supponit, sed de manifestatione peccatorum a pœnitente, qui manifestat se non esse dispositum ad prædictam confessionem. Et monet Episcopum, ut mitius se agat cum similibus, non eos penitus repellens ; sed ut eos suis monitis, et directione ad veram pœnitentiam alliciat. Unde etiam crediderimus eos, qui modo ad suos Parochos accedunt, eisque fideliter sua peccata manifestant, simulque non esse dispositos ad suscipiendum sacramentum, non debere declarari incursos in excommunicatione, in aliquibus diœcesibus contra non confitentes, ut de facto incurrenda promulgari solet : sed mitiori stylo cum istis agendum esse, ut ad veram confessionem veniant, cujus non contemnendum principium extrasacramentalis illa eorum confessio est.

64. Tertio dubitari potest, an qui confitetur integre sua peccata cum omnibus conditionibus, quæ ex parte pœnitentis ad rite confitendum requiruntur, satisfaciat annuæ confessionis præcepto, licet absolutio non sequatur vel ex malitia, aut inadvertentia ministri, vel ex aliquo casu repentino vel ex defectu potestatis ? Sunt qui affirmant, Victoria, Azor, Ludovicus a S. Joan. et alii apud Leandrum disp. 3, qu. 55. Et moventur : tum, quia pœnitens in eo casu ponit ex parte sua quidquid debet ; et culpa, vel defectus potestatis in confessario, vel alius casus fortuitus ei nocere non debet : unde præsumendum est, quod Ecclesia nolit eum gravare denuo confitendi præcepto. Tum etiam, quia pœnitenti non est impositum, nec imponi valet de eo, quod non est in ejus potestate, cujusmodi est dari absolutionem, et validam esse : ergo quidquid de absolutione fuerit, pœnitens præcepto annuæ confessionis satisfacit, si recte ex parte sua confiteatur. Sed vera, et communis sententia negat pœnitentem in eo casu satisfacere : ac subinde censet illum manere sub onere iterum confitendi, cum possit. Ita Sotus, Navarrus, Suarez, et alii plures apud Leandrum loco cit. et N. Franciscum ubi supra n. 52. Ratio est : quia huic præcepto non satisfit, nisi prædictum sacramentum suscipiatur ; atqui hoc sacramentum nec subsistit, nec suscipitur absque absolutione : ergo ubi absolutio ex quacumque causa impeditur, pœnitens non satisfacit præcepto, quamvis adhibeat omnia requisita, quæ ex parte sua desiderantur. Unde in prædicto casu non peccat ; ceterum nec positive illud præceptum adimplet, sed illud, cognito ex parte absolutionis defectu, debet implere faciendo confessionem ex utraque parte completam. Sicut qui satisfacturus Paschalis communionis præcepto, et putans suscipere Eucharistiam, hostiam non consecratam loco consecratæ recepit, ut potest casu, vel alterius malitia contingere, non satisfacit præcepto communionis, quia non suscepit Eucharistiam, sive communionem sacramentalem, ad quam obligat talem præceptum. Et ideo ubi deprehendit illum errorem, tenetur Eucharistiam suscipere, et aliter nequit illi præcepto annuæ communionis satisfacere.

Sotus, Navar. Suarez, N. Franc. quidquid alii reclament.

Vera Conclusio.

Motivis contrariis occurritur.

Quæ vero pro parte contraria asseruntur, non urgent: nam primum solum probat pœnitentem ita se gerentem non peccavisse, et manente ignorantia circa defectum, aut nullitatem absolutionis, non teneri ad eam denuo procurandam, excusarique ab adimpletione præcepti. Sed tamen cum illud non impleverit, ubi id cognoscit, tenetur ad novam pro eo anno confessionem: quia prior (etsi inculpabiliter) non fuit vera confessio sacramentalis. Nec id gravamen censeri debet ultra id, quod omne peccatum mortale pro sui confessione affert, sive hoc, sive altero tempore fiat: opus enim est illud confiteri ex jure divino, et Ecclesia tempus unius anni assignavit, ne diutius in statu peccati mortalis fideles detineantur cum summo animarum discrimine. Potestque id amplius confirmari exemplo ipsius confessionis ut jure divino præceptæ: hoc namque jure obligatur homo confiteri sua peccata mortalia saltem in articulo mortis, ut omnes affirmant. Demus ergo moribundum sua peccata cum omnibus conditionibus ex parte sui requisitis confessa fuisse: et tamen ex malitia, vel inadvertentia sacerdotis nullam fuisse absolutionem. Plane, si id deprehendat infirmus, tenetur absque dubio ad confitendum de novo, ut divino confitendi præcepto satisfaciat: quia per priorem confessionem, utpote absolute nullam non satisfecerat, quamvis nec in illa peccaverit. Idem itaque de Ecclesiastico annuæ confessionis præcepto dicendum est: et ad istiusmodi onera, si ita appellanda sunt, obligat se homo, dum labitur in mortale. Ad secundum dicendum est, quod licet absolutio non sit in potestate pœnitentis ad hunc sensum, quod ab illo immediate non procedat, nec dependeat; est tamen in sensu alio, quatenus potest procurare veram, et legitimam suorum peccatorum absolutionem. Unde cum cognoscit non fuisse vere absolutum, debet procurare remedium per novam confessionem, et absolutionem validam. Quod si hoc præstare non possit, plane excusabitur, et novum ex vi hujus peccatum minime contrahet contra præceptum Ecclesiasticum, vel divinum. Quin addimus in favorem contrariæ sententiæ (quod nec a patronis nostræ negandum putamus) probabile omnino nobis apparere pœnitentem se ita gerentem, sicut in illo casu describitur, quamvis postea negligenter se gereret in satagendo novam confessionem et veram absolutionem, non incurrere excommunicationem, et alias pœnas contra non confitentes in anno statutas. Istæ namque diriguntur adversus inobedientes, et contumaces contra illud Ecclesiæ præceptum: nequit autem dici inobediens, et contumax, qui, ut illud Ecclesiæ præceptum impleret, accessit sana fide ad confessarium, et omnia sua peccata cum cæteris ex parte sua requisitis confessus est; sed potius debet dici obediens, et tali præcepto ex parte sua, licet non absolute, satisfecisse. Qua ergo æquitate subibit illas pœnas, aut earum reatum, licet detecto errore non ita sollicitus sit in repetendo confessionem? Præsertim cum se tueri valeat contraria nobis sententia, quam improbabilem non censemus.

§ VI.

De causis excusantibus a præcepto annuæ confessionis.

65. Superest, ut pro complemento hujus dubii videamus, an possint rationabiles causæ occurrere, quæ hominem excusent ab hujus Ecclesiastici præcepti adimpletione. A qua difficultate breviter, et faciliter nos expediemus, quia pauca exposcit, et rem concernit non arduam. Tenendum ergo generaliter est excusari ab hujusmodi præcepti transgressione, qui confessionem facere non possent absque gravi sui detrimento. Ita docent communiter Auctores, ut videri potest apud N. Franciscum c. 7, punct. 6. Et moventur generali, ac vero principio, quod præcepta humana non obligant cum notabili detrimento, aut dispendio. Unde inter alias legis humanæ conditiones, quas tradit D. Isidor, l. 5 Ethymolog. c. 3, relatus in c. *Consuetudo*, dist. 1, et c. *Erit autem lex*, dist. 4, et ex illo optime expendit D. Thom. 1, 2, qu. 95, ar. 3, recensetur, quod « sit possibilis « secundum naturam, et secundum con- « suetudinem patriæ, » id est, quod non sit valde difficilis, sed quæ a subditis valeat impleri non solum potentia physica, sed morali, attenta hominum fragilitate, et aliis circumstantiis, et modo humano convictas

D. I.

D. T.

onvicta susitari in patria. Quare post illa erba addidit D. Isidorus « secundum locum, et tempus,» ut denotaret aliquando, t alicubi esse aliquid moraliter possibile, uod alio tempore, et loco est moraliter mpossibile, quia eis temporis, aut loci ircumstantiis nequit fieri absque ingenti difficultate, quam superare non injungit umana lex, ut bene expendit N. Andreas ract. de legibus, c. 1, punct. 2, n. 18, et unct. 5, a n. 62. Unde consequens fit Ecclesiam isto præcepto non obligare pœitentes ad annuam confessionem cum ravi sui incommodo, aut detrimento noabili.

Ex qua generali resolutione infertur rimo fideles excusari ab adimplendo stud præceptum non solum ob impossibitatem physicam accedendi ad confessoem, ut contingit existentibus inter barbaras nationes; sed etiam ob ingentem lum adeundi difficultatem, ut si opus esset ongo itinere cum vitæ, aut valetudinis ericulo, nec enim ad tam ardua cogit cclesiæ præceptum; quamvis alias posset stare ob periculum æternæ salutis, et ubi on occurreret remedium.

Infertur secundo excusari etiam eos, qui um fundamento timent, quod ex manifestatione suorum peccatorum huic confesario (et forte alius non adest) facta imminet sibi, aut aliis grave incommodum, el in vita, vel in fama, vel in bonis temoralibus. Quia Ecclesia non obligat cum into detrimento. Et ita colligunt communiter Auctores. Sed duæ modificationes uic consectario addendæ sunt. Prima est le periculum non imminere ex manifestaone quorumcumque peccatorum, sed alioruin præcise, ex quorum notitia apud onfessarium possunt ea incommoda subori. Cui periculo obviam ire pœnitens vat subticendo talia peccata, et confitendo etera, in quibus illa damna non timentur: ad id tenebitur pro adimplendo præcepto nnuæ confessionis. Confitetur enim, ut otest, et quidem recte, cum confessio sit ormaliter integra ob justam rationem occultandi istud, aut illud peccatum; quæ men subjiciet expresse clavibus Ecclesiæ alia confessione, cum commode fieri ossit. Secunda est illud, quod de periculo mæ diximus, non esse extendendum ad illud famæ apud confessarium detrimentum, quod ex natura rei, et institutione sacramenti ad peccatorum, aliquando enormium, et valde turpium, confessionem ipsam consequitur: opus enim est hanc confusionem pati, aliunde facile superandam ob plurima bona ex hoc sacramento obvenientia, et ut fiat satis Dei præcepto hujusmodi subjectionem erga suos ministros jubentis. Unde quantumcumque crescat erubescentia, et afflictio, quod confessarius cognoscat nostras miserias, et quod apud ipsum amittamus eam existimationem, quam de nobis habebat, minime propterea ab adimplendo confessionis præcepto excusamur. Quare præmissum corollarium applicandum præcise est casibus magis specialibus, in quibus ob speciales confessarii, et confitentis, et qualitatis peccati circumstantias specialia damna imminerent.

66. Infertur tertio excusari etiam, qui nequit sua peccata dicere confessario sub secreto, et sigillo confessionis, ut si confessarius sit surdus, et nequeat audire nisi magnis vocibus excitatus, vel si ea sit loci angustia, ut non permittat confessionem fieri, quam aliis audientibus. Ita Suar. Vasq. et alii, quibus subscribit N. Franciscus loc. cit. n. 56. Et ratio constat ex præcedenti corollario: quia nemo tenetur ad annuam confessionem cum notabili famæ detrimento; quod profecto immineret, ubi confessio non esset omnino secreta. Præterquam quod Ecclesia nequit obligare ad faciendum confessionem, nisi sub sigillo, et sicut a Christo instituta fuit: ergo ubi istud servari non posset, minime tenerentur fideles Ecclesiæ præcepto facere confessionem. Unde consequenter sentimus, quod in casu, quo confessarius sit surdus, vel pœnitens mutus, non tenetur hic sua peccata manifestare per nutus, aut signa: quia ista sunt ex genere suo valde publica, et eorum significatio facile a multis percipi posset; etsi non percipitur est per accidens. Ecclesiæ autem præceptum non obligat cum tanto detrimento, et ubi secretum sigilli confessionis servari non valet. Ita Sotus, Victoria, Martinus de Ledesma, Navarrus, et alii plures apud Leandrum disp. 3, quæst. 61, contra Suarium, Vasquez et alios multos, quibus ipse subscribit. Tertium. Suarez. Vasquez. Sotus. Victor. Martin. Navar. Vasquez.

Infertur quarto, quid dicendum sit de eo, qui non potest confiteri aliter quam per scripturam? Tenebitur ne ita confiteri, ut Quartum

adimpleat ecclesiasticum annuæ confessionis præceptum ? Sunt, qui universaliter negant, Sotus, Victoria, Martinus de Ledes. Toletus, et alii apud Dicastill. disp. 7, dub. 14, n. 238. Et eorum motivum est fideles ex præcepto Ecclesiæ non posse obligari nisi ad confessionem secretam : hujusmodi autem non est confessio facta per scripturam, sed potius obnoxia peccatorum manifestationi, si charta, ut fieri potest, et solet, amittatur. Sunt autem, qui universaliter affirmant, Petrus de Soto, Sylvest. Suar. Vasq. Lugo, et alii apud eundem Dicastill. loc. cit. quibus favere videtur D. Tho. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 4, quæst. 3. Quorum fundamentum est periculum a priore opinione objectum vel nullum esse, vel adeo exiguum, ut facile possit vitari aut lacerando chartam immediate post confessionem ; aut scribendo in uno papyro species peccatorum, et in alio numeros, vel utendo ex conventione cum confessario caracteribus ignotis, vel adhibendo alia media, quæ diligens prudentia investigare facile potest. Cum enim cesset repræsentatum ex peccatorum manifestatione inconveniens ; opus est, quod locum habeat, et obliget annuæ confessionis præceptum. Sed neutra ex his sententiis, in extremo, quod assumunt, placet, nisi ad medium revocentur, in quo possunt facile conciliari. Nam distinguere oportet : quia vel potest homo in hac, aut illa occasione sua peccata scribere, et per scripturam confiteri absque periculo manifestationis, et alio gravi incommodo ; vel non potest. Si dicatur hoc ultimum ; profecto non tenebitur uti tali medio, quia Ecclesia non obligat fideles cum tanto detrimento : quare sicut illo occurrente non tenetur homo ad confessionem vocalem, ut annuæ satisfaciat, ut proxime vidimus ; sic, et multo minus obligatur ad confessionem per scripturam. Si vero dicatur primum ; certe obligabitur tale medium adhibere : nam cessante periculo, et incommodo instat præceptum : et qui tenetur ad finem, tenetur ad media, præsertim ordinaria, et non graviter incommoda. Et sic sentiunt Dicastillo ubi supra, Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. ult. et alii.

Victor Sotus. Martin. Tolet.

Soto, Suarez, Vasquez. Lugo.

67. Infertur quinto illum, qui aliter confiteri non potest, quam per interpretem, excusari ab annuæ confessionis præcepto, sive et in idem redit, sub illo non comprehendi. Hæc est sententia communis ; et probatur satis efficaciter, tum ex c. *Omnis utriusque*, ubi impositum fuit istud annuæ confessionis præceptum : ibi enim dicitur : « Omnis fidelis omnia suâ peccata solus « confiteatur proprio sacerdoti : » nam per ly *solus* excluditur consortium interpretis, et obligatio illum adhibendi pro facienda confessione. Tum ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 5, ubi dicitur nec Divino, nec Ecclesiastico præcepto mandatum esse, ut peccata publica confessione aperiantur. Tum denique, quia ecclesiastica præcepta debent esse non nimis onerosa, nec obligare cum gravi incommodo : negari autem nequit, quod manifestare peccata non solum confessario, sed etiam interpreti est valde onerosum, et pœnitenti incommodum. In cujus confirmationem possumus expendere eum, qui sciret Confessarium alicui tantum revelaturum esse vel unicum tantum peccatum, non teneri, ubi alius non esset confessarius, ad annuam confessionem, ut constat ex dictis n. 65 ; ergo multo minus ad illam tenetur, ubi confiteri non valet, nisi per interpretem, qui ultra confessarium omnia ejus peccata cognoscat.

Quintum.

Sed circa istud communiter receptum corollarium duo animadvertere oportet. Primum, quod licet fideles excusentur ab annua confessione, si aliter quam per interpretem fieri non valet : nihilominus licite possunt confiteri per interpretem, si illo uti voluerit pro adimplendo confessionis annuæ præceptum, et consequendo ipsius fructum. Ratio est nullam occurrere legem, quæ id prohibeat, quin nec publicam peccatorum confessionem, ubi occurrit rationabile motivum illam ita faciendi. Quod enim Scotus in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 7, et quidam alii dixerunt esse de substantia confessionis, quod secreto fiat, est omnino falsum : nam Concilium Trident. sess. 14, c. 5, aperte docet oppositum, dicens : « Quod etsi Christus non vetuerit « quin aliquis in vindictam suorum scele« rum etc., delicta sua publice confiter « possit, non est tamen hoc divino præcept « mandatum. » Et similiter usus Ecclesiæ universalis docet contrarium ; siquidem non raro contingit confessionem fieri per interpretem, et periclitantes tempestatibus maris, et aliis calamitatibus publice confiteri

fiteri, quin horum aliquod reprobetur ab Ecclesia. Porro id, quod Christus non prohibuit, non esse prohibitum aliquo præcepto ecclesiastico, liquet, quia non est assignabile tale præceptum. Unde quidam censent non esse illicitum etiam absque rationabili causa, sed pro usu hujus facultatis facere publicam peccatorum confessionem, ut Petrus de Soto, Gaspar Hurtado. et Bonac. quos refert, et sequitur Leander disp. 6, qu. 5. Quod non est improbabile, licet probabilius censeamus oppositum : quia absque rationabili causa non oportet subire famæ detrimentum per publicam occultorum criminum manifestationem : unde id facere non est in usu Ecclesiæ nisi in urgentibus mortis periculis, et ubi aliter confessio fieri non valet, ut proxime diximus. Et ita docent Sylvester verbo *Confessio* 1, quæst. 20, Suar. disp. 21, sect. 2, Sotus, et Navarrus, quos refert, et sequitur Valentia qu. 9, punct. 1, § de Confessione secreta, et alii plures. Sed pro animadversione nostro corollario adhibita his non egemus, nec illis contradicimus : tum, quia confessio, quæ fit per interpretem non est nec dicitur absolute publica. Cum, quia pro aliquali ejus publicitate subeunda occurrit satis rationabilis causa satisfaciendi positivo annuæ confessionis præcepto, vel non differendi ultra annum confessionem, vel se non privandi sacramenti fructu.

68. Aliud, quod pro prædicto consectario advertimus, est ipsum restringi ad obligationem ortam ex solo ecclesiastico annuæ confessionis præcepto, de quo in præsenti agimus. An autem detur alias obligatio ex superiori jure orta, est difficultas longe distincta, quam satis sit hic attigisse, et dicere, quod si loquamur de confessione per interpretem extra articulum mortis, duæ sunt sententiæ valde probabiles. Prima affirmat, quam tuentur Sylvester ubi proxime, quæst. 15, Cano in relect. de Pœnit, part. 5, Lugo disp. 15, n. 65, et alii. Secunda negat, et patronos habet Cajetanum, Sotum, Martinum de Ledesma, Suarez, Vasquez, Granados, et alios plurimos, quos refert, et sequitur Leander disput. 6, quæst. 9, et eisdem subscribit N. Franciscus c. 7, punct. 2, n. 20. Sed nostra sententia distinguendum est : nam si non datur divinum, et naturale præceptum pœnitendi ante articulum mortis, consequenter dicendum est non dari obligationem ex eo jure confitendi ante illum, et multo minus confitendi per interpretem. Sed dices peccator prædicto jure tenetur non differre longo tempore pœnitentiam, ut nos cum multis statuimus in priori part. disp. 5, dub. 7, ubi a n. 329 observavimus longum, et notabile tempus pro pœnitendo esse spatium unius anni : ulterius distinguere oportet. Nam si peccator in eo spatio pœniteret per actum contritionis, putamus jure divino non obligari ad confessionem : quia ex una parte non reperimus divinum præceptum obligans determinate ad conversionem per confessionis medium ; et ex alia finis, nempe conversio, aut pœnitentia per aliud medium, nempe contritionem adveniret. Si autem homo experiretur se non habere contritionem, sed solum attritionem, quæ, ut sæpe diximus, non sufficit per se solam ad justificationem, bene autem conjuncta sacramento pœnitentæ ; censemus peccatorem obligari jure divino ad confitendum in eo temporis spatio : quia cum urgeat in illo, et per se pœnitendi præceptum, tenetur uti mediis sibi possibilibus in ordine ad illum finem, ut est confessio cum attritione. Et putamus etiam teneri in tali suppositione ad confitendum, (si alia via faciliori non valet) per interpretem ; non quidem ex solo, et præciso aliquo præcepto positivo divino, quod ad hoc detur ; sed ipso divino jure naturali, quo obligamur evitare pericula per se recidendi in peccata mortalia, et amittendi æternam salutem, per media possibilia. Hoc autem periculum per se, et proxime imminet homini existenti longo tempore in statu peccati mortalis. Quare tenetur jure naturali divino procurare suam justificationem per media sibi possibilia, uti est perfecta contritio, vel si hanc habere non experitur, susceptio sacramenti cum attritione, quamvis ad id suscipiendum mediante confessione egeat interprete.

69. Et hinc facile consurgimus ad resolutionem alterius non absimilis dubii circa eum, qui constitutus in articulo mortis nequit confiteri nisi per interpretem ? Nam respondendum est juxta præmissam distinctionem, et doctrinam, quod si moribundus cognoscat se esse in statu gratiæ, sive habere perfectam contritionem (quod frequenter non contingit) non tenebitur ad

confitendum per interpretem : quia divinum Christi præceptum non obligat ad confessionem hoc modo faciendam ; et aliunde obligationi ex jure naturali procurandi propriam salutem satisfit per aliud medium æquivalens, nempe contritionem perfectam. Et ita contra Sylvestum, Canum, Candidum, Suarium, Lugonem, et alios docent Cajetanus, Sotus, Petrus de Soto, Victoria, Palaus, nostri Gabriel, et Antonius, et alii plures, quibus relatis subscribit N. Franciscus loco supra cit. 21. Aliter sentiendum est de moribundo, qui dubitat de vera contritione, et tenendum hunc obligari non solum ad confitendum per interpretem, si potest, verum etiam, si aliter fieri non potest, ad publicam confessionem. Quæ obligatio non oritur ex solo divino Christi præcepto de confessione : sed ab strictissima, et naturali lege charitatis erga se ipsum, qua quis debet per media sibi possibilia procurare sui reconciliationem cum Deo, ne se periculo æternæ damnationis exponat. Et in hoc conveniunt præcedentium opinionum patroni, præmisso fundamento convicti.

Sylvest. Can. Suarez. Lugo, Cajetan. Sotus, Victor. Palaus, etc.

Sed addendum est moribundum in eo casu non teneri ad confitendum, vel publice, vel per interpretem omnia mortalia, quorum recordatur, sed satisfacere suæ pro tunc obligationi confitendo illud, aut illa mortalia, quæ cum minori infamia explicari possunt. Est namque absolute excusatus ab obligatione confitendi, vel publice, vel per interpretem, quantum est ex vi institutionis, et præcepti confessionis : et solum tenetur ex universaliori jure procurare salutem, vitareque imminens hujus periculum : pro quo sufficit suscipere sacramentum pœnitentiæ cum attritione ; et ad id non requiritur omnium peccatorum confessio, sed occurrente notabili incommodo, ut in tali casu occurrit, possunt aliqua occultari ; et ad omnium remissionem extenditur, licet diverso modo, absolutio, ut constat ex supra dictis, vel in confessione annua, et quæ citra mortis periculum fit. Et ita observant Suar. disp. 36, sect. 6, Diana 3 part. tract. 4, resol. 129, N. Philippus disp. 10, dub. 6, et alii. Quin addunt Coninchus disp. 5, dub. 10, n. 77, Lugo disp. 15, n. 63, Dicastil. disp. 7, dub. 14, et alii moribundum in tali casu posse confiteri aliqua venialia, et generatim, sive in confuso mortalia, dicendo se confiteri omnia alia, quibus Deum offenderit. Sed quamvis in hoc additamento non negemus aliquam probabilitatem speculativam ; illi tamen non auderemus subscribere quantum ad praxim, sed magis suspectam haberemus pœnitentiam ita se gerentis. Tum, quia tam accurate, et studiose diligentia in occultando mortalia, et tuendo famam, minimum argumentum præbet de magno erga illa dolore, qualem importat attritio. Tum, quia eo ipso, quod moribundus pro materia sacramenti exponeret aliquod veniale, teneretur de eo efficaciter dolere, et habere propositum efficax illud vitandi : difficilius autem est ista circa levia concipere, quam circa gravia : non ergo sic consuleremus ; sed magis manifestationem mortalium saltem in genere, ut fieri posset in dicendo se Deum graviter offendisse, aut fuisse magnum peccatorem : in quo nulla esset infamia ; cum hæc tam vere, ac tam communiter homines dicant.

Suarez Diana. Philip. Coninch, Lugo. Dicast.

70. Infertur sexto non excusari ad obligatione faciendi annuam confessionem, qui habet peccata reservata, et nequit adire superiorem, a quo absolvatur. Id magis supponunt, quam versant, aut probant Auctores, et breviter suadetur : quia eis reservatis, potest homo absque ullo extraordinario incommodo adimplere annuæ confessionis præceptum : ergo ad id tenetur. Patet consequentia : nam, si qui ab eo deobligantur, est ad notabile aliquod detrimentum, quod in eo exequendo patiuntur, ut constat ex hactenus dictis : ergo eo inconveniente cessante, non est admittenda excusatio. Antecedens vero probatur : quia homo in tali casu facile reperire valet Sacerdotem ordinarium inferiorem, cui sua peccata confiteatur, et ab omnibus absolvatur, a non reservatis quidem directe, et per se : a reservatis ante indirecte, et per accidens, et cum obligatione ea sua tempore confitendi superiori : in quo nullum extraordinarium incommodum pœnitentis apparet.

Sex con tari

Et si opponas in hoc ipso adesse notabile pœnitentis gravamen, qui cum ex divinis Christi institutione, et præcepto non teneatur nisi ad semel confitendum peccata, obligatur juxta præmissam resolutionem eadem peccata semel, et iterum confiteri : primo apud sacerdotem inferiorem, ut satisfaciat

Occu tu repli

tisfaciat ecclesiastico annuæ confessionis præcepto : deinde apud Superiorem, ut ab ipso consequatur absolutionem a reservatis. Si id, inquam, opponatur, respondendum est duas esse circa difficultatem, quæ attingitur, sententias. Una docet in tali casu non obligari pœnitentem in confessione facta inferiori manifestare nisi peccata non reservata, et posse supprimere reservata. Horum enim cognitio ad nihilum in ea confessione refert, cum confessarius non sit circa illa judex : nec opus illa habent, ut a reservatis indirecte absolvat ; quippe etsi taceantur, indirecte remittuntur. Sic Alensis 4 part. quæst. 18, memb. 4, art. 5, § 2, Petrus de Soto lect. 10, de Confessione, Castro Palao tr. 4, disp. 4, punct. 3, Torreblanca l. 14, Pract. c. 11, Leander disp. 12, quæst. 33, et alii. Juxta quam opinionem cessat pœnitus objectum inconveniens : nam quamvis pœnitens teneatur facere duas confessiones, non tamen eorumdem peccatorum ; cum in una confiteatur inferiori non reservata, et in alia Superiori, quæ eidem reservantur.

Secunda, communior, et verior sententia est teneri pœnitentem in predicto casu ad confitendum inferiori omnia peccata etiam reservata. Ita D. Tho. in supplem. quæst. 9, art. 2, ad 4 ubi ait : « Dicendum, quod etiam si sacerdos non possit ab omnibus absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantitatem totius culpæ cognoscat, et de illis, de quibus non potest absolvere, ad superiorem remittat. » Per quæ satis patet ad motivum contrarium. Et idem docent Nugn. ibidem in 2 part. dub. 3, Petrus de Ledesma c. 20, de pœnit. dub. 1, post. 2 conclusionem, Sylvest. verbo *Confessio* 1. n. 10. Gonet. disp. 8, ar. 2, in fine, Suar. disp. 31, sect. 2, Navar. Tolet. Angelus. Joan. de Medina, et alii apud Leandrum loc. cit. Et stando in hac sententia pungere videtur illud inconveniens, sed tamen facile retunditur, et superatur : nam, ut alias responsiones omittamus, qui sciens, et volens amplectitur aliquod peccatum reservatum, ibi se voluntarie subjicit incommodis seu gravaminibus, quæ ejus patrationem consequuntur, inter quæ istud, de quo agimus, computatur. Et sicut in alia opinione non censetur absurdum, quod pœnitens in tali casu teneatur ad duas confessiones, unam non reservatorum ad satisfaciendum Ecclesiæ præcepto confitendo non reservata, alterum vero reservatorum ad parendum Superiori : ita nec inconveniens censeri debet, quod in nostra obligetur ad confitendum bis peccatum reservatum, semel pro annua confessione, et iterum ut directe subjiciatur Superiori reservanti. Nec ista præcipit absolute Ecclesia, sed solam, unam, atque annuam peccati confessionem. In eas vero angustias se conjicit committens peccatum reservatum, quem non oportet ex suo peccato reportare commodum, vel non faciendi annuam omnium peccatorum confessionem, vel non comparendi coram Superiore, et subjiciendi illi reservata.

DUBIUM III.

Utrum in confessione explicari debeant omnia peccata quantum ad species, numerum, et circumstantias mutantes speciem ?

Post generalem doctrinam de confessione hactenus traditam succedit, ut ad magis speciales circa eam difficultates descendamus. Et primo occurrit ejus integritas quantum ad ejus materiam remotam necessariam, quæ sunt peccata mortalia, ad quænam eorum extendatur tam Divinum, quam Ecclesiasticum confitendi præceptum? Cui difficultati respondet.

§ I.

Veritas catholica in genere asserta.

71. Dicendum est omnia mortalia, quorum homo conscientiam habet, (id est, quæ cognoscit commisisse, et nondum confessum esse) debere in confessione explicari quantum ad eorum species, numerum, et circumstantias mutantes speciem. Hæc conclusio est de fide, ut constat ex Ecclesiæ determinatione in Concilio Lateranensi relato in cap. *Omnis utriusque* de pœnit. et remis. ubi præcipitur, quod omnes fideles *integre*, et *fideliter* confiteantur : quod facere nequeunt, nisi exponendo omnia peccata in specie, numero, et circumstantiis afferentibus distinctam speciem peccati. Et in Concilio Florentino in decreto super unionem, tract. de sacram. Conclusio. Concil. Later. Conc. Flor.

dicitur materiam hujus sacramenti esse confessionem, et ad illam pertinere, quod pœnitens confiteatur omnia peccata, quorum habeat memoriam. Sed luculentius, et expressius hæc veritas docetur, ac diffinitur in Concilio Tridentino, quod ad refellendum ingruentes hæreticorum oppugnationes et propulsandum varios circa hanc materiam errores, opus habuit antiquam, et catholicam doctrinam cum omnimoda claritate, et terminorum proprietate exponere, ut quidem fecit. Nam sess. 14, cap. 5, ait : « Dominus noster Jesus Chris- « tus e terris ascensurus ad Cœlos, sacer- « dotes sui ipsius Vicarios reliquit tan- « quam præsides, et judices, ad quos omnia « mortalia crimina deferantur, in quæ « Christi fideles ceciderint, quo pro potes- « tate clavium remissionis, aut retentionis « peccatorum sententiam pronuntient. « Constat enim sacerdotes judicium hoc, « incognita causa, exercere non potuisse, « nec æquitatem quidem illos in pœnis « injungendis servare potuisse, si in ge- « nere dumtaxat, et non potius in specie, « ac sigillatim sua ipsi peccata declaras- « sent. Ex his colligitur oportere a pœni- « tentibus omnia peccata mortalia, quo- « rum post diligentem sui discussionem « conscientiam habent, in confessione re- « censeri, etiam si occultissima illa sint... « Colligitur præterea etiam eas circumstan- « tias in confessione explicandas esse, quæ « speciem peccati mutant, quod sine illis « peccata ipsa neque a pœnitentibus in- « tegre exponantur, nec judicibus innotes- « cant, et fieri nequeat, ut de gravitate « criminum recte censere possint, et pœ- « nam, quam oportet, pœnitentibus im- « ponere. » Et conformiter ad hanc doctrinam diffinivit can. 7 ejusdem sess. « Si « quis dixerit in sacramento pœnitentiæ « ad remissionem peccatorum necessarium « non esse jure divino confiteri omnia, et « singula peccata mortalia, quorum me- « moria cum debita, et diligenti præmedi- « tatione habeatur, etiam occulta, et quæ « sunt contra duo ultima Decalogi præcep- « ta, et circumstantias, quæ peccati spe- « ciem mutant, etc. Anathema sit. » Unde sic docent omnes Catholici, et superfluum est pro hac assertione aliquos Auctores referre.

Conc. Trid.

Conc. Trid.

Fundamentalis autem ejus ratio nulla aptior, et certe nulla melior excogitari valet, quam ipsa Christi institutio, de qua constat per Ecclesiæ diffinitionem, ut ostensum est. Sed rationes etiam congruentiæ, supposita sacramenti pœnitentiæ institutione, occurrunt aptissimæ, et valde urgentes. Primam proponit Concilium Tridentinum verbis relatis : nam Christus conferendo Apostolis, et eorum successoribus potestatem dimittendi, et retinendi peccata fidelium, constituit eos judices ad cognoscendum de talibus peccatis in ordine ad ferendum sententiam absolutionis, aut retentionis, et ad injungendas pœnas unicuique convenientes ; id autem nequit recte fieri, nisi pœnitens manifestet sacerdoti omnia sua peccata in specie, et numero, et circumstantiis mutantibus speciem : quidquid enim judicem lateat, ansam, et occasionem præbet ut judicium, et sententia, et pœnæ applicatio non recte fiant, tenemur omnia prædicta, quorum conscientiam habemus, patefacere in confessione. Secundam rationem proponit idem Concilium eodem loco paulo inferius dicens : « Qui scienter aliqua retinent, nihil « divinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubescat « ægrotus vulnus medico detegere, quod « ignorat, medicina non curat. » Itaque pœnitens accedit ad hoc sacramentum non solum ut reus judicandus, sed etiam, ut infirmus sacerdotis ministerio sanandus : ad quod opus est, ne sacerdos in curatione erret, omnia vulnera detegere, et infirmitates manifestare. Quod motivum optime expendit D. Thom. in supplem. quæst. 9, art. 2, his verbis : « Dicendum, « quod in medicina corporali oportet, quod « medicus non solum unum morbum, contra quem medicinam dare debet, cognos- « cat, sed etiam universaliter totam habitudinem ipsius infirmi ; eo quod unus « morbus ex adjunctione alterius aggravatur ; et medicina, quæ uni morbo com- « peteret, alteri nocumentum præstaret « Et similiter est in peccatis, quia unum « aggravatur ex adjunctione alterius ; e « illud, quod uni peccato esset convenien « medicina, alteri incentivum præstaret « cum quandoque aliquis contrariis pecca « tis infectus sit, ut Gregor. in Pastoral « docet. Et ideo de necessitate confessioni « est, quod homo omnia peccata confitea

tu

« tur, quæ in memoria habet. Quod si non « faciat, non est confessio, sed confessionis « simulatio. »

72. Ex hac autem doctrina, et rationibus Concilii evidenter sequitur obligari hominem jure divino non solum ad confitendum omnia peccata, verum etiam ad confitendum illa uni, et eidem sacerdoti : atque ideo nec suæ obligationi, nec ulli juri satisfacturum, qui aliqua peccata uni sacerdoti et alia alteri confiteretur. Nam præterquam quod, ubi concurrunt multa mortalia, nequit unum remitti, quin alia et omnia remittantur, ut ostendimus Disp. 4, dub. 3, § 2 et 3. Sacerdos nequit in hoc sacramento exercere munus judicis in absolvendo, nisi causa integre cognita, nec medici in curando, nisi cognita tota habitudine pœnitentis. Quod minime salvaretur, si in arbitrio pœnitentis positum esset, quod ex peccatis, quorum est conscius, aliqua confiteretur uni sacerdoti, et alia alteri, et sic de ceteris : nullus namque illorum sacerdotum recte, et perfecte cognosceret statum talis pœnitentis, ut illum aut judicare, aut curare posset, ut fieri debet. Unde in cap. *Consideret.* de pœnit. disp. 5, post medium dicitur : « Cautus sit pœni- « tens, ne verecundia ductus dividat apud « se confessionem, ut diversa velit diversis « sacerdotibus manifestare, quod est se « laudare, et hypocrisim tendere. » Quod desumptum videtur ex D. Augustin. lib. de vera, et falsa pœnit. cap. 14. Et D. Thomas loco cit. in resp. ad 2, ait : « Pœna « a diversis sacerdotibus imposita non « esset sufficiens : quia quilibet considera- « ret tantum unum per se, et non gravi- « tatem ipsius, quam habet ex adjunctione « alterius. Et quandoque pœna, quæ « contra unum daretur, esset provocativa « alterius peccati. Et præterea sacerdos « audiens confessionem, vicem Dei gerit « et ideo debet ei eo modo fieri confessio, « sicut fit contritio Deo. Unde sicut non « esset contritio, nisi quis de omnibus pec- « catis, quæ memoriæ occurrunt, contere- « retur ; ita non esset confessio, nisi quis « de omnibus, quæ memoriæ occurrerint, « confiteatur. »

Contra hanc catholicam assertionem sentiunt omnes hæretici relati supra num. 12, qui confessionem sacramentalem oppugnant, ubi communibus eorum argumentis occurrimus : unde non habemus in præsenti, quæ specialiter diluamus præter illam, quam ipsi exaggerant difficultatem recensendi omnia mortalia quoad species, individua, et circumstantias speciem variantes. Sed huic etiam fecimus satis num. 19, eamque plene dissipaverat Concil. Trident. ses. 14, cap. 5, declarans non esse admodum arduum, quod Christus, et Ecclesia in hac parte præcipiunt, sed temperatum summa prudentia, et refertum utilitate, quæ difficultatem excedit : « Constat enim, *inquit*, nihil aliud in « Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam, « ut postquam quisque diligentius se ex- « cusserit, et conscientiæ suæ sinus, et « latebras exploraverit, ea peccata confi- « teatur, quibus se Dominum, et Deum « mortaliter offendisse meminerit : reliqua « autem peccata, quæ diligenter cogitanti « non occurrunt, in universum eadem « confessione inclusa esse intelliguntur : « pro quibus fideliter cum Propheta dice- « mus : Ab occultis meis munda me Do- « mine. Ipsa vero hujusmodi confessionis « difficultas, ac peccata detegendi verecun- « dia gravis quidem videri posset, nisi « tot, tantisque commodis, et consolationi- « bus levaretur, quæ omnibus digne ad « hoc sacramentum accedentibus per ab- « solutionem certissime conferuntur. » Quam responsionem quoad priorem partem, quæ difficultatem attingit, magis immediate illustrabimus exponentes in particulari, quid intelligatur per species, numerum, et circumstantias speciem mutantes, qualia in assertione statuimus : occurrunt enim non pauca temperantia difficultates, quas causantur hæretici, ut se ab obligatione confitendi subducant. Conc. Trid.

73. Sed prius nos expedire oportet a quadam controversia omnibus in assertione propositis communi, quam Recentiores aliqui nimis prolixam cum non magno commodo versant, discutientes an in peccatis confitendis explicari debeant actio externa, et effectus peccati. Oritur autem difficultas ex eo, quod in uno peccato, v. g. homicidii tria concurrunt, primo actus interior, quo quis vult occidere, secundo actus exterior occidendi, tertio effectus, nempe occisio. Et quidem in obligatione manifestandi actum internum omnes conveniunt, quia in eo principaliter, et pri-

mario consistit, sicut libertas, et malitia peccati. In obligatione autem manifestandi actum externum poterat esse aliqua difficultas, præsertim in sententia communi Thomistarum asserentium in membris, et sensibus externis non subjectari formaliter, et intrinsece peccatum, ut statuimus, et probavimus tract. 13, de peccat. disp. 10, dub. 1, § 2, concl. 3. Unde inferri videtur, quod, cum materia confessionis sit solum peccatum, non deberent actiones externas confiteri. Unde Franciscus Felix Scotista in tract. de bonitate, et malitia, cap. 8, difficult. 1, opposuit Thomistis, quod, si actus exterior non habet formalem, et intrinsecam malitiam: quam addat supra interiorem : nulla est ratio illum manifestandi in confessione : quod esse falsum manifestat communis usus Ecclesiæ. Sed nec in hoc est momenti difficultas : nam hic ipse usus declarat, quæ debeamus confiteri. Præterquam quod illa argumentatio nihil probat, ut illi jam respondimus loco cit. num. 49, nam ut aliquid cadat sub obligatione confessionis, sufficit esse peccatum grave, sive hoc habeat a forma sibi inhærente, ut contingit in actibus internis, sive illud habeat a forma existente in alio actu, ut contingit in actibus externis : nam confessionis præceptum non solum malitiam, nec solum actum, cui illa hæret, sed quidquid appellatur absolute peccatum mortale, sub se comprehendit. His itaque exclusis, reducitur difficultas ad obligationem manifestandi effectum actus interni, et externi peccaminosi. Verbi causa, Petrus voluit occidere Joannem, ad id præparavit, propinavitque illi venenum, ex quo post aliquod dies, aut menses Joannes mortuus est. Satisfaciet ne Petrus dicendo tantum in confessione se ad occidendum Joannem dedisse illi venenum? An vero tenebitur explicare subsecutum effectum, nempe Joannis mortem?

Franc. Felix.

Sunt circa id duæ sententiæ. Prima affirmat explicandum esse effectum. Ita Sotus, Ludovicus Lopez, Sanchez, Castro Palao, et alii apud Dicastillum disp. 9, dub. 1, in appendice, num. 18. Et moventur : quia licet effectus non sit in se, et formaliter liber, et malus ; id tamen habet extrinsece, et denominative a malitia voluntatis ; quod satis videtur, ut comprehendatur sub obligatione confessionis : sicut ob eandem rationem comprehenduntur actus membrorum externorum, licet intrinsecam malitiam in se non habeant. Secunda negat hanc obligationem, sed sufficere censet, quod pœnitens dicat se intendisse occidere proximum, et ad id venenum applicuisse, nihil amplius de effectu explicans. Ita Vasquez, Azor, Bonacina, Diana, Curiel, Joannes Sanchez, Lugo et alii, quos refert Dicastillo loco cit. num. 20. Eorum fundamentum est, quod solum obligamur confiteri peccata mortalia ; ille autem effectus non est, nec potest dici absolute peccatum mortale : ergo non datur obligatio manifestandi talem effectum. Probatur minor : quia talis effectus non fuit peccatum, quando Petrus intulit venenum, siquidem tunc occisio non fuit : nec est peccatum, quando in re ponitur, quia tunc potest Petrus esse contritus, et sine peccato : ergo ille effectus, sive occisio passiva non est, nec absolute dici valet peccatum. Et per hæc solvitur motivum contrariæ opinionis desumptum ab exemplo actuum externorum : isti enim, cum exercentur, subduntur actu internis, et ab eorum malitia denominantur, eisque aliquomodo continuantur constituendo quasi unicam, et completam operationem : ex quibus habent esse vere, et denominari absolute peccata, atque ideo debere cum illis eidem confessioni submitti. Cujus oppositum contingit in effectibus peccatorum, ut satis ex se liquet. In qua disparitate, quæ obvia est, quanta hinc inde producant, et examinent Lugo, et Dicastillo illos consulenti constabit.

Sotus. Lopez. Sanch. Castro.

Vasc. Azo. Bon. Curi. Joan. San. Lug.

Nos pressius agendo censemus utramque sententiam esse probabilem, et secundam speculative probabiliorem, ut ejus fundamentum satis evincit. Sed quod ad praxim attinet, nullum, aut rarissimum ejus usum videmus, aut probamus : tum, quia sæpissime ex effectu subsequitur obligatio restituendi, aut aliud faciendi, aut vitandi, quæ oportet cognoscere confessarium, ut de obligatione admoneat, et de congruo remedio in similibus pœnitenti provideat. Tum, quia iste videtur esse communis usus fidelium explicandi scilicet non solum intentionem, et actionem, sed etiam quid reipsa fecerint. Tum denique, quia prædictus usus aptissimus est ad explicandum totum

totum peccatum : id enim perspicue, et compendiose fit dicendo, « occidi unum hominem.» Ad quid ergo illæ circumlocutiones, habui intentionem occidendi hominem. et ad id illi propinavi venenum, vel ipsum vulneravi? Cum hæc omnia significentur, et satis explicentur dicendo occidisse hominem ; sicut per actum externum significatur internus, quin opus sit hunc per se explicare.

§. II.

Quomodo explicanda peccata distincta quoad speciem?

74. Quamvis Concilium Tridentinum in locis relatis num. 71, has voces non adhibuerit, rem tamen significantem satis expressit diffiniendo generatim necessarium esse jure divino confiteri omnia, et singula mortalia, quorum memoria habeatur, ubi necessarium est, et diversa numero peccata atque species, hasque a fortiori comprehendit, cum sint quid communius, sub quo individua continentur. Præsertim cum Concilium expresse dixerit circumstantias mutantes speciem debere in confessione explicari ! unde majus argumentum desumitur ad ipsas quasi substantiales peccatorum species. Porro dari peccata specie distincta manifestum est a summa inter aliqua distantia, ut v. g. inter furtum, et odium Dei : præsertim cum soleant pertinere ad potentias genere diversas sicut infidelitas ad intellectum, et intemperantiam ad appetitum : aliqua etiam sunt inter se contraria, ut avaritia, et prodigalitas, quare nequeunt essentialiter convenire. Unde vero desumatur distinctio specifica peccatorum, non est hujus loci discutere, sed supponendum est ex D. Thom. 1, 2, quæst 72, art. 1, desumi ab objecto primario, sive fine proximo per se solito, et sic conclusit : « Actus voluntarii distinguntur specie secundum objecta, ut in superioribus ostensum est. Unde sequitur, quod peccata propria distinguantur specie secundum objecta. » Et in disp. ad 3, addidit : « Nihil prohibet in diversis rebus specie ; vel genere differentibus invenire unam formalem rationem objecti, a qua peccatum speciem recipit. Et hoc modo superbia circa di-

« versas res excellentiam quærit : avaritia « autem abundantiam eorum, quæ usui « humano accommodantur. »

Hinc fit plures actus, qui in esse physico specie, aut genere distinguuntur propter diversa objecta primaria, quæ in illo ordine habent, posse esse idem peccatum in esse moris ob attingentiam ejusdem in eo ordine objecti, sive finis proximi per se inspecti. Quæ enim major differentia in esse rei, quam inter peccatum commissionis, et peccatum omissionis? Et tamen resolvit S. Doctor eadem quæst. art. 6, esse peccata ejusdem speciei in una propria materia. « Si loquamur, *inquit*, de specie « peccati omissionis, et commissionis ma- « terialiter, differunt specie ; large tamen « loquendo de specie, secundum quod ne- « gatio, vel privatio speciem habere potest. « Si autem loquamur de specie peccati « omissionis, et commissionis formaliter : « sic non differunt specie : quia ad idem « ordinantur, et ex eodem motivo proce- « dunt. Avarus enim ad congregandum « pecuniam, et rapit, et non dat, quæ dare « debet. Et similiter gulosus ad satisfa- « ciendum gulæ, et superflua comedit, et « jejunia debita prætermittit. Et idem vi- « dere est in ceteris. » Et quamvis circa hæc aliqua difficilia occurrant, illa superare curavimus tract. 13, de peccatis, disp. 8, dub. 1. Quin ex eadem radice, et attendendo ad diversos ordines fieri valet, quod actus in esse rei valde differentes, et habentes intrinsecam malitiam possint esse unum peccatum non solum specie, sed etiam numero propter identitatem ejusdem motivi, sive subordinatione ad eundem finem proximum per se inspectum, ut eleganter declaravit D. Thom. in 2, dist. quæst. 42, quæst. 1, art. 1, his verbis : « Contingit esse actus plures, secundum « quod ad genus naturæ referuntur ; qui « tamen sunt unum, secundum quod in « genere moris considerantur : ut patet in « eo, qui furatur, quia omnes actus ejus, « qui ad furtum ordinantur, peccatum « sunt, cum mala intentione fiant, qui « possunt valde multi esse. Et tamen « omnes computantur ut unum peccatum ; « quia non habent rationem peccati nisi « secundum quod per unam voluntatem « in unum perversum finem ordinantur.» Et hac etiam de causa quamvis omissio

D. Thom.

D. Thom.

peccaminosa, et actus, qui est causa omittendi realiter distinguantur, et habeant malitias intrinsecas realiter diversas, sunt nihilominus specie, et numero idem peccatum, ut statuimus tract. cit. disp. 5, dub. 1, § 2.

75. Licet autem hæc ita se habeant, quod plures actus physice essentialiter distincti possint moraliter esse idem specie, aut etiam numero peccatum; e contra vero fieri non valet, quod idem physice actus pertineat per se primo ad duas moraliter peccati species. Et ratio est, quod species primaria actus in ordine morali sive quantum ad bonitatem, sive quoad malitiam sumitur per habitudinem ad objectum adæquatum, et primarium in genere moris, id est; prout stat sub lege, et conformiter ad rationem: impossibile autem est eundem actum habere, vel in ordine physico, vel in ordine morali respicere per se primo duo, aut plura objecta; alias eorum quodlibet esset, et non esset adæquatum, quod implicat contradictionem: ergo idem physice actus nequit pertinere per se primo ad duas moraliter peccati species. Unde provenit, quod licet in eodem actu soleant inveniri duæ malitiæ species, satis principales, alia ab ejus objecto, quod dici solet finis operis, et alia ab objecto intentionis, quod vocari consuevit finis operantis: ut patet in eo, qui furatur ad fornicandum, ubi actus ex objecto immediato, sive fine operis est in specie furti, sed ex objecto intentionis, aut ex fine operantis est in specie luxuriæ: nihilominus attentis omnibus, et absolute loquendo, species, quæ desumitur ab objecto immediato est essentialis actui in esse moris; illa vero, quæ desumitur a fine operantis est simpliciter accidentalis, ut statuimus in tract. 11, de bonit. et malit. disp. 6, dub. 4, § 3, concl. 3. Actus namque in quocumque ordine respicit primario, et essentialiter suum objectum; finem vero operantis solum respicit secundario, et accidentaliter, ut facile constat in exemplo proxime allato: actus enim furti ad fornicandum respicit immediate, et essentialiter rem alienam; quod vero ordinetur ad fornicandum est illi accidentale, et secundarium, in quantum fur ordinat eum ad illum finem. Cujus differentiæ satis evidens signum est, quod talis actus eandem furti speciem retineret, quamvis non imperaretur, nec fieret in ordine ad talem finem. Idemque apparet in actibus moraliter bonis, ut in actu largiendi eleemosynam ad satisfaciendum pro peccatis: hic enim actus absolute loquendo habet respicere eleemosynam ut secundum se honestam, et hic est primarius respectus illius; et propterea constituitur absolute in specie misericordiæ: ordinari autem ad satisfaciendum pro peccatis convenit illi accidentaliter, ac proinde et imperari a virtute pœnitentiæ, atque in specie pœnitentiæ constitui: unde suam misricordiæ speciem retineret, quamvis ad eum finem non ordinaretur: species ergo operationum humanarum in genere moris attenduntur secundum earum objecta primaria in eodem ordine.

Ex quibus facile apparet, quid significetur, cum dicimus in confessione aperienda esse peccata quoad species: explicant namque prædicta verba, quod quotiescum peccata habent objecta, essentialiter diversa, id in confessione debent manifestari: atque non sufficere, quod pœnitens dicat in genere Peccavi, Peccavi: sed debere dicere. Peccavi in hac, aut illa specie, sive, et in idem recidit, erga tale, aut tale objectum. Pro cujus majori intelligentia addere oportet, quod licet circumstantiæ communiter, et rationabiliter appellentur, quæ in ordine morali objectum supponunt illudque accidentaliter, et contingenter quasi circumdant, in quibus solet esse notabilis variatio, ut infra a num. 83 dicemus: nihilominus contingere etiam solet quod objectum actus non det illi malitiam, ut si sit de se indifferens, ineptumque subinde ad referendum moralitatem, vel licet bonum ex se sit, supervenit illi aliqua circumstantia mala impediens, ut bonitatem moralem in operationem refunda. Et in hoc casu circumstantia dans primam moralitatem transit in conditionem essentialem objecti in esse moris, et desinit esse in ratione circumstantiæ, ut animadvertimus in tract. cit. de bonit. et malitia art. 5 et 10 et 11, quæst. 8, ex 1, 2. Quoque autem modo id explicetur, semper salvatur species peccatorum distingui penes eorum objecta primaria, ut vel ratione sui, vel ratione circumstantiæ dantis primam moralitatem pertinentem ad genus moris.

76. His præmissis, ulterius animadve-

te

tere oportet, quod ubi præcipimur confiteri omnes species peccatorum, sermo est de omnibus speciebus distinctis, non præcise physice, sed moraliter : contingit namque plura opera peccaminosa essentialiter physice distingui, quæ moraliter sunt ejusdem speciei. Sic Pyromantia, quæ est divinatio per ignem, et Hydromantia, quæ est divinatio per aquam, distinguuntur essentialiter physice, sed non in genere moris. Unde quolibet modo, aut medio, aut instrumento physico divinatio fiat, sufficiet pœnitenti dicere, commisi semel, aut bis, etc., peccatum superstitionis in divinando: dummodo non adhibuerit rem aliquam sacram, cujus perverso usu accederet nova, et distincta sacrilegii species. Similiter infligere homini vulnus lethale, et propinare mortiferum venenum sunt actiones in ordine physico essentialiter differentes; sed tamen ejusdem speciei in ordine morali propter eandem specificam malitiam in homicidio, cui prorsus accidit fieri hoc, aut illo instrumento physico. E contro contingit operationes, quæ nullam habent in ordine physico distinctionem essentialem, esse in ordine morali specie diversas, ut patet comparando occisionem Patris, et occisionem Episcopi eodem modo, et instrumento, et quod plus est, eadem actione factis: sunt enim physice loquendo ejusdem rationis, sed tamen intra genus moris specie differunt : nam patris occisio est in specie particulari parricidii ob deformitatem contra pietatem parentibus debitam; sed Episcopi occisio est in particulari specie sacrilegii propter deformitatem contra reverentiam debitam Ordini. Et hujus generis frequentia occurrunt exempla. In confitendo itaque species peccatorum attendi debet non ad unitatem, vel distinctionem, quas habent in ordine physico, sed ad quæ gaudent in ordine morali. Et hujus resolutionis (quæ est communis inter Doctores, ut videri potest apud N. Franciscum cap. 8, punct. 1, n. 4), fundamentum facile apparet ex ipsa institutione sacramenti, in quo sacerdos judicat pœnitentes quantum ad mores, sive peccata quatenus talia : atque ideo attendere debet ad peccatorem unitatem, vel distinctionem in genere moris, non in genere naturæ : et ad idem attendere debet pœnitens, cum ea confessario manifestat. Et idem motivum occurrit, si consideremus sacerdotem exercentem in hoc sacramento medici officium, juxta verba Trident. num. 71 relata : non enim curat morbos physicos, sed spirituales, et morales, inductos ex peccatis, ut ad genus moris pertinent.

Et in hoc eodem sensu accipiendus est Cajetanus tom. 1 opuscul. tract. 5, quæst. 3, docens satis esse confiteri species peccatorum communiter notas, nec oportere solicitari ad subtiliores, et minutissimas quasque species explicandas, quæ non variant substantiale judicium confessarii. Quam sententiam vehementer carpunt aliqui Recentiores, insultantes Leoni mortuo, quasi ea Cajetani sententia sit contraria Concilio Tridentino, et debitæ confessionis integritati. Sed falluntur vehementer : nam ille non negavit debere in confessione exponi species peccatorum proprie, et formaliter differentes in genere moris, quarum moralem diversitatem pœnitens cognoscat; sed docuit non oportere solicitari in investigandis speciebus non notis, de quibus vel apud subtilissimos est dubium, an distinguantur in genere moris, ut patet exemplo diversarum divinationum, aut superstitionum in divinando, quod supra adduximus, et nominatim Cajetanus expendit. Supervacaneum enim foret pœnitentem in simili quæstione extricanda conterere tempus ; sed magis oporteret de superstitione conteri, et illam sine metaphysicis distinctionibus in confessione explicare, quantum sufficit ad confessarii judicium. Et idem contingit ubi pœnitens perplexus manet in discernendo, an castitatis votum solemne, et votum simplex differant specie ; et consequenter utrum transgressiones eorum sint distinctæ peccati species : ubi autem hæc, aut similia dubia occurrunt, non oportet pœnitentem in eis discernendis implicari, et immorari, sed sufficit dicere v. g. se peccasse contra votum castitatis. In quo sensu dixit Cajetanus species peccatorum, ut cadant sub obligatione illas explicite confitendi, debere esse omnibus notas, hoc est, certo cognitas, ut tales : quod non contingit, ubi circa illarum diversitatem sunt utrimque opiniones probabiles : et minus contingit apud vulgares, qui plurimum peccatorum species, pro quibus discernendis subtili consideratione egent ipsi Theologi, signate

non

non cognoscunt. Unde a multitudine fidelium non facile expectamus hanc accuratam specierum peccati distinctionem, et non minimum putamus, si sciant distincte explicare, et ad classes reducere culpas per oppositionem ad singula Decalogi, et Ecclesiæ præcepta. Ubi autem major discussio necessaria est, diligenti ministrorum inquisitioni relinquitur. Et in hoc sensu, nempe respectu multitudinis fidelium, inter quos sunt plurimi idiotæ, et fere incapaces intelligendi signate peccatorum species, accipienda est Cajetani sententia. Cui vel non ita temperatæ, et modificatæ subscripserunt alias viri doctissimi. Petrus de Soto lect. 9, de Confes. Cano in relect. de Pœnit. part. 5, in resp. ad 4, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, Navarrus in cap. *Considerat.* de Pœnit. dist. 5, num. 17, Fagund. præcepto 2, lib. 4, cap. 2. Quæ dicentes non propterea sententiam Cajetani tuemur ; sed excedentes de ea censuras quorundam Juniorum propulsamus.

§ II.

Qualiter recensendus numerus peccatorum in singulis speciebus ?

77. Sicut unitas, et distinctio specifica peccatorum non commensuratur cum unitate, aut distinctione physica rerum, quibus hærent, ut constat ex § præced. sic etiam contingit in eorum unitate, et distinctione numerica, ut dicendum necessario esse evincunt plane exempla, et rationes. Nam si quis hominem tribus actibus interficiat, dantur tres actus physici numero distincti, et omnes subeunt denominationem peccati : et tamen ibi non datur nisi unum peccatum homicidii. E converso; ubi uno ictu interficit tres homines ; actus physice est unus, et tamen tria numero peccata homicidii committuntur. Idque patet ex communi hominum apprehensione, et sapientum judicio ; qui in priori casu non nisi unum homicidium recognoscunt, et ut tale puniunt; quidquid sit de pluritate physica percussionum, et vulnerum : in secundo autem casu censent dari tria homicidia, et ut talia acerbiori plectunt pœna; quamvis actus illos de medio tollens unicus fuerit. Ratio vero ita apprehendendi, et judicandi est, quod moralitas adæquate sumpta, comprehendens bonitatem, et malitiam sumitur per respectum ad objectum, ut stat sub regulis morum. Unde sicut malitia specifica importat habitudinem ad objectum unum in specie sub genere morali, et inde sumit unitatem moralem specificam ; sic etiam malitia numerica eam habitudinem importat ad objectum unum numero intra hanc, aut illam malitiæ speciem. Quare sicut ob illam rationem contingit plures actus physice distinctos in specie, induere eandem specificam malitiam, quia ordinantur ad idem specifice objectum in esse moris : et ideo sive homicidium fiat vulnerando, sive suffocando, sive propinando venenum est idem specie peccatum ; sic etiam ob eandem rationem contingit actus physice distinctos numero esse idem numero peccatum, quia ordinantur ad idem numero objectum in esse moris : et propterea tres ictus, aut vulnerum incussiones erga eundem hominem, quibus occiditur sunt unum numero peccatum : et e converso, qui uno ictu tres homines necaret, committeret tria numero homicidii peccata, quia licet actus fuerit physice unus, attigit tamen tria objecta adæquata, et numero distincta in esse moris.

Occurrit tamen hoc loco non dissimulanda objectio desumpta ex his, quæ tradidimus tract. 1, de principio individuationis, disp. 2, dub. 1, statuentes accidentia individuari a subjecto, cui naturaliter hærent : indeque collegimus dub. 3, implicare, quod duo accidentia solo numero distincta recipiantur in eodem subjecto, vel quod idem numero accidens hæreat subjectis adæquate distinctis. Constat autem malitiam, et quamlibet aliam formam moralem esse aliquod accidens, cujus subjectum est actus physicus humanus, ut amor, odium, desiderium, intentio, etc. Ergo implicatorium est, et inconsequenter a nobis asseritur, quod idem physice actus potest induere duas, aut plures malitias numero distinctas ; et quod e converso plures actus physici valeant esse unum numero peccatum, atque habere (quod est consequens) eandem numero malitiam.

Pungit quidem hæc objectio, et obligat, ut legitimum sensum præmissæ suppositionis magis explicemus. Pro quo animadvertendum est moralitatem dupliciter dici: primo

primo per ordinem ad regulas morum, nempe legem, aut objectum ut lege regulatum, quibus cum conformatur dicit bonitatem; sed, si ab eis recedat, importat malitiam. Quo pacto moralitas est verum accidens reale actus humanos afficiens, habetque suum genus, species, et individua. Secundo sumitur moralitas per ordinem præcise ad prudentem æstimationem, quæ judicat de rebus quantum ad eorum magnitudinem, unitatem, et distinctionem per ordinem ad fines, quos ipsa prudentia attendit. Inter quas rationes dari distinctionem satis convincitur, tum quia plura, quæ sunt incapacia primæ moralitatis, habent secundam, ut patet in corona, et purpura Regis, quæ cum non habeant primam, habent secundam, et ideo merentur reverentiam in prudentum æstimatione. Tum etiam, quia in ipsis actibus humanis utriusque moralitatis capacibus non datur inter unum, et alterum adæquatio, sed tollet adesse summa differentia : nam peccatum mortale, quod est finitum per respectum ad regulas morum, habet gravitatem simpliciter infinitam in ordine ad prudentum æstimationem secundum gratiam offensam, quam Deo irrogat. Et operationes Christi Domini consideratæ secundum priorem moralitatem sunt finitæ, sicut et nostræ : consideratæ vero quantum ad secundam habent in æstimatione prudentum valorem simpliciter infinitum, cum procedant a supposito infinite digno. Qua doctrina, et moralitatis distinctione usi frequenter fuimus in tract. 21, de Incarnat. et præsertim disp. 1, dub. 4 et 6 et disp. 28, de merito Christi, dub. 1. Juxta quam doctrinam ipsa moralitas, vel intrinsece afficiens actus physicos internos, vel denominans extrinsece actus physicos externos potest quantum ad sui unitatem, vel distinctionem numericam considerari dupliciter : primo metaphysice, secundo moraliter per ordinem ad prudentem æstimationem. Et in primo sensu habet unitatem, vel distinctionem numericam juxta unitatem, vel distinctionem numericam actuum physicorum, quibus inest, ut objectio recte probat. et concedimus : est enim verum accidens reale, quod, sicut et alia, debet esse unum, aut plura numero juxta subjecti unitatem, aut distinctionem. Sed in secundo sensu aliter est dicendum : quia unitas, vel distinctio numerica in esse morali moraliter, hoc est juxta prudentem æstimationem, attenditur penes unum objectum adæquatum, et plura objecta adæquata, ad quæ intra eandem speciem actus humani ordinantur. Ex qua radice provenit diversitas, quam exemplis supra allatis exposuimus, et nunc magis exponemus. Nam, si quis tribus percussionibus necet unum hominem, ibi dantur tres numero actus, qui denominantur tria numero peccata : et malitia quidem (supponamus eam reperiri etiam in actibus externis) metaphysice considerata triplex etiam est numero, juxta numerum subjectorum. Sed tamen considerata in ordine ad prudentem æstimationem est una numero, quia omnes illæ percussiones habent unum, et idem numero objectum, nempe unam hominis occisionem, pro qua in prudenti æstimatione nihil refert, quod uno, aut duobus, aut multis ictibus fiat. Cum vero quis una percussione interficit tres homines, actus quidem physicus est unus numero, et similiter malitia considerata metaphysice est una numero propter identitatem subjecti ; sed considerata secundum æstimationem prudentem multiplicatur juxta numerum hominum occisorum, quia eorum quilibet est objectum completum, et adæquatum peccati homicidii : et in prudenti judicio non interest, ut æstimentur tria homicidia, ut tria, quod tres homines occisi fuerint unica, vel tribus percussionibus.

78. Sed quia aliunde ad unitatem numericam alicujus actus humani, et malitiæ illum denominantis requiritur istorum existentia, et continuatio, quippe quæ habent conditionem successivorum, quæ sola interruptione discontinuantur, et plura fiunt, addere oportet, quod ad continuationem, atque ideo ut persistat idem numero peccatum, sufficit, quod permaneat, vel formaliter, vel virtualiter; ubi autem nec formaliter, nec virtualiter manet, desinit simpliciter ; et si aliud ejusdem rationis succedat, est novum, et distinctum numero peccatum. Sensus harum vocum, aut terminorum facile constat ex dictis disp. præced. a num. 115, ubi explicuimus, quomodo actus doloris pro sacramento pœnitentiæ requisitus possit existere, vel formaliter in se ipso, vel virtualiter in aliquo sui. Et pro qualitate præsentis materiæ

facilius adhuc : nam, ut duret idem numero peccatum, sufficit aliquem persistere formaliter, aut virtualiter in eadem voluntate circa idem objectum : ut autem interrumpatur, requiritur, quod nec formaliter, nec virtualiter in tali voluntate permaneat. Dicitur autem quis permanere formaliter in priori voluntate toto tempore, quo expresse intendit aliquid facere, v. g. occidere inimicum : dicitur vero permanere virtualiter, quando aliquid facit virtute prioris intentionis, licet ipsa in se non persistat, ut cum quis ex intentione occidendi inimicum ensem arripit, et acuit. Cum autem nihil horum adest, interrumpitur, cessatque simpliciter illa voluntas : et si postea succedat, opus est a priori distingui, et esse novum, et numero distinctum peccatum.

Contingit autem hujusmodi interruptio, aut discontinuatio frequentius in actibus internis, quam externis, ut liquet experientia, et ratione : quia illi non tantam habent inter se subordinationem, quantam actus externi habent ad voluntatem. Hinc provenit, quod si aliquis elicito semel actu odii erga inimicum, interposita mora, aut somno, odio inimicum habeat, committat novum peccatum odii, distinctum numero a præcedenti ; cum istud ad illud non subordinetur, sed sint ejusdem rationis : et discontinuentur. Cum vero concepto odio intendit occidere inimicum, et hac voluntate parat ensem, et pergit ad eum occidendum ; quamvis actiones sint adeo diversæ, non tamen sunt plura numero peccata ; quia in eis continuatur, et permanet virtualiter prior voluntas. Quin etiam licet in itinere repeteret plures occidendi intentiones, non committeret plura numero peccata : quia prior intentio non est simpliciter revocata, sed manet virtualiter, et continuatur per omnes actiones externas itineris electas ad occidendum, et continuatur etiam quasi formaliter per easdem intentiones, quas repetit. Sicut etiam contingeret, si per spatium unius diei sine interruptione temporis eliceret illas intentiones, unam immediate post aliam ; non propterea committeret tot numero peccata, quot sunt numero intentiones, sed unum tantum numero peccatum, ut quidem faceret, si in prima intentione formaliter persisteret absque interruptione actus. In ordine quippe ad prudentem æstimationem perinde est, quod per spatium unius horæ maneat unus, idem actus odii : et quod continuetur idem odium per actus plures sibi immediate succedentes. Unde magis confirmatur doctrina num. præced. tradita de distinctione numerica peccatorum, non secundum regulas Metaphysicæ, sed secundum prudentem æstimationem : in exemplis enim præmissis tot sunt malitiæ, et peccata metaphysice loquendo, quot sunt actus ; tamen moraliter moralitate sumpta per ordinem ad prudens judicium non datur nisi unum numero peccatum.

79. His prælibatis regredimur ad eam assertionis partem, quæ docet non solum species peccatorum, sed etiam eorum numerum intra quamlibet speciem debere in confessione explicari. Et ratio constat ex dictis in genere pro assertione. Legitima vero hujus partis sensus patet etiam ex immediate dictis, nempe numerum peccatorum non esse computandum per comensurationem ad actus, qui denominantur peccata, sed per ordinem ad objecta completa, in quibus voluntas sistit, et quæ talia censentur juxta prudentem æstimationem. Hinc quantum ad praxim plura deduci queunt consectaria, quæ tradita doctrinam magis fulciunt. Nam qui tribus vulneribus occidit unum hominem, satis facit huic confitendi obligationi dicendo unum homicidium fecisse : nam per plures physice actiones unum tantum peccatum fecit. Qui vero una percussione tres interfecit, debet confiteri patrasse tria homicidia : nam una physica actione tria peccata homicidii commisit. Et similia quilibet ex similibus facile colliget, et satis nobis est unum, aut aliud attingere. Colligitur etiam ulterius sacerdotem conscium peccati mortalis, qui successive ministrat multis sacramentum Eucharistiæ, non committere nisi unum numero peccatum mortale, non teneri subinde aliud explicare in confessione : quia licet actiones fuerint physice plures juxta communicantium numerum, nihilominus moraliter sunt unum numero peccatum propter successionem, et unitem convivii. Et sic sentiunt Sotus in 4, d. 18, quæst. 1, art. 4, Cajetanus, 1, 2, quæ. 72, art. 6, Medina, Rodriguez, Diana, alii, quos sequens refert Leander disp. quæst.

quæst. 19. Et consequenter talis sacerdos in confessione satisfacit, si dicat se administrasse Eucharistiam in peccato mortali, quamvis non exprimat numerum personarum, quibus illam ministravit.

Idem colligit prædictus Leander quæst. seq. dicendum esse de sacerdote conscio peccati mortalis, qui successive plures confessiones excipit, ut paritatis ratio convincere videtur : quia omnes illæ auditiones, et absolutiones, ubi successive, et absque notabili interruptione fiunt, reputantur moraliter pro uno peccato. Et pro eadem sententia refert Dianam, Lugum, Rodriguez, et Fagundez. Sed istud consectarium non probamus, nec legitime deduci censemus. Quare oppositum affirmandum est, nempe sacerdotem, qui in statu peccati mortalis ministrat sacramentum pœnitentiæ, tot peccata mortalia committere, quot excipit confessiones. Et ita sentiunt Candidus, disquisit. 24, art. 22, dub. 7, Castro Palao, Vasquium sequens, et referens tom. 1, tract. 2, disp. 3, punct. 3, Sylvester, Suarez, Azor, et Bonacina, quos refert, et sequitur Delgadillo, cap. 17, dub. 55, Philibertus, Magala, et Malfesius apud Leandrum loco cit. Motivum est : quia licet actus sint ejusdem speciei, et sibi immediate, vel absque notabili mora succedant, nihilominus ad eorum multiplicationem multiplicantur peccata, quoties quilibet eorum actum habet definitum, aut determinatum terminum, quo posito consummatur, et completur ; sed hujus generis est administratio sacramenti pœnitentiæ : ergo tot peccata mortalia committit sacerdos illa in peccato ministrans, quod conficit sacramenta. Major constat exemplo homicidii, furti, fornicationis, etc., nam quoties repetuntur hi actus, quamvis successive, et absque notabili mora, toties committitur novum, et distinctum numero peccatum mortale : et oppositum dicere foret intolerabiliserror contra communem tam Doctorum sententiam, quam fidelium sensum, et praxim. Cujus non aptior, nec urgentior ratio assignari valet, quam prædictos actus, et eorum malitiam habere certum terminum, quo posito consummantur, et per accidens omnino est, quod alius actus, et malitia ejusdem rationis succedant : sicut homicidium penitus terminatur, ac consummatur inferendo injuste proximo mortem, et prorsus accidit homicidam immediate se extendere ad alterius necem. Minor etiam patet : nam actus administrandi sacramentum pœnitentiæ habet certum, ac definitum terminum, nempe absolutionem, et ea posita essentialiter consummatur, non minus quam homicidium in injusta morte proximi. Et hinc patet motivum contrariæ sententiæ ob satis manifestam disparitatem : nam ubi plures accedunt ad unum sacerdotem, qui eis Eucharistiam ministret, reputantur per modum unius : et ideo administratio Eucharistiæ in nullo eorum consummatur, usque ad ultimum perveniat : et consequenter omnes illæ administrationis partes sunt una completa administratio ejusdem convivii, et unum numero, ubi indigne fit, administrationis peccatum. Oppositum autem contingit in absolutionibus : nam in earum qualibet finitur, et consummatur administratio sacramenti absque ullo respectu, et subordinatione ad aliam. Addunt quidam aliam differentiæ rationem, quod sacerdos Eucharistiam ministrans non conficit sacramentum, sed factum supponit : et consequenter non efficit gratiam in suscipiente, nec proinde eget gratia, ut Eucharistiam ministret : unde, sicut sine gratia existens non peccat illam ministrando uni, ita non multiplicat ipsam ministrando multis. Sacerdos autem absolvens vere efficit sacramentum, et producit gratiam in pœnitente : et propterea debet esse in gratia, ut congruenter ad gratiæ productionem concurrat : atque ideo, sicut peccat mortaliter in prima absolutione, sic multiplicat numero peccata, dum absolutiones multiplicat. Quæ disparitas facilis est, ubi supponitur non requiri statum gratiæ pro Eucharistiæ administratione. Sed suppositioni non acquiescimus ob magnam indecentiam in re gravissima, quam apprehendimus in eo, quod sacerdos conscius peccati mortalis sacram Eucharistiam dispenset. Si enim sancta sancte tractanda sunt, quanto magis istud inter sancta Sanctissimum ? Præsertim ab eo, qui non solum pro conficiendo, sed etiam pro ministrando ex officio Eucharistiam, accipit specialem characterem.

Disparitas quædam

80. Hæc exempla, aliis omissis sufficit attigisse ad declarandum, qualiter numerus accipi debeat in recensendis peccatis

Aliquorum sententia.

ejusdem speciei, et in ordine ad confessionem. Sed tamen pro majori hujus considerationis complemento addendum est aliquos ex antiquioribus sensisse, quod pœnitenti sufficit dicere numerum peccatorum generatim, et in confuso, v. g. dicere, sæpius peccavi furando, sæpius pejerando, etc. Et movebantur, quod recensere omnes actus in individuo est difficillimum, et moraliter impossibile: aliunde vero non occurrit præceptum expresse præcipiens tam dearticulatam peccatorum distinctionem: denique nec ex institutione confessionis colligitur; quippe distinctio numerica peccatorum est accidentalis, atque ideo non multum variat confessarii judicium in ordine, vel ad satisfactionem, vel ad medicinam. Ita nonnulli canonistæ apud Delgadillum, disp. 17, dub. 51 et nominatim archidiaconus relatus a Navarro in cap. *Consideret*, de pœnitent., num. 42. Angelus verbo *Confessio* 1, num. 23 et Sylvester verbo *Confessio* 1, num. 11 ut refert Suarez disp. 22, sect. 5, num. 1 dixit rem esse incertam. Sed Silvester eo loco nihil de hac re dicit: et verbo *Confessio* 2, num. 12 oppositum prorsus statuit.

Archidiaconus. Angel.

Conclusio.

Quidquid autem de horum, aut aliorum sententia fuerit, certissimum est pœnitentem debere manifestare in qualibet specie numerum certum, et determinatum peccatorum, si potest, et oppositum non est probabile. Nam Concilium Lateranense, et Florentinum statuerunt omnia peccata confitenda esse: ly autem *omnia* distribuit non solum pro omnibus peccatorum speciebus, sed etiam pro individuis. Concilium vero Tridentinum num. 71 relatum rem magis adhuc expressim addendo *sigillatim*, significavit enim hac voce confessionem debere esse de singulis peccatis, atque ideo de peccatis in individuo. Quorum decretorum sensus magis confirmantur communi obedientia, et praxi fidelium confitentium sua peccata in individuo. Et sic docuerunt D. Augustinus, lib. de vera, et falsa pœnitent. cap. 14. D. Thom., opusc. 12, quæst. 6 in fine, suffragantibus communiter aliis doctoribus, Suario, et Navarro locis relatis, Petro, et Dominico de Soto, et Cano, quos refert, et sequitur Henriquez, lib. 5, cap. 5, num. 9, Filliucius, Villalobos, et Bonacina, quibus relatis subscribit Leander, disp. 5, quæst. 6 et alii communiter. Nec motiva pro parte contraria quidquam probant qui non affirmamus obligari pœnitentem absolute ad manifestandum omnia peccata in individuo, sed solum, quæ potest, ut statim magis declarabimus. De præcepto autem confitendi singula constat ex Conciliis Lateran., Florent. et Trident. De institutione etiam constat, cum non limitetur ad solas peccatorum species. Denique pro prudenti confessarii judicio multum refert peccatorum in individuo, et certo numero confessio: quia ut recte vidit Suarez ubi supra magis variari solet ex multitudine peccatorum in eadem specie, quam ex specifica aliquorum diversitate. Pro quo tamen non requiritur, quod singula intra eandem speciem peccata seorsim, et per se successive declarentur, ut quidam scrupulose colligere, aut imaginari posset ex illo verbo *sigillatim*, quo utitur Tridentinum: id enim æque molestum, et superfluum foret: sed sufficit, quod cuncta ejusdem speciei peccata sub uno numero, ac voce comprehendat, dicendo v. g. se bis pejerasse, decies blasphemasse, aut quinque vicibus proximum infamasse, ut optime docet Cajetanus verbo *Confessio* in sexto præcepto, et loquuntur omnes communiter, patetque ex communi usu fidelium confitentium, nisi idiotæ nimis non sint, quia non aliter se norunt explicare, quam referendo integras ab ultima confessione suorum eventuum historias cum pari confessarii molestia, quam temporis jactura.

D. Aug. D. Thom. Suar. Navarr. Petrus, et Domin. de Soto. Cano. Henriq. Filliuc. Villaloh. Bonacin.

81. Diximus pœnitentem debere confiteri peccatorum numerum *certum, si potest*, hoc est finitum, ac determinatum, quantum fieri valet, ut denotaremus id aliquando, et respectu aliquorum esse moraliter, aut etiam physice impossibile. In quo casu sufficit dicere numerum probabilem, plus, minusve, ut si dicat, decies pejeravi, plus minusve, ut docet communis sententia, et relatis Sylvestro, Soto, Ledesma, Nugno, Sylvio, Toleto, Suario, Villalobos, Bonacina, et aliis statuit N. Franciscus, cap. 8, punct. 1, num. 3. Et iidem doctores communiter observant, quod si pœnitens postea deprehendat certum, et determinatum numerum, v. g. undecies pejerasse, non tenetur illud undecimum, aut etiam duodecimum de novo confiteri. Cui additamento (quamvis in eo aliquam difficultatem recognoscamus desumptam ab exemplo tam

peccati

ccati inculpabiliter obliti, quod, si in moriam postea veniat, tenemur confi- i : tum peccati dubii, et confessi ut talis, quo, si postea certo constet, illud ut tum confiteri debemus), absolute sub- sibimus. Et movemur principaliter tam mmuni doctorum ita sentientium aucto- rate, quam communi usu fidelium ita confitentium, atque gerentium. Præser- n cum eo modo recensentur peccata, out sunt in conscientia juxta doctrinam identini : et aliunde unum, aut duo pec- a sufficienter comprehensa, significata, confessa videntur ab eo, qui dicit se pe- asse decies, plus, minusve, juxta com- nem apud homines modum explicandi merum rerum salva veritate.

Nec obsunt illa in contrarium exempla : m peccatum invincibiliter oblitum non t subjectum, saltem directe, clavibus lesiæ : unde oportet subdi per distinc- n confessionem, ubi occurrit memoriæ. us autem contingit in præsenti casu, di undecimum, et duodecimum peccatum nprehenduntur, et confitentur sub illa mula : Decies peccavi plus, minusve. nilis est disparitas circa peccatum du- m : unusquisque enim debet confiteri ccata mortalia, prout illa habet in con- entia ; quare illud, quod prius in con- entia erat sub dubio, et ita fuit in con- sione expositum, si postea incipiat esse conscientia certum, debet iterum in nfessione tamquam certum, ut vere est, nifestari. Quod motivum in nostro casu um non habet : nam qui dixit : Peccavi ies, plus minusve, ibi ut certa compre- ndit undecimum, et duodecimum, pec- um, licet sub illa confusa disjunctione : ia non potuit finitum, et determinatum merum explicare : unde licet postea to recognoscat fuisse paulo majorem, nen recognoscit hunc etiam fuisse in ea nfitendi formula comprehensum, et se inde non obligari ad illum iterum ex- nendum. Sed de exemplis in contrarium positis fusius dicemus, dub. 6 per to- n, et § 4.

Hic vero statim pulsat animum difficul- : in discernendo, quomodo regulari de- at excessus, aut defectus per ordinem ad jorem, vel minorem numerum pecca- um in confessione expositum, ut com- hensus intelligatur in illis verbis, plus, minusve? Sed etiam decidere non valemus: quia nulla certa regula nobis occurrit ad id diffiniendum, sed relinquendum putamus prudentiæ regulis attendendo ad omnia, quæ in singulari occurrunt, et nequeunt ita in actu signato proponi. Quod alii etiam observarunt apud N. Franciscum loco citato. Satis nobis fuerit dicere, quod, si verum est eum, qui confitetur se decies pejerasse, plus, minusve, comprehendere sub ea loquendi formula saltem duo peccata ultra decem expresse cognita, et confessa : et propterea licet postea cognoscat fuisse undecim, aut duodecim, non teneri ad hæc duo confitendum, ut admisimus, et explicuimus : si id, inquam, verum est, non absimilis regula assumi valet ad discurrendum in similibus : nam eandem proportionem habent quatuor ad viginti, quam duo ad decem; quare, si in confessione decem peccatorum cum addito plus, minusve, cadunt, comprehenduntur quoque duo alia postea cognita ; pariter in confessione viginti peccatorum cadent, atque comprehendentur quatuor alia postea occurrentia. Et sic de aliis ita ut pro majori numero peccatorum in confessione expositorum addita illa formula, plus, minusve, possit esse major numerus peccatorum, quæ ibi inclusa prudenter intelliguntur, et quæ consequenter opus non sit iterum confiteri.

82. Sed quid dicendum, ubi nec certus, nec probabilis peccatorum numerus assignari valet ob eorum quasi innumerabilem multitudinem, frequentiam, et diu turno tempore continuationem? Respondetur adhuc in isto casu debere pœnitentem explicare numerum peccatorum, si non certum, aut probabilem, saltem conjecturalem, et meliori modo, quo possit : nam præceptum confessionis, quantum est ex se, obligat ad confitendum peccata in individuo, sive numerum peccatorum : et ideo pro ejus in hoc sensu adimpletione satagendum est. Unde pœnitens recogitare secum debet, quanto tempore fuerit in statu peccati mortalis, quanta peccata plus, minusve committebat singulis diebus, aut saltem hebdomadibus, aut mensibus : et eodem modo debet manifestare suum statum, et multitudinem peccatorum in confessione. Et idem a fortiori dicendum est de speciebus peccatorum, quæ facilius re-

vocari in memoriam possunt, ut si fuerint perjuria, furta, pollutiones, etc. Et sic docet communis in hac parte sententia, pro qua plures auctores referunt N. Francis-
Francis. cus ubi supra num. 3 et Leander disp. cit. quæst. 11. Quod si pœnitens vel isto modo nequeat (quod raro continget concurrente confessarii directione) suorum peccatorum multitudinem declarare; explicare saltem debet tempus, in quo frequentissime peccavit, et consuetudinem peccandi, et animi præparationem ad peccandum oblata occasione, dicendo v. g. se per tres annos habuisse consuetudinem jurandi frequenter falsum, vel loquendi turpia cum sociis, vel concupiscendi, quascumque fœminas videret, vel surripiendi aliena,
Cajet, Victor. Sotus, Domin. Cano, Toletus. Navarr. quoties posset, etc. Et ita resolvunt graves auctores Cajetanus, tom. 1 Opuscul. tract. 5, quæst. 3, Victoria, num. 178, Petrus de Soto lect. 9 de Confessione, Dominicus in 4, dist. 18, quæst. 2, art. 4, Cano de Pœnit., part. 5, § *Colligo tamen*, Toletus, lib. 3, cap. 7, num. 2, Navarrus in cap. *Consideret* de Pœnit. dist. 5, num. 43 et in Manuali, cap. 6, num. 15, et alii. Generale vero fundamentum pro his magnis, et inveteratis peccatoribus videtur esse, quod nec liberi sunt ab obligatione confessionis, nec ejus remedio privandi, ne in manifestam abducantur desperationem salutis : aliunde vero non aliter sua peccata exponere valent, ut supponitur, quam dicendo consuetudinem, et frequentiam peccandi in hac, aut illa materia per tot menses, aut annos; ergo eorum confessiones prædicto modo factæ excipi, admittique debent tanquam validæ, et pro qualitate pœnitentium sufficientes, ut confessionis præcepto satisfaciant. Hinc colligunt relati auctores sufficere publicæ meretrici, cum convertitur, si dicat : Mansi in lupanari per decem annos, admittens cunctos, ad id parata. Concubinario, si dicat : Habui concubinam per tres annos, qua tanquam uxore usus fui. Sacerdoti non recitanti, si dicat : Per integrum annum omisi officium divinum. E sic de aliis, ut ultra relatos docent Bonacina, disp. 5, quæst. 5, sect. 2, punct. 2,
Bonac. Lugo. Granad. Delgad. § 3, Lug., disp. 16, n. 575, Granados, tract. 9, disp. 10, n. 7 et 8, Delgadillo, c. 17. q. 59 et alii apud istos.

Qui communiter circa hæc observant primo meretrices, et similes personas, licet nequeant explicare numerum peccatorum, sed solam peccandi consuetudinem, et frequentiam peccandi per tantum tempus; debere exponere, an admiserint conjugatos, aut voto castitatis obstrictos, aut sibi consanguineos intra gradum prohibitum, aut personas inter se magna cognatione conjunctas, ut patrem, et filium; et sic de aliis. Ista enim facilius ab illis recognosci, et exponi queunt ob notabiles deformitatum, atque specierum differentias. Et multo magis explicare possunt, et debent, an peccaverint cum fœditatibus contra naturam. Observant secundo similes personas facilius explicare posse actus externos, quam interiores, et effectus, quam actualia peccata : quia illi notiores sunt : isti vero sunt in similibus adeo frequentes, et quasi continui, ut impossibile illis sit eos recencere. Unde illis sufficit, si dixerint ea sæpissime, et quasi continuo desiderasse turpia, et lucrum ex infami exercitio, ut notarunt Vasquez quæst. 91, art. 1, dub. 5, et Lugo ubi proxime. Observant tertio confessarium in his casibus, et cum similibus personis non debere scrupulose, aut prolixe procedere, nimis illas cogendo, ut explicent peccatorum numerum, nam facilius errabunt in hoc per excessum, aut defectum, quam in declarando tempus, et consuetudinem : præsertim cum per hoc medium habeat confessor tantam notitiam de pœnitentis statu, quantam posset hic exhibere per longiorem narrationem, et turpitudinum repræsentationem; quæ quantum fieri potest, vitari debent pro cavendo utriusque periculo.

§ IV.

Ratio distinguendi circumstantias mutantes speciem, et illas confitendi.

83. Pervenimus ad ea, quæ tertio loco assignantur explicanda necessario in confessione, nimirum circumstantias mutantes speciem. Pro quo oportet rudi saltem Minerva exponere, quid his vocibus significetur : diffusior namque illarum notitia pertinet per se ad 1, 2, D. Thomæ, ubi illam ex professo tradidimus in tract. de Bonitate, et malit. fere per tot. et præsertim disp. 4, dub. 1 et 2, et in comment. ad art. 11, quæst. 18. Ex ibidem autem dictis hic brevite

reviter colligemus, quæ videntur præcise ecessaria ad considerationem præsentem. ; ut a nomine ordiamur, circumstantia gnificat, quidquid aliud ita attingit, et rcumstat, quod absolute sit extra ipsum, in rebus corporeis apparet. Hinc exten- im vocabulum ad moralia denotat illa cidentia, sive conditiones, quæ cum sint tra essentiam actus humani, ipsum nihi- minus tangunt, et afficiunt, quatenus im- rtant convenientiam, aut disconvenien- am secundum rationem respectu talis actus ordine morali. Debent autem hujusmodi cidentia, ut circumstantiæ sint, manere tra moralitatem essentialem sive pri- ariam talis actus, et ad hujusmodi con- ptum non pertinere. Et hinc provenit, uod nec objectum specificans, nec causa fficiens, et alia, a quibus essentia moralis ctus dependet, sint ejus circumstantiæ : rovenit etiam quasdam rationes commu- es, quæ in omni actu reperiuntur, non osse circumstantias proprie appellari, uti mparantur ad actum moraliter malum obedientia, ingratitudo, etc. et ideo so- nt dici circumstantiæ communes, sive in mni peccato repertæ, et in ejus vocabulo bsque alia additione, aut explicatione mprehensæ. Particulares autem, et pro- riæ revocantur ad septem, quæ illo vul- ari versiculo recensentur, *Quis, quid, ubi, uibus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando :* am *quis* denotat circumstantiam personæ perantis, ut quod sit laicus, aut sacerdos. *uid* circumstantiam objecti, aut effectus, t in materia furti, quod sit magna, aut arva. *Quibus auxiliis* denotat circumstan- iam mediorum, aut instrumentorum, ut n materia homicidii, quod fuerit factum nse, aut veneno, etc. et sic de aliis, ut ex licendis num. 108 magis constabit.

Porro omnem actum moralem sive in- ernum, sive externum habere aliquam bonitatem, vel malitiam ex circumstantiis statuit D. Thom. 1, 2, quæst. 18. art. 3 et , et quæst. 2, de Malo art. 5, et alibi fre- quenter, idque probat exemplo naturalium : nam in ordine entitativo omnis substantia ultra perfectionem essentialem habet aliam ex accidentibus ejusdem ordinis : ergo in ordine morali omnis actus humanus ultra bonitatem, aut malitiam, quam habet ex objecto primario, habet aliquam aliam ac- cidentalem ex circumstantiis : id enim paritatis ratio convincere videtur. Præser- tim, quia, sicut in physicis cognoscimus per experientiam non dari substantiam sine aliquibus accidentibus, vel propriis, vel communibus : ita non minus evidenter experimur nullum dari actum moralem, qui præter suam moralem speciem non habeat aliquas circumstantias accidentales, utputa esse intensam, aut remissam ; du- rare longo tempore aut brevi ; fieri in loco sacro, aut prophano, et sic de aliis, quæ prolixum esset referre, licet non pauca proponamus num. 109. Sed quod pro om- nibus scire magis refert, est hujusmodi circumstantias dividi in eas, quæ mutant, aut variant speciem actus moralis ; et in alias, quæ aliam speciem non afferunt, sed illam quam in operatione supponunt, præ- cise augent, aut diminuunt intra suam li- neam. Quam divisionem aperte supponit Concil. Tridentinum in testimonio relato num. 71, docentque communiter Theologi, et nominative eorum Princeps 1, 2, quæst. 18, art. 10 et 11, ubi tradit hanc divisio- nem, et simul explicat proprias rationes membrorum dividentium. Illas namque circumstantias vocat mutantes speciem, quæ important specialem convenientiam, aut disconvenientiam cum ratione : illas vero appellat non mutantes speciem, quæ novam hanc specialem convenientiam, vel disconvientiam non afferunt, sed quam alias in actu supponunt, augent, aut dimi- nuunt, quia ad eandem pertinent per mo- dum augmenti, aut decrementi. Unde art. 10, ad 3, ait : « Dicendum, quod non om- « nis circumstantia constituit actum mo- D. Tho. « ralem in aliqua specie boni, vel mali ; « cum non quælibet circumstantia impor- « tet aliquam consonantiam, aut disso- « nantiam ad rationem. Unde non oportet, « licet sint multæ circumstantiæ unius « actus, quod unus actus sit in pluribus « speciebus. Licet etiam non sit inconve- « niens, quod unus actus moralis sit in « pluribus speciebus moris, etiam dispara- « tis, ut dictum est ; » nempe in corp. ar- ticuli, ubi allatis exemplis conclusit : « Et « per hunc modum quandocumque aliqua « circumstantia respicit specialem ordi- « nem rationis vel pro, vel contra; oportet, « quod circumstantia det speciem actui « morali de bono, vel malo. » Ex quibus verbis desumitur manifesta ratio prædictæ

distinctionis, et propriarum rationum membrorum ejus : nam cum moralitas ut sic desumatur per ordinem ad rationem ; ubicumque est diversus, et specialis ordo ad rationem *pro* vel *contra*, ibi oportet esse distinctam speciem moralitatis : sed multoties contingit, quod præter ordinem ad rationem importatum in attingentia objecti, vel etiam ad finem operantis, adveniat ex aliis capitibus nempe ex circumstantiis alius diversus, et specialis ordo ad rationem *pro* vel *contra* : ergo tunc datur ex circumstantiis moralitas specie diversa ; et consequenter tunc circumstantiæ conferunt actui moralitatem specie distinctam, et merito dicuntur circumstantiæ mutantes speciem. Eo vel maxime, quod circumstantiæ augentes, et non dantes speciem supponunt speciem, quam augent : ergo e converso, quæ talem speciem non præsupponunt, non sunt dumtaxat augentes bonitatem, aut malitiam, sed etiam dantes speciem.

Id vero aptius exemplis, et ipsa praxi, quam in actu signato explicari potest. Sed tamen non inepta regula assignari valet ad id in communi discernendum, nempe attendere, an actus ratione circumstantiæ incipiat pertinere ad distinctam virtutem, aut vitium : nam cum hæc distinguantur per suos actus, opus est, ut quidquid superveniens transfert actum de uno habitu ad alium, addat actui distinctam moralitatis speciem. Si vero de uno in alium non transfert habitum, non addet speciem, sed solum augebit, aut diminuet intra illam, quam in actu præsupponit. Verbi causa, ut unum, et aliud magis innotescat : actus furandi ex specie sua solum est contra justitiam ; sed si fiat in loco sacro, incipit esse contra Religionem : signum ergo est hanc loci sacri circumstantiam addere supra speciem furti aliam sacrilegii, quæ non supponebatur, et speciem variat. Similiter actus carnalis cum non sua est in specie luxuriæ : sed si sit uxor alterius pertinet ad speciem injustitiæ : unde manifestum est hanc mulieris conjugatæ circumstantiam addere supra speciem incontinentiæ, aliam injustitiæ, quæ in priori non includebatur, et mutat speciem. E contra vero solet circumstantia non transferre actum de uno in aliud vitium, et tunc speciem non addit, nec variat, sed modum ponit in præexistenti : sicut quod actus surripiendi aliena continuetur per unam horam, non facit, quod actus pertineat ad alium vitium, quippe quod ex vi hujus assignari non valet : atque ideo solum intra speciem furti, quam supponit, addit augmentum : est itaque illa duratio circumstantia non mutans speciem, sed solum aggravans, sive augens malitiam intra eandem speciem. Similiter quod res turpis ametur, et desideretur pertinet ad speciem luxuriæ : sed quod hujusmodi amor, et desiderium habeant magnam intentionem, non transfert illa ad distinctum vitium, nec addit supra illam, quam afficit, ac supponit : et consequenter non est circumstantia varians speciem, sed aggravans tantum.

84. Et hæc sufficere videntur, ut lector in genere discernat inter circumstantias mutantes speciem, et circumstantias, quæ solum augent, aut diminuunt malitiam intra speciem, quam supponunt. Ex eis vero constat, quam rationabilis sit Catholicorum sententia, et quam merito docuerit Concil. Tridentinum sess. 14, cap. 5 : « Colligitur præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, « quæ speciem peccati mutant : » et quam juxta diffinierit ibi can. 7 : « Si quis dixerit « in sacramento pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse « jure divino confiteri... et circumstantias, « quæ peccati speciem mutant... anathema « sit. » Quoniam omnia ea, quæ vere, et proprie sunt peccata mortalia, manifestari debent in confessione sacramentali, ut late contra hæreticos ostendimus dub. 1, sed ubi circumstantiæ speciem mutant, dantur vere, et proprie peccata non minus distincta, quam ipsæ circumstantiæ, ut proxime explicuimus : ergo necessarium est explicare in confessione circumstantias mutantes speciem : aliter enim peccata ipsis correspondentia manifestari non possent.

Confirmatur primo : nam opus est confiteri peccata numero distincta, ut patet ex dictis § præced. ergo et quamlibet circumstantiam mutantem speciem. Probatur consequentia : tum quia major distinctio est inter speciem actus moralis, et speciem circumstantiæ, quam inter individua ejusdem speciei, ut patet comparando duo furta ejusdem rationis, et comparando furtum

tum cum specie sacrilegii ex circumstantia loci ob furti patrationem in loco sacro : ergo si illa individua confiteri debent, pariter atque a fortiori circumstantia speciem mutans. Tunc etiam, quia major malitia solet reperiri in uno actu morali cum circumstantia mutante speciem, quam in duobus peccati individuis intra eandem speciem, ut patet in præmissa comparatione : nemo quippe negabit gravius peccare, qui furatur uno actu unum aureum ex loco sacro, quam qui duobus furtis surripit eandem quantitatem ex loco prophano : ergo sicut hæc duo furta confiteri debet, sic et illud cum circumstantia sacrilegii. Confirmatur secundo : nam inde colligitur necessitas ex jure divino confidenti species, et individua, sive numerum peccatorum, quia confessio fit sacerdoti tanquam judici, qui judicare recte non valet absque substantiali totius causæ cognitione ; et eidem etiam ut medico fit, qui congruentem medicinam consulere nequit sine accurata morbi notitia. Hæc autem motiva pariter occurrunt in circumstantiis peccatorum speciem addentibus, ac variantibus : quippe eo ipso occurrunt delicta, et infirmitates diversæ rationis, quæ distinctam pœnam, diversumque remedium exposcunt, ut satis ex se liquet : ergo sicut jure divino requiritur confessio omnium peccatorum in specie, et numero, sic etiam, et cunctarum circumstantiarum mutantium speciem.

85. Pro complemento hujus dubii, in quo de materia necessaria confessionis in genere agimus, duæ quæstiunculæ etiam in genere addendæ sunt. Prima : utrum qui commisit unum peccatum habens plures species malitiæ, (utputa unam ex objecto, aliam ex fine operantis, aliam ex circumstantia, ut contingit in illo, qui furatur quantitatem notabilem ex loco sacro ad mæchandum : qui actus ex objecto est in specie injustitiæ, ex fine operantis in fine luxuriæ, et ex circumstatia loci in specie sacrilegii) satisfaciat dicendo diversis vicibus, semel furatus sum, semel habui intentionem mæchandi, semel commisi sacrilegium, sive magnam irreverentiam in locum sacrum ? Secunda, an pœnitens teneatur confiteri illa peccata, qnæ jam sunt nota confessario extra confessionem ? Ut si confessarius vidisset Petrum occidisse hominem, et Petrus peteret a confessario absolutionem ab eo, quod scit.

Respondetur ad primum, quod, si ea divisio fieret ex intentione variandi notabiliter judicium confessoris, ex hoc ipso argueretur defectus doloris debiti in pœnitente, aut veri propositi, ac perinde nullitas confessionis, quæ, ut sæpius diximus, ordinatur ad hoc, ut confessarius possit recte judicare, et curare pœnitentem : contra quod agit dolosa illa intentione, atque artificio se gerens. Sed hoc accidentali inconveniente excluso, negandum non est, quod satisfaciat. Et sic etiam censent Delgadillo, cap. 17, quæst. 50, et Navarrus ab eo relatus. Quoniam re ipsa explicat omnes species peccatorum, quas in illo actu contraxit : et furtum recte explicari valet absque aliis speciebus, et species intentionis turpis sine furto, et sic de aliis. Idque ex eo confirmari valet, quod si confitens furtum oblitus inculpabiliter fuisset hujus, aut alterius speciei superadditæ, non teneretur in alia confessione furtum repetere, sed satis suæ obligationi faceret confitendo per se illam, vel sacrilegii, vel luxuriæ speciem, quam per oblivionem omiserat, ut omnes communiter admittunt : signum ergo est illas esse de se pro confessione separabiles, et non repugnare casum, in quo scienter separantur ex justa causa, sicut separantur excusante invincibili oblivione. Ad secundum, prout proponitur, respondetur negative : quia non sufficit, quod confessarius sciat alias peccata pœnitentis ; sed insuper debet scire, quod illa subjicit clavibus Ecclesiæ per confessionem, et accusationem, et propositum emendationis : aliter namque absolvens temere operaretur, ut satis ex se liquet, et aliis relatis resolvit Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 2, punct. 2, § 3, numer. 10. Sed si pœnitens diceret : « Accuso me de peccato, quod scis, « aut vidisti me fecisse, » satis explicaret se illud peccatum confiteri, et de eo dolere in ordine ad sacramentum : unde sine majori explicatione posset absolvi, ut docent Navarrus, in cap. *Consideret* de Pœnit. dist. 5, num. 5, Suarez disp. 22, sect. 6, num. 5, et alii communiter.

Delgad.

Bonacin.

DUBIUM IV.

An circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem sint necessario explicandæ in confessione ?

Observatio prima. 86. Quæ sint hæ circumstantiæ, constat ex immediate dictis : sic enim vocantur, quia non addunt actui, et malitiæ, quam præsupponunt, aliam specie diversam. Sed animadvertere oportet, quod licet circumstantia non variet speciem ex parte objecti, potest nihilominus adeo augere, aut diminuere ex parte malitiæ formalis, ut actum transferat non de specie in speciem, sed de genere in genus, et eo amplius : sic enim comparantur furtum rei levis, et furtum rei gravis : habent enim objectum ejusdem speciei, nempe rem alienam, sed tamen, quia unum illud attingit in re levi, aliud in re gravi, unum est peccatum veniale, aliud mortale. Et cum tanta aggravatio, aut diminutio contingit, in comperto apud omnes est debere hujusmodi circumstantiam explicari : sicut quod mortale est materia necessaria confessionis,

Secunda. secus veniale. Et eadem certitudine supponendum est, quod si peccatum ob aliquam circumstantiam notabiliter aggravantem intra eandem speciem habet aliquam censuram annexam, vel est casus reservatus : id explicandum esse in confessione, ut prius confessarius expediat, si potest pœnitentem a censuris, et ne se extendat ad absolvendum a peccato, quod superiori ju-

Tertia. risdictioni reservatum est. Pariter supponi debet dari aliquas circumstantias ita notabiliter aggravantes intra eandem speciem, ut fere semper secum afferant multiplicationem individualem peccatorum intra eandem speciem, ut frequenter contingit in peccatis internis, v. g. in odio proximi, in desiderio fornicandi, et in similibus affectibus longo tempore durantibus : raro enim contingit, quod idem numero actus interior toto eo tempore perseveret, sed variis ex causis non semel interrumpitur : et sic consurgunt plura numero peccata, quot scilicet sunt actus intra eam durationem de novo incipientes, ut constat ex dictis dub. præced. § 3 et præsertim num. 78. Et in similibus casibus opus est confiteri illam circumstantiam magnæ durationis : nam quidquid fuerit de obligatione manifestandi circumstantias notabiliter aggravantes (de qua statim) hic occurrit necessitas confitendi peccata numero distincta intra eandem speciem meliori modo, quo fieri possit; et in manifestatione internorum non aptior occurrit, quam explicare tempus, in quo affectus mortaliter peccaminosus permansit, ut loco citato explicuimus.

His suppositis, quæ sunt accidentalia, et communiter recipiuntur, proposita difficultas revocatur ad circumstantias præcise aggravantes notabiliter intra eandem speciem consideratas per se, id est, separatas ab aliis conditionibus sibi accidentalibus, v. g. censurarum reservationis, multiplicationis individualis peccatorum, et similibus. An scilicet in hoc ipso, quod circumstantia addat notabiliter malitiam supra speciem, quam afficit, et supponit, debeat ultra peccatum talis speciei in confessione explicari. Et non oportet in hoc dubio descendere ad particularem considerationem distinguendi, an istæ, aut illæ circumstantiæ mutent speciem, an vero illam tantum aggravent intra speciem : id namque ad alios tractatus spectat juxta qualitatem materiarum, v. g. justitiæ, religionis, luxuriæ, etc., de quibus alibi sermo fit : et illa trahere ad præsentem difficultatem, foret in hanc reducere majorem partem theologiæ praticæ cum insuperabili confusione. Unde errant, qui ut unam, aut alteram partem oppugnent, in medium vocant circumstantias, de quibus controvertitur, apud auctores, num mutent speciem, aut solum augeant : et cum disputandum sit, utrum quæ præcise aggravant, confiteri debeant, aut non ? Totus ardor, clamorque belli in eo ponitur, quod mutant, aut non mutant speciem ; et post acrem circa istud pugnam, intactum relinquitur, quod debuit controverti, an scilicet ex suppositione (quæ sufficit in genere, et conditionate præmitti), quod aliqua circumstantia non addat novam malitiæ speciem, sed præsuppositam notabiliter augeat, sit necessario explicanda in confessione : sic ergo procedendum nobis est. Occurrunt autem circa id duæ sententiæ extreme oppositæ, adeo graves, verisimiles, et doctissimis patronis suffultæ, ut vix possimus procedere, et suspenso pede jam in unam, jam in alteram propendamus : præsertim cum non cernamus Thomistas una

una sub acie unitos, (ad quod frequenter attendimus, ne ab omnium duce, Angelico Doctore et ductore recedamus), sed in phalanges divisos acriter inter se pugnare. Unde in animo habuimus nullis accedere, ne ullum haberemus adversum ; sed cum his et illis sentire utramque partem problematice sustinendo. Ceterum quia id nec veritati indagandæ, nec stylo nostro congruit, ubi eligendum deductus est

§ I.

Præfertur sententia negans.

87. Dicendum est, quod licet possimus laudabiliter circumstantias notabiliter intra eandem speciem aggravantes in confessione explicare, sicut et peccata venialia ; ad id tamen non tenemur, sed omittere, aut subjicere citra omnem culpam, sicut, et venialia valemus. Prima assertionis pars est manifesta : quia ex una parte nihil prohibet nos illas circumstantias confiteri, sicut et peccata venialia : et ex alia illarum manifestatio multo conferret ad majorem humiliationem nostram, et confusionem, et ad explicatiorem nostræ conscientiæ manifestationem, ut confessarius magis accurate nos judicet, puniat et instruat. Unde hanc assertionis partem nemo non concedit : sed tota controversia est circa secundam. Eam vero statuimus non ob aliquod motivum metaphysicum, ac demonstrativum, sed ob non pauca prudentialia, et satis efficacia pro qualitate materiæ, quæ nos ad eam prosequendam urgent, et suo ordine proponemus. Primum sit auctoritas D. Thomæ, quem pro hac parte stare evidenter censemus, et a cujus sententia sic cognita non nisi violenter, et contra reverentiam, quam ipsi profitemur, recedere valemus. Igitur in 4 dist. 16, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 5, inquirit, utrum omnis circumstantia peccati sit confitenda, resolvit in hunc modum : « Ad « quintam quæstionem dicendum, quod « omnes circumstantias confiteri est im- « possibile : quasdam autem confiteri est « de necessitate salutis. Sed in hoc est « differentia opinionis. Quidam enim di- « cunt, quod omnes circumstantiæ, quæ « aliquam notabilem quantitatem peccato « addunt, confiteri, necessitatis est, si me- « moriæ occurrat. Alii vero dicunt, quod « non sint de necessitate confitendæ, nisi « circumstantiæ, quæ ad illud genus pec- « cati trahunt. Et hoc probabilius est. » In quo loco manifestum est primam opinionem fuisse illam, quam modo impugnamus, nempe omnes circumstantias, quæ peccato addunt aliquam notabilem malitiæ quantitatem, ut profecto sunt circumstantiæ notabiliter aggravantes, debere in confessione explicari. Secunda vero id negavit generaliter de omnibus circumstantiis addentibus notabilem aliquam quantitatem peccato, sub quibus comprehenditur circumstantia notabiliter intra eandem speciem aggravans ; sed eam confitendi necessitatem præcise recognovit in solis circumstantiis, quæ actum peccaminosum transferunt in aliud genus, sive essentiam peccati, ut sunt omnes, et solæ illæ, quæ mutant, et addunt speciem. Collatis itaque his opinionibus resolvit S. Doctor secundam esse probabiliorem. Et hæc est ipsa, quam statuimus, et tuemur sententia.

Hujus testimonii vires duplici via diminuere, et eludere conati sunt aliqui ex adversariis. Nam quidam, et nominatim Joannes a Cruce, quæst. 3 de Pœnit. dub. 5, conclus. 2 in fin. respondent D. Thomam agere de circumstantiis non multum, sed parum aggravantibus, ut colligi videtur ex eo, quod ibi meminit peccatorum venialium quibus certum est non aggravari notabiliter culpam. Alii autem respondent dubitandum non esse, quod in scriptis super sententias docuerit D. Thomas nostram assertionem : sed mutaturum hanc sententiam, si illam versaret in Summa theologiæ, quam absolvere non potuit.

Evasio prima. Joann

Evasio secunda.

88. Sed utraque expositio est multum debilis, et facile confutatur. Prima, quidem, nam D. Thomas expresse agit de circumstantiis, « quæ aliquam notabilem « quantitatem peccato addunt, » ut sunt formalia ejus verba : sed circumstantiæ, quæ partim aggravant, non addunt peccato notabilem quantitatem, ut ex ipsis terminis liquet : ergo ejus resolutio, quatenus dicit secundam sententiam esse probabiliorem, minime limitatur ad circumstantias parum aggravantes, sed complectitur omnes, quæ non variant speciem peccati. Et plane indignum erat tanto Doctori in

Repellitur Evasio 1.

dubium revocare, et ex professo discutere, utrum omnes circumstantiæ vel parum, vel multum aggravantes deberent explicari in confessione ; quippe in nullius mentem venerat obligationem adeo universalem defendere. Unde ipse D. Thomas hanc certam suppositionem ab ipso resolutionis initio præmisit illis verbis : « Dicendum quod « omnes circumstantias confiteri est im- « possibile ; quasdam autem confiteri est « de necessitate salutis. » Erat ergo ille sermo non de omnibus circumstantiis utcumque aggravantibus, sed de aggravantibus notabiliter. Et respondet probabilius esse non omnes debere confiteri ; sed solas eas, « quæ ad aliud genus peccati trahunt, » hoc est ad importantes diversam essentialiter malitiam. Ubi ergo stat fundamentum ad imaginandam restrictionem ad levem aggravationem, qualem important peccata venialia, quorum meminit ? Sed talis imaginatio non aptius refelletur, et falsitatis convincetur, quam transcribendo, et continuando integrum S. Doctoris locum. « Et
D. Tho. « hoc, *inquit*, probabilius est. Sed addendum est, quæ ad aliam speciem mortalis « trahunt. Cujus ratio est, quod venialia « non sunt de necessitate confessionis, sed « solum mortalia, quæ quantitatem infinitam quodammodo habent. Et quia circumstantiæ aggravantes, quæ aliam speciem peccato non tribuunt, vel quæ « tribuunt quidem, sed non mortalis peccati, non sunt de necessitate confessionis. Ita tamen eadem confiteri perfectionis est : sicut et de venialibus dictum « est. » Illum ergo integer locus sensum habet, quod sententia secunda asserebat non esse de necessitate confiteri omnem circumstantiam notabiliter aggravantem, « nisi ad aliud genus peccati trahat, » v. g. de genere injustitiæ ad genus luxuriæ, aut e contrà. Sed quia S. Doctor optime prævidit posse contingere, quod non solum intra idem genus, sed intra eandem etiam peccati speciem, posset peccatum trahi de veniali in mortale, ut patet in furto parvæ quantitatis, et furto magnæ quantitatis, quæ sunt ejusdem generis, et speciei essentialis, et tamen habent quasi infinitam distantiam : propterea consultissime supra exceptionem adhibitam a secunda, et probabiliori sententia : « Nisi circumstantia « ad aliud genus peccati trahat, » ipse aliam subjunxit dicens : « Sed addendum « est quæ ad aliam speciem mortalis tra- « hunt. » His autem exceptis, generaliter approbavit secundam sententiam, statuens conclusionem : « Circumstantiæ aggravan- « tes, quæ aliam speciem peccato non tri- « buunt, vel quæ tribuunt quidem, sed non « mortalis peccati, non sunt de necessi- « tate confessionis. » Unde liquet contrariam expositionem limitantem ad solas circumstantias parum aggravantes esse evidenter voluntariam, et Doctoris menti contrariam. Quod amplius patet ex resp. ad 2, ubi ait : « Dicendum quod determinata quantitas « peccati non potest sacerdoti innotescere, « quia nec ipse peccator scit : unde suffi- « cit, quod sciat quantitatem, quæ ex spe- « cie peccati consurgit. » Alia ergo quantitas peccati non importans speciem, sed solius speciei augmentum, sumatur sive ab intensione, sive a majori duratione actus, sive a majori cognitione, libertate, et ingratitudine agentis, (quæ omnia sunt intra eandem speciem circumstantiæ) non debet necessario in confessione manifestari.

Secundus modus exponendi D. Thomam Rejici
est ridiculus, et divinatorius : nam si tur
certo constat, ut concedit, ipsam nostram evasi
assertionem, docuisse in testimonio relato; unde certo constat, quod aliter docuerat in Summa? Id plane nisi supposito Dei decreto, quod nos latet, non est scibile nec a nobis : quin secluso decreto nec a Deo ipso, nisi per scientiam mediam, id est nullo modo. Plane imprudentis animi foret relinquere certum pro incerto, sola in propriam opinionem affectione conjecturabili. Præsertim cum S. Doctor non solum in testimonio relato, sed in aliis etiam locis, et temporibus id ipsum asseruerit, nullibi id retractans, vel oppositum insinuans. Nam in scripto ad Annibaldum, dist. 16, quæst. unica, art. 3, ait : « Circumstantia, D. Th
« quæ novam rationem peccati mortalis « addit, de necessitate est confitenda ; alia « autem non. Et in responsione ad 5 : « Si Idem
« talis circumstantia non trahit in aliud « genus mortalis, non est confitenda. » Et in opusc. 12 ad Lectorem Bisuntinum art. 6, de hac difficultate consultus respondit : « Circumstantias vero aggravantes, quæ in « aliud genus peccati non trahunt, non « tenetur homo confiteri, sicut nec venia-

lia

« lia ; licet laudabile sit, quod ea homo « confiteatur... Igitur hujusmodi circumstantias aggravantes, quæ non trahunt in « aliud genus peccati, non credo, quod « aliquis teneatur confiteri. » Cum ergo S. Doctor hanc difficultatem tam multoties attigerit, tam alte comprehenderit, et tam diserte resolverit ; cur non parvifieri, et contemni debet recursus ad retractationem in statu conditionato præsentis temporis ? Sed quod Ecclesiæ decretum sit, novave novorum theologorum demonstratio occurret, quæ D. Thomam ab asserta deterreret sententia, aut in adversam ire obligaret ? Stare ergo illi oportet, quam esse expressam illius sententiam, ubicumque materiam pertractat, affirmat Prado (licet nobis non penitus cohærens, ut ex dicendis apparebit), in scriptis S. Doctoris versatissimus in tract. de Confess. quæst. 2, dub. 2, § 2, num. 6 in principio, et 7 in fine. Unde non semel admirati sumus graves aliquos Thomistas, ut Gonet in hac materia, disp. 10, art. 3, Labat, disp. 2, dub. 3, conclus. 2 et quosdam alios controversiam hanc versantes, et contrariam nobis opinionem tuentes, non sibi opposuisse hanc S. Doctoris sententiam, eamque, utcumque possent, explicuisse. Verum modo admirationem deponimus attendentes ad eorum evidentiam, et illorum discipulorum reverentiam, quod noluerint eis aperte refragari, sed velut furtim capesserint aliam viam.

89. Secundum motivum, ob quod propositam assertionem amplectimur, consistit in multitudine, et auctoritate gravium Doctorum, qui pro ea pugnant, et utroque excessu attento præferri debent contrariis. Nam cum in re morali, et ex magna parte prudentiali versemur, recta ratio dictat, ut cum eis sentiamus, qui plures sunt numero : et non inferiores doctrina. Sic ergo docent S. Albertus Magnus in 4 dist. 16, art. 24, D. Antoninus 3 p. titul. 14, cap. 9, § 7, Paludanus in 4, dist. 16, quæst. 3, art. 3, Viguerius in Instit., cap. 26, § 4, vers. 17, Turrecrem. de Pœnit. 5, can. 1, num. 11, Sylvester verb. *Confessio*, quæst. 9, et verbo *Circumstantia*, num. 2 et 3, Tabiena, verbo *Circumstantia*, num. 6 et 8, Zanardus in direct. Theolog., part. 1 de Sacram. Pœnit., quæst. 18, Prado loco cit. Idem etiam docent D. Bonaventura in 4, dist. 17, quæst. ult., Scotus ibi quæst. 1, art. 2, Duardus dist. 16, proposit. 23, Herrera in 2 disp. 31, quæst. 7, corollario 3, post. 2, regulam. Angelus, verbo *Confessio* 1, num. 13, Corduba in Summa, quæst. 3, Martinus a S. Joseph. lib. 1, tract. 9, num. 5, Pitigianus, Faber et Hortiz, quos refert, et sequitur Delgadillo, cap. 17, dub. 64 ibi numer. 138 hanc esse propriam Scoti sententiam, adductis ejus testimoniis. Idem præterea docent Durandus in 4 dist. 16, quæst. 4, Gabriel ibi quæst. 1, Carthusianus quæst. 2, Almain quæst. 1, art. 2, Adrianus quæst. 4 de Confess. art. 2, Joannes de Medina, Cod. de Confess. quæst. 7, Navarrus, de Pœnit., cap. 6, numer. 7, Covarruvias in 4 Decret., part. 1, col. 1, numer. 12, Joannes Sanct.. disp. 11, num. 6, Diana 1 p. tract. 7, resol. 1 et 3 p. tract. 4, resol. 67 et 5 p. tr. 14, resol. 65, Kellisonus in suppl. quæst. 9, art. 2, dub. 2, Bonacina, quæst. 5, sect. 2, punct. 2, § 3, difficult. 3, proposit. 2, Aversa, quæst. 10, sect. 8, Leander, disp. 8, quæst. 4, Emmanuel a Concept., disp. 3, quæst. 9, Acatius de Velasco, resolut. 186. Idem ulterius docent Valentia, tom. 4, disp. 7, quæst. 11, punct. 1, Vasquez, quæst. 91, art. 3, dub. 2 et 3, Reginaldus, lib. 6, cap. 5, num. 135, Lessius, lib. 4, cap. 3, dub. 12, Turrianus, quæst. 9, art. 2, Castro Palao disp. unica, punct. 9, Lugo, disp. 6, sect. 3, Dicastillo, disp. 9, dub. 3, Sfortia, lib. de Pœnit., num. 309, Martin Perez, disp. 27, sect. 3, Toletus, Granados, et alii, quibus relatis subscribit Tirsus, tom. 3, disp. 41, sect. 1, num. 1 et 4. Denique ex nostris idem docent Gabriel a S. Vincentio, de Pœnit., disp. 8, sect. 5, Antonius a Spiritu Sancto, disp. 7, dub. 2, num. 350, Franciscus a Jesu-Maria, cap. 8, punct. 2, num. 23.

Faber, Hortiz, Delgad. Durand. Gabriel. Cartus. Almain. Adrian. Medina. Navarr. Covarr. Sanctius, Diana, Kellison. Bonacin. Aversa, Leand. Emman. Acacius, Valent. Vasquez, Reginal. Lessius, Turrian. Palao, Lugo, Dicast. Sfortia, Mart. Tolet. Gran. Gabriel. Anton. Francis. a Jesu-Maria. Villalob.

Quicumque vero consideraverit, quam plures, et quam graves auctores hanc partem tueantur, recognoscet assertionem nostram ab hac parte magnum habere subsidium : incredibile enim apparet tot, et principiis adeo diversis imbutos, in ea propugnanda convenisse, nisi in solido inniteretur fundamento. Unde non immerito Villalobos (licet eidem contrarius), tract. 9, dub. 36 observavit : si quis sequi voluerit opinionem nostræ conclusioni contrariam, illum damnare non vale-

mus, cum ipsa tantis protegatur patronis.

Tertium Motivum.

90. Tertium motivum est : quoniam, cum confiteri circumstantias notabiliter aggravantes sit onus admodum grave, non debemus nos censere sub obligatione illas confitendi constitutos, nisi certo constet de lege nos obligante ad illarum confessionem : lex namque in dubio legis latæ non obligat, ut cum Sanchez, Tapia, Arauxo, Suarez, et aliis tradit N. Andreas, tract. 11 de legibus, cap. 2, punct. 6, num. 110. Sed non certo constat de lege, quæ obliget ad confitendum circumstantias notabiliter aggravantes : ergo non debemus nos censere constitutos sub obligatione confitendi prædictas circumstantias. Cetera constant. Et minor suadetur : nam in primis non constat certo de tali obligatione per Sacram Scripturam ; quippe in ea non reperimus verbum, aut mentionem circumstantiarum notabiliter aggravantium. Nec constat ex traditione Ecclesiæ ; cum videamus plurimos, et gravissimos Doctores proxime relatos tenere contrarium. Nec denique constat ex ulla diffinitione Ecclesiæ : siquidem vel in Concilio Tridentino congregata, ubi maxima distinctione, et claritate explicuit attinentia ad istud sacramentum, et peccata necessario in confessione manifestanda ; nihilominus non statuit harum circumstantiarum confessionem. Hæc vero sunt præcipua, ex quibus, vel eorum aliquo posset certo constare de lege nos obligante ad eas confitendas : ergo non constat de lege ad id obligante.

Sanch. Tapia Araux. Suarez. Andreas.

Confirmatio

Confirmatur : nam tantum abest, quod Ecclesia id docuerit, ut potius constet docuisse contrarium : hoc igitur, et non illud primum tenere oportet. Consequentia patet. Et antecedens suadetur ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 5, de Confessione, quo loco ex professo docet, quæ peccata debeamus confiteri. Et in primis infert ex institutione Christi debere confiteri omnia mortalia. « Et hic, *inquit*, col-
« ligitur oportere a pœnitente omnia pec-
« cata mortalia... in confessione recenseri,
« etiam si occultissima illa sint. » Pergit, et ex eadem institutione deducit debere confiteri omnes circumstantias mutantes speciem. « Colligitur præterea, *subjungit*,
« etiam eas circumstantias in confessione
« explicandas esse, quæ speciem peccati
« mutant. » Et quid de circumstantia notabiliter intra speciem aggravantibus colligitur ? Nihil apud Concilium, sed altum silentium. Unde ad diffiniendum de materia, sive de peccatis in confessione necessario exponendis accedens, statuit can. 7 :
« Si quis dixerit in sacramento pœnitentiæ
« ad remissionem peccatorum, necessa-
« rium non esse jure divino confiteri
« omnia, et singula peccata mortalia... et
« circumstantias, quæ peccati speciem mu-
« tant... anathema sit. » Sed circumstantiarum notabiliter intra speciem aggravantium nec meminit, nec de illis aliquid diffinivit : ergo Ecclesia non solum non asseruit obligationem confitendi prædictas circumstantias, quin potius significavit oppositum. Eo vel maxime, quod cum in cap. cit. statuisset obligationem confitendi omnia mortalia in specie, et numero, occurrens hæreticorum calumniis adjecit :
« Sed et impium est confessionem, quæ
« hac ratione fieri præcipitur, impossibi-
« lem dicere, aut carnificinam illam cons-
« cientiarum appellare. » Et tunc subjunxit :
« Constat enim nihil aliud in Ecclesia a
« pœnitentibus exigi, » ultra illa scilicet, quæ prius docuerat, confessionem omnium mortalium quantum ad speciem, et numerum, et circumstantias mutantes speciem. Cum ergo circumstantiæ dumtaxat intra speciem aggravantes in præmissis non includantur, satis declarat Ecclesia se circa illas nihil aliud exigere a pœnitentibus. Et quamvis recognoscamus hæc ultima Concilii verba ibi non sistere, sed ultra in hunc modum progredi : « Nihil aliud in
« Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut
« postquam quisque diligentius se excus-
« serit, et conscientiæ suæ sinus omnes,
« et latebras exploraverit, ea peccata con-
« fiteatur, quibus se Dominum suum mor-
« taliter offendisse meminerit ; » et reliqua non occurrentia eadem confessione includi, et absolutione deleri : quæ videtur esse sententia a nostro scopo diversa. Nihilominus idem sensus retinetur, et propositum convincitur : quia dum nihil aliud Ecclesia exigit, quam confessionem omnium in specie, et numero mortalium, quæ memoriæ occurrunt, exclusæ ab ea exigentia sunt omnes circumstantiæ dumtaxat aggravantes : istæ namque nec species, nec individua sunt peccatorum, sed extra illorum numerum, et speciem.

Concil.

91. Commune

91. Commune Adversariorum effugium est Concilium nihil circa hanc controversiam diffinivisse, sed tradidisse doctrinam certam, ac fidelibus necessariam, abstinendo ab incertis quæ jam tunc erant et modo sunt sub opinione Theologorum. Unde nihil subsidii habemus ex Concilio. Præsertim cum argumentum quod ab ejus verbis desumimus, sit mere negativum, et subinde inefficax : ex eo namque, quod Concilium inter ea, quæ debere confiteri docuit, non recensuerit circumstantias intra speciem notabiliter aggravantes ; non sequitur, quod illas a prædicta obligatione excluserit ; sed magis, quod ad unam, et alteram Theologorum opinionem negative se habuerit.

Hæc vero responsio vires præmissi motivi non evacuat, quamvis nec tantas illi deferamus, ut censeamus nostram, et communiorem sententiam fuisse a Concilio diffinitam : alias actum fuisset de opposita quam tamen esse probabilem, et pro praxi ex voluntaria pœnitentium electione commendabilem recognoscimus. Sed hoc præmisso, perstat efficacia prædicti motivi, ut plane evincat nostram sententiam esse non solum communiorem, sed longe probabiliorem contraria. Primo, quia, si res ita se habet, quod Concilium nihil determinavit circa obligationem, aut non obligationem confitendi prædictas circumstantias ; plene conficitur non constare certo de lege ad id obligante, atque ideo posse nos prudenter, et rationabiliter censere non obligatos ad earum confessionem : quia lex non obligat, ubi non certo constat de lege, ut supra vidimus.

Secundo, quia Adversarii (seclusa Ecclesiæ diffinitione, aut declaratione,) nequeunt aliud hujusmodi obligationem depromere, quam ex verbis Christi istud sacramentum instituentis, vel ex confessionis natura juxta suam institutionem : hac autem omnia non magis latuerunt Concilium Tridentinum, quam hos Auctores ; quinimo ut par est credere, major longe lux, et assistentia Spiritus Sancti adfuit Concilio, quam omnibus, et singulis patronis partis contrariæ : ergo, si Patres Concilii attendentes ad Christi verba, et sacramenti naturam, atque institutionem, non viderunt talem obligationem, nec illam ex eis principiis deduxerunt : manifestum videtur illam non dari, nec ex eis principiis inferri ; quantumvis Adversarii conentur illam fundare, et ex eis haurire. Porro Patres ad institutionem sacramenti, et vim verborum Christi attendisse, ut inde colligerent, quæ peccata deberent a pœnitente in confessione exponi, constat evidenter ex capite citato : nam ab ejus initio præmittit Concilium, qualiter Christus instituerit pœnitentiæ sacramentum constituendo sacerdotes sui vicarios cum potestate solvendi a peccatis, et illa retinendi, atque injungendi pœnas convenientes. Et mox subjungit : *Ex his colligitur* omnia mortalia in specie, et numero debere in confessione recenseri. Et paulo post addit : *Colligitur præterea* debere in confessione explicari illas circumstantias, quæ mutant speciem. Sed ulterius non posuit aliud *colligitur* erga circumstantias notabiliter aggravantes, quin alto silentio illas prætermissas involvit : quod faciens haud obscure significavit necessariam illarum confessionem non colligi vel ex verbis Christi, vel ex institutione hujus sacramenti. Unde Adversarios convenimus, et inquirimus, an Concilium intellexerit eam deductionem, quam ipsi expendunt, aut non ? Si eligant hoc posterius ; signum est illam non esse legitimam ; siquidem Concilium illa principia attendens, eam minime observavit. Si autem amplectantur primum ; sequitur Concilium aut per invidiam, aut per summam socordiam tam diminute processise, ut obligationem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, quam cognovit ex institutione sacramenti, et verbis Christi deduci, omnino suppresserit ; et nobis, qui ea opus habemus, non manifestarit, cum deberet, et facile posset. Unde consequens fit nostros in hoc puncto Adversarios vel melius comprehendere verba Christi, et institutionem sacramenti, horumque legitima consectaria, quam Concilium ; cum ex eis colligant obligationem, quam illud non collegit ; vel majorem charitatem, ac providentiam præ Concilio erga nos habuisse ; siquidem nos monent de obligatione, quam illud prorsus prætermisit, ac suppressit. Horum autem nemo Catholicorum audebit dicere.

Tertio. Tertio, et ultimo ; quia falsum est argumentum nostrum e Concilio desumptum esse pure negativum, et Concilium mere

negative se habuisse quantum ad circumstantias notabiliter aggravantes : cum enim cap. 14, dixit circumstantias confitendas esse, expressit omnino se loqui de circumstantiis, « quæ speciem peccati mu- « tant. » Et eadem veritatem diffiniens can. 7 eandem clausulam, sive conditionem adjecit: « Et circumstantias, quæ pec- « cati speciem mutant. » Qua limitatione tam accurate posita, et repetita non obscure exclusit alias omnes circumstantias, quæ non mutant speciem peccati. Unde neque Concilium negative se habuit ad aggravantes intra eandem speciem, nec argumentum ab eo desumptum mere negativum est ; sed magna ex parte probat positive intentum. Nam, ut recte vidit Lugo loco cit. num. 108, aliud est nihil dicere, quod ad argumentum mere negativum pertinet : aliud vero, quod agendo de circumstantiis, limitetur semper, et positive sententia ad illas tantum, quæ mutant speciem : sic enim procedendo quasi contrarie, et positive excluduntur aliæ quæ non sunt ejusmodi. Quemadmodum ubicumque agitur de necessitate confitendi peccata assignantur semper mortalia ; et ex hoc ipso censentur exclusa venialia. Et si diceretur posse peccata reservari, adjiciendo semper externa, aut cum externis connexa ; inde convinceretur non posse reservari interna omnino peccata. Semper namque hujusmodi limitationes tam expresse positæ, et inculcatæ circa unam partem, habent in doctrinalibus vim excludendi partem contrariam, in qua talis determinatio non reperitur.

Quartum fundamentum.

92. Quartum motivum est, quod contraria sententia pararet innumerabiles scrupulos, et anxietates satis perplexas, ac insuperabiles in fidelibus : ergo præsumendum est, quod sit falsa. Consequentia suadetur : nam cum confiteri omnia mortalia in specie, et numero sit de se satis onerosum ; et pro humana fragilitate difficile ; non oportet illi superaddere alia minimis aggravantia, atque scrupulis, et perplexitatibus turbantia fidelium conscientias: ergo præsumere debemus falsam esse opinionem, quæ parit similia. Antecedens autem probatur : nam augmentum malitiæ in actu peccaminoso crescit non solum ex objecto minus, aut magis extenso, quod attingit, sed etiam ex majori intentione, continuatione, delectatione, cognitione, et libertate, quibus actus fit ? atque ideo pœnitens deberet ad hæc omnia attendere, et notabile peccati augmentum, ex quocumque relatorum capitum desumeretur, in confessione explicare. Ad eum plane modum, quo Adversarii docent explicandam esse quantitatem rei ablatæ, ubi notabilis est : furtum namque centum aureorum, inquiunt illi, æquivalet multis furtis minorum quantitatum. Sic etiam odium proximi intensum ut decem, aut continuatum per unam horam, æquivalet duobus actibus odii intensi ut quinque, aut durantis per semihoram. Et sic de delectatione, cognitione, et majori libertate, quæ actum comitari solent, ejusque aggravare malitiam. Hæc itaque omnia deberent fideles attente considerare, et pandere in confessione, si in ea circumstantiæ malitiam notabiliter aggravantes explicandæ sint. Sed hoc dato, qualis scaturigo aperitur scrupulorum, et anxietatum in his discernendis ? Quis non idiotarum, sed vel doctorum, et consummate sapientium sciet, vel audebit determinare illum gradum vel intensionis, vel continuationis, ad quem, si perveniat actus peccaminosus, induit circumstantiam notabiliter aggravantem ; secus si ante illum sistat ? Et quamvis id signate, et quasi speculative cognosceret ; quis discernit in actu exercito, num ad illum gradum pervenerit, vel ante illum cessaverit? Et quod de intensione, et continuatione dicimus, facile applicari queunt delectationi, et libertati, et similibus, quibus operatio elicitur. Quam certam regulam, fixumve pondus, aut a Deo, aut ab Ecclesia habemus, ut vel signate, vel practice cognoscamus gradum, infra quem malitia aggravans non est notabilis, illum vero attingens notabilis fit ? Hæc plane sunt impracticabilia, aptaque non aliud quam scrupulos, et perplexitates gignere : ut subinde prudenter judicemus sententiam ad hæc perducentem veram non esse, nec admittendam. Quod exemplo non absimili magis explicare valemus : dubium enim apud antiquiores fuit, an, ut dolor de peccatis foret vera contritio, deberet certum aliquem, vel intensionis, vel durationis gradum habere. Et communis hoc tempore sententia negat, quia non est assignabilis talis gradus : et

propterea

propterea ad discernendum qualitatem doloris extra, vel intra sacramentum pro justificatione requisiti, attendimus ad objectum formale, a quo species operationis desumitur, prætermissa consideratione ad intensionis, et extensionis, aut durationis gradum, qui ægre, aut nullo modo cognositur, ut ex professo ostendimus disp. præced. dub. 2. Sic ergo in præsenti cum debita proportione dicendum est : nam species peccatorum haud obscure dignoscuntur ex objectis, et vel apud idiotas per oppositionem ad Decalogi, et Ecclesiæ præcepta ; sed cognoscere gradum determinatum, in quo circumstantia intra eandem speciem incipit esse notabiliter aggravans, est quoddam morale impossibile, seminarium autem scrupulorum.

Confirmatur : nam si daretur obligatio confitendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, etiam daretur obligatio manifestandi circumstantias notabiliter alleviantes, sive diminuentes intra eandem speciem : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur tum a paritate : tum ex eo, quod Adversarii fundant obligationem confitendi aggravantes in obligatione manifestandi statum pœnitentis, ut confessarius attentis omnibus de illa judicet et imponat satisfactionem malitiæ peccatorum proportionatam adhibeatque alia opportuna pro salute pœnitentis remedia ; ne defectu prædictæ notitiæ circa ullum istorum erret, ut magis, constabit ex argumentis contrariæ opinionis, quæ ad hæc præsertim capita revocantur. Hoc autem motivum pariformiter occurrit in circumstantiis notabiliter diminuentibus ; siquidem ab earum notitia multum dependet accurata cognitio status pœnitentis : ut confessarius possit eam prudenter dirigere, et congruam, atque non superexcedentem pœnitentiam imponere, ut satis ex se liquet, et magis constabit exemplis proxime adducendis : si ergo tenemur confiteri circumstantias notabiliter aggravantes; pariter obligamur exponere alias, quæ malitiam specificam peccati notabiliter diminuant. Falsitas vero consequentis ostenditur primo : quia talis modus confitendi diminuendo malitiam peccati non est apud fideles in usu, ut testatur Lugo loco citato : signum ergo est non dari obligationem manifestandi circumstantias notabiliter alleviantes intra eandem speciem. Secundo, quia consequenter explicari deberet circumstantia minimæ intensionis, durationis, et delectationis in actu peccaminoso, hæc quippe notabiliter diminuit, sicut opposita circumstantia notabiliter aggravat, et debet juxta Adversarios in confessione manifestari : atque ideo deberet pœnitens dicere se commisisse unum actum, v. g. fornicationis, sed summe remissum, et brevissimo tempore, et cum minima delectatione, si res ita se habuit : sicut juxta Adversarios deberet exponere oppositas circumstantias, quæ vel intensione, vel continuatione, vel delectatione nimis malitiam augerent : talem autem modum confitendi quis non reputabit absurdum, et minus decens, et multis inconvenientibus obnoxium ? Similiter manifestum est gravem metum, vehementem solicitationem, et auctoritatem inducentis multum notabiliter diminuere de malitia peccati, sicut notum est, quod diminuat de voluntario : unde fœmina quæ his impulsa consensit, poterit, quin debebit confiteri se post magnas solicitationes, minas, et promissa peccasse cum Rege, aut domino. Pariter, qui adulterum cum uxore deprehensum occidit, non satisfaciet in confessione dicendo homicidium a se factum ; sed debebit exponere, quod fecerit provocatus injuria illa gravissima sibi illata : hæc quippe, ejusque dolor multum notabiliter diminuit gravitatem commissi homicidii, ut patet ex prudentum judicio in foro externo. Porro hæc admittere, aut potius ad ista obligare absurdum apparet minime concedendum. Tertio, quia, si res ita se habet, ut Adversarii docent, opus erit in confessione pro explicandis circumstantiis notabiliter aggravantibus, et notabiliter diminuentibus, longissimas texere historias, et eventuum narrationes, ut perpensis cunctis hinc inde circumstantiis, quæ occurrerunt, dignoscatur notabile malitiæ augmentum, aut decrementum intra speciem peccati : plerumque enim id judicium fieri non valet sine accurata, et prolixa totius facti relatione, ut experientia liquet. Istas autem moras, et historiarum narrationes in sacramento trahere, ac introducere alienum videtur ab ejus gravitate, nec immune omnino a

periculis dicendi, et sciendi plus, quam oportet.

93. Non expendimus alia motiva, quia præmissa videntur sufficere, illa præsertim simul in unum sub hac forma colligendo : nam cum versemur in re gravi, et de se onerosa, non debemus illam sub obligatione asserere, et fidelibus imponere absque urgenti fundamento. Illud autem non occurrit : non quidem ex præcepto ; siquidem de illo certo non constat, ut num. 90 expendimus ; quin potius major pars Doctorum, et inter eos Angelicus, negant tale præceptum, ut liquet ex dictis num. 87 et 89. Nec id fundari valet in institutione, et natura sacramenti pœnitentiæ ; cum Concilium Tridentinum illas alte considerans nihil tale collegerit, sed solam obligationem confitendi omnia mortalia in specie, et numero, et quantum ad circumstantias mutantes speciem, ut ostensum est num. 91. Nec tandem fundari potest in communi conditione circumstantiarum notabiliter intra eandem speciem aggravantium : nam evidens, aut fere evidens est dari aliquas ejusmodi circumstantias, quas non tenemur, nec moraliter possumus confiteri, ut liquet ex num. præced. Ergo non datur illa generalis obligatio, quam inducit opinio contraria, confitendi circumstantias notabiliter aggravantes, etsi non mutent speciem. Idque magis constabit occurrendo illius argumentis : quod in similibus difficultatibus est non infimum probationis genus : nam ad asserentem, vel inducentem aliquam obligationem pertinet illam probare ; quod, si non faciat, vincitur, et pro libertate merito sententia fertur.

Animadversio. Sed priusquam id præstemus animadvertere oportet assertionem nostram procedere per se loquendo, et attenta necessitate, qua ex vi præcepti confessionis in eadem manifestari debent : in quo sensu, (qui in hac difficultate est legitimus, et propriissimus), negamus obligationem confitendi circumstantias non mutantes speciem peccati, quamvis notabiliter aggravent nempe ex hoc præcise quod sint notabiliter aggravantes. Ceterum non negamus, quod alias, et aliis capitibus, quæ possunt accidentaliter occurrere, opus sit illas aliquando confiteri, aut confessario de illis rationabiliter interroganti, aut inquirenti manifestare. Sed id potius, vel ab ipso dub limine insinuavimus, idque recte, et di fusius tradit Prado loco cit. num. 14, co clus. 3. Et ratio est manifesta : nam illu in confessione debet manifestari, quo no cognito, nequit adhiberi congruus modu satisfaciendi, et præcavendi peccata : ter dit enim in hunc finem sacramentali confessio ex ipsa Christi institutione : con tingit autem non semel hæc officia præsta non posse, nisi pœnitens explicet aliquar circumstantiam notabiliter aggravante intra speciem peccati, quod confitetur, u facile declarari, et convinci potest exempli Nam in primis reincidentia in peccatum sive consuetudo peccati, v. g. in materi castitatis exponi debet, præsertim inqui rente confessario, ut intelligat, an prove niat ex occasione remota, vel proxima, quamlibet præcidere curet : ad quod sci oportet, an occasio sit in eadem domo, v non, et sic de aliis. Deinde in peccatis eju dem speciei potest unum peccatum ess reservatum, et aliud non, ut contingit i injuria Clerici : nam si fuerit enormis e casus reservatus Papæ, secus si levis : und opus est explicare circumstantiam aggra vantem intra eandem speciem, nemp enormitatem injuriæ, sive injuriam eno mem Clerico illatam, ut confessarius scia quid agere debeat, et an possit privilegi vel alia via ab illo crimine absolvere. De nique idem frequenter contingit in ali injuriis, et infamationibus : nequit enim confessarius prudenter, ut oportet, se ge rere in imponendo condignam satisfactio nem, et procurando modum resarcien injuriam, nisi cognita qualitate person tam injuriantis, quam injuriatæ, quamv harum varia conditio non variet specie peccati : nam hac invariatione non obs tante diverso modo satisfacere debet nobi lis nobili, ac nobilis plebejo, et plebeju nobili, ut est apud homines in comperto quare confessarius errori in his injungen dis exponeretur, quem circumstantia, siv conditiones earum personarum lateren Unde sicut opus est illas a confessari cognosci, sic etiam a pœnitente explicar Quare dubio procul oportet saltem, quo circumstantiæ notabiliter intra eande speciem aggravantes in confessione mani festentur ; non quidem per se, et ex com muni ratione circumstantiarum notabilite

aggravantium

aggravantium; sed contingenter, et ob speciales rationes accidentaliter occurrentes, quæ omnem circumstantiam notabiliter aggravantem minime comitantur, aut consequuntur.

94. Unde excessisse putamus prædictum M. Prado, cum num. 16, concl. 4, statuit parum referre quantum ad praxim, et usum fidelium, quod circumstantiæ notabiliter intra eandem speciem aggravantes, sint per se, aut non materia necessaria confessionis. Censet namque ille, quod etiam in nostra sententia confiteri debeant ob indirectam obligationem sumptam per respectum ad congruam satisfactionem, et remedium peccati, ut proxime explicuimus. Hincque colligit, quod in utraque sententia debent fideles prædictas circumstantias confiteri, et quod oppositum nequit tuta conscientia practicari, nisi cum dicta limitatione. Ceterum, ut diximus, excessit prædictus Auctor, quia illud additum non est limitatio, sed generalis distractio suæ, nostræ, et communioris sententiæ : si enim saltem ob indirectam obligationem, ut ille loquitur, fideles debent omnes circumstantias notabiliter aggravantes confiteri, et nequeunt tuta conscientia oppositum practicare; plane fit oppositam sententiam, quæ illam obligationem in universum adstruit, esse simpliciter veram ; quidquid fuerit de radice talis obligationis : id vero aliter omnino se habere, satis a nobis ostensum est. Deinde inter circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem merito computantur, quæ desumuntur a majori intensione, duratione, libertate, et delectatione peccati : has autem confiteri non tenemur, ut constat ex dictis num. 92. Et istæ sunt, quæ frequentius reperiuntur in peccatis : vix enim ullum peccatum in executione ponitur nudum ab illis, aut illarum aliqua : ergo durum, et inconsequens apparet dicere, quod fideles nequeant tuta conscientia circumstantias notabiliter aggravantes non confiteri : et quod nostra, et communis opinio parum referat ad praxim, et usum fidelium. Præterquam quod asserta prædicti Magistri non videntur inter se cohærere : nam quæ sunt per se, contingunt ut in pluribus, quæ autem per accidens, ut in paucioribus : sed quod non debeamus confiteri circumstantias aggravantes intra eandem speciem, est per se ; quod vero illas debeamus exponere, est indirecte, et per accidens, et utrumque ab illo asseritur : ergo defectus obligationis confitendi prædictas circumstantias est ut in pluribus : obligatio autem illas confitendi est ut in paucioribus : ergo non est universaliter verum teneri in utraque sententia fideles confiteri tales circumstantias, et non posse tuta conscientia oppositum practicari. Sed magis colligendum est contrarium, videlicet per se loquendo, et ut in pluribus non esse obligationem confitendi circumstantias aggravantes, non mutantes speciem, ut in assertione statuimus; indirecte autem, et cum minori frequentia occurrere aliquando obligationem illas confitendi, ut assertionem explicando, ac limitando diximus num. præced.

§ II.

Respondetur motivis contrariæ opinionis.

95. Contrariam nobis sententiam tuentur multi, et graves Auctores, Altisiodorensis in Summa lib. 4, tract. 6, cap. 3, quæst. 3, Alensis 4 part. quæst. 18, memb. 4, art. 3, § 2, Major in 4, dist. 12, quæst. 4, Marsilius art. 1, dub. 1, Cajetanus in Summa, verbo *Confessio*, condit. 15, Victoria num. 177, Petrus de Soto lect. 9, de confess. Dominicus in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 4, concl. 7, Canus de Pœnit. part. 5, § *Sed enim*, Nugnus in addit. quæst. 9, art. 2, dub. 2, concl. 2, Sylvius ibi, dub. 1, Joan. a Cruce part. 2, quæst. 3, dub. 5, concl. 2, Joan. a S. Thom. 1, 2, q. 28, disp. 10, art. 3, Arauxo 3 p. q. 84, art. 5, dub. 3, Gonet disp. 10, art. 3, Labat disp. 2, dub 3, concl. 2, N. Philippus disp. 12, dub. 3, Suarez disp. 22, sect. 3. Sanch. lib. 2, in Decalog. cap. 11, n. 24, Henriquez lib. 11, cap. 7, num. 4, Coninchus disp. 7, dub. 3, Pitigianus in 4, dist. 16, q. 1, art. 5, Villolob. tract. 9, dub. 36, Lastra tom. 1, cap. 1, q. 15, num. 121 et alii apud Leandrum, et N. Franciscum locis relatis n. 89. Unde hæc opinio vel a sola auctoritate Doctorum illam defendentium est valde probabilis, habetque pro se satis verisimilia, motiva, ut constabit illa expendendo. Probatur igitur primo ab auctoritate : nam in Conc. Vormac. can. 25, dicitur : « Pœnitentibus

Altisiod. Alensis. Major. Marsil. Cajet. Victoria Soto Domin. Canus. Nugnus. Joan. a S. Thom. Araux. Gonet. Labat. Philipp. Sanch. Henriq. Coninch. Pitigian. Villalob. Lastra. Argument. 1.

Concil. Vormac.

« secundum differentiam peccatorum sacer-
« dotis arbitrio pœnitentiæ decernuntur.
« Debet ergo sacerdos singulorum causas
« sigillatim considerare originem, mo-
« dumque culparum. » Et similia traduntur in cap. *Consideret* de Pœnit. dist. 5, desumpto ex D. August. in lib. de vera, et falsa pœnit. cap. 14. Hæc autem notitia, quæ ex causis, origine, et modo culparum desumitur pro decernendis prudenter pœnitentiis, haberi non valet, nisi explicentur circumstantiæ undequaque notabiliter aggravantes, mutantes, aut non speciem : ergo necessario explicari debent in confessione.

Confirmat. 1. Confirmatur primo ex Rituali Romano, approbato a Paulo V, in Rub. de Sacram. Pœnitentiæ ait : « Quod si pœnitens nu-
« merum, speciem, et circumstantias ex-
« plicatu necessarias non expresserit,
« sacerdos eum interroget. » Quo loco significatur tria in confessione explicari debere, nempe peccatorum numerum, speciem, et circumstantias : harum autem nomine non significantur circumstantiæ mutantes speciem, cum istæ pertineant ad peccatorum speciem, et sub eo membro comprehensæ fuerint : significantur ergo illæ, quæ speciem quidem non mutant, sed tamen aggravant notabiliter.

Confirmat. 2. Confirmatur secundo, et urgentius ex Concilio Tridentino : nam licet signate, et in particulari non docuerit, nec diffinierit necessitatem confitendi circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem ; nihilominus ea tradidit, ex quibus prædicta necessitas satis aperte colligitur. Unde Suarez loco cit. num. 8, perpendens motiva, et consequentias, quibus Concilium Tridentinum collegit peccata occulta, et circumstantias mutantes speciem debere in confessione explicari, subintulit : « Hæc
« verba æque in his circumstantiis locum
« habent ; » nempe in notabiliter aggravantibus intra speciem. Assumptum itaque probatur : nam in primis Concilium sess. 14, cap. 5, dicens debere confiteri peccata. « etiamsi occultissima illa sint, » id probat, « quia plerumque animum gra-
« vius sauciant, et periculosiora sunt iis,
« quæ in manifesto admittuntur. » Eadem autem ratio militat in circumstantiis intra speciem notabiliter aggravantibus ; afferre namque solent pericula majora, quam aliquæ mutantes speciem : ergo comprehenduntur sub eodem motivo, et subinde confiteri debent. Deinde Concilium loquens in genere de peccatorum confessione, eodem cap. ait : « Necessum est om-
« nium etiam veniam cum aperta, et ve-
« recunda confessione a Deo quærere. » Non est autem aperta confessio, in qua circumstantiæ notabiliter aggravantes studiosa industria occultantur : ergo ut aperta sit, oportet prædictas circumstantias manifestari. Denique, quod caput est, et magis urget, Concilium agens de circumstantiis mutantibus speciem, obligationem illas confitendi, et fundamentum talis obligationis proponit illo capit. his verbis : « Col-
« ligitur præterea etiam eas circumstan-
« tias in confessione explicandas esse, quæ
« speciem peccati mutant, quod sine illis
« peccata ipsa fieri neque a pœnitentibus
« integre exponantur, neque judicibus in-
« notescant, et nequeant, ut de gravitate
« criminum recte censere possint, et pœ-
« nam quam oportet, pro illis, pœnitenti-
« bus imponere. » Hæc autem motiva æqualiter militant in circumstantiis notabiliter aggravantibus intra eandem speciem : quia eis non expressis nec pœnitentes sua peccata integre exponunt, nec judices ea perfecte dignoscunt, ut queant convenientem pro illis pœnam imponere : contingit enim unum mortale notabiliter grave æquivalere duobus, aut multis ejusdem speciei peccatis mortalibus non ita notabiliter gravibus : une in judicio Dei illud unum gravius punitur, quam ista. Et eadem ratione contingere potest, quod unum mortale notabiliter grave, quamvis ex sua specie minus grave sit dignum majori pœna, et graviori a Deo puniatur, quam aliud ex specie sua gravius, sed non adeo grave in circumstantiis intentionis, delectationis, etc. Ergo ne erret sacerdos, dum injungit pœnitentias, quod Tridentinum præcavere voluit, asserendum juxta illius intentionem est teneri pœnitentes ad manifestandum in confessione omnes circumstantias, quibus eorum peccata notabiliter aggravantur. Et hoc ultimum fulciri amplius valet multis testimoniis tam Juris Canonici, quam D. Augustini, in quibus expresse præcipitur, quod pœnitentia imponatur major, aut minor pro gravitate majori, aut minori peccatorum

Concil. Trid.

etiam

etiam intra eandem speciem, ut exempla, quibus id declaratur, ostendunt. Id vero fieri non valet, nisi pœnitens manifestet sacerdoti circumstantias notabiliter aggravantes. Nec sermo in eis locis præcise est, ut quis imaginari posset, de satisfactione imponenda in pœnitentiis publicis, sed etiam in Confessione Sacramentali, ut cognoscet consulens ea testimonia.

96. Ad argumentum respondetur illud testimonium ex Concilio Vormatiensi desumptum solum evincere, quod pœnitens debet sua peccata integre confiteri, ut confessario innotescant : quod præstat confitendo omnia peccata in specie, et numero, et circumstantiis addentibus novam specie malitiam : nam quæ ejusmodi non sunt, non dicuntur proprie peccata, nec peccatorum multitudinem augent, licet augeant malitiam. Monet etiam idem Concilium, ut sacerdos pro injungendis prudenter, et proportionabiliter pœnitentiis, dignoscere satagat causas, et modos culparum : ad quæ non dubitamus pertinere multoties circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, et laudabiliter commendari earum explicationem. Sed tamen per se loquendo earum confessio non est opus debitum ex jure divino pro absoluta confessionis integritate ; sed est opus supererogationis, et consilii pro majori confesssionis perfectione, humilitate pœnitentis, et notitia confessarii. Et res ita olim contingebat, ut ex aliis testimoniis relatis in calce secundæ confirmationis colligitur : at non ex necessitate Sacramenti, sed ex fervore charitatis, illaque orta apud multos fideles praxi : s icut et confiteri venialia, et pro his injungere graves pœnitentias, ut constat ex Decreto Burcardi Episcopi Vormatiensis (unde locus objectus desumptus fuit), lib. 19, cap. 5 ; ibi namque imponitur jejunium decem dierum in pane, et aqua accedenti ad propriam uxorem, ubi constaret eam concepisse. Quod tamen non est mortale, sed ad summum veniale, ut docet communis sententia nisi occurrant talia motiva, ut nec veniale sit. Fiebant ergo, et ordinabantur ex fervore charitatis, et districtioris perfectionis zelo : sed non erant debita jure divino, nec modo obligant, nec valent in argumentum adduci.

Unde ad primam confirmationem possemus respondere illa Ritualis Romani verba non esse præceptiva, sed exhortativa ad manifestandum cum omnimoda claritate, etiam non necessaria, cuncta ad conscientiam spectantia. Sed hac responsione non egemus : nam cum Rituale loquitur *de circumstantiis explicatu necessariis*, intelligendum est de illis, quæ mutant speciem ; non de præcise aggravantibus, quæ in nostra, et communiori sententia non debent necessaria explicari per se loquendo. Si vero indirecte, et per accidens ob peculiare motivum illas confiteri opus sit, *Sacerdos interroget pœnitentem* : quod ad summum ex eo testimonio concluditur. Idque non semel continget pro necessitate disponendi convenientem modum restitutionis faciendæ, vel vitandi imminens aliquod pœnitenti, aut aliis periculum, quod ex peccatorum confessione incipit confessario aliqualiter innotescere, sed nisi explicatis circumstantiis nequit perfecte dijudicari, nec præcaveri, ut oportet. Probatio autem contraria huic confirmationi inserta nihil valet : quia circumstantiæ mutantes, et addentes species satis frequenter distinguuntur contra speciem, et numerum peccatorum, ut evidenter constat ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 5 ; nam primo statuit confiteri debere species, et numerum peccatorum ; deinde non paucis interpositis collegit secundo confitendas necessario esse circumstantias mutantes speciem. Unde ex eo, quod Rituale prius recensuerit speciem, et numerum peccatorum, et post addiderit circumstantias explicatu necessarias ; minime sequitur in prioribus verbis comprehendisse circumstantias mutantes speciem ; et per sequentia significasse solas circumstantias notabiliter aggravantes ; sed tenendum est oppositum, nempe loqui de circumstantiis mutantibus speciem, ut peccatis in specie et numero contrapositis, ut etiam contrapositæ fuerunt in Concil. Trid. loco cit.

Satisfict. 1 confirmat.

97. Ad secundam confirmationem respondetur negando secundam antecedentis, vel assumpti partem : oppositum enim constat satis manifeste ex supradictis num. 90. Unde a Suario, qui huic parti tantas vires detulit, ut relatis verbis Concilii dixerit : « Hæc verba æque in his circums- « tantiis locum habent, » nempe in non variantibus speciem sed aggravantibus no-

Enodatur Confirmat. 2.

tabiliter, inquirendum esset, an propterea sentiret ex doctrina principiisque Tridentini æque certo, et evidenter inferri has circumstantias esse necessario confitendas, an solum probabiliter ? Quamvis nec id ab eo sciscitari oporteat, qui aperte fatetur nostram sententiam esse probabilem, et suam probabilitatis limites excedere. Simili namque interrogationi occurrens loco cit. num. 11, ait : « Respondeo rem ipsam « non esse æque certam, quia non est in « terminis diffinita, ac tradita. Deinde nec « illationes, seu argumentationes sunt « æque certæ : quia certius est sub illa dis- « tributione omnium peccatorum, quæ con- « fitenda sunt, comprehendi species, vel « etiam numerum, quam circumstantias « has aggravantes. » Et rursus post pauca nempe num. 13, fatetur probabilitatem nostræ assertionis. Unde fit primo, oppositum solum probabiliter posse colligi ex Tridentino, non autem necessaria atque efficaci illatione : atque ideo longe aliter se gessisse Concilium in ordine ad has circumstantias, ac in ordine ad illas, quæ mutant speciem ; istæ enim necessario explicari debent in confessione, ut Concilium expresse docuit, ac diffinivit. Fit secundo : Suarium falso asseruisse : « Hæc « verba æque in his circumstantiis locum « habent : » nam si *æque* locum haberent, æquam, aut æqualem inducerent in omnibus circumstantiis tam mutantibus speciem, quam præcise aggravantibus obligationem, et certudinem : quod ille non admittit, neque valet. Fit tertio, prædictum Suarium non immerito notatum fuisse inconsequentiæ, et contradictionis in dictis, a socio Joanne Dicastillo loco cit. num. 185. Non enim ista cohærent, « Illationes, et argumentationes non sunt « æque certæ. » Et « Verba æque in his « circumstantiis locum habent. » Verba enim, si æque probant, æqualem præstant argumentationem : ergo e converso, si argumentatio non est æque certa, nec verba habent æqualem locum.

His tamen relictis, quæ non multum referunt, ad primam illius assumpti, vel antecedentis probationem respondetur integrum locum Concilii ita se habere. Statuit primo confitenda esse *omnia peccata mortalia*, et mox subjunxit : « Etiam si occul- « tissima sint, et tantum adversus duo ul- « tima Decalogi præcepta commissa, quæ « nonnunquam animum gravius sauciant, « et periculosiora sunt iis, quæ in mani- « festo admittuntur. » Unde minus recte transcripsit Suarius, « quia animum gra- « vius sauciant, etc., » quasi Concilium significaverit hanc esse rationem illa confitendi : nam in Concilio non est vox *quia* denotans causalitatem, sed vox *quæ* denotans majus esse periculum in non manifestandis occultis. Minus etiam recte transcripsit Suarius vocem *plerumque*, loco vocabuli *nonnunquam*, quo utitur Concilium ; nam habent significationes longe diversas, et *plerumque* denotat majorem frequentiam, *nonnunquam* autem minorem. Sed his Suario permissis, et quod locus Concilii importet sensum causalem, nihil inde hauriri valet ad promovendum obligationem, quam negamus, confitendi circumstantias intra speciem notabiliter aggravantes. Nam Concilium supponit obligationem confitendi omnia peccata mortalia in specie, et numero, ut immediate statuerat. Hinc vero colligit confitenda etiam esse peccata occulta, sive interna, quamvis non manifestata per actum exteriorem, ut sunt illa, quæ committuntur contra duo ultima Decalogi præcepta. Hacque additione opus habuit Concilium ob aliquos, qui de prædicta obligatione olim et tunc dubitarunt, ut constat ex supradictis a nu. 60. Sed Concilium illa etiam peccata sub obligatione confessionis comprehendit, quia nullam habuit causam excipiendi illa, quippe « quæ nonnunquam animum gra- « vius sauciant, et periculosiora sunt iis, « quæ in manifesto admittuntur. » Solent enim importare malitiam specificam longe majorem, ut patet comparando desiderium mortis proximi cum externa aliqua percussione gravi sine intentione occidendi. Hinc vero nihil concluditur aut a paritate, aut verbis pro circumstantia pure aggravante ; siquidem nec format, nec auget novam speciem, aut numerum peccatorum ; sed omnia in specie, et numero peccata recenseri queunt, illa suppressa.

Ad secundam ejusdem partis probationem fatemur petendam esse omnium peccatorum veniam a Deo cum *aperta confessione*, ut loquitur Tridentinum. Sed cum ipsum Concilium solum diffinierit confiteri debere omnia peccata in specie, et numero,

et

et circumstantiis speciem mutantibus, et non amplius quantum ad necessitatem confitendi collegerit ex verbis Christi istud Sacramentum instituentis : plane consequitur tunc juxta Tridentinum fieri *apertam confessionem*, cum pœnitens exponit omnia sua peccata in specie, et numero, et in circumstantiis mutantibus speciem ; quidquid fuerit pro ejus arbitrio, aut causa speciali occurrente, de manifestatione circumstantiarum intra speciem notabiliter aggravantium. Istæ namque, sicut non pertinent de necessitate ad confessionem, ita nec ad apertam confessionem.

98. Unde ad probationem tertiam, admissa majori, negamus minorem : quia si relata Concilii verba, et motiva in eis expressa æque militarent in circumstantiis intra speciem notabiliter aggravantibus, ac in circumstantiis mutantibus speciem ; fieret tam de fide esse necessitatem confitendi illas, ac confitendi istas : et similiter non minus colligi ex verbis Christi illam, quam istam necessitatem, siquidem, ut probatio intendit, motiva, et verba Concilii æqualiter probant in omnibus, et eisdem accommodantur. Consequens vero est evidenter falsum : nam circumstantias addentes, sive mutantes speciem debere confiteri est de fide, et expresse diffinitum a Concilio ; sed debere confiteri illas, quæ solum intra eandem speciem notabiliter aggravant, nec est de fide, nec diffinitum a Concilio ; quin potius sententia id negans est communior, et probabilior affirmante, ut constat ex hactenus dictis. Rursus Concilium ex Christi verbis, et Sacramenti institutione expresse colligit obligationem confitendi circumstantias mutantes speciem; sed de illis, quæ intra speciem notabiliter aggravant, nec mentionem ullam fecit. Absurdum itaque est, ac plane non prorsus immune ab injuria in Sacram Synodum dicere rationem ab illa assertam pro confessione circumstantiarum mutantium speciem æque militare, atque urgere in notabiliter aggravantibus : inde enim fieret Concilium irrationabiliter, et injuste processisse diffiniendo confessionem aliquarum, et non omnium: præsertim cum ubicumque de confitendis agit, addat ly *mutantes speciem*, per quod quasi positive excludit alias, quæ speciem non mutant. Ratio itaque primaria, et quasi demonstrativa, ut circumstantiæ mutantes speciem confiteri debeant, non alia est, neque esse potest, quam Dei voluntas, sive Christi institutio. His autem præsuppositis, adjecit Concilium aptissimam congruentiæ rationem hærentem prorsus conditioni Sacramenti illis verbis: « Quod sine illis (*circunstantiis mutantibus speciem*) peccata ipsa « neque a pœnitentibus integre exponantur, « nec judicibus innotescat, et fieri nequeat, « ut de gravitate criminum recte censere « possint, et pœnam, quam oportet, pro « illis, pœnitentibus imponere. » Quod motivum non ita appropriari (in quo multum falluntur Adversarii), valet circumstantiis notabiliter aggravantibus. Et ratio disparitatis est : quoniam, ubi adest circumstantia speciem peccati mutans, jam adest nova species peccati, ut ex terminis liquet : et ubi non explicatur circumstantia speciem mutans, consequens est ignorari quandam speciem peccati, et subinde hujus gravitatem ; sicut enim ignorata specie, ignoratur simpliciter peccatum, sic etiam ignoratur simplicer peccati gravitas, et pœna, quam oportet juxta gravitatem ejus imponere. E converso autem ubi circumstantia non mutat speciem, sed præcise intra speciem notabiliter aggravat, quamvis ea non declaretur, potest vere, proprie, et simpliciter declarari peccatum. Quidditas enim cujuslibet rei consistit in specifica ejus ratione ; atque ideo declarata specifica peccati ratione, declaratur simpliciter ejus quidditas. Circumstantia autem, quæ solum habet notabiliter aggravare, est absolute extra rationem specificam peccati, et ad eam comparatur per modum accidentis. Et propterea licet talis circumstantia non explicetur, potest cognosci gravitas peccati simpliciter talis, videlicet quantum ad rationem specificam. Unde congruentiæ ratio, quam Concilium Tridentinum, supposita Christi institutione, assignavit pro obligatione confitendi circumstantias mutantes speciem, minores longe vires habet in circumstantiis, quæ retenta specie solum addunt augmentum accidentale. Nec pro imponenda satisfactione requiritur in sacerdote accuratior cognitio: nam sufficit cognoscere distincte species, et numerum intra quamlibet speciem peccatorum : inde enim pendet simpliciter illorum gravitas quidquid fuerit de incre-

mento accidentali majori, aut minori, quod sufficit in confuso cognosci, et quod multoties vel conantibus pœnitente, et confessario in magis explicita earum declaratione, et notitia, nequeunt amplius innocescere, ut patet in intensione, delectatione, et libertate peccandi, ut ponderavimus num. 92. Ex quibus patet ad testimonia Concilii Vormaciensis, et D. Augustini, quæ in calce hujus probationis expendebantur : non enim continent obligationem ex jure divino, sed supererogationem ex fervore, et zelo fidelium, ut occurrentes argumento in communi respondimus, num. 96.

Negandum tamen propterea non est Christum hujus sacramenti auctorem potuisse instituere, et præcipere, quod prædictæ circumstantiæ intra speciem aggravantes exponerentur in confessione, ut exponendas affirmat contraria nobis opinio : in hoc enim nulla occurrit contradictio, et aliunde adesset aliqua congruentiæ ratio, qualem ista confirmatio expendit. Sed quod ita disposuerit, nobis non constat, sed magis oppositum : nam Ecclesia, quæ ex verbis, et institutione Christi colligit, ac diffinivit circumstantias mutantes speciem debere confiteri, nihil tale docet, aut diffinit de illis, quæ præcise habent intra speciem aggravare. Ubi autem ita constat de Christi institutione per doctrinam, ac diffinitionem Ecclesiæ, vanus est recursus ad nostra ratiocinia in iis, quæ ex sola Dei voluntate dependent. Quamvis arduum aliunde non sit reddere rationem, et assignare discrimen, quare in mutantibus speciem aliter dispositum fuerit, ac in notabiliter intra speciem aggravantibus. Nam priores illas explicare non ita arduum est, cum facile dignoscantur per objecta, et non soleant ita plures occurrere : sed in explicandis aggravantibus, undecumque aggravatio sumatur, et sumi valeat ex plurimis capitibus, occurrit maxima difficultas, quæ non immerito impossibilitas moralis dici possit : lex autem debet esse circa frequenter contingentia, et non summe difficilia, ut constat ex supradictis num. 21; unde exclusa divina revelatione, quam hactenus non cognovit Ecclesia, præsumendum est Christum non præcepisse confessionem circumstantiarum non mutantium speciem. Accedit quod substantialis causæ cognitio, tam in ordine ad statum pœnitentis, quam in ordine ad injungendum ei pœnitentiam, haberi non potest nisi cognitis omnibus, quantum fieri valet, ejus peccatis in specie, et numero : unde omnes species, tam ex objecto, quam ex circumstantiis debent in confessione explicari, ut optime collegit, ac docuit Concil. Trident. loco sæpius cit dicens : « Constat enim sacerdotes judi-
« cium hoc, incognita causa, exercere non
« potuisse, neque æquitatem quidem illos
« in pœnis injungendis servare potuisse,
« si in genere dumtaxat, et non potius in
« specie, ac sigillatim sua ipsi peccata de-
« clarassent. » Oppositum autem contingit in circumstantiis notabiliter aggravantibus intra speciem : nam illis non expressis innotescunt integre peccata quoad essentias et numerum ; et conformiter ad hanc cognitionem servari valet æquitas, et æqualitas in pœnitentiarum applicatione : præsertim cum illarum quantitas non possit omnino exacte, et quasi mathematice diffiniri, sed prudentialiter, et respective ad pœnitentis statum, et majorem profectum. Unde sicut ob hanc rationem opus non est cognoscere distincte circumstantias notabiliter diminuentes, aut mediocriter ; nec id est in usu fidelium ; ita nec circumstantias aggravantes notabiliter. Et ex opposito, et pro eodem fine injungendi æqualem satisfactionem fieret necessarium etiam esse, quod inter notabiliter aggravantes declarentur aggravantes notabilissime, et in determinato gradu : id vero a nemine dictum est, et nimium conscientias obstringit. Quam doctrinam compendiose, et clare tradit D. Thom. loco supra cit. ubi eidem difficultati occurrens ait : « Ad se-
« cundum dicendum, quod determinata
« quantitas peccati non potest sacerdoti
« innotescere, quia nec ipse peccator scit.
« Unde sufficit, quod cognoscat quantita-
« tem, quæ ex specie peccati consurgit. »

99. Nec refert, si opponas ; pœnitentem, qui non explicat has circumstantias, negare virtualiter, quod peccatum habeat tantam gravitatem, quam vere habuit : unde fieret illum ita se gerendo impedire justam impositionem condignæ satisfactionis : quod alienum est ab institutione, et fine hujus sacramenti. Sequela ostenditur : nam, cum sit duplex modus peccandi, alius ordinarius, et alter extraordinarius

narius cum notabili gravitate ex intensione, aut aliis capitibus ; si pœnitens non explicet hunc excessum, negat virtualiter illum. Idque vel ex eo constat, quod confessarius in tali casu temere judicaret majorem illam gravitatem, quæ non explicatur a pœnitente. Qui ergo eas circumstantias tacet, illas virtute negat, atque ex modo agendi excludit.

Hæc, inquam, objectio, qua utitur Suarez disp. cit. num. 10, est satis futilis, et diluitur ex dictis : nam, cum manifestatio talium circumstantiarum non cadat sub præcepto ; pœnitens illas non declarans utitur jure suo, absque ulla intentione fallendi confessarium, et sine aliqua oppositione ad finem sacramenti. Quare in prædicto casu illas non negat, etsi non confiteatur : quia non vult confiteri nisi quod debet. Confessarius pariter neutrum judicium format de illa aggravatione accidentali intra speciem : sed judicat, ut debet de essentiali, et numerica gravitate peccatorum, circa alia suspendens judicium, præsertim si sciat hujusmodi circumstantias posse in confessione omitti : quod paucos Confessarios existimamus latere. Quare, si in tali casu judicaret peccatum fuisse non solum mortale, sed notabiliter grave, temere judicaret nullum ad id dante pœnitente fundamentum ex suo silentio. Quod autem dicitur de modo ordinario, et extraordinario peccandi, nihil valet, et frequenter fallit : nam in quibusdam peccatoribus modus ordinarius est cum aliquo notabili excessu in malitia intra speciem, sive illa sumatur ex intensione, sive ex aliis capitibus : quod autem non peccent cum illo excessu est magis extraordinarium, ut bene observavit Dicastillo loco cit. nu. 193. Quare ex tali differentia nulla in his discernendis certa regula assumi valet, ut cum circumstantia notabiliter intra speciem aggravans non explicatur, et eo ipso contraria negatur.

100. Arguitur secundo : nam circumstantiæ desumptæ ex sola continuatione operis peccaminosi, vel ex incremento objecti intra eandem speciem solum sunt circumstantiæ intra speciem notabiliter aggravantes ; et tamen necessario debent in confessione explicari : ergo falsum universaliter est, quod statuimus circumstantias præcise notabiliter aggravantes non cadere sub præcepto confessionis. Major, et consequentia patent. Minor autem quantum ad operis continuationem suadetur, nam qui uno actu continuato peccat per duas horas, gravius peccat, quam si in dimidia hora peccaret diversis actibus quinquies, aut septies ; sed in hoc casu tenetur pœnitens confiteri peccata intra illud spatium commissa : ergo etiam tenetur confiteri, quod peccaverit continuo per duas horas. Alia etiam minoris pars quantum ad augmentum objecti intra speciem facile ostenditur : nam furtum mille aureorum æquivalet pluribus furtis minoribus v. g. centum aureorum per decem actus, quorum quodlibet sit peccatum mortale ; quin illorum simul, et divisim sumptorum malitiam incomparabiliter superat ; sed homo tenetur confiteri expresse decem illa furta, ut nemo negat : ergo pariter tenetur exprimere in confessione, quod uno actu mille aureos furatus fuerit.

Confirmatur : nam, qui uno actu occidit tres homines, debet numerum occisorum confiteri, ut num. 79 statuimus : et tamen illa multiplex occisio solum est circumstantia notabiliter aggravans intra eandem speciem : ergo tenemur explicare has circumstantias notabiliter aggravantes. Minor probatur exemplo furti immediate proposito, in quo major, aut minor quantitas rei ablatæ non variat speciem pecati, nec addit circumstantiam, quæ speciem mutet ; sic etiam contingit in occisione unius, duorum, aut multorum uno ictu executa : sicut namque partes singulæ rei ablatæ, si divisim, et distinctis actibus surriperentur, constituerent diversa objecta, et terminarent diversa furta ; ubi autem simul concurrunt et eodem auferuntur actu, constituunt unicum objectum magis grave intra eandem speciem ; sic etiam tres homines, si divisim accipiantur, et diversis actionibus occidantur sunt plura simpliciter objecta, et terminant distincta homicidia ; sed ubi conjunguntur, et per modum unius unica percussione necantur, sunt unum objectum, et terminant unum homicidii peccatum, quamvis gravius intra homicidii speciem ob majus augmentum objecti. Confirmatio.

Ad argumentum, cui multum deferunt

Solvitur argumentum. aliqui Juniores, respondetur ipsum in eosdem regerendo ut excessive probans, et ultra quam illi docent. Idque in duratione peccati ostenditur : nam demus peccatum odii v. g. durasse continuo per spatium, in quo recitatur salutatio Angelica, profecto in eodem spatio possent elici tres actus odii discontinuati ; et si elicerentur, deberent in confessione recenseri, quia sunt distincta numero peccata : ergo pariter debet explicari circumstantia, quod illud numero odium duraverit per unam salutationem Angelicam, quippe quod æquivaleat tribus actibus odii, illosque in malitia excedat. Quod tamen nemo dicet, nam illa duratio fuit absolute brevis, nec addit circumstantiam notabiliter gravem (de qua disputamus), sed magis diminuentem. Ergo argumentum desumptum ab æquivalentia, aut excessu unius actus comparative ad plures nihil evincit. Idem apparet in quantitate, sive augmento objecti : quia unum aureum, licet sit quantitas sufficiens ad peccatum mortale furti, nihilominus non est quantitas adeo magna, ut reputari debeat circumstantia in ea specie notabiliter aggravans, et necessario in confessione exponenda, adhuc in sententia nobis opposita. Fiat itaque argumentum, si quis per unum actum surriperet dimidiam partem aurei, peccaret mortaliter, est enim in Hispania quantitas ad id sufficiens : et rursus si alio tempore, et actu tolleret alteram dimidiam aurei partem, similiter peccaret mortaliter ob eandem rationem : et teneretur unum, et alterum furtum in confessione aperire. Cum igitur furtum unius aurei æquivaleat illis duobus furtis medietatum ; sequitur circumstantiam unius aurei debere in confessione explicari. Quod apparet ridiculum ; siquidem rem ablatam fuisse unum aureum nemo prudens judicat aggravare supra speciem notabiliter furtum, sed potius diminuere, retenta specie, malitiam. Signum igitur est argumentationem ab his comparationibus sumptam nihil concludere.

101. Quare ad argumentum omissa majori, negamus minorem. Ad cujus primam probationem concessis præmissis, negamus consequentiam. Et ratio disparitatis constat ex hactenus dictis : nam jure divino obligamur confiteri species, et numerum peccatorum, ut ostendimus dub. præcedenti : non obligamur autem confiteri circumstantias notabiliter intra speciem aggravantes, ut in isto ostensum est. Porro qui in dimidia hora quinquies, aut septies elicit diversos, ac distinctos actus odii, tot numero peccata committit : et propterea tenetur illa in confessione explicare. Qui vero unum odium per duas, aut plures horas sine interruptione continuavit, solum commisit unum specie, et numero peccatum ; et illud ita confitendo suæ obligationi satisfacit ; quidquid fuerit de excessu in malitia illius peccati per comparationem ad peccata alterius eadem, aut minori duratione commissa : nam hic excessus pertinet ad circumstantiam non variantem speciem, sed intra illam notabiliter aggravantem, quam confiteri non tenemur, ut constat ex supra dictis. Quæ disparitas urgenter ex eo confirmatur, quod in priori casu certum est de fide, quod homo tenetur confiteri illa peccata numero distincta ; sed in secundo obligari ad confitendum illum malitiæ excessum sive illam circunstantiam continuationis, non est certum de fide, quin nec absolute certum, cum nostra sententia sit communior, et probabilior contraria. Et responsio nostra accipienda, ut decet est in sensu formali, et quantum argumenti merita petunt, nempe ex suppositione, quod actus a principio inchoatus fuerit per illud spatium absque interruptione : tunc enim est idem numero cum sola aggravatione ex duratione notabili. Contingere autem potest, et non raro solet, quod licet actus videatur esse unus, et continuari : nihilominus interrumpatur, et discontinuetur : difficile quippe est persistere in eodem actu interno sine ulla discontinuatione per longum spatium ob summam vertibilitatem imaginationis, et plura occurrentia, quæ attentionem, et affectum erga idem interrumpunt. In casu igitur, quo aliquid simile contingit, aut de eo prudenter dubitatur, oportebit spatium durationis explicare, ut ibi explicentur diversa numero peccata, quæ verosimile est in eo contigisse : quæ necessitas non oritur ex circumstantia notabilis durationis, sed ex alia longe diversa radice, nempe ex multiplicatione numerica peccatorum, quæ in ea solent occurrere. Recolantur dicta dub. præced. § 3, et num. 78.

Ad

Ad secundam ejusdem minoris probationem desumptam ex augmento quantitatis objecti, omissis responsionibus Vasquii loco cit. num. 36, Lugonis num. 125, Dicastill. num. 200, et aliorum qui multum variant in explicando, an quantitas rei ablatæ sit sola circunstantia in peccato furti, an complementum substantiale objecti illius ; et consequenter an debeat explicari in confessione, vel non), respondetur sicut ad præcedentem, concedendo præmissas, et negando consequentiam, et damus etiam eandem disparitatis rationem. Quoniam, qui furatur centum aureos per decem actus distinctos, tot idem numero peccato furti committit : est autem obligatio ex jure divino confitendi in individuo numerum peccatorum : et propterea qui centum aureos furatur per decem actus diversos, debet tales actus, sive numerum peccatorum confiteri ; sed ubi quis unico actu surripit ab eodem domino mille aureos, non committit nisi unicum numero furti peccatum, cum circumstantia tamen notabiliter illud intra illam speciem aggravante ob magnitudinem rei ablatæ. Unde sicut non tenetur alias circumstantias exponere notabiliter aggravantes, sic nec istam, sed satis est explicare illud numero peccatum, dicendo, semel furatus sum quantitatem sufficientem ad mortale. Adjecimus tamen, *ab eodem domino :* quia, si diversi notabile damnum ex eo furto paterentur, tot essent peccata furti numero distincta distinctione morali per ordinem ad prudentem æstimationem, quot forent personæ illæ actu physico furandi graviter damnificatæ, ut explicuimus loco citato, et magis constabit ex immediate dicendis.

Ad confirmationem, concessa majori, negamus minorem : quoniam obligatio manifestandi in tali casu numerum occisorum non oritur ex circumstantia præcise ex parte objecti notabiliter aggravante ; sed ex multiplicatione numerica peccatorum occisionis in eodem physice actu, ut loco citato explicatum est : sunt enim in æstimatione prudenti tot moraliter homicidia, quot sunt occisi, et est prorsus de materiali, quod id uno, vel pluribus actibus fiat. Unde apparet disparitas inter hunc casum, et alium proxime propositum furantis uno actu plures aureos ejusdem domini : nam cum uno actu, vel ictu interficiuntur tres homines, dantur tria objecta adæquata, et completa simpliciter numero distincta, nec inter se comparantur tanquam partes, ex quibus unicum objectum totale resultet : quocirca eorum occisio importat tria peccata numero distincta in confessione aperienda. Et idem proportionabiliter dicendum est de eo, qui uno verbo plures personas infamat : committit enim tot numero mortalia, quot voluit infamare personas, aut quas prævidit, aut prævidere debuit eo verbo infamandas. Sed ubi unico actu, et ab eodem Domino surripiuntur mille aurei, quamvis eorum quilibet seorsim sumptus esset quantitas sufficiens ad mortale : nihilominus simul sumpti, et sublati comparantur, ut partes ad quantitatem totalem per modum unius ablati : et componunt unum objectum majus in materia furti. Quare ibi non adest nisi unum numero peccatum furandi cum circumstantia majoris quantitatis intra illam speciem notabiliter aggravantis. Unde sufficiet confiteri unicum furtum grave, suppressa circumstantia majoris notabiliter quantitatis, juxta resolutionem hactenus traditam.

Instantia. et a argum.

102. Sed insistes, et sit tertium argumentum : nam in isto casu ubi confessarius audit furtum grave, potest a pœnitente inquirere quantitatem rei ablatæ, et pœnitens tenetur rem aperire, ne illam vel negans, vel supprimens, vel varians fallat confessarium : et quia ubi judex juste interrogat, tenetur reus respondere ad interrogata : signum est ergo, quod pœnitens debet confiteri circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, ut major notabiliter quantitas se habet ad furtum. Nec proderit respondere non obligari absolute, sed solum supposita inquisitione, aut interrogatione per confessarium. Nam contra hoc est, quod, cum istud judicium sit spontaneum, tenetur pœnitens sua sponte dicere id ipsum, quod interrogatus a confessario dicere debet : præsertim cum confessarius non possit juste inquirere de his, quæ pœnitens non habet obligationem manifestandi. Unde in idem recidit, quod sacerdos possit inquirere de circunstantiis notabiliter aggravantibus, et quod pœnitens vel non interrogatus illas exponere debeat.

Enodatio. Respondetur duobus modis, aut in duobus casibus posse contingere, quod confessarius interroget de circunstantiis notabiliter aggravantibus ut de quantitate furti. Primo, ubi aliter nequit cognoscere statum, et dispositionem pœnitentis, ad quæ cognoscenda jus habet, cum judex sit, et medicus, ut possit justam sententiam, et congruam decernere medicinam. In quo casu pœnitens tam interrogatus, quam non interrogatus tenetur suum statum, et dispositionem manifestare, atque ideo, et illas circunstantias peccatorum notabiliter aggravantes, quæ pro his dignoscendis fuerint necessariæ, ut argumentum recte probat, et in dubii limine supposuimus, docentque Vasquez, Lugo, Dicastillo, et alii nostræ assertionis patroni. Quæ necessitas non oritur ex circumstantia notabiliter aggravante, quantum est de se sola, aut pro sola debita confessionis integritate, sed ex aliis capitibus. Verbi causa, demus in aliquibus diœcesibus furtum mille aureorum esse casum, sive peccatum Superiori reservatum. Pœnitens, qui illud commisit, debet tam requisitus, quam non interrogatus illam circumstantiam manifestare, ut confessarius sciat, qualiter se gerere debeat in absolvendo. Sed ea obligatio non orirur ex generali conceptu circumstantiæ notabiliter aggravantis ; siquidem furtum quingentorum aureorum importat etiam notabilem intra speciem aggravationem : et tamen opus non esset illam quantitatem manifestare ; quia solum furtum mille aureorum supponitur reservatum. Idem etiam contingeret, si confessarius pœnitentem confitentem aliqua furta interrogaret de consuetudine furandi, teneretur profecto illam, si haberet, manifestare, ut constat ex decreto Innocenti XI, hanc (58 inter alias) propositionem condemnantis : « Non tenemur confessario interro-« ganti fateri peccati alicujus consuetudi-« nem. » Quæ obligatio non fundatur in sola aggravante circumstantia (si datur) peccandi ex consuetudine, nec in integritate per se requisita ad confessionis valorem. Unde Sotus, Cano, Suarez,et alii plurimi, quibus relatis subscribit N. Franciscus cap. 8, punct. 4, n. 67, docent consuetudinem peccandi per se loquendo non esse necessario explicandam in confessione : nam ex opposito fieret pœnitentem obligari ad confitendum sæpius eadem peccata ; quod videtur nimis onerosum, et non sufficienti motivo per se loquendo affirmari. Sed talis obligatio qualem juxta decretum allegatum non negamus, fundatur in alia radice jam insinuata, quod, scilicet, confessarius nequit aliter cognoscere multoties statum pœnitentis, ut patet cum confitetur plurima perjuria : nam si id habet in consuetudine, quam vincere non satagit, est in occasione proxima peccandi. Et ut id cognoscat confessarius, et videat, an possit absolvere, et de remedio provideat, potest interrogare de consuetudine, et pœnitens debet directe ad hæc respondere. Ceterum ista sunt accidentalia respectu circunstantiarum notabiliter intra speciem aggravantium, si secundum se, in genere, et præcisive ab his accidentibus considerentur : unde non opponuntur nostræ assertioni, quæ per se etiam, et in genere, ut doctrinalem decet, procedit.

Vasq. Dicastil. Lugo.

Sotus. Cano. Suarez.

Secundo modo contingit confessarium inquirere de his circumstantiis, non ob motiva aliqua specialia, et accidentalia, qualia proxime recensuimus ; sed quia vult, vel quia in ea opinione est, quod aggravantes notabiliter intra speciem debent in confessione explicari. Et tunc pœnitens, qui scit saltem practice, et ex aliorum testimonio, nostram sententiam negantem esse tutam, communiorem, et probabiliorem contraria, non tenetur ad illam confessarii interrogationem respondere : sed potest cum reverentia dicere se explicuisse, quod debuit, et posse reticere, quod tacet, nec ad amplius teneri : quia scit circumstantias notabiliter aggravantes, v. g. quantitatem rei ablatæ, de qua inquiritur, non esse materiam necessariam confessionis. Et his dictis nequit confessarius illum amplius cogere, nec illi ex vi hujus absolutionem denegare : quia pœnitens procedit secundum tutam, et probabilem opinionem, atque ideo recte agit, et cum eo se potest, ac debet confessarius conformari, ut dicemus disp... num... Consuleremus tamen in praxi, quod pœnitens ex una parte semper clare se gerat cum confessario, illique directe respondeat, nisi videat evidentissime frustra, et vane ab illo interrogari ; et quod ex alia parte confessarius non sit nimius in inquirendo nisi præcise pro suo munere necessaria : nam

pœnitentem

pœnitentem in actu confitendi decet omnis humilitas erga confessarium ; et hunc omnis discretio in non molestando illum, plusquam oportet.

103. Hunc modum occultandi in furto, et similibus circunstantias intra species notabiliter aggravantes docent communiter nostræ assertionis patroni, et quidem merito, nam ejus veritate supposita, nihil habet, quod improbetur. Sed eorum aliqui satis recentes docent alium modum illas occultandi, nimirum negando circunstantiam, de qua inquiritur, et aliud quid substituendo. Ut, si quis furatus fuisset centum aureos, et diceret surripuisse decem. Moventur autem : quia pœnitens ita se gerens solum negat id, quod fateri non tenetur ; et aliunde fatetur illud peccatum surripiendi decem aureos, quod vere admisit. Sic Emmanuel a Conceptione disp.3,quæst. 10, qui quamvis num. 457, id formidolose, et quasi sub dubio proponat ; postea vero allatis in sui patrocinium Leandro,Moya, Arriaga, et quodam Joanne de Albarro (quem non cognoscimus) prædictam responsionem amplectitur n. 462, et non solum, ut absolute probabilem, sed ut sibi probabiliorem. Et si illi cum communi nostra sententia objiciamus, quod licet in exemplo furti liceat non explicare determinatam quantitatem, ex qua aggravatur; quia hæc ipsa continetur, et dicitur in confuso confitendo furtum quantitatis gravis: minime tamen licitum est confiteri determinate quantitatem minorem, ut decem loco centum aureorum ; quoniam id foret confiteri furtum, quod non fecit. Sicut qui occidit Petrum, satisfacit confitendo se occidisse hominem, quia ibi includitur Petrus; sed non satisfacere dicendo se occidisse Paulum ; nam sunt actus numero diversi, et non dicitur, qui fuit, et dicitur, qui non fuit, ut recte expendunt Hurtado disp. 9, difficul. 4, Lugo disp. 14, num. 172, et disp. 16, num. 123, Tirsus disp.14, num. 8. Si hæc, inquam,dicantur, et opponantur, nihili pendent apud prædictum Juniorem,sed in universum affirmat licere in confessione substituere unum objectum loco alterius, quando sunt ejusdem rationis. Unde consequenter docet eum, qui occidit Petrum, satisfacere confessioni, si dicat occidisse Joannem: et qui rem habuit cum Maria,satisfacere, si dicat concubuisse cum Joanna : et qui commisit sodomiam cum puero, satisfacere, si explicet illam habuisse cum fœmina, idque confirmat ex Moya docente peccantem cum mula satisfacere dicendo peccasse cum equa. Et ex eadem doctrina colligit (quo filo consequentiæ nescimus) num. 433, eum, qui per aliquod spatium desideravit Mariam nuptam, et immediate sine prioris voluntatis retractatione per aliud spatium Joannam etiam nuptam concupivit, unam loco alterius immediate substituendo, satisfacere confitendo præcise se habuisse desiderium peccandi cum nupta : quia differentia illa inter objecta solum esset materialis, et in esse physico, non autem in ordine morali propter immediatam successionem objectorum ejusdem rationis.

Refellitur talis opinio.

Sed istum dicendi modum reluctanter expendimus ex sola intentione refellendi rem nostro judicio absurdissimam, et sine magno animarum dispendio, et erga sacramentum irreverentia minime practicabilem. Quid enim hac opinatione introduceretur, quam in sacramento copiosa seges mendaciorum, sicut in contractibus humanis, ubi homo hominem circuitionibus, restrictionibus, et mendaciis fallere studet? Longe exulare a vero dolore, et legitima dispositione illum putamus, qui his artibus, et substitutionibus fraudulentis utitur, ne confessarius suum peccatum, ut vere fuit cognoscat, et de illo judicet. Aptioresque reputandi sunt ii Junioris discursus pro foro externo, et contentioso, in quo commendari solent magni fallaciarum legalium artifices. Sed a sinceritate, et veritate sacramenti confessionis procul omnino debent abesse , et nullo modo a Doctoribus excogitari, sed multo magis propelli. Et quod ad rem præsentem attinet, sufficientem disparitatem assignant Auctores relati : nam, qui centum aureos furatus fuit, cum cognoscat majorem, aut minorem quantitatem esse solam circunstantiam intra speciem, et juxta nostram, et communiorem sententiam non necessario in confessione explicandam ; suæ obligationi satisfacit confitendo se surripuisse quantitatem gravem : et ibi in confuso dicit, quam abstulit. Sed ubi interrogatus, vel non interrogatus dicit furatum fuisse decem aureos, satis aperte juxta communem concipiendi, et significandi modum

negat se amplius quid surripuisse. Manifestum autem est furtum decem tantum aureorum esse distinctum numerice a furto centum aureorum. Atque ideo recte colligitur ita se gerentem in tali casu confiteri furtum decem tantum aureorum, quod non fecit, et negare furtum centum aureorum, quod vere fecit : atque ideo non legitime confiteri, nec suæ obligationi satisfacere.

104. Porro quod dicitur de substitutione unius loco alterius in his, quæ sunt ejusdem rationis, quod in ordine ad prudentem æstimationem nihil referre videtur, ut tot exemplis, et illationibus colligere nititur Junior, refert certe plurimum in ordine ad sacramentum, et minime sustineri potest. Quod, ut breviter, sed tamen radicitus demonstremus evertendo simul prædicta exempla, recolendum est, quod fusius tradidimus disp. præcedenti dub. 4, et præsertim a num. 107, quod, sicut dolor de peccatis, ut sit sacramenti pars, debet fieri sensibilis per eorum confessionem sacerdoti factam; sic etiam, ut confessio sit pars sacramenti, debet fieri dolorosa per peccatorum dolorem. Quippe sacramentalis confessio non est mera historialis peccatorum recitatio ; sed debet esse de illis accusatio a pœnitente sicut a reo, simul, et sui accusatore coram legitimo judice facta : minime autem foret accusatio, si supra peccatorum manifestationem non adderet dolorem de eisdem : tunc enim relinqueretur in nudo solius recitationis conceptu. Oportet itaque pro veritate sacramenti dolorem, et confessionem ad eadem peccata referri, eandemque materiam attingere. Deinde observandum est, quod licet ex industria posset unum peccatum substitui loco alterius in ordine ad explicandum quasi æquivalenter eandem malitiam, ut si occidens Petrum diceret occidisse Joannem, et subinde salvaretur idem substantialiter in confessario judicium in ordine ad malitiam homicidii : nihilominus impossibile est idem contingere in dolore. Hic namque non regulatur per illas apud homines apprehensiones, et fallentias culpabiles, aut inculpabiles ; sed elicitur coram Deo erga illud malum, quod homo fecit ; et repugnat, quod terminetur ad aliud malum, quod homo evidenter cognoscit se non fecisse, ut experientia liquet. Ex quibus recursus ille unius peccati loco alterius refellitur, et falsitatis convincitur : quoniam confessio, ut est pars sacramenti, ad sola illa peccata extenditur, de quibus tantum est dolor; sed qui occidit Petrum, non dolet se occidisse Joannem, nec id coram Deo verificari potest : ergo qui occidit Petrum, et confitetur occidisse Joannem, non facit confessionem sacramentalem ; sive quæ sit pars sacramenti; sed debet vel explicare Petrum, vel dicere se occidisse unum hominem : in quo vere significatur ille, quem occidit, et de cujus occisione coram Deo dolet. Quod amplius explicatur, et confirmatur in hunc modum : nam qui sacramentaliter confitetur peccata, potest, et debet dicere dolere de peccatis, quæ confitetur ; sed qui non occidit Joannem, nec debet, nec potest vere dicere se dolere, quod Joannem occiderit ; cum id non fecerit, nec ullus de morte Joannis concipi valeat dolor : ergo qui occidit Petrum nequit pro hujus manifestatione substituere Joannem in confessione sacramentali.

Unde omnia exempla, quibus prædictus dicendi modus se explicabat, et protegebat, falsa sunt, et eodem motivo refellenda. Peccans enim cum Maria non potest id in confessione sacramentali explicare dicendo se peccasse cum Joanna, ut constat ex motivo immediate proposito. Intolerabilius est secundum, quod dicitur committentem sodomiam cum homine satisfacere, si confiteatur commisisse sodomiam cum muliere : tum, quia in his etiam militat motivum propositum, quippe non dolet de peccato sodomiæ cum muliere, siquidem illud non fecit. Tum, quia sodomia cum homine, et sodomia cum fœmina sunt peccata specie distincta, ut videbimus num. 139 ; unde qui eo modo prædictum peccatum confiteretur, non explicaret speciem peccati a se commissi. Tum denique, nam licet permitteretur sodomiam cum fœmina reduci ad speciem sodomiæ cum homine, ut quidam dixerunt ; nihilominus non attingit simpliciter talem speciem, sed est aliquid longe inferius ob carentiam deordinationis ejusdem sexus correlativi. Unde sic peccans cum viro non aperit totam essentiam specificam sui peccati dicendo præcise, quod illud peccatum exercuerit cum fœmina, sed fallit, et mentitur in re notabili

notabili necessario confitenda. Patrocinium vero desumptum ex Moya ab exemplo peccantis cum mula, qui potest in confessione loco mulæ subrogare equam, est plane ridiculum, et ad nullum finem referens, quod bestia fuerit equa, mula, vel asina ; cum speciem bestialitatis non varient diversæ bestiarum species. Aliunde vero, quod in præsenti interest, subditur eidem impugnationi : nam, qui non peccavit cum equa, nequit de peccato cum equa dolere, atque ideo nec peccatum cum equa sacramentaliter confiteri. Denique quod colligitur de concupiscente successive Mariam nuptam, et Joannam, quem affirmat Junior satisfacere dicendo in confessione semel desiderasse mulierem nuptam, falsum omnino est, et rejiciendum : quia ibi interveniunt duo peccata numero distincta sine ulla subordinatione inter se ; quamvis unum immediate post aliud successerit circa eandem speciem desiderati cum una, et cum altera adulterii : impossibile enim est, quod variatis intra illud spatium objectis, non varietur etiam actus, tam physice, quam moraliter, ubi unum objectum nullum ordinem habet ad aliud, ut in prædicto casu supponitur. Recolantur superius dicta dub. 3, § 3, ubi egimus de distinctione numerica peccatorum : ex quibus satis constabit desiderantem duobus actibus, aut uno actu peccare cum duabus mulieribus nuptis committere duo peccata adulterii ; sicut, qui vel duobus, vel uno actu desiderat interficere duos homines, committit duo peccata homicidii necessario explicanda in confessione.

105. Arguitur quarto : nam pœnitens tenetur in confessione illas circumstantias recensere, quas, si non explicet, contradicit Ecclesiæ doctrinæ ; sed, si non explicet circumstantias notabiliter aggravantes, contradicit Ecclesiæ doctrinæ : ergo tenetur illas exponere in confessione. Probatur minor ex decreto Innocentii XI anni 1679, condemnantis diversas propositiones, quarum prima erat : « Non est illicitum in « sacramentis conferendis sequi opinio- « nem probabilem de valore sacramenti, « relicta tutiore, nisi id vetet lex, conven- « tio, aut periculum gravis damni incur- « rendo. » Manifestum autem est sententiam affirmantem, quod circumstantiæ notabiliter intra speciem aggravantes debent in confessione explicari, esse tutiorem nostra, quæ id negat : quippe in eis circumstantiis manifestandis nullum est periculum ; in eis vero reticendis periculum occurrit, si coram Deo nostra sententia sit falsa : ergo, si pœnitens non confiteatur prædictas circumstantias, contradicit doctrinæ Ecclesiæ. Quo etiam argumento suadetur confessarium non posse oppositum permittere, aut prædicare, ipse namque est, qui principalem partem agit in hoc sacramento conficiendo.

Istud argumentum potest sub eadem forma aliis sententiis evidenter probabilibus, et securis opponi, et in eo diluendo longissime procedit Tirsus disp. cit. a num. 13 usque ad 45. Sed tanti momenti non est, ut prolixas adeo moras pro sui dilutione exposcat. Ad illud ergo respondetur primo nos in præsenti solum discutere, num circumstantiæ notabiliter aggravantes sint materia necessaria confessionis : in qua difficultate (quæ certe speculativa est, et in actu signato discutitur), sequimur partem negativam, probabiliorem utique, et communiorem. An vero in praxi, et actu exercito confessionis consulenda sit ; difficultas diversa est, et in qua unicuique relinquitur exequi, quod sibi tutius, securius, aut etiam perfectius censuerit. Unde nihil est in eo Innocentii XI decreto quod rem præsentem oppugnet. Sed quia nihil etiam hujusmodi formidamus in ejusdem sententiæ praxi, respondetur secundo concessa majori, negando minorem, quæ minime probatur illo decreto. Nam agit de his, a quibus dependet valor sacramenti, et in quibus adhibendis plane fatemur peccare, qui omissa sententia certa, et tutiori utitur sola sententia probabili : nam irreverenter agit contra sacramentum illud exponendo periculo frustrationis, et injuste agit contra suscipientem, non conferendo certe sacramentum, cum possit. Unde concedendum omnino est peccare pœnitentem, qui, qualibet opinione utatur, non facit confessionem formaliter integram peccatorum, quæ est materia proxima hujus sacramenti, et sine qua ejus valor impeditur. Sed ubi fit confessio formaliter integra, certum est non amplius requiri ex parte confessionis, et sacramentum, quantum ab hac parte requiritur, ratum, et validum esse, ut constabit ex

Infrigi tur.

infra dicendis dub. 7. Facit autem pœnitens confessionem formaliter integram, cum confitetur omnia, quæ certo cognoscit esse necessario explicanda in confessione ; quamvis supprimat ea, quæ vel certo, vel probabiliter, probabilitate omnino certa, cognoscit non esse de necessitate confessionis. Et hoc modo se gerit, qui cognoscit circumstantias intra speciem notabiliter aggravantes non esse necessariam confessionis materiam juxta communissimam, et probabilissimam hactenus assertam sententiam : et hac cognitione ductus non explicat prædictas circumstantias : facit enim confessionem formaliter integram confitendo alia, quæ debet, nullumque ab isto capite impedimentum parat obstans sacramenti valori. Sicut contingit in pœnitente, qui vel ob sui, vel ob confessarii periculum, quod ex manifestatione alicujus peccati probabilissime apprehendit, tacet aliquod peccatum grave : adhuc enim facit confessionem formaliter integram, et certo sufficientem ad valorem sacramenti. Unde, qui eodem modo confitetur omnia peccata in specie, et numero, omittendo ex probabilissimo ; et subinde prudenti dictamine circumstantias præcise intra speciem aggravantes, nihil agit, quod aliqua ex parte decreto SS. Innocentii repugnet.

106. Hinc satis patet ad minoris negatæ probationem : concessa namque, et reverenter suscepta majori, iterum neganda est minor, quam insertus ei discursus minime evincit. Quod ut ostendamus, recursu non egemus, quem large Tirsus trahit ad principia extrinseca, ut ostendat sententiam nostram practicari secure posse, tum ob innumerabiles, et graves auctores illam defendentes ; tum quia adversarii id recognoscunt, nec simile periculum opponunt. Sed his (etsi non contemnendis), relatis, immediatius, et compendiosius possumus rem conficere observando in prædicti decreti verbis comparari, « sen« tentiam probabilem cum tutiore circa « valorem sacramenti : » hi quippe sunt proprii termini ibi occurrentes. Porro dubium præsens non versatur circa valorem sacramenti, sive circa illa, a quibus essentialiter dependet, uti est confessio formaliter integra : nam ut proxime ostendimus, istam salvari, licet circumstantiæ intra speciem aggravantes non explicentur, ut dictat sententia probabilissima, quam tuemur. Unde licet coram Deo esset obligatio illas confitendi, ut adversarii docent ; adhuc nihilominus eis non confessis ex dictamine adeo evidenter, et certo probabili, salvaretur confessio formaliter integra, et consequenter valor sacramenti ; sed, quod caput est, nostra sententia non solum est probabilis, sed evidenter probabilis, et longe probabilior, quam sibi opposita : unde non comparatur sententia utcumque probabilis cum tutiore, sed sententia probabilis evidenter, et probabiliter contraria : quare hic non videtur locum habere, quod dicitur de « sententia probabili relicta tu« tiore. » Sed nec in hoc sistimus, quin addimus sententiam nostram esse tutam simpliciter : ac perinde non comprehendi in casu, quem prædictum decretum proponit, ac refellit. Id vero ostenditur : quia tutum absolute est tam pro obligatione pœnitentis, quam pro valore sacramenti illa confiteri, quæ jure divino, et ecclesiastico præcipiuntur, prætermissis illis, quæ non præcipiuntur ; sed totum id fieri valet, quamvis non confiteamur circumstantias intra species notabiliter aggravantes ; siquidem Ecclesia congregata in Concilio Tridentino, et intendens declarare ex proposito, quæ in confessione confiteri præcipiuntur, solum assignavit species, et numerum peccatorum, et circumstantias mutantes speciem ut evidenter constat ex ipso Concilio, et expendimus n. 90 : ergo tutum simpliciter est confiteri peccatorum species, numerum, et circumstantias mutantes speciem, omissis aliis, quæ hujusmodi non sunt, sive aggravent notabiliter, sive non. Et consequenter, qui ita confitetur, operatur secundum sententiam non solum probabilem, et probabiliorem, sed etiam simpliciter tutam, nullique periculo exponitur frustrationis sacramenti : et propterea non pungetur ulla parte allegati decreti.

Cum autem dicitur confitentem omnes circumstantias agere secundum sententiam tutiorem ; verum quidem est ad hunc sensum, quod nullum imminet periculum ex eorum confessione, et quod quis perfectius agit, quanto magis se declarat regulis prudentiæ servatis. Sed tamen tanta, ut sic loquamur, tutitas, aut securitas non est

necessaria

necessaria, sed fiet ex redundanti quadam supererogatione, supra id quod est absolute tutum, nempe confiteri ea tantum, quæ Deus, et Ecclesia præcipiunt. Quæ doctrina declarari potest exemplo contritionis, et attritionis, quibus non absimilis objectio applicari valet respectu doloris requisiti per modum partis, et dispositionis ad valorem, et fructum sacramenti pœnitentiæ. Nam, cum nemo negaverit contritionem sufficere ad illa munia ; e contra vero attritionem solam sufficere negaverint, et adhuc negent aliqui doctores catholici : consequens videtur non satis tute procedere, qui cum sola attritione cognita suscipit pœnitentiæ sacramentum, quippe exponitur periculo frustrationis sacramenti, si coram Deo non sufficiat, ut quidam censent. Quid ergo dicemus in re adeo gravi ? Aut implicabimur SS. Innocentii decreto ? Nullo modo : sed dicimus contritionem esse dispositionem tutissimam, et tutiorem ex supererogatione non necessaria : attritionem autem esse dispositionem simpliciter tutam post doctrinam Concilii Tridentini id satis aperte declarantis, adjuncta communi praxi fidelium. Idem itaque dicendum est in præsenti difficultate, nempe nostram sententiam esse simpliciter tutam, contrariam vero magis tutam ex redundantia : atque ideo non comparari præcise, ut probabilem, et tutam ; sed ut tutam et magis tutam. Unusquisque autem facit suæ obligationi satis amplectendo, quod tutum est ; et non tenetur inquirere, aut prosequi tutius, et tutissimum, quod foret in infinitum abire. Et quia hæc fusius tradidimus tractantes comparationem inter contritionem, et attritionem disp. præced. a n. 54 ab eis magis explicandis supersedemus.

107. Arguitur quinto : quia multæ sunt circumstantiæ non addentes speciem, sed solum intra speciem aggravantes ; et tamen debent in confessione explicari : ergo signum est, quod obligamur generaliter explicare circumstantias notabiliter aggravantes etiam intra eandem speciem. Consequentia patet, tum quia resolutio nostra cum doctrinalis sit, innitens, et juri divino, et naturis rerum, debet esse generalis : tum, quia, cum omnes circumstantiæ intra speciem præcise aggravantes conveniunt in hoc, vel omnes debent confiteri, vel nullæ, et nulla regula occurrit, ut quædam excipiantur, aut non. Antecedens vero solet probari multis exemplis : Primo, nam incestus inter consanguineos non differunt specie ; et tamen nemo audebit dicere, quod accedens ad matrem, vel ad filiam non debeat explicare in confessione tam aggravantem, et adeo horribilem circumstantiam. Secundo peccata contra naturam sunt ejusdem speciei : et tamen qui cum masculo concubuit, debet id explicare, ut diximus num. 104, atque ex sola illa sexus circumstantia aggravante. Tertio, frangere jejunium, vel comedendo sæpius in die, vel semel comedendo carnes est peccatum ejusdem speciei contra idem jejunandi præceptum : et tamen circumstantia aggravans ab esu carnis confiteri debet, ut omnes affirmant et practicantur fideles. Quarto, odium proximi est unum in specie peccatum cum oppositione ad idem præceptum charitatis : quo nonobstante, si quis odium proximi haberet in ordine ad vitam temporalem, et multo magis in ordine ad vitam æternam, deberet inexplicare. Et hæc sufficiat exempla insinuasse : nam in aliis recensendis prosequi velle foret ad hunc corrivari locum cunctam theologiam moralem.

Respondetur negando antecedens complexive sumptum, id est, quoad utramque partem simul sumptam : nam ex suppositione, quod aliquid sit mera circumstantia non varians speciem, sed solum aggravans, non debet necessario explicari in confessione, nisi alias occurrat aliud motivum extrinsecum, vel ob reservationem casus, vel ob notitiam necessariam status pœnitentis, vel ad cognoscendum consuetudinem peccandi, vel alias causas speciales, quæ contingere possent, ut ex superius dictis satis constat. Ad antecedentis autem probationem ex tot exemplis desumptam sunt, qui satis indiscrete respondeant admittendo, aut permittendo in casibus, qui ipsis inter arguendum satis horribiles proponuntur, non addi circumstantiam variantem speciem, et deinde concedendo non debere explicari in confessione : quod tamen non semel scandalosum est, et ruinam parat. Ut, si quis hac argumentatione provocatur, omnis incestus est ejusdem speciei : ergo concubitus cum matre non debet necessario in confessione explicari : ne implicaretur antecedenti, illud admitteret, et

deinde ex suppositione antecedentis concederet consequentiam, ut valde consequens in suis dictis videretur. Cum revera non consequens, sed temerarius a prudentibus censeretur, quia talia monstra conjungeret : sunt enim aliqua divisim, et seorsim probabilia, quæ cuncta simul chymeram struunt. Quare in his exemplis admittendis, aut propellendis accuratiori solertia opus est. Sed neque regulam generalem pro omnibus, cum sint plurima, et pro rerum multitudine admodum varia, diffinire possumus. Illud vero in communi magis consultum videmus, ut quotiescumque aliquid valde absurdum, mentesque absurditate contendens proponitur, tamquam non necessario in confessione explicandum, ut concubitus cum matre, aut cum masculo, aut cum bestia : toties id negamus, et facile reponimus nullam inconsequentiam incurrere ; quia re discussa apparebit in similibus non circumstantia mere aggravans, sed quæ variat speciem, aut etiam genus peccati : aliqua enim, quæ tamquam species assignantur, non sunt species infimæ, sed subalternæ alias sub se inferiores continentes, ut arduum non foret in exemplis, quæ argumentum opponit, exponere. Sed, quia id nequit cum brevitate, quam unicum argumentum affert, satis conveniente declarari ; congruentius putamus ad singulares circumstantias descendere, et proponere

DUBIUM V.

Quæ circumstantiæ in particulari in confessione explicari debeant.

Quid in actibus humanis dicatur circumstantia, explicuimus dub. 3, § 4, et ex ibidem dictis, num. 83, etiam constat, quæ circumstantia mutet speciem, explicarique subinde in confessione debeat. Quod autem aliquæ sint circumstantiæ præcise intra speciem notabiliter aggravantes, quas confiteri non obligamur, abunde explicatum est dub. præced. per totum. Et hæc in genere tradidisse satis superque videbatur agenti hanc materiam scholastico potius modo, quam morali, et descendente ad casus, ut vocant particulares in praxi occurrentes. Sed quos attigimus in calce dubii præcedentis, nos obligant ad hæc descendere, ut facilius lector dignoscere valeat quæ circumstantiæ in particulari mutet speciem, et quæ tantum habeant intra sp ciem aggravare. Inde enim juxta doctrina duobus dubiis præcedentibus traditam f cile, ac perspicue resolvet, quæ debeant confessione explicari, et quæ possint omitt aut taceri.

108. Pro cujus luce recolendum est dictis tract. 11 de bonitate, et malit disp. 4, dub. 2, § 1, omnes circumstanti in particulari reduci ad septem, quæ is Tullii versiculo, communiter decantat comprehenduntur, *Quis, Quid, Ubi, Qu bus auxiliis, Cur, Quomodo, Quando.* eo *Quis* denotat circumstantiam perso operantis, v. g. quod sit sacerdos. *Qu* denotat circumstantiam materiæ, vel o jecti, aut effectus subsecuti, ut in fur quantitas magna, vel parva, in homicid conditio sacerdotis, vel amici. *Ubi* denot circumstantiam loci, ut quod fuerit sacr aut publicus. *Quibus auxiliis* denotat ci cumstantiam mediorum, et instrument rum, per quæ actio humana exercetur, quod veneno necaverit, quod medici usus fuerit ad solicitandum fœminam. *C* denotat circumstantiam ex fine, non qu dem intrinseco coincidente cum objec actionis, sed extrinseco, et proprio opera tis, ut, cum quis occidit hominem, ut fur tur. *Quomodo* denotat modum, quo actus, utputa intense, aut remisse, cu majori, aut minori advertentia, etc. *Quan* denotat circumstantiam temporis, in q fit actio, v. g. quod fuerit breve aut lo gum, in die festo, vel ordinario, etc. S lent aliqui addere circumstantiam *Quot* denotantem repetitionem actuum, ut cu quis post peccatum sæpius perpetratum, a Deo remissum, ulterius labitur in ider videtur enim ex hoc ipso gravius fieri, subsequentibus etiam peccatis addere n litiam. (Quo admisso, ne augeamus c cumstantiarum numerum communiter r ceptum, circumstantia *Quoties* revocan est ad circumstantiam *Quomodo* : nam p tinet ad modum, quo actus fit : et sic illa reducit D. Thom. in 4, dist. 16, quæst. art. 1, quæstiunc. 2 ad 6 et alibi). Sed men absolute loquendo dici non deb quod repetitio, et numerus actuum, si cundum se considerentur, constituant pa ticularem circumstantiam, isto, aut i

nomi

nomine denotetur : sed importat substantialiter ipsos actus multiplicatos. Quare vel in nostra sententia negante obligationem confitendi circumstantias intra speciem aggravantes, necessarium est confiteri multiplicitatem, aut repetitionem actuum, sicut plane est confiteri numerum peccatorum, juxta doctrinam prorsus certam, traditam dub. 3, § 3.

Porro divisionem circumstantiæ, ut sic in prædictas septem circumstantias esse necessariam, et adæquatam ostendimus cum D. Thom. loco cit. num. 4. Quoniam circumstantiæ vocabulo non aliud intelligimus, quam particularem conditionem ita afficientem actum moralem, sive humanum, ut maneat extra ejus essentiam, sitque ipsi accidentalis : atque ideo tot debent esse circumstantiæ, quot fuerint hujusmodi conditiones : istæ autem sunt septem ; tot ergo sunt circumstantiæ humanorum actuum, ut supra recensuimus, et communiter assignantur. Minor in qua sola poterat esse difficultas, explicatur, et suadetur. Nam conditio actus moralis extra ejus essentiam existens potest tripliciter illum afficere, primo attingendo illum secundum se; secundo ratione causæ ; tertio ratione effectus. Si secundum se ; id contingit tripliciter, nempe aut per modum modi ipsius actus, sicut intentio, advertentia : et hæc est circumstantia *Quomodo*. Aut per modum mensuræ in ordine ad locum : et hæc est circumstantia *Ubi*. Aut per modum mensuræ in ordine ad tempus: et hæc est circumstantia *Quando*. Si autem conditio afficiat in ordine ad causam, vel se tenet ex parte efficientis principalis, et sic est circumstantia *Quis* : vel se tenet ex parte causæ instrumentalis, aut mediorum, et sic est circumstantia *Quibus auxiliis* : vel se tenet ex parte causæ finalis, et sic est circumstantia *Cur*. Ultimo; si conditio se teneat ex parte effectus, sive materiæ, circa quam versatur actus; est circumstantia *Quid*. Non apparet autem alius modus, quo particularis aliqua conditione possit afficere operationem moralem : ergo fateri oportet, quod septenarius ille circumstantiarum numerus sit sufficiens, et adæquatus.

Nec refert, si objiciatur, quod agens, finis, et effectus non debent computari inter circumstantias actus humani, cum essentialiter ad ejus consistentiam substantialem desiderentur ; sed per *quis* significatur agens, per *cur* finis, et per *quid* effectus, sive materia : ergo minus congrue prædicta recensentur. Nam id optime diluit D. Thom. 1, 2, quæst. 7, art. 3, ad 3, dicendo illam conditionem vel agentis, vel finis, vel objecti, aut effectus, a qua actus in sua primaria specie dependet, non esse circumstantiam, sed hujus propriam rationem posse reperiri in aliis conditionibus accidentalibus, et priorem præsupponentibus. Sicut in peccato furti non est circumstantia, quod objectum, sive materia sit res aliena, id enim pertinet ad furti speciem : sed circumstantia est, quod res ablata sit magni, aut modici pretii. Sic ad speciem adulterii non est circumstantia, quod homo peccans non sit maritus, sed id pertinet ad speciem adulterii : at circumstantia est, quod sit sacerdos, vel castitatis voto ligatus, et addit adulterio aliam sacrilegii speciem. Et sic de aliis. Unde magis convincitur, quod licet agens, finis, et objectum, materia vel effectus non sint circumstantiæ operationis ; possit hæc nihilominus varias circumstantias induere per ordinem ad prædicta hoc, aut illo modo considerata. Et his in commune dictis, oportet ad singulas circumstantias in particulari descendere : et sequendo ordinem in versiculo allegato descriptum, primo loco occurrit dicere

Diluitur object. D. Thom.

§ I.

De circumstantia Quis.

109. Hæc denotat personæ peccantis conditionem, quæ penes multa attendi valet, ut sunt votum quo ligatur, status quem habet, officium, cui incumbit, et alia ejusmodi. Et certum apparet esse non pauca peccata, pro quibus parum, aut nihil refert hæc conditio in ordine ad additionem malitiæ specie distinctæ, ut patet in furto, in judicio temerario et aliis, quæ a cujuslibet conditionis committantur, retenta propria specie, aliam non induunt. Pro furto enim, aut judicio temerario quid interesse potest, quod committantur a laico, vel Religioso, vel Episcopo, vel aliis ? Sed tamen dubitari nequit esse alia plura peccata, quæ per ordinem ad conditionem per-

onæ peccantis contrahunt circumstantiam novæ malitiæ specificæ differentis, ut patet in Religioso, et conjugato, qui si fornicentur, transferunt peccatum intemperantiæ in speciem sacrilegii ob violatum castitatis votum, et in speciem injustitiæ propter non observatam uxori fidem. Quando autem primum illud, aut hoc posterius contingat, haud facile in genere determinari valet, et prolixum nimis foret illud statuere discurrendo per singulos casus, qui contingere possunt, aut proponi. Nihilominus curandum est aliquam assignari communem regulam pro his in genere discernendis, ex quo possimus ad resolutionem particularium casuum descendere. Nulla vero aptior, aut explicatu facilior nobis occurrit, quam comparare actum alias ex sua specie, sive objecto proximo peccaminosum cum conditionibus personæ illud peccatum committentis. Et si inter tale peccatum, et conditionem aliquam peccantis reperiamus specialem repugnantiam, sive oppositionem ob violationem specialis obligationis; ibi profecto occurret circumstantia *Quis* addens novam speciem peccato. Sed ubi talis oppositio non occurrit inter peccatum, et conditionem peccantis; non erit circumstantia speciem mutans, sed ad summum præcise aggravans. Verbi causa peccat Religiosus peccato incontinentiæ, peccat etiam peccato judicii temerarii: si comparamus peccatum incontinentiæ cum conditione Religiosi, ibi reperiemus specialem oppositionem cum voto castitatis a Religioso facto, atque ideo circumstantiam, quæ mutat speciem: sed comparando peccatum judicii temerarii cum conditione Religiosi, talem specialem oppositionem non reperimus: nihil enim in Religioso præ aliis Christianis est, quo specialiter obligetur ad non temere judicandum: quare in tali peccato non datur circumstantia, quæ speciem variet, sed ad summum aggravet intra speciem ob majorem sanctitatem, quam decet Religiosum habere. Cum itaque obligatio sit explicandi in confessione circumstantias mutantes speciem, secus intra speciem notabiliter aggravantes; ex prædicto principio colligi potest, quando circumstantia *Quis*, sive conditio, aut qualitas pœnitentis manifestari debeat in confessione.

110. Colligitur ergo primo dignitatem peccantis non debere explicari, v. g. qu sit Episcopus, aut Generalis, etc. Quonia major personæ dignitas non import specialem oppositionem cum peccato, s majorem; unde non transfert peccatu ad novam speciem, sed aggravat ob maj rem obligationem illud vitandi ortam majori dignitate, et perfectione person Unde, si fornicetur Episcopus, non op habet suam dignitatem in confessione ap rire; sed facit satis manifestando cast tatis votum, quod in subdiaconatu emis Et sic de aliis. Ita Sanchez, Coninch Henriquez, Lugo, Dicastillo, N. Gabri et alii quibus relatis subscribit N. Fra ciscus cap. 8, punct. 4, n. 61. Et eadem r tione, si Gubernator Provinciæ, aut Civ tatis furetur, non tenetur dum furtu confitetur, manifestare suam dignitate sive qualitatem personæ: quia illud pe catum non habet specialem cum illa opp sitionem: licet enim ex officio teneat specialiter furta ab aliis facta impedi non tamen propria, ut cum prædic Auctoribus, et insuper Leandro, Dian N. Antonio resolvit citatus Franci num. 63.

Sed consectarium accipiendum est per loquendo, attento præcise peccato, et co ditione peccantis, et abstrahendo ab al accidentalibus, quæ possunt occurrere: na v. g. si peccata Generalis, aut Episcopi indiscrete, et irreverenter committere tur, ut fierent publica, et scandalum par rent: tunc quippe opponerentur speci dignitati, et obligationi Prælatorum, q ex officio tenentur subditos exemplo p cere, illorumque ruinam, quantum fi potest, cavere. Quin si prædicti (et id dicimus de Parochis) non tantum pecc rent, sed provocatores, et incitatores pe cati in suis ovibus essent, deberent sui ficii munus in confessione explicare, quip inter quod, et peccata commissa adess specialis valde oppositio. Cum enim officio obligentur omnium salutem proc rare, et eorum peccata impedire; ad huic obligationi contradicunt, ut non solu a peccando retrahant, sed positive in pe niciem ducunt. Quod supra malitiam sentialem peccati, v. g. fornicationis, circumstantiam scandali, addit aliam sp cie diversam contra debitum satisfacien proprio officio, ut recte cum Bonacina,

Lugo

Lugone observat N. Franciscus, ubi proxime num. 62.

111. Colligitur secundo religiosum, qui contra castitatem peccavit, debere in confessione explicare se esse religiosum, et minime satisfacere, si tantum dicat se peccasse contra votum castitatis. Quoniam vota constituentia statum religiosum distinguuntur specie ex natura rei, et jure divino ab omnibus aliis votis talem statum non constituentibus, ut cum D. Thom. et plurimis Auctoribus statuimus, et late probavimus tract. 20, de statu religioso disp. 1, dub. 4, § 1. Ergo religiosus contra castitatem peccans agit specialiter contra particularem suæ personæ conditionem, et obligationem præ aliis, qui solum contra castitatis præceptum, aut etiam votum non constituens religiosum statum peccant. Quæ profecto circumstantia variat, et addit speciem, et proinde confiteri debet. Sed quia inter vota statum religiosum constituentia, alia sunt solemnia, ut communiter videmus in religiosis, alia vero simplicia, nt contingit in nostris primæ professionis Donatis, et in Scholaribus Societatis : et probabile censuimus loco cit. § 2, talia vota non distingui specie in ordine ad statum religiosum, sed solum moraliter penes esse magis, aut minus perfectum : propterea ibidem num. 50 collegimus, et modo observamus religiosum Societatis solemniter professum peccantem contra castitatem non obligari ad manifestandum in confessione se esse solemniter professum, sed satisfacere dicendo se religiosum.

Contrariam nostro consectario sententiam tuentur plures apud Leandrum disp. 8, quæst. 8, et N. Franciscum loco citato num. 54, Tirsus disp. 41, num. 46, Emmanuel disp. 3, quæst. 11, num. 472, et alii, qui negant distinctionem specificam inter votum simplex, et solemne castitatis. Et quia negare non possumus eam sententiam esse probabilem, et consequenter in confitendo peccatum incontinentiæ non obligari religiosum, aut clericum ad manifestandum suum statum, sed satisfacere, si dicat se peccasse contra castitatis votum: propterea congruum censuimus aliqua consequenter ad hanc opinionem notare. Primo, quod dictum est de religioso, extendi ad Sacerdotem, ad Subdiaconum, ad Episcopum, etc. nam ex suppositione, quod votum simplex, et solemne non differant specie, satis illis est confiteri, quod peccaverint contra votum castitatis, non manifestando statum, ordinem, gradum, aut dignitatem. Secundo, aliquos ex patronis dictæ opinionis non satis consequenter procedere, cum tenentes non esse obligationem manifestandi votum solemne, nihilominus affirmant religiosum solemniter professum debere explicare hanc sui conditionem : nam in ea professione non solum fit castitatis votum, sed traditio Religioni, sicut uxor traditur marito : atque ideo religiosus incontinens non solum agit contra castitatis votum, sed etiam injuriam infert Religioni, sicut marito adultera : et hoc ultimum non explicatur dicendo præcise peccatum fuisse contra votum. Sed ut diximus, procedunt minus consequenter : quia votum constituens vere religiosum statum, eam traditionem necessario complectitur : unde si non est opus explicare votum constituens religiosum statum, nec opus erit explicare traditionem ; aut vice versa, si debet traditio explicari, ibi pœnitens manifestabit se religiosum, quod illi satagebant vitare. Aliunde vero illa traditio non fit Religioni ad usum corporis, sed de alia officia ; nec in hoc sensu incontinentia religiosi comparatur peccato adulteræ, quæ prius in maritum transtulerat dominium, et usum corporis. Videatur Sanchez libr. 5, de statu religioso, cap. 6, ubi eam similitudinem haud obscure dispellit. Quare censemus eos, qui docent vota simplicia, et solemnia non distingui specie, eadem probabilitate, quam in hoc dicto habuerint, posse dicere religiosum, qui contra castitatem peccaverit non teneri ad manifestandum vel votum solemne, vel religiosum statum. Tertio idem dicendum esse, quamvis religiosus priori castitatis voto aliud, vel alia adjecerit : quia per hanc votorum repetitionem nullam suscipit obligationem specie distinctam, ut cum Sanchez, et Dicastillo bene odservat N. Franciscus loco cit. num. 53. Aliter dicendum foret, si votum juramento firmasset : quia cum istud afferat Deum in testem promissionis, importat vinculum ab ipsa promissione secundum se considerata diversum. Et quamvis in juramento promissorio possit con-

Secunda

tingere rem ita variari, ut excusetur homo ab ejus adimpletione, ut putat Suarez lib. 3, de Juramento, cap. 16, nihilominus respectu religiosi nulla potest occurrere causa, ut votum castitatis, quod juramento firmaverat, non observet : et ideo si in eo deficiat, debet peccatum cum circumstantia juramenti confiteri.

Tertium. 112. Colligitur tertio ligatum voto castitatis, qui alios illud votum non habentes induxit ad carnaliter peccandum, in confessione talis peccati inductionis, debere circumstantiam sui voti manifestare. Oppositum docet Tirsus disp. 41, num. 48, cum Sanchez, quem pro se refert. Et movetur ex eo, quod emittens votum castitatis promittit quidem servare castitatem in se, non autem in aliis : ergo per hoc, quod inducat alios ad peccandum contra castitatem, non agit contra proprium votum, nec hujus circumstantiam explicare debet, cum confitetur peccatum inductionis. Sed resolutio nostra suadetur destruendo simul motivum contrariæ : nam ligatus voto castitatis tenetur ad non agendum contra castitatem, et si contra castitatem peccet, debet peccatum, et votum manifestare ; sed inducens alios ad actus turpes agit contra castitatem : ergo, si ejus voto ligatus supponatur, agit contra tale votum, illudque in confessione inductionis explicare debet. Probatur minor : tum exemplo inducentis alios ad furandum, qui eo ipso concurrit ad furtum, et agit contra justitiam : ergo pariter inducens alios ad fornicandum concurrit ad eorum fornicationem, et agit contra castitatem, Tum ratione, quia nequit homo inducere alios ad turpia, quin ipse ad turpia afficiatur : et si enim possit alium finem intendere, tamen proxime eligit illud medium, ad illudque ut tale afficitur : manifestum autem est eum, qui afficitur ad turpia, agere contra castitatem : ergo alios inducens ad inhonesta contra castitatem agit. Unde dispellitur motivum contrarium : nam inducens ad prædicta non solum non servat castitatem in aliis, quod non promiserat sed nec castitatem in se, quod promiserat : atque ideo agit contra votum, illudque explicare debet. Et sic etiam sentit Lugo disp. 16, num. 152, quem refert, et sequitur Leander disp. 8, § 2, quæst. 10.

Et hinc incidenter, et a fortiori colligitur falsam omnino, et intolerabilem esse sen tentiam Eusebii de Herrera decisione 16 § 9, docentis delectationem morosam i religioso non esse contra votum castitatis si ille contineat affectum ab opere exe quendo : quia istud opus est, quod no exequi promisit : atque ideo illud exclu dens, quamvis imaginationibus turpibu delectetur, non agit contra votum castita tis. Refellitur, inquam, tum, quia contra rium docent communiter Auctores apu Leandrum ubi proxime quæst. 22, et oppo sitam sententiam gravi censura percellun Tum, quia religiosus per castitatis votu sibi peculiariter interdixit omnem dele tationem veneream. Tum etiam, quia vo tum castitatis se extendit ad omnia, a quæ castitas : huic autem plane repugn delectatio morosa erga turpia. Tum den que, quia ex opposita sententia colliguntu absurdissimæ laxitates, v. g. tactus impu dicos sistendo in eis, non esse contra vo tum castitatis ; quia etiam diceretur re illo voto interdictam esse opus consumma tum, et alia ab isto diversa prædicto vot non contradicere. Quæ, et alia inconve nientia nulla ratione sustineri queun sed debent prorsus ab omnium fideliu imaginatione amandari.

113. Si autem inquiras, utrum haber votum castitatis peccans cum persona illu etiam habente debeat explicare non solu votum ex parte sua, sed etiam votum e parte complicis ? Respondetur id non pe tinere proprie ad præsentem considera tionem, nec regulandum penes obligati nem confitendi, aut non circumstantia intra speciem notabiliter aggravante Nam manifestum est, in casu proposit violationem voti in utroque peccante ha bere eandem speciem sacrilegii. Sed tame interrogationi semel propositæ satisfa ciendo respondemus manifestandum vo tum peccantis, et votum complicis : na eorum quilibet committit duo peccata nu mero distincta juxta superius dicta dul 3, § 3, unum, quo peccat in sua person et alterum, quo cooperatur, ut alia in su etiam persona peccet. Et idem etiam d cendum est de tactibus impudicis, et pollu tionibus : nam, cum quis tangit, etia tangitur ; et cum alium ad pollutione excitat, ipse etiam ad pollutionem excita tur. Unde utraque persona voto sacra vi

latu

latur, et utraque debet operationem, et cooperationem exponere ut duo ejusdem rationis peccata. Quod fieri non valet, nisi manifestando votum ex parte sui, et ex parte complicis. Et ita sentiunt Lugo, Diana, Trullench, N. Antonius, quibus relatis subscribit N. Andreas tract. 15, de statu religioso, cap. 6, punct. 3, § 1, num. 24.

Et si ulterius inquiras, an idem dicendum sit de peccato delectationis morosæ, ita quod si religiosus, aut sacerdos delectetur turpiter de morali, aut e converso, debeat votum, seu voti violationem, sive sacrilegium ex utraque parte explicare? Respondetur Gabrielem Vasquez in ea esse opinione, quod delectatio morosa non sumit speciem ab objecto, nec ab objecti circumstantiis. Sed prædicta sententia est valde falsa, et contra communem Doctorum, ut late ostendimus tract. 13 de *Peccatis*, disp. 11, dub. 1, cum seq. Unde consequenter dicendum est dari duplex sacrilegium in ea delectatione morosa: unum desumptum ex voto se turpiter delectantis juxta dicta de religioso num. præced. et aliud ex objecto delectationis, quale contraheret nullo voto ligatus, qui eam delectationem admitteret circa monialem. Lugo autem disp. 16, sect. 6, § 4, Leander, disp. 8, § 2, quæst. 21 et quidam alii censent nostram resolutionem esse veram, ubi qui delectatur, illam circumstantiam ex parte objecti complectitur; secus si ab illa præscindat, et quantum est de se, illam ab objecto excludat, delectando se præcise circa illam mulierem, quæ alias est monialis. Sed persistendum est in proposita resolutione, quam præcludendo istud effugium firmavimus ex professo loco citat. dub. 2 et 3 et specialiter a num. 53. Quoniam, ut circumstantia voti afficiens objectum delectationis influat, non est necessarium, quod per se moveat; sed sufficit, quod cognoscatur, et non retrahat a delectatione turpi circa tale objectum, cum potens, et sufficiens sit ad retrahendum: quippe, ubi id non præstat, simul cum objecto, aut potius objectum simul cum ipsa terminat delectatione. Idque facile declaratur exemplo ejus, qui voto ligatus turpiter delectatur: nam quamvis non moveatur a circumstantia, sed ab illa intendat abstrahere, et quantum est de se, in capiendo delectationem excludere: nihilominus cum illam cognoscens non retrahitur, convincitur illam admittere, et cum delectatione turpi conjungere, atque ideo sacrilege delectari. Cur ergo idem non continget, cum ea circumstantia voti occurrit in objecto, et ex parte objecti delectationis proponitur? Sic ergo in prædicto casu duo numero moraliter sacrilegia juxta dicta dub. 3, § 3 in confessione exponenda. Sed circa hæc videantur diffusius dicta loco citato de Peccatis.

Quartum.

114. Colligitur quarto novitium, aut novitiam, et cum eis peccantes non obligari ad explicandum in materia castitatis hanc circumstantiam novitiatus. Et idem intelligendum est de clericis minorum Ordinum, licet habeant beneficium. Hæc est communis sententia, et facile suadetur: quia omnes relati non habent ex vi suæ conditionis votum castitatis: quare ex eo, quod peccent in castitatis materia, non addunt malitiam specie diversam, sed ad summum intra speciem aggravantem ob inchoatum vitæ religiosæ, aut instituti ecclesiastici propositum. Sed quamvis attentis communibus regulis, et his, quæ per se loquendo contingunt, ita res se habeat; tamen existimamus frequenter in hoc casu locum habere doctrinam superius traditam num. 93, nempe novitium, aut novitiam, aut cum his peccantes obligari ad manifestandum suum statum, et hanc circumstantiam quamvis non mutantem speciem; et similiter ad respondendum directe confessario, si circa ista inquirantur. Quia ex prædicto peccato frequenter imminet religioni infamia, et novitii non perseverandi periculum. Manifestum namque est novitium incontinentem afferre ipsi sacro habitui, quo induitur, non mediocrem notam, et scientibus scandalum: et similiter eos, qui novitium, aut novitiam ad turpia solicitant, et ad hæc concurrunt, non levem injuriam inferre religioni, quorum aliquomodo sunt, vel eos ab arrepto proposito avocando, vel religioni inserendo personas turpes, illi minime convenientes. Quare cum ex prædicto peccato tot mala, quæ præcaveri oportet, sequantur; summo jure potest confessarius de illis inquirere, et pœnitentes debent rem patefacere requisiti, et quamvis de his non requirantur a confessario. In quo sensu probamus sen-

tentiam, licet videatur singularis, Hieronymi de Llamas in Summa, part. 3, cap. 8, § 14, ubi recognoscit prædictam novitiatus circumstantiam non mutare ex sua ratione speciem peccati. Sed tamen tot aliunde importat inconvenientia, quod merito debeat sicut ipse affirmat in confessione explicari, ut confessarius cognoscat statum pœnitentis, et tam illi, quam religionis famæ, quæ sæpe in similibus peccatis periclitatur, conveniens remedium provideat. Idemque amplectitur Prado in tract. de Confess. quæst. 2, § 4, num. 33 in fine.

Quintum 115. Colligitur quinto sponsum, et sponsam se cum aliis commiscentes debere in confessione eam circumstantiam, sive personæ conditionem fateri : et idem dicendum esse de aliis personis, quæcum sponsa, aut sponso peccant. Hoc consectarium non continet communem, aut certam omnino doctrinam. Unde N. Franciscus, cap. 8, punct. 4, num. 56, rem hanc attingens tot circa id retulit sententias contrarias, et nihil tandem resolvit. Prima, quam defendunt Basilius Pontius, Covarruvias, N. Gabriel, Trullench, et alii id tam in sponso, quam in sponsa ; et cum eis peccantibus universaliter negat : quia censet conditionem sponsi, aut sponsæ non importare circumstantiam mutantem speciem, sed ad summum aggravantem. Et probatur, quia per contractum sponsalium non acquirit sponsus jus in corpus sponsæ, et vice versa: nec sponsa se obligat ad non peccandum cum alio, sed præcise ad non contrahendum cum alio matrimonium : ergo ex eo, quod cum alio fornicetur non facit sponso injuriam, nec fornicationis addit speciem injustitiæ. Quod magis declaratur, et fulcitur exemplo : nam ita comparantur sponsalia, et matrimonium, sicut votum profitendi religionem, et ipsa actualis, ac solemnis professio : quippe sicut in matrimonio fit traditio corporum, et per sponsalia promissio futura illius traditionis : ita per professionem fit traditio hominis religioni, et per votum obligatio se religioni tradendi. Sed ex eo quod quis efficiat votum suscipiendi religionem, hæc nullum jus in illo habet : et idem licet novitius fornicetur, non irrogat religioni injuriam, nec suo peccato addit injustitiæ circumstantiam, ut constat ex dictis num. præced. Ergo idem proportionabiliter de sponso, vel de sponsa, cum aliis commiscentur, e illis, qui cum eis peccant dicendum est.

Prima sent.

Secunda sententia convenit cum præcedenti quantum ad sponsum ; sed affirma sponsam cum aliquo fornicantem adder fornicationi circumstantiam specie distinctam : quia violat fidem sponsalium i re gravissima, et notabilem injuriam irro gat sponso, qui etsi non habeat jus in re habet tamen jus ad rem. Quæ injuria vald gravis communiter inter gentes reputatur et quidem merito : nam cogitur sponsus ve sponsalia deserere, vel uxorem ducere fornicariam. Hæc autem inconvenientia no occurrunt in peccato sponsi, cujus inconti nentia, aut infidelitas communiter in æsti matione prudentum reputatur levis injuri respectu sponsæ : atque ideo non inducit cir cumstantiam culpæ mortalis, quam opus si in confessione aperire. Et idem dicendum est de peccantibus cum sponso; secus de peccantibus cum sponsa ob assignatam disparitatem. Ita Sanchez lib. 1, de Matrimonio disp. 5, Rodriguez, Villalobos, Candidus, et alii.

Sed affirmandum est cum tertia sententia fornicationem ex parte tam sponsæ, quam sponsi inducere circumstantiam malitiæ specie differentis, et subinde necessario explicandam in confessione : ad idem teneri peccantes cum sponsa, aut cum sponso. Sic docent Ledesma, Gutierrez, Rebellus, Dicastillo, Coninchus, Sylvius, Gonet, et N. Antonius, quibus relatis subscribit N. Andreas tract. 9, de Matrim. cap. 1, punct. 1, num. 11. Quoniam ex parte utriusque, sive sponsa, sive sponsus sit, frangitur fides sponsalium et injuria adinvicem irrogatur; siquidem ex vi illius contractus quilibet acquisivit jus ad corpus alterius, quamvis non in corpore. Porro talem injuriam esse gravem non solum sponso, cum sponsa alteri commiscetur, sed etiam sponsæ, quando sponsus cum altera peccat, ostenditur : quoniam sponsalia non debent dissolvi, nisi ex gravi causa ; sed ex eo, quod sponsus vel sponsa fornicetur cum alio, possunt sponsalia dissolvi, ut docet communis sententia apud N. Andream ubi supra cap. 2, punct. 5, num. 78, quam tenent vel ipsi Thomas Sanchez, et Basilius, qui contrarias opiniones immediate relatas tuentur : ergo sponsus, et sponsa cum aliis fornicantes sibi mutuo inferunt gravem injuriam

injuriam, atque ideo contrahunt in suo peccato novam injustitiæ speciem in confessione explicandam. Accedit, quod sponsa sciens suum sponsum alteri fœminæ commisceri, merito suspicaretur se minus a sponso amari, et minus amandam post contractum matrimonium : timeret etiam prolem sponsi ex alia fœmina communibus sumptibus conjugum alendum fore : quæ motiva ipsam graviter offenderent, et contristarent, causamque justissimam afferrent, ut a sponsalibus resiliret, et eorum dissolutionem juxta justitiæ leges consequeretur. Quod ut diximus, nunquam contingit absque gravi causa, quæ cum in hoc casu injuria sit, debet gravis reputari, sponsæque jura graviter offendens. Et hinc immediate patet ad motivum secundæ sententiæ : fatemur namque graviorem inter gentes injuriam reputari, quod sponsa fornicetur, quam quod sponsus : sed tamen in hujus fornicatione sufficienter reperitur gravis sponsæ contemptus, et injuria sponsæ, ut constat ab affectu rescindendi sponsalia. Patet etiam ad primæ fundamentum : nam licet per sponsalia non acquiratur jus in re, acquiritur tamen jus ad rem, et ad matrimonium futurum, ne scilicet injuste impediatur, et contractus dissolvatur sponsalium : sive autem sponsa, sive sponsus alteri commisceatur, impedimentum grave istis infert, atque ideo notabiliter agit contra alterius jus : quod nequit non esse gravis injuria. Exemplum vero, quo prima opinio se explicat, et tuetur, nihil valet ob manifestam disparitatis rationem : nam cum votum amplectendi statum religiosum sit promissio non religioni, sed soli Deo facta ; nullum per tale votum jus religioni acquiritur vel in vovente, vel ad voventem : et ideo nullam patitur religio injuriam ex eo, quod vovens agat contra id, quod religiosa professio exposcit. Sed per sponsalia acquirit sponsus jus ad sponsam, et e converso : quare injuriam mutuo patiuntur, si alteri se tradant ad usum turpem. Quæ injuria constat, nam illam passus potest se vindicare præcedentem sponsalium contractum dissolvendo.

116. Colligitur sexto, quid dicendum sit de virgine, cum primo fornicatur ; tenetur ne circumstantiam amissæ virginitatis in confessione fornicationis exponere? Et casus restringitur ad fœminas : nam quantum ad masculos communis sententia tenet non magis obligari ad explicandum fornicationem, quam confitentur, fuisse primum actum, quo virginitatem amiserunt, quam furtum, quod confitentur, fuisse primum actum, quo furari cœperunt. Quare masculi non veniunt in præsenti consideratione. Et rursus de fœminis agendo restringendus sermo est ad actum fornicationis, sive copulæ carnalis, per quam materialem corporis virginitatem, sive integritatem amittunt, et desinunt juxta communem apprehendendi, et loquendi modum esse virgines, sive non corruptæ. Nam quod ad tactus impudicos, aut etiam pollutionem, quæ ipsæ in se provocant ; cum relinquant materialem illam virginitatem, nec privent communi illo, ac vulgari virginum statu ; communis etiam sententia fert ; quod pro eis confitendis opus non sit circumstantiam virginitatis explicare, et prudentes confessores id minime inquirunt, quin hon inquirere oportet a virginibus sacratis. Rursus aliæ, vel sunt sui juris, vel sub patria potestate, et parentum custodia. Denique vel virginitatem sponte sua amittunt, vel coacte, et per violentiam.

Et quidem in hoc posteriori casu, si non consentiant in carnalem delectationem, nihil habent, quod confiteantur, vel explicent aut de fornicatione aut de circumstantia virginitatis amissæ, quia in horum nihilo peccaverunt, ut supponitur. Si autem vel coactæ, vel per violentiam in carnalem delectationem consenserunt, non satisfacient confessioni dicendo præcise hunc turpem consensum, sed explicare debent virginitatis circumstantiam. Oppositum docuit Sanchez lib. 7, de Matrimon. disp. 14, num. 13. Sed nostra resolutio suadetur : quia in prædicto casu deflorans virginem per violentiam supra peccatum fornicationis committit stuprum proprie, et specialiter dictum, quod est species diversa peccati : ergo licet virgo coacta fuerit, et eo ipso non committat directe stuprum, sed patiatur : nihilominus, si in delectationem, et actum turpem tandem consentiat, cooperatur ad peccatum stupri, atque ideo non solum peccatum fornicationis committit ex operatione sua, sed etiam circumstantiam contrahit stupri propter cooperationem cum stupratore. Id- Ratio.

que declaratur exemplo ejusdem virginis, quæ, si vi, aut metu compelleretur ad actum turpem cum homine conjugato, aut sacerdote, in cujus actus delectationem ipsa tandem consentiret; dubio procul non solum committeret peccatum incontinentiæ, sed etiam adulterii, et sacrilegii saltem ob cooperationem cum illis, qui hæc peccata ob sui conditionem in illo committerent, ut satis constat ex dictis num. 113, et communiter conceditur : ergo pariter virgo, quæ licet coacta cooperatur tandem ad sui stuprum, et in illo actu delectatur committit peccatum cum circumstantia stupri, illamque exponere debet in confessione.

Evasio 1 et ejus enervatio.

117. Nec satisfacit, si cum Sanchez dicatur virginem in tali casu non cooperari ad sui stuprum, sed illud pati : sicut qui patitur sibi abscindi manum, ne occidatur, et de quo dici nequit, quod ad manus abscissionem cooperatur. Nam contra est, quod ille, qui ut vitam salvet, patitur suæ manus abscissionem, non delectatur in ea, sed illam solum permittit : in casu autem nostro supponitur delectari virginem in actu turpi, atque ideo coopererari cum stupratore ad illud speciale stuprandi peccatum. Sicut ille, qui sine justa causa petit mutuum sub usuris, pecca certe; non quidem, quia injuriam sibi inferat, sed quia cooperatur usurario peccanti, et injuriam illi inferenti.

Evasio 2 et ejus responsio.

Nec iterum satisfacit, si cum eodem Sanchez dicatur id verificari, quando circumstantia malitiæ dependet a voluntate cooperantis : quod hic non contingit; quippe non est in voluntate virginis, quod vir inferat violentiam. Nam contra hoc est, quod, licet non sit in voluntate virginis tollere vim ex parte viri, atque ideo formalem rationem stupri; stat tamen in ejus voluntate non consentire in actum turpem, cui adjungitur stupri circumstantia : unde convincitur consentire non solum in actum turpem, sed etiam in eam circumstantiam cooperandi ad stuprum. Quod solet explicari exemplo superioris aliquid mandantis sub præcepto : est enim in ejus potestate illud tollere : si tamen non tollat, et cum subdito cooperetur ad transgressionem, participat in ea cooperatione inobedientiæ malitiam.

Nec ulterius refert, si cum Lugone dicatur virginem in es casu cooperari stupro ab homine illato, non quatenus malum est, sed quatenus est minus malum : quia in ipso inferente violentiam minus est inferre stuprum, quam necem puellæ. Sic enim juxta satis communem sententiam Petro determinato ad occidendum Joannem licet consulere, quod illum vulneret : quia id non consulitur ut absolute malum, sed ut malum minus, sive minoritas mali, aut carentia mali majoris. Nam contra hoc est : nam in ita consulente non supponimus consensum, et delectationem in vulnerationem : si enim in eam positive consentiret, plane peccaret, nec oppositum docet illa sententia. In nostro autem casu supponitur virginem consentire, et delectari in actu turpi, atque ideo peccare saltem peccato fornicationis : huic autem in tali casu adjungitur circumstantia stupri ex parte viri violentiam inferentis, ut etiam suppónitur : ergo virgo non solum operatur culpam fornicationis, sed etiam cooperatur ad stuprum. Aliter autem contingeret, si ipsa non admitteret delectationem, sed præcise pateretur sui ignominiam, ad majus malum mortis vitandum, quod homo aggrediens minatur : pro quo melius adaptaretur exemplum propositum consulendo minus malum. Præterquam quod illa Lugonis doctrina est diminuta ad superandum objectam difficultatem : nam vir posset vim inferre non comminando mortem, sed aliud malum, quod vel in re, vel in æstimatione puellæ esset minus peccatum, quam ipsum stuprum : ut si dominus famulæ pauperi comminaretur ejectionem e domo, aut etiam e loco cum aliqua nota : quod plane minus malum esset, quam virginis constupratio, et tamen sufficientem violentiam induceret, quanta ad stuprum requiritur. In quo casu non verificatur, quod Lugo intendit, nempe puellam quasi consulere minus stupri malum, ut majus vitet in stupratore peccatum.

Nec tandem satisfacit, quod respondet Emmanuel a Conceptione disp. 3, num. 483, puellam in casu proposito consentire ex metu solum in actum turpem, non autem in violentiam, quæ infertur : cum autem ad stuprum requiratur violentia, minime colligitur illam peccare ex cooperatione

ratione ad stuprum. Nam contra hoc est doctrina certa, superius tradita num. 113, ex fusius dictis in tract. de peccatis, quod, ut circumstantia influat malitiam, non requiritur, quod sit per se volita, aut terminet effectum ; sed sufficit, quod cognoscatur, et quod possit retrahere, et non retrahat : nam eo ipso appetens, aut consentiens convincitur illam amplecti ex parte objecti, sive ferri in objectum cum tali circumstantia : quare non solum ab eo, sed ab ista etiam habet malitiam. Et ita contingit in casu proposito : nam etsi puella non consentiat in violentiam, consentit tamen in actum turpem violenter illatum, qui propriissime est stuprum, et cooperatur ad illum.

118. Sed oppones hinc inferri virginem gravius peccare, quando coacta consentit in sui defloralionem, quam si sponte fornicaretur ; consequens est absurdum : ergo et doctrina ex qua infertur. Sequela ostenditur : quia, si sponte fornicaretur, solum committeret simplicis fornicationis peccatum : dum vero coacte consentit, committit ultra fornicationem peccatum stupri cooperando ad hujusmodi peccatum; manifestum autem est plus peccare committentem simul fornicationem, et stuprum, quam qui præcise committit fornicationem : sequitur ergo ex nostra doctrina gravius peccare virginem, quæ coacta, et ex metu fornicatur, quam si id ageret sponte. Falsitas vero consequentis videtur manifesta : quoniam coactio, et metus diminuunt rationem voluntarii, atque ideo, et malitiam peccati, ut docent communiter Theologi, et Philosophi : ergo absurdum est dicere, quod virgo ex coactione, et metu consentiens in actum turpem plus peccet, quam si sponte consentiret. Et confirmatur : quia ex opposito fieret melius illam agere non resistendo a principio: quod nemo prudens admittet ; cum resistere peccato sit de se bonum, et commendabile, quamdiu durat.

Ad objectionem respondetur concedendo sequelam ad hunc sensum, quod committit plura pecctaa, fornicationem scilicet, et stuprum. Et ad improbationem consequentis dicendum est rationem voluntarii diminui in eodem peccati actu, quando fit ex metu. et coactione ; sed non impedire, quod actus peccati induat novam malitiam, et in hoc sensu fit majus peccatum. Quod facile declaratur exemplo ejus, qui furatur sponte, et ejus, qui metu, et coactione obligatus adjuvat alterum, illique ad furandum cooperatur : nam primus solum committit unum peccatum : secundus vero committit duo peccata numero distincta, et in confessione explicanda. Ubi fieri valet eadem objectio, et difficultatis repræsentatio, quod gravius peccet, qui furatur coactus, quam qui furatur sponte : et respondendum est eodem modo, quod peccat gravius, id est plus peccat, quatenus committit plura peccata, nempe propriam operationem furandi, et cooperationem, ut alius furetur. An vero intensius peccet, est alia omnino difficultas : et non dubitamus quod in uno furto sponte commisso queat dari plus voluntarii, et major ab hoc capite malitia, quam in duobus actibus furandi, et adjuvandi alium ad peccandum, quando ex metu, aut coactione fiunt : quamvis nec in hoc certa regula assignari valeat, cum dependeat èx voluntate, et aliis malitiæ principiis, quibus unicus actus furandi sponte fit, et ex quibus possit excedere malitiam duorum peccatorum, et fundare majorem coram Deo pœnæ reatum. Et idem dicimus in casu proposito, quod virgo plus peccat, id est, plura peccata committit, ubi fornicatur cum stupratore violento, quam si sua sponte peccaret : sed forte sponte fornicans plus, hoc est gravius, et intensius peccaret. Idemque in similibus casibus dicendum est, ut, si quis coactus haberet pollutionem coram alio : gravius peccaret, quam illam sponte, quia ultra proprium peccatum cooperaretur ad peccatum alterius, vi procurantis aspectum tam turpem. Ad confirmationem neganda est sequela : quia resistere peccato non solum est bonum, sed lege divina necessarium : et ideo virgo melius simpliciter agit resistendo, quam si a principio consentiret. Quod vero postea non persistat in resistendo, est per accidens, atque ex humana fragilitate. Sicut infidelem venire ad fidem est per se bonum, et commendabile : sed quod postea illam deserendo gravius peccet, quam si illam non suscepisset, est per accidens, et non ex ipsa fide, nec ejus assensu, sed ex peccandi, quam ex nobis habemus, potestate, aut potius infirmitate. Videatur Dicastillo disp. 9, dub. 8, cap. 1, a num. 445, ubi pluribus hinc inde circa

Confirmat. respons.

Dicast.

hoc punctum discussis, concludit num. 154, quod per principia intrinseca est nostra sententia probabilior, quamvis non audeat improbare contrariam.

119. Sed eo accidentali, et particulari casu prætermisso, et regrediendo ad principale consectarium, tenendum est virginem, quæ est sui juris, fornicantem non committere aliud quam fornicationis peccatum, nec obligari subinde ad manifestandum in confessione, quod eo primum peccato virginitatem amiserit : virginem constitutam sub potestate parentum, vel tutorum parentum loco, si fornicetur, addere malitiam stupri, et debere illam circumstantiam, utpote a simplici fornicatione diversam explicare in confessione. Contrariam priori consectarii parti opinionem docent Nugnus in Supplem. q. 9, dub. 3, Petrus de Ledesma de Pœnit. cap. 19, dub. 5, Candidus, disp. 24, art. 23, dub. 7, N. Thomas a Jesu, Villalobos, Bonacina, et alii apud Leandrum disp. 8, quæst. 16, et putant sic docuisse D. Thomam. Sed id cum ea generalitate non asseruit, sed cum limitatione in secunda parte corollarii proposita, ut statim constabit. Prima vero ostenditur : quia virgo, quæ est sui juris, cum primo sponte virginitatem amittit, nulli facit injuriam, nec aliam supra fornicationem addit circumstantiam specie diversam : ergo non committit nisi peccatum fornicationis, nec aliud confiteri tenetur. Quod enim aliqui dicunt de clausura obsignante uterum virginalem, quam vocant membranam, facile reputant, et falsum peritissimi Medicorum, non aliud recognoscentium, quam partium comprehensionem, et complicationem. Esto autem daretur ; subditur tamen virginis potestati illud admittere sine alia nova malitia, quam fornicationis : sicut in ejus similiter potestate est amittere naturalem pulchritudinem per turpe illud repetitum exercitium, ut plerumque contingit. Unde nostra resolutio est communissima, illamque amplectuntur Sotus in 4, dist. 18, q. 2, art. 4, Sanch. lib. 7, de matrim. disp. 14, n. 5, Dicastillo disp. 9, dub 8, n. 443, N. Antonius disp. 8, sect. 1, § 9, n. 428, Lugo disp. 16, n. 216, Suar. Vasq. Lessius, Diana, Trull. Navarro, et alii plures, quos refert, et sequitur Leand. loc. cit.

Nugn. Ledesm. Cand. Thom. Villalob. Bonacin. Ratio.

Sotus. Sanch. Dicast. Anton. Lugo. Suarez. Vasquez. Lessius. Diana. Navarr.

Secunda vero corollarii pars de virgine sub parentum, aut tutorum potestate, et custodia existente probatur auctoritate, simul et ratione D. Thom. 2, 2, q. 154, art. 6, ubi ait : « Dicendum, quod ubi circa « materiam alicujus vitii occurrit aliqua « specialis deformitas, ibi debet poni deter- « minata species illius vitii. Luxuria autem « est peccatum circa venerea, ut supra « dictum est. In virgine autem sub custodia « patris existente quædam deformitas spe- « cialis occurrit, si corrumpatur : tum ex « parte virginis, quæ ex hoc, quod violatur « nulla pactione conjugali præcedente, im- « peditur a legitimo matrimonio conse- « quendo, et ponitur in via meretricandi, « a quo retrahebatur, ne signaculum vir- « ginitatis amitteret. Tum etiam ex parte « patris, qui de ejus custodia sollicitudi- « nem gerit, secundum illud Eccles. 42, « super filiam luxuriosam confirma custo- « diam, ne quando faciat te in opprobrium « venire inimicis. Et ideo manifestum est, « quod stuprum, quod importat illicitam « virginum defloration em sub cura paren- « tum existentium, est determinata luxu- « riæ species. » Hæc S. Doctor. Ex quibus liquet ipsum non agere de qualibet virginum defloratione, nec docere omnem cum virgine coitum esse stuprum, et speciale luxuriæ peccatum ; sed determinate loqui de his, quæ sunt sub patria potestate, ut liquet ex illis verbis : « In virgine autem « sub custodia patris existente quædam de- « formitas, etc. » Et iterum repetit in fine, « Importat illicitam virginum defloratio- « nem sub cura parentum existentium. » De his igitur affirmat, quod illegitima earum defloratio, quæ in prima fornicatione contingit, sit stuprum et particularis luxuriæ species ob injuriam, quæ fit patri, sub cujus potestate, et custodia virgo existebat. Quæ injuria non est apparens, aut imaginaria, sed vera in omnium æstimatione, ut constat ex testimoniis Scripturæ, *Confirma custodiam, ne quando faciat te in opprobrium venire inimicis.* Et præmissum discursum magis confirmat Angelicus Doctor in resp. ad 3, his verbis : « Dicendum, « quod nihil prohibet unum peccatum ex « adjunctione alterius deformius fieri. Fit « autem deformius peccatum luxuriæ ex « peccato injustitiæ » (ecce circumstantiam mutantem speciem) « quia videtur

« tur concupiscentia esse inordinatior, « quæ a delectatione non abstinet, ut injuriam vitet. Habet autem duplicem injuriam connexam. Unam quidem » (hæc pertinet ad stupratorem) « puellæ, quam « etsi non vi corrumpat, tamen eam seducit, et sic tenetur ei satisfacere. Unde dicitur Exod. 22 : Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea dotabit eam, et habebit eam in uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddat pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Aliam vero injuriam facit patri puellæ : unde ei secundum legem tenetur ad pœnam. Dicitur enim Deut. 22 : Si invenerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, et apprehendens concubuerit cum illa, et res ad judicium venerit, dabit, qui dormierit cum ea, patri puellæ 50 siclos argenti, et habebit eam uxorem. Et quia humiliavit illam, non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ suæ. Et hoc ideo ne videatur ludibrium fuisse, ut Augustinus dicit. » Ex quibus constat, quod etiam abstrahendo ab injuria, quam violator infert puellæ, quæ ipsa sponte consentiente nulla est, datur ulterius injuria parenti puellæ irrogata, pro qua eluenda imponitur pœna quinquaginta siclorum argenti patri solvendorum. Ad hanc vero patris injuriam non minus concurrit puella in sui defloratione sponte veniens, quam violator. Unde concluditur virginem sub patris custodia existentem, si sponte fornicetur, addere supra peccatum fornicationis, specialem circumstantiam injuriæ in parentem : cui facile addemus aliam ex defectu pietatis, et reverentiæ ipsi debitam. Unde ultra illos, qui generaliter docent virginem, quæ sponte amittit virginitatem, committere stuprum, et debere circumstantiam virginitatis primo amissæ explicare in confessione, id docent specialiter de virgine sub patria potestate existente Sotus, Silvester, Angelus, Tabiena, Armilla, Graffius, Pedrosa, Torreblanca, et alii apud Leandrum disp. 8, quæst. 17. Et Trullench lib. 6, cap. 5, dub. 3, licet teneat sententiam oppositam, fatetur nostram esse communem. Quibus addendi sunt N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num 57, Lessius de Justitia cap. 10, dub. 1, Salas tom. 2, in 1, 2, tract. 13, disp. 6, num. 59, Dicastillus disp. 9, dub. 8, num. 443, et Illustrisim. Lepe in Catechismo Catholico part. 3, cap. 23, num. 9, dicens de hoc dubitari non posse. Qui optime observant eam circumstantiam defloratione afferre per se gravem malitiam contra pietatem et charitatem debitam parentibus, sed quorum potestate, et cura virgo degebat. Nam illis infert vehementem justi doloris causam, et gravem ignominiam in communi æstimatione : et ansam, ut alii judicent de minori parentum diligentia in recte educando, et servando virginem. Quod est illis opprobrium, ut ex Scriptura vidimus. Compellit etiam illos incontinentia filiæ, ut vel eam in minus digno collocent matrimonio ; vel ad augendum dotem, ut digne collocent : unde ulterius consequuntur gravissima damna, ut cædes, et inimicitiæ inter familias, aliaque incommoda, ut satis ex se, et ipsa experientia liquet.

Confirmatur : nam longe major inordinatio erga parentes est in eo, quod filia sub parentum potestate existens amittat sponte virginitatem per copulam illicitam, quam quod matrimonium contrahat absque illorum licentia. et consilio : siquidem manifestum est in hoc secundo minorem illis fieri injuriam, minoremque illis dari mœroris causam, quam in primo. Sed quod virgo sub potestate parentum constituta absque eorum consilio, et consensu nubat, est peccatum mortale, ut recolunt gravissimi Auctores, Sotus in 4, dist. 78, quæst. 1, art. 1, Bellarminus lib. 1, de Matrim. cap. 14, Navarrus in Summa, cap. 14, num. 5, Basilius lib. 2, cap. 1, Ledesma 3, part. quæst. 47, art. 6, dub. 2, Henriquez, Rodriguez, Rebellus, et alii apud N. Andream, de Matrimonio, cap. 6, punct. 2. Et saltem talem virginem teneri sub mortali consulere circa hoc parentes, et expectare eorum consilium, docent præter relatos, Thomas Sanchez, N. Gabriel, et Coninchus apud prædictum Andream loco cit. num. 21. Et quamvis ipse oppositam sententiam tueatur, nihilominus recognoscit num. 24, motiva prædictarum sententiarum multo magis urgere in filiabus, quam in filiis : nam illæ minus cognoscere queunt inconvenientia, quæ ex matrimonio absque obedientia, aut saltem parentum notitia contrahere tentant, possunt sibi, et

Confirmatio.

Sotus, Bellarm. Navarr. Basilius. Henriq. Rebell.

Thom. Sanch. Gabriel. Coninch.

familiæ provenire ; et aliunde illarum honestatem decet ad matrimonium contrahendum non se intromittere. Propter quæ, et alia motiva supposuit ab initio prædictus Auctor ut omnino certum filias ita se gerentes non posse a peccato saltem veniali excusari. Unde non satis consequenter postea num. 22 asseruit tale peccatum non esse mortale : nam materia ex genere suo satis gravis est, ut constat ab effectu, sive inconvenientibus, quæ matrimonio absque licentia, aut saltem notitia parentum facta per se, et regulariter loquendo consequuntur. Et quod culpa sit gravis, ex eo convincitur, quod parentes possunt juste filios, ipsis invitis, aut inconsultis, contrahentes bonorum hæreditate privare, ut præter supra relatos docent Molina de Justitia tract. 2, disp. 179, Vega lib. 5 Summæ, casu 559, et alii plures, nec Andreas negat id esse probabile ; nec quidem posset : nam præter plurimas leges juris civilis communis ita disponentes, et quæ per jus canonicum non sunt correctæ, dantur particulares leges Regnorum Hispaniæ, Galliæ, Lusitaniæ præbentes parentibus facultatem exhæredandi filios, qui matrimonium celebrant contra earum voluntatem. Quæ pœna cum sit gravissima, manifestat gravitatem culpæ in contrahentibus illo modo. Cum ergo longe majorem contra parentes inordinationem committat virgo sub eorum potestate constituta, quæ virginitatem prostituit ; siquidem istud est incomparabiliter turpius, et pro quo nullus possit præsumi, aut imaginari parentum consensus ; sequitur virginem ita se gerentem committere præter fornicationem aliud speciale peccatum, illud scilicet, quod D. Thomas significavit, injuriæ videlicet in parentes, sub quorum custodia, potestate, et directione manebat.

Molin. Vega.

Opinio opposita. Diana. Lugo Ochog. Fagund. Trull. Leand. Delgad. Anton.

120. Contrariam opinionem tuentur Diana, Lugo, Ochogavia, Fagundez, et Trullench, quos refert, et sequitur Leander disp. 8, qu. 17, Delgadillo, cap. 18, dub. 69, Emmanuel disp. 3, quæst. 11, num. 478, N. Antonius disp. 8, sect. 1, § 9, num. 429, et alii. Qui communiter illam fundant in eo, quod motivum ex D. Thoma desumptum, et a nobis propositum non concludat. Tum, quod licet virgo sit sub patria potestate, nihilominus est domina proprii corporis : ergo illo utendo ad actum turpem nemini ex vi hujus facit injuriam, ut patet in eadem virgine, si liberi sit a patria potestate, et committat simplicem fornicationem, ut diximus nu præc. in prima corollarii parte. Tum etiam, nam, quod ex amissione virginitatis in filia ; sequatur major parentum, aut aliqua eorum infamia, est pe accidens, et præter intentionem puellæ : at que ideo non sufficit, ut ejus fornicatio su perinduat specialem malitiam injuriæ aut impietatis in parentes, ut patet in religioso incontinente, qui etiam sua turpitudine dat suæ religioni occasionem alicujus dedecoris, et tristitiæ ; et tamen non propterea incurrit suo peccato malitiam injustitiæ, impietatis, aut inobedientia contra suam religionem. Tum præterea, quia prædicta incommoda non solum sunt præter intentionem puellæ fornicantis, sed etiam quæ vitari, et impediri possunt vel occultatione, vel aliis mediis, ita ut matrimonium ejus non fiat parentibus magis onerosum, sed æque bene fiat, ac si illa corrupta non fuisset. Tum denique, nam ex opposito fieret illam non solum incurrere illam specialis malitiæ circumstantiam in sua defloratione, sive in prima fornicatione. Sed etiam in secunda, et in tertia, et aliis commissis, quamdiu manet sub patria potestate ; siquidem in his, sicut et in prima occurrunt eadem incommoda injuriæ, et diffamationis, ac mœroris, ut nos ponderavimus, in parentibus. Quod tamen nemo dicit, nec in usu est, quod jam corrupta explicat in suis fornicationibus similem circumstantiam.

Motivum 1.

Secundum.

Sed his occurrere non est arduum : quia non vitant, quod motivum a D. Thom. propositum currat, ut urgeat per se in casu præmisso : sed solum quod aliquando, et per accidens possit aliqua ratione impediri : in his autem doctrinalibus resolutionibus attendendum est ad ea, quæ per se, et communiter sunt, non ad ea, quæ sunt per accidens. Unde ad *primum* respondetur : puellam sub patria potestate existentem dominam quidem sui corporis esse, sed cum dependentia a parentibus ob reverentiam eisdem debitam. Unde communis sententia est illam, si inconsultis parentibus se det in matrimonium, peccare saltem venialiter : quod manifestum signum est prædictæ dependentiæ. Quanto igitur amplius

amplius peccabit, si fornicetur ? Ad *secundum* dicendum, quod, ut puella committat culpam injuriæ, et irreverentiæ in parentes, non requiritur, quod id intendat ; sed sufficit, quod prævidens eam circumstantiam, per illam non retrahatur a peccando : sic enim convincitur velle fornicationem cum injuria parentum, ut jam sæpius in superioribus dictum est, et patet in eadem peccante cum conjugato, quamvis enim non intendat offendere ejus uxorem, tamen committit contra illam injustitiam. Et exemplum religiosi incontinentis non magis evincit : nam, si prævideret ex suo peccato similia damna passuram suam Religionem, similem profecto malitiam suæ incontinentiæ adderet necessario explicandam in confessione. Sed id communiter, et per se non contingit in viris, quorum unum, aut aliud incontinentiæ peccatum ita occultari potest, et solet, ut nulla infamia refundatur in Religionem. Secus accidit in fœminis, ut statim constabit. Ad *tertium* respondetur : illam occultationem, et alia remedia esse omnino per accidens respectu infamiæ, et injuriæ parentum, istud namque damnum sequitur per se ad filiæ defloratiónem, quæ per se affert imprægnationem, partum, principium meretricandi, et alia, quæ per se, et communiter loquendo minime occultari valent, et inducunt parentum justissimam tristitiam, et non mediocrem infamationem. Ad quartum negamus sequelam : nam illa specialis parentum injuria jam in defloratione, seu prima filiæ fornicatione inducta fuit : et per accidens est, quod filia ea peccata repetat, quæ communiter præsumuntur de illa, quæ virginitatem exposuit, et parvipendit : in communi enim æstimatione, priori infamatione supposita, hoc posterius non multum refert ad ejus incrementum, quin habetur tanquam ejus regulariter appendix.

121. Sed duo hic observare oportet. Primum circa nostram resolutionem, quod licet ea vera sit ; nihilominus negare non possumus probabilitatem contrariæ, sumptam præcipue ab auctoritate illam defendentium. Qua probabilitate utens, quæ virginitatem in casu proposito amisit, poterit eam circumstantiam non explicare in confessione, sed solum peccatum fornicationis; præcisive ab eo quod virginitatem eo peccato perdiderit, et quod tunc fuerit, aut non sub potestate parentum. Et eadem probabilitate agens confessarius excusatur ab inquirendo circa prædictas circumstantias : et consultius est, quod ab ea inquisitione abstineat ob qualitatem materiæ, tam conversatione, quam imaginatione, quantum licite fieri potest, vitandæ. Unde quamvis resolutionem nostram speculative censeamus veriorem, (nempe defloratiónem virginis sub patria potestate existentis importare circumstantiam mutantem speciem) tamen quantum ad praxim confitendi, (videlicet non explicando eam circumstantiam, nec circa illam inquirendo) multum inclinamur ad contrariam, et eam consuleremus sufficienti, ut putamus, securitate.

Secunda. Secundum circa fundamentum prædictæ resolutionis : cum namque in eo positum sit, quod virgo sub patria potestate existens per amissionem voluntariam virginitatis injuriam irroget parentibus, ut explicuimus, et addat proinde supra fornicationem circumstantiam specie diversam : inde a contrario sensu colligendum est, quod parentibus consentientibus (vel formaliter per expressum consensum, vel virtualiter ex non repugnantia, aut resistentia) in filiæ defloratiónem, hæc erit tantum fornicatio, et non contrahet specialem injustitiæ malitiam : quia scienti, et consentienti non fit injuria : et propterea nec virgo corrupta, nec stuprator obligabitur aliud confiteri, quam simplicem fornicationem. Quod declaratur exemplo : nam, si sponsa fornicetur cum alio, committit incontinentiam cum circumstantia injuriæ sponso irrogatæ, necessario explicanda in confessione : sed, si consentiente sponso alteri commisceretur, solum committeret incontinentiæ peccatum : quia sponso cedenti non fieret injuria. Idemque in nostro casu dicendum est, ubi parentes consentiunt. Cui doctrinæ non opponitur decretum Innoc. XI damnantis hanc (50, inter alias) propositionem : « Copula cum « conjugata consentiente marito non est « adulterium : ideoque sufficit in confes- « sione dicere esse fornicatum. » Non inquam, opponitur : nam in matrimonio junctis occurrit ratio longe diversa, bonum scilicet fidei Sacramenti, cui conjuges nec renuntiare, nec contradicere possunt : et quamvis renuntiarent, nihil efficere pos-

Propositio damnata.

sent ob indissolubilitatem sacramentalis conjugii ; sed semper resultaret injuria tum in sacramentum, tum in conjugem ut ea ligatum. Quæ ratio non militat in parentibus respectu filiæ, sicut nec in sponso respectu sponsæ, ut ex se liquet.

Septimum.

122. Colligitur septimo confessarium, qui omnino extra actum confessionis, et procul prorsus ab illo, et ejus titulo, libidinose peccavit cum pœnitente, non obligari ad manifestandum in confessione circumstantiam pœnitentis, quod scilicet sit, aut fuerit, ut vocare solent, filia spiritualis. Diximus, « confessarium, qui omnino extra actum « confessionis, » etc. ut significaremus oppositum dicendum fore, ubi vel in actu confessionis, vel ejus prætextu, vel in confessionis loco, vel alibi paulo post confessionem confessarius provocaret pœnitentem ad actus libidinosos : tunc quippe incurreret malitiam sacrilegii ob irreverentiam in Sacramentum ; quam merito Ecclesia punit gravissimis pœnis impositis contra confessarios sollicitantes. Et idem proportionabiliter dicimus de confessario, qui titulo dirigendi filias confessionis illas frequenter visitat, et alloquitur, agitque de præteritis confessionibus, et hoc titulo corruit in turpia, aut in non raro contingens ruendi periculum : nam hoc etiam species quædam sacrilegii est, illud faciens odiosum apud fœminarum parentes, vel maritos, ut optime observavit N. Franciscus, cap. 8, punct. 4, num. 58. Quare consectarium nostrum procedit præcisive ab omnibus his circumstantiis, attendendo dumtaxat ad hoc, quod confessarius rem turpem habuerit cum ea, cujus confessionem, aut confessiones audierit. Et nec sic intellectum, ac restrictum difficultate caret : nam sententia illi contraria est certe communior, quam docent Sotus, Viguerius, Nugnus, Turrecremata, Gallego, Vivaldus, Lopez, Tabiena, Armilla, Navarrus, Sanchez, Coninchus, Fagundez, et alii plures apud Dianam 1 p. tract. 7, resolut. 12, et Dicastillum disp. 9, dub. 8, numer. 602. Et hanc sententiam censet probabiliorem N. Andreas de Matrimon. cap. 12, punct. 2, numer. 27, quia apparet magis conformis D. Thomæ : de quo statim. Et quamvis ejus patroni varient in assignando specialem in hoc casu malitiam, et radicem ejus, ut propterea opus sit talem circumstantiam explicare in confessione : nihilominus communius, et validius apud illos fundamentum est, quod inter confessarium, et pœnitentem generatur non quidem ex natura rei, sed ex institutione Ecclesiæ, quædam cognatio spiritualis sicut in Baptismo, et Confirmatione contingit : quare sicut baptizans, si fornicetur cum a se baptizata, incurrit specialem malitiam in confessione explicandam ; sic etiam incurrit confessarius, qui peccat cum ea, cujus confessionem excepit. Assumptum vero probatur urgenter ex Jure Canonico : nam in Can. *Omnes* 30, quæst. 1, inquit Symmachus Papa : « Om- « nes quos in pœnitentia suscipimus, ita « sunt nostri spirituales filii, ut et ipsi « quos vel nobis suscipientibus, vel trinæ « mersionis vocabulo mergentibus, unda « sacri Baptismatis regeneravit. » Et Sylvester Papa ibi relatus subjungit : « Nullus « sacerdos causa fornicationis ad suam « pœnitentialem accedat : quia scriptum « est : Omnes, quos in pœnitentia accipi- « mus, ita filii nostri sunt, ut in Baptis- « mate suscepti. » Et ibidem in Can. *Non debet*, addit Cœlestinus Pontifex : « Non « debet Episcopus, aut Presbyter commis- « ceri cum mulieribus, quæ sibi fuerint « confessæ peccata. Si forte (quod absit) « hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de « filia spirituali, Episcopus quindecim « annos, Presbyter duodecim, etc. » Quæ similitudo a tot Pontificibus asserta, et graves contra peccantes cum filiabus confessionis pœnæ ab eisdem statutæ palam videntur assumptum evincere.

Franc.

Sotus, Viguer. Nugnus. Turr. Gall. Vivaldus Lopez, Tabien. Armill. Sanchez. Navarr. Coninch. Fagund. Andreas.

Sed persistendum est in proposito consectario, quod etiam amplectuntur Petrus de Ledesma de Matrim. quæst. 56, art. 2, dub. ultimo, et in Summa de Pœnit. cap. 19, Basil. Pontius de impedimentis matrim. causa 30, cap. 24, Bonacina quæst. 4, de matrim. punct. 16, num. 7, Joannes Sancius disp. 11, num. 5, Ochogavia, Ludovicus de S. Joan. Gaspar Hurtado, Lugo, quos refert, et sequitur Dicastillo loco cit. num. 603, N. Gabriel de Pœnit. disp. 8, quæst. 6, difficult. 5, Emmanuel a Concept. disp. 3, quæst. 13, num. 503, pro eadem referens Moyam disp. 3, de Pœnit. quæst. 2, Villalobos tract. 9, difficult. 36, et alii plures. Fundamentum desumitur ex eversione contrarii, et potest ita proponi : nam quod sacerdos peccet cum muliere, cujus

confessionem

confessionem semel, vel aliquoties audivit, non importat ex vi hujus circumstantiam specie diversam, sed ad summum aggravantem intra eandem speciem : ergo talis circumstantia non debet necessario explicari in confessione. Consequentia patet ex generali doctrina dub. præced. tradita. Antecedens vero suadetur, quia, quod inter confessarium, et pœnitentem contrahatur aliqua specialis spiritualis cognatio, contra quam agat sacerdos turpiter peccando cum pœnitente, et propter quam peccato incontinentiæ addat circumstantiam malitiæ specifice diversæ, ut Adversarii discurrunt; vel provenerit ex ipsis rerum naturis, vel ex dispositione Ecclesiæ, quippe talis effectus in aliud caput revocari non valet, ut discurrenti constabit; at in primis id revocari non potest in rerum naturas, ut fere omnes Adversarii recognoscunt. Quid enim ex natura rei interest quod sacerdos semel, aut his ministraverit mulieri sacramentum pœnitentiæ, ut propterea dicendus sit habere cum ea speciale vinculum cognationis spiritualis ? Plane, si res ita se haberet, idem contingeret sacerdoti administranti semel, aut bis mulieri sacramentum Extremæ unctionis, et frequentissime sacramentum Eucharistiæ. Quod nemo dixit, aut imaginatus est. Rursus, quod ad Ecclesiæ dispositionem attinet, fatemur illam olim ita ordinasse, prout ex relatis canonibus edocemur, saltem quantum ad impositionem satisfactionum sive pœnitentiarum, quæ ibi recensentur. Sed modo non datur in Ecclesia talis dispositio, sive ordinatio, quin positive revocata est per Bonifacium VIII, ut constat ex titulo *de cognatione spirituali* in 6. Nam in cap. 1, (tribus tantum componitur ille titulus) asserit cognationem spiritualem ex Baptismo dicens : « Cognationem spiritualem ex Bap« tismo contrahi jure constat. » Deinde cap. 2, asserit cognationem spiritualem ex Confirmatione, dicens, « ut ex Prædeces« sore nostro Clemente Papa III colligitur « evidenter. » Demum cap. 3, et finali concludit : « Ex datione aliorum Sacra« mentorum cognatio spiritualis nequa« quam oritur. » Ergo modo in Ecclesia non datur alia cognatio spiritualis, atque ideo nec illa, quæ olim juxta allegatos canones oriebatur ab administratione sacramenti pœnitentiæ : nam lex posterior corrigit, restringit, aut etiam tollit priorem. Et per hoc patet ad fundamentum prioris sententiæ, quin opus sit alia ei occurrere responsione. Doctrina vero immediate tradita vel ex eo non infime confirmari potest, quod ubi in Confessarii non intervenit crimen solicitationis, prout ambit confessionis actum, locum, prætextum, simulationem, et alia omnia, quæ ultimo recensentur in bulla Gregorii XV, circa hanc materiam : nemo curat, quod mulier aliquando confessa fuerit sacerdoti, cum quo postea peccat : neque quod sacerdos parochus peccet aliquando cum mulieribus suæ Parochiæ quarum confessiones audire solet, et ex officio debet. Quamvis enim hoc satis turpe sit, et dignum gravi supplicio ; tamen non reputatur peccatum contra aliquam spiritualem cognationem, nec punitur pœna in eis antiquis canonibus assignata. Quod signum est correctos fuisse per contrariam declarationem Ecclesiæ, et communem fidelium consuetudinem, sciente ipsa Ecclesia firmatam.

123. Et hanc, quam præferimus esse, D. Thomæ sententiam, cujus auctoritate impeditus N. Andreas magis adhæsit contrariæ opinioni, constat transcribendo integrum testimonium Angelici Doctoris (quod non satis expendit prædictus Auctor) in 4, dist. 42, q. 1, art. 2, et reperitur in Supplemento q. 56, art 2, eisdem verbis. Agit itaque D. Thomas de causis, per quas indu- D. Tho.
citur spiritualis cognatio, et rejectis aliquibus opinionibus, concludit in corp. art. « Et ideo alii dicunt, quod tantum per duo « Sacramenta contrahitur, scilicet per Con« firmationem, et Baptismum : et hæc est « opinio communior. » Cui ipse subscribit, et robur addit optima congruentiæ ratione in resp. ad 1, dicendo : « Duplex est car« nalis nativitas. Prima in utero, in quo Idem.
« adhuc id, quod natum est, est adeo debile, « quod non possit extra exponi sine peri« culo : et huic nativitati assimilatur rege« neratio per baptismum, in quo regene« retur aliquis adhuc quasi fovendus intra « uterum Ecclesiæ. Secunda est nativitas « ex utero, quando jam quod natum erat, « tantum in utero roboratum est, quod « potest sine periculo exponi exterioribus, « quæ nata sunt corrumpere : et huic assi« milatur Confirmatio, per quam homo « roboratus exponitur in publicum ad con-

« fessionem nominis Christi. Et ideo con-
« grue per utrumque istorum Sacramento-
« rum contrahitur spiritualis cognatio. »
Hæc S. Doctor, nullam aliam ex aliis
Sacramentis ortam recognoscens spiritua-
lem cognationem. Quam resolutionem
Concil. Trid. multum commendavit Concilium Trid.
sess. 24. de Reformat. cap. 2, has a D.
Thoma assignatas recensens, et admittens,
« omnibus, *ut inquit*, inter alias personas
« hujus spiritualis cognationis impedimen-
« tis omnino sublatis. »

Nunc videamus, quæ ex D. Thom. pos-
sunt opponi, et opponit N. Andreas, et ex
eis convincemus S. Doctorem esse evidenter
pro nobis. Octavum argumentum erat :
« Sicut per Baptismum tollitur peccatum
« originale, ita per pœnitentiam actuale :
« ergo sicut baptismus causat spiritualem
« cognationem, ita et pœnitentia.» Nonum
erat : « Pater nomen cognationis est : sed
« per pœnitentiam, et doctrinam, et curam
« pastoralem aliquis dicitur alteri spiritua-
« lis pater : ergo ex multis aliis præter
« baptismum, et confirmationem spiritua-
« lis cognatio contrahitur. » Quæ ita di-
luit. « Ad octavum dicendum, quod per
« sacramentum pœnitentiæ non contrahi-
« tur proprie loquendo spiritualis cogna-
« tio. Unde filius sacerdotis potest con-
« trahere cum illa, quam sacerdos in
« confessione audivit : alias filius sacer-
« dotis non inveniret in tota Parochia
« mulierem, cum qua contrahere posset.
« Nec obstat, quod per pœnitentiam tolli-
« tur peccatum actuale : quia hoc non est
« per modum generationis, sed magis per
« modum sanationis. Sed tamen per pœni-
« tentiam contrahitur quoddam fœdus inter
« mulierem confitentem, et sacerdotem,
« spirituali cognationi simile : ut tantum
« peccet eam carnaliter cognoscens, ac si
« esset sua spiritualis filia. Et hoc ideo,
« quia maxima familiaritas est inter sa-
« cerdotem, et confitentem. Et ob hoc ista
« prohibitio est inducta, ut tollatur pec-
« candi occasio. Ad nonum dicendum, quod
« pater spiritualis dicitur ad similitudi-
« nem patris carnalis. Pater autem carna-
« lis, ut Philosophus. dicit in 8 Ethic.
« tria dat filio, esse, nutrimentum, et
« instructionem. Et ideo pater spiritua-
« lis aliquis alicujus dicitur ratione ali-
« cujus horum trium. Tamen ex hoc,
« quod est spiritualis pater, non hab
« spiritualem cognationem, nisi conveni
« cum patre quantum ad generationer
« per quam est esse. Et sic etiam pote
« solvi octavum, quod præcessit. » Ex qu
bus liquet, quam nihil subsidii habeat
D. Thoma opinio contraria ; siquide
expresse affirmat « per sacramentu
« pœnitentiæ non contrahi proprie l
« quendo spiritualem cognationem.» Affi
mat etiam « ad hoc, quod, ut pater spir
« tualis habeat cum aliqua spirituale
« cognationem requiri, comparetur
« pater quantum ad generationem, si
« communicationem primi esse : quod nc
« reperitur in sacramento pœnitentiæ
« utpote non institutum per modum gene
« rationis, sed per modum sanationis.
Affirmat denique inter confessarium,
pœnitentem « contrahi quoddam fœdu
« spirituali cognationi simile.» Ergo ex ej
sententia inter confessarium, et pœniter
tem non datur cognatio spiritualis ver
et proprie talis ; sed solum aliqua conjun
tio spirituali cognationi similis. Id ve
minime sufficit, ut actus turpis Confessar
cum pœnitente induat supra incontine
tiam aliam malitiæ circumstantiam spec
distinctam. Quæ vero difficultatem facesse
queunt, sunt illa verba : « Ut tantum pe
« cet carnaliter cognoscens, ac si ess
« sua spiritualis filia : » quippe si ve
esset sua filia spiritualis proculdubio co
traheret specialem malitiam necessar
explicandam in confessione. Sed evacuat
ea difficultas respondendo S. Doctore
loqui secundum canones antiquos sup
relatos, et in ordine ad pœnitentias in ei
dem statutas. Cum enim suo tempore adh
vigerent, oportuit, quod secundum ill
tunc loqueretur. Sed illos postea correxi
restrinxitque Bonifacius VIII, cujus decr
tum non vidit S. Doctor, quia tempo
Bonifacium præcessit. At, si vidisset,
subscriberet, ut nos fecimus. Nihil er
est in D. Thoma, quod adjuvet opinione
adversam.

124. Colligitur octavo Eunuchum, si
impotentem, si fornicetur, debere in co
fessione hanc circumstantiam explicar
Quia tale peccatum est contra naturam, u
pote oppositum fini generationis : atqu
ideo importat circumstantiam mutante
speciem, ut contra Filliucium, qui de h

dubitas

dubitasse videtur, docent communiter Auctores apud Dianam 3 part. tract. 4, resolut. 139, Lugo, Dicastillo, N. Gabriel, N. Antonius, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 65, et nominatim Thomas Sanchez lib. 7, de matrim. disp. 5, num. 14, qui tamen non satis consequenter processisse videtur, cum postea eodem lib. disp. 102, a num. 6, affirmat licere copulam marito non potenti verum semen effundere, quia utroque teste caret: nam talis, inquit ille, utitur jure suo, dum vacat actui conjugali, quem matrimonium permittit. Quæ duæ assertiones minime cohærere videntur; nam, si fornicatio eunuchi est peccatum contra naturam, neutiquam regulatur penes statum matrimonii, aut ejus carentiam; sed penes modum ipsius copulæ per respectum ad possibilem ex ea generationem, quæ est finis talis actus. Et ideo copula, quæ inter solutos est contra naturam etiam est contra naturam si inter illos jam conjugatos eodem modo exerceatur. Unde falso asserit Sanchez maritum ex supervenienti accidenti factum eunuchum uti jure suo, vacando actui, quem matrimonium permittit: quoniam matrimonium non permittit copulam contra naturam, nec ullum jus esse potest ad actum naturæ contrarium. Quare magis consequens foret, vel negare fornicationem eunuchi esse peccatum contra naturam, quod communi sententiæ repugnat: vel concedere copulam mariti facti eunuchi esse contra naturam, ac perinde importare circumstantiam malitiæ necessario explicandæ in confessione. In quo non oportet amplius immorari, sed magis lectorem ad eos remittere, qui rem ex professo versant agentes de matrimonio. Videatur N. Andreas in ejus tract. cap. 12, numer. 111, et punct. 11, num. 134.

125. Colligitur nono, pœnitentem consuetum aliqua peccata committere non obligari ad manifestandum in confessione hanc sui peccati circumstantiam, sive consuetudinem: atque ideo eum, qui ex inveterata consuetudine fornicatur hodie, satisfacere confitendo istud peccatum, licet præcedentia non recenseat, nec exponat consuetudinem illa committendi. Sic contra aliquos relatos a Diana tom. 1, tract. 7, resolut. 15, sentiunt communiter Doctores, ipse Diana, Sotus, Cano, Vasquez, Suarez, Sa, Reginaldus, Palaus, Bonacina, Lugo, Dicastillo, N. Gabriel, N. Antonius, et alii, quibus relatis suscribit N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 67. Quam communiter probant ab inconvenienti: quia, si quis teneretur confiteri consuetudinem peccandi, teneretur eadem peccata semel, et iterum confiteri; sed nemo per se loquendo tenetur ad sæpius confitendum eadem peccata: ergo per se loquendo non obligatur ad explicandum consuetudinem peccandi in hac, aut illa materia.

Reginal. Palaus. Bonacin Lugo. Dicast. Gabriel. Anton. Franc.

Possumus tamen positive idem consectarium probare: quia per consuetudinem peccandi in materia v. g., luxuriæ vel significantur ipsa actualia luxuriæ, peccata, quatenus frequentatur, et unum post aliud succedit; vel significatur aliquis habitus pravus ex repetitione talium actuum acquisitus? Si dicatur primum; manifestum est, quod confessis actibus, manifestatur consuetudo, quæ ab eis in præmisso sensu non differt: nec id proprie loquendo pertinet ad circumstantias mutantes speciem de quibus agimus in præsenti; sed magis ad distinctionem numericam peccatorum, de qua dictum est dub. 3, § 3. Si autem eligatur secundum: facilius adhuc dispellitur: tum, quia habitus pravus non est materia hujus sacramenti; cum non sit formaliter peccatum, quin remanere soleat post justificationis gratiam. Tum, quia, si ita res se habeat, nemo tenebitur consuetudinem peccandi confiteri, usque dum sciat habitum vitiosum acquisivisse: quod nemo faciliter in actu signato determinabit. Tum denique: quia licet comparatio talis habitus foret circumstantia aggravans actus peccaminosos: non tamen varians, aut mutans speciem: quia, et ille, et isti respicerent idem specifice objectum, cum sola differentia materiali majoris, aut minoris permanentiæ.

Proba-tio.

Confirmatur, et explicatur: quia ita se habet consuetudo peccandi in aliqua determinata linea, v. g. furandi, aut pejerandi, sicut consuetudo peccandi in genere, sive in omnibus, aut plurimis speciebus peccatorum, quibus videlicet se offert occasio, utputa pejerando, furando, fornicando, percutiendo, infamando, etc. ut contingit in magnis aliquibus peccatoribus; sed vel in istis sufficit confiteri species, et numerum peccatorum, licet non explicent

Confirmatio.

peccandi consuetudinem quæ revera aliud in his non est, quam ipsi actus peccaminosi, sive illorum frequentia. Ergo idem dicendum est de consuetudine peccandi in aliqua linea speciali, nempe confessis actibus peccaminosis opus non esse explicare consuetudinem illos committendi: quippe, quæ vel ab eis non differt, vel eis declaratis exponitur.

Limitatio. 126. Sed non propterea negamus universaliter obligationem confitendi consuetudinem : quin eam obligationem admittimus, non quidem ut circumstantiam peccati ex parte illud committentis (ad quod in præsenti attendimus) sed ex alio capite, periculo videlicet vel existendi in peccato, vel plura committendi. Fieri enim potest, quod quis ante acquisitam consuetudinem pejerandi advertat se per repetita perjuria comparare habitum vitiosum, ex quo constituatur in proximo periculo sæpius pejerandi, et obligari ad id præcavendum se cohibendo a perjuriis : quod si non facit, ut potest, et debet, et ubi, et quando debet, ex hoc ipso peccat. Fieri etiam potest, ut post acquisitam eam pessimam consuetudinem, non conetur ad ejus expulsionem, ut tenetur, ne se conjiciat in proximam, et quasi continuam occasionem peccandi : et ad id non conando peccat, idque confiteri debet, ut communiter observant Doctores, et videri potest apud N. Andream in tract. 17, de voto, et juramento, cap. 2, punct. 9, § 1, qui ex insinuatis principiis recte concludit num. 155, habentem pravam consuetudinem jurandi falsum esse in statu peccati mortalis, et toties peccare mortaliter, quoties advertit ad pravam eam consuetudinem, et periculum pejerandi, quod secum affert, et illam non conatur destruere, faciendo quantum potest ad eam avellendam, aut pœnitus cohibendam : eo plane modo, quo dicitur esse in statu peccati, qui potest restituere, et non restituit, et peccare, quando advertit hanc obligationem, et non restituit, ut explicat idem Andreas tract. 13, de restitut. c. 1, n. 361, et est sententia communis. Ab hac itaque radice, non autem ab eo, quod consuetudo sit circumstantia peccati, provenit, quod pœnitens multoties teneatur confiteri consuetudinem, sive frequentiam peccandi in aliqua materia. Provenit etiam, quod confessarius possit rationabiliter inquirere de consuetudine, et quod pœnitens inquisitus teneatur ad id respondere, et consuetudinem, si habeat manifestare. Oppositum docuerat Joannes Sancius disp. 9, a num. 6. Sed ejus sententia reprobata est a SS. Innocentio XI damnante hanc propositionem (inter alias 58). « Non « tenemur confessario interroganti fateri « peccati alicujus consuetudinem. » Et quidem (de quo non est dubium), justissime ob motivum proxime insinuatum, quod habens pravam consuetudinem solet esso in statu peccati, sicut non restituens : unde nequit absolvi, nisi ad oppositum conetur, et illam evellere efficaciter proponat, ut constat ab alia per eundem sanctissimum alterius propositionis (scilicet 60), reprobatione : « Pœnitenti habenti consue- « tudinem peccandi contra legem Dei, na- « turæ, aut Ecclesiæ, licet emendationis « spes nulla appareat, nec est deneganda, « nec differenda absolutio, dummodo ore « proferat se dolere, et proponere emen- « dationem. » Non enim posset confessarius prudenter se gerere in conferendo, vel negando, vel differendo absolutionem, si non valeret de prava peccandi consuetudine inquirere, et pœnitens requisitus non deberet illam manifestare.

Andreas

Andreas.

127. Nec refert, si opponatur, quod cum hoc pœnitentiæ judicium sit spirituale, et voluntarium, pœnitens sua sponte, et non requisitus debet manifestare id ipsum, quod explicare tenetur inquisitus a confessario; sed certum omnino est obligari confessario interroganti fateri peccati consuetudinem, ut patet condemnatione propositionis contrariæ : ergo pœnitens, etsi non inquiratur a confessario, debet manifestare consuetudinem peccandi : atque ideo recte oppositum in consectario asseruimus.

Id, inquam, non refert, sed dissolvitur, omissa majori, et concessa minori negando utramque consequentiam. Nam, quod pœnitens interrogatus a confessario debeat manifestare peccati consuetudinem, est prorsus certum propter condemnationem propositionis contrariæ ; sed quod pœnitens non interrogatus debeat prædictam consuetudinem manifestare, non est certum : quia Ecclesia hactenus id non docuit, nec oppositum reprobavit. Aliunde vero, quod ad vim consequentiarum attinet,

net, a diversis non fit illatio, nec odiosa ampliare oportet. Unde etiam post damnationem illius propositionis, resolutionem nostri consectarii ut minime in ea damnatione comprehensam tuentur Filgueras ad eandem propositionem 1, § *Post hæc scripta*, Torrecilla in dicta proposit. conclus. 3, Corella ibid. num. 201, Emmanuel a Conceptione disp. 2, quæst. 15, a num. 221, pro eadem sententia referens Tirsum, Lumbierum, Hozes, Pradum, et alios. Qui communiter observant differentiam inter has propositiones :« Pœnitens non tenetur « confiteri consuetudinem peccandi ; Non « tenemur confessario interroganti fateri « peccati alicujus consuetudinem. » Nam hæc posterior est restricta, et implicans conditionem, quod pœnitens interrogetur a confessario : et in hoc sensu condemnatur.Sed condemnatio non attingit priorem, quæ a conditione talis interrogationis præscindit. Observant etiam communiter secundam illam propositionem:« Non tene« mur confessario interroganti fateri pec« cati alicujus consuetudinem, » esse universalem negativam, et distribuere pro omnibus, et singulis casibus, in quibus confessarius interroget : in quo sensu est falsissima, et merito ab Ecclesia reprobatur : quia multi sunt casus, in quibus pœnitens interrogatus debet manifestare talem consuetudinem, quia confessarius ea non cognita nequit congruum providere remedium. Quare censent non esse contra prædictam illius propositionis condemnationem dicere, quod in solo isto aut illo casu particulari, et per accidens queat pœnitens pristinam consuetudinem occultare: vel quia jam consuetudo est abolita, vel quia pœnitens cognoscit se habere efficacem dolorem, et se cognoscere omnia media, paratumque esse illa adhibere pro extirpanda consuetudine, quæ illi confessarius consulere, et imponere posset. Sed quod caput est, regrediendo ad objectionis majorem, ex qua illationes dependebant, et omisimus, illa non est universaliter vera, ut cum Lugone, et aliis observavit Tirsus disp. 42, sect. 2, num. 9, quia pœnitens satisfacit muneri suo, si confiteatur omnia peccata sua in specie, et numero, et circumstantiis addentibus speciem, ea in his, et aliis relinquens prudenti disquisitioni, et judicio confessarii. Sed hic, ut medicus potest, et sæpius debet plura quam a pœnitente dicuntur, inquirere, ut conveniente adhibeat medicinam, puta inclinationes, et occasiones peccandi, reincidentiam,sive consuetudinem, et alia ejusmodi. Ad quæ per se loquendo tenetur pœnitens directe veritatem respondere, ut constat ex damnatione contrariæ doctrinæ. Unde omnia cohærent, nihilque inter prædictam reprobationem, et præmissum consectarium contrarietatis occurrit.

Decimum.

128. Colligitur decimo pœnitentem non obligari ad manifestandum in confessione, an peccaverit scienter, an ex ignorantia. Explicatur hæc resolutio : et in primis sermo est de ignorantia vincibili, quæ non excusat a peccato: si namque excusaret non daretur peccatum, et tolleretur supposition. Rursus sermo est de ignorantia opposita notitiæ requisitæ per ordinem ad opus : si enim ipsa ignorantia esset alias culpabilis, quia opposita notitia per se præcipitur, atque independenter a tali opere, foret per se peccatum, et distinctum in specie, et omnino manifestandum in confessione. Verbi gratia, si quis vincibiliter ignoret præcepta Decalogi, puta fornicationem esse peccatum, et ita fornicetur, aut se exponat fornicandi periculo, committit duo peccata : unum contra præceptum sciendi præcepta Decalogi, et aliud contra præceptum prohibens fornicationem : et omnia hæc confiteri debent. Idem est dicendum, si furaretur, vel occideret ex ignorantia Decalogi, et ob eandem rationem, ut statuimus tract. 13, de peccatis, disp. 13, dub. 2, num. 40. Aliter contingit, cum notitia juris humani, vel facti præcipitur, non quidem propter se, sed propter opus præceptum, ut cum quis ex ignorantia oppositi omittit jejunium : tunc enim solum committitur unum contra præceptum jejunii peccatum, ut eodem loco explicuimus. In hoc itaque posteriori sensu consectarium nostrum procedit : quod contra Adrianum docent communiter Theologi, et plurimis relatis subscribit N. Franciscus loco sæpius citat. num. 66, nosque jam statueramus ubi proxime. Fundamentum est, nam quod aliquis frangat, v. g. jejunium scienter, vel ex ignorantia explicita facti, vel juris particularis, non variat peccatum in specie, sed solum in ratione voluntarii, ut ab hac

Franc.

Fundamentum.

parte sit magis, aut minus grave intra eandem speciem ; constat vero circumstantias solum intra speciem aggravantes non esse de necessitate in confessione explicandas. Confirmatur, et explicatur amplius : nam, qui ex ignorantia vincibili peccat omittendo jejunium, solum committit unum peccatum contra jejunandi præceptum : quippe scientia opposita solum debetur ex illo præcepto, ut ejus materia servetur : ergo qui confitetur violationem jejunii, confitetur omne peccatum, quod fecit, et opus non habet declarandi, quod violaverit ex ignorantia peccatum vel excusando, vel diminuendo. Quod neque commendabile est, nec communiter fieri oportet.

Confirmatio.

Sed hanc communem resolutionem limitant Thomas Sanchez, et ex eo N. Franciscus ubi proxime in aliquibus casibus particularibus, ut pro eis debeat conditio, sive circumstantia peccandi ex ignorantia explicari. Primo si ignorantia præcepti humani tanta fuerit, quod peccatum excusaverit a mortali et in veniale transtulerit. Hæc vero non est limitatio, sed destructio suppositi, ut a principio præmisimus : sublata enim a peccato ratione mortalis, manifestum est non dari necessitatem istud confitendi. Secundo, quando quis cum ignorantia agens se exponit periculo peccandi in alia specie, ut si quis peccet cum fœmina, cujus statum ignorat, an scilicet sit soluta, vel conjugata, sive consanguinea, etc. Et hoc verissimum est, sed non pertinet ad præsentem considerationem de circumstantiis mutantibus aut non speciem : nam sic ignoranter operans non solum circumstantiam aggregat, sed novum, et distinctum peccatum committit, quin plura peccata, cuncta scilicet, quorum contrahendorum periculo secundum prudens judicium se exponit, ut ex professo declaravimus tract. cit. de peccatis disp. 13, dub. 3, a num. 73, ad quem locum, ne actum agamus lectorem remittimus. Tertio ubi ignorantia est affectata ob finem liberius peccandi. Et quidem si talis ignorantia affectata afferat periculum incidendi in novam speciem peccati, explicari debet, quia novum, et distinctum peccatum est juxta doctrinam immediate traditam. Ubi autem non immineat illud periculum, solum est circumstantia vel augens, vel diminuens malitiam : si namque velit quis ignorare, ut liberius peccet sublato legis recursu, affectatio ignorantiæ provenit ex magna voluntatis propensione ad peccatum, ut nihil habeat, quo a peccando retrahatur : et sic auget malitiam. Si autem velle ignorare legem provenit (quod non repugnat), ex affectu minus contemnendi legem, tunc non augebit, sed potius aliquantulum diminuet, ut explicuimus loco cit. de Peccatis dub. 4, a nu. 87. Attenti tamen omnibus, ignorantia affectata magis conducit ad augendum, quam ad diminuendum malitiam peccati. Unde D. Thomas 1, 2, q. 76, art. 4, absolute dixit « Contingit quandoque talis ignorantia di« recte, et per se, sicut cum aliquis su« sponte nescit aliquid, ut liberius peccet « Et talis ignorantia videtur augere volun« tarium, et peccatum : ex intentione enim « voluntatis ad peccandum provenit, quod « aliquis vult subire ignorantiæ damnum « propter libertatem peccandi. » Sed, quod in præsenti refert, utrovis modo contingat non variat speciem peccati : atque ideo opus non est talem circumstantiam in confessione explicare. Quarto limitant prædicti Auctores quando ignorantia, licet vincibilis, excusat ab incurrendo censuram latam contra violantes scienter aliquod præceptum. Et quidem merito : oportet enim, ne confessarius audiens violationem præcepti, imaginetur pœnitentem incurrisse talem censuram, quam non incurrit, quia non scienter peccavit : unde, ut sibi consulat pœnitens, vel non requisitus id exponat confessario. Videantur quæ diximus loco cit. de Peccatis num. 103.

1 Limitatio.

Secunda.

Tertia.

129. Et hæc sufficiat collegisse, et adnotasse in circumstantia *Quis*, ut alia facile erui, ac determinari queant. Addendum tamen in communi duximus, quod cunctis adnotatis potest esse commune, videlicet pœnitentem, qui confitetur peccata in re venerea debere explicare actum consummatum, si habuit: atque ideo, qui copulam habuit cum soluta non satisfacere præcepto confessionis dicendo præcise, commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem sed teneri ad explicandum copulam. Id satis colligebatur ex supra dictis num. 73 ubi statuimus in confessione peccatorum explicandos esse actus externos, qui ets non participent in se formalem malitiam,

tiam, tamen vere, et proprie sunt, atque denominantur peccata : quod tam verificatur in actu copulæ consummato, quam in aliis externis peccaminosis. Sed ulterius firmandum est. Fuerunt namque aliqui Recentiores, qui ausi sunt docere in prædicto casu sufficere, quod pœnitens dicat peccasse graviter cum soluta in materia luxuriæ, subticendo, aut non explicando copulam. Horum meminit Luysius Turrianus in hac materia q. 9, art. 2, disp.29, dub. 2, ad 5, significans eorum sententiam esse probabilem, cum oppositum solum dicat probabilius. Meminit etiam Diana 3, part. tract. 4, res. 88, nihil resolvens, sed rem immerito (ut sæpe solet), aliorum judicio remittens. Sed aperte cum prædictis Recentioribus senserunt Caramuel, Tamburinus, et Ferrantinus, quibus relatis adhæsit Franciscus Verde q. 3, § 8, n. 65. Commune illorum motivum fuit, quod oscula, tactus impudici, et copula comparative ad eandem fœminam sunt ejusdem speciei, et propterea cum soluta pertinent ad fornicationis, et cum conjugata ad speciem adulterii : ergo in quolibet prædictorum sufficit pœnitenti dicere, quod commiserit grave peccatum luxuriæ cum soluta, aut cum conjugata, quamvis copulam habitam non declaret. Idque confirmabant : quoniam, si oscula, et tactus turpes cum soluta differrent specie a copula cum illa, teneretur pœnitens ad confitendum præter copulam, omnes illos actus turpes, quos ante, vel post copulam habuit, quod tamen est contra communem sententiam Theologorum, et praxim fidelium.

Ceterum opposita sententia asserens explicandam esse copulam semper fuit communis, et valde certa, ut constabit legenti Auctores, qui difficultatem hanc proximis temporibus versaverunt: ex antiquis enim, quos viderimus, nemo dubitavit, quod actus consummatus copulæ, sive incomplexo vocabulo fornicatio, debeat in confessione explicari. Et probatur destruendo oppositum fundamentum : quoniam, licet tactus, oscula, pollutio, et copula inter solutos ponantur eidem castitati, et pertineant ad eandem quasi speciem luxuriæ, quatenus tendunt ad copulam, et in illa consummantur ; nihilominus important modos oppositionis longe diversos, qui vel variant speciem actus, vel actui consummato addunt circumstantiam specie diversam. Quod late a nobis ostensum est in tract. 13, de Peccatis, disp. 9, dub. 4, fere per totum, et specialiter a n. 65, et hic sufficit insinuari ostendendo prædictæ distinctionis radicem : quoniam copula cum soluta, sive simplex fornicatio intra genus luxuriæ æquivalet injustitiæ, quatenus talem modum circa generationem ponit, nempe concubitum vagum, qui infert nocumentum proli nascituræ, unde habet esse peccatum mortale, quod ex sola oppositione ad temperantiam non haberet, ut optime tradit D. Thom. 2, 2, q. 154, art. 2. Alii vero actus, ut tractus impudici, oscula, etc. si fiant ex intentione sistendi in eis, sunt peccata contra naturam, et opponuntur bono communi totius speciei, ut patet in pollutione, et docet D. Thom. loc. cit. Unde manifeste distinguuntur specie a simplici fornicatione. Et quamvis ex natura sua, et etiam ex intentione peccati ordinentur ad copulam, nihilominus, ut bene vidit Lugo disp. 16, sect. 5, num. 238, nec continent, nec explicant malitiam propriam fornicationis, sive actus consummati : fornicatio enim infert cum effectu nocumentum proli futuræ ; illi vero actus libidinosi solum disponunt ad prædictum nocumentum, qui est modus tam physice, quam moraliter longe diversus, ut patet in delectatione morosa, quæ etiam disponit ad pollutionem, et tamen omnes concedunt distingui specie a pollutione executa ; sicut, et quod polluens se debet id explicare in confessione pollutionis vocabulo, et non solius delectationis morosæ. Unde corruit fundamentum contrarium : et id etiam, quod pro illo confirmando addebatur : nam, si quis habuit oscula, et tactus impudicos ex intentione sistendi in eis, quamvis postea eis provocatus ad copulam usque pervenit, tales actus fuerunt peccata contra naturam, et specie omnino diversi, et sic debent in confessione explicari. Ubi autem a principio ordinati fuerunt ad copulam, vel ad illam, immediate consecuti, quamvis ab ea specie differant, tamen expressa copula in confessione, sufficienter explicantur, quin opus sit illa in particulari recensere : quia satis ibi intelliguntur ob naturalem, et ordinariam concomitantiam, quam habent ad illam. E contra vero illis tantum expres-

Lugo.

sis, aut gravi in communi, et in confuso luxuriæ peccato, minime comprehenditur, concipitur, aut confessioni exponitur copula, sive actus consummatus, qui importat completam injustitiæ æquivalentis malitiam in genere luxuriæ, et differt subinde ab aliis actibus afferentibus eam malitiam incomplete, et per modum dispositionis.

130. Sed quid hæremus rationibus, quas (etsi demonstrationes) videmus variis, ac liberrimis ingeniorum subterfugiis posse saltem specietenus labefactari ? Accedat immensum auctoritatis pondus, rem plane conficiens, decretum SS. Alexandri VII, reprobantis sequentem propositionem (25 inter condemnatas, et, quæ continet sententiam oppositam.) : « Qui habuit copulam « cum soluta, satisfacit confessionis præ- « cepto dicendo, commisi cum soluta « grave peccatum contra castitatem, non « explicando copulam. » Unde opus non habemus refellendi tam absonam positionem, sed acquiescendi, obediendi, et gratias agendi Sedi Apostolicæ, quod nos liberat ab his monstris, et labore ea aliter profligandi. Verum ecce irrequieta quorundam ingenia nihil non tentantium. Torrecilla exponens prædictam propositionem, ejusque condemnationem, docet conclus. 4, num. 5, non tangi, sed intactam relinqui sententiam Caramuelis, et Verde asserentium, « Habentem copulam « cum soluta satisfacere confessioni, si « dicat, Commisi grave peccatum cum so- « luta in specie naturali luxuriæ, non ex- « plicando copulam. » Ceterum talis exceptio, ac limitatio nullum habet fundamentum et minime sustineri potest : tum, quia Alexander VII condemnavit aliquam sententiam, quæ prius ab aliquibus asserebatur ; sed non aliam reperimus, quam illam Caramuelis, et quorundam dicentium opus non esse explicare copulam, sed sufficere, si dicatur peccatum grave in genere luxuriæ cum soluta : ergo in eam sententiam directa fuit, illamque comprehendit reprobatio per Alexandrum VII. Tum etiam, quia inter propositionem damnatam, et propositionem ex Caramuele assertam nulla invenitur differentia, nisi in illis verbis ab isto Expositore additis, *in specie naturali luxuriæ :* hæc vero nihil in ea materia referunt : quippe, ubi pœnitens non explicat peccatum fuisse contra naturam, omnes confessarii intelligunt peccatum luxuriæ fuisse *in specie naturali :* ergo pariter nihil refert, u condemnatio primæ propositionis no comprehendat secundam. Tum præterea nam ideo condemnatur prior, quia in tal modo confessionis, sive accusationis no explicatur actus consummatus copulæ, qu vere fuit, (quidquid fuerit de eo, quod pecca tum commissum fuerit modo naturali, quo ad rem præsentem non facit) : ergo sicu motivum condemnationis est idem, ita e condemnatio, et utramque propositionem aut fortius eandem in re comprehendit Tum ulterius, quia hic est communis sensus, et intelligentia propositionis condem natæ, ut videre est in illam exponentibu Prado, et Lumbiero, qui tom. 2 opuscul num. 756, dixit talem condemnationen expositione non indigere, et quiden merito : nam manifeste proscribit arte tegendi in confessione copulam habitam, quibusvis verbis id fiat. Tum denique, nam cum decretum Alexan dri VII fuerit ordinatum ad cohibendun similes laxitates in perniciem animarun excogitatas ; non decet Theologum Religiosum ea discurrere, ut vires tam sanct decreti dehiscant ; sed magis ut subterfu gia illud vitandi, aut eludendi unde qua que præcludantur.

Propositio damnata.

Expositio rejicitur.

§ II.

De circumstantia Quid.

131. Veniamus ad secundam circumstantiam ex relatis num. 108, vocatam *Quid*, et per eam significamus conditione objecti, sive materiæ, circa quæ versatu peccatum, ut solent esse quantitas, qualitas, et alia ejusmodi. Et quamvis ista no semper sint meræ objecti circumstantiæ sed aliquando inferant distinctionem numericam, aut etiam specificam peccatorum oportet omnia attingere, ut constet, quand ob aliquod ex illis capitibus debeant declarari in confessione. Quod aptius no præstabimus, quam ex supra præjacti principiis varias colligendo resolutiones Colligitur ergo primo, in peccato furti s uno actu et ab eodem domino res auferatur, non obligari pœnitentem ad expli-

candum

candum quantitatem, sive valorem rei ablatæ; si autem illam auferat distinctis actibus, debere explicare actus: et similiter si res ablata pertineat ad diversos dominos, quorum quilibet notabiliter læsus fuerit, debere explicari, si potest, numerum dominorum. Prima pars constat ex dictis num. 101, quia major, vel minor quantitas rei ablatæ nec variat objectum specie, nec illi addit circumstantiam, quæ speciem mutet; alias supponitur actum esse unum numero, siquidem ablatio fuit una, et unius rei, et ab uno domino: ergo ubi furtum ita contingit, sufficit pœnitenti confiteri unum peccatum furti in quantitate gravi quamvis quantitatem, et alia non magis explicet. Secunda etiam pars est manifesta: quia, ubi illamet quantitas furto sublata est in diversis vicibus, et per diversos actus, ibi occurrunt peccata numero distincta, quot scilicet fuerunt furandi actus; cum quilibet habuerit suum complementum absque ordine ad alium: necessarium autem est explicare numerum peccatorum, ut constat ex dictis dub. 3, § 3. Ultima denique corollarii pars suadetur: quia ubi plures domini damnificantur notabiliter per furtum rei ad illos pertinentis, ibi committuntur plures injustitiæ numero distinctæ, sicut si quis uno actu occideret plures homines, committeret multa homicidii peccata: ergo sicut in hoc casu obligaretur homicida ad explicandum numerum occisorum, quia aliter non explicaret numerum peccatorum homicidii; sic in præsenti casu dicendum est, quod fur debet explicare numerum personarum, quibus suo furto intulit notabile damnum, quia id non explicando non posset confiteri illa numero furti peccata, quæ fecit. Quæ omnia patent ex dictis loco citato. Et sic docent Molina, Diana, Bonacina, Palaus, Fagundez, Dicastillo, et alii, quibus subscribit N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 69.

Contrariam extremæ hujus consectarii parti opinionem docent Vasquez in præsenti quæst. 91, art. 1, dub. 4, Salas 1, 2, quæst. 73, tract. 3, disp. 5, sect. 6, Leander disp. 8, § 3, num. 26. Quam probant: quia in tali casu solum intervenit una furandi actio; sed individuatio peccatorum sumitur a subjecto: ergo ibi solum datur unicum peccatum furti: et consequenter non opus erit explicare numerum damnificatorum per tale furtum. Sed ad hoc, (relictis aliorum responsionibus,) satis constat ex dictis loco citato, ubi explicuimus, quomodo in prædicto casu, et similibus, licet non dentur plures numero malitiæ physice, aut metaphysice secundum communes regulas individuationis, aut multiplicationis pure numericæ; nihilominus dantur plures malitiæ numero moraliter per ordinem ad prudentum judicium; qui æqualiter æstimant, quod homo uno actu interfecerit simul decem homines, et quod illos successive necaverit decem vicibus: unde in utroque casu tenetur declare decem homicidia. Et idem contingit ubi uno physice actu furatur rem pertinentem ad multos, ex quo singuli, et divisim notabile damnum subeunt. Vasquium autem inconsequentiæ non immerito arguunt Lugo, et Leander: nam cum nobiscum sentiat de occidente uno actu plures homines, et de infamante uno verbo plures unius familiæ; idem debere dicere de illo, qui uno furto plures notabiliter damnificat: siquidem nulla circa hæc occurrit congrua disparitatis ratio: unde oportebat illum, sicut et nos, in prædictis uniformi judicio procedere, aut similiter negando, aut similiter concedendo. Unde

132. Fit secundo idem, et ob idem motivum dicendum esse in similibus casibus, quos solent aliqui ex proposito, et seorsim versare: sed nobis congruentius videtur principaliores attingere, et eodem consequentiæ filo contexere, præmittendo nostras, in hac parte resolutiones esse valde communes, aut saltem communiores oppositis, quas alias, et propter contrarium principium (nempe in eodem actu non multiplicari numero malitias nec in re, nec in ordine ad obligationem illas confitendi) negant Lugo disp. 16, a num. 134, Leander disp. 8, § 3, a quæst. 19, et pauci alii Recentiores. Sed juxta nostram, et communem doctrinam tenendum est eum, qui uno actu voluit occidere decem homines, aut accedere ad decem mulieres conjugatas, etc., debere explicare id in confessione, quia commisit decem numero peccata homicidii, decem peccata adulterii, et sic de aliis: et de fide est, quod explicandus est numerus peccatorum. Quod

Secunda.

magis declarat : nam si quis unico actu vellet occidere tres, v. g. sacerdotes, et suum patrem, et laicum extraneum, deberet dubio procul hæc omnia in confessione aperire, quia in tali actu concurrerent tres malitiæ specie differentes, nempe sacrilegii, parricidii, et homicidii : ergo idem continget, cum vult tres sacerdotes occidere : occurrunt enim ibi tria homicidia sacrilega numero distincta : et tam de fide est confitendum esse numerum peccatorum, quam species. Nec momenti, aut ratione ulla sustinendum, quod ait Leander loco cit. in priori casu non explicari totam speciem illius peccati, si aliqua malitia taceatur : in secundo autem explicari totum numero peccatum distincte quoad speciem, et confuse quoad differentiam numericam malitiæ. Nam contra est, quod hæc responsio petit principium, et non habet fundamentum : nam sicut ubi idem actus habet malitias specie differentes, nequit explicari ejus malitia specifica, nisi recensendo species ; sic etiam ubi idem actus habet malitias diversas numero, non potest explicari malitia numerica, sive numerus malitiarum, et peccatorum, nisi referendo ipsas numero malitias, sive objecta, in ordine ad quæ desumuntur in æstimatione prudentum. Et sicut, qui voluit uno actu occidere sacerdotem, et patrem, si solum confiteretur sacrilegium, non confiteretur parricidium: ita qui voluit occidere duos sacerdotes, si confiteretur unum tantum sacrilegium, non confiteretur duo : et tamen duo confiteri debet, quia duo vere moraliter fuerunt in prudentum æstimatione.

Respon-sio Leander rejicitur.

Similiter, et a fortiori qui uno actu duos homines occidit, debet id explicare in confessione, ut jam superius ostendimus, et esse communem sententiam fatetur Leander ubi proxime quæst. 20, quamvis ipse uni Recentiori adhærens teneat contrarium *æque*, ut ipse loquitur, *probabiliter*. Sed nescimus quomodo æqualitas probabilitatis, minus autem securitatis datur inter sententiam duorum Recentiorum, et sententiam communem Doctorum. Pariter qui uno actu vult occidere Petrum cum tota sua familia, debet id explicare in confessione. Ita communis sententia contra prædictum Leandrum quæst. 23. Præterea, qui uno verbo infamat totam unam familiam, aut plures personas, debet id explicite confiteri, quia ibi committit plures numero injustitias. Ita communis sententia contra Leandrum quæst. 21 et 25. Ulterius, qui unico actu habet molitiem recogitando plures religiosas, debet id in confessione explicare, ut tenet communis sententia contra Leandrum qu. 28. Denique, qui coram aliis turpia fecit, aut dixit, tenetur numerum personarum (quantum fieri possit) declarare in confessione : quia tot ille numero peccata scandali committit, ut docet communis sententia apud N. Franciscum, cap. 8, punct. 4. num. 92, contra prædictum Leandrum disp. cit. § 5, qu. 8. Et hæc sufficiat collegisse satis obvia, ut lector facile possit ad similia inferenda se extendere, vitando, ut fieri oportet, laxitates conscientiis noxias, quas in quibusdam offendet.

133. Fit tertio illum, qui ira correptus eodem impetu absque morali interruptione, pluries aliquem appellat ebrium, aut quid simile, non teneri in confessione explicare vices, quibus eam contumeliam inculcavit. Quia omnes illæ non reputantur plura numero peccata ; sed idem numero moraliter in affirmatione prudenti propter continuationem ejusdem contumeliæ, et finem deprimendi proximum. Et ita sentiunt Navarrus, Covarruvias, Simancas, Henriquez, Azor, Palaus, Salas, Fagundez, Diana, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 74. Ex eodem principio idem colligunt prædicti Auctores in similibus casibus, ut, si quis eodem impetu confirmare nititur aliquam rem, et repetit pluries juramentum falsum : committit non plura, sed unum perjurium, et sufficit pro confessione dicere falsum jurasse. Similiter qui in eadem rixa sæpius inimicum plagis effecit, non committit plura, sed unum peccatum numero, et sufficit confiteri se vulnerasse proximum. Quæ omnia solent confirmari ex cap. *Cum pro causa, de sententia excommunicationis*, in quo declaratur, quod propter verberationem Clerici factam in dormitorio, et continuatam per claustrum, non contrahitur nisi una excommunicatio ratione verberationis Clerici, quamvis non semel, sed pluries percussus fuerit : quoniam omnes illæ plures physice verberationes reputantur

tantur moraliter una propter moralem continuationem, et notabilis interruptionis carentiam.

Major est difficultas, ubi quis non unam repetit contumeliam, sed inculcat plures habentes diversa significata, ut cum eodem impetu iræ alterum appellat furem, adulterum, homicidam, etc. Erunt ne plura peccata, et subinde in confessione explicanda? Affirmant multi, et graves Auctores, Navarrus, Suarez, Salas, Layman, Filliucius, et apud N. Franciscum ubi proxime num. 75. Et moventur : quia tales contumeliæ sunt adeo distinctæ, ut differant specie non solum physice, sed etiam in genere moris : atque ideo constituunt peccata specifice diversa ; quæ de fide est debere in confessione explicari. Negant autem alii nec pauciores, nec minus graves, Cajetanus, Molina, Reginaldus, Lugo, Dicastillo, et alii apud N. Franciscum loco cit. Et moventur eo fundamento, quod contumeliæ non differunt specie : habent namque malitiam ex eo quod lædunt proximum in fama, sicut furtum habet suam specificam malitiam ex eo, quod damnificat proximum in bonis fortunæ : ergo quibuscumque nominibus, aut modis fiat contumelia, est ejusdem speciei infimæ : sicut furtum est ejusdem speciei, sive auferatur aurum, sive plumbum, sive triticum : et consequenter sicut pœnitenti sufficit confiteri furtum in re gravi, non explicando, quæ illa fuerit ; ita pœnitenti satis erit confiteri contumeliam gravem proximo factam, licet non explicet voces, aut materiam eis expressas.

Unam, et alteram sententiam retulit N. Franciscus, et utramque censuit probabilem (quod nemo negare potest) sed neutram prætulit, pendulus, et anceps manens inter utramque. Et id ultro, facileque imitaremur. Ceterum quia minus congruum semper censuimus in rebus adeo gravibus non revelare propriam sententiam ; ubi una ex relatis eligenda est, secundæ subscribimus cum N. Andrea tract. 13, de Restitut. cap. 4, punct. 2, num. 12, qui ultra relatos pro illa recenset Sotum, Banez, Serram, Tapiam, Pradum, Rebellum, Bonacinam, Dianam, et Trullench. Et probatur ratione desumpta ex D. Thom. 2, 2, art. 1, ubi diffinit « contumeliam esse dehonorationem ali« cujus per verba, quibus id, quod est con« tra honorem illius, deducitur in noti« tiam ; » sed in hac denigratione honoris omnes contumeliæ conveniunt, cum sola differentia majoris, aut minoris excessus in læsione honoris : ergo omnes contumeliæ sunt ejusdem rationis essentialis, cum sola diversitate in excessu, qui speciem non variat, sed deservire potest ad aggravationem peccati intra eandem speciem. Ergo cum non sit de necessitate confessionis explicari circumstantias notabiliter aggravantes, sed speciem variantes, ut ex dictis dub. præced. supponimus : consequens fit pœnitentem suæ obligationi satisfacere confitendo se proximo gravem contumeliam dixisse, licet illam non explicet, puta quod vocaverit ebrium, aut infamem.

134. Quamvis autem hæc doctrina ita in communi se habeat, et opus non sit explicare contumelias, quippe, quæ specie non distinguuntur ; nihilominus attendere oportet ad aliquas in particulari circumstantias, ex quibus non dubitamus obligari non semel pœnitentes ad majorem contumeliarum explicationem. Nam in primis cum proferantur a mulierculis, et personis vilibus, quæ plerumque nesciunt, quid dicunt, sed ira arreptæ ea omnia verba maledica vibrant, quæ, et quanto atrociora, et magis fœda ipsis occurrunt ; minorem ingerunt dolorem, et quasi nullam infamiam ; quia tanquam falsa, et stulta, et solius iræ demonstrationes, assensum in audientibus non extorquent sed communiter contemnuntur : quamvis in proferentibus ob pravum inhonorandi affectum, si possent, peccata mortalia sint. At ubi a personis gravioribus proferuntur, gravius vulnerant, et vere magnam dehonorationem inducunt. Animadversio.

Rursus distinguendum est in ipsis verbis contumeliosis : nam aliqua repræsentant præcise defectum particularem, et proprium ejus, in quem dicuntur, ut cum quis alium vocat ebrium, stultum, aut susurronem : et hæc solum per se loquendo afferunt injuriam ejus contra quem dicuntur. Et quantum ad similes contumelias subscripsimus secundæ sententiæ : quantumcumque enim multiplicentur, sistunt in una numero inhonoratione : neque enim occurrit caput, propter quod debeant specie, aut nu-

mero, aut circumstantia mutante speciem distingui : atque ideo sufficit contumeliam in proximum confiteri, abstrahendo ab inhonorandi modo. Sed contingit quandoque contumeliam in unum prolatam infamare plures, ut si quis Petrum appellaret Judæum, nam infamaret consanguineos; vel vocaret cornutum, nam infamaret uxorem ejus. Et quantum ad contumelias hujus secundi generis putamus explicandas esse in confessione : non quia mutent speciem; vere enim in eadem specie contumeliæ, quæ infima est, conveniunt, ut proxime statuimus : nec quia addant circumstantiam mutantem speciem; non enim addunt, ob eandem rationem ; sed quia important plura peccata contumeliæ numero distincta juxta numerum personarum, in quas infamia ex contumelia uni tantum dicta redundat. Unde, sicut ob hanc rationem, qui uno ictu decem interfecit debet exponere numerum occisorum ; et qui unico actu furatur rem pertinentem ad diversos dominos, ex quo quilibet notabiliter damnificatur, debet aperire illorum numerum; et qui coram aliquibus rem turpem fecit, aut dixit, debet explicare numerum personarum, quibus scandalum præbuit, et sic de aliis, ut supra expendimus ; quia in omnibus his, quamvis actio sit una physice, multiplicatur moraliter numero in ratione peccati secundum prudentum æstimationem : sic etiam in præsenti casu, licet contumelia uni tantum dicta fuerit, si tamen infamia ex illa proveniens extenditur ad alias personas, ut exemplis allatis sæpe contingere ostendimus, (præsertim cum persona gravis alterum vocat Judæum, aut Maurum,) licet illud verbum sit unum, infert tamen injuriam multis, ac proinde multiplex numero moraliter in ratione injuriæ, et contumeliæ erga diversas personas : atque ideo illarum damnificatio, et numerus explicari, quantum potest fieri, debet in confessione. Et si confessarius de his inquirat, dubio procul debet pœnitens id aperire ; quia aliter nequit confessarius providum remedium tam in ordine ad pœnitentis culpam, quam aliorum satisfactionem, et debitam restitutionem consulere. Unde elucet discrimen inter hunc casum, et alium propositum n. 33, quod proferens uno impetu plures in eandem personam contumelias non solet committere nisi unicum peccatum consistens in una talis personæ dehonoratione, et vice versa proferens unicam contumeliam v. g. Judaismi, committat plura numero peccata propter multas numero injurias, quas multis uno uni dicto verbo infert, illius videlicet consanguineis.

135. Quæ de contumelia diximus, extendi debent ad detractionem, ut bene observavit N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 75, ob similitudinem, quam habent: conveniunt enim in ratione inhonorandi proximum per verba ; sed differunt in modo ; nam ubi denigratio famæ fit coram ipso injuriato, est contumelia ; ubi autem fit in ejus absentia, et coram aliis, est detractio, quam proinde recte diffinivit D. Thomas 2, 2, q. 73, art. 1, esse « denigra- « tionem injustam alienæ famæ per occulta « verba. » Et sicut omnes contumeliæ, licet plurimum materialiter differant, sunt ejusdem speciei in esse moris, quia conveniunt formaliter in propria contumeliæ ratione; sic etiam omnes detractiones sunt ejusdem speciei in esse detractionis, ob idem scilicet motivum, ut facile consideranti constabit, et recte expendit N. Andreas tract. 13, de Restitut. cap. 4, punct. 5, § 1, n. 34, dicens esse sententiam communem. Unde colligit, et nos asserimus, quod per se loquendo non obligatur pœnitens manifestare in confessione materiam, in qua proximum sua detractione infamaverit : quia sive in hac, sive in illa detraxerint non induxit in linea detractionis novam speciem peccati, sed ad summum aliquam circumstantiam in ea specie notabiliter aggravantem. Sed tamen observandum semper esse posse contingere, quod eadem detractione circa unum, injuria pluribus inferatur, ut si quis Petro detrahens dixerit esse Judæum ; infamat namque hujusmodi detractio non solum Petrum, sed alios plures, aut pauciores juxta numerum consanguineorum : atque tot una detractione patiuntur injuriam, quot illa infamantur; et consequenter debent, quantum fieri possit, in confessione explicari, ut exponatur numerus peccatorum, et congruum pro satisfactione consulat confessarius remedium. Et hæc etiam applicanda sunt peccato judicii temerarii, quippe quod ad detractionem comparatur tanquam actus internus ad externum ; sicut enim detrahens

trahens infamat proximum apud alios, sic temere judicans illum infamat in mente, et apud se ; cum tamen proximus jus habeat conservandi famam apud omnes, et tam per judicium temerarium, quam per detractionem patiatur injuriam. Eandem itaque resolutionem cum eisdem limitationibus temperandam, ac in contumelis, et detractionibus in judiciis temerariis admittendam forme sentimus. Cætera videantur in D. Thom. 2, 2, q. 60 et N. Andrea ubi proxime punct. 7, per tot.

136. Fit quarto eum, qui se jactavit, aut laudavit de aliquo peccato mortali, v. g. homicidio, aut fornicatione, et in hac jactantia peccavit mortaliter, debere explicare in confessione speciem peccati, de quo se laudavit. Diximus, et in *jactantia pecvit mortaliter :* quia supponimus cum communi sententia non esse mortale per se loquendo laudare se de viribus, et dexteritate, quas ostendit in exercendo opus alias peccaminosum, puta mortem alterius in duello ; quia id non est approbare peccatum : sed virtutem naturæ, vel artis, quæ ibi splenduit. Cavendum tamen est, ne aliis detur scandalum, vel occasio faciendi similia : et nisi caveatur, erit peccatum mortale explicandum in confessione. His itaque accidentalibus exclusis procedit consectarium nostrum, quod etiam amplectuntur Lessius, Sanchez, Lopez, Rodriguez, Candidus, quibus relatis subscribit N. Franciscus ubi supra n. 78. Et probatur ratione : quia peccata mortalia jactantiæ de operibus malis sumunt speciem ab eisdem operibus : ergo pro diversitate specifica prædictorum operum sunt ipsæ jactantiæ specie distinctæ; sed de fide est species peccatorum debere in confessione explicari : ergo, qui se accusat de jactantia mortali, debet explicare opus, de quo se jactavit, puta adulterium, duellum, etc. aliter enim nequit speciem talis peccati aperire.

Nec momenti erit, si dicatur malitiam jactantiæ in prædicto casu sitam adæquate esse in captando gloriam de malefactis : quod autem hæc sint fornicatio, vel homicidium, vel furtum, etc. de materiale se habent ad propriam, et specificam jactantiæ malitiam, atque rationem : sicut in peccatis contumeliæ, detractionis, et judicii temerarii proxime diximus. Nam contra est, quod approbans homicidium a se factum, et in eo complacens incurrit, aut repetit ipsam specificam homicidii rationem, et peccat specialiter contra virtutem prohibentem homicidium : et idem contingit in approbante fornicationem, et sibi in ea complacente, ut est communis sententia Doctorum apud Dicastillum in præs. disp. 9, dub. 8, q. 8, a n. 509. Sed qui se jactat, v. g. de vindicta, quam de inimico sumpsit, aut de adulterio, quod post plures diligentias consecutus fuit, approbat non præcise communem rationem pravi operis, sed illas determinatas peccati species, et sibi de illarum patratione congaudet : tum, quia si res non ita se haberet, minime se magis jactaret in illis speciebus, quam in aliis : tum, quia omnes audientes se jactantem de illis, censent jactatorem approbare vindictam, vel adulterium : et hoc est commune hominum judicium, ubi similia audiunt ab amentibus his jactatoribus : ergo in prædicto casu non solum committitur peccatum in specie vanæ gloriæ ex malefactis, sed etiam peccatum in specie homicidii, vel adulterii cum contrarietate ad speciales virtutes, quibus hæc vitia opponuntur. Unde patet ad exemplum contumeliarum, vel detractionum, quo se protegebat effugium : nam, qui per eas alterum dehonorat, aut infamat, hunc præcise dehonorandi, aut infamandi finem intendit, ad quem consequendum de materiali se habet, quod utatur his, aut illis vitiis, quæ per verba repræsentantur, et quæ ipse minime approbat, sed magis objectat tanquam propudia omnino fœda, et proximum denigrantia. Qui autem peccat mortaliter, dum se jactat de homicidio, et adulterio, etc. non solum captat gloriam per illa media, sed illa approbat, et in eis complacet, ut dictum est : unde incurrit easdem illorum peccatorum malitias, quæ sunt satis differentes.

Dicastillo.

Sententia contraria.

Contrariam huic consectario opinionem defendunt Diana, Bassæus, Palaus, Leander, N. Gabriel, N. Antonius, et alii apud N. Franciscum ubi supra, num. 79. Principalius autem eorum fundamentum est, quod jam præclusimus. Sed superaddunt non quamlibet virtutem prohibere jactantiam de vitiis sibi oppositis, sicut prohibet gaudium, desiderium, aut delectationem. Unde jactantia de peccato, quodlibet illud fuerit, solum prohibetur per se a virtute contraria vitio inanis gloriæ, cujus filia est

Dian. Bassæus, etc Fundamentum.

D. Tho. jactantia, ut cum D. Gregorio observat D. Thom. 2, 2, quæst. 132, art. 5 : ergo ex eo, quod quis se laudet de opere peccaminoso, non sequitur agere contra virtutem prohibentem illud opus ; sed solum contra virtutem prohibentem vanam gloriam : atque ideo non infertur talem jactantiam contrahere malitiam propriam operum de quibus est, sed solam malitiam vanæ gloriæ per oppositionem ad virtutem, quæ istam prohibet. Ceterum hoc motivum est satis leve: nam cum dicamus, et probatum sit in actu se jactandi, v. g. de fornicatione esse duas malitias specie diversas, alteram jactantiæ pertinentem ad vitium inanis gloriæ, et alteram fornicationis approbatæ pertinentem sd speciem ipsius fornicationis : consequens est ibi reperiri per se oppositionem ad duas virtutes specie diversas, quarum una prohibet jactantiam, et alia fornicationem : non enim minus pertinet ad castitatem prohibere turpitudinis approbationem, quam ejus desiderium, delectationem, et opus externum, ut statim magis constabit.

137. Inde sequitur (et est appendix præcedentis corollarii,) consulentem alteri opus illicitum mortale debere explicare in confessione speciem peccati, de quo patrando dedit consilium : et non sufficere, si dicat, Dedi consilium de peccato mortali faciendo.

Ratio. Est communis sententia, et nullum vidimus, qui doceat contrarium, quamvis Medina 1, 2, quæst. 14, art. 6, aliquos suppresso nomine significaverit oppositum sentientes. Facile autem suadetur : quia consilium reducitur ad speciem ejus,quod consulitur : tum, quia est causa ejus : tum, quia specificatur a re, quam consulit, cum nullum habeat objectum immediatius : ergo ubi consilia sunt de peccatis, opus est illa specie distingui, sicut et ipsa peccata, et consequenter, qui pravum consilium dedit, tenetur in confessione explicare non tantum pravum consilium in genere, sed etiam ejus speciem, sive materiam, quam consuluit. In pravo itaque consilio distinguendæ sunt duæ malitiæ : una contra charitatem erga proximum, qua obligantur non dare illi occasionem peccandi : altera contra virtutem prohibentem materiam, quæ consulitur. Sicut proxime diximus de peccato mortali jactantiæ in homicidio, vel adulterio. Unde non satis consequenter procedit Leander, qui negans præcedenter nostram resolutionem, hanc præsenter vocat certissimam disp. 8, § 3, quæst. 13 sed parum refert.

138. Fit quinto, quod licet in peccati odii, vel injuriæ proximi satis sit illa su hac generalitate in numero confiteri ; nihi lominus multoties necessarium est quali tatem proximi explicare : quia illa ex part objecti addit circumstantiam mutanter speciem, quæ eandem in actum odii refun dit. Sic docent communiter Auctores, e facile suadetur ratione simul, et exemplis Nam in primis, odium filiorum erga pa rentes important malitiam non solum con tra charitatem, sed etiam contra pietatem et reverentiam ipsis debitam. Similite odium parentum erga filios, præter com munem rationem peccati contra charitate erga proximum, includit etiam speciale malitiam impietatis contra amorem fili debitum. Et idem dicendum est compa rando avos, et ascendentes cum nepotibu et descendentibus, et vice versa istos cu illis : occurrit etiam eadem proportionabi liter ratio amoris, et turpitudo malitiæ i odio contrario.

Sed quantum ad injurias verbis, signi aut factis executas est dispar ratio : multo majora requiruntur in patre, agendo contra filium graviter peccet, qua a converso. Unde licet pater asperis, contumeliosis verbis increpet filium, a etiam percutiat, non semper est peccatu grave ob auctoritatem paternam, et pote tatem corrigendi ; quin potius justæ incr pationes, et castigationes censentur, qu nullam inferunt filio injuriam, aut inf miam in æstimatione communi. E co verso autem filius gravissime peccat sp ciali peccato in confessione manifestand si verba contumeliosa in parentes profera si percutiat, licet percussio sit levis ratione nocumenti ; si deliberate elev manum ad percutiendum ; si torvis oc lis illos fere semper aspiciat, et aspere all quatur Sunt enim hæc omnia (quidqu fuerit de interna dispositione amoris, v odii) signa valde contraria amori, et rev rentiæ, quæ parentibus specialissimo titu debentur, et propterea contrahunt grave malitiam specie diversam ab ea, quæ rep ritur in similibus demonstrationibus er alios communes proximos, et extranec

Ide

Idem. et ob eandem rationem sentimus, cum filii detrahunt parentibus, et de illis temere judicant : nam injuria hinc orta induit specialem impietatis, atque irreverentiæ malitiam : et propterea in confessione non satis erit explicare numerum detractionum, aut judiciorum, sed opus erit dicere circumstantiam, quod fuerint contra parentes. Aliter diceremus de peccatis furandi, aut damnificandi in pecunia : quia in his non occurrit specialis parentum injuria, quam extraneorum : et ideo opus non est filium confitentem furtum explicare, quod illud commiserit in re patris : quin potius per se loquendo est circumstantia diminuens, propter communicationem bonorum, et inchoatum aliqua ratione dominium. Oppositum contingeret, si propterea parentes ad ægestatem redigerentur : quia tum filius id malum, per sua furta inducens ageret non solum contra communem aliis justitiam, sed etiam contra pietatem parentibus specialiter debitam.

Ex qua doctrina habemus idem dicendum esse, ubi similis conjunctio occurrit ; et ubi datur minor, requiri majus aliquid, ut odium, vel injuria contrahat malitiam specialem ; posse autem ita elongari conjunctionem, ut nullam addat circumstantiam specie diversam. Unde peccata odii, detractionis, et similium injuriarum inter conjuges existimamus regulanda fore sicut inter parentes, et filios, et sic explicanda in confessione : quia opponuntur specialis conjunctionis amori, quem servare inter se debent. Similia vero peccata commissa inter cognatos in gradu remoto non induunt circumstantiam specialem, et in confessione explicandam : quia talis conjunctio pro variandis injuriis quasi nihilum reputatur, non minus quam apud extraneos. Ubi autem conjunctio est notabilis, et quasi media comparative tam ad parentes, et filios, quam ad extraneos, uti adest inter fratres, et sorores ; ibi requiritur malum multo gravius, quam inter parentes, et filios, ut det specialem malitiam oppositam amori fraternali. Unde quod frater fratrem pugno percutiat, aut ei dicat aliquam contumeliam, licet sit peccatum mortale, non confert distinctam specie malitiam injuriæ, nec opus est confiteri fuisse contra fratrem, aut sororem. Sed tamen posset dehonoratio ita augeri, ut speciem differentem inducere necessario explicandam in confessione. In quantitate vero assignanda non possumus certam pro omnibus regulam assignare, quam deferendum plurimum esse prudentum arbitrio, qui facile dignoscent multa, quæ vel percutiendo, vel convitiando inter rusticos, et personas viles non ita graviter æstimantur, vehementiorem mœrorem, et gravius motivum querimoniæ afferre inter nobiles, satis oppositæ charitati fraternali, ut si frater nobilis fratri alapam inculeret, si sororem turpi nomine dehonoraret : quia proinde censemus contrahere malitiam in confessione explicandam. Videantur Lugo disp. 16, sect. 6, Dicastillo disput. 9, dub. 8, quæst. 12, Bonacina disp. 5, q. 5, N. Franciscus loco cit. a n. 82, qui communiter observant hanc circumstantiam in odio, et injuriis non semel extendi ad alias personas, licet sanguine non conjunctas. Ut si quis insignem benefactorem suum, quem aliquando magis diligere debemus, quam fratrem carnalem, odio haberet, aut contumeliis, ac detractionibus inhonoraret : committeret namque præter injustitiam, speciale ingratitudinis peccatum. Si quis Patrem suum spiritualem, ac Prælatum, qui tam in spiritualibus, quam in corporalibus sedulam curam de illo gerit, non minus, sed magis, quam carnalis pater possit, odio, et injuriis prosequeretur. Si modo simili se gereret cum Rege illum suis detractionibus deprimendo, populisque repræsentando contemptibilem, et exosum, quod pertinet ad crimen læsæ majestatis, et meretur gravissimam pœnam. Si quis offendat sacerdotem injuria redundante in dignitatem sacerdotalem, ut est percussio, vel aliud quid ex circumstantiis regulandum. Non enim omnia peccata contra sacerdotem commissa induunt circumstantiam variantem speciem, ut patet in furto rei pertinentis ad sacerdotem, et in detractione circa ejus mores, etc. ut videri potest apud relatos Auctores. Nobis namque sufficit aliqua ejusmodi attingere : accuratior siquidem multorum circa has circumstantias occurrentium discussio pertinet per se ad alios tractatus : et oppositus procedendi tenor cunctam Theologiam practicam in hac de Pœnitentiæ materia non sine vitio confusionis insarcinaret. Sed transeamus ad alia.

Lugo Dicastil. Bonac. Franc.

Sexta. 139. Fit sexto in peccatis carnis, quoties-cumque ex parte subjecti, cum quo vel opere, vel desiderio, vel morosa delectatione peccatur, datur aliqua circumstantia, quæ in ordine ad talem actum mutet speciem ; debere in confessione explicari : nam eo ipso in actu peccantis adest malitia specie distincta : et omnia in specie, et numero peccata mortalia debent confiteri. Doctrina hujus corollarii est communis, et certa, et satis constat ex principiis generalibus supra positis. Difficultas autem est in explicando, quoties occurrat circumstantia varians speciem in objecto, aut materia *circa quid :* quod est præsentis considerationis scopus. In quem non aptius collimare poterimus, quam descendendo ad particulares casus, et eorum resolutionem, non tam disputando, quam procedendo juxta communes certas, aut saltem securiores sententias. Qui ergo peccat cum fœmina habente votum castitatis, supra speciem luxuriæ incurrit malitiam sacrilegii. Similiter qui peccat cum muliere conjugata ; nam agit contra justitiam mariti. Et si ipse peccans fuerit ligatus voto castitatis, aut in statu matrimonii, debet id aperire : quia commisit duo sacrilegia numero distincta, operando contra proprium votum, et cooperando ad violationem alterius : et similiter agendo contra justitiam propriæ uxoris, et contra justitiam mariti ejus, cum qua peccat. Quæ satis constant ex jam dictis a num. 111.

In peccato bestialitatis non variatur species juxta species bestiarum : quia eorum diversitas physica pure de materiali se habet ad moralem specificam hujus peccati rationem accedendi ad naturam alienam. Sed si quis peccaret cum dæmone cognito incubo, aut succubo, contraheret supra speciem luxuriæ speciem superstitionis, et irreligiositatis ob societatem diabolicam in actu illo. In peccato sodomiæ explicandum est, an fuerit cum masculo, aut cum fœmina, ut docet communis sententia contra Leandrum disp. 8, § 31, qui pro se solum allegat Cœlestinum : nam præter inordinationem quantum ad vas naturale, adest alia inordinatio specie distincta ob sexus unitatem, aut distinctionem. Sed quod, quis supercubans cum homine, sicut super mulierem polluatur, non est circumstantia varians speciem mollitiei, aut pollutionis cum alio. Unde opus non est explicare in confessione illum concubandi modum. Ceterum si ex parte alicujus adsit votum castitatis, explicandum est, quamvis unus, aut alius non polluatur : quia violatur votum saltem per cooperationem, et tactus, ut tradit communis sententia, et opposita Hieronymi de Llamas abrasa fuit jussu Inquisitionis anno 1640.

Non est autem ita exploratum an in peccato nefando explicari debeat, quod quis fuerit agens, aut patiens. Affirmat cum Lugone Leander ubi proxime quæst. 6, cui ex parte agentis intervenit pollutio propria, quæ non datur ex parte patientis. Et diversum peccatum est voluntarie pollui, vel cooperari ad pollutionem. Negat autem Diana cum multis 3 part. tractat. 4, resolut. 159, et 5 part. tract. 14, resolut. 56, putans utriusque peccatum pertinere ad eandem speciem. Et hoc nobis videtur probabilius : quia uterque se polluit illis infandissimis tactibus, et per accidens est, quod comparetur per modum agentis, vel patientis, sicut proxime diximus de super incubante viro sicut mulieri, et est communis sententia contra Llamas, et docet ipse Leander loco cit. q. 32. Similiter non ita convenit inter omnes, an copula fidelis cum infideli addat speciem. Negant namque Bonacina de Matrim. q. 4, punct. 15, cum Sylvio, Azor et aliis. Sed affirmant Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 5, Petrus de Ledesma q. 55, art. 4, dub. 1, Candidus disquisit. 24, art. 24, dub. 35, Lugo disp. 36, num. 337, et alii plures. Quibus subscribimus : nam illa circumstantia transfert peccatum in aliam speciem sacrilegii contra reverentiam christianæ religionis, ob quam Ecclesia prohibet matrimonium fidelis cum infidele. Unde etiam putamus esse circumstantiam variantem speciem, copulam baptizati catholici cum baptizata hæretica, aut Judaismum profitente : occurrit enim fere motivum, ut etiam vidit Candidus loc. cit.

140. Sed supersunt adhuc non pauca in hac non minus frequenti, quam molesta materia. Et communis Doctorum sententia est consanguinitatem, et affinitatem in gradibus impedientibus matrimonium esse circumstantiam in copula illicita, et aliis turpibus actibus, quæ specie differt a simplici fornicatione, et debet proinde in confessione

fessione explicari. Quod verissimum apparet : nam affert circumstantiam incestus oppositam pietati, et reverentiæ observandæ inter personas adeo conjunctas. Sed quæstio non levis occurrit, an consanguinitas, et affinitas sint circumstantiæ specie diversæ, et consequenter explicandæ, ubi peccatum committitur inter personas uno ex illis modis conjunctas. Negant Bonacina, Lugo, Naldus, Diana, et alii, referente, et subscribente Leandro ubi proxime quæst. 35, quoniam causa prohibendi copulam tam inter consanguineos, quam inter affines est eadem formaliter, nimirum vitare periculum incontinentiæ inter personas adeo conjunctas : ad quod de materiali se habet qualitas conjunctionis, sive oriatur ex sanguine, sive ex matrimonio. Sed asserendum est oppositum cum Martinez de Prado quæst. 2, de integritate confess. dub. 2, num. 3, in respons. ad 4, et Navarro, Suarez, Vasquez, Valentia, Lessio, Palao, Granados, Trullench, Ochagavia, Fagundez, Dicastillo. et aliis, quos refert, et sequitur N. Franciscus cap. 8, quæst. 2, n. 31. Et probatur destruendo oppositum fundamentum : nam peccatum incestus consistit in violatione pietatis, ac reverentiæ debitæ inter personas valde conjunctas, ut sunt consanguinei, et affines ; sed prædicta conjunctio est diversa in specie, et multo strictior inter consanguineos, quam inter affines; siquidem illi sunt ejusdem sanguinis, atque ab eadem radice descendunt; affines vero solum habent conjunctionem mediatam, et per matrimonium : ergo incestus inter consanguineos distinguitur specie ab incestu inter affines. Ad eum plane modum, quo licet sacrilegium ex percussione sacerdotis, et sacrilegium ex copula cum sacerdote opponantur eidem religionis virtuti, nihilominus differunt specie ob diversos modos agendi contra illam. Necessarium itaque est confiteri, an peccatum incestus fuerit cum consanguinea, an cum affine; illud namque non solum est gravius, sed specie diversum.

Nec refert, quod quidam opponunt D. Thom. docuisse contrarium 2, 2, q. 154, art. 9, ubi inquirit, « utrum incestus sit « determinata species luxuriæ? » Et affirmat. Objicit autem sibi hoc argumentum : « In Decretis dicitur 16, q. 1, quod incestus « est consanguineorum, vel affinium abu- « sus; sed affinitas differt a consanguinitate : « ergo non est una species luxuriæ, sed « plures. » Cui ita occurrit : « Ad secundum « dicendum, quod persona affinis conjun- « gitur alicui propter personam consangui- « nitate conjunctam. Et ideo quia unum est « propter alterum ejusdem rationis, in- « convenientiam facit consanguinitas, et « affinitas. » Ergo ex S. Doctoris sententia, incestus cum consanguinea, et cum affine sunt ejusdem specificæ rationis.

Id, inquam non refert : nam (omisso Cajetano, qui ibidem docuit, quod intendit objectio, licet observaverit circumstantiam consanguinitatis debere in peccato incestus confiteri ob notabilitatem malitiæ intra eandem speciei aggravationem) respondetur mentem, et intentionem D. Thom. eo loco fuisse, quod incestus sit species luxuriæ ab aliis distincta, puta fornicatione, bestialitate, etc. Sed minime asseruisse, quod sit species infima, aut non divisibilis in alias; sed magis significasse contrarium. Tum quia eadem quæst. art. 11, proponit similem difficultatem, inquirens : « Utrum vitium contra naturam sit « species luxuriæ? » Respondetque affirmative. Et tamen certum est non loqui de specie infima, sed subalterna continente species infimas diversas, utputa bestialitatem, sodomiam, mollitiem. Eodem itaque modo intelligendus est, cum loquitur de incestu, Tum etiam, quia si incestus, de quo agit loco objecto, esset species infima, non comprehenderet species incestus diversas : et tamen certum est D. Thom. illas comprehendisse, ut aperte constat ex resp. ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod in « commixtione personarum conjunctarum « aliquid esse, quod est secundum se acci- « dens, et repugnans naturali rationi : « sicut quod commixtio fiat inter parentes, « et filios, quorum est per se, et imme- « diata cognatio. Nam filii naturaliter « honorem debent parentibus.... Aliæ « vero personæ, quæ non conjunguntur per « se ipsas, sed per ordinem ad parentes, « non habent ita ex se indecentiam. Sed « variatur circa hoc decentia, vel indecen- « tia secundum consuetudinem, et legem « humanam, vel divinam : quia ut dictum « est, usus venereorum, quia ordinatur ad « bonum commune, subjacet legibus. Et

Satisfact. object.

D. Tho.

« ideo sicut Augustinus dicit 15, de Civit. « Dei, cap. 16, commixtio sororum, et fra- « trum, quanto fuit antiquior, compellente « necessitate, tanto postea facta est dam- « nabilior, religione prohibente. » Ubi liquet, quam diversas rationes recognoscat inter incestum cum ascendentibus, aut descendentibus, et incestum cum aliis personis aliter conjunctis : et inde convincitur, quod D. Thom. nomine *speciei incestus* in corp. et ad 2, non intelligit infimam, D. Tho. sed subalternam. Tum denique; quia id adhuc evidentius constat ex opus. 12, art. 6, ubi inquit : Si vero speciem peccati ex- « primere non possit, nisi exprimendo « personam, cum qua peccavit, puta si « cum sorore concubuit, necesse est, expri- « primendo peccati speciem exprimat per- « sonam. » Supponit itaque incestum commissum cum sorore propria distingui ab incestu cum suæ conjugis sorore : et tamen sant in eodem cognationis gradu cum sola distinctione penes consanguinitatem, vel affinitatem. Unde vel ob solam S. Doctoris auctoritatem propositæ jam resolutioni (alias etiam communiori, et veriori) subscriberemus.

141. Ex illa vero in genere proposita ad casus magis particulares descendendo, et illos in duas classes consanguinitatis, et affinitatis dividendo, quæ dixerimus de incestu inter consanguineos, applicanda intelligimus incestui inter affines, dummodo supponatur æqualitas in eodem gradu. Sed incestus inter consanguineos differt ex genere, atque ideo in specie ab incestu inter affines, ut patet ex immediate dictis. Unde absurdum putamus dicere idem specie peccatum esse, quod quis peccat cum sua matre, aut cum noverca, quod peccat cum uxore propria, aut cum sorore suæ uxoris; et sic de aliis : sunt enim peccata plane diversa in specie, diversitate desumpta ab altiori, et universaliori radice jam assignata. Quo supposito dicendum est incestum consanguineorum in linea recta distingui specie ab incestu inter consanguineos in linea laterali, et transversali, et sic de aliis. Ita Lessius, Henriquez, Lugo, Lessius, Henriq. Lugo Palaus, Franc. Palaus, cum quibus N. Franciscus ubi supra, et Leander q. 41. Quoniam longe maoris, et altioris ordinis reverentia debetur consanguineis in linea recta, quam aliis lateralibus, et transversalibus, ut ex se liquet, et tradit D. Thom. loc. cit. ex 2, Sed in eadem linea recta non datur versitas incestuum : unde opus non declarare, quod mulier peccaverit, aut cu avo, aut pro avo, aut vice versa : quia est eadem conjunctio, et eadem irrevere tia, ut bene observat cum multis Leand q. 36, et 38. Dicendum etiam est (et idem recidit) incestum cum consanguin in linea recta distingui specie ab inces cum consanguineis in linea laterali, etian sint in primo gradu : atque ideo incestu cum matre esse diversum specie ab inces cum sorore : et consequenter non suffice dicere in confessione, peccavi cum consa guinea in primo gradu; sed addendu necessario esse, cum matre, aut cum soro Sic Sotus, Nugnus, Navarrus, Lugo, V lentia apud Leandrum q. 36, in 2 se et q. 37. Quoniam major reverentia deb tur matri, quam sorori. Hinc eorum alio colligunt, et nobis non displicet inter co sanguineos ejusdem lineæ rectæ debe explicari, an incestus fuerit cum mat aut cum filia : quia filius in incestu cu matre peccat contra reverentiam ma debitam, quæ non ita occurrit in patre p cante cum filia. Sed aliunde pater pec contra speciale debitum recte gubernar filiam, nempe in castitate continendi. U terius dicendum est, quod facta compar tione inter consanguineos extra linea rectam incestus cum consanguinea in pri gradu distinguitur specie ab incestu in consanguineos in aliis gradibus : et su inde incestum cum sorore explicandu in confessione : quia in eo gradu pri datur specialis conjunctio fundans ma rem reverentiam ad propulsandum fœd ris incontinentiæ periculum ex immedia inter fratres, et sorores convictu. Et (ultra Navarrum, Nugnum, Granados, V lentiam, et alios multos, qui sentiu omnes gradus consanguinitatis impe mentum afferentes matrimonio, debere pœnitente manifestari) docent Sanche Vasquez, Henriquez, Ortiz, Lugo, Tru lench, et alii, quibus relatis subscri Leander ubi supra quæst. 36, in ter sententia. Sed quod soror sit ex utroq parente, aut ex uno tantum, nihil refe quia non variat speciem, ut observavit Lu disp. 17, n. 325. Denique sentimus, re quos consanguinitatis gradus, sive imp

dia

diant, sive non matrimonium, non constituere in incestu novam speciei circumstantiam : atque ideo opus non esse in confessione incestus explicare tales gradus. Et ita etiam consentiunt Auctores immediate relati quibus addimus Palaum, et Dicastillum, et eos referentem N. Franciscum loco cit. num. 32, in fine.

142. Et hæc omnia, quæ de incestu inter consanguineos diximus, applicanda sunt incestui inter affines : atque ideo, quod incestus cum noverca distinguitur specie ab aliis inter affines ; et similiter incestus cum sorore uxoris ; in incestibus vero inter affines in inferioribus gradibus non reperiri distinctionem specificam necessario in confessione explicandam. Quæ omnia collegimus ex communioribus, probabilioribus, ac securioribus Doctorum sententiis. Quod enim affirmat Delgadillo, cap. 17, dub. 64, n. 143, omnem incestum sive inter consanguineos, sive inter affines, sive in linea recta, sive in transversali, sive in primo, sive in quolibet remotiori gradu, non differre specie, nec addere circumstantiam specie diversam, et in confessione explicandam, apparet intolerabile : nam ut alia omittamus, incestus cum matre addit super alias speciem irreverentiæ in matrem, addit et speciem injuriæ gravissimæ contra matris maritum, sive pater naturalis peccantis sit, sive non. Unde contra lucem, et inclinationem naturalem esse nobis videtur, quod non sit peccatum diversæ rationis peccare cum matre naturali, et peccare cum affine in secundo, aut tertio gradu : quin summa diversitas inter pœnas, quibus hæc flagitia puniuntur, satis manisfestare videtur ipsorum peccatorum diversitatem. Et D. Thom. loc. cit. ex 2, 2, postquam dixit commixtionem aliquarum personarum esse secundum se indecentem, et repugnantem naturali rationi, adjecit : « Sicut commixtio « inter parentes, et filios, quorum est per « se, et immediata cognatio : nam filii naturaliter honorem debent parentibus. « Unde Philosophus dicit in 9, de animal. « quod quidam equus, quia deceptus fuit, « ut matri commisceretur, se ipsum præci- « pitavit, quasi præ horrore. Eo quod etiam « animalibus aliquibus inest naturalis re- « verentia ad parentes. » Sed tamen nullam impingere intendimus censuram tam absonæ, ut nobis repræsentatur opinioni, eam relinquentes irrefragabili Ecclesiæ judicio.

143. Addimus pro omnibus incestibus hactenus relatis, et in nostra sententia specifice distinctis, illorum malitiam incurri non solum per copulam naturalem, sed etiam per coitum sodomiticum, sive sit masculi cum fœmina, sive cum masculo : et consequenter ubi istud crimen committitur inter consanguineos, vel affines, debere pœnitentem explicare non solum sodomiam, sed etiam incestum, et intra genus incestus propriam illius speciem juxta regulas immediate præmissas. Hanc resolutionem, prout universaliter proponitur, negant Candidus disp. 24, art. 23, dub. 23, Azor, tom. 23, lib. 3, c. 18, et 22, Diana 3 par. tract. 4, resol. 101, Bonacin. de Matr. q. 4, punct. 11, n. 7, et alii, qui licet concedant coitum sodomiticum habere malitiam incestus, quando fit inter consanguineos, aut affines vel in linea recta, vel alia in primo, et secundo gradu ; id negant in gradibus ulterioribus, et etiam in cognatione legali, vel spirituali, de qua statim. Sed nostra resolutio est communior, et probabilior : quam docent Sanch. lib. 9, de Matrim. disp. 56, Lugo disp. 16, n. 350, et Leand. pro eodem referens Sylvium, Graffium, et Trullench. Et probatur : nam qui tangit turpiter consanguineum, vel affinem in tertio, aut quarto gradu, aut cum ea se polluit, debet id explicare in confessione propter specialem incestus malitiam, ut est communis sententia apud Sanch. loco cit. Sed coitus sodomiticus est incomparabiliter turpior, et magis oppositus reverentiæ, quæ inter cognatos debetur, ut nemo negare valet : ergo talis coitus, ubi committitur inter consanguineos, et affines in quolibet ex gradibus prohibitis, inducit specialem incestus malitiam explicandam in confessione : ad quod nihil in ratione incestus refert, quod sodomia commissa fuerit inter personas ejusdem sexus, vel diversi, ut etiam patet in tactibus impudicis.

Candid. Diana. Bonac.

Sanchez. Lugo. Leand. etc.

144. Venimus tandem (ut hanc de incestu considerationem absolvamus) ad cognationem legalem, et spiritualem. Est autem legalis « propinquitas personarum « proveniens ex adoptione : » quæ consistit « in assumptione personæ extraneæ in

Cognatio legalis.

« filiam. » Unde resultant tres species cognationis : prima quasi in linea recta inter adoptantem, et adoptatum : secunda in linea transversali inter adoptatum, et filios naturales adoptantis : tertia quasi affinitatis inter adoptantem, et uxorem adoptati, et similiter inter adoptatum, et uxorem adoptantis. Quælibet autem harum specierum dirimit matrimonium inter prædictas personas legali cognatione conjunctas : non quidem jure divino, et naturali, sed positive canonico, aut etiam civili, scientibus, et non contradicentibus Pontificibus, ut docet communis, et certa sententia apud N. Andream tr. 9, de Matr. c. 12, punct. 3. Et quamvis aliqui DD. extendant hujusmodi impedimentum in recta linea usque ad quartum gradum descendentium ; nihilominus probabilius est in quacumque linea solum extendi ad primum in jure assignatum, ut cum aliis resolvit N. Andreas loc. cit. n. 43, quoniam hujusmodi cognatio non impedit matrimonium jure naturæ, sed positivo. Unde solum se extendit ad impediendum matrimonia eorum, qui in ipso jure positivo assignantur, et sunt existentes in primo gradu cujuslibet speciei cognationis legalis, ut assignavimus, et quod ad spiritualem spectat, illa consistit « in propinquitate « personarum introducta jure Ecclesiastico « ex susceptione Baptismi, et Confirmatio-« nis. » Cujus descriptionis sensus haud obscure constat ex supradictis n. 122. Ad quas autem personas extendatur hujus cognatio spiritualis (matrimonium utique impediens) sublatis antiquis dispositionibus, ac introductionibus statuit, ac decrevit Concil. Trid. sess. 24, de Reform. cap. 2, quantum ad Baptismum his verbis : « Unus « tantum sive vir, sive mulier juxta Sacro-« rum Canonum instituta, vel ad summum « unus, et una Baptizatum de Baptismo « suscipiant : inter quos, ac baptizatum « ipsum, et illius patrem, et matrem, nec-« non inter baptizantem, et baptizatum, « baptizatique patrem, ac matrem tantum, « spiritualis cognatio contrahatur. » Et quantum ad Confirmationem his verbis : « Ea quoque cognatio, quæ ex Confirma-« tione contrahitur confirmantem, et con-« firmatum, illiusque patrem, et matrem, « ac tenentem non egrediatur : omnibus « inter alias personas hujusmodi spiritua-« lis cognationis impedimentis omnin « sublatis. »

Cognatio spiritualis.

Concil. Trid.

Hæc (quorum uberior, et accuratior no titia pertinet ad tractatum de Matrimonio sufficiat delibasse hoc loco, ut resolutione ad ipsum pertinentes subjiciamus. Tenendum itaque est cognationem legalem distingui specie morali a cognatione natural inter consanguineos, et affines : et subind incestum contra cognationem legalem com missum distingui specie ab incestu com misso inter consanguineos, et affines, e sic fore explicandum in confessione. It Paludanus, Azor, Lessius, Filliucius, quo refert, et sequitur Trullench lib. 6, i Decalog. cap. 5, dub. 6, contra Sanche lib. 7, de Matrim. disp. 5, n. 10, Lugun disp. 16, n. 328, et alios. Et probatur e dictis n. 140, nam habent radices valde distinctas, ut facile consideranti constabit et declaratur in hunc modum : magis distinguitur cognatio legalis a cognatione inter consanguineos, et a cognatione inter affines, quam istæ duæ ultimæ cognationes inter se ; sed istæ distinguuntur specie propter differentes radices, ex quibus proveniunt; et propterea incestus inter consanguineos distinguitur specifice ab incestu inter affines, ut statuimus n. 140 : ergo idem a fortiori dicendum est de cognatione legali comparative ad cognationem inter consanguineos, et affines. Explicatur amplius: nam conjunctio inter consanguineos, et affines est naturalis, et fundata in ipso jure sanguinis, vel immediate, ut in consanguineis propter originem ab eadem radice, vel saltem mediate ob unionem per matrimonium, ut in affinibus : conjunctio vero legalis non est naturalis, cum contingat inter personas omnino extraneas, sed mere politica, introductaque jure Civili, non repugnante Canonico : atque ideo est multo inferior, quam illa : ergo pariter incestus inter personas conjunctas sola cognatione legali est diversa, et inferioris malitiæ, quam incestus inter personas conjunctas cognatione naturali consanguinitatis, vel affinitatis.

Unde a fortiori dici debet incestum inter personas conjunctas cognatione spirituali distingui ab omnibus incestibus hactenus enumeratis, et subinde explicari debere in confessione. Quoniam præter violationem conjunctionis, sive reverentiæ ob conjunc-

tionem

tionem debitæ, quæ invenitur in omni incestu, adest specialiter in isto malitia sacrilegii : eo quod prohibitio copulæ inter conjunctos cognatione spirituali oritur specialissime ex reverentia ad sacramenta Baptismi, et Confirmationis : contra quam agunt se stante tali cognatione, commiscentes. Et sic præter proxime relatos pro nostra sententia docent Sanchez loco cit. num. 9, Lugo loco cit. n. 333, Leander disp. 8, § 3, q. 47, et omnes, quos viderimus. Sed duo hic observanda sunt. Primum: in confessione incestus contra cognationem spiritualem opus non esse declarare, quod talis cognatio fuerit ex Baptismo, vel ex Confirmatione: quia sunt ejusdem rationis. Secundum : cognationem legalem non extendi nisi ad unum gradum, primum utique in qualibet linea a jure assignatum, ut supra diximus : cognationem vero spiritualem extendi ad omnes personas assignatas in Concil. Trid. proxime relato, et consequenter copulam inter illas esse vere incestum. Sed opus sit præter incestum confiteri personam, sive gradum conjunctionis, existimamus determinari debere juxta superius dicta n. 141, nempe explicandum fore primum gradum, secus alios.

145. Fit septimo in peccatis blasphemiæ explicandam esse qualitatem illius, et personam, in quam fit. Ratio est: quoniam hæc variant speciem peccati hujusmodi : sunt autem omnes peccatorum species in confessione explicandæ. Ad cujus majorem lucem recolenda sunt, quæ diximus in tract. 12, de virtutib. in arbore prædicam. n. 17, nempe duas esse blasphemias : unam *specialiter* dictam, quæ vocatur *blasphemia in Spiritum Sanctum :* quia ponit directe obicem remissioni peccatorum, et gratiæ, quæ Spiritui Sancto appropriantur, et dividitur in varias species, desperationem, præsumptionem, etc. Et de hac blasphemia specialiter dicta, et ejus speciebus non agimus in præsenti : sed non pauca diximus in priori parte in Comment. ad art. 10, q. 84 et disp. 6, a n. 150. Alia est blasphemia *generaliter dicta*, consistitque in derogatione excellentis alicujus bonitatis : quæ communiter fit verbis, aut aliis signis loco verborum, ut si quis diceret Deum esse crudelem, D. Petrum fuisse stultum, etc. Et de hac blasphemia est nobis sermo in hoc loco : quæ habet specialem oppositionem cum fide, non quidem quantum ad internum assensum (quamvis illam aliquando habeat), sed quantum ad externam fidei confessionem, et reverentiam, quæ rebus sacris, et excellentibus in modo etiam loquendi debetur.

Hujus itaque qualitatem debere in confessione explicari ostenditur contra aliquos apud Leandrum disp. 8, § 3, q. 15, asserentes omnes blasphemias esse ejusdem speciei. Nam in primis blasphemia in Deum distinguitur specie a blasphemia contra creaturas quantumvis excellentissimas : tum quia excellentia Dei excedit infinite excellentiam creaturarum : tum quia hac de causa virtus, qua Deum colimus, nempe Religio, sive Latria, distinguitur a Dulia, sive virtute, qua Sanctos reveremur. Ergo qui blasphemavit contra Deum, non satisfacit dicendo in confessione blasphemiam, sed aperire debet quod contra Deum fuerit. Deinde blasphemia dicta contra B. Virginem Mariam distinguitur specie a blasphemia in alios Sanctos ob eminentissimum excessum, quo Mater Dei illos antecellit : unde cultus proprius illi debitus dicitur Hyperdulia, quæ a Dulia, sive communi in alios Sanctos cultu distinguitur, ut optime tradidit Angelicus Doctor 3 part. q. 25, art. 5, dicens: « Cum « B. Virgo sit pura creatura rationalis, « non debetur ei adoratio Latriæ, sed vene- « ratio Duliæ, eminentius tamen, quam « ceteris creaturis, in quantum ipsa est « Mater Dei. Et ideo dicitur, quod debetur « ei non qualiscumque Dulia, sed Hyper- « dulia. » Unde qui blasphemiam de B. Virgine loquutus sit, debet in confessione aperire. Pro quibus omnibus perfectius capessendis recolenda sunt, quæ late tradidimus tract. 21, de Incarnat. disp. 36, de adoratione Sanctorum, et specialiter dub. 3, de adoratione B. Virginis Mariæ, quæ hic insinuasse sufficit. Denique blasphemiæ in alios Sanctos, sive Angelos, sive homines, distinguuntur specie a blasphemia in Deum, et blasphemia in B. Virginem, et sic explicari debent, ut constat ex immediate dictis. Sed sicut excellentiæ Sanctorum, quamvis satis inæquales, sunt ejusdem ordinis, et pertinent ad eandem Duliam : sic etiam blasphemiæ contra eos prolatæ, quantum est ab hoc capite, sunt

Blasphemia in Sanctos est ejusdem speciei.

ejusdem speciei : quare satis est in confessione explicare blasphemiam in Sanctum, licet non explicetur, an fuerit homo, vel Angelus, Joannes, aut Petrus, etc. et hanc esse communem sententiam testatur N. Franciscus, cap. 8, punct. 4, n. 99.

Franc. Et hæc procedunt attenta sola diversitate personarum, in quibus blasphemiæ proferuntur: unde consulto diximus: *Quantum est ab hoc capite*. Sed aliunde possunt ex aliis varias contrahere malitias specie diversas, et necessario in confessione explicandas. Primo : si contineat hæresim, ut si quis diceret Verbum Dei non esse proprie Filium Dei: nam præter blasphemias, et irreverentia verba, proferret hæresim destruentem Mysterium Trinitatis. Hæresis autem addit speciem supra blasphemiam. Et quamvis deficeret assensus interior directe contrarius assensui fidei ; adhuc tamen blasphemia foret hæreticalis, et contra præceptum fidei, quo obligamur ad non asserendum, vel negandum exterius contra id, quod fides docet. Secundo; si procedat ex odio, ut cum quis, quod mala patiatur, irascitur, atque in Deum, et Sanctos ejus assentiret eum esse crudelem, et istos nihil suis intercessionibus consequi : manifestum namque est odium addere speciem a malitia distinctam. Tertio ; si adderet contumeliam, aut convitium attribuendo Deo, aut Sanctis res turpes. Quarto; si imprecaretur eis aliquod malum ut destructionem, et nullum cultum. Quæ sunt satis perspicua, et suo pondere a præmissa resolutione descendunt. Videantur Sanchez in Summa lib. 2, cap. 32, Suarez de Relig. tom. 1, tract. 3, lib. 1, cap. 6, Dicastillo in præs. disp. 9, dub. 8, Bannez et Aragon, 2, 2, q. 13, art. 10, Petrus de Ledesma tom. 2, tract. 1, cap. 9, concl. 5, et alii communiter contra Joanem Sancium disp. 6, q. 6, Leandrum disp. 8, § 3, q. 14, et aliquos alios Recentiores, qui vel negant, vel diminuunt obligationem confitendi qualitatem blasphemiarum contra Deum, ut si fuit, inquit Sanchez loco cit. « per vitam « Dei, vel pœniteat Deum, vel per membra « pudenda, etc. »

Sanchez Suarez. Dicastil. Aragon. Ledesm.

Octava. 146. Fit octavo eum, qui relicta fide Catholica transit ad sectas reprobatas Judaismi, vel Paganismi, vel hæresis, teneri explicare in confessione ad quam ex illis falsis Religionibus transierit. Oppositum cum paucis janioribus docet Diana 1 par tract. 7, quæst. 46. Sed nostram resolutio nem defendunt satis communiter Doctore ut statim constabit. Et probatur : nam ill falsæ religiones, et infidelitates earum pr pria distinguuntur in specie intra genu infidelitatis, ut ex professo ostenditur tra tat. 17, de fide, disp. 9, dub. 2, § 2, docent D. Thomas, Cajetanus, Bannez Aragon. Martinez de Prado, Tapia, Araux Tay, et alii ibidem relati. Unde cum ci cumstantiæ mutantes speciem, debeant i confessione explicari, declarari istæ deben atque ideo non sufficit dicere apostasiam fide Catholica, sed aperiri ultra debet infi delitas, vel Judaismi, vel hæresis, ad quai quis transiit. Et quamvis Suarez, Valenti Lorca, et quidam alii negent distinctione essentialem inter prædictas infidelitates nihilominus iidem Auctores observant pra dictas infidelitâtum conditiones debere i confessione explicari, quia sunt circums tantiæ notabiliter intra speciem aggra vantes : quod etiam præmonuit Sanche lib. 2, in Decalog. cap. 7, num. 57. Lice autem horum motivum sit infirmum apu nos, resolutio tamen placet, et po'est ali ter firmari : nam permisso, quod illæ tre infidelitates non distinguantur specie, nihi lominus earum singulæ amplectuntur ritu habentes malitias diversas in specie put Judaismus malitiam superstitionis in Cir cumcisione; Paganismus malitiam Idolo latriæ, Hæresis usum invalidi alicuju sacramenti, et sic de aliis : ergo qui transi ad falsas istas religiones, hæc omnia i earum professione. complectitur, admit titque diversa specie peccata. Et consequenter non satisfacit confitendo præcise, quo deseruerit fidem Catholicam, sed explicar debet, ad quam falsarum illarum sectarum transierit, ut cum Lugo, Dicastillo, et alii recte probat N. Franciscus loco cit. n. 100

147. Tædet jam in tot corollariis ac unam circumstantiam *Quid*, immorari præsertim cum concernant materias adeo diversas, quæ ex una parte non videntu omittendæ, et ex alia nequeant pro meritis hoc loco versari, sed debeant ad propriæ sedes remitti. Et tamen adhuc, lice tumultuarie, addimus. Primo eum, qu uno actu vult non recitare Officium Divinum in uno mense, aut non jejunare i Quadragesima, debere id explicare in confessione

fessione, quidquid cum aliquibus dicat Leander ubi proxime quæst. 27. Nam licet ille actus sit physice unus, est tamen multiplex moraliter in æstimatione prudentum, habetque tot malitias numero distinctas, quot sunt transgressiones, quas ex parte objecti voliti admittit. Et confirmari potest ex supradictis a num. 131, exemplo ejus, qui uno actu vult occidere decem homines, aut committere decem adulteria : nam committit decem peccata, et debet ea confiteri. Secundo eum, qui violat votum, quod juramento firmaverat, committere duo peccata specie diversa, et in confessione explicanda, ut docent Sanchez lib. 7, de Matrimon. disp. 27, et alii communiter. Quia licet votum, et juramentum pertineant ad eandem Religionis virtutem ; nihilominus important rationes specifice differentes : voti namque observatio debetur, ut servetur fides Deo debita ; juramenti autem voto Deus invocatur in testem falsum. Unde consequens est violationes voti, et juramenti esse peccata specie distincta. Tertio maledicentem uno actu Deo, et duodecim Apostolis, et imprecantem malum Petro, et omnibus suis cognatis debere id explicare in confessione : quia committit peccata plura numero distincta in prudenti æstimatione juxta numerum personarum, quas maledictione offendit, ut patet ex dictis a num. 131, et docent Navarrus, Vasquez, Bonacina, Trullench, et alii communiter contra Leandrum disput. 8, § 3, quæst. 24, et alios paucos. Quarto illum, qui tria adulteria cum tribus mulieribus conjugatis commissis, satisfacere confitendo tria adulteria, et non obligari ad manifestandam conjugatarum, cum quibus peccavit numerum. (Idem colligendum est de fornicante cum diversis solutis.) Nam ibi non multiplicantur species peccatorum, sed præcise numerus : et hic satis declaratur dicendo tria adulteria. Et sic docent communiter Auctores, quos refert, et sequitur Leander ubi proxime quæst. 29. Et eadem ratione colligendum est non magis debere confiteri, qui decem fœminas incitavit ad peccandum, quam qui unam decem vicibus provocavit, supposito, quod omnes sint ejusdem status, et conditionis. Quinto prælatum, aut dominum, qui subditorum, aut servorum correctionem, cum debebatur, omittit, non satisfacere, si in confessione dicat se omisisse proximi correctionem, sed debere explicare proximi qualitatem : quia obligatio corrigendi proximum in genere solum oritur ex misericordia, aut charitate : sed obligatio corrigendi subditos, et servos pertinet etiam ad justitiam, et officium. Et ita observant Bannez, Suarez, Villalobos, et alii, quibus subscribit Leander ubi proxime quæst. 56. Et idem intelligendum est a fortiori de parentibus non corrigentibus filios delinquentes in re gravi.

§ III.

De circumstantia Ubi.

148. Hæc designat locum, ex quo peccata possunt depromere specialem malitiam. Et solet esse duplex : alter publicus, ut si quis fornicaretur in foro, et coram multitudine, quæ inde provocaretur ad malum : unde talis actus ultra speciem luxuriæ contraheret etiam malitiam specificam scandali. Sed de hoc jam supra dictum est, et in sequentibus sermo redibit. Alter est Sacer, sive dedicatus Dei cultui : et de isto agimus in præsenti, ut videamus, an peccatis in eo commissis addat specialem malitiam, necessario in confessione exponendam. Communiter autem refertur, et refellitur sententia Joannis de Medina, qui codice de pœnitentia tractat. 2, quæst. 7, asseruit omne peccatum grave etiam internum in templo commissum habere ex loco circumstantiam irreverentiæ, necessario in confessione explicandam. Et refellitur merito : quia onus gravissimum imponit absque solido fundamento. Deficit etiam in eo, quod imaginatur omne peccatum intra templum admissum esse contra reverentiam ipsi debitam : nam actus interni nullam indecentiam, vel offensionem afferunt loco sacro : quin etiam plura peccata excludunt ex parte objecti ipsum templum, ut patet in eo, qui alapa, vel alia gravi intra templum perculsus statuit se vindicare non in templo ob reverentiam ei debitam, sed extra illud. Nec propterea negamus peccata in loco sacro commissa, nisi ignorantia, aut inadvertentia excuset, contrahere aliquam levem malitiam reducendam ad speciem sacrilegii, ut patet in nugis, et verbis otiosis in Ecclesia prolatis, et in

Locus duplex.

aliis similibus. Inordinatum namque apparet, quod locus dedicatus orationi, et adorationi Dei, peccatis committendis deserviat. Quamvis hæc magis in peccata externa, quam interna referri debeant.

Restringendo itaque considerationem ad peccata gravia externa in templo commissa; quod ista graviter opponantur reverentiæ templo debitæ, potest provenire ex duabus radicibus : in primis ex natura rei ob specialem oppositionem inter talia peccata, et sanctitatem loci : deinde ex præcepto Ecclesiæ graviter prohibentis aliquas actiones in loco sacro exerceri. Et quantum ad primum non dubitamus dari aliqua opera adeo prophana, et contraria reverentiæ locorum sacrorum, ut ipso jure naturali, et independenter a jure positivo, contrahant in templo exercite specialem sacrilegii circumstantiam, quæ necessario in confessione explicari debeat. Quis hoc neget de eo, qui in templo copulam haberet cum meretrice : et de eo, qui jumenta, et sues introduceret in templum sicut in stabulum; et de illo, qui stercora, et res fœdissimas congregaret in templo sicut in sterquilinio? Sunt ista adeo absona, et religioni templorum tam adversa, ut vel apud idolatras censeantur sacrilegia gravissima. Forent itaque hujusmodi, quamvis non prohiberentur jure positivo Ecclesiastico; quin plurima illam prohibitionem non habent, quia ea non egent, ut facile discurrenti constabit. Sed dubium alias non est, Ecclesiam aliqua peccata specialiter prohibuisse intuitu loci sacri, ne scilicet in eo fierent, ejusque reverentiam violarent. Et quatuor principaliter esse observant communiter Doctores, ex variisque Canonibus deducitur. Primum homicidium, et gravis effusio sanguinis. Secundum voluntaria seminis effusio. Tertium est furtum. Quartum violatio immunitatis Ecclesiæ seu Templi. De quibus omnibus dicere curabimus, quæ oportet ad cognoscendum, quæ peccata in Ecclesia commissa contrahant novam circumstantiam sacrilegii specie, a peccato diversam, et in confessione declarandam. Quamvis non semel species ex loco sacro desumpta non sit circumstantia peccati, sed prima ejus species, quoties videlicet actus non habet aliunde malitiam, sed solum ex eo, quod solum fit in loco sacro contra prohibitionem Ecclesiæ, ut aliqui declarant exemplis judicis exercentis actus judiciales (de se licitos) in templo : tum eorum, qui habent actum conjugalem (de se licitum) in loco sacro. In his enim, et similibus ratio sacrilegii non est circumstantia peccato addita, sed prima ipsa species peccati.

149. His suppositis, haud obscure colligemus ad hanc circumstantiam pertinentia discurrendo per illas quatuor classes proxime assignatas. Et quantum ad homicidium, et notabilem sanguinis effusionem, tenendum est, quod, ut sint actiones sacrilegæ, quibus violetur Ecclesia, debent esse actiones peccaminosæ, et in suo genere consummatæ. Hinc, si aliquis se juste defendendo alium in Ecclesia vulneret cum notabili sanguinis effusione, ac denique interficiat : non propterea dicetur violator Ecclesiæ, vel homicida sacrilegus, ut docent Victoria in summa num. 99, et alii communiter : nam cum illæ actiones non fuerint peccatum nequeunt esse sacrilegium. Et similiter ; si effusio sanguinis non sit notabilis, et simul injuriosa, non violat Ecclesiam, nec ex vi hujus contrahit malitiam sacrilegii: ut si joco contingeret, licet foret magna ; vel in parva quantitate ut in aliquibus guttis e naso, licet esset injuriosa, ut resolvunt Navarrus, Sylvester, et alii communiter apud Leandrum disp. 8, § 4, q. 7. Pariter ; si quis alium in Ecclesia graviter percuteret, absque morte tamen, et notabili sanguinis effusione, non violaret Ecclesiam, nec ex vi hujus esset sacrilegus : quia jura loquuntur determinate de homicidio, et sanguinis effusione ; et trahi non debent ad hunc tertium, et diversum casum in eis non expressum, ut bene observant Lugo disp. 16, num. 468. Denique, nec violator Ecclesiæ in hoc sensu est, qui existens intra Ecclesiam telo, aut sclopeto occidat alium existentem extra Ecclesiam : quia actio occidendi non consummatur in Ecclesia, sed extra illam, et tamen jura loquuntur de homicidio, et sanguinis effusione, quæ in Ecclesia fiant, cujus oppositum dici deberet, si vice versa existens extra Ecclesiam alium occideret in ea existentem, ut cum aliis notat Leander ubi proxime quæst 8. Et hæc omnia, ut sæpius indicavimus, accipienda sunt attentis juribus ab Ecclesia statutis. An vero prædictæ actiones sint

alias

alias jure naturali prohibitæ, et sacrilegæ ob irreverentiam in locum sacrum, alia est difficultas, de qua infra num. 152. Et similiter accipi debent, ubi prædictæ actiones sunt publicæ : de his namque loquuntur jura non se extendentia ad occulta crimina. Sed utrum eædem actiones occultæ factæ incurrant nihilominus malitiam sacrilegii, concernit distinctum dubium, n. 151 dicendum.

150. Veniamus ad aliam classem peccatorum luxuriæ, quibus violatur Ecclesia (circa quæ ne erremus, aut alios in errorem trahamus, resolutiones accipiendæ sunt cum limitatione, et cautionibus immediate præmissis). Fit autem prædicta violatio (peccatum necessario in confessione explicandum) per non occultam seminis effusionem, atque ideo per copulam carnalem. Et quod ad istam attinet, extenditur etiam ad conjugalem, nisi contingat conjuges esse in Ecclesia reclusos per longum tempus, quod aliqui determinant ultra quatuor dies, ut cum Petro de Ledesma, Candido, Sanchez, Suarez, et aliis satis communiter resolvunt Bonacina, q.4, de Matrim. punct. ult. Et N. Andreas de Matrim. cap. 15, punct. 5, num. 66. Quod vero pertinet ad seminis effusionem, intelligendum est cum ea proprietate, quam istæ voces significant; et non pro qualibet minima decisione humoris, ut videri potest apud Leandrum loco cit. quæst. 10. Et hæc duo præcise sunt, per quæ accedente notorietate, in genere luxuriæ violatur Ecclesia. Unde fit per solos aspectus, aut nutus libidinosos, et confabulationes inhonestas non committi istud peccatum violationis. Similiter nec per tactus leves manuum, aut pectoris. Denique nec per tactus omnino impudicos in partibus inhonestis, modo non sequatur pollutio notoria, ut cum Sanchez, Navarro, Lugo, Diana, et aliis pluribus tradit Leander disp. 8, § 4, quæst. 11, et 12, 13. In quo tamen minime probamus, quod hæc tradat in genere, et absque aliqua distinctione concludendo similia peccata in loco sacro commissa non inducere circumstantiam sacrilegii, nec esse necessario declaranda in confessione quantum ad eam circumstantiam : quod non aliunde probat, nisi ex non violatione Ecclesiæ secundum jura, quæ fatemur non extendi ultra voluntariam, et notoriam seminis effusionem. Sed procedit diminute, et præstat occasionem errandi, et non confitendi, quæ confiteri ex necessitate debent. Nam quidquid fuerit de dispositione juris positivi (quam supponimus) possunt aliunde actiones indecentes in loco sacro prohiberi jure naturali, ex ipsomet Leandro statim videbimus : atque ideo quamvis non inducant violationem loci sacri, secundum quod jura præscribunt, possunt contrahere malitiam gravem sacrilegii in locum sacrum, ut num. 148 exemplis ostendimus. Quare pro accuratiori præsentis materiæ resolutione (antequam ad alias duas classes violationis Ecclesiæ descendamus), oportet duas graves difficultates breviter superare.

151. Prima est, an quando crimina hactenus relata, homicidium, effusio seminis, copula carnalis, et sanguinis effusio, fiunt occulte, sive quando non sunt notoria, sint vere sacrilegia, debeantque consequenter, ac necessario in confessione explicari ? Negant Navarrus cap. 27, num. 230, Vasquez 1, 2, disp. 98, Basilius Pontius lib. 10, de Matrim. cap. 10, Rodriguez, Naldus, Azor, Coninchus, Toletus, Graffius, et alii plures, quibus relatis subscribunt Diana part. 1, tract. 11, resolu. 31, et Palaus tractat. 11, disp. unica, punct. 1. Moventur : quia ea sola peccata Ecclesiam polluunt, atque subinde habent speciem sacrilegii, necessario in confessione explicandi, quæ impediunt, ut divina in Ecclesia celebrentur; sed per sola crimina relata, ubi sunt notoria, impeditur Ecclesia a divinorum celebratione ; secus autem ubi sunt occulta, ut est concors Doctorum sententia : ergo talia peccata, ubi occulte committuntur, non polluunt Ecclesiam, nec inducunt circumstantiam sacrilegii in confessione explicandi. Confirmatur primo : quia quod Ecclesia polluatur, et in ejus pollutione committatur sacrilegium, non provenit ex jure naturali, aut divino, sed ex solo jure Ecclesiastico : atque ideo extendi non debet ultrà expressam hujus dispositionem : constat autem istud exposcere notorietatem prædictorum criminum : ergo ubi talia crimina sunt occulta, nec polluitur Ecclesia, nec sacrilegium committitur. Confirmant secundo : nam reverentia locis sacris debita consistit in hominum opinione, sicut et fama : atque ideo

Opinio.

Navarr. Vasq. Pontius, Rodrig. et alio.

Motivum

Confirmat 1.

Confirmat 2.

sicut homines non fiunt per sua crimina infames nisi talia crimina hominibus innotescant ; ita irreverentia non irrogatur locis sacris per crimina in eis commissa, nisi de criminibus publice constet : ergo ubi occulta sunt non inferunt irreverentiam locis sacris, nec sibi afferunt malitiam sacrilegii.

Verior sententia.

Sed affirmans sententia est verior, securior, et communior ; quam docent Sylvester verbo *Debitum* num. 5, et verbo *Consecratio* 2, num.5, Petrus de Ledesma quæst. 64, art. 7, concl. 1 et in Summ. cap. 20, de Eucharist. Candidus disquisit. 24, art. 23, dub. 38, Raphael Torre 2, 2, q. 99, art. 2, disp. 7, Castro lib. 1, de potest. legis pœnalis cap. 7, docum. 2, Covarruvias de sponsal. part. 2,cap. 7, § 2, Sanchez lib.9, de Matrimon. disp. 15, Suarez tom. 1, de Relig. lib. 3, cap. 7, et 3 part. quæst. 83, art. 3, disput. 81, sect. 4, § 2, Henriquez lib. 9, de pœnit. cap. 27, num. 5, et lib. 11, de Matrimonio cap. 26, num. 4, Leander disput. 8, § 4, q. 9, Emmanuel disput. 3, quæst. 16, num. 530, Lessius, Salas, Fagundez, Castro Palao, Bonacina, Lugo, Trullench, et alii plures, quos referunt, et sequuntur N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num, 102, N. Gabriel disp. 8, quæsit.1, N. Antonius disp. 8, sect. 3, num. 563, et N. Andreas disp. 15, de Matrim. cap. 15, punct. 4, num. 65. Probatur destruendo oppositum fundamentum : nam per hujusmodi peccata, licet occulte fiant, polluitur Ecclesia, et gravem subit irreverentiam : ergo talia peccata licet occulta sunt sacrilegia contra locum sacrum, et debent in confessione ut talia manifestari. Consequentia patet. Et antecedens suadetur,quia hoc ipso, quod prædicta crimina, licet occulte facta diffamentur vel in confessione rei, vel per alium, qui in occulto positus illa vidit,incipit Ecclesia esse polluta etiam apud homines, ita ut in illa non possint celebrari divina, ut statuitur in cap. *Significasti* de adulteriis ; atque pollutio non contingit per supervenientem confessionem, testimonium, aut diffamationem ; nec horum aliquod est sacrilegium : ergo supponebatur polluta ex vi illorum criminum licet occultorum.

Sylvest. Ledesm. Candid. Torre. Covarr. Sanchez, Suarez. Henriq. Leand., Emman. Lessius, Salas, Bonac. Lugo, Franc. Gabriel. Anton. Andreas, Ratio.

Confirmatur : nam eo ipso, quod Ecclesia censeat aliqua crimina habere, oppositionem cum reverentia debita locis sacris, et idcirco illa in eisdem facienda prohibeat ; omnes prudenter intelligunt esse ir reverentias, et sordidationes loci sacri ergo sive fiant publice, sive occulte, et siv in notitiam publicam veniant, sive non graviter offendunt reverentiam locis sacri debitam, incurruntque proinde sacrilegi malitiam. Explicatur amplius : nam u recte vidit Dicastillo (licet unam,et alteran opinionem problematice sustinens) disput 9, dub. 8, quæst. 1, num. 661, non ide templum censetur maculatum, quia Eccle sia prohibet sacrificia, et officia divina i eo exerceri ; sed vice versa ideo ista pro hibet in aliquo templo fieri, quia templun pollutum est per aliquod peccatum loc sanctitati, atque reverentiæ oppositum sensit ergo Ecclesia tale peccatum esse ip sam maculam, sordidationem, et pollutio nem templi. Ergo tale peccatum, sive oc culte, sive publice fiat, importat malitian sacrilegii contra templum : quamvis Ec clesia, quæ de occultis non judicat, expos cat notorietatem peccati, ut declaret tem plum esse pollutum, et in eo interdica divina officia. Per quæ satis ad motiv contraria : sed, ut illa in particular evidentius dissolvantur, versari debe secunda difficultas.

Confirmatio.

152. Est autem hujusmodi, an dentu aliqua peccata, quæ seclusa speciali Ecclesiæ prohibitione habeant malitiam sacrilegii ex circumstantia loci sacri, in quo fiunt ? Prima sententia id affirmat generaliter de omnibus peccatis, quam docen Joannes de Medina relatus, et rejectus num. 178. Secunda id in universum negat,non aliam sacrilegii malitiam admittens ex circumstantia loci sacri, quam illam, et in illis casibus, quam in quibus jura declarant Ecclesiam pollui, et interdicit propterea in ea celebrari divina. Ita Vasquez, Basilius, et alii ex relatis pro prima sententia num. præced. Tertia, cui subscribimus, docet aliqua peccata ob specialem sui fœditatem, et oppositionem cum sanctitate loci sacri, habere ex natura rei, et antecedenter ad prohibitionem Ecclesiæ, sive præcisive a tali prohibitione, malitiam sacrilegii, si in loco sacro exerceantur. Sic docent communiter Auctores pro secunda opinione num. præced. relati : quibus addimus Sylvium 2, 2, quæst. 144, art. 10, in fin. Tancredum, 2, 2, disp. 4, quæst. 2, dub. 3.

dub. 3, num. 42, Pitigianum in 4, distinct. 17, quæst. unica, art. 5, circumstantia *Ubi* in fine. Ortiz in Summa notab. 5, circ. 6 præceptum, et alios apud Dianam 1 part. tract. 7, resol. 25, Molinam tom. 2, de Justit. disp. 344, Dicastillum disp. 9, dub. 8, quæst. 2, et N. Antonium disp. 8, sect. 3, § 2, num. 566. Et probamus : nam istimet actus, propter quos Ecclesia declarat locum sacrum pollui, habent ex natura rei, supposita templorum institutione, notabilem oppositionem cum reverentia illis debita : et propterea Ecclesia illos in loco sacro interdicit : ergo etiam exclusa tali prohibitione ex jure positivo, illam habeRent contra jus naturale, atque ideo semper forent sacrilegia contra reverentiam debitam loco sacro. Sicut etiam furtum prohibetur legibus juris positivi ; et tamen licet non darentur tales leges foret contra jus naturale, et retineret eandem specificam malitiam.

Confirmatur : quia sunt aliqua adeo fœda, et opposita institutioni, et reverentiæ templorum, ut quilibet prudenter judicet summam per illa injuriam templis, et Deo, qui in eis colitur, irrogari : ergo quamvis de illis non detur specialis aliqua prohibitio per Ecclesiam, aut jus positivum, sunt ex ipso jure naturali prohibita, et peccata sacrilegii. Consequentia patet ; et antecedens constat exemplis tum propositis num. 148, tum aliis, quæ aliqui Auctores expendunt distincta ab eis, per quæ de facto templum polluitur juxta statutum Ecclesiæ, et quæ nemo negat esse sacrilegia. Antonius adhibet exemplum ejus, qui in templo sua verenda ostenderet mulieribus; et qui in templis nostris offerret incensum idolo. Lugo, et Dicastillo ejus, qui ibi repræsentaret, aut repræsentare faceret comedias lascivas, aut coram multis proferret verba nimium impudica, et provocativa. Molina, et alii ejus, qui in templo faceret negotiationes profanas, et mercatum publicum : quod confirmant ex facto Christi Domini, Joan. 2, 2, ejicientis ex templo ementes, et vendentes. Et similia facile quis imaginari potest, ex quibus sanctitas loci sacri enormiter offendatur, et grave committatur sacrilegium. Quæ autem sint ejusmodi non possumus certo regula diffinire, cum dependat ex multis necessario in casu particulari perpendendis; sed prudenti judicio relinquendum est, ut visum fuit Suario loco cit. ex lib. 3, de Religione, qui tamen sentire videtur omnes tactus impudicos in Ecclesia exercitos esse sacrilegia : sed addit non idem fortasse esse de turpi aspectu, aut levi verbo, quando in transitu, et sine notabili mora, et scandalo fiunt.

Hinc convelluntur objecta pro prima opinione relata num. præced. Ad argumentum neganda est major : nam præter peccata, ob quæ in templo commissa prohibet Ecclesia, quod in eo sacrificia et officia celebrentur, sunt alia plurima, et quandoque graviora, quæ templum fœde commaculant, et sunt vere sacrilegia, ut constat ex dictis. Quod autem ad illam quasi pœnam, et pro fidelium in templum reverentia prohibitionem, Ecclesia assignaverit quædam crimina, et non alia quam notoria; non provenit ex eo, quod in eisdem etiam occultis, et in aliis gravioribus non reperiatur eadem species sacrilegii, et oppositionis in reverentiam locis sacris debitam ; sed quia noluit, quod celebratio officiorum, et oblatio sacrificii toties impediantur, et plane frequentissime, quoties peccata contra reverentiam loco sacro debitam committerentur : urgeret namque istud in non leve fidelium detrimentum. Sed satis providit id applicando certis criminibus, hisque notoriis, ut pertinebat ad fidelium instructionem, et scandala propulsanda. Ex his enim, quæ in illis criminibus contingunt, facile intelligi potest aliis similibus pollui templum, et sacrilegium committi. Nam, ut diximus, non quia Ecclesia prohibet officia in templo, in quo illa commissa sunt, templum fit pollutum ; sed e converso quia pollutum supponitur per crimina in eo commissa, Ecclesia declarat illum pollutum, et interdicit officia.

Convelluntur argument.

Unde ad primam confirmationem negamus majorem : nam templum aliquibus criminibus ejus reverentiæ oppositis pollui, et notabiliter offendi, provenit ex ipso jure naturali dictante reverentiam loci sacri, et prohibente ejus profanationem. Ad Ecclesiam autem pertinuit declarare, in quibus casibus quantum ad forum externum templum debeat reputari pollutum. Et sicut declaravit certa crimina, potuit declarare omnia in quibus major, aut æquivalens indecentia contra templum reperitur, et sunt ut talia jure naturali prohibita.

Enodatur confirmatio 1.

Sed ut non fecerit motiva habuit proxime assignata. Quare ad secundam confirmationem negari debet antecedens : nam propria, et primaria templi reverentia non consistit in hominum opinione, sed in eo, quod illam fundat, nempe templum esse locum sacrum, hoc est erectum, ac destinatum ad Dei cultum, ut merito proinde appelletur domus Dei. Unde sive irreverentia contra illud commissa sit notoria, sive non ; injuriam illi infert pertinentem ad speciem sacrilegii : sicut contingeret in utente occulte vestibus sacris ad usus profanos ut Alba loco subuculæ. Deinde permisso utcumque antecedenti, nihil illa confirmatio evincit, sed magis destruitur ipso exemplo in sui patrocinium allato : nam etiam homines solent contrahere infamiam, priusquam de infamia notentur, vel habeantur ut infames. Sic etiam committens in occulto sodomiam, aut hæresim, aut crimen læsæ majestatis, infamiam incurrit, et infamis in se est. Et ubi hæc crimina innotescunt, incipit non quidem esse; sed manifestari, quod erat. Id itaque similiter contingit in aliquibus criminibus commissis in templo, et ejus reverentiæ jure naturali contrariis : polluunt namque, et infamant de se templum, licet occulte fiant; et ubi in lucem aut notitiam prodeunt, manifestatur templum fuisse pollutum, et injuriam passum. Quis autem reputetur locus sacer in ordine ad hanc sacrilegii circumstantiam num. 156 dicemus.

2 Confirmatio diluitur.

153. Sed veniamus ad tertiam classem ex assignatis num. 148, furtum scilicet, quod ab hac etiam parte inducere solet speciem sacrilegii. Et regulam, quando id contingat, desumunt communiter Theologi, et Canonistæ ex textu in cap. *Quisquis inventus*, 17, punct. 4, in quo Papa Joannes VIII statuit committi sacrilegium in furto, cum aufertur *sacrum de sacro*, vel *non sacrum de sacro*. Ex qua determinatione constat absque controversia apud omnes, cum, qui furatur *sacrum de sacro*, ut cum ab Ecclesia surripit calicem, ornamenta sacra, imagines sacras, etc. committere sacrilegium : nam, cum ex prædicto canone doceamur aliquod furtum esse sacrilegium ; nulli id aptius, aut evidentius convenit, quam illi, quo res sacra aufertur a loco sacro : intervenit enim circumstantia *Quid* ex parte rei ablatæ, et circumstantia *Ubi* ex parte loci, unde aufertur. Sed non ita exploratum est, an ibi occurrant duo sacrilegia, et sint necessario explicanda in confessione. Negat cum Fagundez Diana I part. tract. 7, resolut. 22, dicens sufficere pœnitenti, quod confiteatur unum furtum sacrilegum. Contraria tamen sententia est verior, et longe communior ; quia sacrilegium circa locum sacrum differt specie a sacrilegio circa res sacras, sicut specie differt a sacrilegio circa personam sacram ergo sicut fœmina habens in Ecclesia copulam carnalem cum sacerdote, prætet peccatum luxuriæ committeret duo sacrilegia; unum peccando in loco sacro, e aliud peccando cum tali persona : sic etiam qui furatur calicem ab Ecclesia, ultra peccatum furti committit duo sacrilegia,unum contra rem sacram, quam surripit, aliud contro locum sacrum ex quo, et in quo furatur. Ita Suarez loc. cit. cap.5, Lugo disp. 16, num. 471, Lessius, Filliucius, Alcozer et Trullench, quibus relatis subscribit Leander disp. 8, § 4, quæst. 22, Delgadill. cap. 17, dub. 76, num. 178. Et tam resolutio, quam ejus fundamentum continent doctrinam D. Thomæ, communiter receptam inter Theologos, 2, 2, quæst. 99, art. 3, ubi inquirit : « Utrum species sacrilegii « distinguantur secundum res sacras. » Et distinguit inter personas sacras, et loca sacra, et alias res sacras a personis, et locis distinctas, ut sunt sacramenta, reliquiæ, et ornamenta Ecclesiæ : atque sacrilegia, quæ contra prædicta committuntur, specie distingui includit : nam in tribus invenitur sanctitas diversæ rationis, aut speciei intra genus sanctitatis : « et ideo, *inquit*, « secundum diversam rationem sanctitatis « rerum sacrarum, quibus reverentia exhi- « betur, necesse est, quod sacrilegii species « distinguantur. »

Ex qua doctrina facile colligitur decisio alterius difficultatis, an videlicet qui rem sacram furatur de loco non sacro, v. g. calicem consecratum de domo sæculari, committat sacrilegium, debeatque illud in confessione furti explicare ? Sunt qui respondeant cum distinctione, esse sacrilegium, et necessario confitendum, si calix sit Ecclesiæ, cui propterea inferatur injuria ; secus autem si Ecclesiæ non sit, sed pertineat ad sæcularem. Pro qua sententia referuntur Lublinus verbo *Sacrilegium*, num. 11,

num. 11, et Lopez 1 part. cap. 33. Sed cujuscumque fuerit, est falsa, et contra communem, quam docent D. Thomas loco cit. Navarrus, Henriquez, Fagundez, Graffius, et alii apud Leandrum ubi proxime quæst. 21. Nam independenter ab eo, quod calix consecratus, sit, vel non sit proprius Ecclesiæ, est res sacra, et contra reverentiam rei sacræ debitam agitur, ubi in ea, et de ea furtum committitur : fit enim sacrilegium, quoties res sacra irreverenter tractatur, ut proxime vidimus ex D. Thoma. Adde Pontificem in canone relato asserere sacrilegium in furando *sacrum de sacro* : qui est casus præsens : et tamen non distinguit, ad sacrum pertineat ad Ecclesiam, vel non : unde nec oportet nos ita distinguere. In quo non immoramur : præsertim cum tale sacrilegium non pertineat ad circumstantiam *Ubi*, de qua modo agimus, sed ad circumstantiam *Quid*, de qua jam egimus § præced.

154. Regrediendo itaque ad hujus loci propria, non solum committitur furtum sacrilegum, furando *sacrum de sacro*, sed etiam *non sacrum de sacro*, ut Pontifex loquitur in cap. citato, et observant communiter Canonistæ Menochius, Fusius, Farinacius, Decianus, et alii plurimi apud N. Franciscum cap. 8, pun. 4, num. 103. Sed dupliciter potest contingere, quod res profana, sive *non sacra*, quæ furto auferfur, sit in loco sacro : primo ; si in depositum, pignus, aut custodiam Ecclesiæ tradatur : secundo omnino materialiter, et per accidens, ut marsupium divitis orantis, aut dormientis in templo. Et in priori sensu communis sententia docet, quod, si res non sacra auferatur de loco sacro, committitur furtum sacrilegum necessario manifestandum in confessione : neminemque vidimus, qui oppositum doceat. Et facile suadetur, tum ex canone citato, qui saltem in hoc sensu accipiendus, ac verificandus est. Tum etiam nam ea, quæ Ecclesiæ traduntur in custodiam, sunt aliquando ipsius Ecclesiæ, eorumque Deus ibi specialiter tutelam suscipit : unde nequit non injuriam irreverentiæ gravis Ecclesiæ, et Deo irrogare, qui ibidem deposita, et custodita furatur. Tum denique ; nam Ecclesia ex rerum sibi commendatarum furto patitur damnum, et obligatur ad illarum restitutionem. Dubitari itaque non potest quod furtum ejusmodi sit sacrilegum. Et idem fere judicium censent non pauci de rebus, quæ licet non sint in Ecclesiæ custodia, illas tamen Parochus, Sacrista, aut alii ministri curant sibi a sæcularibus commodari pro ornatu templi in aliqua solemnitate, ut sunt aulæa, picturæ, candelabra, sedilia, etc. Et merito ita censent : quia prædicta sunt aliquo modo, toto eo tempore, Ecclesiæ, et pertinentia ad Dei cultum : atque ideo illa furari est notabilis contemptus et irreverentia in Ecclesiam. Opinio.

Loquendo autem de furto rerum non sacrarum e loco sacro in secundo sensu, ut si quis furaretur pecuniam divitis in Ecclesia existentis, vel tapetum, et sellam alicujus nobilis in Ecclesia permissam, aut ibi casu relictam : non ita convenit inter Auctores. Plures namque docent tale furtum non induere malitiam sacrilegii, nec in ejus confessione explicari debere circumstantiam loci sacri. Ita Sotus, Joannes Cruz, Henriquez, Lessius, quos refert, et sequitur Diana tom. 1, tract. 7, resol. 27, Lopez, Coninchus, Fagundez, Granados, Lugo, Naldus, et Ochogavia, quibus relatis subscribit Leander ubi supra quæst. 17, Ausonius circumstantia ubi, num. 39, Delgadillo cap. 17, dub. 76, N. Antonius disput. 8, sect. 3, § 5, num. 613, et alii. Quorum commune fundamentum est, quod in tali casu res profanæ omnino materialiter, et per accidens surripiuntur in loco sacro ; sed minime verificatur, quod tollantur de loco sacro : siquidem nullo speciali titulo ad locum sacrum spectant. Unde consequenter dicunt verba relata Joannis Papæ declarantis sacrilegium posse commiti decipiendo *non sacrum de sacro* intelligenda esse in sensu formali; ubi res non sacra tollitur de sacro, ad quod aliquo modo pertineat, ut proxime dicebamus. Sotus, Cruz, Lessius, Dian. Lopez, Granad. Lugo, Delgad. Anton. Motivum

Sed præferri debet opposita sententia asserens in prædicto casu committi sacrilegium, et explicandum in confessione. Quam docent Suarez, Vazquez, Valentia, Navarrus, Nugnus, Rebellus, Petrus de Ledesma, Raphael Torre, Layman, Ludovicus, et Graffius apud Leandrum, et Dianam locis proxime relatis, Bonacina in 1 præcept. Decalog. disp. 3, quæst. 6, puncto unico, Dicastillo disp. 9, quæst. 4, et 5, N. Franciscus cap. 8, punct. 8, num. 103, et alii. Probatur ex Canone citato destruendo si- Præfertur. Opinio affirm. Suarez. Vasqu. Valent. Navar., Nugnus. Ledesm. Rebell. Disc. st. Franc. Ratio.

mul oppositum fundamentum : nam Pontifex agens de furto *non sacri de sacro* illudque censens sacrilegium non restrinxit suam diffinitionem ad rem Ecclesiæ commissam, sive ad Ecclesiam aliquomodo pertinentem, sed sermonem extendit ad omnem rem in Ecclesia existentem, et inde ablatam, ut liquet ex ejus verbis : « Si qui deposita, vel quælibet exinde « abstrahant, velut sacrilegi canonicæ sen« tentiæ subjaceant. » Ergo violenter trahitur ejus determinatio ad furtum præcise illarum rerum, quæ custodiæ, aut curæ Ecclesiæ committuntur : sed extendi debet ad omne furtum in Ecclesia commissum, sive rerum in Ecclesia existentium.

Confirm. 1. Confirmatur primo : nam Pontifex absolute determinat sacrilegium committere, qui non sacrum de sacro furatur, idque statuit in majorem loci sacri reverentiam : ergo non licet distinguere, ejusque determinationem limitare ad solas res, quæ custodiæ Ecclesiæ commendantur, excipiendo ab ea regula omnes alias res in loco sacro existentes, viamque aperiendo, ut ab hac parte minor locis sacris adhibeatur reverentia, quam Papa illo decreto promovere curavit. Confirmatur secundo,

Secunda. et explicatur amplius. nam Pontifex diserte distinguit tria sacrilegia contingentia in furto primum furando : *Sacrum de sacro*. Secundum *sacrum de non sacro*. Tertium *non sacrum de sacro*. Quæ distinctio corruit, et confunditur juxta doctrinam contrariæ opinionis : nam si, ut in ablatione rei in Ecclesia existentis committatur sacrilegium, opus est talem rem ad Ecclesiam pertinere, et esse in hoc sensu sacram : tertium plane reducitur ad primum, ablationem scilicet sacri de sacro ; atque ideo superflue recensetur. Præterquam quod, primum sacrilegium furando sacrum de sacro distinguitur a secundo furandi sacrum de non sacro ; sed non distinguitur penes rem ablatam, quin potius in hoc conveniunt : ergo distinguitur penes circumstantiam, quam addit loci, sive *de sacro* : hæc autem etiam salvatur in furto rei non sacræ de sacro, quamvis talis res nullo modo ad Ecclesiam pertineat, et in omni sensu profana sit : ergo ejus furtum ex loco sacro habet in præmisso sensu malitiam sacrilegii : atque tale est, ubi committitur in loco sacro, sive res ablata pertineat, aut non ex aliquo titulo ad talem locum. Quæ omnia confirmari deniqu possunt, ex superius dictis a num. 151, nam plura sunt peccata, quæ facta in loco sacr contrahunt malitiam sacrilegii ob violatam reverentiam illi debitam, idque contingi ipso jure naturali, et contingeret indepen denter a dispositione juris positivi ; simili autem irreverentia occurrit in furto com misso in Ecclesia per ablationem rei in e quoquo modo existentis. Et quamvis ob i sacrilegium non esset consummatum, se inchoatum ; nihilominus illo motivo duc tus ob majorem Ecclesiæ reverentian potuit merito Pontifex statuere, quod fur tum omnis non sacri de sacro esset sacri legium, et ut tale puniretur. Per quæ sati patet oppositum fundamentum.

155. Pervenimus tandem ad quartam, e ultimam classem peccatorum, quæ ex cir cumstantia loci sacri sunt sacrilegia, u præmisimus num. 148; consistit autem i violatione immunitatis templorum, et ple rumque non importat circumstantiam pec cato superadditam, sed ipsam primam, e propriam speciem peccati constituit, nam aliunde actus, si in templo, aut contra tem plum non exercerentur, mali non essen in genere suo, ut patet in actibus judicia libus, in suspendio publici latronis, e similibus : qui actus de se sunt honesti, e pertinentes ad virtutem justitiæ; at intr Ecclesiam facti sunt sacrilegia ob violatam ipsi reverentiam. Inter hæc autem peccat eminet, et ad præsentem considerationem magis pertinet, quod committitur contr privilegium immunitatis Ecclesiarum, siv locorum sacrorum : sunt enim hæc loc refugii ad protegendum eos, qui commiss aliquo delicto ad ea confugiunt, ne capian tur, et puniantur. Quod privilegium est a instar illius, quod in lege scripta habeban Civitates refugii, et templum Salomoni Exod. 21, et lib. 3 Reg. cap. 5, concedi turque, ac statuitur tam jure civili i Exod. loco citat. de his, qui ad Sacrosanc tas Ecclesias confugiunt, quam in Canoni co in cap. *Inter alia*, et seq. de immuni tate Ecclesiastica, et in Concilio Triden tino sess. 25, cap. 20, sublatis omni bus consuetudinibus usque ad illud tempu prædicto privilegio contrariis. Illud auten plures effectus habet, utputa quod reus a Ecclesiam confugiens in ea capi non possit ne

nec invitus ab illa extrahi : quod in ea existens non alligetur vinculis, nec alio modo personaliter vexetur : quod dum in Ecclesia manet non possit ad mortem condemnari, nec ad aliam pœnam corporalem : quod, si reus ab Ecclesia extrahatur, nulla sit extractio, et omnes actus ex illa sequuti, etc. Contrarium autem facientes, et hoc immunitatis templorum privilegium violantes peccant mortaliter culpa gravissima sacrilegii ob profanatam domum Dei, et hoc crimen reputatur læsæ majestatis divinæ. Sunt etiam ipso facto excommunicati a Gregorio XIV, in sua constitutione incipiente, *Cum alias nonnulli*. Possunt etiam puniri pœnitentia publica judicio Episcopi, pensata qualitate delicti, et delinquentis, ut statuitur in cap. *Si quis contumax* 17, quæst. 4, et aliis antiquis Canonibus renovatis per Concilium Tridentinum, et Gregorium XIV, locis relatis. Et hæc pro consideratione præsentis circumstantiæ satis sit delibasse : nam materia per se spectat ad alios tractatus, et lectorem remittimus ad N. Andream, qui in tract. 18, de Privilegiis cap. 3, punct. 3, illam docte, et diffuse versat.

Nunc satis erit unam, aut alteram difficultatem ad hunc locum specialius pertinentem resolvere. Nam primo dubitari potest, num judex, qui a reo existente intra Ecclesiam aufert arma, peccet contra prædictam immunitatem. Affirmat cum Farinacio, et Peregrino, Diana 1 part. in tractact. de immunitate Eccles. resol. 8. Sed verior est pars negativa : quia illa ablatio armorum non pugnat cum reverentia Ecclesiæ, nec cum juribus illam præcipientibus : sed magis fit, ut a reo tollatur occasio patrandi in, vel ab Ecclesia scelera nova. Ita Covarruvias, Villadiego, Joannes a Cruce, Fagundez, et alii, quos refert, et sequitur Leander disput. 8, § 4, quæst. 28. Dubitari secundo potest, an judex, qui reum verbis dolosis decepit, ut de Ecclesia egrederetur, et caperetur, egerit contra Canones, et commiserit sacrilegium ? Affirmat cum Villadiego, et Bobadilla Diana loco citato resolut. 26. Sed negant Navarrus, Suarez, Fagundez, Filliucius, et alii, quibus relatis subscribit prædictus Leander quæst. 29. Et hoc videtur verius : quia illa extractio non fuit violenta, de qua Canones loquuntur. Tertio dubitari potest, an omnis extractio violenta rei ab Ecclesia sit sacrilegium ? Respondetur negative cum communi sententia : quia non semper reus gaudet immunitate Ecclesiæ : certum enim, et exploratum est quosdam valde criminosos ab hujus privilegii participatione excludi, quos Gregorius XIV in sua constitutione recenset, ut sunt publici latrones, grassatores itinerum, vulgo *Gitanos*, committentes homicidia, et mutilationes membrorum in Ecclesia, proditores, sive occidentes proditorie, *a traycion alevosamente*, assassini, fautores, et auxiliatores hæreticorum, rei læsæ majestatis in personam Principis, de quibus N. Andreas loco citato § 3 ; istos itaque violenter ab Ecclesia extrahere non est sacrilegium : foret autem illos intra Ecclesiam, et loco sacro occidere, vel alia pœna corporali punire.

Non omnis extractio violenta ab Ecclesia est sacrilegium.

156. Dubitari quarto potest, quid intelligatur nomine Ecclesiæ, aut loci sacri, ut ex ejus violatione committatur delictum sacrilegii in casibus hoc § relatis, sive pertinentibus ad circumstantiam *Ubi*, quam difficultatem ad hunc locum remisimus ? Respondetur non esse accipiendum uniformiter respective ad omnia delicta, quibus reverentia locis sacris debita violari dicitur, et sacrilegium committi. Nam quantum ad immunitatem reorum, et violationem illi contrariam latissime patet nomen sacri loci. Comprehendit enim Ecclesiam consecratam, et non consecratam ; et etiam pollutam, atque interdictam ; non perfecte constructam, aut etiam dirutam : et non solum corpus, sed etiam omnes partes, capellas, sacristiam, parietes, turres, januas, atrium, cæmeterium, etc. Ut cum communi sententia tradit N. Andreas loco citato, § 1. Quin loci sacri, et gaudentis hoc privilegio, nomine intelligitur in domibus religiosorum non solum Ecclesia, et omnia supra relata, quæ sunt quasi partes ejus, sed etiam tota domus, aut monasterium, sive quidquid intra ejus ambitum, et septum clauditur, claustra, dormitoria, officinæ, viridaria, hortus, etc. ut cum multis tradit Andreas loco citato numer. 88, et evincitur ex cap. *Si quis*, et cap. *Id constituimus* 17, quæst. 4. Unde qui confugiens ad monasterium scandit parietes, et se præcipitat in ejus horto, vel atrio, gaudet immunitate Ecclesiæ, et sacrilege extraheretur inde violenter nisi in casibus supra relatis.

Et hæc procedunt quantum ad sacrilegium, quod ex violatione immunitatis loci sacri committitur. Sed quantum ad sacrilegia, quæ effusione humani sanguinis, vel seminis loco sacro contingunt multo restrictior est loci sacri usurpatio, et solum comprehendit Ecclesiam, et cæmeterium. Porro Ecclesiæ nomine intelliguntur, quæ intra Ecclesiam sunt, ut capellæ, chorus; non quæ infra Ecclesiam, aut supra sunt. De confessionariis dubitari potest. Et ubi sunt apud nos cum pariete dividente, si in parte correspondente Ecclesiæ occisio, aut pollutio fiat, erit sacrilegium, secus autem si hæc contingant a parte correspondente claustro : dummodo istud non sit cæmeterium Religiosorum, ut apud nos frequentius contingit. Si vero confessionaria non sint divisa, sed aperta, totum illorum concavum reputandum est pars Ecclesiæ, et homicidium, etc. illic patratra esse sacrilegia, ut tradit N. Antonius disp. 8, sect. 3, § 3, num. 585, allegans Dalbene tom. 1, cap. 2, dub. 2, sect. 7. Et esse communem Doctorum tradit Fagundez in 2, præcepto Ecclesiæ lib. 4, cap. 4, num. 35. Et idem sentiendum est de loco organi. Hinc fit cetera monasterii loca, quæ non sunt Ecclesia, et cæmeterium, non esse sacra in ordine ad Ecclesiæ pollutionem per relata crimina, vel ad concurrendam speciem sacrilegii, non sacristiam, au claustrum (nisi simul sit cæmeterium) non separata oratoria ad nutum amovibilia, non cellas, non dormitoria, etc. Quamvis Prælatus singulis noctibus ea loca benedicat, et aspergat aqua lustrali. Quare prædicta loca non conferunt delictis, quæ in eis fiunt, circumstantiam sacrilegii, ut docent Sanchez lib. 9, de Matrim. disp. 15, numer. 42, Dicastillo disp. 9, dub. 8, num. 668, Leander disp. 8, § 4, quæst. 26, N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 105. Idem dicendum est de Oratoriis particularium domorum, quamvis in illis de licentia Episcopi Missa celebretur, quia non censentur nomine Ecclesiæ, et ad nutum domini valent in profanos usus converti, ut notant Sanchez loco citato numer. 39, N. Antonius num. 586, Diana 1 par. tract. 7, resolut. 28, et alii satis communiter. Unde pollutio, et alia dicta in eis commissa non habent ex vi talis loci malitiam sacrilegii. Oppositum dicendum est de Ecclesiis Xenodochiorum, quamvis in eis non s SS. Sacramentum Eucharistiæ : nam ver Ecclesiæ sunt, et publicæ, et stabiles, veniunt cum proprietate nomine Ecclesiæ Unde homicidium in eis commissum censetur apud omnes sacrilegium, ut eum Navarro, Covarruvias, Fagundez, Dalben et aliis recte observat N. Antonius loc. ci num. 587.

§ IV.

De circumstantia Quibus auxiliis.

157. Per hanc significantur instrument et media, quibus utimur in peccand concausæ etiam nobiscum ad id concurrentes. Et convenit apud omnes varietate materialem instrumentorum non indu cere in peccatis novam specie malitian nec proinde obligationem explicandi han circumstantiam : v. g. quod homicidiu fuerit gladio, aut lapide : quod furat quis fuerit per scalam, aut per cuniculo etc. Quæ regula patitur duas exceptiones Primam, ubi instrumenti usus est alia prohibitus sub peccato mortali, ut poss contingere in sclopeto parvo, et occulto tum enim illo uti ad occidendum contin duas malitias specie diversas. Secundam quando instrumenta, et media habent d se specialem malitiam contra alias vi tutes, ut si quis uteretur sacramentis, rebu sacris, pacto dæmonis, arte magica, et si milibus ad pravum aliquem finem : man festum namque est talium usum haber ex aliis titulis malitiam, et eorum abusu esse sacrilegium, superstitionem, etc. E hæc omnia debere in confessione mani festari. Sed ubi nihil horum occurrit i instrumentis, nihil pariter additur mali tiæ, quod confiteri opus sit.

Unde his relictis, præcipua difficult quantum ad hanc circumstantiam est in or dine ad concausas, quibus juvatur quis a peccandum, easque ad id applicat, consis titque principaliter in determinando, a circumstantia incitandi, aut sollicitanc illam personam ad simul peccandum, v. g ad fornicandum, addat in tali peccato novar speciem malitiæ, quæ proinde sit necessari explicanda in confessione? Negant Vasque in præsenti quæst. 91, art. 5, dub. 4, num 7, et dub. 5, num. 34, Lugo disp. 16, num

142, Fagundez præcepto 2, lib. 4, cap. 5 et Leander disput. 8, et §, 5, quæst. 5. Quam probant : quia inductio in isto casu solum aggravat peccatum intra eandem speciem, cum inductio ad peccatum, et ipsum peccatum commissum pro una transgressione moraliter reputentur : unde satis erit confiteri fornicationem, quæ semper est, et esse intelligitur peccatum commune.

Confirmatur : quia prædicta malitia incitandi, hortandi, et cooperandi ad peccatum hujusmodi semper adest, licet non ita gravis, quamvis quis alterum ad peccandum sollicitet : siquidem cooperatur ad alterius ruinam ; et tamen in tali casu non tenetur aliud confiteri, quam fornicationem ; et hac dicta dicitur omnis malitia necessario in confessione explicanda : ergo idem affirmandum est, quamvis aliquis ad prædictum peccatum incitaverit. Hinc colligunt plurima Auctores relati. Lugo ; illos, qui se accusant de distractione voluntaria per colloquia in Missa dierum festorum, non esse interrogandos, an provocaverint socios ad colloquendum, vel non : nam utroque modo cooperati fuerant ad aliorum peccatum. Leander quæst. 3, colligit incitantem meretricem ad fornicandum non debere nisi fornicationem confiteri : quia ipsa parata erat ad illud peccatum ; unde cum ea peccans non dat illi scandalum, nec moraliter inducit ad malum. Colligit idem Leander quæst. 4, idem dicendum esse de illo, qui utitur maleficia, sive saga, ut suo maleficio aliud ex pacto diaboli solvat, si illa ad id sit de se parata. Idem præterea colligit quæst. 7, non esse obligationem explicandi in confessione speciem peccati, ad quod homo alium induxit : sed satis illi esse confiteri circumstantiam scandali, licet non explicet illius materiam. Ulterius colligit q. 8, non debere explicari numerum personarum, quas uno peccato, aut incitatione provocavit ad peccandum. Tandem quæst. 9, colligit, et satis consequenter necessarium non esse statum, sive conditionem personarum, coram quibus peccavit, et facto, aut verbo ad peccandum incitavit, nempe an illæ fuerint sacerdotes, religiosi, etc. quia in talibus solum peccatur contra charitatem (et id sufficit explicare) non vero contra aliam specialem virtutem, cui adversetur peccatum, in quod inducuntur.

158. Sed in prædicta sententia, ejusque appendicibus non pauca occurrunt satis difficilia, et nostro judicio minus secura. Pro vera igitur, et legitima resolutione persistemus in exemplo proposito fornicationis, quod inducere ad hujusmodi peccatum non est per se, et regulariter loquendo mulierum, sed hominum, ut satis ex se liquet. Rursus ex mulieribus aliæ sunt valde honestæ, aliæ prorsus turpes, ut meretrices in lupanari expositæ, et aliæ quæ etsi in lupanari non degunt, sunt publicæ peccatrices, et ut tales cognoscuntur; aliæ denique medio modo se habentes, quæ licet in tale peccatum aliquando veniant, non tamen admodum faciliter, sed per solicitationem, incitationem, preces, pretium, aut promissa. Deinde observandum est tripliciter contingere, quod aliquis inducat, aut incitet alium ad peccatum. Primo, directe, et omnino formaliter, cum videlicet agit ex desiderio, quod proximus subeat illud detrimentum spirituale. Secundo, directe, sed non formaliter quando nimirum intendit, quod alter violet castitatem, non quia malum ejus sit, sed propter bonum delectabile proprium. Tertio, indirecte, ut cum prævideo, quod alius ex verbis, aut factis meis facile assumat occasionem peccandi ; ego tamen id non intendo, verum quia possum, debeoque id advertere, et impedire ; pecco peccato scandali, agendo scilicet contra charitatem, secundum quam obligamur vitare spiritualem ruinam proximi, cum possumus. Quoquo autem modo ex relatis scandalum contingat, est speciale peccatum mortale, in confessione de necessitate explicandum, ut omnes catholice docent. Sed ex tribus relatis solum secundum pertinet per se ad præsentem considerationem : nam de tertio non datur inductio positiva, de qua agimus. Primus autem est casus rarissime contingens, et quod de secundo dixerimus, illi a fortiori applicabitur. In secundo itaque, et frequenter contingenti concurrit incitatio ad peccatum, et peccatum ipsum, quamvis non ex intentione mali moralis, sed boni physici delectabilis.

Porro hoc incitandi peccatum continet non solum malitiam scandali generaliter dicti, et indirecte commissi, quale in tertio modo descripsimus : sed etiam proprie

accepti, et directe commissi : siquidem provocat ad actum peccaminosum, quamvis non intendat directe ipsam peccati malitiam : quod raro contingit, et magis dæmonum, quam hominum est. Ulterius prædictum incitandi peccatum continet malitiam peccati, ad quod incitat ; siquidem ad eam tendit, et de se inducit non minus quam consilium : unde, sicut qui consulit furtum, peccat contra justitiam, et maculatur malitia furti ; ita qui incitat ad fornicandum, peccat contra castitatem, et maculatur malitia fornicationis. Sed tamen ipse actus incitandi est peccatum numero diversum ab ipso actu fornicationis, ut recte vidit Dicastillo disput. 9, dub. 4, a num. 237. Et (omittendo ejus motiva) suadetur breviter. Tum, quia salvatur adæquata malitia actus incitandi ad fornicandum, licet ista non succedat, resistente persona, ad quam incitatio dirigitur. Tum, quia potest fieri incitatio ad fornicandum cum alio, retinendo eandem speciem fornicationis : in quo casu manifestum est incitationem factam per unum distingui numero a fornicatione executa per alium. Tum denique, nam licet illi actus in eodem subjecto concurrant, habent tamen objecta, et fines diversos : siquidem incitatio ordinatur ad extorquendum consensum alterius, post quem elapso etiam longo tempore potest copula succedere, aut absolute impediri.

Dicast.

159. His suppositis sentimus incitationem positivam ad fornicandum (idem intelligendum est de aliis peccatis) continere malitiam distinctam ab ipsa fornicatione, et necessario explicandam in confessione : et consequenter hujus obligationi non satisfieri confitendo præcise fornicationem subsecutam ; sed exponi debere, quod præcesserit ad eam incitatio positiva, ubi res ita se habuit. Secunda hujus resolutionis pars evidenter colligitur ex prima suppositis generalibus principiis supra traditis dub. 3, quod omnia mortalia in specie, et numero, et circumstantiis mutantibus speciem debeant confessioni subjici. Utramque autem partem docent, Bannez 2, 2, quæst. 43, art. 4, dub. 1, Medina, Lopez, Rodriguez, Alcozer, Rodriguez, et Valentia, quos refert, et sequitur Thomas Sanchez lib. 1 Summæ cap. 6, num. 14, Petrus de Ledesma, Lorca, Villalobos, Filliucius, Coninchus, Besanus, Fagundez, et Hurtado, quibus relatis subscribit Diana 3 part. tract. 4, resolut. 114, Navarrus cap. 6, num. 19, Palaus tom. 1, tract. 6, disp. 6, punct. 4, Trullench, lib. 1, in Decalogo cap. 6, dub. 6, num. 15, Bonacina de Sacrament. disput. 5, punct. 2, §, 3, difficult. 3, Delgadillo cap. 17, dub. 81. N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 107, N. Antonius disp. 8, sect. 4, num. 622, Perez disput. 31, sect. 3, num. 5, Dicastillo loco supra citato, Lugo (licet minus consequenter ad ea, quæ tradit loco supra allegato) disp. 16, sect. 4, num. 157, et alii plures ut merito hæc sententia possit dici communis. Probatur evertendo simul fundamentum, et confirmationem contrariæ : nam incitans positive ad fornicandum committit præter fornicationem peccatum specialis scandali, quod specie differt a fornicatione : committit etiam ipsum peccatum incitandi ad talem actum, quod licet pertineat ad luxuriæ, aut ipsius fornicationis speciem, tamen est peccatum numero diversum, et omnino separabile ab illa, ut constat ex prænotatis : ergo qui incitavit ad fornicandum, debet utrumque per se loquendo in confessione explicare. Et addidimus *per se loquendo*, nam, ut communiter observant nostræ resolutionis patroni, viri sunt qui regulariter ad hoc peccatum incitant : unde id satis explicant manifestando fornicationem : quia inductio et solicitatio subintelligitur, ubi non exprimitur oppositum. Secus in mulieribus et propterera si aliqua solicitavit, et incitavit virum ad tale peccatum, debet non solum illud sed etiam solicitationem, quam adhibuit in confessione manifestare.

Bannez, Medina, Lopez, Rodrig. Valent Sanch. Ledesm. Lorca, Villalob. Filliuc. Coninch.

160. Hinc arduum non erit judicium ferre de consectariis, quæ aliqui ex opposita sententia deducunt. Et primum non est universaliter verum : nam, si quis alios positive incitaret ad colloquendum cum Missam ex præcepto audiunt, non satisfaceret confitendo peccatum voluntariæ distractionis, et collocutionis ; sed deberet explicare peccatum positivæ incitationis, quo alios ab attentione, et præcepti adimpletione avocavit. Et ratio est eadem, ut facile consideranti constabit. Hoc tamen non semper contingit, sed absque positiva incitatione incipiunt casualiliter hinc inde mutua colloquia, quibus impeditur audien-

di

li Missam præceptum : et propterea satis est communiter se accusare de defectu ttentionis in Missa propter frequentiam collocutionis, ut communiter contingit.

Secundum satis probabile apparet : quia respectu meretricis non est necessaria incitatio, vel solicitatio ad peccandum, nec proprie datur, sed simplex peccandi propositio : quin potius ipsa ex vi infamis professionis est, quæ viros incitat, et voce quasi publica adhortatur ; non pariens, sed magis dans scandalum Nihilominus magis probabile censemus invitantem illas ad peccandum actu, peccare peccato specialis scandali : nam licet illæ paratæ sint in affectu cum quibuscumque volentibus, et solventibus turpitudinis pretium, ad peccandum ; tamen non committerent novum actuale peccatum nisi excitatæ : atque ideo petens ab eis turpem actum, dat illis occasionem peccandi, atque ad peccandum inducit. Sicut proportionabiliter contingit, et communiter dicitur petentem ab usurario mutuum cum ejus lucro, peccare, nisi necessitas ad id cogat : quia licet usurarius sit ad id paratus, tamen petens absque necessitate, illum ad novum peccatum actuale trahit, quod eo non petente non esset. Idem itaque in hoc casu dicendum est ; præsertim cum nulla possit esse necessitas accedendi ad meretricem, et quæ possit excusari a peccato. De aliis autem mulieribus, quæ licet minus honestæ, non sunt publicæ meretrices, sed incitatione, et solicitatione vincuntur, alia est omnino ratio : nam cum ipsæ de se non sint paratæ in affectu ; qui eas trahit ad peccandum, proprie incitat, et committit præter fornicationem, quæ supra expendimus. Eodem modo sentiendum est de tertio corollario, quantum ad maleficam publicam, sive ex officio, quæ merito comparatur publicæ meretrici quantum ad non incurrendum peccatum specialis scandali. Sed interest discrimen, quod accedens ad magam pro prædicto effectu dissolvendi maleficium, committit alia, et graviora peccata consulendi maleficam, et petens modum dissolvendi maleficium ex pacto dæmonis, quæ sunt contra virtutem religionis, et opponuntur primo præcepto Decalogi, ut cum Fagundez, et Diana observavit Leander loco citato : et hæc omnia in confessione explicari debent.

Quod deinde idem Leander colligit incitantem ad peccatum aliquod non debere confiteri speciem peccati, ad quod incitavit, sed sufficere, si dicat incitasse ad peccandum, est prorsus absurdum ; quia non agimus de scandalo generaliter sumpto, sed de scandalo directo, et specialiter dicto: quale est præter pravum exemplum dans occasionem ruinæ, addere positivam incitationem, et exhortationem ad peccandum: hoc enim peccatum est ejusdem speciei cum peccato, ad quod incitat, et inducit : ut patet in hortantibus ad furandum, et occidendum, influit enim incitatio in furtum, et homicidium. Idem ergo dicendum est de incitante fœminam ad peccandum secum, vel cum aliis, ut præmisimus num. 185. Et propterea opus est explicare in confessione incitationem positivam in hæc, aut illa peccata secundum specificas illorum differentias. Ulterius quod idem Auctor colligit incitantem plures ad peccandum non debere explicare in confessione numerum personarum, quas induxit, est longe absurdius. Nam ita se gerens committit tot numero peccata specialis scandali, quot fuerunt personæ, quas uno, vel diversis actibus ad peccatum incitavit : sicut contingit proportionabiliter in eo, qui uno ictu occidit multos homines, et qui uno consilio inducit ad plura furta, et qui una contumelia plures infamat, et sic de aliis. Quibus pro unitate, aut distinctione numerica morali peccatorum in æstimatione prudenti non attendimus ad unitatem, aut diversitatem physicam actus, sed ad malitias objectivas adæquatas, ut ostendimus supra num. 77, et num. 132, cum sequentibus. Ergo si incitare unum aliquem ad fornicandum, aut furandum, aut occidendum, et similia est unum numero peccatum necessario in confessione exponendum ; pariter incitare positive quatuor personas ad peccandum importat quatuor numero peccato de necessitate confitenda. Denique refellitur, quod prædictus Leander ultimo loco deducit non esse necessario explicandam conditionem personarum, quas quis positive incitat ad peccandum, ut si fuerunt religiosæ, etc. Nam incitatio positiva ad aliquem actum sumit speciem per respectum ad prædictum actum, et ideo incitatio, et consilium ad furandum sunt in specie furti: manifestum

autem est conditionem personæ peccantis inducere frequenter novam speciem peccati, ut si ligata voto castitatis fornicatur, peccat non solum peccato fornicationis, sed sacrilegii : ergo pariter, qui illam incitaret ad talem actum, peccaret in utraque specie, et teneretur utramque speciem peccati in confessione aperire. Falsum itaque est in peccato incitationis positivæ ad peccandum non debere attendi ad conditionem personarum, quæ incitantur, nec illam referre in ordine ad confessionem. In quo amplius confutando non immoramur, quia fecimus locis relatis : et absurditas consequentium satis prodit falsitatem principii ex quo procedunt.

§. V.

De circumstantia Cur.

161. Per hanc denotamus finem extrinsecum, propter quod aliquid eligimus, sive motivum, quo aliquid facimus, vel omittimus. Circa illam autem pauca occurrunt, eaque jam digesta in aliis hujus cursus tractatibus, et specialiter in 11, de Bonitate, et malitia, et in 13 de Peccatis. Communis vero hoc loco difficultas est, an si finis ex se malus non sit, medium autem sit malum, debeat ipse finis explicari in confessione ? v. g. omisit aliquis Missam in die præcepti, ut vacaret studio ; tenebitur ne explicare finem, nempe studium, aut sufficiet confiteri solam omissionem Missæ. Similiter furatur aliquis ad dandum eleemosynam : committit ne duo peccata, unum contra justitiam, et aliud contra misericordiam, et tenebitur utrumque explicare in confessione ? Affirmant Henricus quodlib. 12, quæst, 24, Gabriel in 2, dist. 4, quæst. 1, art. 3, dub. 3, Richardus in 2, dist. 35, circa primum principale, quæst. 1. Et pro eadem refert Leander disp. 8, §, 6, quæst 3, Cajetanum, Navarrum, Zumel, Thomas Sanchez, et Fagundez. Sed de his non constat ; nam ad summum significant contingere, quod affectus ad studium sit antecedenter inordinatus, et peccaminosus, et quod ex tali affectu inordinato sequatur omissio Missæ, et violatio præcepti. Qui non est casus præsens, in quo supponitur finem, sive studium non esse ex se malum, sed præcise ex ordine ad omissionem Missæ, quæ ex illo sequitur, et dependenter ab illa.

Henriq. Gabriel, Ricardo, Leand, Cajet. Navar. Zumel, Sanch. Fagund

Sed cujuscumque illa sententia fuerit probatur primo : nam actus factus quando non debet eo ipso est malus independenter ab alio effectu ad ipsum consecuto ; sed studium in tempore, quo urget præceptum audiendi Missam, fit quando non debet ; ergo independenter ab omissione Sacri est actus peccaminosus per malitiam specie diversam a malitia omissionis, Secundo, et est explicatio præcedentis : quia studium in illis circumstantiis opponitur virtuti religionis, quæ præcipit tunc audire sacrum ; sed præterea opponitur virtute studiositatis prohibentis inordinatum affectum studendi, quatenus præscribit determinatum studendi modum, nempe quando, et ubi oportet : ergo studium in eis circumstantiis habet duas specie malitias, oppositas prædictis virtutibus. Tertio, quod quis propter studium omittat sacrum, provenit ex inordinata adhæsione ad studium: ergo prius est quod studendi amor sit actus inordinatus, et peccaminosus, quam sit causa omittendi sacrum : atque ideo habes aliam malitiam distinctam a malitia omissionis. Quarto, qui omittit sacrum præceptum ob studium, constituit in studio ultimum finem, diligendo magis appretiative studium, quam Deum auctorem præcepti : hoc autem est speciale, et grave peccatum oppositum charitati præcipienti amorem Dei super omnia : ergo in tali casu præter malitiam contra Religionem in omittendo sacrum, datur alia malitia gravis contra charitatem. Unde utraque necessario explicanda erit in confessione.

162. Contraria autem sententia id negans est communis, cui subscribimus tract. de Peccatis, disp. 5, dub. 4, § 1, conclus. 2 et præter auctores, quos ibi dedimus, illam etiam tuentur Suarez, Vasquez, Enriquez, Bannez, Valentia, Azor, Tanerus, Hurtado, Diana, Bonacina, Lugo, Castro Palao, Dicastillo, Leander, et N. Antonius, quos refert, et sequitur N. Franciscus, cap. 8, punct. 4, num. 109 et alii plures, quos superfluum est recensere. Probatur : nam voluntas mali objecti, quatenus talis non habet aliam malitiam, nisi eam, quam desumit ex objecto volito ; sed actus studendi in casu, de quo agimus, solum habet esse malus, quia est voluntas virtualis

tualis omittendi sacrum : ergo non habet aliam malitiam, nisi illam, quam desumit ab omissione volita : atque ideo satis erit in tali casu confiteri omissionem voluntariam sacri præcepti. Cetera constant. Et minor in qua sola poterat esse difficultas, facile ostenditur . quia actus studendi, si non esset virtualis voluntas omittendi sacrum, licet eodem tempore exerceretur, non esset malus : ergo solum est malus quia importat virtualem voluntatem omittendi sacrum præceptum. Confirmatur, quia non magis peccat, qui propter studium omittit sacrum, quam illud omittens independenter ab studio, et ob solam otiositatem; sed hoc posteriori modo omittens solum committit unum peccatum, nempe contra virtutem religionis sacrum præcipientis : ergo idem dicendum est in priori casu.

Motiva vero contrariæ sententiæ non urgent. Ad primum enim respondetur majorem solum verificari in actu, qui independenter ab alio effectu fit, quando non debet, ut si quis celebraret quarta hora post meridiem. Sed falsificatur ibi actum fieri, quando non debet, quod non aliunde provenit, quam ab effectu, sive, et in idem redit, ex eo solum, quod actus est causa omittendi rem præceptam. Et ita contingit in præsenti : nam studium non habet fieri quando non debet ex alio capite, quam ex eo, quod tunc exercitium inducit præcepti omissionem. Ad secundum concessa majori negamus minorem : nam ad virtutem studiositatis solum pertinet ponere modum rationis, sive mediocritatem inter excessum, et defectum in studendo : unde vitia illi contraria solum sunt per excessum *curiositas*, et per defectum *negligentia*, de quibus D. Thom, 2, 2, quæst. 166 et quæst. 167. Circumstantia vero indebiti temporis est extranea respectu studii ; cum nullum determinate per se excludat. Unde moderari hanc circumstantiam, ne aliquando studium sit causa omittendi actum alias præceptum, non pertinet ad studiositatem, sed ad virtutem aliam præcipientem talem actum. Ad tertium omisso antecedenti in sensu statim explicando, negamus utramque consequentiam : nam licet omissio sacri proveniat ex nimio amore ad studium ; tamen hic amor non habet esse nimius, nisi quatenus infert omissionem præcepti : et hæc duo coincidunt, et sunt idem, nempe studium esse causam omittendi, et esse nimium : nec aliunde amor studii habet esse inordinatus, et peccaminosus, nisi quia causa non omittendi est. Quare in rigore, et proprietate hæc est falsa : « Quia « amor studii est nimius, ideo est causa « omittendi ; » et hæc magis vera : « Quia « amor studii est causa omittendi sacrum, « ideo est nimius. » Sed absolute coincidunt, et includunt eandem, et ex eadem radice malitiam. Ad quartum respondetur esse generale, et excessive probare, et eodem modo in re proposita, ac in aliis peccatis mortalibus diluendum esse. Diluitur autem ea ratione, quod omnis mortaliter peccans constituit ultimum finem in creatura, non quidem formaliter sed interpretative, et ex modo agendi, quatenus ubi mortaliter peccat, avertitur a Deo, et convertitur ad bonum commutabile. Sed, ut diximus, id est conditio generalis, et communis omni peccato gravi. Ut autem daret malitiam specialem, et oppositam charitati, opus erat, quod conditio constituendi ultimum finem in creatura esset formaliter, et expresse volita. Quod non contingit in omittente sacrum propter studium, nec in habentibus fidem contingit, nisi rarissime ex perversa admodum voluntate. Quarto.

163. Hinc a fortiori infertur, quod quando studium (idem intelligendum de aliis exercitiis) non est causa omittendi sacrum, sed concomitanter se habet ad talem omissionem, non contrahit ullam malitiam, nec opus est illud explicare in confessione, sed solius omissionis peccatum. Verbi causa decrevit aliquis apud se non audire in aliquo festo sacrum, non quidem ex amore studii, sed ex sola accidia, vel quia non vult in templo concurrere. Qua determinatione supposita, ne interim maneat otiosus, sive ut moras temporis aliqua occupatione minores faciat, se applicat ad studium. In hoc casu actus studendi non participat malitiam omissionis sacri ; quin, si alias circumstantias observet, est actus bonus. Ita cum N. Corneyo, Curiel, Zumel, et Montesinos resolvimus disp. cit. ex Tr. de Peccatis, dub. 5, n. 74. Quibus addimus Medinam 1, 2, q. 71, art. 5, dub. 1, Alvarez ibi disp. 126, Salas tract. 13, disp. 2, sect. 6, Dicastillum disp. 9, dub. 8, n. 687. Et ratio est : quia supponitur omissionem fuisse directe volitam Consectarium. Corney. Curiel. Zumel. Montes. Medin. Alvarez, Salas, Dicast. Ratio.

sine respectu ad studium ; et similiter quod studium fuerit volitum sine ullo respectu ad omissionem sacri : ergo pure disparate, et concomitanter se habent : et consequenter ex eo, quod studium exerceatur in illo tempore, in quo sacrum celebratur, non sequitur studium contrahere ullam malitiam ex sacri omissione : atque ideo si ex alia parte non contrahit aliquam malitiam potest esse actus absolute honestus.

Confirm. Azor. Val. Confirmatur dissolvendo simul, ac destruendo motivum contrariæ opinionis, quam tuentur Val. Azor, et alii, quos dedimus loc. cit. n. 71. Nam ideo in casu proposito studium esset peccatum, vitiareturque ab omissione sacri : quia eo tempore exercitium est incompossibile cum actu præcepto, et quantum est de se omissionem ejus inducit ; hoc autem motivum nihil evincit : quoniam, ut actus vitietur ex omissione, non sufficit, quod sit inductivus ejus, et impeditivus actus omissi ; sed insuper desideratur, quod exercite causet omissionem, et impediat actum præceptum quod in casu proposito non contingit : ergo prædictum motivum nihil evincit. Probatur minor : nam sit in casu proposito suppositio, quod homo absque ullo respectu ad studium voluerit directe, et per se omittere sacrum : ergo talis voluntas fuit causa totalis et adæquata illius omissionis ; sed repugnat eundem effectum esse a duabus causis totalibus, et adæquatis, ut docent communiter philosophi, et cum Complut. eis N. Complut. abbrev. in Physic. disp. 15, q. 3 ; ergo omissio sacri unice procedit a tali voluntate, non autem ab studio eo tempore exercito : atque ideo tale studium pure concomitanter se habet ad prædictam omissionem, nullam specialem ab ea, vel in ordine ad eam contrahendo malitiam ; sed perinde se habens, ac si in alio tempore exerceretur.

164. Ab opposito doctrinæ hactenus traditæ colligendum est, quod ubi tam finis, quam medium habent malitiam, actus ab uno, et altero illam desumit. Quod dupliciter potest contingere : nam fieri potest, quod malitia finis, et medii pertineant ad eandem speciem, ut cum quis loquitur turpia in ordine ad fornicationem : aliquando pertinent ad species differentes, ut si quis furetur ad fornicandum. Et in hoc secundo casu manifestum est actum habere duas malitias specie distinctas : unam in speci injustitiæ ex objecto operis, sive imme diato, ablatione videlicet rei alienæ : alia vero in specie luxuriæ ex fine operanti nempe fornicatione. Quare manifestum e utramque debere in confessione manifes tare, dicendo v. g. furatus sum ex inter tione fornicandi. Sed difficultas est utru prædictæ species queant in confessione se parari, et seorsim dici ; ut, si quis prit confiteretur furtum, et postea confiteretu intentionem fornicandi ? Sunt qui affir ment debere pœnitentem explicare simu medium, et finem dicendo, furatus su propter fornicationem. Ita Sylvester, Nu gnus, Petrus de Ledesma, et alii apud Di nam, et Leandrum infra referendo. Se tenendum est oppositum ; nam licet ill malitiæ habeant inter se aliquam subordi nationem per modum medii, et finis nihilominus sunt simpliciter duæ maliti constitutæ in diversa specie atoma furti, fornicationis, quarum quælibet seorsi potest sufficienter explicari independente ab alia. Unde si ille, qui commisit furtu ad fornicandum, quando confessus est fu tum, oblitus fuit intentionis fornicandi, postea ejus recordetur ; opus non habet i confessione illius intentionis repetere t tam historiam, et reproducere furtum ; se suæ obligationi facit satis confitendo abs lute intentionem fornicandi, quam al quando habuit. Idem docent Diana tom. tract. 7, resol. 23, Leander disp. 8, § N. Franciscus cap. 8, punct. 4, num. 11 Navarrus, Angelus, Ochogavia, Lugo, alii apud illos.

In priori autem casu, quod medium, finis pertinent ad eandem malitiæ specien manifestum est non esse duo peccata spe cie distincta, neque ab hac parte obligati nem oriri illa ut sic distincta referendi confessione. Quin fieri valet, ut quamv actus physice diversi, sint tamen moral ter unum numero peccatum, idque suffici in confessione dicere. Unde commun sententia docet verba turpia, tactus imp dicos, et oscula, cum immediate præcedu fornicationem, esse idem numero pecca tum, et opus non esse hæc in particula recensere, sed satis explicari explicata co pula, ut videri potest apud Suarium disp 22, sect. 5, num. 26, Vasquium 1, 2 disp 75, cap. 2 et in præs. quæst. 91, art. dub.

dub. 5, et alios. Diximus : « Cum immediate præcedunt fornicationem, » tum, quia si hæc illos non sequatur, sed ex aliquo accidenti impediatur, tales actus explicari per se debent in confessione : quia per se fuerunt peccatum mortale, ut docet eadem communis sententia. Tum, quia licet tales actus ordinentur ex natura rei, aut etiam ex intentione peccantium tamquam medium ad copulam, sicut ad finem; nihilominus possunt illam tam longo tempore præcedere, ut moraliter discontinuentur, et constituant simpliciter duo, aut plura peccata numero diversa, ut si quis illos actus exerceat intendendo fornicationem, quam non habuit nisi post mensem ab eis transactum. Et in tali hypothesi opus foret explicare seorsim prædictos actus cum intentione fornicandi, et seorsim ipsam fornicationem : nec enim imaginari valet, in quo tales actus formaliter, aut virtualiter permanserint, ut potuerint constituere unum numero peccatum cum fornicatione exercita; quare venire nequeunt aut comprehendi eorum nomina in confessione.

165. Sed quid vice versa dicemus, ubi quis habuit tactus impudicos, et oscula cum aliqua muliere sine intentione perveniendi ad copulam, sed magis cum intentione sistendi in eis : at his suppositis, mutato animo ad illam in eadem occasione accessit ? Satisfaciet ne explicando præcise in confessione copulam ? Affirmant Leander loc. cit. q. 10, nullum pro se afferendo auctorem, sed aliquos suppresso nomine doctos modernos, quos testatur consuluisse. Movetur : quia licet in tali casu defecerit finis operantis, qui posset omnia illa ordinare in unam copulam; adest tamen finis ipsius operis ; nam illi actus ex natura rei ad copulam ordinantur : et ideo simul cum illa non nisi unum numero peccatum constituunt, sufficienter explicandum nomine fornicationis. At valde falsa nobis apparet hæc resolutio, et evertitur destruendo fundamentum, cui innititur, atque stabiliendo contrarium : nam licet in eisdem actibus concurrant finis operis, qui non est aliud ab objecto ejus specificativo, et finis operantis correspondens ejus in agendo intentioni; adest tamen inter illos notabilis differentia, quod finis operis subordinatur simpliciter fini, sive intentioni operantis. Licet enim actus, vel opus habeat totam essentiam secundum se, et in actu signato per habitudinem ad objectum primarium ; nihilominus nec existentiam, nec durationem, nec continuationem habet, nisi dependenter a fine operantis, et commensurate ad intentionem agentis. Et ratio est, quia finis operantis est, qui primo efficientem movet, ut actum eliciat, et illi existentiam communicet, ponatque extra causas quidquid in actu est : et ubi finis operantis deesset, nihil horum poneretur, ut ex D. Thom. cum multis asseruimus, et fusius explicuimus tract. 11 de Bonitate, et malitia disp. 5, dub. 1. Unde fit actum humanum nec physice, nec moraliter esse, aut durare, aut continuari ultra intentionem agentis, et finem operis eidem subdis intentioni. Constat autem, et non negat Leander, quod finis operantis in actibus relatis non extendebatur ad copulam, sed illam contrario excludebat, sistendo positive in prædictis actibus. Ergo eorum malitia in eisdem consummata est, et ad aliud non extenditur. Ergo superveniens copula est novum peccatum, distinctum numero tam physice, quam moraliter ab actibus præcedentibus. Præsertim cum prædicti actus non habeant essentialem cum copula connexionem, sed ad summum ex natura rei : contra quam potuit agens intendere in illis sistere, et sistere non repugnat. Ibi ergo consummatum fuit illorum actuum peccatum : et aliud, et ex alia intentione subsequens copula adjunxit. Quare non sufficiet confiteri copulam : sed illud etiam præcedens explicandum est. Quæ resolutio est secura, eamque docent Vasquez, Lugo, Hurtado, Diana, Archangelus apud Leandrum loco citato neminemque vidimus docentem oppositum. Ratio. Vasqu. Hurtado. Archang.

§ VI.

De circumstantia Quomodo.

166. In hac occurrit modus, quo peccatum fit, utputa intensio, duratio, consuetudo, ignorantia, malitia, contemptus, et alia hujusmodi In quibus juxta regulam superius datam ubi modus, quo actus fit, mutat, vel addit malitiæ speciem, opus est talem modum, aut actum cum tali modo explicari in confessione; secus vero ubi

variatio est accidentalis, et penes majorem, aut minorem gravitatem intra eandem speciem malitiæ. Quare tota difficultas hujus circumstantiæ posita est in discernendo inter modos quantum ad hujusmodi differentiam : et primo loco eos explicare curabimus, a facilioribus, aut de quibus alibi egimus, incipiendo. Modus ergo intensionis actus peccaminosi non affert novam speciem malitiæ, sed est ipsum magis ejus ; sicut intensio caloris est magis caloris hunc intra suam speciem perficiens. Unde opus non est confiteri intensionem peccati. Recolantur aliqua, quæ de intensione diximus disp. 7, num. 70 et 71. Sed observandum est posse contingere, quod ex magna intensione actus peccaminosi inducatur effectus specie diversus : et tunc utrumque debet in confessione explicari, non propter intensionem, sed propter novam speciem adjunctam. Unde qui ex vehementi odio non solum occidit inimicum, sed cadaveris membra discerpit, non facit satis confitendo homicidium, sed debet etiam explicare illum modum : inducit enim speciem
Tho. feritatis distinctam ab aliis peccatis, ut tradit D. Thom. 2, 2 quæst. 159, art. 2 subscribentibus communiter theologis. Idem contingeret in eo, qui ex vehementi inclinatione ad furandum, se extenderet ad ressacras : et ex intensissimo furore libidinis in fornicando progrederetur ad tactus sodomiticos.

Modus etiam durationis non affert novam malitiæ speciem, sed est ipsum numero, et specie peccatum magis, aut minus continuatus, et perseverans. Et hac ratione non tenemur per se loquendo explicare durationem peccati, v. g. quod odium proximi, et desiderium vindictæ duraverint per unam horam, et sic de aliis. Et diximus *per se loquendo*, id est, attenta præcise majori duratione unius, et ejusdem peccati : sic enim præcise aggravat, et non inducit peccatum specie, aut numero diversum. Circa quod recolantur superius dicta n. 77. Idque frequentius contingit in actibus internis, quam in externis : nam externum opus semel inchoatum facilius continuari valet per longum tempus ; difficilius autem intellectu est, quod idem actus interior perseveret in se, aut in aliquo alio actu interiori, in quo saltem virtualiter perseveret : frequenter enim interrumpuntur per alios motus, et volubiles cogitationes alio divertentes. Propter hoc igitur tutissimum est, et non semel obligatorium explicare durationem peccati : ut pœnitens meliori modo quo possit explicet numerum peccatorum, quæ præsumere, ac timere valet in longa duratione fecisse. Videantur supra dicta num. 116.

167. De modo consuetudinis in peccando, sive de consuetudine repetendi peccata in eadem materia, v. g. furti, aut luxuriæ, opus non habemus in præsenti dicere, ut superius jam dicta num. 125. Constat enim consuetudinem non addere supra numerum, et species peccatorum, hisque confessis opus non esse alia non variantia speciem, aut numerum confiteri. Et hæc procedunt per se loquendo : nam alias, et ex aliis capitibus opus est consuetudinem peccandi manifestare, ut ex professo ostendimus, n. 126. Similis præcedenti est modus peccandi cum certa scientia, vel ignorantia, utique vincibili, et culpabili : nam ejusdem speciei est peccatum, sive hoc, sive illo modo fiat : unde ex prædicto modo agendi solum potest desumi aliqua major, aut minor intra speciem aggravatio, non necessario in confessione explicanda. Quod jam supra num. 128 determinavimus, et explicuimus.

Simili facilitate, aut brevitate deciduntur aliqui casus, quos alii agentes de hac circumstantia in particulari expendunt : nam quod quis se exponat periculo peccandi, et re ipsa in periculo positus peccet, non addit novam speciem peccato, nec opus est in confessione explicare, ut cum communi sententia docet Leander disp. 8, § 7, quæst. 18, sed intelligendum est, ubi inter periculum, et peccatum subsequens non adest tanta temporis mora, ut distinguat unum ab alio. Ubi autem illa adest utrumque explicandum est : non quia unum se habeat ut circumstantia ad aliud, sed quia sunt duo peccata numero distincta pertinentia ad illam speciem, in qua consummantur : unde se exponere periculo fornicandi pertinet ad speciem fornicationis. Similiter, quod quis incitatus gravi tentatione, non oraverit ad eam vincendam, sed illi succubuerit, non est circumstantia varians speciem, aut necessario explicanda, ut quidem falso asseruerunt : quia obligatio tunc orandi non est distincta

distincta ab obligatione resistendi tentationi, nec instat tunc per se, sed solum per accidens : atque ideo in non orando, et in consentiendo non datur nisi unum peccatum, de quo est consensus. Pariter, qui labitur in aliquod mortale resistendo vehementi inspirationi divinæ, non adjunxit ullam circumstantiam specie diversam, sed dumtaxat aggravantem. Unde non obligatur confiteri peccatum cum illa circumstantia, sed peccatum absolute. Denique, quod quis gestando reliquias fornicetur, non variat speciem, nec inducit obligationem confitendi eam circumstantiam, ut cum Sanchez, Diana, Fagundez, Dicastillo, et aliis docet N. Antonius disp. 9, sect. 6, num. 633. Qui tamen communiter et merito observant contrarium dicendum esse de sacerdote, qui portans in pectore Eucharistiæ sacramentum, committeret peccatum carnis : committeret namque non solum illud, sed aliud etiam gravissimum, ob violatam Religionem tanto sacramento debitam. Et iidem limitant ad luxuriæ peccatum, quod importat specialem irreverentiæ modum summo illi sacramento repugnantem. Quæ non sic elucent in aliis peccatis, v. g. detractionis, furti, etc. Hanc tamen limitationem in genere non probamus, minime dubitantes posse dari alia peccata, in quibus sacerdos Eucharistiam portans, incurreret illammet irreverentiæ malitiam, ut si se vino inebriaret, se consequenter, et sacramentum ludibrio, atque aliis indecentiis exponens.

168. Major difficultas nobis occurrit circa modum, qui intervenire potest in copula illicita ; quam non aliis verbis proponemus, et decidemus, quam N. Andreas in tract. 9, de Matrimonio cap. 5, punct. 5, a num. 71. Ex parte, inquit, modi coeundi potest esse illicita copula inter conjugatos, (idem intellige inter non conjugatos) ut si sedentes, vel stantes fiat, si præpostere more pecorum congredientes, vel inverso situ, ut si vir sit succubus, fœmina vero incuba fiat. Quod esse peccatum saltem veniale, et gravissimum si absque necessitate id fiat, docent omnes, increpandosque esse conjuges sic mutuo congredientes ob perversionem modi ordinarii a natura designati, et turpitudinem in tali modo coeundi repertam. Sed difficultas est an sit peccatum mortale. Omissis variis dicendi modis, asserimus per se nunquam esse mortale peccatum, sive præpostere, sive per latus accedendo (servato vase debito) sive quovis alio modo copula maritalis fiat. Plures sic sentientes refert, et resolutionem probat : quia quocumque modo fiat, servatur finis principalis copulæ, qui est posse prolem ex ea generari. Ut enim generatio fiat, non recipitur necessario semen in matrice per infusionem, aut immissionem, sed per attractionem : eo quod, sicut in stomacho datur virtus ad attrahendum cibum, ita in matrice ad attrahendum semen, ut inquit D. Thom. quodlib. 6, art. 18. Ergo sicut cibus quocumque modo sumatur, si tamen intret per os ad stomachum attrahitur, ut nutritioni possit deservire : sic etiam semen si intra vas debitum recipiatur, quocumque modo mittatur in illud, attrahitur a matrice, ut generationi possit deservire. Diximus per se non esse peccatum mortale aliquo ex modis recensitis habitam copulam. Per accidens vero esse potest, ut si periculum esset effundendi semen extra legitimum vas : quod periculum raro adest, et ideo non tenetur confessarius interrogare pœnitentem se accusantem de indebito situ, aut modo, ut notat Sanchez. At vero, si experientia constaret ex aliis sic inordinatis congressibus semen extra vas effundi, erit mortale peccatum tali modo, quo periculum subest illi prodigendi concubitus. D. Thom.

Hæc omnia prædictus Andreas, ex quibus facile recognoscet lector quid dicendum, aut sentiendum erit quantum ad diversos modos, aut situs exequendi copulam in peccato fornicationis, scilicet non esse circumstantiam addentem novam speciem malitiæ ; et posse consequenter subticeri in confessione. Nos vero licet fateamur omnia illa probabiliter dici, saltem ab extrinseco ob multitudinem, et auctoritatem ita docentium : unum tamen probare minime scimus, aut possumus, nempe congressum præposterum more pecorum non esse peccatum mortale. Ipsæ enim voces, quibus id explicatur denotant modum bestialem ab humana specie alienum. Aliunde vero nequit copula ita exerceri absque multis tactibus sodomiticis, qui pertinent ad speciem peccati nefandi. Nec effugium erit, quod ordinentur ad copu- Effusio occurritur

lam naturalem : nam licet finis sit de se honestus, tamen ubi medium est illicitum, operatio evadit simpliciter peccaminosa, malitia desumpta non a fine, sed a medio, ut constat ex dictis § præced. ergo congressus præposterus more pecudum licet ex fine operantis ordinetur ad copulam conjugalem, est peccatum grave ex ipso opere, et pertinet ad coitum sodomiticum. Denique licet ille modus dicendus esset probabilis speculative, et in actu signato, nullam, aut vix ullam probabilitatem ejus videmus in actu exercito : quia per se loquendo semper in tali bestiali congressu adest periculum effundendi semen extra legitimum vas, priusquam copula fiat in eo. Ipsa enim in hominibus, et brutis diversa corporum, et membrorum dispositio satis manifestat unum esse modum coeundi naturalem brutis, et alium esse modum coeundi connaturalem hominibus, nempe non præpostere, sed facie ad faciem ; atque ideo congressum præposterum proprium bestiarum esse in hominibus gravem inordinationem, et peccatum contra naturam. Et hæc nos ita sentimus, et cupere-
Abulens. Artensis, Alensi. Vera-Cr. mus ab aliis. Sentiuntque nobiscum Abulensis quæst. 228, in cap. 5. Matth. Artensis, Alensis, Orbellis, et Vera-Cruz apud Thomam Sanchez lib. 9, de Matrimon. disp. 16, num. 2. Sed unusquisque abundet in sensu suo , sub doctrinæ tamen Catholicæ regulis.

169. Regrediendo autem ad præsentis circumstantiæ considerationem, dubitandum non est, quod licet non semper ex diversitate modi, quo peccatum fit, accrescat illi nova malitiæ species ; nihilominus illam aliquando addit, et propterea opus fit talem modum, aut circumstantiam ex eo additam explicare in confessione. De quo non nulla exempla perducemus. Et primum jam attulimus nu. 166, de eo, qui hominem occideret discerpendo ejus membra, extrahendo jecur, illum excoriando, etc. committeret enim non homicidium simplex, sed vestitum eo modo, sive circumstantia feritatis addente, et mutante speciem.

Secundum occurrit in raptu, nempe cum homo fornicatur cum muliere violenter, sive per vim illi inductam : est namque violentia fœminæ facta causa libidinis, ut docet D. Thom. 2, 2, quæst. 154, art. 7, ad secundum. Unde in tali congressu praeter peccatum fornicationis, quod pertinet ad speciem luxuriæ adest ratione modi circumstantia mutans speciem, et peccatum transferens ad speciem injustitiæ propter injuriam factam fœminæ repugnanti. Ad quod non requiritur, quod fœmina per vim abducatur de loco in locum, sed sufficit fœminam cognoscere per violentiam. Illa vero localis translatio est conditio ad constituendum raptum specialiter dictum de quo agit in ordine ad matrimonium Concilium Trident. sess. 24 cap. 6, ubi dicitur : « Decernit sancta sy « nodus inter raptum, et raptam, quandiu « ipsa in potestatem raptoris manserit « nullum posse consistere matrimonium. Et deinde statuit gravissimas pœnas contra raptorem, et ad id cooperantes. Quas pœnas incurrere etiam fœminam, si virum raperet animo contrahendi cum eo, senserunt aliqui. Sed communis sententia negat, et merito : quia Concilium nullam mentionem facit de fœminis raptricibus satis insinuans se in illo decreto favisse fragilitati fœminarum, quæ magis subjectæ sunt his violentiis : in viris autem rarœ contingit hoc patiendi violentia periculum ut cum Sanchez, et aliis recte observat N. Andreas Tract. 11, de Matrimonio cap. 12 punct. 3, num. 155. Sed quamvis res ita se habeat in ordine ad raptum specialiter dictum, et per ordinem ad matrimonium (quod ad peculiarem hujus considerationem spectat) tamen loquendo de raptu generaliter dicto pertinente ad genus luxuriæ tenendum est, quod, si fœmina violentiam inferret viro vi, aut metu pro turpi cum eo congressu, committeret non solum fornicationem, sed etiam speciale raptus, et injustitiæ peccatum, explicando necessarum in confessione : occurrit namque in ea, non minus, quam in viro idem motivum, et a fortiori : nam illam magis dedecet violenta ea provocatio, summæ incontinentiæ argumentum.

Tertium exemplum in rapina, quæ juxta D. Thom. 2, 2, quæst. 66, art. 8, est ablatio violenta rei alienæ : unde supra speciem furti addit ex parte modi, quo furtum fit, violentiam, ut cum domino sciente, et vidente res e manibus ejus eripitur injuste contra ejus voluntatem. Quare in tali casu non fit satis confitendo furtum

tum, vel ablationem rei alienæ non consentiente domino, sed ulterius explicanda est rapina importans speciem diversam : quamvis in tali casu sufficeret rapinam confiteri ; ibi enim includitur, et satis exponitur rei alienæ ablatio. Et hæc in exemplum doctrinæ præsentis satis sit insinuasse. Accuratior vero distinctio inter furtum, et rapinam, an scilicet consistat in eo, quod furtum importat injuriam in rebus, et rapina injuriam in persona : an autem in eo, quod furtum fiat latenter, et rapina in præsentia : atque ideo inducant Domino diversum involuntarium ; quippe diversum involuntarium est, quod quis ignoranter patitur, et involuntarium, quod patitur cognoscens, et renitens, difficultas est alio expectans, de qua videri potest N. Andreas tract. 13, de Restitutione, cap. 5, punct. 1, a num. 5.

170. Ad hanc etiam circumstantiam *Quomodo* pertinet contemptus consistens in modo, quo in legis, aut legislatoris obedientia deficimus, circa quem nonnullæ difficultates occurrunt. Et pro illis superandis, et quæ oportet breviter tradendis (nam accuratior discussio pertinet ad tractatum de legibus) notandum est contemptum vel esse rei præceptæ, vel esse legis, aut legislatoris rem præcipientis. Deinde duplex est contemptus, (sicut et inobedientiæ, cui adjungitur) unus scilicet materialis, et generalis, alius vero formalis, et specialis. Ille reperitur in omni peccato, quod, sicut est inobedientia legis, sic etiam est legis contemptus, et propterea generalis appellatur. Et hac de causa opus non est illud specialiter in confessione explicare ; sed satis exponitur confessione peccati, sicut ingratitudo, injustitia, et inobedientia, quæ sunt circumstantiæ communes, et in omni peccato repertæ. Contemptus vero formalis, et specialiter dictus præter violationem legis importat motivum, et modum agendi expresse contra legem, quia illam parvipendet, atque ideo legislatorem, ut talem. Unde in communi colligitur contemptum hunc formalem, et specialiter dictum esse speciem particularem inobedientiæ, ut ex D. Thom. 2, 2, q. 104, art. 2, ad 2, et qu. 186, art. 9, ad 3, recte colligit N. Andreas tract. 11, de legibus cap. 2, punct. 2, § 4, num. 170.

His præmissis tenendum est peccatum violandi præceptum ex contemptu non relato ad legem, vel ad legis latorem, sed præcise ad ipsam rem præceptam ; quatenus licet velit absolute se subjicere legi, et legislatori, non tamen in illa materia ; quia illam, v. g. parvi æstimat ; non committere formalem, et specialem contemptum : peccare tamen graviter, aut leviter juxta quantitatem rei præceptæ : ut si præceptum sit de jejunio in Quadragesima, contemptus erit peccatum mortale ; si autem sit de non sumendo, vel levissimam refectionem in die jejunii, contemptus erit peccatum veniale. Quoniam in hoc contemptus genere non omittitur res præcepta, quia præcepta ; sed quia vel parvi æstimatur, vel alias displicet, et affert corporalem molestiam : in quibus contemptus non refertur in legem, nec in legislatorem, sed in solam materiam, ut recte observant Sanchez lib. 1 Decalog. cap. 5, a num. 11, Tapia lib. 4, quæst. 9, et alii communiter. Si quis vero materiam levem a Deo præceptam, aut etiam solo consilio propositam contemneret, non quia levem, sed tanquam impertinentem, inutilem, aut vanam ; profecto peccaret mortaliter ; quia talis contemptus redundaret in Deum illam materiam præcipientem, aut consiliantem. Omnis enim contemptus Dei in re etiam levissima est gravis Dei offensa, ut patet in mendacio jocoso confirmato juramento. Opus itaque esset talem circumstantiam, sive tale contemptus peccatum specialiter confiteri.

171. Sed magis absolute loquendo, et cum præcisione ab his conditionibus, et limitationibus, omnis contemptus legis, ut lex est, aut legislatoris, ut talis, sive ille divinus sit, sive humanus, et sive in materia de se gravi, sive de se levi, est peccatum mortale specialis contemptus. Quod facile, ac breviter suadetur, quoad singulas partes : nam in primis parvi pendere Majestatem Dei aliquid præcipientis, est gravissima, et blasphema illius injuria. Deinde superior humanus habet suam potestatem ex Deo, illumque repræsentat : ergo contemnere illum, ut legislatorem est grave peccatum, quippe cum illius injuria redundet in ipsum Deum dicentem Luc. 10 : *Qui vos audit, me audit ; et qui vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.* Denique id ita

contingere, quidquid sit de gravitate materiæ secundum se, facile constat : quia gravitas injuriæ non attenditur penes materiam ejus, sed per respectum ad legislatorem, qui contemnitur. Idque (ut aliquo signo in praxi cognoscamus) non obscure deprehenditur, ut optime notavit Cajet. 2, 2, q. 186, art. 9, quando subditus frangit superioris mandatum non ex negligentia, non ex cupiditate, non ex simili passione, sed quia non vult superiori, et regulæ se subjicere ; aut quia vult ostendere se nihili facere superioris mandatum, et regulæ ordinationem, quod maligni cordis in superiores, et leges index evidentissimus est. Et sic sentiunt communiter Doctores, atque hujusmodi contemptus peccatum esse distinctum a generali inobedientia, et necessario explicandum in confessione. Quibus addimus probabile nobis admodum videri, contemptum legis divinæ, et naturalis distingui specifice a contemptu legis humanæ, et sic in confessione explicandum fore : sicut et contemptum immediatum Dei, a quo sunt leges naturales, et divinæ distingui specie a contemptu immediato superioris humani ferentis humanas leges. Quia licet superior humanus repræsentet Deum, et habeat ab eo potestatem ; nihilominus longe inferioris dignitatis, et auctoritatis infinite distantis est : et idem contingit in injuriis, quæ eisdem inferuntur. Sicut quamvis Legatus Principem repræsentet, et ejus vices agat : tamen gravius, et diversæ rationis est offendere Principem immediate in se ipso, ac offendere ejus Legatum, aut Principem mediate in Legati persona. Et similiter diversæ rationis est, contemnere imaginem Dei, quod opponitur Religioni, sive Latriæ, et contemnere imagines Sanctorum Dei, quod adversatur Duliæ. Contemptus itaque formalis præceptorum naturalium, et divinorum differt specie a contemptu formali humanarum legum : et sic explicari, et confiteri debet.

Limitatur conclusio.

Addemus tamen aliquas modificationes, quibus hæc doctrina temperari solet, ne in non obediendo accedat contemptus formalis speciei. Nam in primis si quis nolit obedire ex indignatione, non quia superiori ut tali contemnit subdi, sed ut illi solatium suæ obedientiæ in hac occasione neget ; non committit peccatum contemptus, de quo loquimur : quia non despic superiorem, ut superiorem, sed solum sibi repugnantem, et infensum. Et ita o servant plures sequentes Cajetanum Summa, verbo *Contemptus*. An aute alias, et ex aliis capitibus sit peccatu mortale, non pertinet ad præsentem co sideration em, sed dependet ex facti ci cumstantiis. Similiter ubi contemptus d rigitur ad superiorem, non ut superiore sed ut singularem personam, et secundu conditiones individuales, quia impruden indoctus, aut irreligiosus : non adest fo malis contemptus peccatum ob jam ins nuatum motivum ; poterit tamen es peccatum grave, et non raro continge ob temerarium judicium in despicien personam, ut alias accideret, licet superio non esset ; cui tamen non adesset circum tantia ob defectum observantiæ, et rev rentiæ debite personæ superioris. Ide pariter contingeret, si quis non despicie do superiorem, ut superiorem, nec singu larem ejus personam, contemneret ej præceptum, non quia præceptum ; s quia censet illud in hac, aut illa materi positum esse injustum, aut inutile. Qu tunc non contemnitur superior, quatenu superior, et prout Dei nomine præcipit sed quatenus persona singularis impru denter se gerens in illa materia, ut cu multis observat N. Andreas loc. cit. nu 40. Unde facile colligitur peccatum sp ciale formalis contemptus raro commit nisi a subditis pessimis, et obduratæ fro tis in Deum, et superiores, qui ejus vic agunt.

§ VII.

De circumstantia Quando.

172. Pervenimus ad ultimam circum tantiam desumptam a tempore, in quo pe catum committitur : de quo non multa, n difficilia dicenda occurrunt. Fundatur a tem prædicta circumstantia, in eo, qu sicut dantur aliqua loca sacra, illa scilice quæ divino cultui consecrantur ut su templa : sic etiam dantur aliqua tempo Dei cultui dedicata, ut sunt dies, quos sa cros, et festos vocamus. Sicut ergo ex e quod peccata committantur in loco sac contrahunt specialem aliquam malitia

necessari

ecessario in confessione explicandam, ut onstat ex dictis § 3, sic etiam videtur, quod eccata commissa in diebus sacris induant rcumstantiam specialis malitiæ, quæ deeat in confessione manifestari. Et sic lane senserunt plures antiqui, et graves octores affirmantes omne peccatum in die esto commissum mortaliter induere ex oc ipso specialem irreligiositatis malitiam necessario confitendam. Ita D. Antoinus, Alensis, Turrecremata, Abulensis, Niler, Major, Adrianus, Catherinus, Petrus de oto, Joannes de Medina, Corduba, et alii pud Dicastillum disp. 9, dub. 8, n. 712, uæ sententia probari potest auctoritate imul, et ratione : nam Angelicus Doctor , 2, q. 122, art 4, in resp. ad 3, agens de bservatione tertii præcepti Decalogi, sive le sanctificatione sabbati apud Judæos nquit : « Aliud est cessatio operum, quæ « significatur, cum subditur : Septima die « Domini Dei tui non facies omne opus. « Sed de quo opere intelligatur, apparet « per id, quod exponitur Levit. 23. Omne « opus servile non facietis in eo. Opus au« tem servile dicitur a servitute. Est autem « triplex servitus : una quidem, qua homo « servit peccato, secundum illud. Qui facit « peccatum, servus est peccati : et secun« dum hoc omne opus peccati dicitur ser« vile. Alia vero est servitus, qua homo « servit homini. Est autem homo alterius « servus, non secundum mentem, sed se« cundum corpus, ut supra habitum est. « Et ideo secundum hoc opera servilia « dicuntur opera corporalia, in quibus « unus homo alteri servit. Tertia autem « est servitus Dei : et secundum hoc opus « servile posset dici opus Latriæ, quod per« tinet ad Dei servitium. » His præmissis, tatuit opus servile servitute Dei, non proiberi in die sabbati, et deinde subjunxit : Sed alia opera servilia, quæ dicuntur servilia primo, vel secundo modo, contrariantur observantiæ sabbati in quantum impediunt applicationem ad divina. Et quia magis impeditur homo a rebus divinis per opus peccati, quam per opus licitum, quamvis sit corporale : ideo magis contra hoc præceptum agit, qui peccat in die festo quam qui aliud opus corporale licitum facit. Unde Augustinus dicit in lib. de decem chordis : Melius faceret Judæus in agro suo aliquid utile, « quam si in theatro seditiosus existeret. « Et melius fœminæ eorum lanam face« rent, quam quod tota die in Neomeniis « suis impudice saltarent. » Ergo ex sententia utriusque S. Doctoris omne peccatum mortale in die sacro commissum est contra sanctitatem talis diei, atque contrahit specialem irreligiositatis malitiam. Quod amplius explicatur reducendo ad formam discursus contenta in relato testimonio : quia non minus opponitur sanctitati diei sacri opus servile servitute peccati, quam opus servile servitute hominis, quale est opus corporale; sed opus servile servitute hominis est contra sanctitatem diei sacri, et hac ratione, si notabile sit, habet esse speciale peccatum mortale: ergo idem, et a fortiori dicendum est de opere servili servitute peccati. Idque aperte significarunt Patres Conc. Coloniensis ann. 1536, celebrati, cum asseruerint « bis peccare, qui « diem Dominicum scortis, rixis, et pugnis « agunt. »

173. Hæc sunt satis gravia, et nos duce- Secunda
rent ultroneos in prædictam sententiam, alias omnino securam, consulentemque tam dierum sacrorum venerationi, quam Christianorum profectui. Sed videmus contrariam esse his temporibus communem, ut superfluum sit Recentiores in particulari referre. Quin et ex paulo antiquioribus illam statuerunt, et firmare curarunt Cajetanus loco citat. D. Thomæ et 1, 2, quæst. 7, art. 1, et in Summa verbo *Festa*, et tom. 1, opusc. 18, quæst. 3, Sylvester in Rosa aurea tract. 3, cap. 63, Soto de justitia lib. 2, quæst. 2, art. 4, et in 4, distin. 18, quæst. 2, art. 4, Cano de pœnitentia in 5 part. Medina in Summa lib. 1, cap. 9, § 2, Navarrus in cap. *Consideret* de pœnit. dist. 5, a num. 17, Covarruvias in cap. *Alma mater*, part. 1, § 2, et alii plures. Probatur : quia Ecclesia de facto determinavit sanctificationem dierum festorum ad duo, unum affirmativum audiendi sacrum, et aliud negativum non laborandi, sive non faciendi opera corporalia servilia : ergo fideles hæc præstando satisfaciunt præcepto sanctificationis festorum : ergo per hoc quod alias mortaliter peccent, non agunt contra prædictam sanctificationem ; nec ex vi hujus incurrunt in suis peccatis mortalibus aliquam malitiam specie distinctam, et tali sanctificationi contrariam. Confirmatur

Cajet. Sylvest. Soto. Cano. Medina. Navar. Covarr.

primo : nam ex generali ratione peccati mortalis non consurgit aliqua specialis irreverentia contra dies sacros, aut festos : ergo falsum est peccatum mortale in die sacro commissum habere ex hoc ipso circumstantiam diversam, et necessario in confessione explicandam. Consequentia patet, et antecedens suadetur : tum, quia non magis dies sacer debet gravificare peccata in eo facta, quam locus sacer in eo commissa ; sed certum est non omnia mortalia in loco sacro commissa induere novam speciem malitiæ ex loco, ut constat ex supra dictis § 3 : ergo idem dicendum est de mortalibus commissis in sacra die. Tum etiam, quia plurima sunt mortalia pure interna, plura etiam externa, sed omnino occulta : ex quibus nulla irreverentia, aut injuria diei sacro irrogatur, ut facile explicari valet exemplo loci. Confirmatur secundo : quia hæc est de facto communis intelligentia, et praxis fidelium, tam pœnitentium, quam confessariorum : curant namque de numero, et specie mortalium posthabita diligentia in investigando, an mortalia commiserint in die sacro, vel in non sacro ; et oppositum non paucos nec leves afferret scrupulos.

Diluitur adversariorum fundamentum.

Quæ autem pro prima sententia afferebantur, non convincunt. Nam quod attinet ad auctoritatem, D. Augustinus loquitur de diebus festis, non Christianorum, sed Hebræorum : nec affirmat, quod hi quolibet, et in qualibet materia peccato mortali peccarent contra præceptum servandi suas festivitates ; sed solum affirmat, quod minus peccarent faciendo in diebus festis aliqua opera servilia, quam exercendo profana, et de se peccaminosa, quæ recenset. Quod est verissimum, sed rem præsentem non attingit : sicut si modo diceremus christianum minus peccare, si in diebus Dominicis laboret in agro, quam si degat, ut fieri contingit in lupanaribus, et tabernis. D. Thomas etiam loquitur de sanctificatione Sabbati, prout erat in usu apud Judæos. Unde argumentum nequit trahi admodum observandi festa inter Christianos, ut ipse Angel. Doct. alte vidit, et velut objectionem prævenions tradidit eodem loco in responsione ad 4, his verbis : « Dicendum, quod observantia diei Domi- « nicæ in nova lege succedit observantiæ « Sabbati, non ex vi præcepti legis, sed « ex constitutione Ecclesiæ, et consuetudin « populi Christiani. Nec etiam hujusmod « observatio est figuralis, sicut fuit obser « vatio Sabbati in veteri lege. Et ide « non est ita arcta prohibitio operandi i « die Dominica, sicut in die Sabbati. E « ideo quædam opera conceduntur in di « Dominica, quæ in die Sabbati prohibe « bantur, sicut decoctio ciborum, et ali « hujusmodi. Et etiam in quibusdam ope « ribus prohibitis facilius propter necessi « tatem dispensatur in nova, quam in veter « lege, quia figura pertinet ad protestatio « nem veritatis, quam nec in modico præ « terire oportet. Opera autem secundem s « considerata immutari possunt pro loco « et tempore. » Ad discursum vero ex præ dictis testimoniis formatum, respondetu distinguendo majorem, illamque conce dendo quantum ad oppositionem ex part finis præcepti, qui est cultus Dei in di sacro ; quæ negari debet, si intelligatu de oppositione quantum ad materiam præ ceptam. Et deinde concessa minori, nega mus absolute consequentiam : nam materia quæ de facto prohibetur in diebus festis est opus servile, non autem omne opu peccaminosum. Et ideo non istud, sed illu directe opponitur sanctificationi taliu dierum ; licet fini præcepti non minus op ponatur peccatum, quam opus servile Patres denique Concilii Coloniensis locut sunt conformiter ad primam sententiam in qua forte erant, nihil tamen diffiniendo Credibile vero est, et ex materia, atqu exemplis colligitur, illud egisse de quibus dam operibus alias prohibitis, ut sun scortationes, et pugnæ, sive torneamenta propter quæ aliqui omittebant observatio nem Missæ in diebus festis, et bis propte rea peccabant.

174. Sed quamvis hæc in communi lo quendo ita se habeant, negari propteres non debet circumstantiam temporis indu cere in aliquibus operibus malitiam gra vem, distinctamque in specie ab illa, quan talia opera de se importarent. Sunt enim aliqui dies ita sacri, sunt etiam aliqui opera ita profana, ut cum illis habean manifestam oppositionem, reverentiamqu subtrahant diebus sacris debitam, et illan graviter offendant, ut recte docuerunt Me dina in Summa lib. 1, cap. 9, § 1, et i lib. 2, qu. 7, art. 3, Gregorius Martine ibid

id. pag. 531, Rodriguez in Summa, cap. 3, num. 12, Lopez 1 part. cap. 34, fol. 95, Pitigianus in 3, dist. 17, qu. 1, art. Lugo disp. 26, sect. 12, nu. 524, Distillo disput. 9, dub. 8, num. 732, N. ranciscus cap. 8, punct. 4, num. 114, et ii : quidquid cum aliis dicat Leander sp. 8, § 8, quæst. 3. Probatur : nam si iis in parasceve exhiberet comedias, et idicra spectacula, qualia in diebus bachaalium repræsentari solent, gravissimam ommitteret irreverentiam contra sanctitem diei, in quo Ecclesia Catholica repræntat specialiter, et recolit passionem, mortem Christi Domini. Quis prudens hoc casu non recognoscet summam opositionem, atque sacrilegam inter repræntationem ab Ecclesia exhibitam, et epræsentationem ab illo factam, et istam on gravis peccati damnabit ? Ergo quamis in genere non sit verum omne peccaum mortale commissum in die festo inuere ex hoc ipso novam circumstantiam ravis malitiæ ; tamen contingens est diem sse ita sacrum, et peccatum adeo illi reugnare, quod illa circumstantia inducar. Nec momenti erit, si cum Dicastillo icatur, in tali casu profanam illam reræsentationem constituere primam spem peccati : quia vim non facimus eo, quod sit aut non circumstantia roprie dicta supponens aliam, atque priam speciem peccati, sed in eo, quod conunctio talis repræsentationis cum sanctate diei, affert per se gravissimam ordinationem, et novam in specie maliam, sive aliam supponat, sive non. Præerquam quod illa repræsentatio posset lias supponi prohibita vel jure humano, el etiam jure naturali, ac divino propter imiam ejus turpitudinem : quare, si ultra oc fieret in die Parasceves, haberet et alitiam gravem, quam in qualibet alia ie : et indueret etiam circumstantiam religiosita gravis contra sanctitatem iei. Nec ad id requiritur novum aliquod, ut positivum Ecclesiæ præceptum ; sed fficit Ecclesiam instituisse sacratissimum lum diem ad specialem commemorationem passionis, et mortis Domini : nam hoc upposito jus naturale, et divinum dictat llicita esse, quæ contra diei sanctitatem guntur. Et quidem si in die speciali assinato, in quo aguntur exequiæ, sive commemoratio Regis defuncti, quis faceret agitari tauros, et comedias repræsentari, non levem irrogaret injuriam defuncto regi, nec immunis censeretur a læsæ Majestatis offensa. Cur ergo non idem consequenter dicemus, ubi similia fiunt in die illa specialiter assignata ad recolendum Domini passionem, et mortem ?

Nec in hoc sistimus, quin potius inde colligimus alia non absimilia. Primo idem dicendum esse de faciente repræsentare comedias, et alia ludicra propria Bachanalium in quolibet die sacræ Hebdomadæ usque ab Sabbatum Sanctum. Secundo idem asserendum de illo, qui in die Parasceves patraret crimen aliis notorium, ut si per plateas sequeretur scortum, et aliis videntibus domum ejus post illam ingrederetur ; si ea die inimicum in foro occideret ; si per calles turpia cantaret, et similia. Sunt namque ista tam absona sanctitati diei, et tam contraria institutioni Ecclesiæ, et communitati fidelium in eo die celebrando, ut nesciamus illa purgare a gravi irreligiositate. Unde talia opera præter malitiam, quam ex objecto habent, contraherent aliam gravem, atque specialem contra sanctitatem diei, et omnia proinde deberent in confessione explicari. De aliis autem peccatis, vel alterius rationis, vel occultis, non idem audemus asserere quia non occurrit idem motivum. Nec idem dicimus de circumstantia aliorum dierum sacrorum, quantumvis solemnium, quoniam non reperimus eandem indecentiam, et contrarietatem quamvis graves Doctores apud Martinez loco citat. idem affirment, si peccatum fiat in diebus Nativitatis, et Resurrectionis Domini.

175. Ad hanc etiam circumstantiam *quando*, sive temporis pertinet, quod quis immediate a celebratione Missæ, vel a suscepta sacra commnnione fornicetur, vel alia carnis peccata committat : est namque circumstantia addens peccato novam malitiam specie distinctam ob gravissimam irreverentiam in tantum sacrificium, et sacramentum, ut docent Lugo ubi supra, Dicastillo num. 733, N. Antonius disp. 8, sect. 6, num. 641, N. Franciscus loco citat. Emmanuel a Concept. disp. 3, quæst. 22, num. 591, et alii ; nec ullum videmus, qui oppositum ausus fuerit asserere. Diximus *immediate*, quia absolute non est circums-

tantia varians speciem, quod quis in die, quo celebravit aut sacram Eucharistiam suscepit, fornicetur, etc. ut contra Medinam, et paucos alios tenent ceteri communiter, quos refert, et sequitur Leander ubi supra quæst. 4. Ubi enim interponitur notabilis mora, non committitur notabilis, et specialis irreverentia in sacramentum. Quanta vero debeat esse temporis distantia, haud facile est diffinire. N. Antonius loco citato assignat horæ quadrantem ; sed nimis breve censemus, et aliorum judicio remittimus.

Limitavimus etiam resolutionem *ad carnis peccata :* quia cetera et si forte quantum ad speciem graviora, ut perjurium, judicium temerarium, odium proximi, etc. non afferunt tantam irreverentiam, et adeo fœdam contra sacramentum. Potestque id aliquomodo explicari, et confirmari exemplo : nam si confessarius immediate, aut proxime post confessionem solicitat mulierem ad turpia, Judices fidei illum cogunt ad abjurandum, vel de vehementi, vel de levi propter suspicionem, quam affert scelus hujusmodi : cum tamen ad id non compellant pro aliis peccatis immediate patratis post confessionem, quamvis de se in gravitate majoribus. Adest itaque in peccato carnis specialis irreverentia contra Eucharistiam, intra sacramenta sacratissimum. Præsertim eo tempore, quo manet intra suscipientem, ut non immerito ad hunc finem possimus expendere verba Apostoli 1 ad Corinth. 6 : *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi. Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis. absit. An nescitis quoniam, qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim (inquit) duo in carne una. Qui autem adhæret Domino unus spiritus est. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcumque fecerit homo, extra corpus est : qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

DUBIUM VI.

An peccata mortalia dubia necessario in confessione explicanda?

Ex dictis in hac disputatione, et præsertim in tribus dubiis immediate præcedentibus constat materiam necessariam hujus Sacramenti esse omne post Baptismum commissum peccatum mortale in speci et numero, et circumstantiis mutantibu sive addentibus speciem. Idque certum e apud catholicos, ubi certum pariter est ho minem post baptismum peccasse mortalite et peccatum confessum non fuisse. At no semel contingit adesse hujusmodi certitu dinem erga plura, aut saltem circa aliquo in quibus confitendi obligatio fundatur. U cum homo scit se aliquid fecisse, quod es objective malum, sed nescit an in eo, cur deliberatione processerit, et peccaverit aut, si sciat se peccasse, sed ignoret an gra viter, aut leviter, aut denique sciat se pec casse mortaliter, sed dubitet, an tale pecca tum confessus fuerit. Est itaque difficulta an peccatum in aliquo ex prædictis sensi bus dubium sit materia, quam homo ne cessario debeat exponere in confessione Pro cujus convenienti resolutione

§ 1.

Aperitur proprius hujus quæstionis statu

176. Cum peccata mortalia dubia sin proprium præsentis difficultatis subjectum nequit illa congrue expediri, quin priu declaremus, quid sit dubium, a quo pec cata dubia vocantur : nisi enim subjectun determinetur, nequeunt in unum tender argumenta, et responsiones pro una, e altera parte ; sed collimantia in diversos scopos non aliud gignent, quam confusio nem, et dubia circa ipsum dubium. Des cribit autem illud D. Thomas quæst. 14 de veritate art. 1, his verbis : « Quandoque « intellectus noster non inclinatur magis « ad unum, quam ad aliud : vel propter « defectum moventium, sicut in illis pro- « blematibus, de quibus rationes non ha- « bemus : vel propter apparentem æquali- « tatem eorum, quæ movent ad utramque « partem ; et ista est dubitantis dispositio, « qui fluctuat inter duas partes contradic- « tionis. » Unde dubium proprie dictum contingit, quando intellectus attendens ad motiva hinc inde objecta ad asserendum, vel negandum aliquid, manet anceps, et suspensus nulli determinatæ parti assentiendo : quia nulla illum determinate trahit ad determinatum assensum. Quæ suspensio non est mera negatio, sed positiva intellectus attentio ad utrumque, et ad

carentiam

carentiam excessus unius præ alio. Et contingit dupliciter. Primo, cum nullæ rationes ex parte extremorum occurrunt, quæ assensum extorqueant, vel ad assentiendum alliciant, ut si proponatur quod arenæ maris sunt pares : nihil enim occurrit ad id magis asserendum, quam oppositum. Quocirca dubitandi genus vocatur satis communiter negativum, ob negationem scilicet motivi trahentis ad unum. Contingit secundo, quando pro una parte occurrit motivum quidem apparens probabile, et conforme regulis prudentiæ, quod de se invitat ad assensum sed tamen aliud ex parte opposita concurrit ejusdem probabilitatis, et ponderis, quod priori æquivalet, ejusque vires infringit, ne intellectum alliciat, vel rapiat : unde provenit hunc manere suspensum, atque inter utrumque fluctuantem : quod est dubium esse, et sub dubio relinqui. Idque frequenter accidit in probabilitate, quam vocant ab extrinseco : nam, si quis, v. g. opus habeat cognoscendi, utrum aliquis contractus sit usurarius, consulatque Doctores, et reperiat tres, qui id negent; motivum habet ad assentiendum rem esse licitam : sed, si occurrant alii tres ejusdem scientiæ pietatis, atque auctoritatis, qui oppositum affirment, motivo præoccupatur evacuante vires prioris : sunt quippe æqualia, et se destruunt. Unde consequens est intellectum inter ea positum manere dubium, sive ancipitem, et ad nullam partem determinari. Qua de causa istud dubium solet positivum vocari, quia non fundatur in carentia motivorum : sed in eo, quod, licet multa, et positiva occurrunt, sunt æqualia, et intellectum suspendunt in æquilibrio. Vulgare quidem, et sensibile pro hoc declarando exemplum offert statera, quam duobus modis fluctuare, et tandem in æquilibrio manere videmus : nempe vel ubi nulli illius brachio imponitur pondus ad unam partem propellens ; vel utrique imponitur, sed omnino æquale, et se invicem vincens, ut statera ad nullam inclinet partem, sed suspensa in æquilibrio vacillet. Primo explicatur dubium negativum, secundo positivum.

Inter illa vero adest notabilis differentia multum referens, in præsenti materia : nam dubium negativum, est mera ignorantia, et nescientia absque ullo rationabili fundamento ; atque ideo est dubium præcise physicum, non autem morale, et apud prudentes, est dubium, inquam, scrupulosorum, et stupidorum, qui trepidant ibi, ubi nulla occurrit ratio timendi, et omnia in dubium vocant sine motivo. Idque patet ipso exemplo, quo dubium negativum explicari solet, dubitanti scilicet, utrum arenæ maris sint pares. Nam, si quis interrogetur, an sint, respondere debet se nescire, non se dubitare ; si enim id dicat, et rursum sciscitemur, quam habeat dubitandi rationem, nullam assignabit, nec assignare poterit : signum ergo est, tale dubium negativum non esse morale, sed irrationale, sive nulli rationi innitentem. Oppositum autem contingit in dubio positivo, sive fundato in motivis apparentibus, aut etiam probabilibus, æqualibus tamen, et se mutuo debilitantibus, atque intellectum in æquilibrio relinquentibus : quia licet ita dubitans habeat ignorantiam rei, de qua dubitat, hæc tamen ignorantia non est mera nescientia; sed adjunctas habet rationes prudentiales, quibus rem attingit, non quidem certe, et quiescendo ; sed visu ancipiti, et fluctuando ad utramque partem. Quare hujusmodi morale, et prudentiale dubium non immerito a quibusdam mixtum vocatur, sive constans ex positivo, et negativo : quia negativum est quantum ad negationem assensus determinati ; et positivum est quantum ad dubitandi fundamenta. Unde D. Thom. in 3, dist. 7, q. 1, art. 4, per positivum diffinivit istud dubium dicens : « Esse motum rationis supra « utramque partem contradictionis cum « formidine determinandi alteram. » An autem dici debeat absolute positivum a fundamentis, an vero absolute negativum a negatione assensus, quæstio est ad voces pertinens, et parum referens : communior tamen usus obtinuisse videtur positivum absolute vocari, nec immerito, ad distinctionem videlicet alterius dubii nulli motivo innitentis, cui nomen genericum negationis, aut negativi ob summam speciei imperfectionem tribuendum est, sicut nomen animalis absolute dictum convenit brutis.

177. Hinc facile constat subjectum proprium præsentis difficultatis non esse peccata dubia dubio mere negativo : quia cum hujusmodi dubium in nullo fundetur motivo, tanquam prorsus irrationale contemni, et

nihili apud prudentes pendere debet. Idque prudens confessarius facile recognoscet, ubi ad se cum simili dubio accedentem interrogaverit, quare dubitet de peccato gravi admisso, vel quare dubitet de non confesso? Si namque nullam rationem assignare potuerit, ex hoc ipso convincitur dubium esse irrationale, et omnino propellendum : nec oportet super his audire non peccata, sed scrupulos, aut stultos scrupulosorum timores. Quin addimus idem dicendum, ubi dubium provenit ab aliquo motivo, sed tamen levi : tum, quia ratio levis pro nulla reputatur. Tum, quia levia prudentes movere non debent. Tum, quia si semel admitteretur dubia ex motivis levibus inducere obligationem confitendi peccata sic dubia, latam sterneremus viam ad infinitos scrupulos nullis confessionibus extinguendos, vel terminandos. Quare a contrario sensu elicitur materiam præsentis difficultatis restringi ad peccata dubia dubio positivo fundato in motivis gravibus dubitandi : ut contingit, quando pœnitens prudenter dubitat an commiserit aliquod mortale : quia ex una parte gravi ratione ducitur ad id sibi persuadendum, et ut timeat ; sed ex alia repræsentatur æqualis ponderis motivum ad negandum, et non credendum. Unde provenit quod hæc perpendens, et a nullo motivo determinatus, licet utriusque vires cognoscens, maneat inter utramque partem suspensus, et sub dubio, metuque ab illo concepto perseveret. In hoc itaque sensu quæritur, an peccata mortalia dubia sint materia, quæ necessario explicari debeat in confessione.

178. Et ut ad punctum specialius, et difficilius, magis expediti accedamus, præmittere oportet, quæ sunt faciliora, et communia. Hujusmodi censemus eum, qui certo scit se aliquod mortale commisisse, et dubitat, an illud confessus fuerit, obligari ad ejus confessionem. Ita Navarrus, Suarez, Sanchez, Dicastillo, et alii communiter, quibus relatis subscribit N. Franciscus cap. 8, punct. 3, num. 34, Lugo disp. 16, sect. 2, num. 159, dicens omnes convenire in hoc supposito, Prado quæst. 84, dub. 4, § 2, num. 7, dicens hanc esse communem, et certam sententiam. Unde vel ipse Caramuel, qui in his rebus censetur aliis laxior, aut liberior, cum scivisset quosdam Jesuitas Viennæ defendisse thesim huic communi doctrinæ contrariam, et Caramuelem pro se allegasse, renuit palam, se excusavit, atque asseruit se aliter philosophari de dubio, aliter de peccato mortali certo, et dubia confessione ut videri potest in Theologia fundamentali fund. 66, fol. 556, editionis tertiæ Lugduni. Ratio communis est : nam debito certo non fit satis per incertam, aut dubiam solutionem ; sed per peccatum mortale certum contrahitur obligatio certa illud manifestandi in confessione, ut est fide sanctum : ergo huic obligationi non fit satis per incertam, aut dubiam confessionem : ergo, qui certo scit se commisisse peccatum mortale, et dubitat an illud confessus fuerit, manet sub obligatione illud confitendi.

Navarr. Suar. Sanchez. Dicast. Franc. Prado. Caram.

Nec momenti erit si dicatur majorem solum verificari in foro externo, et quantum ad debitum ex contractu oneroso juxta voluntatem contrahentium, et volentium, quod non cesset obligatio solvendi, donec certo constet factam esse solutionem : et sic in foro externo compellitur homo ad certam solutionem, nec aliter extingui debitum declaratur, licet nihil forte debeatur in re. Sed in foro conscientiæ aliter contingit : nam licet debitum a principio fuerit certum, si tamen postea superveniat invincibile dubium de solutione, non tenetur homo solvere, donec certo constet se non solvisse, ut docuit Joannes de Medina cod. de Restitutione quæst. 20. Idemque contingit in præsenti materia : nam licet, qui certo peccavit mortaliter, contraxerit debitum certum illud confitendi, nihilominus ubi postea dubitat, an illud confessus fuerit non tenetur ad confessionem, priusquam sibi certo constet illud confessum non fuisse. Sic discurrebant illi Viennenses. Et addit Caramuel casum videri impossibilem : nam dubium circa illum occurrens facillime, et quasi nullo negotio dissipatur. Si enim, sic dubitans solet bene confiteri judicare posse probabiliter se tale peccatum confessum fuisse : si autem assuetus est non bene confiteri, debet contra se judicare : et si in neutro consuetudinem habet, præsumendus est habuisse propositum bene confitendi, adhibuisseque sufficientem diligentiam. Esto tamen, addit ille, ea hypotesis admittatur, non propterea debet admitti obligatio statim confitendi ; sed hæc ad aliud tempus, præsertim mortis

is referenda est : nam durum apparet dubitantem de confesso peccato, ad confessionem ejus statim faciendam obstringere.

179. Hæc, inquam, subterfugia nullius momenti sunt. Et primum ex Viennensibus quantum ad discrimen inter judicium in foro externo, et interno in ipsos regendum est : nam juxta communem sententiam, judicium in foro externo, et judicium in foro interno conformari debent, ubi est eadem præsumptio, sive ubi præsumptio fori externi non est falsa : hic autem utrobique occurrit vera præsumptio, nempe illum, qui certo debet non satisfacere obligationi, nisi certo constet de satisfactione : ergo si in foro externo obligatur ad satisfaciendum, idem in foro interno faciendum est. Nec Medina Complutensis locuit oppositum : quia non agebat de solutione dubia, sed probabili, quam habens potest solutionem suspendere, donec magis constet se non solvisse. Et si oppositum vellet nihil plane ageret contra communem sententiam asserentem certum de debito a se contracto, dubium autem de solutione debere integre solvere ut bene expendit Sanchez lib. 1, in Decal. cap. 10, n. 12. Et aliunde præ oculis haberi debet differentia inter tribunal forense, et tribunal confessionis, quod illud favet reo neganti debitum, cum ex vi illius absolutionem, et libertatem consequatur : sed in isto confessio prodest reo, estque illi favorabilior ad certe consequendum salutem.

In eo autem quod addit Caramuel rejiciendus omnino est, utpote pugnans contra evidentissimam experientiam quia non solum in idiotis, et rusticis, et scrupulosis hujusmodi dubium contigit, sed etiam in sapientibus, et serenæ conscientiæ : recordantur enim non semel alicujus mortalis certo commissi, quin scire possint, an et quando, et quomodo illud in confessione manifestaverint : unde incidunt in hæc dubia, et ab illis non se expediunt, nec possunt ea facilitate, quam ille imaginatur satis diminute in suo discursu procedens. Nam præter personas assuetas ad bene confitendum, et personas assuetas ad male confitendum, occurrit tertium genus earum, quæ multas confessiones bene, et alias non bene, fecerunt. Quid istæ, ubi occurrit simile dubium, determinate præsument, et pro se, aut contra se probabiliter sententiam dicunt juxta Caramuelis canonem?

Magis adhuc deficit in secundo additamento : quia modo non disputamus, an incidens dubium de confessione peccati certo commissi, teneatur illud statim confiteri (quæ est difficultas longe diversa), sed an maneat liber ab obligatione illud confitendi tempore debito, quodcumque illud sit : quare illud effugium nostram suppositionem non labefactat ; sed Caramuel satis manifestat posse certam illius debiti solutionem differri usque ad periculum mortis, ne scilicet homo periculo se exponat æternæ damnationi ob non confessum forte peccatum. Sed cur non tenebitur illud manifestare tempore, quo impleri debet præceptum annuæ confessionis, cum tunc debeat confiteri omnia mortalia hactenus non confessa ? Cur non etiam cum suscepturus est Sacram Eucharistiam ; siquidem obligatur ante illam præmittere confessionem omnis peccati mortalis, cujus sit conscius ? In præsenti autem casu supponitur illum scire se peccasse mortaliter, et nescire an tale peccatum confessus fuerit : unde satis se prodit inconsequens ac debilis discursus Caramuelis, et quorundam recentiorum illum imitantium : nam cum formident sisti ante tribunal Christi cum conscientia certa admissi peccati mortalis, et dubii de illius confessione, et propterea docent obligari in articulo mortis ad certam confessionem illius ; nihilominus non trepidant, nec horrent cum simili, et dubia conscientia accedere ad ipsum Christum, eumque suscipere in Sacramento Eucharistiæ. Longe melius discurrunt, qui ex diametro oppositi affirmant improbabile, quod aliquis in articulo mortis teneatur in confessione explicare, quod prius poterat licite in confessione tacere : similiter quod quis valeat aliqua peccata supprimere, quæ debeat aliquando manifestare : nam per se loquendo ubi manet obligatio aliquod peccatum confitendi, illud oportet manifestare in prima confessione, quæ fiat, ut integra materialiter et formaliter sit, sicut semper esse debet, nisi aliquod occurrat inconveniens deobligans pro tunc ab alicujus peccati manifestatione, ut infra dicemus dub. 7. Videantur Petrus de Ledesma de Pœnitentia, cap. 20, dub. 6, conclus. 4, et Prado in Theologia morali

cap. 1, quæst. 5, ubi recentiores eos, qui obligationem confitendi aliquid ad solum mortis articulum referunt, acriter refellunt.

Object. 2. 180. Sed oppones, commune motivum pro communi sententia propositum vel nihil, vel excessive probare : nam, si ad satisfaciendum obligationi certæ requiritur certa etiam satisfactio, et hac de causa, qui certus est de peccato mortali a se facto, et dubius de illius confessione, manet sub obligatione illud confitendi : sequitur idem dicendum esse de eo, qui in simili casu judicat probabiliter se confessum illud peccatum jam fuisse, atque ideo adhuc tenebitur illud confiteri. Consequens autem durum, et absurdum apparet : tum, quia licitum est sequi opinionem probabilem : ergo judicans probabiliter se jam confessum fuisse aliquod peccatum mortale certum, cujus recordatur, non tenetur illud confiteri. Tum, quia oppositum dicere gignit innumerabiles, et interminabiles scrupulos : nam cum raro possimus scire certo nos bene confessos esse (alias eadem certitudine sciremus nos esse in gratia) obligaremur ad repetitas eorundem peccatorum confessiones : quod est inconveniens, et aliter vitari non valet, quam sistendo in dictamine probabili, quod bene confessi fuerimus peccata : ergo, qui certus de lethali a se commisso incidit in dubium circa ejus confessionem, si probabiliter judicet se illud jam esse confessum, non tenetur illud confiteri, et contrarium asserere durum, et absurdum apparet. Et in id trahi valet doctrina Joannis de Medina proxime insinuata : quod certus de debito a se contracto, si judicet probabiliter se solvisse, non tenetur solvere, quousque de non solutione sibi certo constet.

Refelli-tur. Respondetur distinguendo sequelam, illamque admittendo de eo, qui se confessum fuisse illud peccatum judicat probabiliter probabilitate aliqua infima, levi, et non certa; sed negari debet de id judicante probabilitate certa. Consequentis autem improbatio materiam attingit hoc tempore multum controversam, an scilicet possimus licite, sequi opinionem probabilem relicta probabiliori. Quam ut exteros omittamus, hinc inde oppositi agitarunt sapientissimi hujus Academiæ Magistri, et libris editis paucis ab hinc annis promoverunt Ferre, tom. 2, in 1, 2, tract. de probabi litate opinionum, Tyrsus integro volumin de materia probabili, Fuentes in examin Theologico probabiliorismi, Lastra in ex planatione propositionum damnatarum in 1, cum sequentibus ex condemnatis a Innocentio XI, Palanco in tractatu de cons cientia, et plures alii in M. S. Nos ver illam illis, ut nunc nobis alienam relin quentes, extremis digitis attingemus, qu præcise necessaria sunt ad diluendam pro positam objectionem. Interim tamen insi nuare sufficiat neutri nos opinioni, vel i genere affirmanti, vel in genere negan subscribere : quia putamus licitum ali quando esse amplecti opinionem probabi lem relicta probabiliori ; et illicitum ali quando esse probabilem sequi, probabilio posthabita : idque regulandum fore juxt qualitatem materiæ, et circumstantiarun Quod accuratiorem alias declaratione exposcit, el aliquam lucem ab expositio distinctionis, qua objectioni occurrimu

181. Ad illam itaque regrediendo dic mus, quod ubi adest certitudo de morta commisso, et occurrit dubium de ejus co fessione, non sufficit quodlibet judiciu probabile de confessione facta, ut dubitan deponat illud dubium, et immunem se fa ciat, aut judicet probabiliter ab obligatio confitendi tale peccatum. Quam partem a minus docent Sotus in 4, distin. 18, quæs tione 2, art. 4, Victoria in Summa, n. 13 Navarrus cap. 9, num. 14, Nugnus i addit. quæst. 9, art. 2, dub. 4, Paludanu Ricardus, Salas, et Coninchus apud Lean drum disp. 6, quæst. 28. Et ratio desum tur satis perspicue ex prænotatis, et com muniter admissis : non enim agimus d dubio negativo, sive absque motivis; ne agi mus de dubio positivo innitente levibu fundamentis, quæ tanquam scrupuli reji ciuntur : sed loquimur de dubio positiv rationali, quod oritur ex gravibus, se oppositis motivis, quod contingere nequi quin eorum quodlibet per se, et divisi sumptum sit grave, prudentiale et proba bile ; sed quia concurrit in præsentia alt rius oppositi, habentis easdem conditione non determinat intellectum ad sui pros cutionem ; sed relinquit ancipitem, et du bium inter utramque partem, ut supr explicuimus. Unde supposita probabilita aliqua circa confessionem, adhuc man dubiu

LIBERTY COLLEGE LIBRARY

dubium circa obligationem confitendi, et non adest sufficiens probabilitas, ut excuset a confitendo. Præterquam quod, cum peccatum fuerit certum, et fundaverit certam confitendi obligationem; absurdum apparet, quod ab ea liberet quælibet probabilitas levis de confessione præmissa: sicut qui contraxit debitum pecuniarium certum, non absolvitur in foro externo per sola signa aliqua probabilia solutionis a se factæ; sed producere debet graviora fundamenta, ut liber a debito declaretur. Quam doctrinam urgenter confirmat condemnatio duarum propositionum inter reprobatas a SS. Innocentio XI. Quarum secunda in ordine erat: « Probabiliter « existimo judicem posse judicare juxta « opinionem etiam minus probabilem. » Tertia erat: « Generatim dum probabili- « tate sive intrinseca, sive extrinseca, « quantumvis tenui, modo a probabilitatis « finibus non exeatur, confisi aliquid agi- « mus, semper prudenter agimus. » Ex quibus efficax argumentum desumitur pro hac nostræ resolutionis parte: nam falsum est, quamlibet probabilitatem intrinsecam, aut extrinsecam quamvis levem, sufficere, ut prudenter agamus: ergo minus sufficiet, ut certus de læthali a se commisso, et dubius circa ejus confessionem, prudenter agat deponendo tale dubium, et se judicando liberum ab obligatione illud confitendi. Deinde judex nequit judicare juxta opinionem minus probabilem, sed tenetur judicare secundum probabiliorem: quare ubi debitum est certum, non potest declarare debitorem liberum ab obligatione solvendi, quamvis ille habeat pro se aliquam opinionem minus probabilem, si contra illum, et pro creditore adsint probabiliora motiva: ergo cum in casu proposito, qui certo peccavit mortaliter, sit eo ipso debitor illud confitendi, nequit ab hoc debito liberari per opinionem minus probabilem, quod illud confessus fuerit, si occurrat probabilius motivum in favorem præcepti: et cum ipse, qui peccavit sit in hac causa non solum reus, sed etiam judex, qui debet tale debitum in foro conscientiæ decidere; stulte, imprudenter, et subinde peccaminose ageret, si in vi cujuslibet probabilitatis de confessione a se facta, sententiam pro sua libertate ferret contra præceptum confessionis, quod in tali eventu habet creditoris rationem.

Confirmatio 1

Confirmatur primo [illegible]m in casu proposito ubi ex una parte excusante a confessione illius peccati, et ex alia parte obligante ad illud confitendum, occurrunt motiva æqualiter probabilia, perseverat dubium, et nequit illud homo deponere, et ab obligatione peccatum confitendi, illo perseverante excusari: nam licet probabile aliquod motivum suadeat peccatum jam fuisse confessum; occurrit tamen aliud oppositum æqualiter suadens, et prioris vires obruens, atque intellectum in æquilibrio, atque in eodem dubio relinquens: ergo idem a fortiori dicendum est, quando licet occurrat motivum probabiliter suadens hominem confessum fuisse peccatum, de cujus confessione dubitat; adest tamen aliud longe probabilius quod dictat oppositum. Patet consequentia: nam si motivum probabile excusans vincitur per aliud motivum oppositum accusans æqualiter probabile, ita ut perseveret dubium, et obligatio confitendi; multo magis superabitur per motivum longe probabilius. Unde consequens est non quamlibet de facta confessione probabilitatem sufficere, ut homo prædictum dubium deponat: et ab obligatione confitendi illud peccatum exolvatur.

Confirmatio 2.

Confirmatur secundo: nam SS. Innocentius XI in decreto sæpius allegato damnavit sequentem propositionem (primam in ordine): « Non est illicitum in sacramentis « conferendis sequi opinionem probabilem « de valore sacramenti, relicta tutiori nisi « id vetet lex, etc.» Ergo a contrario sensu debemus sequi tutiorem, relicta solum probabili: ergo, cum in casu proposito solum sit probabile, quod homo confessus fuerit peccatum; et tutum omnino sit positum in eo dubio illud confiteri; ad id tenebitur.

Evasio rejicitur.

Nec valet dicere in ea propositione sermonem fieri de conferentibus sacramenta, nempe de solis ministris, non autem de suscipientibus: nam hoc effugium præclusum est disp. præced. num. 52, ubi oppositum ostendimus. Fatemur tamen sincere, quod illa propositio magis respicit pertinentia immediate ad valorem sacramenti, ut sunt forma, et materia proxima; non autem peccatum certum, de cujus confessione dubitatur. Sed inde tamen sumitur a similitudine argumentum. Præsertim cum ille, qui dubitat de confessione peccati gravis, periculo se exponat irritandi sacra-

mentum, si peccatum grave, de cujus confessione dubitat omittat confiteri absque gravi fundamento dubium evacuante ; nam aliter se gerens peccat mortaliter, dum alia confitetur, illud subticendo.

182. Ex quibus satis constat prima adhibitæ distinctionis pars, nempe non quamlibet probabilitatem sufficere, ut homo non obligetur confiteri illud peccatum mortale certum, de cujus confessione aliquando facta dubitat. Secunda vero illius distinctionis pars, videlicet posse dari tantam ac talem probabilitatem, ut a confitendo illud peccatum excuset, (quam damus Suario, Dianæ, Lugoni, Granados, et Fagundez, quibus relatis subscribit Leander loco citat. et N. Antonio disp. 5, sect. 2, n. 265) suadetur illis probationibus, quibus consequens num. 180, deductum impugnatum fuit. Sed potest amplius explicari, atque suaderi : nam licet inter debitum certo contractum, et solutionem debeat dari proportio, et ideo debitum certum nequeat extingui per solutionem dubiam : nihilominus non requiritur adæquatio inter certitudinem debiti, et certitudinem solutionis. Nam quantum ad contractionem debiti solet dari certitudo non solum moralis, sed metaphysica, ut patet in eo, qui cum plena advertentia furatur, vel hominem occidit : et tamen pro satisfactione quantum ad confessionem validam talis peccati non exigitur certitudo tanta, sed sufficit moralis, et juxta prudentum æstimationem. Nemo namque juxta communem providentiam scit certitudine metaphysica se valide confessum fuisse ; cum dubitare possit tum de propria dispositione, tum de ordinatione, jurisdictione, et intentione ministri. Non itaque requiritur tanta certitudo, ut fiat satis debito confitendi peccatum mortale, in quod certo incidimus ; sed sufficit alia inferior, fundata in eo, quod fecerimus, quod in nobis est juxta communes Ecclesiæ regulas, et praxim fidelium : quamvis alias non repugnet latere occultum aliquem defectum, ob quem confessio sit nulla coram Deo. Et hæc est communis apprehensio, et sententia prudentum judicantium in foro tam interno, quam externo : quippe non exposcunt evidentias, aut demonstrationes metaphysicas, sed moralem certitudinem in his, quæ versant, quantam scilicet admittunt humanus cognoscendi modus et conditio negotiorum. Et hæc fundatur in mediis, sive argumentis, aut signis valde verosimilibus, probabilibus, et conformibus nostræ rationi : nam altiora, et evidentiora quærere pertinet ad metaphysicam certitudinem.

Ad rem igitur, ubi aliquis de præsens meminit se certo commisisse unum aliquod mortale, et recordari non valet, quod illud aliquando confessus fuerit, incidit quproinde in dubium contra obligationem illud confitendi : dicimus posse contingere quod habeat tam magnam probabilitatem de præmissa jam confessione, ut possmerito sibi persuadere se persolvisse illu debitum, et ad confessionem talis peccati non obligari. Ratio est ; quia in tali casu possent proponi motiva ita æqualia, ut dubium fundent : vel ita inæqualia, ut motivum pro excusando novam confessionem sit leve, et minime sufficiens, ut homdubium deponat ; pariter poterunt ita occurrere, quod motivum excusans a novconfessione sit gravissimum, et oppositumatque formidinem ex illo ortam plene oruat : ergo in tali causu potest homo dubium secure deponere, et deobligatum censere a confitendo tale peccatum. Verbgratia, recordatur quis cum omnimodcertitudine decem ab hinc annis se commisisse aliquod mortale, utputa pollutionem voluntariam : sed minime recordavalet, quod illud confessus fuerit, non enimeminit, quo anno, cum quo confessarioin quo loco, et qua occasione ; unde ancep labitur in dubium de obligatione illud iconfessione exponendi. Sed inter angustireflectit, et advertit se toto illo tempormultas confessiones peregisse absque ullconscientiæ remorsu de non confesso aliquo peccato : quin semel, aut bis confessum generaliter fuisse pro abundantiosatisfactione, ac securitate. Hinc argumentum sumit, ut sibi persuadeat de confessione facta satis peccati, et quidem efficacissimum in mundi æstimatione : nanincredibile apparet, quod illud peccatumtam certo cognitum non confessus fueriquia ea diligentia, et securitate conscientiæ toto eo tempore confessus fuit. Et srespondebunt, quotquot prudentes ipsconsulat. Idem itaque ipse sibi dubitanpersuadere secure potest, et dubium procul expellere : habet namque summa

probabilitate

probabilitatem, et certitudinem moralem de satisfactione, sive solutione obligationis, quam confitendi illud peccatum certum aliquando contraxit : nec amplius ab eo exigendum est tam in decursu vitæ, quam in articulo mortis. Et idem dicimus in aliis dubiis similibus, ubi similis certa ratio illa deponendi occurrat. Majus quid, et longe majus addit Tyrsus disp. 40, de pœnitentia, sect. 6, num. 56, affirmans certissimum esse eum, qui in ingressu Religionis fecit confessionem generalem, non habere obligationem confitendi peccatum in vita sæculari commissum, ex eo, quod modo non reminiscatur, an de illo se accusaverit tunc : nam potest, ac debet sibi prudenter persuadere illud sibi tunc occurrisse, quamvis ipse nunc non recordetur. Quam tamen regulam non penitus probamus : tum quia non audemus dicere id esse certissimum : tum quia non majorem certitudinem habuerimus ex confessione generali facta in ingressu religionis, quam si fiat a sæcularibus in aliis vitæ occasionibus, puta pro suscipiendo ordinem sacerdotii. Tum, quia licet in Religionis ingressu, potest fieri negligenter, et cum plurimis ignorantiis, quis religiosus dum decursu temporis deponit, in gravia dubia recidat circa exactam omnium peccatorum confessionem, ut experientia liquet. Ergo non possumus liberum ab illa obligatione censere omnem illum, qui in ingressu Religionis fecit confessionem generalem ; sed magis attendere oportet ad regulam, et distinctionem supra adhibitas. Poterit tamen Tyrsi resolutio deservire scrupulosis, et congruæ illorum directioni adaptari.

183. His utcumque superatis (quæ ex dicendis robur, et lucem accipient) major difficultas occurrit in dubio erga ipsum peccatum. Quod dubium observant communiter Doctores aliquando esse de facto, et aliquando de jure. Primum notant, cum quis scit se aliquod de se peccaminosum egisse, sed dubitat, an in eo peccaverit, vel ob habitam, vel non habitam advertentiam. Secundum dicunt, cum, quis scit se peccasse, sed dubitat, an mortaliter, aut venialiter. Sed quamvis hæc alias vera sint, et non inutilia ; pro conditione tamen præsentis materiæ parum referunt : nam utrolibet modo dubium contingat, eadem occurrit difficultas, nempe an sit de necessitate in confessione exponendum. Claritatis tamen gratia, et ne varios terminos inculcemus, aptius est difficultatem tractare in secundo sensu, an scilicet detur obligatio confitendi illa peccata, quæ scimus peccata fuisse, sed dubitamus, an fuisse gravia. Et sermo est de dubio, non negativo, irrationali, aut scrupuloso ; sed de dubio positivo orto ex gravi, et prudenti motivo timendi, quod fuerint mortalia, ut num. 173 observavimus. In hoc itaque sensu quæstionis titulo respondente,

§ II.

Communis sententia diversis motivis suadetur..

184. Dicendum est dubitantem, an peccatum mortale commiserit, debere illud ut dubium confiteri. vel suum dubium in confessione manifestare. Ita D. Thomas in 4, dist. 21, art. 3, ad 3, his verbis : « Di- « cendum, quod quando aliquis dubitat de « aliquo peccato, an sit mortale, tenetur « illud confiteri dubitatione manifestata : « quia qui aliquid commisit, vel omittit, in « quo dubitat esse mortale peccatum, pec- « cat mortaliter discrimini se committens. « Et similiter periculo se committit, qui de « hoc, quod dubitat esse mortale, negligit « confiteri. Non tamen tenetur asserere « illud esse mortale ; sed cum dubitatione « loqui, et judicium sacerdotis expectare, « cujus est discernere inter lepram, et « lepram. » Et idem statuunt alii Doctores, et Scriptores, ut propterea superfluum sit illos recensere : quotquot enim rem versarunt, sic palam sentiunt, exceptis paucis admodum Recentioribus, et non magni nominis, vel auctoritatis, quos dabimus nu. 195. Videatur Sanchez lib. 1 Sum. cap. 10, num. 66, referens quadraginta Doctores, et dicens rem esse certissimam, Diana, (qui cuncta probabilia sustinere solet) 4, part. tract. 3, resolut. et part. 6, tract. 6, resolut. 32, plures alios referens, et oppositam sententiam censens improbabilem. Leander etiam in eligendis sententiis minime scrupulosus disp. 5, quæst. 25, multos pro hac assertione affert dicens esse certissimam. Dicastillo disp. 9, dub. 7, num. 278, observat hunc videri sensum

D.Thom.

Sanch.

Diana.

Leand.

Dicast.

communem Ecclesiæ ; et sine ullo fundamento oppositum affirmari. Prado quæst. 84, dub. 4, § 3, num. 17, dicit hunc esse usum totius Ecclesiæ : quod prius dixerat Diana tom. 10, tract. 2, resolut. 2. Denique ex nostris idem docent Philippus a Trinitate, Gabriel a S. Vincentio, Urbanus, Stephanus a S. Paulo, et Franciscus Bonæ Spei, quibus relatis subscribit N. Franciscus cap. 8, part. 3, num. 35, ubi docet id esse constanter asserendum.

Prado. Philipp Gabriel. Urban. Stephan. N. Fran.

Ratio. Ex quibus sumitur primum, et satis urgens pro nostra assertione fundamentum : nam omnes facile intelligimus, et supponimus Deum potuisse sua lege comprehendere peccata dubia, ut essent materia in confessione necessario explicanda. potuisse etiam ab ea lege, et obligatione excludere dubia determinando sola mortalia certa fore necessario explicanda ; et si unum horum nobis evidenter constaret, quæstio præsens de medio tolleretur, et legi certo cognitæ standum esset ; sed ubi de sensu legis, et de ejus extensione ad hæc peccata dubia, difficultas aliqua occurrit, nullum aptius medium excogitare, aut consulere possumus, quam Ecclesiæ praxim, et usum : quippe optimus legum interpres est consuetudo, sive modus, quo ab omnibus intellectæ, atque exercitæ sunt, et praxim habuerunt in Ecclesia Catholica. Ex quo principio frequenter arma satis valida depromuntur ad propugnandum contra hæreticos ritus, cæremonias, et alia ejusmodi. Constat autem, Adversariis non negantibus, universalem esse fidelium sensum, et praxim, cujus initium ignoratur, peccata dubia eo modo, quo habentur in conscientia, exponere in confessione, ut liquet ex communi testimonio Doctorum : et eadem certitudine constat solum paucis ab hinc annis ab uno, sive altero Recentiore, et non multæ auctoritatis rem adeo certam fuisse in controversiam vocatam, reclamante communitate Theologorum, Juristarum, et Summistarum. Ergo ubi hæc talis qualis difficultas circa intelligentiam legis obligantis ad confessionem occurrit, censere omnino debemus se extendere ad peccata dubia juxta communem usum, et praxim Ecclesiæ.

Evasio. 185. Nec momenti est quod respondet Caramuel frequenter contingere, quod in sententiis communibus reperiantur errores, et hallucinationes : nam quod multi dicunt, pauci, ut par erat, ad examinis incudem vocant : unde non semel decipimur subscribendo inconsiderate hominum doctrinis. Quare ex præmisso motivo nihil evincitur. Esto tamen, addit, quod communi sententiæ relinquatur sua auctoritas; tanta nihilominus deferri non debet, ut oppositam sententiam obruat, quamvis paucorum sit, aut singularis. Id, inquam, minime satisfacit : nam in primis hæc responsio non illam reverentiam observat, quam debemus communi, et antiquæ doctrinæ, juxta illud Jerem. 16 : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea.* Aliunde vero robur præmissi motivi non innititur solitarie communi Doctorum placito (quod alias solet sufficientes vires habere) sed multo magis stat in communi fidelium praxi, de qua certo constat per testimonia Doctorum veterum, et modernorum, illam ut indubitatam asserentium, et supponentium. Qui arguendi locus efficacissimus est, eoque frequenter utuntur catholici contra hæreticos pro tuendis Ecclesiasticis traditionibus. Unde in hac eadem materia, quam versamus, insignis Martyr Roffensis, art. 8, contra Lutherum dixit : « Opinor neminem « usque adeo cœcum, et insanum esse, ut « ob unius Lutheri sententiam, velit tanto « discrimini se ipsum exponere, quatenus « ea peccata, quæ vel norit, vel dubitat « esse lethalia, sacerdoti non aperiat. » Quod addit vero Caramuel, solum evincit non implicare, quod aliqua opinio singularis, et contra communem sententiam in aliquo puncto morali obscuro sit probabilis. Quod concedimus cum Bannez 2, 2, quæst. 62, art. 5, dub. 4, ad 1, Tapia tom. 1, lib. 1, qu. 8, art. 11, et alii : quippe non repugnat, quod viro docto occurrat urgentior ratio ad opinandum contra communem. Sed raro id continget, ubi sententia est non solum communis, sed firmata usu Ecclesiæ, et praxi fidelium, ut in materia præsenti contingit. Hæc namque communis consuetudo melius explicat legem obligantem ad confessionem peccatorum, quam cujuslibet particularis Auctoris subtilis, aut nervosa argumentatio. Nec illæ, quas ponderant pauci Moderni tanti ponderis sunt, ut non facile

facile dissipentur, sicut a num. citato constabit.

Confirmatur explicando amplius vim propositi fundamenti : quia modo non disputamus, utrum occurrente dubio circa qualitatem peccati, an scilicet fuerit mortale, vel tantum veniale, possit etiam occurrere motivum tam rationabile, et probabile, ut homo queat sibi prudenter persuadere illud non fuisse mortale, et dubium a se propellere : id enim aperte concedimus fieri posse, in sensu tamen, et cum limitationibus a num. 181 propositis. Sed cardo difficultatis stat in eo, an perseverante dubio circa gravitatem peccati, ita quod tale dubium, nec probabiliter antecedenter ad aliam consultationem excludatur ; possit quis prudenter agendo (sicut ad vitandum novum peccatum requiritur) excusari ab obligatione illud confitendi, sive quærendi remedium per confessionem. Affirmant pauci Moderni : negant communiter omnes antiquiores, et recentiores. Sentimus itaque factis his suppositionibus hominem obligari in conscientia ad parendum his, et non posse tuto illorum consilium sequi. Res autem exemplo declarari valet : demus enim Petrum corporaliter infirmari aliquo morbo, de quo dubitat, an sit mortalis, et pro quo cavendo opus sit remedium arduum admittere. Advocat, et consulit in hac perplexitate medicos. Stant ab una parte omnes antiqui, et moderni sapientissimi, atque exercitati cum suo Principe, vel ab inferis suscitato Hippocrate, ut Galeno : et omnes hi conveniunt in eo, quod res est dubia, et periculosa, et exigens illud remedium. Sed ab alia parte prodeunt duo, aut tres medici, vel chimici inferioris longe auctoritatis, et sapientiæ, qui paucis ab hinc diebus erant ignoti : et hi affirmant morbum quidem esse dubium, et non indigere illa medicina, sed provideri debere. Quid aget dubius ? Nemo nesabit prudenter agere, et in re tanti momenti debere agere, quod consulit communis, et concors medicorum sapientissimorum veterum, et modernorum sententia. E converso imprudentissime acturum, et subinde peccaturum, si illa postposita sequatur illos paucos medicos recentes, ac minus doctos, et remedium certum omittat cum periculo vitæ temporalis. Si ergo hæc in corporalis morbi dubio ita contingunt, cur non in spirituali ? Dubium est, et manet, an ille sit mortalis, vel levis : et consulitur de remedio. Ab una parte occurrunt communiter omnes Theologi, et Summistæ, et cum suo Principe D. Thoma, viri in hac facultate eminentes S. Antoninus, Sylvester, Suarez, Navarrus, Sanch. etc. Et hi omnes una voce affirmant remedium aliud in ea infirmitate non esse, quam confiteri mortale dubium, ut dubium, sed emergunt ab alia parte pauci admodum recentiores, et inferioris subsellii, Caramuel, Præpositus, Martinonus, et dicunt morbum non esse periculosum, nec exoscere arduum confessionis remedium : sed posse curari arbitrio infirmi sibi persuadentis nihil mortale in se sic dubitante latere, vel si lateat, posse usque ad confessionem in morte faciendam differri. Quis inter agmina tam diversa positus deseret veteranos, probatos, et strenuos, qui remedium securum consulunt, ut manus det tyronibus promittentibus incerta ? Nemo prudens id probabit, præsertim cum non pauca alia Caramuelis hujus classis antesignani Ecclesia reprobet in propositionibus per Alexandr. VII, et Innoc. XI, proscriptis, ut patet in propos. 24 et 25, ex damnatis ab Alexand. et in 48, et 49, ex damnatis ab Innocent. ut alias interim omittamus. Facta ergo præmissa comparatione, et recte comprehensa inæqualitate extremorum nemo potest prudenter dubium præsuppositum deponere, et se judicare liberum ab obligatione illud confitendi : atque ideo ab auctoritate communis sententiæ recte colligitur peccata mortalia dubia debere in confessione explicari, nihil ad oppositum referente illorum recentiorum judicium.

186. Secundum ejusdem veritatis fundamentum stat in doctrina Conc. Tridentini, et quod licet nostram assertionem non definierit, illi nihilominus tam aperte favet, ut ex eo efficaciter colligatur. Quod ut evidentius demonstretur, transcribendum est totum fere c. 5, ex sess. 14, sic enim integer sensus constabit, et sub oculis simul habebimus Concilii propositiones, ex quibus consequentiæ pro una, aut altera parte legitime, aut illegitime, ut prudens lector censeat, colligantur. « Constat enim sacer- Concil. « dotes judicium hoc incognita causa exer- Trid. « cere non potuisse, neque æquitatem qui- « dem illos in pœnis injungendis servare

Fundamentum ex Concil. Trid.

« potuisse, si in genere dumtaxat, et non « in specie ac sigillatim sua ipsi peccata « declarassent. Ex his colligitur oportere « a pœnitentibus omnia peccata mortalia, « quorum post diligentem sui discussionem « conscientiam habent, in confessione re- « censeri, etiam si occultissima illa sint, « et tantum adversus duo ultima Decalogi « præcepta commissa, quæ nonnunquam « animum gravius sauciant, et periculo- « siora sunt his, quæ in manifesto admit- « tuntur. Nam venialia, quibus a gratia « Dei non excludimur, et in quæ frequen- « tius labimur, quamquam recte, et utili- « ter, citraque omnem præsumptionem in « confessione dicantur, quod piorum homi- « num usus demonstrat, taceri tamen citra « culpam, multisque aliis remediis expiari « possunt. Verum cum universa peccata « mortalia, etiam cogitationis homines iræ « filios, et Dei inimicos reddant, necessum « est omnium etiam veniam cum aperta, « et verecunda confessione a Deo quærere. « Itaque dum omnia, quæ memoriæ occur- « runt peccata, Christi fideles confiteri stu- « dent, procul dubio omnia divinæ miseri- « cordiæ ignoscenda exponunt : qui vero « secus faciunt, et scienter aliqua retinent, « nihil divinæ bonitati per sacerdotem « remittendum proponunt. Si enim eru- « bescat ægrotus vulnus medico detegere, « quod ignorat medicus non curat. Colligi- « tur præterea etiam eas circumstantias in « confessione explicandas esse, quæ speciem « peccati mutant, quod sine illis peccata « ipsa neque a pœnitentibus integre expo- « nantur, neque judicibus innotescant : « et fieri nequeat, ut de gravitate crimi- « num recte censere possint, et pœnam, « quam oportet, pro illis pœnitentibus im- « ponere. Unde alienum a ratione est docere « circumstantias has ab hominibus otiosis « excogitatas fuisse, aut unam tantum « circumstantiam confitendam esse, nempe « peccasse in fratrem. Sed et impium « est confessionem, quæ hac ratione fieri « præcipitur, impossibilem dicere, aut « carnificinam illam conscientiarum ap- « pellare. Constat enim nihil aliud in « Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut « postquam diligentius se excusserit, et « conscientiæ suæ sinus omnes, et late- « bras exploraverit, ea peccata confitea- « tur, quibus se Dominum, et Deum suum « mortaliter offendisse meminerit: reliqu « autem peccata, quæ diligenter cogitan « non occurrunt, in universum eadem cor « fessione inclusa esse intelliguntur : pr « quibus fideliter cum Propheta dicemu « Ab occultis meis munda me Domine, etc.

187. Hæc omnia Concilium, in quibu plura occurrunt pro communi assertione nam in primis ex toto contextu liqu « sola peccata venialia excipi ab oblig « tione confessionis, » atque ideo inclu in ea obligatione omnia alia peccata, qu venialia non sunt. Ut enim in proverbi est apud Juristas, exclusio unius est inclus alterius ; sed peccatum mortale dubiu non est veniale : ergo inclusum manet generali obligatione confessionis, qua ibi statuit Concilium. Nec momenti erit, dicatur Concilium non exclusisse circum tantias notabiliter aggravantes intra sp ciem : et tamen non est obligatio ill confitendi, ut dub. 4 statuimus ; ergo fa sum est Concilium sola venialia ab oblig tione confessionis exclusisse : et falsu etiam est, quod a non exclusione mort lium dubiorum recolligatur eorum incl sio. Nam contra hoc est, tum circumsta tias non esse, nec dici peccatum. Tu etiam, quia Concilium expresse dixit circumstantiis illas confiteri debere, qu speciem peccati mutant ; per quod n obscure exclusit illas, quæ non muta speciem. At Concilium dixit confiten esse peccata, excludendo præcise veniali atque ideo comprehendit in ea obligati nem omne peccatum, de quo non const esse tantum veniale. Comprehendit igit peccatum mortale dubium.

Præterea Concilium docet hominem d bere « confiteri omnia peccata mortali « quorum post diligentem sui discussione « conscientiam habent : » sed homo p diligentem sui discussionem solet habe conscientiam aliquorum mortalium, ut cu post longum examen incidit in dubiu circa aliqua mortalia, et minime pot certificari, quod mortalia non fuerint: er ex Concilii sententia debet illa confite Nec valet dicere conscientiam non es peccatorum dubiorum : quia conscien est scientia cordis juxta D. Bernardum opusc. de conscientia, cap. 8 ; ubi aut adest dubium, non datur scientia, ac proin nec conscientia. Id inquam nihil va

ad obnubilandum Concilii mentem, et verba : quia conscientia in usu Patrum, et Theologorum non importat determinate scientiam proprie dictam, quæ est notitia clara, et certa rei per causam ; sed longius se extendens ambit quamlibet cordis cogitationem, et in eo sensu loquitur D. Bernardus. Unde solemne est apud Theologos tam speculativos, quam practicos conscientiam dividi in certam, probabilem, dubiam, erroneam, etc. atque omnia hæc participare unum, et communem conceptum conscientiæ : ergo conscientia dubia est vere conscientia : et consequenter verificatur in peccatis dubiis, quod ait Concilium : « Quo« rum post diligentem sui discussionem « conscientiam habent : » atque ideo sine fundamento extraherentur ab obligatione, quam Concilium declarat illa in confessione explicandi. Eo vel maxime, quod Concilium apertissime manifestat, quid intellexerit per ly, « Quorum conscientiam « habent, » dum hæc contraposuit solis, et omnibus peccatis incognitis, oblitis, et cogitationi non occurrentibus, ut liquet ex ultimis verbis : « Reliqua autem peccata, « quæ diligenter cogitanti non occurrunt, « etc. » quæ minime adaptari queunt peccatis mortalibus dubiis : hæc enim vere cogitanti occurrunt, et inde habent causare remorsum conscientiæ, ut ipsa experientia liquet. Ergo vere continentur sub illis, de quibus Concilium dicit haberi conscientiam, et debere recenseri in confessione. Et quod de conscientia dictum est, applicari (ut tacitum effugium præcludatur) debet etiam memoriæ : nam peccata dubia memoriæ, sicut et cogitationi, et conscientiæ occurrunt, non quidem certe, et scientifice, sed sub dubio de gravitate.

188. Ulterius, cum Concilium docet peccata venialia non esse necessario confitenda, debere autem confiteri omnia mortalia, eam hujus differentiæ ratione assignat, quod « cum universa peccata mortalia « homines iræ filios, et Dei inimicos red« dant, necessum est omnium etiam veniam « cum aperta, et verecunda confessione a « Deo quærere. » Et statim declarat hanc veniam vere quæri : quando fideles omnia hujusmodi in confessione exponunt, nulla scienter retinendo. Quæ doctrina, et discursus locum etiam habent in quolibet peccato mortali dubio : nam contingens est, quod vere et verum sit coram Deo ; unde qui dubitans non curat illud confiteri, periculo se exponit manendi in statu, in quo sit iræ filius, et Dei inimicus ; nec aliter veniam invenire, aut quærere potest, quam per veram, et verecundam sui dubii confessionem ; minime vero, ubi illud scienter retinet. Et parvipendi omnino debet objectio Caramuelis, qui ut hujus testimonii vires elideret, opposuit Concilium loqui de aperta confessione ; quod minime verificari valet de confessione dubia. Id enim efficaciter refellitur : quia non solum aperta, sed magis aperta est confessio in qua non solum manifestantur peccata mortalia certa, sed illa etiam, de quibus est dubium : sicut aperta, et magis aperta est confessio, in qua pœnitens recenset non solum peccata externa aliis manifesta, sed etiam interna soli sibi nota. Ergo ab hac parte labefactari non valet motivum ex Concilio desumptum. Quin potius arguendum est, quod sicut Concilium probat necessitatem confitendi peccata occulta, quia hæc aliquando gravius animam sauciant, quam externa ; cum confusio ab his orta magis excitat ad emendationem : ita etiam probatur necessitas confitendi peccata dubia, quia periculosissima sint ; cum ex una parte, si vere mortalia sint coram Deo constituant hominem iræ filium, et Dei inimicum ; et ex alia parte, cum dubia apud hominem sint, non ita excitant, sicut certa, ad sui detestationem, et odium, et ad quærendam veram medicinam per Confessionem sacramentalem.

Ad hæc : Concilium probat necessitatem confitendi omnia mortalia sacerdoti, quia ex opposito sacerdos, qui in hoc Sacramento gerit munera, et medici, et judicis, non posset illa convenienter obire, applicando congruam medicinam ad præcavendum futura peccata, et justam satisfactionem pro diluendis præteritis. Quod patet ex illis verbis : « Qui scienter aliqua reti« nent, nihil divinæ bonitati per sacerdo« tem remittendum proponunt. Si enim « erubescat ægrotus vulnus medico dete« gere, quod ignorat, medicina non curat. » et illis : « Et constat sacerdotes judicium « hoc, incognita causa exercere non po« tuisse ; neque æquitatem quidem illos « in pœnis injungendis servare potuisse, « si in genere dumtaxat, et non potius in

« specie, ac sigillatim sua ipsi peccata de-« clarassent. » Quæ motiva etiam militant in peccato mortali dubio: nam licet dubium sit de gravitate, adest certitudo de eo, quod peccatum sit, et non semel de eo, quod periculum afferat inducendi in mortale certum. Ergo opus est illud exponere confessario, ut possit convenientem medicinam adhibere, et opportunam pro culpa satisfactionem imponere. Quæ omnia a se expellit pœnitens, cum scienter retinet, et subticet mortalia dubia. Et minime audiri debet Caramuel, qui hoc ipsum telum, velut in nos retorquens vim facit in illis verbis Concilii: « Sacerdotes judicium hoc, « incognita causa, exercere non potuisse. » Et in illis: « Neque æquitatem in pœnis « injungendis servare potuisse. » Quæ minime, inquit ille, in confessione mortalium dubiorum locum habent: quia confessio, et causa dubia non est causa cognita: et æquitas non permittit, quod pro incerto peccato detur pœnitentia certa. In his, inquam, audiendus non est, quia verba sunt solido destituta fundamento: nam ubi quis confitetur mortale dubium, causa cognita est, non quidem ut certa, sed ut dubia, sicut etiam sæpe contingit in foro externo: et utilissimum est causam sub dubio proponere, et judicium, inquit D. Thom. num. 184 relatus: « Judicium sacer-« dotis expectare, cujus est discernere inter « lepram, et lepram. » Aliunde vero æquitas (qua voce, non autem rigorosæ justitiæ, non mathematicæ æqualitatis utitur Concilium) servari potest in injungendo aliquam pœnam pro peccato, quod certo constat peccatum esse, licet dubium de gravitate.

Idque magis perspicuum fit descendendo ad exemplum aliquod in praxi: demus Petrum ex frequenti conversatione cum muliere reportare frequens dubium de peccato mortali, quia scit se in ea conversatione minus caute se gessisse in loquendo, in inspiciendo, etc. atque ideo se peccasse aliquando contra castitatem: sed motivis inde hinc propensis minime certificare se potest, quod peccaverit venialiter tantum, cum materia fuerit adeo lubrica; nec etiam, quod peccaverit mortaliter, quia scit se non habuisse consensum expressum in ullam delectationem morosam; an vero habuerit implicitum ex vi modi se gerendi, minime potest determinare. In hoc casu posse juxta Caramuelis sententiam illud dubium ad Tribunal confessionis non deferre, et se conservare sub illo dubio. In quo ipso gerendi modo, præterquam quod se exponeret periculo manendi in peccato mortali, quod forte admisit, ille se constituit judicem in propria causa, et pariter medicum in eo salutis discrimine, quorum judicia, ubi in se exercentur, suspecta communiter sunt. At ubi ad confessarium accedit, et ulcus detegit, ibi remedium, ibi pœnam suæ culpæ secure reperit. Nam confessarius cognita causa judicabit rem esse quidem dubiam, sed tamen graviter periculosam, et dignam remedio. Monebit itaque, ut medicus, ut eam conversationem non repetat: obligabit etiam ut judex ad aliquam pœnitentiam ex æquitate arbitrariam, et præsertim medicinalem ad vitandum periculum incidendi in similia dubia, ut quod per spatium talis temporis eam mulierem non alloquatur: denique adhibito aliquo alio peccato certo pœnitentem absolvet. Ecce dari in hoc procedendi modo omnes fines, et congruentias, pro quibus docet Concilium Trident. hominem obligari ad confitendum omnia mortalia: atque ideo merito censeri, quod etiam dubia fuerint ab illo comprehensa.

189. Tertium fundamentum nostræ assertionis desumptum ex D. Thom. loco citato potest ita expendi: omnis homo conscius peccati mortalis dubii tenetur proponere illud confessori: ergo datur obligatio confitendi peccata mortalia dubia. Consequentia patet; quia nemo tenetur ad proponendum facere id, de quo faciendo non est obligatio: qua ratione, quia non est obligatio confitendi peccata venialia, non tenemur proponere illorum confessionem: ergo si tenemur proponere confessionem mortalium dubiorum, sub obligatione cadit illorum confessio. Antecedens autem suadetur: nam conscius peccati mortalis dubii tenetur de illo conteri in articulo mortis: aliter enim se gerens manifesto se periculo exponit damnationis æternæ: quippe contingens est illud peccatum, de cujus gravitate dubitat, esse certe mortale coram Deo, quod si non confessione, saltem contritione delendum sit. Omnis autem vera contritio de peccatis in lege gratiæ includit ordinem ad claves, sive votum omnia mortalia illis subjiciendi: ergo homo conscius peccati mortalis

mortalis dubii tenetur proponere illud confiteri.

Respondent adversarii negando antecedens. Et occurrentes ejus probationi dividuntur : nam quidam recognoscunt, quod homo dubitans de gravitate peccati a se commissi tenetur de illo conteri saltem in articulo mortis. Et hi concessa majori negant minorem : quia licet per se loquendo, et quando de peccato constat, teneatur homo illud confiteri, atque ideo proponere ejus confessionem, sive conteri cum voto confessionis : nihilominus per accidens, et ubi de peccato non constat, potest oppositum contingere, nempe dari contritionem absque illo proposito, aut voto. Rationem autem disparitatis assignant, quod extra Sacramentum nemo justificatur a peccato sine contritione : sed, ut justificetur, non eget confessione in re, atque ideo nec proposito illam aliquando faciendi : præsertim cum non obligemur ad confitendum, nisi certo, et clare constet de peccato. Alii autem, et præsertim Caramuel negant majorem : quia sentiunt hominem non obligari ad conterendum de peccato dubio; eo quod possit per alia media, et independenter a contritione justificari, etiam in articulo mortis. Primo, si confiteatur alia peccata, de quibus est certus : tunc enim ad directam horum remissionem remittitur indirecte illud, de quo est dubium; licet in confessione non exponatur. Secundo, si recipiat alia Sacramenta, v. g. Eucharistiam, aut Extremam unctionem : nam conferunt saltem per accidens primam gratiam, quæ est impossibilis cum omni, et quolibet peccato mortali, atque ideo expellit etiam illud, de quo est dubium. Unde pro hujus remissione non requiritur ejus confessio, nec contritio.

190. Sed hæc responsio, sive huic sive alteri dicendi modo innitatur, minime satisfacit. Et pro ejus eversione præ oculis haberi debet doctrina Concilii Trident. sess. 14, cap. 4, nam in primis ait : « Fuit autem « quovis tempore ad impetrandum veniam « peccatorum hic contritionis motus ne- « cessarius : et in homine post baptismum « lapso ita demum præparat ad remissionem « peccatorum, si cum fiducia divinæ mise- « ricordiæ, et cum voto præstandi reliqua, « quæ ad rite suscipiendum hoc Sacramen- « tum (videlicet pœnitentiæ) requiruntur. » Inter quæ certum est censeri confessionem, partem ejus essentialem. Deinde subjungit : « Docet præterea etsi contritionem « hanc aliquando charitate perfectam esse « contingat, hominemque Deo reconciliare, « priusquam hoc Sacramentum actu susci- « piatur, ipsam nihilominus reconciliatio- « nem, ipsi contritioni sine Sacramenti « voto (quod in ea includitur) non esse « adscribendam. » Ex quibus reintegratur propositum fundamentum, evertendo simul utrumque dicendi modum : quia nullum peccatum mortale post baptismum commissum remittitur, nisi per sacramentum pœnitentiæ in re, vel sine contritione, aut dolore includente votum, sive propositum confitendi tale peccatum : ergo ex suppositione, quod peccatum, de cujus gravitate homo dubitat, sit mortale post baptismum commissum, nequit remitti, absque sui confessione, aut saltem sine voto, aut proposito illud confitendi. Ex quo evidenter infertur hominem in tale peccatum lapsum obligari ad propositum illud confitendi, et subinde ad illud confitendum, cum commode possit. Unde liquet primum dicendi modum, et discursum, quo procedit, continere errorem contra apertam Concilii doctrinam : nam asserit peccatum illud deleri per contritionem, quæ non includat votum, aut propositum tale peccatum confitendi, et tamen Concilium docet contritionem præparare ad remissionem peccati, si conjungatur cum voto præstandi, quæ requiruntur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ, inter quæ nemo dubitat contineri confessionem : et similiter docet reconciliationem peccatoris non esse de facto adscribendam contritioni, sine voto hujus Sacramenti. Quare inter illum dicendi modum, et assertiones Concilii datur clara contradictio.

Nec ab illa it immunis secundus ex Caramuele asserens non requiri contritionem pro peccato dubio, quod reipsa, ut sæpe contingit, est coram Deo mortale; quin evidentius opponitur Concilio dicenti : « Fuit autem quovis tempore ad impetran- « dum veniam peccatorum hic contritionis « motus neccessarius. » Et ita plane est, quod nullum peccatum mortale remissum fuit, remittitur, aut remittetur absque pœnitentia formali, aut virtuali, qualis includitur in amore charitatis Dei super

omnia, ut tenet communis, et certa sententia, quam statuimus in priori parte disp. 4, dub. 2, et disp. 5, dub. 6. Nullus autem dolor, nulla contritio, etiam charitate perfecta, ut loquitur Trident. loco relato, infert de facto reconciliationem peccatoris, sive remissionem alicujus peccati mortalis absque voto, aut proposito illud confitendi, ut proxime ostendimus ex eodem Concil. Media vero, quæ ad oppositum assignat Caramuel, oppositum evincunt. Primum quidem, quia licet ubi homo confitetur peccata certa, remittantur directe ista, et indirecte peccatum dubium; id tamen non contingit absque dolore universali, et sub motivo universali comprehendente omnia mortalia certa, dubia, et occulta : nullum quippe remittitur absque sui detestatione, et dolore formali, aut virtuali, explicito, aut implicito, ut constat ex dictis disp. præced. dub. 2, § 2. Et rursus, cum peccatum indirecte tantum remittitur, sicut et claviibus indirecte subjicitur; manet obligatio, et subinde votum illud subjiciendi directe per expressam ipsius confessionem, ut patet in peccatis occultis, ubi veniunt in memoriam. Secundum medium non amplius probat : nam concedimus contingere posse, quod peccata dubia, et occulta remittantur per alia sacramenta, v. g. per Eucharistiam; sed non fit absque omnium peccatorum dolore, qui illorum susceptioni adjungatur : ut cum aliquis existens re ipsa in peccato, non est conscius, attritus, et cum bona fide ad Eucharistiam accedit : non enim aliter verificatur, et a nobis juxta communem D. Thomæ sententiam admittitur sacramenta vivorum conferre aliquando, et per accidens primam gratiam, nisi præmissis his conditionibus, ut late explicuimus tract. 22, de sacram. in genere disp. 4, dub. 7, § 2. Non itaque in præsenti statu contingit remitti aliquod peccatum mortale absque sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto; et istud includitur in omni contritione, vel attritione, quæ vel per se, vel cum sacramentis vivorum concurrat directe, vel indirecte ad remissionem cujuscumque mortalis peccati.

Confirm. I. 191. Confirmatur primo, quia sacramentum Pœnitentiæ tam necessarium est ad remittendum peccata mortalia post sacramentum Baptismi commissa, quam istud est necessarium ad remissionem eorum, quæ ante ipsum commissa sunt; sed peccata dubia ante baptismum commissa non remittuntur absque sacramento Baptismi in re, vel in voto : ergo peccata mortalia dubia post baptimum commissa non remittuntur absque sacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto. Consequentia legitime infertur ex præmissis, et insuper suadetur ab opposito illarum : quia, si sacramentum Pœnitentiæ in re, vel in voto non esset necessarium ad remissionem peccatorum mortalium dubiorum commissorum post baptismum; sequeretur non esse sacramentum Pœnitentiæ tam necessarium ad remittendum peccata post baptismum commissa, sicut sacramentum Baptismi est necessarium ad remissionem mortalium, quæ committuntur ante ipsum: et sic destruitur major, quæ supponitur concessa. Ipsa vero est expressa Concilii Trident. sess. 14, c. 2, ubi facta comparatione inter Baptismum, et sacramentum Pœnitentiæ quantum ad materiam remotam peccatorum, in quæ ordinantur concludit : « Est hoc sacramentum Pœnitentiæ « lapsis post baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse « baptismus. » Minor est non minus certa: quia fieri nequit, ut peccata mortalia dubia (ex suppositione, quod coram Deo fuerint vera peccata) remittantur, nisi quando, et alia peccata mortalia ante baptismum commissa remittuntur; sed juxta præsentem providentiam nulla peccata mortalia ante baptismum commissa remittuntur, nisi vel per ipsum baptismum in re susceptum, vel per votum, aut propositum illud recipiendi inclusum in amore supernaturali charitatis, vel in contritione ex eo procedente : ergo peccata mortalia dubia ante baptismum commissa non remittuntur sine sacramento baptismi in re, vel in voto. Unde apparet quam falsa, et parum fundata sit eorum responsio, qui devorare audent, quod peccata dubia remittantur independenter a sacramento Pœnitentiæ tam in re, quam in voto : idque minime affirmare audent de mortalibus dubiis ante baptismum commissis respective ad ipsum baptismum. Et tamen, velint, nolint, ad illud primum devorandum compellendi sunt, si consequenter loquantur. Nam, si peccatum mortale dubium non est materia necessaria confessionis, ut docent; poterit homo

omo habere voluntatem absolutam, et fficacem illud non confitendi, etiam si sit n articulo mortis, et magis tunc ; cum unc desperet habiturum se certiorem de ali peccato notitiam, ut illi consequenter ffirmant. Et tamen stante ea voluntate, et n sensu composito illius potest habere erfectam contritionem, per quam prædic- um peccatum deleatur. Remittetur ergo ine sacramento pœnitentiæ in re, ut sup- onitur : et etiam sine isto sacramento in oto, quippe contritio de peccatis conjuncta um proposito expresso, et efficaci illud unquam confitendi nequit esse votum xplicitum vel implicitum confitendi tale eccatum.

Confirmatur secundo : nam, si aliquis oram solo Christo Domino se accusaret, et onfiteretur de peccatis (quod esse com- endabile, et a Patribus commendatum iximus supra n. 15), omnia peccata mor- alia non solum certa, sed etiam dubia con- teretur, ac confiteri deberet : ergo etiam lla confiteri deberet coram sacerdote in onfessione sacramentali. Antecedens est ertum : quia modus ille confitendi coram hristo Domino peccata consistit principa- iter in omnium detestatione, et perfecta ontritione : hi autem effectus extenduntur d omnia peccata mortalia tam certa,quam ubia, quibus Deum offendimus, et quæ psi nota sunt : et nisi ad omnia hic confi- endi modus extendatur, nequit fieri orum, vel aliquorum remissio. Unde talis onfitendi modus ante legem Evangelicam mni tempore fuit necessarius, nimirum, er contritionem extensam ad omne pec- atum. Et ideo David Ps. 24, dicebat : *Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas e memineris*. Et Ps. 18, quod allegat Tri- entinum sess. 14, c. 5. « Ab occultis meis munda me Domine. » Et in lege naturæ ob offerebat sacrificia pro filiis, ut legitur n ejus lib. cap. 1, et notat ibi D. Thom. ect. 1. « Dicebat in corde suo Job, non quidem de peccatis filiorum certus, sed subdubitans. Ne forte peccaverint filii mei. » Quare nemo prudens non argue- et temeritatis illum hominem, qui con- cius peccati, quod nulla ratione scit fuisse olum veniale, sed post diligentem discus- ionem subdubitat prudenter fuisse mor- ale ; non illud confiteretur coram Deo de llo se accusando, per universalem, et per- fectam contritionem. Consequentia vero probatur : quia Christus in lege gratiæ constituit sacerdotes sui vicarios in ordine ad confessionem, et remissionem peccato- rum, ut docet Concilium Tridentin. sess. 14, cap. 5, illis verbis : « Dominus noster « Jesus Christus e terris ascensurus ad « Cœlos sacerdotes sui vicarios reliquit « tamquam præsides, et judices, ad quos « omnia mortalia crimina deferantur, in « quæ Christi fideles ceciderint, quo pro « potestate clavium remissionis, aut reten- « tionis peccatorum sententiam pronun- « tient. » Ergo sicut debet homo confiteri omnia mortalia dubia, si illa immediate in Tribunali Christi confiteatur ; ita illa confi- teri debet apud sacerdotes ejus vicarios in Tribunali Confessionis sacramentalis. Et expendat lector illa Concilii verba : « Sa- « cerdotes sui Vicarios reliquit... ad quos « omnia mortalia crimina deferantur, in « quæ Christi fideles ceciderint ; » et facile colliget deferenda etiam esse mortalia dubia : quia Concilium assignat omnia mortalia, in quæ fideles ceciderint : non dixit solum certa, non dixit omnino ex- plorata, sed omnia crimina dixit, sub qui- bus certum est contineri dubia, in quæ fideles non infrequenter labuntur. Concil. Trid.

192. Quartum fundamentum est, quod in dubiis tutior pars necessario sit eligenda, ubi possessio non stat pro dubitante : sed in casu proposito tutior pars est confiteri peccatum de cujus gravitate dubitamus, et possessio non confitendi non stat pro dubi- tante : ergo in tali dubio constitutus debet necessario confiteri tale peccatum. Cetera constant. Et minor, in qua poterat esse difficultas, est manifesta quantum ad pri- mam ejus partem : nam in eo, quod quis in confessione manifestet peccatum du- bium, nullum periculum adest ; in eo autem, quod illud non declaret potest pe- riculum occurrere, quia forte coram Deo fuit mortale, quod non remittitur absque ordine ad claves : tutior ergo pars in tali casu est confiteri dictum peccatum. Secunda vero ejusdem minoris pars satis etiam liquet : nam possessio in tali casu non stat pro dubitante sed pro præcepto confessio- nis ; si quidem juxta communem praxim fidelium, et consensum Doctorum in usu est confiteri mortalia dubia, ut constat ex dictis in priori fundamento. Et observan- Fundam 4.

dum est nullam esse contradictionem inter axioma in majori assumptum, et aliud axioma satis vulgare, nempe in dubio potiorem esse conditionem possidentis. Tum, quia in majori jam adjecimus modificationem, nempe ubi possessio non stat pro dubitante : et sic cohærent axiomata. Tum, quia secundum intelligitur, ubi dubitans obligaretur ad aliquid certum excedens limites dubii, ut contingit in dubitante de voto a se facto ingrediendi Religionem, aut solvendi aliquod debitum justitiæ ; si enim ad hæc exequenda obligaretur, profecto solvere ob rationem debiti, siquidem istud supponitur dubium, et solutio pro certa, et executa : atque ideo læderetur jus possidentis suam libertatem. Id vero non contingit in nostro casu ; siquidem ut proxime vidimus possessio non confitendi peccata dubia non stat pro dubitante : sed potius e contra possessio confitendi illa peccata stat pro præcepto confessionis secundum communem usum fidelium, et consensum DD. Aliunde vero dubitans non aggravatur ultra limites dubii : quia non obligatur ad confitendum mortale ut certum, sed sub dubio, in quo supponitur.

Opponit Lugo.

Nec refert, si cum Lugo contra hoc motivum (quod fuit commune apud antiquos, et insinuatum a D. Thoma in testimonio relato n. 184), opponatur relatum testimonium pati multas exceptiones, ut patet in dubitatione de voto, vel de aliquo debito justitiæ. Et quod diximus de non obligatione ultra limites dubii, minime subsistit in materia præsenti : quia ipsa obligatio confitendi peccatum dubium, ut dubium est onus omnino certum, determinatum, et satis grave ; quanvis levius onere confitendi mortale certum. Atque eadem ratione dici posset dubium de obligatione circa debitum justitiæ non teneri quidem ad solvendum totum illud de quo dubitat ; obligari tamen ad aliquam solutionem partialem, quæ juxta prudentum æstimationem dubii limites non excedat. Id, inquam, minime refert : nam in dubio de gravitate peccati stat possessio illud confitendi pro præcepto : licet enim circa gravitatem versetur dubium, inconcussa tamen est praxis illud confitendi juxta non minus firmam, quam communem Doctorum sententiam. Quæ omnia aliter contingunt in dubiis circa votum, et debitum justitiæ. Et non negamus, quod confiteri mortalia dubia, ut dubia, sit aliquod onus certum ; sed tamen est onus concomitans necessario ipsum dubium, et ejus dubitationem non excedens, siquidem solum affert obligationem manifestandi illud sacerdoti in confessione, ut ipse, cui hoc judicium commissum est, discernat inter lepram, et lepram, et ubi periculum viderit, de congrua medicina provideat, ut expendimus n. 188. Id autem non ita contingeret, in dubio de voto, aut debito justitiæ si quis obligaretur aliquid solvere : quia nec de toto, nec de parte constat, cum debitum sit prorsus dubium, et dubitans suam libertatem possideat, et nullo præcepto divino, vel humano, nulla consuetudine, nullave sententia communi ad solvendum aliquid obligatur : quæ omnia contrario modo se habent in præsenti materia.

Destruitur oppositio

193. Sed objicies fundamenta hactenus proposita probare, quod homo tenetur mortalia dubia confiteri non solum quamdiu manet dubius circa eorum gravitatem, sed etiam quando probabiliter opinatur, et judicat non fuisse gravia : id vero nimis durum apparet, cum omnis opinio probabilis sit conformis prudentiæ, et prudenter agat, qui juxta illam operatur : ergo prædicta motiva probant excessive, atque ideo nihil.

Huic objectioni, relictis extremis sententiis apud Pradum loco cit. § 6, quarum una universaliter affirmat deberi confiteri peccata dubia, non solum stante dubio, verum etiam si adsit opinio probabilis, quod mortalia non fuerint ; et altera id universaliter negat, respondendum est juxta superius tradita a num. 180, dubium, de quo agimus non esse negativum, sed positivum fundatumque in motivis apparentibus, ac prudentialibus, sed relinquentibus animum in æquilibrio, eo quod sint æquilia, et unum aliud non superet. Ex quo patet non quamlibet probabilitatem sufficere ad deponendum practice dubium de gravitate peccati, et ut homo excusetur ab obligatione illud confitendi. Et inde a fortiori constat, quod si dictamen de gravitate peccati sit probabilius, quam dictamen a gravitate excusans, opus sit tale dubium confiteri. Atque idem sentimus, ubi excessus dictaminis excusantis supra dictamen

obligans

obligans sit valde exiguus : quia parum pro nihilo reputatur, præsertim in re tam gravi, et periculosa. Ceterum si motivum excusans a gravitate peccati habeat motiva longe probabiliora, quæ fundent probabilitatem certam, et quasi obruentem contrariam ; minime diffitemur, quod dubitans possit prudenter deponere dubium, et censere se non obligatum ad confitendum tale peccatum. Et hanc partem ad minus docuerunt Silvester, Gerson, Henriquez, et Tapia, quibus relatis subscripsit Prado, loco citat. a n. 44. Quia Lugo disp. 16, sect. 2, n. 58 et 68, affirmat hanc esse communiter inter Theologos sententiam. In quo sensu neganda est sequela objectionis. Quam esse inefficacem vel ex eo constat, quod peccata mortalia dubia, perseverante dubio debere confiteri, est communis praxis fidelium, et assertio Doctorum, unde validum pro ea parte sumitur argumentum, ut supra expendimus ; sed quod ubi occurrit opinio certa probabilis dictans peccatum aliquod, de cujus gravitate dubitatur, non fuisse grave ; tantum abest, quod communis sententia obliget ad illud confitendum, ut potius communis sententia excuset ab eo confitendo, sicut constat ex immediate dictis. Et ratio disparitatis est, quod ubi non occurrit ea certa probabilitas, deficit motivum prudens ad deponendum tale dubium, et obligationem illud in confessione explicandi ; sed ubi talis, ac tanta probabilitas adest, possumus illa ducti abjicere prudenter tale dubium, et obligationem, quæ ex eo oriri posset ad ipsum confitendum.

194. Instabis : nam licet contingat dari aliquando, tam magnam, et tam certam probabilitatem de eo, quod non graviter peccaverimus in materia, de qua dubitamus, nihilominus cum ea probabilitate componi potest, quod homo re ipsa graviter peccaverit, et coram Deo sit in statu peccati mortalis : eo autem ipso occurrunt omnia fere motiva, quibus usi fuimus ad probandum obligationem confitendi peccata mortalia dubia : ergo vel inconsequenter procedimus, vel negare debemus, quod licet occurrat magna, et certa probabilitas de eo, quod peccatum, de cujus gravitate, non fuerit grave, liberemur ab obligatione illud confitendi. Consequentia patet. Et major etiam constat, quia licet probabilitas sit summa, non excludit possibilitatem, et contingentem existentiam partis contrariæ ; qua de causa semper relinquit formidinem de contrario, ut egregie docet D. Thom. quæst. 14, de veritate art. 1, his verbis : « Quandoque intellectus inclinatur magis ad unum, quam ad « alterum : sed tamen illud inclinans non « sufficienter movet intellectum ad hoc, « quod determinet ad unam partem totaliter. Unde accipit unam quidem partem, « sed tamen semper dubitat de opposita. « Et est dispositio opinantis, qui accipit « unam partem contradictionis cum formidine alterius. » Unde provenit, ut de eo, quod præcise opinamur licet cum ingenti probabilite, et utique in linea probabilitatis summa, non habeamus certitudinem physicam, vel moralem, quæ omne dubium, et formidinem circa oppositum excludat, licet fundet omnimodam securitatem in bene moraliter operando juxta illam, ut contra Tyrsum, et alios bene probat Fuentes in examine probabiliorismi fere per totum, et specialiter art. 3. Minor denique ostenditur : nam si occurrente motivo certe probabili, quod non peccaverimus mortaliter in peccato, de cujus gravitate dubitamus, excusamur ab obligatione illud confitendi, poterimus firmo, et absoluto proposito statuere illud non confiteri. Demus tamen illud fuisse grave coram Deo. Unum e duobus necessario colligendum est, vel illud nunquam remitti nobis posse ; vel remitti independenter a sacramento pœnitentiæ tam in re quam in voto : quod esse absurdum nulla ratione admittendum ostendimus n. 191 ; nam, qui expresse proponit non confiteri aliquod peccatum, illud nec re, nec voto subjicit clavibus, quamvis de eo alias conteratur.

D. Tho.

Respondetur negando minorem : nam longe diversa est dispositio dubitantis de gravitate peccati a dispositione judicantis cum magna, ac certa probabilitate illud non fuisse grave. Nam prior non habet motivum sufficiens, et prudens, ut queat se censere immunem ab obligatione illud peccatum confitendi : posterior vero illud habet, nempe ipsam certam probabilitatem, quod graviter non peccaverit. Primus cognoscit licet sub dubio se graviter peccasse, nec habet per quod secure sibi oppo-

Fit satis instantiæ

situm persuadet : secundus autem per dictamen certo probabile constituitur in statu ignorantis invincibiliter se graviter peccasse ; nam ignorantia facti fit invincibilis per notitiam certo probabilem, quod non fuerit. Unde ad minoris probationem dicendum est solum evincere, quod sic prius dubitans, et postea opinans non obligetur ad confitendum, vel ad proponendum confiteri illa peccata ; sed perinde se habere in ordine ad illa, sicut in ordine ad occulta. Ceterum omnino negamus, quod illa possit positive ab obligatione confessionis excludere, sive formaliter statuere non subjicere illa clavibus Ecclesiæ. Itaque aliud est non obligari ad confitendum aliqua peccata ; aliud vero nolle illa clavibus Ecclesiæ subjicere. Et quamvis primum possit contingere ; secundum minime licet, ut patet in peccatis occultis, quæ non obligamur confiteri, et tamen non possumus ab ea subjectione excludere. Ratio autem discriminis constat ex dictis disp. præced. num. 82, quoniam licet quis nesciat se graviter peccasse, et propterea a confessione ejus, quod nescit, deobligaretur ; nihilominus nullus certo scit se esse sine peccato : potest namque contingere, quod coram Deo habeat aliqua peccata occulta, quæ nescit vel per ignorantiam invincibilem, vel per opinionem certo probabilem illi ignorantiæ æquivalentem. Et ideo dolor pro valore confessionis requisitus debet esse universalis, et comprehendens cuncta peccata gravia, tam cognita, quam non cognita : aliter enim procedens periculo se exponit frustrandi sacramentum, et in hoc ipso graviter peccat : nam impossibile est unum mortale remitti, quin omnia remittantur, vel aliquod remitti sine dolore, et subordinatione ad claves juxta præsentem providentiam status legis gratiæ. Unde prorsus negamus eum, qui certo probabiliter putat se in casu præsenti, quod versamus, non peccavisse mortaliter posse statuere non subjicere illud clavibus : nam contingens est illud vere fuisse mortale coram Deo, licet ipse oppositum probabiliter putet, et propterea illud non confiteatur. Quæ autem supra adversariis opposuimus procedunt juxta illorum principia, ipsisque concedentibus ut inde magis falsitas sententiæ, cui inhærent, demonstretur. Sed vim non habent apud nos, qui oppositum affirmamus : et taliter excusantes aliquos ab obligatione confitendi peccata dubia ob probabilitatem certam illis faventem, ut tamen fateamur obligatos esse dicere, « ab « occultis meis munda me Domine, » et confiteri alias, atque cum dolore sub motivo universali comprehendente omnia mortalia, tam cognita, quam non cognita, aut certo probabilia non mortalia existimata.

§ III.

Convelluntur fundamenta sententiæ oppositæ.

195. Pauci admodum sunt, et valde recentes, qui communi assertioni nostræ adversantur Ferrentinus in tract. de Scandalo, qu. 77, Caramuel in Theologia intentionali n. 1828, et in fundamentali, fundam. 63, num. 1883, Franciscus Verde (aut ipse Caramuel) in Apologia nu. 553, Martinonus tom. 5, disp. 50, sect. 8, Josephus Januarius 2 part. selectorum res. 69, et tandem Tyrsus dis. 40, sect. 1, n. 14, qui dicit esse satis commune inter recentiores in manu scriptis, sed nescimus, qui, et cujus instituti sint recentiores isti, nec illorum vidimus manuscripta. Scimus Matthæum Moya ita sensisse, et docuisse, et dictasse Compluti, et alibi, ut ipse refert to. 1, tr. 3, disp. 1, qu. 5, sed tamen palinodiam cantavit ibidem n. 33, dicens : « Nihilominus re maturius considerata censeo pro contraria, et communi sententia adstruente obligationem confitendi peccata dubia. » Referri etiam solet pro hac sententia Layman to. 1, tract. 1, c. 5, § 4, sed illam se non docere profitetur dicens in hac re nihil velle determinare, sed eam aliorum judicio committere.

Arguitur primo pro hac sententia ab auctoritate Concilii Tridentini : quia illo docente pœnitens nihil confiteri tenetur, nisi peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat ; sed pœnitens non habet conscientiam illorum peccatorum, de quibus dubitat : ergo non tenetur illa confiteri. Probatur minor : quia conscientia est notitia scientifica, dubium autem minime est aut dici valet scientifica notitia. Idem motivum repræsentatur in aliis Concilii verbis, nam asserit hominem debere confiteri, quibus se Deum, et Dominum suum memineri[t] offendisse

offendisse ; dubitare autem non est meminisse. sed aliquid aliud, et longe inferius : ergo ex eo, quod quis dubitat de gravitate peccati, non obligatur illud confiteri. Præterea Tridentinum colligit peccata confiteri debere sacerdoti, quia sacerdos causa incognita nequit judicare : sed, si peccata, quæ quis confitetur, sunt dubia, causa est incognita : et sacerdos nequit de illis judicare : ergo ex sententia Tridentini peccata dubia non debent explicari in confessione.

Respondetur hoc argumentum convulsum manere ex dictis a n. 186, ubi ostendimus Concilium Tridentinum stare satis evidenter pro sententia communi, et præclusimus effugia, quæ modo proponuntur, et objectiones. Unde in eis diluendis non immorabimur, sed satis erit ibi dicta hic brevitер refricare. Ad primum negatur minor : nam conscientia latius patet, quam scientia proprie dicta, siquidem conscientia juxta communem Theologorum placitum dividitur in conscientiam certam, sive scientificam, et conscientiam erroneam, dubiam, et scrupulosam. Quare peccata dubia possunt esse in conscientia dubia, atque ideo de illis haberi potest conscientia, et comprehenduntur sub illis concilii verbis : *Quorum conscientiam habent*. Eodem modo respondetur ad secundum negando minorem : quia non solum datur memoria certa, sive scientifica, sed etiam memoria dubia : recordari namque possumus non solum peccatorum certorum, sed etiam dubiorum, quatenus reminiscimur, quod in aliqua actione peccaverimus, reminisci non possumus, quod fuerit venialiter tantum, ut ipsa experientia liquet. Quocirca peccata dubia comprehenduntur etiam in illis Concilii verbis : *Quibus se Deum mortaliter offendisse meminerit*. Minus urget tertium : dissolvitur negando minorem : nam explicatis dubiis cognoscit sacerdos causam, et quatum pœnitentis, ut possit convenientem pœnam pro culpa (quæ supponitur, licet non determinetur mortalis) imponere : et congruentem medicinam adhibere pro remedio pœnitentis, ne in dubia relabatur ideo periculosa, ut num. 188 explicuimus.

196. Arguitur secundo : quia in dubio melior est conditio possidentis, ut docet axioma apud Juristas vulgare : ergo in dubio, quod homo peccaverit mortaliter, aut non ; decernendum est in favorem libertatis, quæ possidet : et consequenter obligandus non est peccatum, de quo dubitat, confiteri. Confirmatur primo : nam in dubiis nemo præsumitur deliquisse, ut sumitur ex leg. *Merito*, ff. *Pro socio* : ergo ubi dubitatur, an Petrus peccaverit mortaliter, aut non, præsumendum est non peccasse : atque ideo obligandus non est ad subeundum judicium confessionis. Confirmatur secundo : quia in tribunali forensi non admittuntur delicta dubia : ergo nec in Tribunali pœnitentiæ debent sub obligatione illa deferendi admitti : id enim paritatis ratio convincere videtur. Confirmatur tertio : quoniam supra peccatum dubium nequit cadere absolutio ; quippe cum hæc exigat materiam certam, quale non est peccatum dubium : si enim vere non processit, erit nulla absolutio : ergo nemo cum tanto periculo tenetur confiteri mortalia dubia. Confirm. 1. Confirm. 2. Confirm. 3.

Ad argumentum concedimus antecedens juxta sensum legitimum communis illius axiomatis, quod præcipuum locum habet, ubi dubitatur, ad quem pertineat dominium rei : et ceteris paribus favendum est illi, qui possidet. Sed neganda est consequentia, quæ illegitime ex illo antecedenti colligitur, cum magis deducatur opposita ut constat ex supradictis. Tum, quia in casu consequentiæ possessio stat pro præcepto confessionis, juxta communem sententiam Doctorum, et non minus communem populi Christiani consuetudinem in confitendo mortalia dubia : quæ consuetudo est optima (sicut alias in aliis) divinæ legis interpres circa hujusmodi obligationem. Tum etiam, quia possessio, quæ homini favet, ipsumque liberat ab obligatione confitendi, non est alia, quam possessio suæ innocentiæ a peccato, sive conservatio divinæ gratiæ sanctificantis : ubi autem adest dubium, utrum homo peccaverit mortaliter, jam illa possessio innocentiæ non est certa, sed redditur dubia, et constituitur sub eodem dubio, quo peccatum : unde nihil favet, ut homo excusetur a confessione peccati dubii : sed stare oportet præcepto, quod est in possessione juxta communem sententiam, ut confiteamur dubia mortalia. Satisfit argumento.

Ad primam confirmationem respondetur

Convelli-tur confir-mat. 1.

antecedens solum verificari in foro externo, et quando ex præsumptione immi-net damnum contra delinquentem : quia in tali foro solum intenditur punitio rei pro conservatione boni publici. Quæ conditiones non occurrunt in foro interno hujus sacramenti : sed magis intenditur liberatio rei, sive pœnitentis, si delicta confiteatur, et etiam illa, de quibus dubitat : nam hoc, quod videtur gravamen, cedit in favorem animæ. Unde nullam sibi irrogat injuriam, qui dubitans de gravitate peccati admissi se præsumit peccatorem, ac timet, et hoc pacto se subjicit, a sacerdote judicandum, et curandum.

Ad 2 respon-detur.

Ad secundam respondetur antecedens non esse universaliter verum : nam licet in tribunali forensi non admittantur delicta dubia negative et irrationabilia, sive absque ullo fundamento; frequenter admittuntur delicta dubia positive, et habentia oppositas conditiones : et ubi reus se non sufficienter ab illis purgat, solet puniri, si non ex rigore legis, saltem ad arbitrium prudentis judicis. Quia certa, et communis sententia est, quod in dubio facti homicidii, judicandus est ita dubitans, non solum in foro interno, sed etiam externo irregularis, ut expresse decernitur in c. *Ad audientiam*, et cap. *Significasti* 2, et cap. penultimo, de Homicidio. De quo videri potest N. Andreas tract. 10, de Censuris, cap. 1, punct. 3, n. 15; unde confirmatio regerenda foret in opponentes: nam, si ad tribunal forense deferuntur delicta dubia, saltem aliqua ; cur non ad tribunal conscientiæ ? Præsertim cum ratio in illis juribus assignata, nempe quod in dubiis tutior pars est amplectenda, magis urgeat in mortalibus dubiis, ex quorum confessione, aut non confessione potest salus, aut perditio animæ dependere, ut idem axioma prementes expendimus num. 152. Deinde respondemus omisso antecedenti, negando consequentiam. Et ratio disparitatis desumitur ex manifesto discrimine inter utrumque tribunal : nam in forensi negatio delicti favet reo, cum eo negato absolutionem, et libertatem obtineat ; et sic judicandum est in dubio. Sed in tribunali conscientiæ, ac pœnitentiæ confessio delicti dubii favet pœnitenti, ut libertatem a delicto, si est forte coram Deo, consequatur. In illo confessio delicti punit reum, in isto liberat pœnitentem. Forense ordinatur ad puniendum reum propter bonum commune Reipublicæ, aut etiam propter bonum private personæ petentis condignam satisfactionem pro offensa : sacramentale vero non est primo institutum ad puniendum reos, quos Deus alias multis modis punire valet, sed magis ad liberandum pœnitentes a reatu delictorum, si illa confiteantur ; atque ideo magis consulit offerenti, si pœniteat, quam offenso.

Ad ultimam confirmationem respondmus excessive probare, nempe mortalia dubia non solum non cadere sub obligatione confessionis ; sed nec licite confiteri posse : id vero est prorsus absurdum, et contra praxim fidelium, et usum sapientum timoratorum, qui summo studio curant ab his dubiis se expedire, illa in confessione manifestando. Quare negandum est antecedens, quod non evincit illi inserta probatio ; sed ad summum, quod ubi adest peccatum mortale dubium, non potest per se, et solitarie confiteri, sed per accidens adjungi debeat aliquod mortale certum jam confessum, vel aliquod veniale, nempe ut vitetur periculum frustrandi sacramentum. Quod si non adsit nisi illud mortale dubium, adhuc solitarie, et per se confiteri debet : at in eo casu non est impendenda absolutio absoluta, sed sub conditione, quo re ipsa peccatum illud commissum fuerit. Addimus tamen in has augustias determinandum non esse ; nam nostra, et communis doctrina procedit in supposition quod homo certo sciat se peccasse, et dubitat de gravitate culpæ, an scilicet sit mortalis : ubi jam certo adest individuum genericum, seu quasi genericum peccati, i quod absolutio possit absolute dirigi, e sub eo ad particularem peccati rationem ibi latentem, de qua est dubium.

197. Arguitur tertio, et potest esse replica contra immediate dicta : nam in alii sacramentis, qui habens materiam certam utitur materia dubia, peccat ex hoc ipso mortaliter, licet forma proferatur sub conditione, quod materia in se vera sit : et ha ratione peccaret mortaliter qui habens hos tiam triticeam, consecraret speltricam su conditione : ergo pariter peccat mortalite pœnitens, qui cum possit adhibere mate riam remotam, videlicet mortalia, au etiam venialia certa, confitetur vel simu

cum

um illis, vel seorsim peccata dubia, a uibus sub conditione absolvatur. Patet onsequentia, tum a paritate. Tum ex eo, uod confessis directe peccatis certis, tollitur indirecte omne aliud peccatum ibi atens, sive omnino occultum : ergo opus ion est confiteri dubium ; et proinde graiter peccat, qui absque necessitate illud onfitetur, petens absolutionem peccati sub onditione.

Confirmatur primo : quia peccata dicunur dubia, non quia in se dubia sint ; siuidem in se habent determinate esse, vel eterminate non esse ; sed dubia dicuntur er ordinem ad intellectum, cujus est duitare : hic autem ordo est relatio rationis, uæ nihil ponit in peccatis, nec ingreditur lla ratione ad componendum sacramenum pœnitentiæ : ergo peccata dubia, ut ubia non pertinent ad istud sacramenum, nec ulla est obligatio illa confitendi.

Confirmatur secundo : nam cum saisfactio sit opus integralis sacramenti œnitentiæ, repugnat dari hoc sacramenum, ubi repugnat imponi satisfactionem ; ed in confessione peccatorum dubiorum on potest imponi satisfactio : ergo talia eccata non debent, nec possunt subdi conessioni sacramentali. Probatur minor : am qualiscunque, vel minima satisfactio œnitenti imponatur, est pœna certa ; aburdum autem apparet aliquem ob incerta, ive dubia peccata certa pœna puniri. rgo, etc.

Respondetur hoc argumentum cum suis onfirmationibus probare, si quid valerent, eccata dubia non solum non esse mateiam necessariam, sed nec sufficientem, el utilem confessionis : et non solum pœitentes non obligari ad confessionem orum, sed nec ea posse debite confiteri : tque ideo peccare omnes, qui mortalia ubia explicant in confessione. Qui discurus condemnat intolerabiliter antiquitaem, et concordiam in practicando confesionem mortalium dubiorum. Id vero cum udacissimum, et absurdissimum sit ; proit falsitatem principiorum, quæ pro eo rmando assumuntur. Ad argumentum rgo neganda est consequentia. Ad cujus rimam probationem respondetur disparitem esse notoriam : quia in aliis sacraentis non est convenientia, nec obligatio ubmittendi materiam dubiam formæ adhibendæ sub conditione ; et ideo peccaret, qui sine urgentissima necessitate aliquid hujusmodi faceret. Sed in manifestando confessario mortalia dubia occurrit obligatio, et convenientia : obligatio quidem, quia omnes tenemur subjicere omnia mortalia, in quibus forte sumus, clavibus Ecclesiæ, siquidem nulla remittuntur absque sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto, ut supra satis expendimus : convenientia pariter, quoniam expedit confessarium cognoscere statum pœnitentis, et dijudicare inter lepram, et lepram. Unde nullum est inconveniens, quod dubitans de mortali sub conditione absolvatur. Aliunde vero ubi tale dubium circa gravitatem occurrit, semper adest materia certa, nimirum peccatum, quod supponitur, de quo dubitatur, num ad gradum mortalis pervenerit. Minus adhuc, aut nullo modo urget secunda consequentiæ probatio : nam concesso, quod peccatum dubium tollatur indirecte, ubi alia certa, et confessa directe excluduntur ; id tamen non fit absque sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto : et peccatum, quod indiget voto pœnitentiæ, ut remittatur, cadit sub obligatione confessionis ; siquidem votum istud non nisi ad debita refertur. Tota autem structura argumenti evertitur in casu, quo aliquis morti proximus incidat in aliquod peccatum, et dubitet an sit mortale. Si discedat cum hoc dubio, manifesto periculo se exponit condemnationis æternæ : nam contingens est mortaliter peccavisse. Si recurrat ad contritionem, illam forte nequit concipere, et ipsa est votum sacramenti pœnitentiæ. Attritionem autem ex timore suæ condemnationis certam habet, et quasi palpat. Confiteatur ergo aliquod ex mortalibus vitæ præteritæ ; nullum certum in ejus decursu admisit ; confiteatur venialia ; non habet de illis attritionem ob eorum levitatem : quam tamen habet de mortali dubio ob oppositam rationem, et summum, in quo versatur periculum. Quid ergo restat ? Confiteri mortale dubium, ut dubium, et absolvi sub conditione. Et hic est communis fidelium sensus : quem, si cum illo auctore reprobemus, consequens est talem moribundum in ea perplexitate positum reprobari.

Ad primam confirmationem omittendo præmissas negamus consequentiam, quippe Responsio 1 confirm

quæ nullum cum illis nexum, vel ordinem habet. Nam in primis multa, quibus non constituitur sacramentum penitentiæ, illi subduntur, et pro eo requiruntur, ut constat in peccatis certis : ergo eo, quod peccata dubia subeant hanc determinationem ab aliqua relatione rationis, quæ non intrat compositionem sacramenti, minime sequitur peccata dubia non pertinere ad sacramentum pœnitentiæ, nec illi subdi debere. Præsertim cum hæc subjectionis obligatio non oriatur ab illa ratione rationis, sed a malitia gravi, quam sub dubietate latere prudenter formidamus. Deinde, quod ordo objecti ad intellectum sit rationis, nihil refert ad impediendum vel necessitatem, vel valorem sacramenti : exploratum namque est significationem formalem verborum etiam esse respectum rationis : et tamen sine significatione verborum formæ veritas, et influentia sacramentorum non salvaretur, ut explicuimus tract. 22, de Sacramentis in gen. disp. 1, a n. 12. Unde multo minus referre potest pro valore sacramenti pœnitentiæ, in quo sit, aut non relatio rationis : præsertim cum talis ordo non sit materia remota, vel proxima sacramenti, sed quædam conditio accidentalis materiæ. Et si confirmatio aliquid valeret, eodem modo probaret peccata certa esse non posse hujus sacramenti materiam, quia peccatum denominatur certum ex ordine objecti ad intellectum, qui est respectus rationis ; sicut esse dubium importat hujusmodi ordinem : consequens vero non tantum falsum, sed ridiculum est.

Ad 2. Ad secundam confirmationem respondetur excessive etiam probare, nempe mortalia dubia non solum non debere confiteri, sed neque posse, ut ex ejus forma deducitur. Id vero est contra communem sententiam, et usum in Ecclesia minime reprehensum, sed commendabilem. Concessa itaque majori, neganda est minor : cujus probatio dupliciter eliditur : primo, quia in peccato dubio, de quo agimus, semper adest aliqua certa malitia in specie, et numero, licet dubitetur de ejus gravitate : unde non deficit certa culpa, pro qua pœna certa possit imponi. Secundo, quia illa solum habet locum in tribunali forensi, ubi condemnatio est contra reum ; secus autem in hoc pœnitentiali foro, ubi satisfactio imposita acceptatur a pœnitent voluntarie se accusante de peccatis dubiis et cedit in ejus medicinam, et commodum Præsertim cum pro peccato dubio sempe imponatur pœnitentia minor, quam si fore certum, et æquitas exposcit : unde null committitur injustitia.

198. Arguitur quarto : quia non est obli gatio confitendi mortalia probabilia : erg non est obligatio confitendi mortalia dubia Antecedens constat ex supradictis n. 19 et facile suadetur : quia licet quis proba biliter opinetur se peccasse mortaliter, tamen opinetur probabiliter oppositum potest huic secundæ opinioni se accommo dare, immunemque proinde se censere a obligatione confitendi tale peccatum : quipp licitum est sequi opinionem probabilem ergo non est obligatio confitendi mortali probabilia. Consequentia vero probat Ca ramuel discursu, quem vocat fortissimum et evidentissimum : nam longe plus es cognoscere probabiliter peccatum mortale quod nunquam contingit absque gravi al quo motivo illud fuisse mortale suadente quam dubitare præcise de gravitate pec cati, quod sæpe accidit vel sine motivo, v ex levissimo fundamento : ergo, si possu mus deponere peccata mortalia probabili et excusari consequenter ab eorum confes sione ; idem a fortiori dicendum est d peccatis dubiis, nisi inconsequenter aga mus.

Respondetur antecedens non esse uni versaliter verum, nec a nobis, et alii communem sententiam deferentibus ad mitti, nisi quando opinio dictans aliqui non fuisse peccatum grave, est certe pro babilis, et multo probabilior, quam oppo sita : ubi enim opinio affirmans, et opini negans sunt æque probabiles, constituun propriissime intellectum in statu dub tandi ; et tunc est obligatio, quam asseri mus, confitendi mortalia dubia. Idemqu a fortiori dicendum est, ubi opinio negan fuisse mortale est minus probabilis, quar affirmans, ut loco citato explicuimus. I hoc itaque sensu, concesso, aut distinct antecedenti negamus consequentiam. A cujus probationem respondetur, quod lice in casu mortalis probabilis cesset aliquand obligatio illud confitendi, non provenit e eo, quod quis probabiliter opinetur se pec casse ; hinc enim potius obligandus foret

se

sed provenit ex eo, quod longe probabilius, et certo probabile est non fuisse peccatum mortale : quo dictamine occurrente, satis prudenter deponitur dubium, et cessat obligatio illud explicandi in confessione. Quæ omnia aliter se habent in casu, quem versamus, peccati dubii manentis in esse dubii : nam tunc intellectus relinquitur anceps in æquilibrio. Unde consequitur, quod homo prudentissime timeat se esse in statu peccati mortalis, et quod non formet prudens dictamen, quod se ab illo onere se expediat. Et ideo ne ulteriori periculo se exponat, vel agendi contra charitatem erga se, vel omittendi satisfactionem Deo læso debitam, tenetur pro utroque quærere certum remedium mediante confessione sacramentali.

199. Sed instabis (et sit quintum argumentum) nam licet habeamus præceptum servandi æqualitatem justitiæ cum proximo, non obligamur ad ei satisfaciendum, quando, et quandiu dubitamus de injuria illi a nobis illata : ergo quamvis detur præceptum satisfaciendi Deo pro injuriis, quas ei irrogamus, et procurandi cum ipso pacem, et amicitiam, non obligamur ad talem satisfactionem et ad suscipiendum pro ea sacramentum pœnitentiæ, quando non est certum nos Deum offendisse, sed manet dubium de offensa commissa.

Confirmatur ab exemplo similium dubiorum in aliis rebus : nam satis generale est non consurgere obligationem ex dubio, quæ daretur plane, si res esset certa : ergo idem dici debet in casu dubii circa gravitatem peccati, ut paritatis ratio concludere videtur. Antecedens constat : tum in voto, de quo, si quis dubitat, non obligatur ad rem promissam. Tum etiam, in dubio an casus sit reservatus, nam eo stante non obligatur pœnitens superiorem adire pro peccati absolutione. Tum præterea, quia si quis incidat in dubium juris, vel facti, an irregularitatem incurrerit, non debet ut irregularem se gerere, ut resolvit N. Andreas, tract. 10 de Censuris, cap. 2, quæst. 16, n. 211. Tum denique, ut alia omittamus, si quis dubitat, an sit excommunicatus, quamvis consultissimum sit, quod procuret absolutionem saltem sub conditione : nihilominus non conatur se ut excommunicatum gerere, nec petere absolutionem, sed postea contra dubietatem agere, perinde ac si excommunicatus non esset, ut resolvit idem Andreas loco citato n. 208. Quod exemplum magis ad rem præsentem accedit, ut obligetur dubius de gravitate peccati, recte quidem facere, confitendo tale dubium; sed ad id tamen non teneri sed posse dubium contemnere.

Ad replicam, sive argumentum, concesso antecedenti, negatur consequentia. Disparitas est, quod nulla certa, et communis vel sententia, vel consuetudo adstruat præceptum satisfactionis erga proximum, quando est dubium de justitia: e converso autem datur communis sententia simul cum communi praxi fidelium affirmans præceptum confitendi, et satisfaciendi Deo pro peccato, ubi dubium circa ejus gravitatem occurrit. Potestque ista extrinseca, et satis firma differentia revocari in ipsas rerum naturas, quia præceptum justitiæ erga proximum est negativum, sive in negativo primitus fundatur : obligamur enim ad non offendendum proximum, et consequenter ad illi satisfaciendum, quatenus satisfactio necessaria est, ne læsio, aut inæqualitas duret : quocirca ubi, et quando de læsione proximi nobis non constat, sed dubia est, non obligamur ei satisfacere. Præceptum vero pœnitendi, et confitendi, sive procurandi amicitiam cum Deo est positivum, atque obligans per se tam ob utilitatem propriam, quam ob subjectionem Deo debitam. Unde tenemur id ita procurare, ut judicare prudenter possimus illud obtinuisse, vel saltem fecisse, quod pro ipso obtinendo ex parte nostri desideratur. Hoc autem judicium non componitur cum peccato mortali dubio, quin illud confiteamur, ut dubium : quod est remedium securissimum, et nobis non admodum grave. Enodatio 5 Argument.

Ad confirmationem satis constat ex dictis, tam immediate, quam supra : nam in dubio de peccato mortali, et in obligatione illud confitendi occurrunt speciales rationes, ut hanc adstruamus, quas non reperimus in aliis dubiis. In isto namque stat possessio pro præcepto confitendi, ut satis evincunt communis sententia Doctorum, et non minus communis fidelium praxis: aliunde illa obligatio non debet reputari onerosa dubitanti, sed favorabilis, et multum conferens ad ejus commodum. Quæ motiva cum in aliis dubiis communiter non occur- Ad confirmationem.

rant, mirum non est, si in eisdem obligatio ad determinatum onus aliquod non consurgat. Omisso itaque antecedenti negamus consequentiam ob assignatam disparitatem, et supra n. 192 magis elucidatam. Unde supervacaneum apparet occurrere probationibus antecedentis, quod omittimus, et concedimus verificari frequenter. Sed tamen respondemus ad primam, unumquemque esse in possessione suæ liberæ voluntatis : unde nisi constet illam ligatam fuisse voto, nemo tenetur ad rem, de qua dubitat, an fuerit voto promissa. Ad secundam similiter, quod fideles sunt in possessione confitendi sua peccata legitimo confessario, hoc est, sacerdoti ad id approbato, et exposito cum jurisdictione ordinaria, vel delegata : quare huic omnia sua peccata confiteri legitime valet, quamdiu non constat superiores eorum aliqua sibi reservasse : nec oppositum in dubio præsumendum est : præsertim cum reservatio sit odiosa tam pœnitentibus, quam confessariis. Ad tertiam eodem modo, quod nemo privandus est jure generaliter omnibus conveniente ad sacros ordines, et proprios illorum actus, nisi oppositum probetur : unde in casu dubii non est præsumendum irregularis, nisi in aliquo casu oppositum determinetur in jure; maxime cum hæc etiam inhabilitas sit odiosa, et extendi non debeat ad casus non expressos. Similiter diluitur ultima, quia fideles in se habent, et in possessione sunt communicandi cum aliis in sacris, in orationibus, et sacramentorum usu, nec his absque sua culpa privari debent ; atque ideo, ubi est dubium, non obligantur se ut excommunicatos gerere, sed utuntur licite jure suo. Unde tandem constat ad augmentum difficultatis : nam qui semel incidit in dubium rationabile, et prudentiale (quod solum est subjectum præsentis quæstionis) quandiu illud conservat ob carentiam motivi ad illud deponendum, retinet tale peccatum in conscientia, atque ideo manet sub obligatione adimplendi præceptum generale manifestandi in confessione omnia mortalia, quorum conscientiam habet certa, ut certa, et dubia, ut dubia, sicut fusius in superioribus explicatum est.

§ IV.

Quæstiunculæ appendices, et earum resolutio.

200. Superest, ut alias leviores ex eadem radice provenientes decidamus difficultates. Et in primis illa occurrit, quomodo se gerere debet pœnitens, qui tam de facto, quam de jure est dubius, an admiserit mortale? Multoties contingit quem esse certum de facto, dubium autem de jure, quia scit se fecisse aliquod peccaminosum, et re ipsa peccasse saltem venialiter ; sed dubitat, an illud fuerit etiam mortale. Et in hoc casu opus non habet adhibere aliam materiam certiorem, utputa aliquod mortale certum, et jam confessum : quia illud dubium, quod confitetur, materiam certo sufficientem importat, dummodo motivum, sub quo in dolendo, et proponendo procedit, se extendat certo ad veniale peccatum, quod forte, et majus commissum fuit. Sed si prudenter timeat se solum habere dolorem, et propositum erga mortalia, opus habebit adjicere aliquod mortale certum ex jam confessis : aliter enim, periculo se exponit peccandi ob carentiam dispositionis necessariæ pro sacramenti fructu, et valore. Quod si nullum mortale certum habet, quod submittat, id explicare debet, ut absolvatur non absolute, sed sub conditione, quod illud peccatum, de cujus gravitate dubitat, fuerit mortale ; ne irritetur sacramentum. Quæ satis constant ex supradictis. At ubi dubium est non solum de jure, sed etiam de facto (quod non raro etiam contingit) ut cum quis dubitat non solum de gravitate, sed de ipso etiam peccato, abstrahendo a gravi, et levi, v. g. an peccaverit, et data hac suppositione, an peccaverit graviter : tunc necessarium est omnino adjungere aliquod peccatum certum, ut cum Sanchez, et Suarez observat N. Franciscus cap. 8, n. 50, punct. 3, quia alias nulla adhiberetur certa confessionis materia, et periculum esset nullum faciendi sacramentum. Quod si pœnitens non habeat alias mortale, et veniale subjicere non audeat ob doloris erga illud incertitudinem, non est absolvendus de dubio absolute, sed sub conditione, quod vere fuerit mortale, ut proxime ob idem motivum diximus.

Deinde dubitari potest, an quæ de peccato

ato mortali dubio diximus in genere, pplicandum sit speciebus peccati, et simi- ter circumstantiis addentibus, seu mu- ıntibus speciem. V. g. scit aliquis se eccasse mortaliter, sed ignorat, aut dubius st, in qua specie furti, vel turpitudinis, c. Scit etiam concupivisse fœminam, sed ubitat an illa fuerit conjugata, vel soluta. t tenendum est cum communi sententia bligari pœnitentem ad explicandum hæc mnia in confessione. Nam eadem est ra- o confitendi sub dubio peccata dubia, et nfitendi certe, et absolute peccata certa. ed quando peccata mortalia sunt certa in iqua specie, et sic certo cognoscuntur, ous est illa confiteri, et absolute, et simi- ter quando certo occurrunt circumstantiæ utantes speciem peccati mortalis, debent rto confiteri, ut patet ex dictis dub. 3, 2 et § 4 : ergo pariter quando de his om- ibus adest dubium, cuncta illa in confes- one sub dubio explicari debent. Et plane pposita præsentis, ac principalis hujus æstionis resolutione, nulla occurrit ratio l theologizandum in speciebus et circums- ntiis peccati dubiis alio modo, ac in so peccato dubio : nec occurrunt circa ınc partem motiva, quæ objecta, et disso- ta non relinquantur in his, quæ opposita erunt contra nostram, et communem sertionem.

201. Tertio dubitari potest ; an senten- a nobis contraria sit probabilis. Affirmant us patroni num. 125 relati. Quin ex de- nsoribus sententiæ communis deferunt, ıt deferre videntur probabilitatem oppo- tæ. Ita in primis Tyrsus quando disp. 40, ct. 3, n. 32 inquit : ergo licet a censuris ostineam, quibus graves auctores oppo- tum notant, huic sententiæ, ut probabi- ori assentior : nam istud comparativum pponit absolutam probabilitatem alte- us. Et pro eodem dictamine Emmanuel Conceptione disp. 3, quæst. 6, n. 377 re- rt Layman, Paulum, Amicum, et Carde- is, quibus ipse non obscure subscribit, ım sententiam communem statuens ait : d probabilius longe respondeo affirma- ve ; ubi probabilitatem et si longe infe- orem parti contrariæ relinquit. Qui vero ınc partem mordicus, et expressius, am alii tuentur, noster est Antonius a ıritu Sancto, Lusitanus, disp. 5, sect. 2, 270 pro eadem resolutione præter rela- tos addens Granados, Martinonum, et Martinum a Sancto Joseph. Et probatur : Tum, quia talis sententia habet probabilitatem ab extrinseco ex auctoribus immediate relatis eam asserentibus : tum, quia habet etiam probabilitatem ab intrinseco ex motivis satis verosimilibus, quæ § præcedent. proposuimus. Habet igitur quidquid requiritur, ut sit probabilis, et talis dicatur, et reputetur. Ita ratiocinantur ; sed cum Tyrso, et aliis sentimus : ne contra decreta Alexandri VII et Innocentii XI et Alexand. VIII procedamus.

202. Quarto, et major difficultas est, utrum peccatum mortale confessum sub dubio debeat illo cessante confiteri ut certum, quando videlicet certo cognoscitur fuisse mortale? Nam si vice versa, qui confessus est aliquod mortale, ut dubium, postea certo recognoscat non fuisse mortale, ad nihil tenetur, ut bene observat Lepe in Catec. Cathol. part. 4, cap. 8, num. 87, quia ex illa subsequenti cognitione nullum in conscientia resultat gravamen. Circa propositam autem difficultatem sunt duæ sententiæ, et prima negat obligationem confitendi denuo tale peccatum. De qua inquit Tyrsus disp. 40, sect. 5, n. 47, Cardinalis de Lugo pro parte negante gravia conficit argumenta, licet non audeat id absolute asserere ; ausus est autem Leander disp. 5, quæst. 27. Eandem docent Merolla tom. 1, disp. 3, cap. 3, dub. 2, Caramuel lib. 3 de conscientiæ dictam. fol. 394 et in Theolog. Fundam. n. 1473, Franciscus Verde, aut ipse Caramuel quæst. 12, § 2, Martinus a Sancto Joseph, lib. 1, tract. 8, num. 9, Vidal de Pœnitent. inquisit. 5, num. 33, Pellizarius tom. 1, tract. 5, cap. 3, sect. 1, Tamburinus in Method. confess. lib. 2, cap. 1, § 4, Carpensis tract. 24, disp. 4, sect. 16, Baseus de Conscientia lib. 4, cap. 18, Delgadillo cap. 14, dub. 10, Tancredo disp. 6, quæst. 2, N. Antonius disp. 5, quæst. 3, num. 296. Denique Ferrantinus, Varricali, Sanctius, Perez, et alii, quibus relatis subscribit Emmanuel a Concept. disp. 3, quæst. 7, n. 403. Commune illorum fundamentum est, quod mortale dubium confessum ut dubium, subjectum directe fuit clavibus Ecclesiæ sub conditione, quod esset, et similiter directe remissum fuit per absolutionem sacramentalem sub conditione, quæ

Dubium 4.

Sentent. 4.

Tyrsus. Lug.

Leand. Merolla, Caram. Verd. Vidal. Tambur. Baseus, Delgad. Anton. Ferrant. Sanctius, Perez, Emman. Fundam.

verificatur, ubi vere peccatum mortale fuit: ergo quod postea certo cognoscatur, non inducit obligationem illud iterum ut certum confitendi, siquidem supponitur directe confessum, et directe absolutum sub conditione, quæ tunc erat, et modo recognoscitur purificata. Idque declaratur exemplo: nam si dubius de excommunicatione petat pro majori cautela, ac securitate absolutionem ab illa sub conditione, quod excommunicationem incurrerit, et talem absolutionem consequatur, licet postea certo comperiat se censuram illam incurrisse, non indiget nova absolutione; nam prior data fuit sub conditione, quæ verificata jam est.

Probabilior sententia. Diana, Gallego, Oviedo Dicast. Cardenas.

203. Contraria tamen sententia est communior, probabilior, et securior. Plurimos pro illa refert Diana 3 par. resolut. 91 et 6 part. tract. 6, Miscell. 35 et part. 10 resolut. 16, Gallego tract. de conscientia dubia, dub. 20, dicens esse doctrinam communem, Lugo disp. 16, sect. 14, n. 585, dicens esse communem sensum Doctorum, Oviedo 1, 2, tract. 5, controv. 4, punct. 7, dicens esse omnino certam. Dicastillo dub. 9, dub. 2, § 4, num. 141, dicens oppositum esse inauditum in Ecclesia Dei. Cardenas in selectis, disp. 51, cap. 2, istam esse certam, et indubitatam sententiam.

Sanchez, Prado, Lepe, Gabriel.

Tyrsus jam citatus n. 48, dicens esse sententiam communem; unde supervacaneum est alios ejus patronos in particulari referre. Videantur tamen Sanchez in Decalogo lib. 1, cap. 10, n. 69, Prado quæst. 84, dub. 4, § 7, Lepe ubi supra supra n. 30 et N. Gabriel a S. Vincentio dis. 8, quæst. 4, qui rem late, et docte discussit.

Ratio.

Sed insuper probatur urgenti satis motivo desumpto ex Concil. Trident. sess. 14, cap. 5, ubi docens necessitatem integritatis confessionis, et quod subinde pœnitens debeat diligenter conscientiam discutere, et omnia peccata tam in specie, quam in numero, et circumstantiis speciem mutantibus, quantum fieri potest, in memoriam revocare; duas assignat hujus necessitatis rationes, sive radices: tum quia internum istud pœnitentiæ judicium nequit, non cognita causa, convenienter exerceri: tum quia æquitas in injungendis satisfactionibus tam pœnalibus, quam medicinalibus aliter observari non possit, ut constat ex fusius dictis num. 188. Hæc autem omnia militant etiam in casu præsenti, quod qu confessus fuerit mortale ut dubium, et pe certo cognoscat fuisse mortale: nam pri non fuit causa certo cognita, sed mansit dubio: postea vero potest certo cognosc prius ob incertitudinem non est injunc debita pœnitentia; sed cognita post culpa, potest conveniens pœnitentia, ta pro puniendo, quam pro medendo appl cari. Ergo in prædicto casu debet pœnite confiteri peccatum, quod certo cognos mortale. Unde non pauci merito observa differentiam inter mortale dubium, idem mortale certum, esse moraliter sp cificam in ordine ad confessionem: qu variat gravissime statum causæ, et juc cium confessarii. Quare sicut qui confess est aliquod mortale putans, tunc et dice fuisse talis speciei, si postea certo cognosc fuisse alterius, tenetur hoc posterius co fiteri; aliter enim sua peccata in specien confiteretur; sic etiam qui confessus fi mortale ut dubium, si postea deprehend esse certum, debet illud snb, et cum il certitudine confiteri.

Confirmatur, et explicatur amplius Nam, si quis commisit aliquod peccatu quod cum confiteretur, putavit, aut prob biliter censuit esse veniale, et postea cer recognovit fuisse mortale, debet illum pe catum iterum confiteri, ut mortale: er idem dicendum est, ubi confessus peccatu ut mortale dubium, postea recognos fuisse mortale certum. Consequentia pa tum a paritate: tum ex eo, quod co fitens mortale dubium, non aliam malitia sub eo dubio determinat quam mortali, veniali communem, quæ subinde non e determinate gravis: ergo sicut sub confe sione venialis non comprehenditur pecc tum mortale, quod postea tale cognoscitu et propterea debet ut mortale confiteri; s etiam sub expressione mortalis dubii nc comprehenditur mortale certum; et id debet in confessione sub expressione cer explicari. Tum insuper nam ideo in cas antecedentis est necessaria secunda illi peccati confessio, quia cognitio venialis, cognitio mortalis variant gravissime i ordine ad confessionem judicium confes sarii, et impositionem pœnitentiæ pœn tentis, et præservantis; sed eadem gravi sima variatio occurrit inter cognitionei mortalis dubii, et cognitionem mortal cer

certi, ut facile, et ob eadem motiva consideranti constabit : ergo idem in casu consequentis dicendum est. Antecedens vero constat : quia peccatum mortale cognitum est materia necessaria confessionis, et ut materia gravis debet necessario explicari, quod non potuit fieri, ubi prius credebatur determinate veniale : ergo postea ut mortale, et quod fuit mortale, confiteri debet.

204. Ad fundamentum autem contrariæ sententiæ respondetur concesso antecedenti, negando consequentiam, quæ ex illo non recte deducitur; tum quia licet mortale sub dubio fuerit directe confessum, et remissum, non fuit tamen sufficienter explicatum : et ideo relinquitur obligatio explicandi ut certum, quando fuisse mortale certo cognoscitur. Ut enim proxime dixinus, est incomparabiliter diversum judicium de peccato, de quo dubitatur an fuerit mortale, vel tantum veniale ; et de peccato, quod certissime cognoscitur mortale fuisse. Quæ diversitas fundat diversum omnino modum judicandi in confessario tam in ordine ad punitionem culpæ, quam in ordine ad remedium pœnitentis : quippe in nihilo horum omnino congrue providetur, ubi omnia aguntur sub dubio ; possunt autem accurate disponi, ubi certo cognoscitur gravitas peccati, et morbi. Tum quia hoc sacramentale judicium ordinatur ad sententiam absolutam remittendi, vel retinendi peccatum, sicut proportionabiliter contingit in foro externo, et contentioso. Ubi autem mortale sub dubio exponitur in confessione ; judex, sive confessarius non absolvit ab eo absolute, sed sub explicita, aut implicita conditione, quod fuerit. Unde quamvis purificetur conditio, si postea certo deprehendatur fuisse mortale, opus est illud absolute exponere, ut veniat absolute in judicium, et de eo sententia absoluta feratur. Sic plane in foro externo, si Petrus accusaretur de homicidio, et causa hinc inde cognita res maneret sub dubio, judex non condemnaret Petrum ad pœnam pro homicidio lege taxatam, sed ad aliam inferiorem, et arbitrariam, ubi ille ab objecto sibi crimine non plane manaret purgatus : injustum namque est pro culpis dubiis injugere pœnam pro certis assignatam, ut dicitur in cap. *Grave* 23, quæst. 3. Sed si post hæc accederent testes oculares, et argumenta irrefragabilia, quibus demonstrative convinceretur Petrum fecisse homicidium, non reputaretur absolute liber, et immunis a subeundo iterum accusationem, et sententiam ; sed sisti deberet, et pro meritis condigna pœna in ultima, et absoluta sententia puniri. Idemque in materia restitutionis, aut alterius satisfactionis dicendum est. Sic igitur in materia præsenti, licet ubi mortale manet dubium, sufficit se de illo ut dubio accusare, et acceptare arbitrariam satisfactionem, et conditionate absolvi. Tamen ubi postea certo constat mortale, debet iterum ad Tribunal confessionis revocari, ut tanquam certum ibi cognoscatur, et de illo absolutum judicium fiat, et absolute proferatur sententia: quod prius factum non fuerat. Idque, ut optime observavit Lepe loc. cit. num. 31, non est obligare pœnitentem ad confitendum bis id peccatum ; sed ad confitendum duabus vicibus peccatum secundum duos diversos status, quos habet in conscientia. Quare peccatum confessum ut certum non debet iterum confiteri. Et peccatum dubium confessum ut dubium non debet iterum confiteri quandiu status dubii invariatus perseverat. Sed ubi confessum ut dubium transit ad statum certi, necessario ut tale exponendum est : quia adest notabilis novitas in conscientia pœnitentis, et diversum omnino judicium in confessario.

Ex quibus patet ad exemplum, quo illud fundamentum confirmabatur ; nam institutio sacramenti pœnitentiæ obligat ad exponendum sacerdotibus, quantum fieri valet omnia mortalia eo modo, quo possit absolute de his censere : quod minime facit, qui certo cognoscens fuisse mortale, quod prius confessus fuerat ut dubium, illud non confitetur ut certum. Sed id non postulat potestas tollendi censuras, quæ tota pendet a dispositione Ecclesiæ : unde sublata ex quocumque titulo excommunicatione, absolute tollitur, usque dum superveniat novum crimen, cui adjaceat. Et id dicendum est de dispensatione facta in voto, sive dubio, sive certo, et in similibus : nam semel facta tenet, et extinguit simpliciter obligationem ; superveniat, aut non diversa circa firmitatem voti notitia. Sed absolutio peccati mortalis dubii cum sit conditionata, relinquit locum sententiæ absolutæ, et obligationi illam subeundi, ubi certo constiterit de gravitate peccati.

Difficilis objectio. 205. Occurrit tamen contra nostram resolutionem communis, et difficilis objectio : nam si quis confessus fuerit decem perjuria plus minusve, si postea certo cognoscat fuisse undecim, non tenetur privatim undecimum certo cognitum confiteri : ergo pariter qui confessus est unum aliquod mortale dubium, quamvis postea certo comperiat fuisse mortale, non obligatur confiteri illud ut certum. Antecedens admisimus, statuimusque supra num. 81, cum satis communi sententia accedente etiam frequenti fidelium usu. Consequentia vero probatur : nam qui confitetur decem perjuria plus minusve, per hoc additamentum non explicat undecimum perjurium ut certum, sed solum ut dubium, ut patet ex communi concipiendi, et loquendi modo : et tamen licet illud postea certo cognoscat non tenetur ipsum confiteri, ut certum : ergo generaliter verum est, qui confessus est aliquod mortale dubium non obligari ad confitendum illud ut certum, quamvis postea certum fuisse deprehendat.

Confirm. Confirmatur, et explicatur : nam eadem est ratio de illo perjurio incerto confesso cum decem perjuriis certis, ac de ipso perjurio incerto confesso separatim, et independenter a decem certis : nec enim apparet, quid diversum habeat ex conjunctione, aut connotatione ad decem perjuria certa, vel ex separatione ab illis : sed ubi cum aliis conjungitur, tam sufficienter confessioni, et absolutioni subjicitur, quod in alia confessione ut certum exponi non debeat, quamvis certo cognoscatur : ergo idem dicendum est quando per se, et solitarie dicitur in confessione ut dubium, etsi postea cognoscatur ut certum. Explicatur amplius:

Explicatio. quia eadem etiam est ratio de peccato confesso ut dubio ; sed numerus peccatorum confessus ut dubius, et significatus ut dubius per illas voces *plus minusve*, non debet postea explicari ut certus, quamvis certus cognoscatur : ergo peccatum confessum, ut dubium, licet postea cognoscatur certum, non debet iterum ut certum confiteri.

Quidam ex Auctoribus communi nostræ resolutioni contrariis tantas, et adeo evidentes vires huic objectioni deferunt, ut affirment admissa sententia, quam admisimus, confitendi incertum numerum peccatorum sine obligatione ad confitendum certum, ubi comperiatur, non posse nisi inconsequenter negari idem dicendum esse de peccato dubio, licet postea certum cognoscatur : quia est inter utrumque insolubilis, et manifesta connexio. Quos ut retunderet, Cardenas supra relatus asseruit, quod, si datur tanta connexio inter unam, et alteram sententiam, prior excusans per eas particulas *plus minusve* a manifestando numerum determinatum postea certo cognitum, est ab intrinseco improbabilis, utpote, ex qua evidenter deducatur consequens improbabile, quale ille censet, quod peccatum mortale confessum, ut dubium non debere confiteri ut certum quando certum fuisse cognoscitur. Quæ cum vidisset Emmanuel loco citato, n. 425, reposuit eam resolutionem videri atrocem arrogantiam, ne amplius dicam, etc. quia damnat improbabilitatis sententiam communem. Hoc autem zelum facile declinat Cardenas, quia non loquitur absolute, sed ex suppositione, et ab inconvenienti, quod prior sententia de numero incerto, cognito postea ut certo, non posset defendi, quin eo ipso defenderetur secunda de peccato dubio, cognito postea ut certo. In qua hypothesi idem, et alii dicere non horrescerent : quia longe verius est, et praxi Ecclesiæ, ac doctrinæ Tridentini conformius, quod qui confessus est mortale ut dubium, et postea comperit certum fuisse, teneatur illud confiteri, ut certum, quam quod, qui dixit numerum peccatorum sub illa incertitudine decem *plus minusve*, excusetur a confessione undecimi, quando undecim fuisse peccata certo cognoscit. Et propterea si istæ duæ sententiæ cohærere non possent : hæc posterior potius quam illa negari deberet : et si improbabilitas ab intrinseco in earum unam censuram caderet (quod non affirmamus, nec asseruit Cardenas), illi, quæ pro antecedenti assumitur potius impingeretur, quam nostræ. Et hoc ipsum sensit Dicastillo disp. 9, dub. 2, § 4, num, 141, dicens, quod propter efficax argumentum, quo probatur esse eandem rationem de peccato dubio, et de numero incerto, magis rationi consonum existimat talem numerum esse explicandum, si postea constat certo, quantus determinate fuerit ille numerus, vel saltem certo constat fuisse majorem, quam dicere peccatum semel confessum ut dubium, non debere iterum ut certum explicari : id enim posterius

erius est inauditum in Ecclesia Dei. Ideo merito ipse Cardinalis de Lugo (qui magis iam similitudinem inter unum, et alterum casum usque ad exaggerationem expendebat) non vult, ut ipse ait, in re morali discedere a communi sensu, si postea certo constat de numero. Sic inter se pugnant illi auctores, ut vim paritatis inter utrumque casum elidant.

206. Sed tanta non est difficultas, ut nos in eas angustias impellat. Quare objectioni respondetur concedendo antecedens, ut concessimus loco citato, et negando consequentiam. Disparitas est, quod in spectantibus ad hoc sacramentum (cujus sicut, et aliorum conditiones, non ex naturis rerum sed ex divina institutione, unde ortum habent, desumi debent, et explicari) non est rationibus metaphysicis, nec ex similitudine, aut paritate metaphysica ponderata procedimus, sed magis ex attentione ad illius institutionem. Hæc autem, ubi non habemus divinam revelationem vel in scriptura expressam, vel per Concilia explicatam, optime innotescit per Ecclesiæ praxim, et consuetudinem, quæ habet vim traditionis, et est optima legum interpres. Videmus autem communem usum fidelium esse, quod, qui confitetur juxta præscriptam formam decem perjuria *plus minusve*, licet postea certo cognoscat fuisse undecim non obligari ad confessionem novam undecimi ; et sic docent communiter Theologi : e converso autem videmus, quod qui confessus fuit aliquod peccatum, ut veniale, vel tamquam mortale dubium, si postea comperiat fuisse certo mortale, obligatur ad illud iterum ut tale confitendum, et sic tradit communis Doctorum sententia : ergo præsumere debemus eum ita se habere ex ipsa sacramenti institutione, et utramque sententiam veram esse. Quare ex una non debet altera impugnari, aut e converso : cohærent namque, non quidem necessario ex natura rei, sed ex Dei institutione, de qua nobis constat per usum Ecclesiæ et communem sententiam Doctorum : omnes namque, aut fere omnes statuunt eum, qui confessus fuit se fornicatum esse decem vel undecim vicibus, vel se fornicatum decem vicibus plus minusve, licet postea certo recognoscat undecimum peccatum, non obligari ad illud denuo confitendum, sed sufficienter comprehensum intelligi in priori confessione sub illa dicendi formula : at iidem omnes, aut fere omnes affirmant eum, qui confessus fuit aliquod peccatum ut veniale, aut sub dubio mortalis, si postea cognoscat certo fuisse determinate mortale, teneri ad illum iterum, ut mortale confitendum : et similiter asserunt eum qui confessus fuit se peccasse cum muliere, sed non recordari an fuerit soluta, vel conjugata, teneri ad manifestandum postea speciem adulterii, si recordetur fuisse conjugatam, seque, quando peccavit, advertisse. Disparitas itaque inter casum incertitudinis quantum ad numerum peccatorum ejusdem speciei, et casum incertitudinis quantum ad conditionem, sive speciem peccatorum, ut quod fuerit mortale, quod sub dubio erat veniale, et quod fuerit adulterium, quod sub dubio erat simplex fornicatio; revocanda est in divinam institutionem. Et ea sola disparitate dissolvuntur omnes similitudines, et æqualitatis rationes, quæ in objectione, et ejus confirmationibus expendentur : nam contra omnes stat opposita Dei institutio.

Si autem ulterius progressi velimus assignare rationem congruentem hujus diversæ institutionis, ea plane desumitur ex nostro fundamento proposito num. 203, attendente ad finem confessionis in manifestatione peccatorum. Ordinatur enim præcipue, ut sacerdos, quantum fert humanæ cogitationis fragilitas, cognoscat causam, sive statum pœnitentis, ut rationabilem pœnitentiam pro culpis imponat, et opportunam pro qualitate morborum, et periculorum medicinam adhibeat. Pro hujusmodi autem fine plurimum refert cognoscere peccati quidditatem, et conditionem, v. g. quod non fuerit tantum veniale, sed certo mortale : quod non fuerit præcise fornicatio, sed adulterium, aut sacrilegium : ab his namque perpenditur gravitas morbi, et necessitas remedii. Sed in ordine ad prædictum finem non admodum interest exacta omnino dinumeratio peccatorum intra eandem speciem : quia vel ad imponendam satisfactionem, vel ad consulendum de medicina, parum, aut fere nihil variat, quod quis commiserit unum perjurium supra decem, vel non commiserit nisi decem tantum, ut ex se liquet, et facile consideranti constabit. Ab hac itaque

radice habuit ortum communis praxis divinæ institutionis declarativa, quod numerus peccatorum possit, et soleat explicari cum aliqua indeterminatione, ubi certus numerus non occurrit : et quod postea opus non sit excessum denuo confiteri, quamvis certo cognoscatur ; dummodo excessus sit modicus, et leviter varians judicium confessarii in ordine ad finem relatum. E converso autem, quando peccatum confessum est ut veniale, vel ut dubium mortale, si postea comperiatur fuisse mortale certum, denuo ut tale confiteri debeat, quia variatur notabiliter status causæ in ordine ad judicium confessarii, et ad remedium pœnitenti consulendum. Accessit pro eadem congruenti differentiæ ratione species peccatorum longe facilius cognosci, quam eorum numerum intra eandem speciem, præsertim ubi numerus est cogitationum, aut verborum : aliunde etiam facilius conservamus memoriam speciei, quam numeri, ut experimento liquet. Quare congruum fuit, quod homo obligaretur ad magis exactam manifestationem peccatorum quantum ad gravitatem, et speciem, quam præcise quantum ad numera intra speciem. Et inde provenit, quod sufficit numerum circiter, sive plus minusve recensere bona fide, id est nullum tacendo ex industria ; et quod, si aliquis parvus excessus postea deprehendatur, censeatur prius confessus, et comprehensus, et opus non sit alia ejus confessione. Ceterum ubi aliquis solum sub dubio confessus fuit conditionem mortalis, aut aliquam mortalis speciem, si illam certo postea cognoscit, debet illam confiteri ut certam : quia adest notabilis varietas in ordine ad confessionis finem, ut satis constat ex dictis ; quin opus sit alia addere pro diluendo in particulari, vel probationem consequentiæ in objectione, vel confirmationem, vel ejus explicationem, aut difficultatis augmentum. Nam hæc omnia innituntur paritati, ac similitudini inter peccatum mortale dubium, et numerum peccatorum mortalium incertum. Sed ea æqualitas dissipata relinquitur ex praxi Ecclesiæ, ex institutione Dei, et ex ipsis rerum naturis.

Consect. 1. 207. Ex dictis sequitur peccata mortalia, quæ post diligentem discussionem memoriæ non occurrunt, et propterea non explicantur, licet inculpabiliter, non manifestantur in confessione, si postea in memoriam venerint, debere in confessione manifestari. Contrarium hujus consectarii docuit quidam Pater Capucinus Neapolitanus, vir alias Religiosus, et doctus in peculiari opusculo circa hoc punctum composito : cui sententiæ, et aliqui alii subscripserunt, et eam proponit Murcia etiam Capucinus lib. 2 disquisit. moralium disp. 4, resolut. 25. Fundamentum eorum procedebat ex principiis alias certis, sed perperam explicatis, et applicatis : nam ad integritatem formalem confessionis, et ut sacramentum pœnitentiæ causet suum effectum, non requiritur, quod omnia mortalia reipsa confiteantur : contingi namque frequenter plura inculpabiliter omitti, vel propter ignorantiam, vel propter oblivionem, vel ob instantem necessitatem ex ingruentia mortis aut notabilis alicujus periculi. Aliunde vero non remittitur unum aliquod mortale, quin remittantur omnia, et impossibile est oppositum contingere, ut ex proposito ostendimus in priori parte disp. 4, dub. 13, § 3 ; ergo in prædicto casu omnia peccata tam confessa quam non confessa remittuntur per sacramentum pœnitentiæ. Ubi autem aliquod peccatum per hoc sacramentum remittitur, opus non est illud eidem sacramento iterum subjicere ; siquidem jam subjectum est clavibus, quarum virtute, et non aliter operatur hoc sacramentum : ergo peccata mortalia in aliqua confessione invincibiliter oblita, vel instante periculo non explicata manent libera ab obligatione illa postea in alia confessione explicandi.

Sed falsitas hujus sententiæ colligitur efficaciter ex hactenus dictis : nam mortalia dubia cognita, et confessa ut talia, si postea cognoscantur ut certa debent u certa iterum confiteri : ergo pariter, et a fortiori mortalia, quæ nullo modo cognita nec confessa sunt, debent ubi in memoriam veniunt, subjici clavibus Ecclesiæ per expressam sui confessionem. Patet consequentia : quia multo magis subjectum clavibus Ecclesiæ supponitur peccatum quod saltem sub dubio subjectum fuit quam peccatum omnino, licet inculpabiliter, omissum, quod nulla sui expressa mentione subjectum est; ergo si confessum ut dubium debet iterum subjici, ubi certo cognoscitur ; multo magis peccatum in confessione

nfessione quoquo titulo, vel oblitum, vel nissum debet postea confiteri, ubi ejus cordamur, et non habemus urgens mo- :um illud subjiciendi. Nec par est deti- ri, aut alia expendere in profligando ntentiam adeo falsam, et periculosam : im damnata fuit inter alias a SS. Alexan- o VII, in Decreto sæpius allegato, et pro- sita num. 11, his verbis : « Peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti confessione exprimere. » Unde supervácaneum foret iis mediis uti ad ejus confutationem. Vi- atur tamen Emmanuel a Conceptione sp. 3, quæst. 8, ubi ex Moya, et Carde- is bene observat prædictam sententiam m solum post relatum decretum esse im- obabilem, et scandalosam, sed etiam te illud nunquam potuisse probabilem putari. Et plane fundamentum, cui inni- batur, falsum est, eliditurque concedendo imum syllogismum, et negando mino- m subsumptam, ut evidenter falsam : ia de jure divino est, quod omnia mor- lia post baptismum commissa subjician- r directe clavibus Ecclesiæ in sacra- ento pœnitentiæ per expressam eorum nfessionem, ubi fieri potest, ut ostendi- us contra hæreticos supra dub. 1, per tum. Unde licet supponantur remissa ias, et per alium medium, v. g. per con- itionem, adhuc confiteri expresse debent: que enim remittuntur absque confes- nis, et pœnitentiæ voto, reducendo ad xecutionem tempore opportuno, nempe i occasio adest confitendi expresse pec- ta : ergo sicut ille, qui per contritionem nsecutus fuit remissionem omnium mor- lium, tenetur nihilominus illa confiteri ; oppositum dicere foret hæreticum : sic iam ille, qui in sacramento pœnitentiæ nsequitur remissionem omnium morta- um, tam eorum, quæ in confessione ma- festavit; quam illorum, quæ ob invincibi- m oblivionem, vel instans periculum, l aliam justam causam non dixit, adhuc anet sub obligatione illa explicandi in nfessione, cessantibus illis motivis. Quia cut in priori casu non fuerunt confessa, c etiam nec in secundo ; cum tamen de re divino sit eorum expressa pro specie- is et individuis confessio, ubi fieri let, sicut loco citato latius expendimus.

208. Unde ulterius colligitur, quid dicendum de sententia, quam docent Valerus in differentia utriusque fori verbo *Nullitas*, different. 5, Delgadillo de pœnit. cap. 19, dub. 13, et Machado tom. 1, lib. 1, part. 1, tract. 2, docum. 3, nempe, quod peccata invincibiliter oblita in confessione, dum pœnitens illorum postea recordatur, possunt subjici, sive confiteri simplici sacerdoti, et per ejus absolutionem sacramentaliter dimitti, quin opus sit illa exponere sacerdoti approbato, et habenti jurisdictionem. In quam sententiam multum propendit relatus Murcia, quatenus dicit peccata in confessione oblita manere absoluta, sive remissa directe in sacramento, in quo simul cum aliis expresse confessis remittuntur, et motivum illorum est, quod simplex sacerdos habet potestatem Ordinis, et jurisdictionis (undecumque ista illi conveniat, de quo disp. 12, num. 68), ad absolvendum sicut a venialibus, sic etiam a mortalibus in alia confessione remissis ; sed supponitur, quod peccata mortalia, per oblivionem in alia confessione non explicata, fuerunt in eadem remissa ad remissionem eorum, quæ pœnitens expressit : quia eorum remissio supponitur fuisse directa ; siquidem sacerdos absolutionem direxit ad omnia pœnitentis peccata : ergo peccata in confessione oblita possunt confiteri simplici sacerdoti, et hic valet ab his sacramentaliter absolvere. Secundum Valer. Delgad. Machad.

Ceterum hæc sententia est multum falsa, illamque improbabilem vocat Hozes in expositione primæ propositionis ex damnatis ab Innocentio XI. Et ostenditur destruendo simul ejus motivum ; nam sacerdos simplex solum potest absolvere a materia non necessaria confessionis, ut sunt venialia absoluta, et mortalia jam confessa : sic etiam tradunt communiter Doctores, et constat satis evidenter ex Concil. Tridentino sess. 23, cap. 15, derogatis quibusvis in contrarium privilegiis, et consuetudinibus ; sed peccata invincibiliter oblita in priori confessione sunt materia necessaria futuræ confessionis : ergo non possunt submitti simplici sacerdoti, nec hic valet super illa proferre absolutionem. Cetera constant, et minor in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam si peccata invincibiliter oblita in priori confessione non essent materia ne- Vera sent. Concil. Trid.

cessaria sequentis ; sequeretur, quod peccata in confessione oblita non teneremur in sequenti confessione exprimere : quippe manifestum est nos non obligari ad exprimendum materiam non necessariam, ut ex terminis liquet : consequens autem est falsum, et reprobatum a Sede Apostolica, in propositione supra posita : « Peccata in « confessione omissa, seu oblita ob instans « periculum vitæ, aut ob aliam causam « non tenemur in sequenti confessione « exprimere. » Ergo peccata in priori confessione invincibiliter oblita sunt materia necessaria futuræ confessionis.

Evertitur motivum oppositæ sententiæ.

Ex quibus satis constat ad oppositum fundamentum. Sed insuper respondetur majorem solum verificari in potestate sacerdotis in ordine ad materiam confessionis non necessariam; quod non verificatur in casu præsenti, ut constat ex immediate dictis. Quare sicut peccata prius remissa per contritionem non possunt confiteri simplici sacerdoti, sed omnino exponenda sunt sacerdoti approbato, et jurisdictionem habenti ; quia licet prius remissa, non tamen fuerant prius confessa : sic etiam dicendum est de peccatis invincibiliter oblitis in confessione ; nam etsi remissa prius fuerint in confessione, non tamen confessa fuerunt : et quilibet fidelis tenetur peccata gravia legitime confiteri, cum valet. Minor etiam est falsa, quoad secundam partem : quia non contingit directa remissio peccatorum in hoc sacramento absque eorundem peccatorum confessione : licet enim peccata oblita remittantur simul cum confessis propter generalem omnium mortalium oppositionem cum gratia sanctificante, vel in minimo gradu communicata ; non tamen remittuntur directe, sed solum indirecte ad confessionem, et remissionem aliorum. Sicut etiam sacerdos absolvit ab omnibus peccatis, sed cum distributione necessario observanda : nam absolvit directe quidem a peccatis sibi confessis, et quæ sunt materia cognita in eo sacramentali judicio : indirecte vero ab omnibus, quæ ibi inculpabiliter latent : quippe cum terminus, sive effectus absolutionis sit gratia justificans omnibus incompossibilis, cuncta subduntur absolutioni, et remittuntur, quamvis cum differentia assignata. Sola vero, in quæ absolutio directe cadit, relinquuntur immunia ab obligatione tam novæ co fessionis, quam confessionis faciendæ cerdoti approbato ; in ceteris autem a modo remissis permanet quantum ad co fessionem, et electionem confessarii eade obligatio, ac si remissa non fuissent. Sic quandoque urgente necessitate contin remitti indirecte peccata reservata ad missionem directam non reservatorum, manet obligatio manifestandi suo tempo reservata legitimo superiori, ad quem pe tinet.

209. Si autem inquiras, an qui in co fessione annua omisit per oblivione aliqua mortalia, quorum post factam illa confessionem recordetur, teneatur illa s tim confiteri, ut adimpleat Ecclesiæ pr ceptum, vel possit illorum confessione differre, et in alium annum, vel temp remittere ? Responsio constat ex dictis eadem disp. num. 51. Et si inquiras cundo, quid censendum sit de senten Lugonis disp. 16, a num. 577, et Lean disp. 5, quæst. 72, affirmantium, qu quando pœnitens intendit manifestare merum omnium peccatorum, et tamen malam explicationem, et minorem d tinctionem illum adæquate, et perfecte declarat, si tamen confessarius ex qualita personæ, et ex aliis circumstantiis su cienter intelligit prædictum numerum modo, quo pœnitens illum exponere de derabat ; non est obligatus ad novam exactiorem peccatorum, quæ ipse n explicuit confessionem. Filgueira expone do propositionem proxime relatam conde natam ab Alexandro VII, dicit hujusmo opinionem, seu resolutionem multum a hærere illi propositioni damnatæ, atq ideo quod damnata etiam præsumi poss Sed Lastra in ejusdem propositionis exp catione censet eam sententiam fuisse in s probabilitate relictam. Et hoc nobis app ret probabilius : quia in tali causa juc cium factum est cum sufficienti cau cognitione tam ex parte pœnitentis inte dentis omnia mortalia manifestare, qua ex parte confessarii cuncta comprehe dentis, atque retinentis directe, et absol tionem dirigentis ad omnia licet non e plicata, tamen per confessionem adjunc circumstantiis sufficienter intellecta. Sec dicendum foret, si pœnitens non solu male explicaret peccata, sed nec eoru

speci

pecies, et numerum intelligeret : tunc nim, sicut illa non cognosceret, sic nec psa confiteretur ; atque ideo ubi eorum ostea recordaretur, deberet illa confiteri uxta veram, et certam resolutionem supeerius traditam.

DUBIUM VII.

Quæ integritas in confessione sacramentali servari debeat ?

Confessionis integritas refertur ad maeriam remotam sacramenti pœnitentiæ, iempe ad peccata, quæ absolutioni subuntur, et de quibus hactenus egimus a ub. 3, cum tribus sequentibus. Porro ex rædictis, et alibi frequenter inculcatis atis constat duplicem esse hujusmodi maeriam nempe aliam sufficientem, et vountariam, aliam autem necessariam. Illa onsistit in peccatis, quæ possumus, non amen debemus, confiteri, quia vel non adunt absolute sub obligatione confessioiis, vel huic eorum obligationi jam satisactum est, uti comparantur peccata veniaia, et peccata mortalia prius rite confessa. Iæc vero consistit in peccatis mortalibus ost baptismum commissis, et nondum onfessis ; hæc enim tam ex præcepto Diino, quam Ecclesiastico subjici debent Conessioni sacramentali saltem in proposito, t voto, ut satis constat ex dictis disp. præed. dub. 3, et in præs. dub. 1, et 2. Unde iquet propositam modo difficultatem de ntegritate confessionis locum tantum haere in materia ejus necessaria, secus auem in præcise voluntaria, et sufficienti : iam sicut hanc possumus omittere illam bsolute non confitendo, sic etiam possuaus in ejus confessione non observare inegritatem, sed pro libito confiteri quædam enialia, et non omnia, et aliquod mortale am confessum, suppressis aliis, ut ex se, t communi sententia liquet. Est itaque eferendum præsens dubium ad integritaem in confitendo materiam necessariam, eccata scilicet mortalia post baptismum dmissa, et non confessa. Distinguunt auem communiter Theologi duas in confesione integritates. Nam alia est materialis onsistens in eo, quod quis confiteatur omem materiam proxime explicatam, cuncta idelicet mortalia, quæ post baptismum fecit, et nondum confessus fuit. Alia est formalis consistens in eo, quod confiteatur ex prædictis peccatis cuncta, quæ hic, et nunc potest, et debet, ita quod nullum subticeat absque legitima excusatione. Quæ distinctio magis ex dicendis constabit.

§ I.

Proponitur communis resolutio, et obvii ex ea casus deciduntur.

210. Dicendum est pro sacramentali Confessione requiri per se loquendo integritatem materialem, per accidens autem, et satis frequenter sufficere integritatem formalem ; semper autem servandam esse utramque quantum ad subjiciendum omnia mortalia clavibus Ecclesiæ saltem in proposito, et voto. Hæc conclusio est communis inter Theologos, et sufficienter suadetur sola explicatione, quam adhibere curabimus singulis ejus partibus. Prior facile constat in prioribus quatuor hujus disputationis dubiis, ubi statuimus hujus Sacramenti materiam esse omnia mortalia post baptismum commissa, et non confessa, omnia, inquam, quantum ad species, numerum, et circumstantias mutantes speciem : ergo istorum omnium manifestatio, sive integritas materialis requiritur per se loquendo ad Confessionem sacramentalem. Quod luculenter docet Conc. Tridentinum, sess. 14, c. 5, ubi post præmissam institutionem hujus Sacramenti per modum judicii, et curationis, quæ confessarii exercere debent, subjungit : « Ex « his colligitur oportere a pœnitentibus « omnia peccata mortalia, quorum post di« ligentem sui discussionem conscientiam « habent, in confessione recenseri, etiam « si occultissima illa sint. » Et post pauca: « Cum universa mortalia peccata etiam « cogitationis homines iræ filios, et Dei « inimicos reddant, necessum est omnium « etiam veniam cum aperta, et verecunda « confessione a Deo quærere. Itaque dum om« nia, quæ memoriæ occurrunt, peccata « Christi fideles confiteri student, omnia « divinæ misericordiæ ignoscenda expo« nunt. Qui vero secus faciunt, et scienter « aliqua retinent, nihil divinæ bonitati « per sacerdotem remittendum propo« nunt. »

Resolutio communis.

Concil. Trid.

Major explicatio. Explicatur amplius: nam confessarius in hoc Sacramento gerit officium judicis, et medici, ut docet Concilium loco citato. Neutrum autem munus potest per se loquendo convenienter exerceri, absque integritate materiali confessionis, sive quin pœnitens sibi manifestet omnem materiam necessariam confessionis. Unde Concilium ait confessarios « judicium hoc cognita causa « exercere non potuisse, neque æquitatem « in pœnis injungendis servare, si in ge- « nere tantum, et non potius in specie, ac « sigillatim sua ipsi peccata declarassent. » Et infra: « Si enim erubescat ægrotus vul- « nus medico detegere, quod ignorat, me- « dicina non curat » Et hoc posterius fuse, D. Tho. et pulcherrime expendit D. Thomas quæst. 9, supplem. art. 2, his verbis : « In medi- « cina corporali oportet, quod medicus non « solum unum morbum, contra quem me- « dicinam dare debet, cognoscat, sed etiam « universaliter totam habitudinem ipsius « infirmi : eo quod unus morbus ex ad- « junctione alterius aggravatur, et medi- « cina, quæ uni morbo competeret, alteri « nocumentum præstaret. Et similiter est « in peccatis, quia unum aggravatur ex « adjunctione alterius, et illud, quod uni « peccato esset conveniens medicina, al- « teri incentivum præstaret ; cum quan- « doque aliquis contrariis peccatis infectus « sit ut Gregor. in Pastor. docet. Et ideo de « necessitate confessionis est, quod homo « omnia peccata confiteatur, quæ in me- « moria habet. Quod si non faciat, non est « confessio, sed confessionis simulatio. » Atque in eodem art. in responsione ad 2, proponit aliud congruentiæ motivum, ut confessio sacramentalis importet per se loquendo hanc integritatem materialem, sive manifestationem omnium nondum confessorum. « Et præterea sacerdos, « *inquit*, confessionem audiens vicem Dei « gerit : et ideo debet ei fieri hoc modo « confessio, sicut fit Deo in contritione. « Unde sicut non esset contritio, nisi quis « de omnibus peccatis, quæ memoriæ oc- « currunt, contereretur, ita non esset con- « fessio, nisi quis de omnibus, quæ memo- « riæ occurrerint, confiteatur. » Unde ma- gis fulcitur, et declaratur eadem assertio- nis pars : nam præceptum confessionis sacramentalis ex institutione Christi su- brogatum est in lege Evangelica loco præ- cepti contritionis, quæ ab initio necessari fuit ad delendum peccata : ergo sicut hæ non aliter illa delet, quam omnia detes tando sine exceptione, sic etiam sacramen talis confessio non aliter concurrit a delendum peccata, nisi cuncta manifes tando, et Ecclesiæ clavibus submittendo In quo non amplius immoramur, quia sa- tis superque constat ex alibi dictis, tum in priori parte disp. 4, dub. 2, ubi ostendi- mus virtutem pœnitentiæ habere vim de- lendi omnia mortalia, nec unum posse absque omnibus aliis remitti. Eadem au- tem virtute gaudet in suo genere confessio sacramentalis. Et modus, quo mortalia in suo genere delet, est per modum accusa- tionis, et manifestationis eorum : sic enim a Christo instituta fuit : quare ad ejus in- tegritatem pertinet per se loquendo, quod pœnitens omnia manifestet, et de eis se accuset, idque per se loquendo præstare tenetur. Deinde disp. 7, a num. 78, osten- dimus dolorem pro hoc Sacramento requi- situm debere terminari ad omnia mortalia in particulari, et proinde procedere sub motivo universali omnia manifestante; nec aliter, aut sub limitatiori motivo ad valo- rem sacramenti sufficere : ergo pariter sacramentalis confessio, quæ per prædic- tum dolorem constituitur in esse accusa- tionis, debet per se loquendo observare eandem universalitatem, manifestando vi- delicet omnia sine alicujus exceptione mor- talia post baptismum commissa, et nondum confessa, sive Ecclesiæ clavibus directe subjecta.

211. Secunda etiam ejusdem resolutionis pars, videlicet, quod per accidens, et satis frequenter sufficit pro sacramentali con- fessione integritas formalis, licet materia- lis desit, facile declaratur, et suadetur : nam integritas formalis in eo consistit, quod quis, ubi confitetur, manifestet om- nia mortalia, quæ potest, et debet ex non hactenus confessis ; sed per accidens, et frequenter contingit pœnitentem non posse, ac subinde nec debere manifestare in confessione omnia mortalia non con- fessa, quæ post baptismum fecit : ergo in talibus circumstantiis non obligatur ad materialem confessionis integritatem, sive ad confitendum omnia mortalia sine ali- cujus exceptione ; sed solum ad integrita- tem formalem, sive ad confitendum tunc illa

lla præcise, quæ tunc potest, et debet. Cetera constant, et minor in qua poterat esse difficultas, etiam liquet : nam ut modo mittamus plures casus infra proponendos, llamque evincentes, manifestum est hominem multoties pati oblivionem inculpabilem aliquorum mortalium, quæ re ipsa post baptismum commisit, et nunquam exposuit in confessione : quæ proinde cum eam oblivionem patitur non potest, nec debet in tali confessione manifestare. Quem casum expresse proponit Concil. Tridentinum ipso loco supra relato, in quo docet necessitatem integritatis materialis confessionis, ubi fieri valet : nam suavitatem præcepti Divini, et Ecclesiastici circa hoc exponens, et ora hæreticorum retundens, inquit : « Sed et impium est confessionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere aut carnificinam illam conscientiarum appellare. Constat enim in Ecclesia nihil a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes, et latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit : reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum eadem confessione inclusa intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus : Ab occultis meis munda me Domine. » Sicut autem hæc impotentia excusat hominem ab integritate materiali confessionis omnium re ipsa peccatorum, sic etiam aliæ excogitari valent, de quibus statim, quæ ab eadem excusent. Ratio vero hujus dispositionis est a priori ipsa Christi Domini institutio, qui ita voluit omnia mortalia post baptismum commissa subjici clavibus Ecclesiæ, ut nihilominus non præceperit impossibilia, ut est recensere in confessione, quæ homo ignorat per inculpabilem oblivionem. Quod plane congruit, et suavi Dei providentiæ, et hominum imbecillitati, et opportuno usui hujus remedii. Idque notissimum est ab ipsa praxi totius Ecclesiæ, communi sensu fidelium, et concordi sententia Theologorum ; quin opus sit pro ideo perspicua veritate alia fundamenta adjicere.

Debet tamen sane intelligi, et aliquibus moderationibus temperari, ne in pravum detorquatur abusum. Cum enim præceptum confessionis obliget per se ad materiam ejus integritatem, sive ad confitendum omnia mortalia, quæ memoriæ occurrunt post baptismum commissa, et hactenus non confessa ; illi per se loquendo standum sine exceptione est, nisi adsit impotentia physica, vel moralis aliquod, vel aliqua manifestandi. Ad quam impotentiam, ut talem prudenter esse censeamus, non sufficit quælibet difficultas etiam gravis, sed majus aliquid desideratur, ut ex decisione casuum statim proponendorum magis constabit. Rursus, qui habet justam causam, quæ illam impotentiam fundet, ad non confitendum aliquod peccatum, debet alia omnia, in quibus ea causa non occurrit, integre confiteri. Quin et ipso aut de ipso peccato, quod tacet, debet dicere, quantum non obstante ea causa valet : atque ideo illud manifestare in genere remoto, aut proximo, si inconveniens est illud detegere in propria specie, ut peccatum luxuriæ nullam hujus speciem determinando : vel dicere tale peccatum quantum ad consensum internum, supprimendo opus externum : vel explicando ejus substantiam præcise, et non explicando circumstantiam, quamvis variet speciem. Et quamvis Lugo disp. 16, num. 528, de hoc dubitet, quia confessarius statim ab hoc confitendi modo excitabitur ad inquirendum de circumstantia, aut de specie infima peccati, quam si neget pœnitens, exponitur periculo negandi peccatum, quod fecit, aut confitendi, quod non fecit ; scrupulus levis est, et facile propellendus. Quoniam pœnitens vere confitetur illud individuum genericum peccati, quod vere admisit : et confessario ulteriora inquirenti submissa discretione respondebit se exposuisse, quidquid debuit, et justam causam habere ad interrogata non respondendi : quod ipse confessarius, si prudens est, vel ex ipso modo confitendi facile dignoscet, et interrogationes atque suspiciones in se præcidet, atque in pœnitente non necessariam molestiam. Ab eadem radice provenit hunc non posse subticere apud confessarium peccatum, et deficere in materiali confessionis integritate, quando potest alium adire sine notabili incommodo, apud quem integre, ut per se debet, confiteatur : quia in tali casu cessat ista

Limitatur doctrina

Lugo.

causa, ut peccatum subticeat apud alium. Sufficiens autem excusans incommodum censent satis communiter Auctores, si ad confitendum cum alio opus foret aggredi longum, aut laboriosum iter juxta conditionem personæ; si opus esset expectare per longum tempus alium confessarium, præsertim ubi urgeret instans præceptum annuæ confessionis, vel necessitas communicandi in Paschate. vel occasio lucrandi in determinato die Jubilæum, vel denique si ex dilatione confessionis juxta ordinariam pœnitentis consuetudinem sequeretur aliqua nota in familia hæc observante. Quanta vero censeatur nimia confitendi dilatio, ut pro hac materia referat, non possumus certa et uniformi regula dimetiri : plerumque enim desumenda est per respectum ad varias personas, et eorum statum. Unde in sacerdote solito quotidie celebrare non dubitamus sufficientem esse, aut etiam nimiam dilationem ultra biduum : unde non obligaretur ad servandam materialem confessionis integritatem expectando ultra illud alium confessarium; sed posset illi confiteri, apud quem opus haberet subticere peccatum aliquod, servando pro tunc illam integritatem formalem. Videatur Suarez disp. 34, n. 13, Lugo disp. 16, n. 416, Aversa quæst. 10, sect. 15, § *Secundo ei potest*, N. Franciscus de Eucharist. cap. 7, n. 52, et de pœnitentia cap. 8, nu. 123.

Suarez, Lugo, Aversa, Franc.

Ratio. 212. Tertia denique assertionis pars, nempe utramque integritatem debere in confessione servari saltem in proposito, sive voto subjiciendi omnia peccata clavibus Ecclesiæ, liquet ex duabus præcedentibus. Nam cum jure tam Divino, quam Ecclesiæ teneamur omnia mortalia confiteri nullo excepto, ut patet ex dictis pro prima; et aliquando occurrere vel impotentia, vel justa causa aliquod subticendi, ut constat ex dictis pro secunda; consequens est, ut vel in hoc casu debeat adesse in pœnitente propositum, sive votum omnia explicite confitendi, et subjiciendi clavibus tempore opportuno, sive quam primum commode potuerit, supplere defectum integritatis materialis, et confiteri expresse, quod prætermissit. Confirmatur, et declaratur exemplo : nam ita se habet, qui confitens peccata, quæ potest, tacet aliquod peccatum, quod tunc explicare non potest, aut debet, sicut qui non habens copiam confessarii elicit contritionem : sicut enim hic consequitur justificationis gratiam, et omnium peccatorum remissionem; sic etiam iste consequitur remissionem non solum peccatorum, quæ confitetur, sed etiam ejus, quod rationabiliter tacet : neque enim fieri valet, ut ex mortalibus unum remittatur omnibus non remissis. Sed licet quis per contritionem consequatur remissionem omnium mortalium, nihilominus id non contingit absque proposito, sive voto confitendi omnia suo tempore; et ideo illo accedente debet omnia confiteri: alias in præsenti providentia justificaremur per contritionem independenter a sacramento pœnitentiæ quod dicere est hæreticum. Unde Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 5, docet : « Contritionem « etsi aliquando charitate perfecta contin- « gat, hominemque Deo reconciliare, prius « quam hoc sacramentum actu suscipiatur, « ipsam nihilominus reconciliationem sine « sacramenti voto (quod in illa includitur) « non esse adscribendam. » De quo late diximus supra dub. 1, et locis in eo relatis. Ergo pariter, cum quis ex justa causa dimidians confessionem, sive aliquod aut aliqua mortalia non explicans consequitur omnium remissionem; id non contingit absque proposito, sive voto illa explicite confitendi tempore opportuno, ad idque illo superveniente obligatus manet.

Confirm.

In assignando autem hujusmodi tempus variant Auctores : nam Corduba in Summa quæst. 1, Henriquez lib. 2, de pœnitentia cap. 12, nu. 3, et quidam alii docent eum, qui ex justa causa aliquod mortale subticuit, debere illud confiteri quam primum postea possit. Sed hoc generaliter non est verum : quia nec jure præcipitur, nec ex ratione ad naturam, et institutionem hujus sacramenti consequitur, et alias inducit angustias non necessarias, ut patet in eo, qui per contritionem justificatur, qui non tenetur confiteri statim ac possit : quin nec qui mortaliter peccat, tenetur statim ad contritionem, ut ostendinus in priori parte disp. 3, dub. 7, § 1. Ergo multo minus tenetur homo ad confitendum, ubi primum valeat, illud mortale, quod in confessione ex justa de causa non expressit, sed tamen in ea deposuit simul cum aliis, quæ explicuit, et a quibus directe absolutus

tus est. Diximus generaliter eam sententiam non esse veram : non enim negamus in aliquo speciali casu, et ob rationem specialem posse eam obligationem urgere, ut patet in sacerdote, qui sicut ubi conscius peccati mortalis, et non habens copiam confessarii, ubi debet celebrare, tenetur ad contritionem, et ad postea confitendum, quam primum valet, illud peccatum ; sic etiam quando confessarium habet, apud quem tamen opus sit aliquod mortale tacere, illudque confitens tacet, obligatur ad illud in alia confessione manifestandum, quam primum queat, ut paritatis ratio satis evincit. Id vero non provenit ex aliqua obligatione omnibus pœnitentibus generali : sed ex speciali dispositione, et mandato Concilii Tridentini id sacerdotibus injungentis sess. 13, cap. 7, illis verbis : « Quod a Christianis omnibus « etiam ab his sacerdotibus, quibus ex « officio incubuerit celebrare, perpetuo « servandum esse decrevit, modo non « desit illis copia confessoris. Quod si ne- « cessitate urgente sacerdos absque prævia « confessione celebraverit, quam primum « confiteatur. » Sotus in 4, dist. 18, q. 2, ar. 5, et Medina lib 1 Sum. c. 14, § 41, significant eum, qui juste subticuit in confessione aliquod peccatum (sicut ex oblivione inculpabili posse contingere non est dubium) debere illud infra annum confiteri, idque ex ipso præcepto annuæ confessionis. Sed nec istud placet : quoniam fieri valet, quod pœnitens in ipsa annua confessione per quam satisfacit Ecclesiæ præcepto, tacuerit rationabiliter aliquod mortale, a quo indirecte absolutus est simul cum aliis expresse confessis, et directe remissis : in quo casu incredibile est Ecclesiam obligare ad aliam in eodem anno confessionem pro solo illo peccato, quod justa de causa non fuit expressum, sive non obligat ad confitendum illud mortale, quod post peractam annuam confessionem admittitur intra eundem annum : quamvis non supponatur aliquo modo remissum, et subjectum clavibus, sicut in præsenti casu supponitur. Veriorem itaque, et omnino expeditam censemus illorum sententiam, qui docent pœnitentem in præmisso casu debere explicare illud peccatum in prima, quam faciat, confessione, sive sit annua ex præcepto Ecclesiæ, sive omnino voluntaria ex pœnitentis devotione, vel arbitrio ; dummodo in illa non occurrat pristina necessitas, vel rationalis causa subticendi sicut prius idem peccatum, ut forte contingeret, si non haberet nisi eundem confessarium. Nam si alius adsit, cessentque motiva illud peccatum non declarandi, instat obligatio ipsum confitendi cum aliis, quæ pœnitens vel ex obligatione, vel ex libera voluntate confitetur, ut scilicet fiat satis præcepto Divino, et Ecclesiastico obliganti per se ad integritatem materialem, sive ad confessionem omnium absque ullius exceptione. Ita Sylvester verbo *Confessio* 1, num. 3, Sylvius quæst. 9, Supplem. art. 5, quæst. 3, Navarrus in Sum. cap. 2, num. 10, Lugo disp. 15, n. 165, Diana part. 3, tract. 4, resolut. 124, et alii frequenter. Sylvest. Sylv. Navarr. Lugo. Diana.

213. Ex præmissa aut communi assertione hactenus explicata cölligitur decisio plurium casuum, quorum multi sunt satis vulgares, ac faciles, et proinde statim, et simul subjiciendi ; alii vero important majorem difficultatem, exiguntque accuratiorem discussionem, et eos propterea seorsim in sequentibus proponemus. De qua materia non pauca diximus supra dub. 2, § 6. agentes de causis excusantibus ab annua confessione. Sed supersunt alia magis specialia hic colligenda, et quæ magis respiciunt obligationem integre confitendi tam ex præcepto divino, quam ex charitate, secundum quam tenetur homo consulere propriæ saluti per medium confessionis integræ, vel non integræ ubi illa periclitatur, et alia media non occurrunt securiora. Primo igitur infertur, quod sicut inculpabilis oblivio alicujus peccati mortalis excusat ab ejus confessione, sic etiam bona fides, et etiam opinio probabilis, quibus aliquis sibi prudenter persuadet, vel non peccasse mortaliter, vel se tale peccatum confessum fuisse ; quia hæc æquivalent quantum ad hoc naturali, et inculpabili oblivioni : quare defectus integritatis materialis in prædictis casibus non oberit valori, et fructui confessionis. Sed ubi pœnitens postea comperiat se vel per oblivionem, vel per bonam fidem, vel per opinionem probabilem aliquod mortale non fuisse confessum, tenebitur illud confiteri, ut constat ex late dictis dub. præcedent. et quidem in prima confessione, in qua Consectarium I

valeat sine incommodo illud manifestare, ut immediate observavimus

Secundum. 214. Infertur secundo excusari pœnitentem ab integritate materiali confessionis, sive posse aliquod vel aliqua mortalia hactenus non confessa tacere propter impotentiam physicam omnia manifestandi. Quæ impotentia potest occurrere in primis ex parte pœnitentis, ut cum gravi morbo, aut vulnere, aut alio periculo oppressus non potest plura, quæ habet, peccata exprimere : debet enim absolvi licet non integre confiteatur, ut satisfiat præcepto divino tunc obliganti, et cui occurritur per confessionem, licet per accidens, integram tamen formaliter. Ad quam impotentiam reducitur impotentia linguæ, ut cum pœnitens vel quia mutus, vel quia nimis balbutiens, vel quia alieni idiomatis nequit omnia peccata sua exponere, quia non propterea privandus est confessionis fructu, nec pœnitens ab ejus obligatione eximendus,

Navarr. Lopez. Bonac. Granad. Castro. Franc. ut docent Navarrus, Lopez, Bonacina, Granados, Castro Palao. et alii communiter apud N. Franciscum cap. 8, punct. 5; dubitant autem, an sic impeditus teneatur ad integritatem, et exactam sui peccatorum confessionem scripto, aliis nutibus adjunctis, faciendam, si potest. Et multorum sententia est nullum vel ad integram, vel ad dimidiatam confessionem exequendam mediante scriptura obligari : quia hæc ex sui conditione est instrumentum publicum, multis periculis expositum, si deperdatur, vel a confessario retineatur ; idque adversatur secreto, quod sacramentalis confessio ex sua institutione exposcit. Ita senserunt

Cajetan. Navarr. Henriq. Villalob. Cajetanus verbo *Confessio*, condit. 11, Navarrus in Sum. cap. 21, nu. 36, Henriquez, Villalobos, et alii apud Aversam statim referendi. Sed veriorem putamus contrariam sententiam affirmantem, quod pœnitens tenetur ad confitendum per scriptum si potest ; et non solum ad manifestandum dimidiate peccata, sed etiam ad integram, et exactam per se illorum confessionem. Quia hoc medium non est admodum difficile : et aliunde sufficiens cautela, et securitas adhiberi potest ad conciliandum secretum confessioni debitum, ut si ea peracta statim charta dilaceretur, aut comburatur. Et sic docet D. Thom. in 4,

D. Tho. dist. 17, quæst. 3, art. 4, quæstiunc. 3, ad 2, his verbis : « Dicendum, quod in eo, qui « usum linguæ non habet, sicut mutus, ve « qui alterius linguæ, sufficit, quod pe « scriptum, aut per nutum aut interpreten « confiteatur ; quia non exigitur ab homin « plusquam possit : quamvis homo no « debeat baptismum accipere nisi in aqua « quia aqua est omnino ab exteriori, e « nobis ab alio exhibetur : sed actus con « fessionis est a nobis, et ideo quando no « possumus uno modo, debemus secundun « quod possumus, confiteri. » Idemqu affirmant Petrus de Soto lect. 11, de Pœni tent. Sylvester verbo *Confessio*, num. 16 Nugnus quæst. 9, art. 3, Suarez disp. 36 sect. 6, Vasquez quæst. 91, art. 4, dub. 5 Major, Gabriel, Lugo, Becanus, et alii quibus relatis subscribit Aversa quæst. 10 sect. 4, § *Quanto ille*. Idem fere dicendun est de confessione per interpretem, ub aliter fieri non posset, et alias non aliu adesset medium ad salutem, ut si consciu peccati mortalis, et constitutus in articul mortis, nullam secure in se recognoscere contritionem, sed solam attritionem. Nan licet homo ex præcepto Ecclesiæ non obli getur ad confessionem per interpreten sive ad ullam non secretam, ut constat e primitus proposito in cap. *Omnis utri usque sexus* (de quo late diximus dub. 2 ibi : « Teneatur solus sua peccata confite « sacerdoti : » nihilominus ad id obli gatur in præmissis articulo, et angus tia tum ex præcepto divino, tum ex na turali charitatis præcepto erga se ipsun procurando propriam salutem, per me dia possibilia . Unde sicut per se lo quendo non obligatur homo confiteri pe scriptum, et tamen aliquando ad id obli gatur, ubi aliter confiteri non potest u proxime diximus, sic etiam de confession per interpretem dicendum est. Sed illu interest discriminis inter unum, et aliu casum, quod confessio per scriptum pote esse simpliciter secreta inter pœnitenten et confessarium : unde provenit pœniten tem confitentem per scriptum debere omni peccata exponere, si potest, sed facta pe interpretem non est secreta saltem respect interpretis ; quare pœnitens deobligare tur a manifestatione omnium peccatoru per medium adeo difficile, et cum propri famæ dispendio. Unde non pauci puta sufficere in tali casu confiteri aliqua ve nialia supra quæ caderet directe absoluti

et simul indirecte excluderet omnia mortalia. Sed longe consultius est, et censemus necessarium pœnitentem confiteri aliquod mortale, vel in specie ex illis, quæ minorem notam inducunt, vel saltem in genere manifestando se simpliciter peccatorem, et injustum coram Deo. Multum namque dubitaremus de vera illius contritione, qui in simili discrimine positus, aliud renueret patefacere, quam delicate aliquod leve et vel perfectis commune. Recolantur supra dicta num. 69.

Deinde eadem impotentia physica confitendi integre omnia peccata potest concurrere, et ab integritate materiali excusare non in uno tantum pœnitente, sed in multis in eodem simul mortis articulo, aut periculo constitutis, v. g. naufragii, terremotus, incendii, aut prælii, et devastationis per inimicos, si unus, aut pauci pro eorum confessionibus excipiendis, sacerdotes adsint. Nam ex una parte omnes mortalis conscii tenentur eo articulo confiteri modo, quo possint : et ex alia parte impossibile est, quod omnes integre integritate materiali confiteantur : ubi enim sacerdos uni, aut aliquibus exactam confessionem audiens adesset, alii sine remedio confessionis perirent. Quare confessarius in tali casu audiens illos confitentes in communi, et confuse eorum peccata, et clamorem pro absolutione posset absque ulteriori indagatione simul uno verbo absolvere dicendo : *Ego vos absolvo a peccatis vestris*, ut bene observant Sylvester loco citato n 23, resolut. 74 et alii communiter. Qui casus nec novus est, nec fidelium praxi, et piorum approbatione destitutus. Nam ut alia exempla omittamus, annis præteritis (inquit Aversa qu. 10, sect. 5 in fine) magna pietatis laude auditum est, erumpentibus e Vesuvio monte ingentibus flammis et tota civitate Neapolis terremotibus contremente, passim in viis, et templis plurimos graviora sua peccata coram quolibet obvio sacerdote proclamasse, absolutionem petendo. Quæ graviorum licet non omnium (quia fieri non poterat) confessio in signis erat veræ pœnitentiæ, et debitæ absolutionis demonstratio.

215. Infertur tertio non obligari pœnitentem ad integritatem materialem, sed posse aliquod, vel aliqua peccata tacere, ubi occurrit impotentia moralis omnia manifestandi : quæ impotentia latius patet, quam physica, quippe adest, quoties absque gravi damno, et incommodo proprio, vel alieno nequeunt omnia mortalia explicari. Et ita resolvit communis sententia, Scotus, Navarrus, Suarez, Henriquez, Coninchus, Layman, Bonacina, et alii, quibus subscribit N. Franciscus cap. 8, punct. 5, n. 119. Et incipiendo ab ipso pœnitente, excusatur ob hanc impotentiam quando non potest confiteri secreto propter præsentiam aliorum ibi simul concurrentium : nam ad vitandum propriam apud illos infamiam poterit dimidiare confessionem, manifestando aliquod peccatum, et tacendo alia, quæ ei graviorem notam valent inducere, ut notat Aversa q. 10, sect. 15, § *Tertius casus*. Excusatur etiam, ubi ex longa, et usque ad finem perducta confessione, et præsentia confessarii timet sibi gravem, et contagiosum morbum, ut si confessarius sit leprosus aut peste infectus. Quin etiam aliqui excusant infirmum, qui ob debilitatem, vel dolorem capitis non posset sine magno labore, et damno sermonem protrahere, aut summas hujus sustinere angustias : posset namque absolvi post aliqua audita, relinquendo alia pro opportuniori occasione. Excusatur præterea ubi cum prudenti fundamento metuit confessarium revelaturum esse aliquod peccatum, si illud exponat : nam cum Christus instituerit hoc sacramentum sub altissimo sigilli secreto, potest licite pœnitens tacere illud peccatum, quod timet fore revelandum a confessario. Excusatur deinde, et non absimili ratione, quando sibi timet aliquod grave damnum temporale, v. g. excitare contra se odium, et persecutionem confessarii, ut si manifestet se occidisse patrem, aut fratrem ejus, vel confessarius in hanc notitiam ducetur ex circumstantiis loci, temporis, aut aliis, cum quibus aliquis confitetur homicidium. Et ob eandem rationem, atque a fortiori excusatur, si timeat sibi aliquod grave damnum spirituale, utputa inducendum ad turpia, vel alia flagitia, si confessario similia a se commissa referat, et detegat. Denique si pœnitens opus haberet celebrandi, vel communicandi neque id vitare posset absque gravi sui nota, et infamia ; aliunde vero opus habeat faciendi confessionem multum prolixam aut forte gene-

Scotus, Navarr. Suarez, Henriq, Coninch: Layman. Bonacin. Franc.

Morbus contagiosus, etc.

ralem plurium annorum, ob præcedentium invaliditatem tunc deprehensam, quam tamen facere non valet ob temporis, et aliarum circumstantiarum angustias : in his itaque posito licitum erit facere confessionem dimidiatam, sive non integram materialiter, confitendo illa peccata, quæ tempus, et aliæ circumstantiæ permiserint, reliqua remittendo ad primam opportunam pro omnibus occasionem, et ab obligatione tunc confitendi saltem dimidiate, et secundum integritatem formalem non excusatur, quamvis putet se habere perfectam in peccatis contritionem, ut minus recte significavit Granado controvers. 7, disp. 5, sect. 3 ; nam concesso, quod sic censeat, et vere eam contritionem habeat, adhuc debet ante communionem præmittere confessionem eo modo, quo potest, nempe dimidiatam, et integram formaliter, sive cum proposito alia omnia confitendi, cum possit. Videantur, quæ diximus tract. 23 de Euchar., disp. 11, dub. 3, § 1, ubi non pauca occurrunt ad hunc casum pertinentia. An autem, qui in prædicto casu habet reservata et non reservata possit hæc confessori inferiori exponere tacendo illa, constat ex supradictis num. 70.

Granad.

Quod vero propter grave damnum alienum (quæ est altera hujus corollarii pars), excusetur pœnitens a recensendo omnia peccata, et possit aliqua omittere constat in casibus sequentibus. Tum quia, si pœnitens sit peste infectus, vel alio morbo contagioso, et confessarius nequeat omnia peccata absque manifesto periculo ejusdem contagii audire ; non est necessarium integram confessionem continuari, sed potest accelerari aliquibus, et multis peccatis tunc omissis, aut non expressis, ut contra Marchinum de Peste, part. 3, cap. 4 docent Suarez, Zambrana, Diana, Granados, et alii plures, quibus subscribit Aversa ubi proxime in casu 6 ; idque a fortiori verificatur, et practicari debet, ubi ad excusandum a materiali confessionis integritate concurrit non solum periculum corporale confessarii, sed etiam periculum spirituale aliorum pœnitentium, et peste laborantium : nam pro eorum etiam confessionibus audiendis, et salute procuranda debet se sacerdos conservare, maxime in penuria ministrorum. Contra quod faceret audiendo cum periculo contagii integram, si prolixa esset, unius peste infecti confessionem, et deserendo omnes alios eodem ope spirituali indigentes. Tum, quia si pœnitens, vel sua experientia, vel aliorum fide dignorum relatione prudenter timeat confessarium, si audiat peccata carnis, movendum fore in pravum consensum, vel sollicitaturum ipsum pœnitentem ; quamvis ipse agat securus, nihilominus posset tacere rationabiliter ejus generis peccata ob imminentem ab opposito lapsum confessoris. Et quamvis aliqui id restringant ad casum, in quo ille laberetur ex sola fragilitate, et ubi pateretur scandalum quasi activum, non vero si peccaret ex malitia ductus solo scandalo positivo ; non immerito Aversa ubi proxime excludit hanc limitationem, securum putans posse pœnitentem tacere illud peccatum, quod relatum futurum sit causa ruinæ in confessariis. Tum, quia si pœnitens sit confessarius aliquis, qui gravem culpam commisit sic audiendo alterius tertii confessionem, et hic, et nunc si suum defectum explicet, imminet periculum revelandi illius tertii peccatum cum ejus præjudicio, aut qualibet violatione sigilli ; minime debet, aut potest suum peccatum explicare, sed illud reservabit ad aliud tempus, et confessariis, ubi possit sine illo periculo exponi. Et idem dicendum est, quoties pœnitens prudenter timet, quod ex manifestatione sui peccati excitabitur confessarius ad odio habendum, et persequendum aliquem tertium : nam charitas solum obligat ad præcavendum, et vitandum illud proximi detrimentum. Unde plures colligunt, quod si ex relatione, quam pœnitens faceret proprii peccati, confessarius veniat in notitiam alterius tertii, videlicet complicis in eodem peccato, cujus proinde pristinum bonum conceptum amittat ; pœnitens poterit quin debebit illud peccatum tacere ad vitandum proximi infamiam. Sed hoc tangit magis specialem difficultatem, quam seorsim § sequenti discutiemus.

Suarez, Zambr. Diana, Granad. Aversa.

216. Sed descendamus ad opposita communis sententiæ corollaria, et infertur quarto, quod pœnitens non excusatur ab explicando aliquod peccatum mortale, nec dici potest subire ex tali manifestatione grave incommodum, aut damnum grave, si solum timeat acrem confessoris reprehensionem, vel patiatur maximam confusionem

sionem, et pudorem in revelando aliquod rpe, et enorme a se commissum, vel nittat optimam existimationem apud nfessarium, quam hic prius de illo haabat, recognoscentem improbum, et gram peccatorem, quem ante pium, et sanctum putabat. Nihil tamen horum, in ibus aliqui magis torquentur, quam ibusvis temporalibus suppliciis, excusat enitentem a manifestatione peccati: quia mediate, et per se consequuntur confesonem, et sunt ei connexa, et illis non stantibus instituta, et præcepta est a ristо Domino cum omnimoda per se quendo integritate materiali, ut constat dictis n. 210, ubi non adest impotentia ysica. vel moralis ab extrinseco, et eim confessioni accidentaria, qualem in ræcedentibus consectariis descripsimus. nde sic docent omnes quin ullum catholicum viderimus oppositum asserentem, t insinuantem. Plures tamen docent odum vitandi eam confusionem, sive on amittendi illam bonam existimationem, quam apud consuetum confessarium abebat, ut indicavit Victoria num. 196 icendo, non damnarem eum, qui semel cidit in mortale, non solitus peccare, si onfiteatur alteri, ne perdat opinionem, uam habet apud primum confessorem uum, quod postea docuerunt Navarrus, Henriquez, Suarez, Villalobos, Bonacina, iana, et alii plures, quibus relatis subscribit Leander disp. 4, quæst. 11. Nec id egamus, sed tamen monemus contingere osse, ut ille modus confitendi apud dersos confessarios cum distributione, et rtificio insinuatis sit peccatum mortale, si œnitens ob eorum usum permaneat in ccasione mortaliter peccandi, aut se expoat periculo novum mortale admittendi, bi confessarius ipsum habitualiter guberans non cognosceret ejus statum, et lapum. Aliunde suspecta nobis ejus pœnitenia foret, cui tanta esset adhæsio propriæ pinioni, et existimationi, ut eo artificio nteretur ad eludendum confessarium, præertim si ab eo honores, et alia commoda emporalia expectaret. Unde Sylvester erbo *Confessio* 1, qu. 6, notat cum Hosiensi non esse conveniens variari in confesariis, sicut neque infirmos mutare medicos. Et quamvis non affirmet id ex genere, et pro prædicto fine esse mortale : observat tamen mortale esse ubi quis non esset dispositus, et paratus dicere proprio confessario, si alium non haberet : sicut, inquit, plerumque faciunt imperfectæ mulierculæ, quæ volunt habere ad complacentiam unum confessorem, cui dicant omnem veritatem de lascivis, et ad reputationem unum timoratum, et bonæ famæ, cui post confessionem cum primo factam, dicant levia tantum : et talis hypocrisis posset esse mortalis.

217. Infertur quinto falsam, et minime sustinendam esse opinionem illorum, qui dixerunt in celebri aliquo festo, aut jubilæo, ubi esset magnus pœnitentium concursus, et tempus non sufficeret ad integras singulorum confessiones, posse illas dimidiari, sive fieri quoad aliqua peccata, alia tacendo. Ita aliqui apud Coninchum disp. 7, nu. 93. Id tamen nullo modo, ut diximus, est admittendum, sed potius confessarii debent audire integras confessiones illorum, quos possint ceteros relinquendo : quia integritas confessionis est de jure divino, et obligat per se loquendo, nisi excuset impotentia ex radicibus supra assignatis : hujusmodi autem dici nequit magnus concursus ex festo, aut jubilæo, sed quilibet posset suam devotionem pro confitendo in aliud tempus magis opportunum remittere ; et pluris attentis omnibus interest semel bene, et absque jubilæo confiteri perfecte, hoc est, integre undequaque, quam pluries imperfecte pro magnis festivitatibus. Sed quid in præsenti motivis aliis egemus, quamvis alia multa possemus adjicere ? Res decisa est, et opposita illorum sententia proscripta a Sede Apostolica in decreto SS. P. Innocentii XI, damnantis diversas propositiones, quarum 59 erat : « Licet sacramentaliter ab« solvere dimidiate tantum confessos ra« tione magni concursus pœnitentium « qualis v. g. potest contingere in die ma« gnæ alicujus festivitatis, aut indulgen« tiæ. » Illat. 5. Propositio damnata.

218. Infertur sexto, quid dicendum sit ubi pœnitens habet peccata reservata, et non reservata. Poterit ne cum confitetur superiori sola reservata, absolvi ab illis, et remitti ad confessarium ordinarium, cui confiteatur non reservata, eorumque absolutionem obtineat ? Aut vice versa, quando confitetur confessario ex necessi- Illat. 6.

tate, vel vitandi infamiam, vel satisfaciendi annuo Ecclesiæ præcepto, poterit confiteri præcise peccata non reservata, quæ illius jurisdictioni subduntur, tacendo reservata, quorum absolutio ad superiorem spectat? Sunt non pauci, qui in utroque casu affirment. In primo Cajetanus, Sotus, Navarrus, Gerson, et alii apud N. Franciscum, cap. 8, punct. 5, num. 132. Quod probant, tum ex usu Ecclesiæ Romanæ, quorum pœnitentiarii auditis præcise peccatis reservatis solent ab eis absolvere minime expectata aliorum non reservatorum confessione : id vero minime permitteretur, si non licet in tali casu dimidiare confessiones. Tum, quia ex una parte multum pertinet ad congruum Ecclesiæ regimen, quod superiores sibi reservant aliqua peccata ; et ex alia prædicti superiores solent gravissimis occupationibus impediri, ut non possint integras confessiones ad ipsos cum reservatis accedentium audire ; atque ideo auditis reservatis possint ab eis absolvere, et pœnitentes remittere ad confessarios inferiores, quibus manifestent non reservata. In secundo idem sentiunt Castro Palao, Diana, Busembaum, et alii apud N. Franciscum ubi proxime, et in tract. de Euchar. disp. 7, punct. 3, num. 36. Quorum ratio est, quod ex una parte possit occurrere gravis necessitas confitendi cum sacerdote inferiore, quia non est aditus ad superiorem : et ex alia inferior non habet potestatem absolvendi a reservatis : ergo pœnitens in eo eventu satisfacit suæ obligationi confitendo non reservata, et tacendo reservata. Præsertim, quia ex opposito fieret pœnitentem notabiliter gravari, confitendo semel reservata inferiori, et iterum superiori, a quo solo illa directe remitti queunt.

Affirmant Cajet. Sotus, Navarr. Gerson, Castro, Diana, Busemb

Sed neutra dictarum sententiarum est vera, et ab hac ultima incipiendo, illam jam rejecimus hac disputatione nu. 70. Et oppositum statuimus cum multis, Sylvestro, Nugno, Ledesma, Navarro, et aliis ; præsertim autem D. Thoma affirmante : « quod etiam si sacerdos non possit ab « omnibus peccatis absolvere, tamen tenetur pœnitens ei omnia confiteri, ut quantatem totius culpæ cognoscat, ut de « illis, de quibus non potest absolvere « (utique directe) ad superiorem remittat.» Quam sententiam esse communem dicit Lugo, securiorem, et consulendam ; Filli cius apud N. Franciscum loco citato Eucharistia. Ratio deducta ex verbis Thom. est, quod jure divino obligamur confessionem per se loquendo integra etiam materialiter, nisi excuset impotenti vel physica, vel moralis ob grave incon modum : istud non occurrit in eo, qu pœnitens omnia sua peccata exponat co fessario inferiori, ut a non reservatis d recte, et a reservatis indirecte absolvatu Nam, si quod esset, utique illud adeun superiori, illique reservata manifestand huic autem gravamini ipse voluntarie demisit, peccatum reservatum sibi cogn tum patrando. Nec ullum est inconvenie in asserendo necessitatem utriusque man festationis, ut n. 70 vidimus. Per qu satis patet ad motivum oppositæ opinioni Unde eodem motivo rejicitur prior se tentia : quia cum præceptum confessio obliget per se ad manifestationem omniu peccatorum ; aliter namque confessari nequit convenienter judicis, et medici m nera obire, ut sæpius expendimus : u superior sacramentaliter excipit confe sionem peccatorum sibi reservatorum t netur etiam audire non reservata, et omnibus cognoscere, et ab eis absolvere nec valet pœnitentes dimidiate confess dimittere. Et ita contingit, et fieri debe sic docentibus Sylvestro, Victoria, Nugn Suarez, Vasquez, Henriquez, Lugo, Bon cina N. Gabriele, et aliis plurimis ; qu refert, et sequitur N. Franciscus loco citat nu. 135. Motiva vero contrariæ opinion facile diluuntur. Nam ad primum, neg tur talis usus Ecclesiæ Romanæ : Sylvest enim, qui fuit ejus pœnitentiarius, test tur oppositum ; et Lugo, qui Romæ degeb affirmat nullum modo manere talis co suetudinis vestigium. Quod autem styl Curiæ fert, est peccata reservata a præla tis, aut pœnitentiariis non audiri, sacramentaliter absolvantur ; sed ut subl ta censura, et reservatione remittantu pœnitentes confessariis ordinariis, q eorum confessionem excipiant, et a cunct peccatis absolvant. Ad secundum dicendu falso fingi tantam superiorum occupatio nem, ut potens audire peccata reservat nequeat audire non reservata. Si aute tanta est, ut fingitur, audiat reserva non sacramentaliter, et elevet censuram si

Sentent. 2 rejicitur.

Nugnus. Sylvest. Ledesm. Navar. et D. Tho.

sive reservationem, committendo pœnitentem confessario inferiori, qui cuncta peccata sacramentaliter excipiat, ac ab eis absolvat. Quod si fingatur superiorem nolle ita se gerere, et aliunde pœnitentem premi urgenti necessitate confitendi ad vitandum infamiam, casus est in quo occurrit impotentia moralis explicandi omnia peccata, qualem in pœnitente confitente cum sacerdote peste infecto, et in similibus supra explicuimus. Unde non diffitemur posse tunc pœnitentem confiteri superiori omnia reservata, tacendo non reservata, sed reservanda pro alia confessione cum confessario ordinario, debito tempore facienda. Et sic tandem præter alios docent ex nostris Gabriel a Sancto Vincentio, Antonius a Spiritu Sancto, Franciscus Bonæ Spei, et eos referens Franciscus a Jesu-Maria ubi supra num. 134.

§ II.

Specialis difficultas circa manifestationem complicis in peccato.

219. Diximus num. 215, et exemplis explicuimus posse pœnitentem subticere illud peccatum, ex cujus confessione grave incommodum sequitur imminens non tantum pœnitenti, sed et suo complici cognito per confessionem : ut si futurum foret, quod confessarius in cujus notitiam venit, illum odio haberet, ac persequeretur, occasionemque sumeret inferendi damna, quæ posset : tenemur namque jure naturali vitare, cum possumus, hæc proximi nocumenta. Inter hæc autem computari videtur ejus infamatio apud confessarium, quæ plane sequitur revelationem complicis ; ut si quis confiteatur se peccasse cum sorore, quæ alias confessario nota sit, unde hic apud se illam ut incestuosam, quod prius nesciebat, contemnat. Unde dubium occurrit, utrum pœnitens ad vitandum hoc proximi damnum possit, aut debeat subticere illud peccatum, ex cujus confessione sacerdos cognoscit peccati complicem ? Proceditque difficultas non attendendo ad alia inconvenientia, sive incommoda, quasi confessioni extrinseca, de quibus jam diximus ; sed attendendo præcise ad illud inconveniens confessionis, quasi intrinsecum, illamque per se concomitans, ubi complex revelatur, et in ministri notitiam venit. Unde consequitur, quod secluso alio damno, amittat apud confessarium æstimationis conceptum, quem prius habebat. Et supponendum est pro majori casus urgentia pœnitentem non posse adire alium confessarium, cui sui peccati complex ignotus sit : si enim possit, manifestum apparet debere apud illum integre confiteri ; cum ex una parte debeat confessionis integritas observari, et ex alia non multum incommodum ex prædicta integritate, peccatique explicatione sequatur. Quod non contingit, ubi solum adest unus confessarius, qui, si pœnitens suum peccatum exponat, nempe cum sorore incestum, complicem evidenter cognosceret, quia scit esse unicam pœnitentis sororem, et sibi alias satis notam. Suppositio.

Prima sententia docet pœnitentem in præmisso non debere, nec posse licite manifestare illud peccatum ex cujus manifestatione confessarius notitiam complicis habiturus est. Ita Viguerius in Summa, cap. 16, § 4, versicul. 17, Innocentius, et Hostiensis in cap. *Omnis utriusque sexus*, Navarrus cap. 7, num. 3 et 4, Joan. à Cruce, quæst. 3, de pœnitent. dub. 5, conclusione 3, Marsilius, Rodriguez, Lopez, Villalobos, Valentia, Pitigianus, Faber, et alii apud Dianam 5 part. tract. 6, resolut. 49, et Leandrum disp. 5, quæst. 60, et N. Franciscum c. 8, punct. 5, numer. 127, aliosque plures refert Dicastillo disp. 9, dub. 12, num. 892. Commune, et satis grave fundamentum illorum est, quod jure naturali obligamur servare bonam famam proximi, et non evertere illam æstimationem, in cujus possessione apud confessarium est : contra quod ageret pœnitens, qui manifestaret aliquod peccatum unde confessarius duceretur in notitiam complicis, et bonum, quem de illo habebat conceptum exueret : quippe ita se gerendo pœnitens grave nocumentum proximo inferret. Nec satisfacit, quod Suarez disp. 34, de pœnitent. sect. 2, respondet, complicem hoc ipso quod cum pœnitente peccaverit, se subjecisse illius foro, nempe ipsius confessioni. Nam, ut recte vidit Dicastillo ubi proxime nu. 894, hæc responsio petit principium : complex enim (esto se ita subjecerit, quod non est universaliter verum, præsertim ubi complex non induxit ad peccatum, sed magis fuit inductus, aut etiam

Opinio prima

Navarr. Joan. Marsil. Rodrig. Lopez, Villal. Valent. Pitigian. Faber.

Fundam.

Occurrit Evasioni

compulsus) tamen non se subjecit, nisi alter, pœnitens videlicet, teneatur explicare illud peccatum : et hoc ipsum est quod in disputationem venit. Nec iterum difficultatem evacuat, quod idem Suarez respondet pœnitentem uti jure suo, et complicem se exposuisse, subjecisseque periculo, ut pœnitens prædicto jure utens illum, illiusque peccatum confessario revelaret. Id namque dicere est non minus manifesta petitio principii : quippe id præcipue controvertitur, an pœnitens habeat jus infamandi complicem apud confessarium revelando culpam illius, quod si non habet, consequens est complicem peccando non se illi periculo subjecisse.

Secund.

220. Sed longe verior, et communior est opposita sententia affirmans pœnitentem in prædicto casu posse, et debere manifestare, quamvis confessarius inde acquirat complicis notitiam. Ita D. Thom. in 4, dist. 16, quæst. 3, art. 2, quæstiunc, 5 : ubi in corpore statuit circumstantias mutantes speciem esse de necessitate in confessione explicandas. Contra quod opponit ex prædictis circumstantiis aliquando innotescere peccatum alicujus personæ : sed homo in confessione debet se accusare, et non alterum infamare : ergo non debemus tales circumstantias in confessione aperire. Sed respondet : « Ad quintum dicendum, quod « homo in confessione debet famam alterius « custodire quantum potest ; sed suam con- « scientiam magis purgare debet. Et ideo si « circumstantia, quæ ducit in cognitionem « personæ, sit de necessitate confessionis « secundum regulam datam, tunc debet « eam confiteri occultando personam, quan- « tum potest. Si autem non sit de necessi- « tate confessionis, debet dimittere, ne « peccatum alterius prodat. » In quibus perspicue tradit, quod, quamvis debeamus conservare famam, sive non manifestare ejus peccatum adhuc in confessione ; nihilominus ubi non possumus manifestare, quæ sunt de necessitate confessionis, per se loquendo, v. g. circumstantiam incestus variantem speciem, magis debemus purgare conscientiam per ejus manifestationem, quam vitare proximi apud confessarium diffamationem : et ideo debet talem circumstantiam exponere, occultando tamen quantum fieri valet, personam complicis. Et similia tradit opusc. 12, quæst. 6 ; idem docent D. Bernardus in formu honestæ vitæ dicendo : « De nullo prors « sinistre loquaris, quantumcumque sit v « rum, vel manifestum, nisi in confessior « et ubi non potest aliter manifestari pe « catum tuum. » D. Bonaventura in dist. 27, in 2 part. art. 1, quæst. 3, et opusculo de modo confitendi cap. 1, Antoninus 3 part. titulo 54, cap. 19, § Alensis 4 part. quæst. 180, memb. art. 2, § 4, Durandus in 4, dist. 16 quæst. 4, Paludanus ibi quæst. 3, a 2, Sotus dist. 18, quæst. 2, art. 5, C jetanus verbo *Confessio* condit. 3, Sy vester eodem verbo 1, quæst. 25, F chardus, Major, Gabriel, Almainus, Ca thusianus, Medin. Petrus à Soto, Henr Suar. Vasq. Toletus, Nugn. Reginald Sa, Coninchus, Onufrius, Basilius Ponti Coriolanus, Layman, Malderus, Ledesm Lessius, Bonacina, Diana, Lugo, Hurtad Fagundez, Gonet, Armila, Victoria, Pala N. Gabriel, N. Estephanus, N. Francis Bonæ Spei, N. Vibanus, et alii pluri quos catervatim, ac glomeratos referunt, sequuntur N. Franciscus cap. 8, punct. num. 128, Leander disp. 5, quæst. 6, castillo loco citato num. 893, et alii adh moderniores. Unde non immerito Hen quez lib. 2, de pœnit. cap. 9, nu. 6, testat hanc esse sententiam Sanctorum, The logorum, Jurisperitorum, et Summis rum.

Secunda sent præfertur.

D. Tho.

Ejus autem fundamentum (explosis ali in quibus stabiliendis, et invicem dirue dis, atque infirmandis laborant juniores videri potest in Lugone, et Dicastil eruitur ex vera, et satis communiter rece doctrina D. Thom. 2, 2, quæst. 73, art. ubi ait : « Contingit quandoque, qu « aliquis dicat aliqua verba, per quæ din « nuatur fama alicujus, non hoc intende « sed aliquid aliud : hoc autem non « detrahere per se, et formaliter loquen « sed solum materialiter, et quasi per ac « dens ; et siquidem verba, per quæ fa « alterius diminuitur, proferat aliq « propter aliquod bonum vel necessariu « debitis circumstantiis observatis, n « est peccatum, nec potest dici detractio Ex quibus formatur ratio : nam ideo pœ tens non posset, et subinde nec debe confiteri illud peccatum, ex cujus manif tatione confessarius cognosceret comp

ce

cem, quia illius peccati confessio in eis circumstantiis esset peccatum ; sed non est : ergo pœnitens potest, et debet in prædictis circumstantiis manifestare peccatum, et nequit ab hoc capite se excusare a materiali confessionis integritate. Probatur minor : quia proferre verba, per quæ fama alterius diminuitur, non id intendens, sed aliquod bonum, aut necessarium, non est detractio, nec peccatum, ut tam diserte affirmat Angelicus Doctor. Et magis convincitur ex his, quæ tradit in primo argumento, et in ejus responsione. Argumentum erat, quod nullus actus virtutis est peccatum ; sed revelare aliquando peccatum proximi, est quandoque actus virtutis, ut cum aliquis fratris culpam denuntiat, ejus emendationem intendens, vel dum aliquis fratrem accusat propter bonum justitiæ : ergo dicere verba, per quæ fama proximi diminuitur, in quo detractio consistit, non est peccatum. Et respondet : « Ad hoc dicendum, quod revelare peccatum occultum alicujus propter « ejus emendationem denunciando, vel « propter bonum justitiæ publicæ accu- « sando, non est detrahere, ut dictum « est », in corpore scilicet articuli verbis supra relatis. Ex qua doctrina, et exemplo liquet, quod dicere verba, vel manifestare crimen, ex quibus diminuitur proximi fama, non est ex genere suo detractio, vel aliud peccatum ; alias nunquam liceret, nec esse posset actus virtutis ; quod esse falsum illa doctrina, et exempla liquido evincunt : sed eam determinationem vel in bonum, vel in malum dependere ex circumstantia finis operantis : nam si per verba intendat diminuere proximi famam, peccat, et illi detrahit ; si autem illa verba proferat non ex prædicto fine, sed intendens aliquod bonum, aut necessarium, non peccat ; quin potius illa proferendo, et detegendo proximi culpam, potest exercere actum charitatis, vel alterius virtutis. Constat autem pœnitentem confitentem suum peccatum, ex quo complex in confessarii notitiam venit, ex hoc ipso (saltem necessario, et nisi malitiose procedat) non intendere diminutionem famæ complicis ; sed intendere integritatem confessionis, quam Christus præcepit, et manifestare sinus suæ conscientiæ, et quod confessarius sibi congrue consulat medicinam, et remedium : quæ sibi sunt bona, et necessaria, ut de se constat. Ergo in eo quod pœnitens ita se gerens exponat peccatum, ex cujus manifestatione confessarius ducatur ad complicis notitiam, non peccat.

221. Nec momenti erit, si dicatur, Sanctum Doctorem in eodem articulo aperte docere, non esse necessarium ut quis peccet in dicendo ea, ex quibus proximi fama diminuitur, quod intendat hanc diminutionem. Nam post verba a nobis relata subdit : « Si autem proferat ex « animi levitate, vel propter causam ali- « quam non necessariam, non est peccatum « mortale : nisi forte verbum, quod dicitur « sit adeo grave, quod notabiliter famam « alicujus lædat ; et præcipue in his, quæ « pertinent ad honestatem vitæ : quia hoc « ex ipso genere verborum habet rationem « peccati mortalis. » Ergo quamvis pœnitens non intendat denigrare, nec diminuere famam complicis, tamen peccat confitendo peccatum sibi, et illi commune, et quod sic cognoscitur a confessario. Hoc, inquam, non refert, nec est de re : quare concesso antecedenti, negamus absolute consequentiam. Quia supponimus non solum, quod pœnitens per suam confessionem non intendit diminuere famam complicis ; sed etiam, quod non agit leviter, et sine causa non necessaria (et ubi oppositum supponeretur, esset casus omnino diversus, et aliter decidendus, de quo infra) quin potius causas vellet rationales ex ipsa sacramenti natura juxta Christi institutionem, utputa confitendi integre, manifestandi perfecte statum suæ conscientiæ, suscipiendi debitam pro omnibus suis peccatis pœnitentiam, et recipiendi congrua consilia, et medicinam a confessario. Atque ideo nulla occurrit inordinatio in prædicto casu, quippe qui est omnino diversus ab eo, quem D. Thomas in ultimis verbis satis prudenter adjecit, ne quis ex prioribus inepte colligeret licentiam proferendi ea verba, et revelandi ea peccata, ex quibus fama proximi diminueretur. Quod longe exulat a nostra, et S. Doctoris resolutione.

Evasio proponitur, et excluditur.

Confirmatur, et explicatur amplius præmissum fundamentum ex communi, et satis certa juxta Doctores sententia : nam disputare solent, utrum revelare crimen

Confirmatio.

proximi uni alicui viro prudenti, qui illius secretum servabit, non quidem captandi consilium, aut consolationis gratia, sed ex sola animi levitate, aut ex motivo non necessario, sit peccatum mortale? Circa quod est celebris sententia Cajetani loco immediate relato D. Thom. qui subscribentibus Navarro, Covarruvia, Petro de Navarra, Joanne a Cruce, et multis aliis viris doctis, id negat. Affirmant autem e contra Soto, Bannez, Tapia, Serra, Prado, Villalobos, Lugo, et alii, quibus relatis adhæsit noster Andreas tract. 13, de restitut. cap. 4, punct. 5, num. 48. Sed quamvis in resolutione casus ita propositi decertent; conveniunt tamen in eo, quod si quis uni, aut alteri viro prudenti manifestaret proximi crimen, non quidem ex levitate animi, sed ex rationabili causa, ut puta ad recipiendum ex eo consilium, ad vitandum alicujus innocentis damnum, ad leniendum animi mœrorem ob sibi occulte illatam injuriam, non peccaret. Et hoc esse certum apud omnes authores testatur prædictus Andreas loco citato num. 46. Commune vero tam communis assensus motivum est illud principium, quod D. Thomas nos docet, nempe proferre verba, vel manifestare crimina, ex quibus fama proximi diminuitur, non esse ex genere detractionem, aut peccatum; sed id dependere ex fine loquentis, si intendat illam diminutionem, aut ex levitate animi sine causa justa in manifestando crimen procedat; secus autem ubi occurrunt rationabilia illud revelandi motiva, qualia proxime insinuavimus. His prælibatis firmatur ratio nostræ assertionis: quoniam quod quis alicui viro prudenti, et secretum observaturo dicat occultum proximi crimen ex motivo suscipiendi consilium aut consolationem, aut vitandi aliquod malum sibi, vel aliis imminens, non est peccatum: ergo nec peccatum est, quod pœnitens in confessione manifestet aliquod sui peccatum ex quo ducatur confessarius in complicis cognitionem. Antecedens est communis omnium sententia, quam præmisimus. Consequentia vero suadetur non solum a paritate, sed a fortiori, ad quamcumque inter illa extrema comparationem attendamus: nam confessarius in cujus notitiam veniret complex supponitur sicut ad ministrum tanti sacramenti decet, vir prudens, et secreti tenax. Aliunde vel obligatur non tantum naturali, sed sacr sigilli secreto; pœnitens etiam habet gr vissimas causas non subticendi illud pe catum, sed potius illud exponendi: potest id præstare ob fines honestissim servandi integritatem materialem, ad qua per se loquendo præceptum confession obligat, manifestandi aperte conscienti statum, ponderandi suum illud peccatun procurandi sibi confidentiam, et solatiun ne desperet, subeundi pœnitentiam, et me dicinam suo morbo congruam, denique committendi sapientis confessarii consili Quas nemo negabit esse causas sufficiente ne verba aliqua diminuentia apud confes sarium complicis famam, sint detracti aut habeant ejus malitiam, ut ex D. Thon vidimus.

Unde satis constat ad fundamentum con trariæ opinionis; nam præceptum natural non diminuendi proximi famam, non obli gat absolute, sed suppositis circumstantii ex parte finis, quod non adsit motivur rationale illius apud aliquem, aut aliquo diminutionis, et ubi non occurrit aliquo majus bonum præferendum proximi æst mationi. Quod in præsenti casu non cor tingit: nam integritas confessionis, fructus spiritualis ex ea percipiendus, ali que commoda inde provenientia proxim relata sunt majus bonum, quam conceptu aut æstimatio complicis apud confessa rium, illisque cedere debet. Et ideo pœni tens non debet eis se privare, ut ea apu confessarium complicis æstimatio servetur Sed sicut propter bonum complicis, ve alicujus innocentis, et multo magis propte bonum commune posset ejus peccatum tar confessario, quam alteri viro prudent manifestare, sic etiam potest ob bonun sui, et agendo ex motivis honestis jar relatis.

222. Ex præmisso autem D. Thomæ fun damento colligitur aliquorum incidentiun decisio, quæ non parum conferre potes ad magis legitimam nostræ, et communi resolutionis intelligentiam. Colligitur erg primo pœnitentem in casu posito tener ad quærendum, et expectandum confessa rium, cui complex sui peccati non si cognitus, et cui valeat integre suum pecca tum manifestare absque ulla apud illun complicis notitia, aut infamia. Id aperui

mu

mus breviter proponendo hanc controversiam. Sed illud negat Fagundez lib. 7, de secundo præcepto cap. 1, num. 3, dicens hanc pœnitentis diligentiam pro servanda complicis apud confessarium fama, non cadere sub obligatione præcepti, sed esse materiam consilii. Et pro se refert D. Antoninum, Cajetanum, Sylvestrum, Canum, utrumque Sotum, Suarium, et alios. Unde arguit: hi omnes monent, ut pœnitens quærat alium confessarium, si commode possit eum invenire: in monitione autem non clauditur obligatio, aut præceptum, sed solum consilium, aut major perfectio. Sed multum fallitur ille author, et persistendum est in præmissa suppositione; quam liquido persuadet D. Thomæ discursus: nam dicere verba, ex quibus sequitur famæ proximi diminutio, si fiat leviter, et absque necessitate, est peccatum, et pertinet ad detractionem; sed quando alicui confessario exponitur peccatum ex quo acquirit notitiam complicis, ubi alius quæri, et expectari potest, cui complex non sit notus, illa diminutio fit leviter, et absque necessitate, ut satis ex se constat: ergo ita agendo peccat, agitque non solum contra consilium, sed etiam contra præceptum naturale conservandi proximi famam. Oppositum autem motivum desumptum ex modo loquendi apud Auctores, nihil valet, quia admonitiones solent fieri ad observandum non solum consilia, sed etiam præcepta. Quia ipsi Auctores apertissime declarant in hoc casu obligationem. Nam Cajetanus verb. *Confessio*, condit. 3, absolute docet adeundum esse alium confessarium. Soto dist. 18, qu. 2, art. 5, adhibendam omnino esse diligentiam ut alteri fiat confessio. Corduba casu primo teneri ad id pœnitentem, si possit alium confessarium habere. Et aliis adhuc evidentius Suarez disp. 34, sect. 2, n. 1, inquit: Si pœnitens possit ei confiteri, qui non cognoscat personam complicis, tenetur hoc facere: et in id omnes conveniunt. Quod repetit num. 53, et similia docent communiter alii apud Leandrum disp. 5, quæst. 62.

Hinc dubitari solet per qnod tempus debeat pœnitens in hoc casu quærere, et expectare alium confessarium, et recte respondet Suarez loco citato id prudentis arbitrio relinquendum esse: quia id in genere una regula dimetiri non valet, sed attendere opus est ad plures, et varias circumstantias, quæ possunt occurrere. Unde putamus pœnitentem existentem in peccato mortali non teneri ad quærendum, et expectandum alium confessarium ultra triduum: quia magnum gravamen, et mora esset ultra illud tempus in miserabili illo statu persistere. Sacerdos etiam consuetus celebrare quotidie non obligaretur ultra biduum: quia magna consolatione privaretur, nec omnem prorsus notam ex non celebratione vitare posset. Idem sentimus de persona assueta frequentibus communionibus, quas si omitteret suspicionem familiæ incurreret. Possent ergo omnes hi, quæsito, et expectato per aliquod moderatum tempus jam insinuatum alio confessore, sed non occurrente, confiteri apud solitum, licet hic ex confessione alicujus peccati complicem tandem cognosceret. Quin nec obligarentur ad parvam confessionis dilationem, si propterea privarentur jubilæo, aut indulgentiis, quæ tunc instarent. Nam ubi hæc, aut similia occurrunt, pœnitens, qui explicando suum peccatum diminuit aliquomodo apud confessarium complicis famam, non agit leviter, et absque necessitate, sed ob fines convenientissimos. Et in id tandem veniunt impugnato Suario, Lugus disp. 16, num. 416, et eo defenso Dicastillus disp. 9, num. 934 et alii.

223. Colligitur secundo, quod per se loquendo non licet pœnitenti confiteri, aut dare pro materia confessionis aliquod veniale ex cujus notitia cognosceret confessarius grave peccatum ex parte complicis: ut si fœmina se accusaret de negligentia veniali in resistendo patri, vel fratri illam provocanti ad turpia. Idem colligendum est de pœnitente manifestante aliquod peccatum ex jam confessis, quod adhibeat pro materia apud alium confessarium, qui tamen illa notitia ducatur ad complicem cognoscendum. Non multi istud punctum attigerunt, sed ex illis ita resolvunt Lugo disp. 16, n. 411, Dicastillo disp. 9, dub. 1, ex incidentibus, et Leander disp. 5, qu. 63. Et quidem merito: nam præcepto naturali obligamur non manifestare peccata proximi, ubi alias non occurrit, vel necessitas, vel notabilis convenientia, quæ ab eis detegendis excuset, ut constat ex fundamento

Illatio 2.

Lugo. Dicastil. Leand.

proposito pro principali resolutione. Quæ motiva non occurrunt in casu hujus consectarii ; siquidem peccatum veniale, et peccatum mortale jam confessum non sunt materia, nec pertinent ad integritatem ; sed possunt simpliciter in confessione omitti, adhibita alia materia sufficienti pro pœnitentis arbitrio. Aliunde vero utilitas spiritualis, aut consolatio, quam ex eorum manifestatione possemus cupere, multis aliis viis comparari valet, etiam extra confessionem. Ergo per se loquendo non licet pœnitenti confiteri illud peccatum veniale, aut etiam mortale jam confessum, ex cujus notitia complex apud confessarium hæc audientem pateretur famæ jacturam. Et hanc partem evincit fundamentum n. 219 pro sententia nobis adversa. Diximus semel, et iterum per se loquendo : quia per accidens fieri valet, ut ea complicis manifestatio ex confessione peccati venialis, aut mortalis jam confessi, sit licita, utputa, si ea manifestatio fiat ad capessendum consilium, ad resistendum alteri intendenti grave peccatum, ut in exemplo proposito liquet ; vel ad vitandum damnum alicujus innocentis ; vel propter bonum commune, ut si quis se accusaret de peccato veniali, aut etiam mortali jam confesso, et commisso non resistendo, ut omnino debuit, alicui tenenti, aut docenti hæresim, vel denique ob alia motiva ad eam manifestationem etiam sacramentalem ; de quibus judicare expectatis occurrentibus circumstantiis pertinet ad prudentiam. Addimus, quod si peccatum mortale, ex cujus repetita confessione innotesceret complex apud confessarium, prius confessum fuit ut dubium, et deinde certum esse deprehendatur ; potest, et debet confiteri, licet illa infamatio sequatur. Quia illud peccatum, ut certo cognitum est de necessitate confitendum, ut tale, ut constat ex dictis dubio præcedenti : unde, sicut si pœnitens in prima confessione illud cognovisset, potest, et debet illud confiteri, quamvis ex ejus manifestatione sequeretur cognitio complicis apud confessarium, ut hoc § ostensum est ; sic etiam idem potest, et debet, si post illud sub dubio confessum, ipsum deinde fuisse mortale certo cognoscat.

Illatio tertia.

224. Colligitur tertio, quid censendum sit de quantitate peccati commissi a pœnitente, qui juxta dicta in duobus consectariis peccat in confitendum peccatum illu cujus notitiam affert absque necessitate, rationabili causa complicis cognitionem confessario. Hæc difficultas decidenda e sicut alia universalius proposita de e qui absque necessitate, sed ex levita animi, aut minus attenta consideration alicui viro prudenti, et secretum servatu manifestat sub illo grave proximi pecc tum, ut supra jam attigimus n. 225. Prin negat id esse peccatum mortale. Jux quam idem dicendum est de pœnitente i procedente in præmisso casu, quia confe sarius supponitur ex officio prudens, strictissimo sigilli secreto obstringitur, crimen, vel pœnitentis, vel complicis c gniti prodat. Sed quia cum N. Andrea i relato veriorem censemus oppositam op nionem, quæ eam manifestationem absq necessitate facta mortalis damnat ; propt rea absolute sentimus peccatum pœniten in simili manifestatione apud confessariu esse mortale. Et ratio, quæ militat in m nifestatione facta tam viro prudenti, qua confessario, quæque destruit fundamentu principale contrariæ opinionis, est, na valor famæ, et quantitas infamiæ debe ponderari, et appretiari juxta commune æstimationem, sicut alia humana bona, damna ; sed juxta hanc communem æs mationem, non minoris, sed pluris pre æstimatur bona fama, et opinio apud unu virum prudentem, quam apud plurimos plebecula ; et ægrius ferimus inhonora aut infamari apud illum cordatum viru quam apud multos infimæ sortis : ei sicut manifestari multis de plebe occulti proximi peccatum, est grave illi infe nocumentum, et subinde peccatum m tale, idque concedunt omnes ; sic etiam ob idem motivum, aut etiam a fortic peccat mortaliter, qui extra, vel intra c fessionem grave, et occultum proximi p catum viro prudenti absque necessit revelat. Mortaliter igitur peccat pœnite qui in casibus consectariorum manife complicem.

Confirmatur manifestando amplius qu titatem hujus damni, atque ideo p cati in illud causando commissi : nam pœnitens sciret confessarium suum rev turum fore ejus peccatum, vel uni al prudentissimo, aut etiam alicui confes rio sub sigillo, proculdubio excusaretu confite

confitendo illi tale peccatum, et a materiali confessionis integritate juxta communem doctrinam § præcedent. traditam : sed infamia, quæ a prædicta integritate deobligat, magni æstimari debet : siquidem ad eam non servandam requiritur causa gravis in prudentum æstimatione : ergo infamia, vel apud confessarium est grave damnum : et consequenter pœnitens, qui illud in propositis casibus proximo, sibi complici infert, peccat mortaliter. Et ita ultra relatos a dicto Andrea loco citato sentiunt Lugo disp. 16, num. 395, et Leander disp. 5, quæst. 64.

225. Hac occasione solet controverti apud Recentiores, an pœnitens sic peccans teneatur ad restitutionem famæ apud confessarium, et sunt, qui affirment, ipsis favente Lugone disp. citata num. 418, quia obligatio restituendi consequitur læsionem justitiæ : quare si pœnitens læsit apud confessarium famam proximi, illam apud eundem confessarium reparare tenetur. Idque declaratur, et fulcitur exemplis : nam, si pœnitens injuste revelans complicem prævidit aliquod ejus grave damnum, vel in vita, vel in fortuna inde proventurum, et quod provenit, tenetur ad restitutionem : ergo idem dicendum est de reparatione famæ, quam apud confessarium læsit. Oppositum docet Dicastillo disp. 9, a n. 935. Et hoc censemus longe verius : quia non datur per se loquendo restituendi obligatio, ubi restitutio est per se loquendo impossibilis. Sic autem contingere in præmisso casu liquet : nam nulla via in illo occurrit satisfaciendi, aut restituendi, quam adire eundem confessarium, et negare illum, quem in confessione insinuavit, fuisse complicem ; in quo ipse mentiretur, et illicite ageret : nam ille revera fuit complex. Et quod dicunt recentiores posse pœnitentem dicere, « Erravi, dum tibi « unum complicem pro alio dixi » : quia certe in manifestando complicem erravit ; est satis futile, et evertitur : nam illis verbis « Unum pro alio » non solum verus complex negatur (quod forte liceret ob commissum in ejus manifestationem errorem, sive peccatum) sed asseritur alius, quod nullo modo a mendacio excusari valet. Accedit hæc apud confessarium nihil pro diluendo conceptam infamiam, aut variando priorem conceptum proficere : nam perspicue noscit veritatem prioris confessionis, et de timentis conscientiæ remorsu prodire subsequentem, atque studiosam retractationem. Per quæ satis constat ad oppositum fundamentum : nam solum probat ad læsionem justitiæ sequi onus restitutionis, si hæc sit possibilis : quod hic non contingit. Augmentum vero, et explicatio difficultatis diluitur concesso antecedenti, negando consequentiam ob manifestam disparitatem : quia læsio, quam pœnitens facit apud confessarium in fama complicis, est per se loquendo irreparabilis per ullam restitutionem : illa vero quæ inducta est in bonis extrinsecis, resarciri valet, et debet juxta generalia debitæ restitutionis principia.

226. Colligitur quarto, quid dici debeat, ubi ex peccato, quod pœnitens manifestat, cognoscit confessarius personam, cum qua peccatum fecit, quamvis ipsa complex non uerit, ex qua notitia amittit illa aliquam apud confessarium æstimationem. Contingens namque est, quod pœnitens nequeat suum peccatum in confessione explicare, nisi manifestando defectum alicujus tertiæ personæ, quamvis complex in patrando illud peccatum non fuerit. Verbi causa. oppressit quis sororem propriam, sed prorsus invitam, reluctantem, et nullo modo consentientem ; sed tamen, quæ inde subiit defectum virginitatis, et illius æstimationis, quæ huic juxta communem æstimationem debetur. Nequit frater confiteri proprium suum incestus peccatum, quin confessor cognoscat commissum fuisse cum pœnitentis sorore, sibi nota, et hanc perdidisse virginitatem. Poterit ne pœnitens, vel debebit in his circumstantiis integre confiteri incestum manifestando? Negat Suarez disp. 34, sect. 2, num. 14, suam, et nostram resolutionem num. 220 propositam restringens ad manifestationem solius, et veri complicis in peccato. Cui subscribunt Fagundez lib. 5, cap. 2, num. 12, et pauci alii Recentiores. Quorum commune fundamentum est cessare in hoc casu omnes rationes, ob quas pœnitens manifestando proprium peccatum potest indirecte ducere confessarium in notitiam veri in eodem crimine complicis. Nam quod ad ipsius pœnitentis utilitatem, consolationem, et directionem expectat, ipse debet reportare incommodum in earum priva-

Illatio quarta.

Suarez

Opinio 1 Fundamentum.

tione, ne alter detrimentum ex sua confessione incurrat; quippe ipse solus absque alterius cooperatione, et consensu patravit illud delictum. Aliunde forma judicii, quæ alias in hoc Sacramento servanda est, et ob quam tam in judice, quam in accusatore (cujus vices agit pœnitens) datur jus ad manifestationem complicis in delicto, minime extenditur ad manifestandum alium tertium, qui vere complex non sit, et multo minus ad propalandum ejus in alia materia defectus. Denique, quod caput est ad hoc, nec integritas confessionis ex reverentia sacramenti prædictam manifestationem exposcit, nec permittit : quia major reverentia est eam integritatem servare rationabili modo, ita ut ille, qui invitus semel suscepit unam injuriam in delicto a pœnitente commisso, non sustineat novam aliam ab eodem manifestatus confessario, titulo integritatis in confessione servandæ. Sed colligendum est oppositum. Videlicet pœnitentem per se loquendo, et eisdem circumstantiis, in quibus potest, et debet manifestare peccatum ex quo ducitur confessarius ad cognoscendum in eo complicem, posse, et debere illud etiam manifestare, quamvis confessor cognosciturus sit defectum alterius tertii, licet, qui complex in pœnitentis peccato non fuerit. Id, inquam, colligitur ex fundamento desumpto ex D. Thoma, quo principalem resolutionem communivimus: nam dicere ea, ex quibus fama proximi diminuitur, non est detractio, nec peccatum, si ea proferantur non ad diminuendum talem famam, sed vel ex necessitate, vel ob rationabilem causam. Sic autem potest contingere, ubi pœnitens dicit illud, ex quo ducatur confessarius in cognitionem tertii, et alicujus defectus illius, licet alias in peccato pœnitentis complex non fuerit : siquidem pœnitens ita se gerens potest intendere, non aliquam illius tertii denigrationem, sed alios honestissimos fines, utputa servare integritatem confessionis a Christo præscriptam, manifestare statum conscientiæ suæ, quærere consilium, et remedium a confessario, et alia bona, qualia pro manifestatione complicis expendimus. Ergo per se loquendo, et in eisdem circumstantiis, in quibus potest pœnitens revelare complicem, potest etiam revelare alium tertium, qui complex non sit. Si autem potest. pariter debet ita se gerere quia obligamur ad integritatem materia lem confessionis, sive ad manifestandun omnia mortalia, ubi non est illicitum ali quod manifestare. Unde liquet (et in ho fallitur Suarez) honestatem, et facultaten manifestandi in confessione defectum ali quem proximi, non oriri ex eo, quod ill sit, aut non sit culpabilis, complex, aut no complex in peccato, quod confitemur : se ex firmiori, et universaliori radice, nemp ex eo quod talis manifestatio sit necessari vel admodum utilis ad explicandum prc prium peccatum, et statum conscientiæ, a servandum integritatem confessionis, ad consequendum alia bona proxime ins nuata. Ex qua ratione provenit, quod po nitens quandoque possit, et debeat man festare proprios etiam defectus satis gra ves, et sensibiles, quamvis nec ad ill induxerit, nec in eis peccaverit, ut liqu in eo, qui se accusat, quod illegitime nat curaverit promoveri ad Sacros Ordine aut quod natus sanguine judæorum ambi rit illos honores, a quibus homines illi generis justis legibus excluduntur. H itaque ratione potest pœnitens pro expl cando suum peccatum illa dicere, ex qu bus confessario defectus, vel naturales, v morales alicujus tertii innotescant, quar vis in eo delicto complex non fuerit, tamen ejus notitia ad explicationem illi peccati requiratur. Et sic etiam sentiu Sotus in 4, disp. 18, qu. 2, art. 10, Lu disp. 16, n. 420, Richardus, Gabriel, Alc zer, et eos referens Dicastillo disp. 9, 939. Nec opus est occurrere fundamer contrariæ opinionis : nam quæ dixim satis illud dissolvunt, et elidunt, quin op sit alia addere.

Opinio opposita.

§ III.

Alia dubia pro integritate servanda in c fessione moribundorum.

227. Quamvis jam supra n. 114 pr miserimus cum communi sententia, mo bundum plura mortalia habentem, q tamen omnia aggravante morbo, instan periculo, et urgentibus in eo articulo n lestiis explicare non valet, excusari a n teriali confessionis integritate, et po uno, vel altero manifestato benefici

sacramentalis absolutionis suscipere ; occurrunt adhuc non pauca, nec levia dubia circa eandem materiam propter diversum modum, quo moribundorum confessio ultra communes bene habentibus leges fieri, et salvari queat : ubi occurrunt diversæ Auctorum inter se pugnantium sententiæ. Et primo dubitatur, an quando moribundus solum confitetur peccatum in genere, dicendo v. g. se esse peccatorem, nullumque in particulari explicando, quia forte statim post illud in communi dictum sensibus destitutus est, possit absolvi. Negant multi, et graves Auctores. Ex Thomistis Soto in 4, dist. 18, qu. 2, art. 5, Cano de Pœnit. part. 5, § *Ad inhærendo*, Martinus de Ledesma 2, part. 4, qu. 9, art. 5, dub. 2, Lopez 1 part. Instruct. cap. 18, § *Imo si jam*, Medina lib. 2 Summæ cap. 18, Conradus, Alvarez, Davila, Coquetius, Tay, Candidus apud Pradum quæst. 3, de Confes. dub. 2, num. 1. Ex aliis Abulensis in cap. 16, Matth. quæst. 79, Angles, Pedraza, Alphonsus de Leone, Grafis, Archangelus, et alii. Moventur primo : quia pro sacramentali absolutione, et veritate sacramenti pœnitentiæ requiritur in sacerdote specialis aliqua peccatorum pœnitentis notitia : hæc autem in prædicto casu non adest : pœnitens enim solum declarat se esse peccatorem, quod est omnibus commune, et a sacerdote independenter ab ea pœnitentis relatione cognoscitur : ergo ille modus confitendi non sufficit, ut sacramentaliter absolvatur. Secundo : nam confessio sacramentalis debet esse actus, et accusatio judicialis, ut sacerdos tanquam judex possit judicare de conscientia pœnitentis : judicium autem est actus prudentiæ, quæ exerceri non valet nisi re in particulari cognita, ut docet D. Thom. 2, 2, quæst. 47, artic. 3 ; ergo cum ea in communi confessio nullam afferat notitiam peccatorum in particulari, minime sufficit ad confessionem sacramentalem. Tertio, et in idem redit, quia sacerdos nequit uti potestatis clave ad absolvendum, nisi præmisso judicio de peccatis per clavem scientiæ ; ex hoc autem quod audiat moribundum confitentem se peccatorem, nullum format judicium circa ejus peccata. Quæ omnia confirmant tum ex Concil. Trid. sess. 14, cap. 5, perspicue, et late docente non sufficere pro implendo divinum confitendi præceptum dicere peccata in genere. Tum ex D. Chrysost. serm. 5. de Pœnit. ante homiliam de jejunio tom. 5, ubi ait : « Non sufficit dicere peccator « sum : sed opere pretium est speciatim « peccatorum, et delictorum reminisci. » Aliaque plura hujus generis testimonia expendi possent, quæ copiose dedimus dub. 1. D. Chris.

Sed verior sententia affirmans magis prævaluit, eamque insinuavit D. Thom. generaliter statuendo in 4, dist. 17, qu. 3, art. 9, quæstiunc. 3, ad 2 : « Quando non « possumus uno modo, debemus secundum « quod possumus, confiteri. » Et dist. 21, qu. 2, art. 1, ad 1 : « Confessio generalis est « sacramentalis, » idque explicat ubi quis secreto confitetur sacerdoti venialia in generali. Ad secundum loquendo de confessione sacramentali, solum ait : « Re- « quiritur aliqualis peccatorum manifes- « tatio, » et art. seq. in corpore inquit : « Confessio generalis » (id est in communi, et generaliter facta) « operatur ad remis- « sionem pœnæ virtute clavium. » Unde prædictam sententiam ex Thomistis defendunt D. Antoninus 3 part. tit. 10, c. 6, et in Summa parva 3 part. tract. 2, cap. de infirmis. Sylvester verbo *Confessio* 3, qu. 3, Nugnus qu. 9 supplementi art. 2, dub. 1, ad. 2, Petrus de Ledesma c. 25, dub. 2, ante ultimam confessionem. Barnabas, Gallego dub. 7, de conscientia probabili, Joannes a Cruce 2 part. directorii de pœnit. dub. 8, Joann. a S. Thom. 1, 2, disp. 12, art. 6, in fine primi tom. Ildephonsus Baptista tom. 3, disp. 208, dub. 12, n. 832. Arauxo supra qu. 84, art. 3, dub. 1, n. 19, Prad. loco supra citat. N. Cornexo tom. 1, tract. 8, disp. 3, dub. 6, Montesinos 1, 2, disp. 39, qu. 5, § 3, Labat de pœnit. disp. 2, dub. 3, § *Sed major* in 1 et 2 ratione, Gonet, disp. 12, art. 4, § 4, N. Gabriel disp. 7, qu. 1, N. Franciscus c. 8, punct. 6, num. 139. Idem etiam docent Suar. disp. 23, sect. 1, Vasquez qu. 91, art. 2, dub. 1, Lugo disp. 17, sect. 4. Dicast. disp. 9, dub. 9, et adeo communiter juniores, ut superfluum sit eos recensere. Videri tamen possunt apud illos referentes, et sequentes Dianam 3 part. tract. 3, resolut. 1, Aversam quæst. 10, sect. 16, et Leandrum disp. 5, qu. 38, unde hæc sententia in hoc tempore merito potest vocari communis.

Sententia verior, et communior. D. Tho. Idem. Idem. D. Anton. Sylvest. Nugnus. Ledesm. Barnab. Gallego. Joan. a Cruce. Joan. a S. Tho. Ildeph. Arauz. Prado, Cornexo, Montes. Labat. Gonet. Gabriel. Franc. Suarez. Vas. u. Lugo. Dicast. Diana. Aversa. Leand. Ratio.

228. Probatur ratione : nam licet divi-

num confitendi præceptum obliget per se loquendo ad manifestandum species, et individuas circumstantias specie diversas peccatorum, nihilominus ob necessitatem, et rationabiles causas possunt horum multa in confessione taceri, ut constat ex dictis § 1 ; ergo pariter quamvis illud præceptum obliget per se loquendo ad confitendum peccata in particulari, fieri tamen per accidens potest, quod sufficiat, si pœnitens illa dicat præcise in communi : nulla autem urgentior causa occurrere valet, quam impotentia physica in proposito casu descripta ubi moribundus non jam potens explicare sua peccata, vel eorum aliquod in particulari, confitetur illa in communi petendo ab eisdem absolutionem, et statim sensu destituitur : ergo in tali casu sufficit ea confessio, potestque ac debet pœnitens absolvi. Confirmatur primo ; quia respectu Dei sufficit interior accusatio per generalem omnium peccatorum recognitionem, et confessionem, licet nullum in particulari occurrat : ergo similiter sufficit exterior generalis confessio respectu sacerdotis vicem Dei in hoc sacramento gerentis. Confirmatur secundo : nam : si quis integer, et sanus sciret certo se in aliquod peccatum mortale incidisse, quin recordari posset, cujus generis, aut speciei fuerit illud peccatum, non propterea deobligatus maneret ab ejus confessione ; sed posset ac deberet illud sub ea generalitate confiteri, et ab eo absolvi, præsertim ubi non conciperet erga illud contritionem, nec aliud mortale haberet, de quo se accusaret, nec enim privari deberet hujus sacramenti beneficio, nec ac desperandum cogi : ergo pro pœnitentiæ sacramento sufficit quandoque, et per accidens confiteri peccatum mortale in communi, sive individuum vagum, nullum determinando genus proximum, aut speciem. Confirmatur tertio : nam si non sufficeret in casu proposito confiteri peccata in communi, aut se accusare peccatorem petendo absolutionem, maxime quia ex vi hujus non cognoscit perfecte confessarius statum pœnitentis, ut queat exacte de ejus peccatis judicare ; sed hæc ratio est nulla, et minime impedit, quod moribundus possit et debeat absolvi : ergo ille modus confitendi est absolute sufficiens in tali casu. Probatur minor ex communi fidelium praxi, et piorum approbatione, ut n. 214 jam insinuavimus, ubi plures subito, et evidenti periculo moriendo corripiuntur ob naufragium, terremotum, incendium, contagium, etc.; consuetum namque est, et minime reprobatum omnes simul vociferare confitendo peccata, et petendo absolutionem : et si unus tantum sacerdos, omnes simul una absolutione absolvit dicendo : Ego vos absolvo a peccatis vestris. Et tamen in hoc casu sacerdos non cognoscit eorum peccata in particulari, nec exactam habet notitiam de singulorum conscientiis, ut ex se liquet. Ergo nulla est illa adversariorum ratio desumpta ex eo, quod licet moribundus se accuset de peccatis in communi dicendo se peccatorem, confessarius nequeat congruum concipere, aut habere de illius peccatis, et conscientiæ statu judicium. Et alia satis gravia, quæ ab authoritate possemus pro hac resolutione non addimus, illa pro alia difficiliori meditato reservantes, quæ istam a fortiori confirment.

Confirmat. 1.

Confirmat. 2.

Confirmat. 3.

Fundamenta vero contrariæ opinionis eliduntur per ea, quæ pro nostra, et communi proposuimus : nam solum evincunt, quod per se loquendo requiritur confessio peccatorum in speciali ; minime vero quod requiratur essentialiter, et in omni casu contingenti, aut possibili. Idque facile constat ex dictis in hoc dubio : nam etiam pro hoc sacramento requiritur per se loquendo confessio in particulari omnium mortalium nullo excepto, et ad id obligamur præcepto divino : et nihilominus plures sunt casus, in quibus per accidens non est necessaria illa materialis integra omnium mortalium confessio, sed aliqua possunt reticeri. Et eadem ratione possunt omnia in particulari omitti, et explicari tantum in communi, ubi moribundus aliud non valet declarare, nec plura verba proferre. Unde liquet quod præceptum divinum in hoc sacramento ad plura se extendit, quam sola ipsa sacramenti essentia præcisive sumpta : hoc enim solum exposcit quod legitimo sacerdoti fiat expositio peccatorum hoc, vel illo modo, et sive omnium, sive aliquorum juxta varias contingentias supra relatas : sed præceptum divinum extenditur per se ad omnia mortalia absque ullius exceptione ; verum occurrente extrema necessitate, ut alias in

aliis

aliis contingit, non obligat. Et hoc satis erat respondere ad omnia illa motiva simul sumpta. Sed in particulari respondetur ad primum majorem solum verificari per se loquendo ; secus vero universaliter, et per accidens, ut ostendimus exemplo naufragii, et incendii. Et rursus minor est falsa : nam licet sacerdos ante cognosceret moribundum esse peccatorem secundum eam rationem, qua omnes peccatores dicimur : tamen non cognoscebat moribundum id recognoscere, seque accusare, et omnes suas culpas in communi clavibus Ecclesiæ submittere. Ad secundum omissis præmissis negatur consequentia, quæ ex eis non infertur : nam ut judicium, et absolutio sacerdotis sit actus prudentiæ, non est necessarium cognoscere pœnitentis peccata in particulari, sed eam in particulari confessionem, et accusationem, qua omnia in communi sua crimina dicit petens ab illis absolvi : nam illo actu particulari dijudicare ad prudentiam expectat, ut et ipsi Adversarii, et nos facimus. Unde patet ad tertium : nam sacerdos antequam absolvat utitur clave scientiæ recognoscendo per illam pœnitentis in communi confessionem eum dolere de peccatis, et se accusare ut absolvatur. Patet etiam ad confirmationem : tamen ea, et alia, quæ afferri possent testimonia declarant, et exposcunt, quæ per se loquendo debent in confessione explicari : sed non negant, quod oppositum per accidens fieri queat.

229. Ex præmissa autem resolutione duo pro praxi colliguntur. Primum sacerdotem in præmisso casu non solum posse, verum debere absolvere moribundum : quia ex una parte licite potest adhærendo communi sententiæ ; et ex alia cum absolutio queat prodesse, necessariaque moribundo esse ad æternam salutem ; debet sacerdos ex charitate erga proximum illud subsidium moribundo non negare : ne si habeat solam attritionem damnetur, qui salvus fieret, si illi absolutio sacramentalis adjungeretur. Et sic communiter observant Auctores, quorum plures refert N. Franciscus ubi supra num. 142. Secundum : debere in eo casu conferre absolutionem absolute. Oppositum docuit Suarez loco citato num. 12, dicens debere absolvere sub intellecta conditione, si possum, vel si adest materia sufficiens : quia sic procedens vitat omnem irreverentiam, quæ in conficiendo sacramentum pœnitentiæ contingere posset. Sed communiter rejicitur, et merito ; quia rem supervacaneam exegit, quin et aliquando superstitiosam, quæ etsi non sit contra substantiam sacramenti, ejus tamen debito usui quadam ratione adversatur. Debet namque sacramentum ministrari absolute, sive nulla apposita conditione, quando prudens dubium circa ejus valorem non occurrit : in prædicto autem casu nullum prudens dubium adesse valet, quod vel solo pondere sententiæ adeo communis non excludatur : ergo absolutio debet administrari absolute in prædicto casu ; et non posset non esse aliqua inordinatio adhibere conditionem non necessariam.

230. Idem, quin majus est dubium in casu quo moribundus non confiteatur saltem in communi, sed solum coram confessario positus exhibeat signa doloris tundendo pectus, aut alio modo manifestando prioris vitæ, et suorum peccatorum retractationem. Et plane, si illa signa exhibeant se velle confiteri, et desiderare sacramentalem absolutionem, casus omnino coincidit cum præcedenti et importat peccatorum saltem in communi confessionem, cui accidit per verba vel per manus, aut alia signa fieri. Quare eadem hujus, ac præcedentis casus debet esse resolutio, et communiter adhibetur. Sed contingens est infirmum tundere pectus, aliaque doloris peccatorum edere signa sistendo in eis, nullumque manifestando ordinem ad confessionem, vel absolutionis desiderium. Et in hoc vertitur difficultatis cardo, an scilicet hoc ipso quod sacerdos ea signa videat possit prudenter præsumere, quod moribundus illa dirigat ad consequendum sacramentalem absolutionem, quamvis nequeat illa expresse petere : et consequenter utrum talis confessarius eo dictamine directus possit aut debeat moribundum absolvere. Negant a fortiori Auctores pro prima sententia num. 227 relati, quibus addendi sunt Suarez, N. Thomas a Jesu, Bonacina, et alii pauci apud Dianam 3, part. tract. 3, resolut. 2, et moventur primo : nam de moribundo ita se habente, et gerente vulgo dicitur, et non inepte, quod confiteri jam non valet : si ergo con- Suarez, Thom. Bonac. Fundam. 1.

fiteri non potest, nulla erit confessio, et
Secundum. absolutio illi correspondens. Secundo : quia, cum partes pœnitentiæ ut sacramenti sint tres, nempe contritio, confessio, et satisfactio, oportet ad dolorem hujus sacramenti concurrere confessionem ut a contritione distinctam; sed tundere pectus, et similia non sunt aliud, quam signa doloris : ergo prædicta signa non sufficiunt, ut moribundus præsumatur confiteri, aut petere confessionem. Tertio, quo-
Tert. niam ex opposito fieret, quod licet moribundus in eo articulo legitime confessus, et absolutus fuerit, et post amissam loquelam edat illa signa, possit rursus sacramentaliter absolvi, et iterum atque iterum, ubi eadem signa ostenderit : quod apparet
Quart. absurdum, et contra praxim. Quarto, quia frequentissimum est infirmum in illa hora prorumpere in illa signa, quæ vel in personis justissimis contritionem internam demonstrant, quamvis infirmus nullius mortalis conscius fit, nec confessione egeat, nec absolutionem sacramentalem exposcat; ergo talia signa sunt insufficientia, ut sacerdos præsumat infirmum per ea confiteri aut petere absolutionem : atque ideo imprudenter ageret illam impertiendo : et consequenter non potest, nec debet moribundum ita se gerentem absolvere.

Sententia affirmativa, et communis. D. August. 231. Verum sententia contraria, cui subscribimus, est communis, eamque tuentur omnes relati pro secunda n. 227, si paucos proxime relatos excipiamus. Et probatur auctoritate D. Augustini in lib. de adulterinis conjugiis cap. 28, tom. 6, ubi hæc habet : « Ego non solum alios cate-« chumenos, verum etiam ipsos, qui viven-« tium conjugiis copulati, retinent adulte-« rina consortia, cum salvos corpore in « his permanentes non admittamus ad « Baptismum : tamen si desperati » (hoc est sine spe vitæ, aut salutis corporalis) « et intra se pœnitentes jacuerint, » (quod solet manifestari per doloris signa, de quibus agimus) « nec pro se respondere « potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc « peccatum » (adulterini consortii) « cum « ceteris lavacro regenerationis abluatur. « Quis enim novit utrum fortassis adul-« terinæ carnis illecebra usque ad baptis-« mum statuerant detineri ? » Quam doctrinam extendit ad moribundum, qui in simili articulo positus confiteri verbo non potest, sed tamen edit doloris signa : sic enim concludit in fine capitis : « Quæ « autem baptismatis, eadem reconciliatio-« nis » (id est sacramenti pœnitentiæ) « est causa, si forte pœnitentem finiendæ « vitæ periculum præoccuparit. Nec ipsos « enim ex hac vita sine arrha suæ pacis « exire velle debet mater Ecclesia. » Ergo in sententia Sancti Doctoris, sicut catechumenis peccatoribus, si moribundi darent pœnitentiæ signa ministrandum erat sacramentum Baptismi, ita etiam baptizatis, si eadem signa doloris ostendant, ministrandum est sacramentum pœnitentiæ : par enim est in utrisque ratio assignata a Sancto Doctore, nempe Ecclesiam nolle eos illo privare beneficio, quod potest eis prodesse ad æternam salutem, si forte de peccatis doleant per solam attritionem. Unde Cano, licet nobis contrarius, fatetur loco citato, § *Quod si quis*, Augustinum in dicto casu collaturum fortassis absolutionem. Alia aliunde testimonia, quæ huic B resolutioni suffragantur, congruentius pro alia expendemus num. 234. Sed præsens suadetur ratione desumpta ex testimoniis D. Augustini : quoniam signa doloris, quæ infirmi edunt in mortis articulo, præsumi debent dirigi ad claves Ecclesiæ, et sacramentalem absolutionem ; siquidem in eo articulo sunt optimum animæ remedium, et in hunc finem a Christianis communiter ostenduntur, et adjiciuntur : quod satis est, ut sacerdos prudenter procedat absolvendo. Si autem in dubium incidat circa prædictam ordinationem, et significationem hic, et nunc ex parte pœnitentis ; id ad summum obligabit, ut non absolvat moribundum absolute, sed sub conditione, si adsit materia sufficiens : ad idque tenebitur, ne proximus privetur illo beneficio sibi forte tunc necessario ad æternam salutem. Et confirmatur a fortiori : nam ubi C dubitatur an signa a moribundo edita proveniant ex dolore, an vero ex gravitate morbi, et angustiis mortis, adhuc potest absolutio impendi sub conditione, ut docent Henriquez, Layman, Reginaldus, H L R Filliucius, Zambranus, Joannes, Sancius, F Z S et eis relatis Leander disp. 5, quæst. 42, F quibus, et idem sequens addit N. Franciscus D num. 146, Dicastillum, N. Gabrielem, et G Franciscum Bonæ spei. Ergo multo magis ad id obligabitur, ubi non est dubium de signis

signis doloris erga peccata ; sed an ea signa, quæ constat esse hujus doloris, ordinentur ad suscipiendum sacramentum pœnitentiæ. Quo dubio stante peccaret contra charitatem sacerdos denegans absolutionem sub conditione, a qua forte pendet moribundi salvatio, et in qua ita præstanda nulla occurrit inordinatio.

232. Unde constat differentia (pro diluendis alias contrariæ sententiæ motivis, et etiam observanda) inter casum præsentem, et præcedentem : nam in præcedenti, ubi moribundus verbis expressis petit absolvi, et confitetur saltem in communi peccata accusando se peccatorem, nullum prudens dubium occurrit circa valorem sacramenti : et ideo sacerdos potest, et debet absolvere moribundum absolute, sive non adhibita conditione, ut num. 229, statuimus. Et idem asserendum est ubi moribundus loqui non potest, edit tamen doloris signa certo manifestantia se velle confiteri, sed verbis non posse : nam ut num. 230 hic casus coincidit cum præcedenti, habe'que eandem resolutionem. Ceterum in casu præsenti fit suppositio, quod de signis doloris a moribundo editis non constat certo, an signa sint explicantia dolorem de peccatis, et petitionem, ac desiderium absolutionis. Quo dubio existente non debet sacerdos procedere absolute in absolvendo moribundum illis utentem. Quia tamen satis commune in Christianis est illa edere ex peccatorum dolore, et absolutionis desiderio, et ita illa pie interpretari solemus ; nequit confessarius negare simpliciter absolutionem : sed magis illa signa ut materiam dubiam debet accipere : et consequenter pro succurrendo animæ æternæ salutis discrimini, in quo moribundus positus est, potest, et debet prudenter se gerendo illum absolvere sub explicita, aut tacita conditione, si possum, vel adest materia sufficiens. Et ita se gerens nullam infert sacramento irreverentiam, cum certum sit materiam esse dubiam, et aliunde satisfacit charitati erga proximum, cujus æterna salus potest ab illa absolutione pendere.

Juxta quam doctrinam arduum non est occurrere contrariæ sententiæ motivis. Nam ad primum respondetur, ea vulgari locutione solum significari quod moribundus nequit jam confiteri ex modo, quo communiter fit confessio nempe verbis, et recensendo singula peccata. Sed dubium non est moribundos id impotentes facere posse nutibus petere confessionem, et confiteri, ac consequi sacramentalem absolutionem simpliciter, præsertim si interrogentur a confessario, et signis respondeant, ut experientia liquet. Ad secundum negatur minor : quia illa signa non sunt præcise signa, aut effectus doloris de peccatis ; sed etiam eorum confessio, et accusatio : unde ab hac parte non deficiunt sacramenti partes pro ejus valore requisitæ. Ad tertium concedimus sequelam, quæ sane intellecta nullum continet absurdum : sicut enim positis prioribus signis doloris, et desiderii absolutionis, potest sacerdos impendere absolutionem sub conditione ; sic potest absolutionem sub conditione repetere, si ea signa ex parte moribundi repetantur. Sed prudenter in hoc procedendum est, ne toties concedatur absolutio, quoties signa repetantur : id enim exposcit gravitas materiæ, et reverentia erga sacramentum, ut vel in confessionibus per verba liquet. At si moribundus persisteret in eo, et notabile spatium, v. g. quatuor horarum e priori absolutione percurrisset, nullum inconveniens videtur, quod repetitis illis doloris signis, iterum absolveretur, sicut ubi adesset confessio vocalis ejusdem materiæ posset contingere, et frequenter in personis spiritualibus contingit. Quartum, solum evincit, quod a nobis concessum, et præmissum fuit, nempe ob rationem huic motivo insertam non debere sacerdotem absolvere absolute pœnitentem, sed sub conditione, quod adsit materia sufficiens : sic enim vitantur inconvenientia, quæ possent occurrere. Et quamvis ea signa ob ambiguitatem, quam de se habent, non sufficiant ut sacerdos certo judicet illis significari dolorem peccatorum, et petitionem absolutionis, sufficiunt tamen, ut valeat, ac debeat prudenter dubitare, et absolutionem sub conditione conferre.

Secundo

Tertio.

Quartum

233. Tertium, et non minus difficile dubium circa confessionem moribundorum occurrit, ubi aliquis moribundus in absentia confessarii petit illum, ut confiteatur, vel dat signa pœnitentiæ, sed ubi confessarius accedit, et id ex testimonio aliorum cognoscit, reperit moribundum sensibus destitutum, et qui nulla coram eo verba,

Opinio negativa.

aut signa pœnitentiæ proferat. Poterit ne, aut debebit illum absolvere? Negant Auctores pro prima sententia num. 227 relati.

Ledesm. Nugnus, Curiel. Ad quos ex relatis pro secunda accedunt Petrus de Ledesma, c. 21, concl. 2, dub. 4, in fine dicens rem esse certissimam, et Nugnus qu. 9, art. 2, dub. 1, ad 4 difficultatem, § *Sed quid*. Idem docuit Curiel in manuscripto de Pœnitentia. Præcipuum horum fundamentum est, quod Clemens VIII anno 1602, die 20 Junii condemnaverit sententiam eorum, qui docebant confessionem factam absenti sacerdoti esse validam, sed in casu proposito illa talis qualis confessio moribundi fieret sacerdoti absenti; siquidem coram eo nihil per verba, aut signa infirmus confiteretur: ergo sacerdos non posset illum absolute, vel conditionate absolvere, ac condemnatam doctrinam ad praxim reducere. Decretum illud Clementis integrum dedimus in priori parte disp. 3, num. 24, ex quo sufficit aliqua verba referre: « Hanc propositionem, scilicet licere per litteras, seu « internuntium confessario absenti peccata « sacramentaliter confiteri, et ab eodem « absente absolutionem obtinere, ad mi- « nus uti falsam, temerariam, damnavit, « et prohibuit: præcepitque ne ista pro- « positio publicis, privatisque lectionibus, « congressibusque doceatur; neve unquam « tamquam aliquo casu probabilis defenda- « tur.» Nec satisfacit, quod respondet Suar. disp. 25, sect. 4, nempe mentem Pontificis fuisse damnare totam illam propositionem copulatim, non vero singulas ejus partes divisive sumptas: quasi sensus illius decreti sit reprobare sententiam asserentium confessionem, et absolutionem simul in absentia factas valere, et aliquando licere; minime vero sententiam ejus, qui diceret validam esse confessionem pœnitentis absenti factam, dummodo absolutio conferretur a sacerdote præsente. Et hoc secundum contingeret in casu proposito moribundi: nam licet confiteretur sacerdoti absenti, hic tamen nisi coram illo positus eum non absolveret. Hæc inquam responsio minime satisfacit, sed omissis aliis impugnationibus (de quibus alias, evertitur efficaciter ex alio Ecclesiæ decreto, quod relata, aut delata præmissa Suarii interpretatione ad Paulum Quintum editum fuit die 5 Julii anni 1605, in hac forma: « Proposita causa patris Francisci « Suarez Jesuitæ, et consideratis his, quæ « scripsit tom. 4, in 3 part. S. Thomæ « sect. 4, disp. 21, interpretando decre- « tum felicis recordationis Clementis Papæ « VIII, die 20 Junii 1602, quo damnavit « hanc propositionem, videlicet licere per « litteras, et ut supra: et etiam mature « discussis his, quæ idem P. Suarez addu- « xit in defensionem suæ interpretationis: « auditis votis Illustrissimorum Domino- « rum Cardinalium, Sanctissimus decrevit « dictam interpretationem non subsistere, « et ideo amovendam esse ab ejus libris « juxta decreta alias facta felicis recorda- « tionis Clementis Papæ VIII, de quibus « in actis Sancti Officii. » Et eodem anno, die 20 Julii prodiit sequens edictum: « Ex « libro P. Suarez Jesuitæ tom. 4 ad 3, « part. disp. 21, sect. 1, num. 12. Amo- « veantur infra scripta verba, videlicet. » Neque exhinc resolutione, etc. usque in absentia confessoris. « Idem P. Suarez « corrigat suum librum, et antequam evul- « get ostendat huic congregationi. » Et aliud 18 Augusti promulgatum his verbis: « Sanctissimus decrevit ex tom. 4, P. Sua- « rez Jesuitæ in 3 part. S. Thom. disp. « 21, sectionem quartam, cui titulus est, » utrum de necessitate confessionis sit, ut pœnitens sacerdoti præsenti immediate, et per se ipsum revelet peccata sua, « totam « esse amovendam, nec aliam ejus loco « subrogandam.» Quare prædicta via nequit eludi decretum Clementis VIII, nec dirui fundamentum pro relata opinione propositum.

Fundament.

Propositio damnata.

Occurritur satisfactioni.

234. Nihilominus subscribendum censemus contrariæ, ut veriori, et plane his temporibus communi, quam docuit D. Thom. opusc. 65, § de Extrema-Untione, ubi hæc habet omnino conformia verbis D. Augustini relatis n. 231. « Si infirmus, « qui petiit Unctionem, amisit notitiam, « vel loquelam antequam sacerdos veniret « ad eum, ungat eum sacerdos, quia in tali « casu debet etiam baptizari, et a peccatis « absolvi. » Idemque docent tam discipuli, quam extranei, ut supervacaneum sit eos recensere: et videri possunt innumeri apud Dianam 3 part. tract. 3, resolut. 4, Dicastillum disp. 9, n. 773, et Leandrum disp. 5, quæst. 43; ex nostris ita sentiunt Thomas a Jesu in tribunali conscientiæ cap.

11, § 10, Gabriel a S. Vincentio disp. 7, quæst. 2, Antonius a Spiritu Sancto disp. 10, sect. 3, et Franciscus a Jesu Maria cap. 8, punct. 4, num. 147. Quæ sententia urgenter probatur ab auctoritate : nam in Rituali Romano edito anno 1615, jussu Pauli V, sub titulo : *De sacramento pœnitentiæ*, hæc habentur : « Si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox, et loquela ægri deficiat, « nutibus, et signis conetur sacerdos, quoad « fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere. Quibus utcumque vel in genere, vel « in specie cognitis, vel etiam si confitendi « desiderium sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est. » In quibus ultimis verbis aperte continetur sensus, de quo agimus, et præcipitur absolutio. Quod Rituale magnæ est auctoritatis ob approbationem Pauli V, in bulla illi præfixa. Et Lugo supra relatus observat, quod aliqui apud Congregationem Dominorum Cardinalium Inquisitionis Generalis instarunt pro correctione dicti Ritualis eo quod adversaretur, ut ipsi putabant, decreto Clementis VIII supra relato ; nihilominus decretum fuit quod Rituale, ut editum fuerat observaretur. Et hinc, uti id obiter dicamus satis edocemur nullam contrarietatem inter decretum Clementis, et nostram, et communem resolutionem esse.

Et plane novum, aut insolens non erat in Ecclesia, quod in Rituali circa prædictum casum disponitur, sed jam olim invaluerat. Nam ex Conc. Arausicano cap. 12, (et refertur in Can. Qui recedunt 26, quæst. 6,) dicitur : « Subito obmutescens, « prout statutum est, baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis « præteritæ testimonium aliorum verbis « habet, aut præsenti suo nutu. » Et in Concilio Carthaginensi 4, c. 76 (et refertur in Can. *Is qui*, vel ut alii habent Can. *Si quis* 26, qu. 6,) dicitur : « Is qui pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, « dum ad eum sacerdos invitatus venit, « oppressus infirmitate obmutuerit, vel in « phrenesim versus fuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, et accipiat pœnitentiam : et si continuo creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, et infundatur Eucharistia ori ejus. » Et S. Leo Magnus epist. 91 ad Theodorum Episcopum Forojuliensem statuit : « Si aliqui ægritudine ita fuerint aggravati, « ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia sacerdotis significare non valeant ; « testimonia eis fidelium circumstantium « prodesse debent, ut simul, et pœnitentiæ, « et reconciliationis beneficium consequantur. » In quibus omnibus repræsentatur casus proprius præsentis difficultatis, et decernitur, quod pœnitentia sive absolutio non negetur. Nec vim horum testimoniorum declinabit, qui dicat in eis non fieri sermonem de absolutione sacramentali a peccatis ; sed de remissione pœnæ publicæ peccatoribus ad statum pœnitentium admissis, vel admittendis juxta Canones injuncta. Nam licet hoc secundum non negemus, negari tamen non debet illud primum : quia relata testimonia utramque absolutionem complectuntur, et satis aperte de sacramentali agunt, ut liquet ex verbis Concilii Carthaginensis : « Si continuo creditur moriturus, infundatur ori ejus Eucharistia ; » pro hujus namque religiosa susceptione magis requiritur sacramentalis a peccatis absolutio, quam remissio publicæ pœnitentiæ : et Eucharistia non solebat, nec debet peccatoribus conferri non præmisso pœnitentiæ sacramento. Evidentior adhuc est sententia S. Leonis pro administratione hujus sacramenti in prædicto casu : nam ante verba relata dixit : « Misericordiam Dei « ita lapsibus subvenisse humanis, et divina suæ bonitatis præsidia erga baptizatos ita ordinasse, ut indulgentia Dei « nisi supplicationibus sacerdotum nequeat « obtineri. » Cujus sententiæ sincerus, et legitimus sensus est peccata mortalia post Baptismum non remitti a Deo nisi concurrentibus sacerdotibus, qui ab eis absolvant. Et sic intellexit Angelicus Doctor supra quæst. 84, art. 3, ad secundum dicens : « Verbum Leonis est intelligendum, quantum ad deprecationem, quæ præmittitur « absolutioni ; non autem remanet, quin « sacerdotes absolvant . » Intellexit etiam Turrecremata in cap. multiplex de pœnitentiæ dist. 1, et magis convincitur hanc fuisse S. Pontificis mentem expendendo integram ejus sententiam, prout refertur in c. 1 Is, *qui* dict. 26, qu. 6, his verbis : « Tali necessitati ita auxiliandum est, « ut nec actio illis pœnitentiæ, nec conversionis gratia denegetur, si eam etiam

Evasioni occurritur.

D.Th.

Turrecremata.

« amisso vocis officio præjudicium integri « sensus quærere comprobentur. Quod si « aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggra- « vati, ut quod paulo ante poscebant, sub præ- « sentia sacerdotis significare non valeant, « testimonia eis fidelium circumstantium « prodesse debent, ut simul et pœnitentiæ, « et reconciliationis beneficium consequan- « tur. » Ubi antecedentia, et consequentia satis demonstrant sermonem esse de utra- que pœnitentia publica, et sacramentali.

Secund. ratio. 235. Ex quibus omnibus desumitur efficax pro hac communi sententia motivum : nam quid in administratione hujus sacramenti, sive et in aliis fieri possit, aut debeat, dependet ex sola voluntate, et institutione Christi, quæ non aptiori via nobis innotescit, quam per doctrinam, et usum Ecclesiæ Catholicæ : sed secundum hujus usum, et doctrinam potest, et debet in casu proposito moribundus absolvi : ergo ita asserendum est. Minor patet ex dictis : nam sic ordinatur in conciliis relatis, et in Epistola S. Leonis Papæ; et in Rituali Romano ; et ita communiter practicatur per parochos, et alios sacerdotes obedientes eidem Rituali.

Confirmat. 1. Confirmatur primo : nam si quid huic resolutioni obstaret, maxime decretum Clementis VIII reprobantis sententiam asserentem posse sacramentalem confessionem fieri absenti sacerdoti, et prohibentis « ne illa unquam aliquo casu, ut pro- « babilis defendatur. » Quod tamen fieret, si sacerdos superveniens, cui absenti relata est moribundi confessio, illum absolveret; sed id non obstat : ergo ita asserendum est. Probatur minor : tum, quia post illud Clementis decretum Paulus V approbavit Rituale Romanum, in quo ordinatur sacerdotem supervenientem absolvere moribundum, « si desiderium confitendi per se, « vel per alios ostenderit, » ut supra expendimus : signum ergo est nullam inter hanc doctrinam, praximque, et decretum Clementis esse oppositionem : ne dicamus duos illos Pontifices docuisse, et præcepisse contraria. Tum etiam, quia iste Clemens declaravit mentem suam non fuisse hunc moribundi casum comprehendere, ut constat ex testimonio Illustrissimi Petri Lombardi Archiepiscopi Armacani, Hiberniæ primatis, dato 6 Junii anni 1624, in quo post alia inquit : « Sunt duæ quæstio- « nes. Quarum una proponebatur, utrum « liceat per litteras, seu internuntium « confessario absenti sacramentaliter con- « fiteri. Altera quæritur, an quando aliquis « in absentia confessarii declaravit aliquo « signo exteriori se velle sacramentaliter « confiteri, si superveniens confessarius « eum inveniret ita constitutum, ut non « tantum non valeat peccati illius confessio- « nem facere, sed neque illius suæ voluntа- « tis signum aliquod in præsentia illius « exhiberi ; possit nihilominus ex notitia « per testimonium illorum accepta de signo « ante adventum suum exhibito eum sa- « cramentaliter absolvere ; quæ cum ita se « habeant, Clemens VIII decreto suo me « rito damnavit, ac prohibuit, quod in « priori quæstione proponebatur, scilicet « per litteras, seu internuntium confessari « absenti liceat sacramentaliter confiteri « hoc nimirum sensu, ut sic facta confessi- « sit sacramentalis, eaque damnatio, et pro « hibitio conformis est doctrinæ Tridentini « in qua traditur, quod Christus Dominus « eos, qui se post Baptismum crimine ali « quo contaminaverint, ante Tribunal sa « cramenti pœnitentiæ tanquam reos sist « voluit. Sed quoad posteriorem quæstio « nem cum non tantum sit certissimum « Clementem Pontificem non intendiss « damnare, seu prohibere, quod quispiam « per literas, seu internuntium confesso « suo absenti diceret se velle ei confiter « ideoque eum accersat, ut præsenti conf « teatur : sed etiam mihi semper fuer « persuasum, quod incidente casu, qui i « quæstione ista exprimitur, confessari « superveniens possit, et debeat sacramer « taliter absolvere juxta antiquos canone « et nominatim juxta doctrinam S. Leon « Papæ in citata sua decretali, in qua quo « agat de sacramentali absolutione, etia « intellexit S. Thom. 3 part. qu. 84, ar « 3, ad 2. Hoc ipsum privatim commu « nicavi Clementi Pontifici, idque pos « quam in Officio Sanctæ Inquisitionis in « probata esset interpretatio sui decreti « Theologo quodam facta tanquam no « esset in eo damnata, ac prohibita utr « que divisim pars propositæ quæstioni « Ac respondit mihi sua sanctitas non fuis « sibi propositum damnare, seu prohiber « quod absolutio sacramentalis impendat « incidenti casu expresso in posteriori al quæstio

« quæstione.etc. » Ex qua relatione,et clare liunde facti notorietate intelliget prudens ector Theophilum Reynaudum in libello le confessione epistolari (et recoctam hanc rambem offert Bartolus in vita Suarii lib. , cap. 7, § Hæc fuit tota doctrina) ludere, t fucum facere, dum contendit celebrem llam controversiam de confessione per pistolam, aut internuntium positam in eo uisse utrum absolvi sacramentaliter moribundus possit, in absentia confessarii gna doloris, et desiderii confessionis exibuit.Nam ut hoc evidentis falsitatis convincatur, sufficit præter insinuata, quod donet loco supra citato Theophilo reposuit. stud, inquit, est probabilissimum, et deretis Pontificum omnino consonum. Illud ero omni probabilitate caret. ut Clemens III in suo decreto declaravit, meritoque uarium, et alios id asserentes damnavit. unt itaque contrariæ res prorsus disinctæ, ut ex Armacano immediate vidimus.

Confirmatur : nam si talis moribundi onfessio in proposito casu esset invalida; d proveniret vel ex eo, quod non manifestantur peccata in particulari, vel quia on fieret per ipsum moribundum, sed per estimonium aliorum; sed nihil horum best ejus valori : ergo est valida : atque deo confessor in tali casu potest, et debet mpendere absolutionem. Minor quoad rimam partem constat ex dictis num. 227, bi ostendimus moribundis, et aliis aliter mpeditis, sufficere, quod sua peccata in ommuni manifestent, et quod excusentur materiali eorum in particulari integrite pro confessione servanda. Secunda iam minoris pars suadetur : nam confessio facta per testimonium aliorum æquialet confessioni factæ per interpretem : icut enim interpres refert confessario pœitentis peccata, et statum, sic etiam testis anifestat eidem peccata saltem in comuni,desiderium confitendi, et statum oribundi; sed confessionis valori non bstat quod fiat per interpretem : ergo pariter non obstat, quod fiat per aliorum testiionium.

236. Ad motivum autem contrariæ opinionis (rejecta responsione inter arguendum data,ut prorsus falsa. et improbabilis) egamus minorem : quia confessio moribundi .in easu proposito fit formaliter, intensive, et terminative confessario præsenti : non enim intendit moribundus confiteri sua peccata confessario absenti, sed sisti ante ejus tribunal, ut ab ipso judicetur, et absolvatur. Ad insertam autem minoris probationem dicendum est, quod quamvis, ubi supervenerit sacerdos, moribundus nihil per verba tunc dicta, nec per signa tunc facta confiteatur : nihilominus tunc terminative.et formaliter confitetur juxta intentionem, quam a principio habuit, et sensibiliter testibus de ipsa tunc deponentibus, manifestavit.Nec enim illa intentio, et manifestatio cum ceteris, qui a principio concurrerunt functæ sunt ultimo officio suo, sed tunc moraliter perseverant,eoque funguntur,repræsentanturque præsentes sacerdoti mediante testium depositione. Eo vel maxime quod moribundus statim ac suum dolorem, et desiderium sacramentalis confessionis manifestavit, sensibus privatus fuerit, nullumque fundamentum dederit, aut reliquerit, ut præsumatur primam eam voluntatem mutasse, unde perseverat actu moraliter in ea juxta prudentum æstimationem. Et oppositum absque fundamento præsumeretur, et non absque gravi moribundi injuria. Unde liquet summa distantia inter hunc casum, et adhibitam pro eo resolutionem, et illorum doctrinam, qui dicebant posse exerceri confessionem sacramentalem, et absolutionem sacramentalem inter absentes utentes pro hoc fine litteris, aut internuntio. Sicut enim in tota hac propositione copulative sumpta excluditur præsentia pœnitentis ad confessarium, sic etiam in qualibet earum divisim accepta : atque ideo significabant ejus doctrinæ Auctores, et ultimi Expositores posse pœnitentem confiteri sacramentaliter confessario absenti, ut absenti, sive exclusa intentione sistendi se ante tribunal sacerdotis pro tali confessione : licet non possit absolvi ab absente, quæ est alia pars ; et quia admissa putabant eludi Clementis decretum, quod merito reprobatum est : nam hoc judicium sacramentale, et ex sua natura secretum exposcit præsentiam pœnitentis ad confessarium, non solum ratione sententiæ, sive absolutionis ; sed etiam ratione accusationis,sive confessionis sacramentalis. Id vero non attingit,nec oppugnat nostram resolutionem, quippe plane fatemur sacramentu-

lem confessionem non posse fieri sacerdoti absenti, sed debere coram illo exerceri, ut plene exercetur, quando sacerdos vocatus, aut desideratus pro moribundo reperit eum sine sensu; sed a testibus habet testimonium, quod signa dederit sui doloris, et confessarium petierit : nam inchoata confessio moraliter continuata tunc consummatur, et proprium coram confessario, quod intendebatur, munus exercet. Verum quidem est modum hunc confitendi non esse illum, qui regulariter, et per se loquendo pro confessione sacramentali requiritur; sed tamen est, qui per accidens, et absolute sufficit in isto tam irregulari casu, qui circa moribundum occurrit, sicut enim per se loquendo pro sacramentali confessione requiritur integritas materialis, sive manifestatio omnium peccatorum in specie, et individuo : et tamen per accidens sufficit integritas formalis, et manifestatio peccatorum in communi, maxime pro confessione moribundi. Et similiter per se loquendo requiritur, quod pœnitens per verba vocalia explicet sua peccata : sed per accidens, et occurrente necessitate sufficit, quod illa explicet per nutus, aut per scripturam, aut per interpretem, aut quovis alio modo. Ad hunc itaque modum pro sacramentali confessione necessarium essentialiter est, quod fiat in præsentia sacerdotis; sed in hujus præsentia modo occurrit sua latitudo omnino attendenda. Nam per se loquendo ea debet esse physica, manifestante pœnitente immediate sua peccata coram confessario, ut regulariter fit : sed in casu, qui proponitur, moribundi sufficit per accidens quod præsentia sit moralis, et moraliter continuata confessio per testium depositionem. Porro id sufficere, et rem ita se habere liquet de facto, et nobis constat ex doctrina, et praxi Ecclesiæ, ut supra expendimus.

237. Adhuc tamen circa hoc occurrunt, vel ut appendiculæ aliquæ difficultates, quas superare oportet. Nam dubitari valet, an sufficiat in prædicto casu, quod licet testantes non viderint in moribundo signa doloris, et petitionem absolutionis, id tamen audierint ab his, qui prædicta viderunt. Et ratio dubitandi sumitur ex Concilio Carthaginensi supra relato dicente : « Dent testimonium, qui eum audierunt: » Quæ exposcere videntur immediatam deponentium auditionem, aut visionem. Similiter dubitari potest, an sufficiat testimonium unius, vel requiratur plurium. Et dubitandi motivum est, quod Concilium Arausicanum relatum ait : « Si voluntati « præteritæ testimonium aliorum habet, « ubi plures testes desiderantur. Et similiter Carthaginense « Dent testimonia : » et S. Leo, « Testimonia eis fidelium, » et Ritual Romanum, « Si confitendi desiderium, sive « per alios ostenderint. » In quibus omnibus non unus tantum testis, sed multi recensentur, ex quibus habeatur depositio in favorem moribundi.

Ad primam quæstiunculam respondetur non requiri, quod viderint, vel audierint immediate moribundum ; sed sufficere audivisse a fide dignis, quod deponunt. Sic colligitur ex Rituali Romano dicente : « Si « confitendi desiderium per se, vel per « alios ostenderit, absolvendus est. » Ut autem id ostendat per alios, sufficit si per alios immediate, vel mediate manifestet suum desiderium : quoquo enim modo illud fiat, manifestatio per alios absolute verificatur. Et eodem modo accipitur illud objectum ex Concilio Carthaginensi : « Dent « testimonium qui eum audierunt : » intelligitur enim tam immediate, quam mediate. Sicut etiam dicitur, quod Deus loquitur per Prophetas, et per filium, quin necessarium pro hac absoluta loquutione sit nos audire, vel audivisse Prophetas, et filium immediate. Et in ipsa confessione sacramentali (ut ad rem omnino propriam proximius accedamus) contingere potest quod confessarius non audiat immediate pœnitentem, nec immediate interpretem, cui pœnitens loquitur ; sed mediate, sive mediante alio secundo interprete, quem prior alloquatur, ut si pœnitens dicat interpreti, qui grece sciat, sed non latine, et is latine sciens dicat sacerdoti latino. Ubi sacerdos non audit immediate pœnitentem, nec audit immediate interpretem a pœnitente excipientem ; sed audit alium interpretem, aut testem mediatum, idque sufficit pro ejus confessionis valore. Ad secundam respondetur sufficere unum testem : quia ubi non agitur de præjudicio alterius, creditur uni testi, præsertim in re, quam versamus non exigente juridicam probationem. Ex qua etiam radice provenit in præsenti materia, non requiri tes-

ten

tem omni exceptione majorem, qualis juxta leges requiritur in foro judiciali externo ; sed sufficit ille, cui prudenter, et probabiliter possimus credere. Opposita vero testimonia loquuntur in plurali propter id, quod frequenter accidit : solent enim moribundo plures assistere. Sed sensus illorum non est copulativus, sed distributivus pro multis, aut uno : sicut in Evangelio dicitur latrones contra Christum blasphemasse, cum unus tantum id fecerit, ut communiter declarant Expositores. Quas resolutiones amplectuntur communiter Doctores num. 234, et nominatim Lugo, Dicastillo, Zambrana, Reginaldus, Diana, Antonius a Spiritu Sancto, Leander, et alii, quibus relatis subscribit N. Franciscus supra n. 150, Delgadillo cap. 13, dub. 15, n. 39, Emmanuel a Concept. disp. 6, quæst. 4, n. 778, et alii.

238. Majus negotium facessere posset quæstiuncula, si ita appellanda est : contingit namque testes, de quibus hactenus, abesse a moribundo, quando confessarius vocatus, et superveniens illi adest ; ut si unus testis, qui vidit moribundum dolere de peccatis, et petere absolutionem, adeat sacerdotem, illum informet, et vocet, sed hoc officio functus non redeat cum sacerdote ad infirmum, sed alio tendat ; aut si illi, qui ea signa in moribundo viderunt, illa manifestent sacerdoti, non in præsentia infirmi, sed in alio cubiculo diverso. Poterit ne sacerdos illum absolvere ? Trepidaverunt hic aliqui nostræ sententiæ patroni, quin et negarunt id fieri posse, quos refert, et sequitur Diana tract. de absolutione moribundi resolut. 7, § *Igitur ex supra*. Et eorum fundamentum est, quod confessio sacramentalis fieri debeat in præsentia sacerdotis, ut ex supra dictis constat : id autem in casu, quem versamus, nulla ratione verificari valet, nisi moribundus simul cum testibus deponentibus ejus dolorem, atque desiderium absolutionis sit in præsentia sacerdotis absoluturi : ergo ubi prædicti testes absunt, nequit talis moribundus absolvi. Probatur minor : quia moribundus non aliter confitetur, quam per prædictos testes, quippe per se ipsum immediate confiteri non valet, siquidem supponitur loquela, et sensibus destitutus ; ergo nisi testes ibi adsint, verificari non valet, quod sacramentalis moribundi confessio fiat in præsentia sacerdotis.

Sententia tamen contraria est satis communis, et probabilis, illique subscribimus cum Bonacina retractante sententiam in ultima impressione disp. 5, quæst. 5, sect. 2, punct 2, § 4, Lugone disp. 17, num. 85, Dicastillo dis. 9, num. 807, N. Francisc. cap. 8, punct. 4, num. 149, in fine, Delgadillo cap. 13, dub. 16, Emmanuel loco citato num. 779 (quamvis vehementer fallatur asserendo eam confessionem nullo modo posse dici factam in præsentia sacerdotis, ne recedat ab asserentibus confessionem sacramentalem fieri posse absenti sacerdoti), Filliucius, Zambranus, Moure, et alii apud illos referentem, et sequentem Leandrum disp. 5, quæst. 45. Probatur primo ab auctoritate : quæ licet videatur negativa, re tamen non est : nam testimonia supra num. 234 relata, in quibus ordinatur, quod sacerdos possit absolvere moribundum sensibus destitutum, qui apud testes suum de peccatis dolorem et absolutionis desiderium ostenderat, nihil aliud ex testium parte requirunt, quam quod id absolute deponant : minime vero, quod sint præsentes moribundo, et sacerdoti, quando id deponunt, vel sacerdos absolvit. Rituale ait : « Si confitendi desiderium, « sive per se, sive per alios ostenderit, « absolvendus est. » Concilium Arausicanum : « Voluntatis præteritæ testimonium « aliorum verbis habeat. » Carthaginense ; « dent testimonium, qui eum audierunt, « et accipiat pœnitentiam. » In quibus manifeste solam testium depositionem exigit, non vero præsentiam eorum coram infirmo, ut deponant. Solus S. Leo videtur oppositum significasse, dicens : « Testimonium eis fidelium circumstantium « prodesse debeat. » At id non significavit : sed *circumstantium* dixit vel de præterito, quia circumstabant quando moribundus significavit se dolere de peccatis, et desiderare sacramentalem absolutionem : vel *circumstantium* dixit, quia regulariter testes assistunt infirmo cum advenit sacerdos, et inquirit de ejus dispositione : sed non exposcit quod eorum relatio coram moribundo fiat. Atque ideo S. Pontifex non aliud docet, quam relata Concilia, et Rituale. Secundo probatur ratione diruente oppositum fundamentum : quia ista deponentium testificatio non ad aliud requiri-

Opposita sent. Bonac. Lugo, Dicast. Franc. Delga d. Emman. Filliuc. Zambr. Moure.

Ratio 1.

Rituale. Conc. Arausican. Carthag.

S. Leo.

Ratio 2.

tur, quam ut confessarius sensibiliter cognoscat confessionem moribundi, sive ut iste confiteatur sacerdoti præsenti, ut constat ex supradictis, præsertim num. 230. Sed ad hoc sufficit quod testes id absolute manifestent confessario, et minime requiritur, aut conducit, quod ea illorum manifestatio fiat in præsentia moribundi : ergo hoc posterius non est necessarium. Probatur minor : tum quia per relationem testium ubicumque fiat confessarius cognoscit sensibiliter mediate dispositionem, et confessionem infirmi, qui eam ab initio manifestavit testibus, et illam sensibus alienatus non revocavit. Tum etiam : quia licet testes tempore, quo advenit, et adest confessarius, collocarentur coram moribundo, et tunc deponerent ; iste tamen tunc non loqueretur per eos ut tunc advenientes, et assistentes ; sed per eos ut a principio audierunt, et signa doloris viderunt : ad quod prorsus de materiali se habet, quod testimonium perhibeant in cubiculo, aut alio loco distante, et prorsus diverso. Unde ad oppositum fundamentum neganda est minor, ad cujus probationem constat ex dictis num. 236 moribundum in casu proposito, vel ab ipso principio explicuisse suorum peccatorum dolorem, et accusationem quantum erat ex parte ejus coram confessario præsente, licet confessarius fuerit absens per accidens respectu illius intentionis. Permansit autem moraliter ea sensibilis moribundi confessio in testibus videntibus, et audientibus ; qui eam etiam sensibiliter deduxerunt, et transtulerunt ad confessarium : qui tandem illa moraliter conservans, pervenit ad physicam coram moribundo præsentiam, per quem semel a principio coram testibus inchoata confessio completa est, sive tunc ibi adsint testes, sive non : jam enim per eum, moribundi confessio facta fuit præsens confessario, et moraliter perseverat.

Fundamenti oppositi responsio.

Nota 1. 239. Quamvis autem ista se habeant, duo tamen nobis adnotare visum fuit. Primum tutius esse, quod tempore, quo juxta modum immediate explicatum completur moribundi confessio coram confessario præsente, et confertur absolutio, adsint etiam illi testes, per quos se explicuerat infirmus. Tum ; quia magis sic verificatur confessionem fieri in præsentia confessarii mediis testibus, sicut posset fieri medio interprete. Tum etiam, quia ita cu majori proprietate exponuntur testimon supra allegata, et præsertim S. Leoni Tum denique : quia, ubi ita res disponitu posse moribundum absolvi docent unan miter omnes nostræ principalis resoluti nis patroni num. 234 relati ; sed ubi te tes tempore, quo sacerdos advenit, nc assistunt, eorum plures dubitant, et nc pauci negant absolutionem valere. Qua tutius est, quod testes tunc, quantum fie potest, adsint. Secundum, quod adstantibu tunc testibus, potest, et debet moribundi absolvi absolute : ubi autem non sunt pra sentes, solum potest, et debet absolvi su conditione. Ratio prioris partis est, qu absolutio potest, et debet absolute conferr ubi omne dubium circa ejus valorem pote prudenter excludi ; sed in casu proposit et adstantibus testibus deponentibus mor bundum doluisse de peccatis, et petivis absolutionem, quodlibet dubium cir valorem sacramenti potest prudenter di pelli : ea namque, quæ pro principali res lutione adduximus, præsertim ab auctor tate, et Ecclesiæ praxi sunt adeo efficaci ut illud procul expellant : ergo in tali ca potest, et debet absolutio absolute præstar Ratio autem posterioris partis firmatur a opposito : quoniam absolutio non deb concedi absolute, sed sub conditione, u occurrit rationabile dubium circa sacra menti valorem : sic autem contingit i proposito casu, quando testes non adsun coram moribundo, et confessario : sun pauci, qui id negent ; et quæ nos nun præced. perduximus, rem penitus no evincunt, licet faciant probabiliorem : erg in tali casu oportet absolutionem confer non absolute sed sub conditione, si possun vel si apest materia sufficiens. Et ita cor suleremus.

§ IV.

Continuatur eadem materia.

240. Quarto circa moribundorum co fessionem occurrit dubium, an moribur dus jam sensibus destitutus possit absolv qui nulli confessus est ; non confessar immediate tempore, quo sensum habeba quia non aderat ; nec mediate, sive medi testibus quia etiam aberant, et nemo rep ritu

ritur, qui deponat, aut possit dicere moribundum confessionem petisse, aut signa doloris dedisse. Proceditque specialiter difficultas circa hominem bonæ famæ, devotum, et frequentantem hoc sacramentum. Hujus enim bona fama, et æstimatio, consuetusque vivendi tenor æquivalere videtur depositioni testium, qui dicerent se vidisse in eo signa doloris, et desiderii confessionis : ut merito possit confessarius præsumere illum, ubi morbo, aut alio casu correptus fuit, æternæ salutis memoria habuisse interius attritionem, illamque aliquo signo externo ostendisse, quamvis nullus fuerit qui adverterit.

Vera, et communis, cui inhæremus sententia, negat posse in his circumstantiis moribundum absolvi, aut confici sacramentum pœnitentiæ, et superfluum est sic sentientes referre, qui sunt plurimi, et eorum aliquos oppositum percallentes dabimus num. 242. Probatur primo testimoniis Ritualis Romani, S. Leonis Papæ, et Conciliorum Arausicani, et Carthaginensis, relatis num. 234; nam ut declarent quando sacerdos moribundo superveniens possit illum absolvere, expresse affirmant posse, si vel per se, vel per testes signa doloris, et desiderii absolutionis ostendat : ergo e converso ubi nec per se, nec per testes illa signa in moribundo ostenduntur, nequit sacerdos illum absolvere. Nec momenti erit, si dicatur cum Caramuele argumentum esse negativum, et nihil evincere : quia in eis testimoniis dicitur quidem posse sacerdotem absolvere moribundum, si ea signa exhibuerit : sed non negatur, quod illis non exhibitis, et aliis motivis occurrentibus, possit conferri absolutio. Hæc, inquam, responsio nihil valet : quia incredibile omnino est, quod occurrente gravissima omnium necessitate circa moribundi remedium per absolutionem, ut Pontifices, et Concilia illi subvenirent, eam conditionem ex parte moribundi exegerint, nempe accusationem, et petitionem absolutionis, vel per verba, vel nutus, et alia signa, vel per testes : crudeliter enim agerent non docendo, et concedendo sacramentalem absolutionem in alio casu jam proposito, et secundum alias regulas, quas deficientibus omnibus illis signis juniores comminiscuntur : privarent enim homines illis remediis ad salutem æternam multoties necessariis, quod excogitarunt isti. Consequens autem est absurdum, et admitti non valet absque gravi Pontificum, et Conciliorum injuria. Confirmatur : quia casus exceptus firmat regulam in contrarium, ut est commune Theologorum, et Juristarum axioma, ut videri potest apud Sanchez lib. 4, in Decalogum cap. 40; sed in nullo Pontifice, Concilio, Sancto, aut Theologo (nisi nuperos aliquos excipiamus) omittitur pro absolutione moribundi sensibus destituti illa exceptio, si signa doloris, et desiderii absolutionis per se, vel per alios sacerdoti ostendat : ergo omnes alii casus excluduntur. Atque ideo ubi talis conditio non adest, ut in præsenti casu non adesse supponitur, minime potest moribundus absolvi. Confirmat.

241. Probatur secundo : quia absolutio sacramentalis nulla est, ac perinde, nec valide, nec licite conferri potest, nisi detur materia essentialiter necessaria pro sacramento pœnitentiæ juxta divinam ejus institutionem; sed talis materia non datur in casu proposito : ergo absolutio in eo casu nulla est, et nec valide, nec licite confertur. Major est evidens juxta qualitatem materiæ : nam sacramenta non habent aliud esse, quam ex institutione Dei, qui voluit illa esse quædam composita ex materia, et forma, sive ex rebus, et verbis : quare, sicut sine forma minime subsistunt, ita nec subsistunt absque materia : atque ideo, si desit materia necessaria ex Dei institutione, nequit forma adhiberi, et nulla est licet adhibeatur. Hac de causa sacrilegium foret intendere conficere Eucharistiam, et ad id proferre verba consecrationis, ubi non esset panis, qui est materia consecranda; et similiter sacrilegium esset intendere conferre Baptismum, et pro eo fine dicere verba formæ, ubi non esset aqua, nec baptizandi ablutio. Ob idem itaque motivum nequit sacerdotalis absolutio supra pœnitentem proferri, et confici sacramentum pœnitentiæ, nisi adsit materia pro hoc sacramento ex Dei institutione essentialiter requisita. Quæ omnia certa sunt, et sine errore in fide negari non valent. Minor etiam non inferiori certitudine constat : nam Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 3, compositionem, et hujus sacramenti partes proponens, inquit : « Docet præterea Sancta Synodus Ratio 2.

Concil. Trid.

sacramenti pœnitentiæ formam, in qua præcipue ipsius vis sita est, in illis ministri verbis sitam esse : Ego te absolvo, etc. Sunt autem quasi materia hujus sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentia partes dicuntur. » Et postea Canone 9, diffinit sic : « Si quis dixerit non requiri confessionem « pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere « possit, anathema sit. » Ergo ubi pœnitens nec immediate per se, nec mediate per alios, sive mediante aliorum testimonio confitetur, ut in casu proposito contingere supponitur, non datur materia sacramenti pœnitentiæ ex Dei institutione essentialiter requisita, supra quam cadere possit sacerdotis absolutio. Si quis autem dicat non dari in prædicto casu confessionem stricte et proprie sumptam : dari tamen confessionem large acceptam propter præsumptionem, quod moribundus doluerit de peccatis, et aliqua externa signa hujus doloris ediderit : quia nullus vult in æternum condemnari. Qui id, inquam responderit, efficaciter refelletur : tum, quia eadem facilitate posset dicere, posse quem in casu necessitatis consecrare materiam, quam cognoscat non esse panem proprie, sed improprie ob aliquam largam similitudinem ; et idem contingeret circa materias aliorum sacramentorum : quod tamen dicere foret plus quam error. Tum etiam, quia confessio, quæ est materia hujus sacramenti, non est alia, quam sensibilis, et personalis pœnitentis accusatio de peccatis; hæc namque, et non alia confessio pro hujus sacramenti materia instituta est a Christo Domino, et recognoscitur in Ecclesia Catholica, ut constat ex late dictis qu. 90, art. 2, et dub. 1 hujus disputationis : ergo vanum, et absurdum est recurrere ex præsumptione ad aliam confessionem improprie sumptam. Tum. denique, quia contra illam præsumptionem est, quod non obstante, quod nemo vult in æternum condemnari, multoties contingit moribundum vixisse in notorio, et habituali adulterio, aut concubinatu, aut etiam in hæresi : ubi imprudens foret illa præsumptio. Contingit etiam non minus frequenter moribundum esse tam confessario, quam aliis prorsus ignotum in modo christiane vivendi, et servandi Dei præcepta.

Confirmatur : quia sacramentum pœnitentiæ institutum a Christo per modum spiritualis judicii, et absolutio sacerdotis exposcit aliquam causæ cognitionem estque actus judicialis, atque ideo jurisdictionem exposcens ; sed absolutio judicialis nequit exerceri, ubi nulla supponitur rei accusatio : ergo sacerdos nequit sacramentaliter absolvere, quin præsupponatur aliqua accusatio ex parte pœnitentis, qui in hac causa gerit officia rei, et accusatoris, ut sæpius in superioribus explicatum est; sed confessio est accusatio ex parte pœnitentis : ergo ubi nulla præcedit pœnitentis confessio, nequit sacerdos sacramentaliter absolvere. Cetera constant; et major primi syllogismi, ex quo totus discursus dependet, demonstratur ex Concilio Tridentino sess. citata, ubi ait: « Dominus noster Jesus « Christus e terris ascensurus ad cœlos, « sacerdotes sui vicarios reliquit tanquam « præsides, et judices, ad quos omnia mor- « talia crimina deferantur, in quæ Christi « fideles ceciderint : qui pro potestate cla- « vium remissionis, aut retentionis pecca- « torum sententiam pronuntient. » Et deinde Can. 9 ejusdem sessionis statuit : « Si quis dixerit absolutionem sacramen- « talem sacerdotis non esse actum judicia- « lem, sed nudum ministerium pronun- « tiandi, et declarandi remissa esse peccata « confitenti... aut dixerit non requiri con- « fessionem pœnitentis, ut sacerdos eum « absolvere possit, anathema sit. » Quod autem respondet Caramuel minorem primi syllogismi falsificari, vel in ipso judicio externo, quippe pro vel condemnatione, vel absolutione in eo non requiritur vera accusatio, sed sufficit virtualis, et præsumptiva, ut liquet quando judex procedit ex officio, vel ex clamorosa insinuatione, vel ex evidentia delicti ; nihil valet, excessive probat, et objectam difficultatem intactam relinquit. Nam in primis eadem responsione salvaretur, quod sicut in judicio forensi satis ordinarie, regulariter, et per se loquendo non præmittitur vera accusatio, sed proceditur alia via ex insinuatis Caramuelis, sic etiam in hoc sacramentali judicio posset regulariter, et per se loquendo, et extra casum extremæ necessitatis

cessitatis dari absolutio, et perfici sacramentum absque ulla vera pœnitentis accusatione, aut confessione : quod nequit catholice dici. Salvaretur etiam, quod sicut in judicio forensi alius est reus, et alius accusator, et nemo se accusare tenetur ; sic etiam contingeret in isto judicio sacramentali : quod asserere foret hæresis manifesta. Aliunde vero motivum nostrum intactum relinquitur : quia in nullo judicio potest dari sententia absolutionis, vel condemnationis, nisi præcedat aliqua accusatio contra reum, propria, vel interpretativa, ut glossat Caramuel, et patet in exemplis, quibus utitur judicis procedentis ex officio, aut ex clamorosa insinuatione : ergo in hoc judicio sacramentali pro pœnitentis absolutione debet dari aliqua accusatio. Hæc autem non est aliud, quam ipsa peccatorum confessio apud confessarium, ut judicem : ergo, nisi hæc adsit, impossibile est hoc sacramentum habere formam judicii, et absolutionem esse actum jurisdictionis, contra id, quod tam aperte Tridentinum docuit, et diffinivit.

242. Ex quibus a fortiori refelluntur absurdæ, et frivolæ quorundam evasiones, quibus vim præmissorum motivorum elevare, aut illudere conati sunt. Jacobus Bajus Lovaniensis lib. 2, de institutione Religionis Christianæ dixit, illis evinci quod etsi a nobis dicta evincant, quod moribundo nullum edenti pœnitentiæ signum non liceat conferri absolutionem per modum judicii, et actus jurisdictionis ; minime tamen excludere, quod ipsi concedatur per modum suffragii. Aliqui etiam apud Gonetum disp. 19, art. 4, § *In fine* dixerunt sufficere in tali casu confessionem generalem, qualem in principio Missæ solent præmittere omnes fideles, et præsertim, qui Missæ inserviunt : quare hi, si subito sensum amittant, possunt absolvi, licet non alia pœnitentiæ signa ediderint. Maxime cum vel in ipsa Missa absolvantur a sacerdote. Denique Manrique Ferro, quem referunt Aversa qu. 10, sect. 18, et Martinus a Sancto Joseph lib. 1, tract. 16, de pœnitentia, asseruit Summum Pontificem posse moribundum, qui nullam manifestat pœnitentiam absolvere, quia est supra omne jus positivum. Et indicat Pontificem hanc posse dare, aut delegare extra ordinariam potestatem sacerdotibus ordinariis, ut in casu extremæ necessitatis, qualem versamus, moribundos non manifestantes pœnitentiæ signa absolvant. Qua suprema auctoritate, inquit ille, Clemens VIII utens, quendam ruentem ex fornice Templi S. Petri Romæ absolvit, ut plures referunt.

Hæc, inquam, sunt multum falsa, et nemine impellente evertuntur. Primum quidem : nam vel loquitur de absolutione sacramentali, vel de absolutione mere deprecatoria, qualis solet conferri in principio Missæ, et accedentibus ad communionem ? Si eligatur hoc ultimum ; tollitur status dubii præsentis inquirentis de absolutione sacramentali, et aliunde facile concedimus absolutionem per modum deprecationis posse applicari per modum suffragii non solum moribundo, sed etiam mortuo, sicut et indulgentiam, ut patet ex pluribus Ecclesiæ orationibus pro defunctis. Si autem eligatur primum, res prorsus absurda dicitur, et doctrinæ atque diffinitioni Concilii Trident. contraria : nam, ut liquet ex ejus testimoniis supra relatis, absolutio sacramentalis est vere actus judicialis, et exercitium jurisdictionis : atque ideo nequit dici mera deprecatio, quæ per modum suffragii applicetur. Jam olim aliqui hunc, quem impugnamus, modum dicendi indicaverant, qui adeo displicuit D. Thomæ, ut illum rejecerit acri (supra suam consuetudinem) nota in opusc. 22, ubi ait : « In sacramento pœni-
« tentiæ verba scripturæ non faciunt men-
« tionem de aliqua deprecatione ; sed ma-
« gis verbo indicativo utitur. Non enim
« dicit, quæcumque petieris esse solvenda
« erunt soluta ; sed quæcumque solveris,
« etc. Si ergo illa tantum dicuntur esse
« soluta, quæ habens claves solverit ; qui
« autem petit aliquid esse solvendum, non
« solverit : miror qua temeritate aliquis
« asserat esse solutum, quem habens cla-
« ves non significat se solvere, sed solum
« rogat esse solvendum. » Appellat rursum talem sententiam « temerariam, et
« præsumptuosam, ne dicam (*addit*) erro-
« neam. » Quod diceret, et eo amplius, si vidisset doctrinam, et diffinitionem Concilii Tridentini : propter quam dixit Lugo se nescire, quomodo salva fide ille dicendi modus queat sustineri. Secundum etiam refellitur, quia illa generalis assistentium

Evasio 1 rejicitur.

D. Tho.

Secunda refellitur.

in Missa confessio, non est pars sacramenti pœnitentiæ, et solet fieri sine ullo prorsus dolore, et absque ordine ad claves ; sed est aliquod sacramentale, in quo solent peccata venialia remitti. Unde talis confessio minime sufficit, ut fiat sacramentum pœnitentiæ, et ut sacerdos valeat sacramentaliter absolvere moribundum. Et quod additur de absolutione, quam sacerdos in Missa impertitur fidelibus, rejicitur ex immediate dictis : quia talis absolutio est pura, et mera deprecatio, non autem pars sacramenti, nec actus (ut pro illo constituendo desideratur) judicialis, et exercitium potestatis clavium remittens ex opere operato peccata. Tertium denique nullo modo potest sustineri : nam, quod sacramentum pœnitentiæ constet essentialiter partibus, et earum una sit peccatorum confessio, provenit ex institutione, et jure divinis, ut ex proposito ostendimus dubio primo. Quare Summus Pontifex nec in casu extremæ necessatis potest per se, vel per alium pœnitentem absolvere, et sacramentum pœnitentiæ conficere, nisi adsit ex parte pœnitentis confessio : nec in tali extrema necessitate plus circa id potest, quam simplex sacerdos. Illud autem quod de Clemente VIII refertur fabula est, et censetur apud Romanos, ut recte ostendit Lugo disput. 17, n. 34, cui multum in suo testimonio ob sapientiam, et dignitatem, et diuturnam Romæ habitationem deferre oportet.

3 explo-ditur.

243. Contrariam nostræ, et communi resolutioni sententiam tuentur Alexander Ludovisius (postea Pontifex Gregorius XV) in memoriali confessariorum, edito Bononiæ (cum erat ejus Archiepiscopus) c. 1, de forma sacramenti pœnitentiæ, Homobonus in examine Ecclesiæ par. 1, tract. 7, c. 18, qu. 84, Molfesius tom. 1, tract. 7, c. 5, Jacobus Bajus loco supra cit. Torreblanca l. 14 practicarum, c. 11, n. 14, Bartol. a S. Fausto l. 4, qu. 204, Baseus, verbo *Absolutio*, in 3 editione, Martinus a S. Joseph l. 1, tr. 16, n. 9, Tamburimus de methodo confessionis l. 2, c. 10, § 1, Caramuel in Theologia fundamentali, fundamento 66, § 6, Ludovicus a Concep. in examine veritatis, part. 1, tract. 5, qu. 1, Delgadillo cap. 53, dub. 18, Noster Antonius disp. 10, sect. 4, et pro eadem refert Moja tract. 3, disp. 6, quæst. 4, § 1, 30.

Opposita opinio. Alex. Homobonus, Molfes. Bajus, Barthol. Baseus, Martin. Tambur. Caram. Ludovic. Delgad. Anton. Moja

Auctores multos etiam adducit Diana 4 part. sect. 4 Miscel. resolut. 92 et 3 part. tract. 3, resolut. 8, dixit : « Unde ego saltem ex principio extrinseco puto hanc sententiam probabilem esse, et ita illam tenent aliqui patres Societatis Jesu, et nostræ Religionis. » Cui Lugo disp. 17, n. 39, reponit tempore, quo scribebat nullos esse in societate id docentes. Et Dicastillo disp. 9, n. 862, profitetur nullum Societatis sic asserentem hactenus vidisse ; atque immerito Dianam allegasse Salmeronem, cum in ejus scriptis nullum hujus opinionis reperiatur vestigium. Caramuel tamen refert Stephanum Bauni, et Carolum Musert, et alios Societatis, qui in Universitate Viennensi hanc opinionem docebant.

Eam autem illius Patroni probant primo ex D. Augustini loco, quem expendimus, n. 231, in quo plane catechumenum moribundum, licet signa pœnitentiæ non ostendat, quam forte interius habet, baptizandum esse docet : et statim eandem doctrinam extendit ad baptizatum moribundum, et non edentem pœnitentiæ signa, ut ei conferatur pœnitentiæ sacramentum : ita autem concludit : « quæ au- « tem Baptismatis eadem reconciliationis « est causa, etc., » sicut loco citato magis expendimus. Quemadmodum ergo catechumenus moribundus, licet nulla edat signa, baptizandus est : sic etiam baptizatus moribundus repertus absque sensu, et nulla edens signa, absolvi debet. Secundo : quia in casu proposito contingens est (et in dubio debet præsumi) quod repentina infirmitate, et privatione sensuum arreptus recordetur suæ æternæ salutis, et concipiat efficacem saltem attritionem, et sit recte dispositus ad suscipiendum absolutionem saramentalem : ergo in talibus circumstantiis potest hæc illi impendi. Tertio, quoniam ille intelligitur petere ab extrinseco confessionem, qui ea extrinsece facit, quæ minime faceret, si confiteri nollet ; sed hoc modo se gerit, qui profitetur vitam christianam, et satisfacit ejus obligationibus ; quippe qui nihil horum faceret, si vellet impœnitens mori, atque condemnari : ergo qui vitam christianam profitentur, petunt ab extrinseco confessionem, et per tot linguas id exposcunt, quot opera exercent vitæ christianæ : atque ideo in moribundis, qui christiane vixerunt adest hæc sacramenti

pœnitentiæ

pœnitentiæ petitio, licet tunc nullis signis illam explicent. Quarto, nam ut moribundo sensibus privato, conferatur Extrema-Unctio, aut etiam Eucharistia, sufficit eum christiane vixisse, quia hæc ipsa vita est petitio sacramentorum saltem virtualis, et implicita : ergo etiam est implicita petitio sacramenti pœnitentiæ : et consequenter ab hoc capite, sive ex defectu petitionis non est deneganda absolutio moribundo, licet eam tunc explicite non exposcat. Quinto, quoniam ille absolvi debet, et si sensu destitutus, et nulla edens ad id signa, qui prius dixerat se in casu, quo sensu careat, velle absolvi ; sed omnes christiane viventes id dicunt ; siquidem omnes actiones propriæ hujus vitæ sunt protestationes, per quas christiani profitentur, se velle frui sanguine Christi, salvari, et ad id adhibere media necessaria, quorum unum est confessio, et sacramentalis absolutio : ergo omnes christiane viventes, si ad illam extremam necessitatem deveniant, debent sacramentaliter absolvi. Sexto, ideo catechumenus in eo extremo positus potest baptizari, quia ipse catechumeni status est virtualis Baptismi ante mortem suscipiendi petitio ; sed etiam professio vitæ christianæ est petitio virtualis sacramentalis absolutionis ante mortem suscipiendæ : ergo, qui christiane vixit debet tunc absolvi, quamvis non ostendat tunc alia signa suæ petitionis. Septimo, nam potest quis sacramentaliter absolvi, saltem sub conditione, licet de eo dubitetur, an habeat usum rationis, et an ea, quæ confitetur, sint vera peccata : ergo pariter moribundus in casu proposito potest saltem sub conditione absolvi, quamvis incerti simus de ejus dolore, et petitione confessionis. Octavo, quia tenemur saltem ex charitate proximo in extrema necessitate existenti probabiliter succurrere, si id possumus sine gravi nostro incommodo ; sed moribundus, qualem describimus, est in extrema circa salutem æternam necessitate : aliunde vero possumus ei probabiliter succurrere per medium probabile absolutionis sub conditione datæ ; siquidem, et Auctores relati, et motiva immediate proposita faciunt satis probabilem talis medii applicationem : et alias nullum ex hoc nobis provenit incommodum, ut ex se liquet : ergo moribundus in casu proposito non solum potest, sed debet absolvi saltem sub conditione ; et contra charitatem ageremus illud ei remedium non ministrando.

244. Hæc, et alia solent pro hac opinione opponi ; verum ista sunt principaliora, sed quæ arduum non sit dissipare. Ad primum respondet Dicastil. disp. 9, n. 852 et 854 D. Augustinum multum favere prædictæ opinioni ; tamen præferendum esse communem Ecclesiæ sensum nixum institutioni, et essentiæ hujus sacramenti. Sed non admittimus, quod S. Doctor ulla ratione suppetias tulerit sententiæ, quæ prædicto communi sensui Ecclesiæ, et institutioni repugnet. Præsertim cum ejus mens sit satis perspicua : nam intendit, et docuit, quod sicut catechumenus moribundus destitutus sensibus potest baptizari, ita baptizatus moribundus sensibus privatus possit absolvi. Sed supponit discrimen inter utrumque sacramentum, quod pro Baptismo recipiendo sufficit intentio illud suscipiendi, quam habet omnis catechumenus eo ipso, quod catechumenus sit : tendit enim ex vi sui status ad suscipiendum Baptismum, cujus candidatus est, sed pro sacramento pœnitentiæ non solum requiritur intentio ex parte pœnitentis ipsum suscipiendi (in quo est paritas cum Baptismo, sed de eo in præsenti non disputamus) verum etiam requiritur confessio peccatorum, ut fide edocemur. Et si hæc in moribundo penitus deficiat, non asseruit D. Augustinus, nec insinuavit illum absolvendum fore ; quippe quantum ad hoc requisitum, de quo est nostra controversia, nulla est similitudo inter Baptismum catechumeni moribundi, et absolutionem sacramentalem moribundi baptizati. Ad secundum concedimus antecedens, et negamus consequentiam : nam ad valorem hujus sacramenti non sufficit interior attritio, sed requiritur essentialiter exterior, et sensibilis peccatorum confessio. Unde hac deficiente, ut in casu proposito supponitur deficere, nequit sacramentalis absolutio conferri : etiamsi admitteremus omnes moribundos recordari tunc suæ salutis æternæ, et habere internum de peccatis dolorem. Ad tertium neganda est major, quæ falsitatis vel ex eo convincitur, quod plures per totam vitam christiane vivunt, et tamen non semper confessionem

Fit satis primo motivo.

Secundo

Tertio

petunt, nec possunt in omni hora absolvi ; quin potius habent positivam intentionem non confitendi, nisi in determinato tempore, prout ipsis placet. Nec inserta alias minoris probatio est alicujus momenti : nam cum illo affectu, quo omnes profitentes vitam christianam exequuntur non pauca ad eam pertinentia, compatitur esse in actuali peccato, et voluntate non confitendi, ut patet in existentibus in continuo adulterio, et concubinatu, et in non restituendo, quæ debent. De quibus nulla ratione dici valet, quod vel ab intrinseco, vel ab extrinseco petant vere confessionem, et absolutionem.

Quarto. Ad quartum, vel neganda est major, vel ejus suppositum : nam ratio, quare moribundis sensu destitutis Extrema-Unctio, et Eucharistia administrentur, non est illa, quæ in majori assignatur, sed alia longe diversa assignata a D. Thom. supra q. 84, art. 1 ad 1, quod nimirum
D. Tho. istorum sacramentorum partes non sunt actus illa recipientium ; sed in sacramento pœnitentiæ sunt ipsi actus humani eliciti, nempe dolor, et contritio. Quamobrem sicut in illis duobus sacramentis, et aliis a pœnitentia, et matrimonio distinctis, si deficerent res, in quibus eorum materia consistit, v. g. aqua, oleum, panis, etc., non possent ea confici, quamvis adesset illa suscipiendi intentio : sic etiam in sacramento pœnitentiæ, si non daretur ex parte pœnitentis dolor, et confessio, quæ sensibiliter aliquomodo innotescerent confessario, minime tale sacramentum confici posset : sicut nec matrimonium absque contrahentium consensu per aliqua signa explicato, quidquid fuerit de pœnitentis, et contrahentis intentione, et desiderio. Unde omnia fere Adversariorum motiva paralogyzant in eo, quod solum attendunt ad intentionem suscipiendi sacramentum, quæ in pœnitente moribundo ex his, aut illis capitibus præsumi posset ; omissa attentione ad dolorem pœnitentis, et ad ejus media confessione externam manifestationem : quæ certum est esse de hujus sacramenti necessitate, et non adesse actu in cunctis, qui profitentur vitam Christianam : plurimi namque sunt existentes in statu peccati, et non curantes de confessione, et emundatione, quos repentini moriendi casus rapere solent.

Ad quintum neganda est similiter major : quia licet ea via constaret de præhabita moribundi intentione in ordine ad suscipiendum in articulo mortis pœnitentiæ sacramentum, quæ intentio foret in suo genere sufficiens : nihilominus postea non constaret de moribundi dolore, et confessione, quæ ultra illam intentionem pro valore sacramenti essentialiter requiruntur, et nequeunt in omnibus rationabiliter præsumi ; cum plurimi sint ad peccatum actualiter affecti, et de confessione non curent. Quin et de illius intentionis veritate pro casu repentinæ mortis vehementer ambigimus : nam de eo, qui noluit confiteri, et absolvi cum potuit, quomodo interpretabimus intendere, ac velle confessionem, et absolutionem pro eo casu in quo prævidet, quod non habebit rationis usum, nec poterit confiteri ? Satis ridicula, et imprudens foret talis præsumptio, eique innixa interpretatio, ut ex se constare videtur. Ad sextum patet ex dictis : nam pro valore Baptismi in catechecumeno moribundo sufficit ex parte ejus intentio suscipiendi Baptismum : quam intentionem satis manifestat ipse status catechumeni, sive votum profitendi vitam christianam, quamvis imperfectam, et mixtam multis gravibus peccatis. Sed pro valore sacramenti pœnitentiæ ultra intentionem illud suscipiendi, requiruntur essentialiter dolor de peccatis, propositum novæ vitæ, et peccatorum confessio. Hæc autem certum est non semper adesse in omni moribundo baptizato. Et propterea eadem certitudine asserimus non omnem baptizatum moribundum posse sacramentaliter absolvi. Ad septimum omisso antecedenti negamus consequentiam. Et disparitas est satis clara : nam in casu antecedentis non est certum pœnitentem carere usu rationis, aut ea, quæ confitetur esse peccata ; sed de his prudenter dubitatur : in quo casu ipsa prudentia dictat, quod pœnitenti non negetur absolute absolutio, sed conferatur sub conditione. Sed in casu consequentis supponitur moribundum nulla ostendisse signa doloris, et confessionis, quæ sensibiliter mediate, aut immediate cognita fuerint a sacerdote : qui proinde cum in eo nullam reperiat materiam proximam hujus sacramenti, vel certam, vel prudenter dubiam, nullo modo, vel absolute, vel sub conditione

conditione potest proferre, et in eum dirigere sacramentalem absolutionem. Ad octavum omittendo præmissas neganda est consequentia, quæ illegitime ex eis deducitur : nam ut possimus, et debeamus, in casu proposito moribundum absolvere, ultra conditiones assignatas requiritur, quod cognoscamus in pœnitente adesse materiam certam, vel saltem dubiam, quæ pro hoc sacramento, et sacramentali absolutione requiritur. Quæ tamen sacerdoti nullo modo occurrit, ut in hac difficultate supponitur. Quare sacerdos nequit illum absolvere absolute, vel sub conditione. Et, si id facere tentaret, minime exequeretur absque gravi incommodo proprio, utique peccandi mortaliter agendo superstitiose, et contra reverentiam debitam sacramento : et charitatem proximo debitam minime agit, qui ei in extrema necessitate laboranti applicat remedium, quod scit vanum tunc esse proficere non posse.

245. Occasione tamen hujus ultimi argumenti solet dubitari, an contraria nobis sententia possit licite practicari, et in proposito casu ad exercitium absolvendi sub conditione reduci. Et, si quidem potest; consequens est nemini negandum, quod debeat : nam proximo in tali extremo posito debemus succurrere per omnia media licita possibilia. Affirmant præter impugnatæ sententiæ patronos n. 242 relatos, alii non pauci, qui licet levissimam, aut vix nullam in ea opinione probabilitatem speculativam recognoscant; sentiunt tamen posse esse practice probabilem, posseque, ac debere in casu proposito revocari ad exercitium absolvendo moribundum. Ita Diana supra relatus, Leand. disp, 5, q. 46, affirmans se Romæ ita non semel practicasse, et pro tali opinione refert Suar. Vasq. Turrian. Lugum, et alios : sed prorsus immerito ; nam manifeste docent oppositum. N. Gabr. disp. 7, q. 2, ubi precatur lectores id sequi, si casus occurrat. N. Francis. c. 8, punct. 4 a n. 154, Emmanuel a Concep: disp. 6, qu. 4. Cui sententiæ licet inconsequenter multum favet (saltem pro aliquibus casibus) Tyrsus disp. 36, sect. 4, n.51. Cui sententiæ tam mordicus hæret N. Antonius supra relatus ut dixerit, vel eum moribundum debere absolvi sub conditione, qui diceret se nolle absolvi, et etiam illum, qui in ipso actu peccandi, v. g. fornicandi sensibus destitueretur, dummodo non fuerint scandalosi, et publici peccatores ; quia in aliis christiane regulariter viventibus pie præsumi debet illa verba ex phrænesi procedere, et actu peccantem vulneratum subita infirmitate resipiscere, et quærere pro salute æterna remedium. Denique N. Lezana in summa q. regular. tom. 3, verbo *Confessio*, n. 11, prædictam opinionem non reputat omnino improbabilem.

Sed videamus quid alii sentiant. Henriq. l. 6, c. 10, n. 9, ait : « Si infirmus amisso « rationis judicio nullum præbet, nec « paulo ante dederat peccati, et pœnitentiæ « signum, nullo modo est absolvendus a « peccatis : in quo quidem rudiores sacer- « dotes errant. » Vasq. q. 91, ar. 2, dub. 5, affirmat : « Nullum esse qui contrarium « dicat. » Coninch. disp. 5, n. 28, et disp. 10, n. 96, dicit : « Contrarium non esse « probabile. » Laym. l. 5, tr. 6, c. 12, inquit : « Patres, et Doctores non aliter « permittunt pœnitentiæ sacramentum « moribundo obmutescenti ministrari, nisi « ante sacramentalem absolutionem ver- « bis, aut signis petierit. » Lugo disp. 17, sect. 3, affirmat « omnes pro certo hoc « supponere, » et productis motivis ex Patribus, et Conciliis subdit : « Non ergo « expedit in re tanti momenti sub pietatis « specie sapere plus, quam omnes S. Pa- « tres docuerunt, sed observare terminos, « quos apposuerunt nobis. » Franciscus Fœlix in Tentativa Complut. tr. 4, c. 3, difficult. 10, dicit : « Contrarium esse im- « probabile. » Manrique Ferro 2 part. q. 152, n. 4, ait : « Opposita est improbabi- « lis. » Trullench. l. 4 praxis, c. 6, dub. 7, dicit de sententia negante : « In hoc « conveniunt omnes Doctores. » Arriaga disp. 36, sect. 3, de eadem sententia negante-agens, inquit : « Hæc sententia ante « triginta, aut quadraginta annos adeo « certa erat apud omnes Theologos, et « fideles, ut opposita non fuerit probabilis. « Quod magnum est argumentum ad per- « suadendum sententiæ oppositæ falsita- « tem : quia absurdum est Ecclesiam Dei « per tot retro sæcula in materia adeo « necessaria ad salutem animarum igno- « rasse hoc remedium, nec sufficienter « providisse animarum saluti. » Addit

Henriq. Opinio opposita. Vazqu. Coninch. Laymau. Lugo. Fœlix. Ferro. Trullench. Arriaga.

ulterius sententiam affirmantem non solum olim fuisse, quod adversarii non diffitentur, sed esse etiam modo improbabilem : quia ejus Auctores non adducunt solutionem probabilem ad loca Conciliorum, quibus clare sententia communis probatur. Tyrsus disp. citata n. 41, ait : « Ex dictis in foro, « si sistamus inter terminos, » hujus quæstionis, in qua inquiritur, an moribundus, qui nullum dedit pœnitentiæ signum possit absolvi, sententiam « affir« tem esse pœnitus improbabilem : quia « hoc ipso, quod supponatur non præces« sisse ullum signum doloris, supponitur « deesse partem essentialem hujus sacra« menti. » Petrus Fay in Addit. ad 3 par. qu. 9, art, 9, disp. 2, acriter pro negante, et communi sententia subjungens : « Licet « contrarium indiscrete, et ignoranter sa« tis, ac sine ullo prorsus, vel apparente « fundamento a variis sacerdotibus practi« cetur. Prado q. 3, dub. 3, § 2, n. 6, relatis patronis, et motivis relatæ sententiæ affirmantis subdit : « Nihilominus relata « sententia est omnino falsa, et improba« bilis speculative, et practice. » Et titulus § habet : « Est falsissima, et improbabilis. » Gonet disp. 12, ar. 4, n. 80, illa etiam relata addidit : « Verum hæc sententia « probabilitate caret. » Omittimus alia, quæ alii proferunt non suaviora, quia relata sufficiunt.

Tyrsus. Fay. Prado. Gonet.

Judicium circa relatas opiniones.

246. Inter has sententias hæremus propensi ad pietatem omnem erga moribundos, sed vincimur tandem veritate, quam videmus in secunda a tam multis, et adeo gravibus propugnata. Unde abstrahendo a censuris, quibus ejus patroni utuntur, eidem absolute subscribimus. In qua resolutione magis confirmamur attendendo ad diversos modos, quibus casus in hac controversia propositus potest contingere. Nam in primis fieri potest, quod ipse confessarius cognoscat evidenter moribundum nullum dedisse pœnitentiæ signum, ut si loquens cum ipso confessario repente corruit absque ullius signi ostensione. Et in tali casu nequit illum etiam sub conditione absolvere, nec se practice conformare cum opposita sententia : nam contra illius motiva, et omnem ab extrinseco probabilitatem cognoscit evidenter non dari materiam proximam hujus sacramenti : et si oppositum faceret peccaret agendo superstitiose, et sacrilege. Et idem contingeret ubi testes, coram quibus moribundus corruit, deponerent se nullum in eo homine, cum illo accidenti arreptus fuit, observasse signum pœnitentiæ, aut desiderii absolutionis : militat enim eadem ratio ob carentiam omnis materiæ proximæ. Fieri secundo potest, quod moribundus ostenderit aliqua signa externa : et siquidem illa fuerint certa signa doloris, ut tundere pectus, aspicere devote imaginem crucifixi, osculari crucem, etc., potest, et debet absolvi juxta superius dicta a n. 230 ; si autem signa fuerint dubia, quia possunt procedere, vel ex dolore peccatorum, vel ex molestia morbi, ut suspiria edere suspiciendo in Cœlum, potest moribundus absolvi sub conditione ; quia adest saltem materia dubia, ut observavimus n. 232 ; vel denique talia signa sunt motus mere naturales, nihil referentes, ut se jactare ab una in altera lecti partem, vel conari ad vitandum suffocationem in flumine ; et de his non magis curandum est, ac si non fuissent, in ordine ad absolutionem, ut in prima parte hujus considerationis dicebamus. Denique fieri potest, quod sacerdos nec certo per se, nec per testes cognoscat moribundum non dedisse pœnitentiæ signa, nec aliunde cognoscat illum dedisse signa certa vel dubia, sed nullum horum extremorum cognoscat, et constituatur sub dubio negativo circa modum, quem moribundus habuit non edendo doloris signa ; nescit enim an illa signa ostenderit, vel non ostenderit, et pie præsumi ostendisse, quia sic communiter se gerunt Christiani, ubi sentiunt se tangi morbo mortali, rapique morte repentina.

Hic casus est, si quis alius excogitari potest, in quo melius bonum habet affirmans opinio, illique in tali eventu hæret Tyrsus disp. cit. n. 51, ut censeat posse in illo practicari. Illamque confirmat : nam ad valorem absolutionis, et hujus sacramenti, sicut requiritur confessio ex parte pœnitentis, sic etiam usus rationis ; sed in casu, quo confessarius dubitat dubio negativo, an pœnitens habeat usum rationis, potest illum sub conditione absolvere, ut omnes concedunt : ergo pariter potest moribundum sub conditione absolvere, quando dubitat dubio negativo an pœnitens ediderit signa pœnitentiæ, et desiderii confessionis

fessionis. Quod alio motivo universaliori suffulciunt : quia in dubiis circa necessaria ad salutem tutior pars est eligenda : et dubium non est tutiorem partem respectu moribundi in tali casu esse absolvi sub conditione juxta opinionem relatam, quæ apparet probabilis, saltem ab extrinseco ob multitudinem patronorum.

247. Persistendum tamen est in proposita resolutione, quoniam non solum quis impeditur a proferendo formam absolutionis, quando cognoscit non dari materiam necessariam ex institutione divina ; sed etiam quando non cognoscit positive aliquam materiam juxta prædictam institutionem : agit enim temere proferendo absolutionem cum manifesto periculo frustrationis. Cui temeritatis periculo non occurrit, qui conditionem adhibet, sed magis addit superstitionem : quia forma nec absolute, nec conditionate proferri potest, ubi minister non cognoscit aliquam materiam supra quam cadat illa forma. Idque generale est in aliis sacramentis : nam qui non cognoscit materiam certam adesse, vel dubiam Baptismi, peccaret proferendo absolute, vel conditionate Baptismi formam : et similiter qui non cognosceret habere coram se materiam certam, vel dubiam Eucharistiæ peccaret proferendo absolute, vel conditionate verba consecrationis. Et sic de aliis. Quod contingeret in proposito casu ; siquidem sacerdos non cognoscit per se, vel per alios adesse materiam proximam ad absolutionem, nempe dolorem de peccatis, accusationem certam, vel dubiam : latet enim prorsus talis accusatio. Porro recursus ad piam præsumptionem nihil valet : tum, quia sæpissime fallitur : tum, quia illa pertinet ad partem intellectivam, et non confert ad sensibilem confessionem, quæ vel immediate, vel mediate debet innotescere confessario, ut judicet, et absolutionem præbeat : sicut etiam contingit in materia aliorum sacramentorum, ut minister super eam absolute, vel conditionate possit formam licite proferre. Ubi enim nulla materia sensibilis occurrit, de qua saltem dubitetur, an sufficiat vel non, nequit licite adhuc sub conditione forma applicari.

Ea vero, quæ denuo pro parte contraria expenduntur, non urgent. Et motivum Tyrsi dispellitur omittendo præmissas, et negando consequentiam ob satis manifestam rationem disparitatis : nam in casu minoris adest saltem materia sensibilis hujus sacramenti, videlicet peccatorum confessio, de qua tamen dubitatur an sit sufficiens propter dubium occurrens circa usum rationis in pœnitente : quare iste est casus proprius, in quo absolutio sacramentalis possit, et debeat sub conditione conferri. Cetero in nostro casu nulla datur materia sensibilis, de qua rationabiliter dubitetur, an sit, vel non sit sufficiens : sed prudens occurrit dubium negativum, et suspensivum, an moribundus dederit, vel non materiam, sine ullo ad eam asserendam positivo, et sensibili fundamento, sed cum sola unius, et alterius partis nescientia, et absentia materiæ, de qua prudenter dubitetur. Id vero minime sufficit, ut confessor possit prudenter procedere ad absolvendum moribundum, sive conficiendum sacramentum sub conditione, ut aliorum exemplo convincitur, ubi abest omnis materia sensibilis, quæ dubio subsit.

Augmentum vero difficultatis, quod communiter alii addunt, facile evacuatur, si attendamus in administratione sacramentorum non solum ad profectum, aut necessitatem suscipientium, sed etiam, et multo magis, ut par est, ad reverentiam circa ipsa sacramenta, ut non exponantur frustrationi, aut superstitioni, sed fiant eo modo, quem præscribunt Concilia, et Patres, et ipse communis usus Ecclesiæ. Ad quæ attendentes censemus partem simpliciter tutiorem, atque certiorem eligendam esse; quod absolutio sacramentalis non conferatur, ubi nulla adest materia sensibilis, cui applicetur, ut in nostro casu contingit. Et quod dicitur de probabilitate opinionis contrariæ non premit : nam si sermo sit de probabilitate intrinseca, sive de motivis rem evincentibus juxta sacramenti naturam, et communem Conciliorum, et Theologorum doctrinam, nullam, aut fere nullam videmus. Unde talis opinio communiter non censetur signate, et speculative probabilis ; a qua tamen speculativa probabilitate fieri debet descensus ad praxim prudentem, atque securam. Si autem loquamur de probabilitate extrinseca desumpta ab Auctoribus illam docentibus, non negamus Patronos hujus nuperæ opi-

nionis esse multos, sed quibus longo intervallo præstant nostræ resolutionis defensores, sive multitudinem, sive antiquitatem, sive auctoritatem, et doctrinam consideremus. Unde putamus ab aliquibus ridicule affirmari nos debere in praxi conformari cum illa opinione, et peccare si moribundum non absolvamus. Quia ad id obligamur ex charitate erga illum. Id, inquam, videtur ridicule asseri : nam qua ratione poterimus, et obligabimur adhærere opinioni minus probabili : et non poterimus adhærere opinioni securiori, probabiliori, et fere communiori dictanti talem administrationem esse peccatum, et exerceri non posse absque injuria sacramenti ? Quomodo sine aliquo dictamine speculativo dictante valorem sacramenti, sed oppositum magis demonstrante, applicabimur prudenter ad praxim tali dictamini repugnantem ?

DUBIUM VIII.

An pœnitens debeat explicare, quod peccata, quæ confitetur fuerit, aut non aliquando confessus ?

Hoc, quod proponimus dubium potest esse appendix præcedentis : pertinet enim ad integritatem confessionis, sive manifestationem omnium, quæ confiteri opus sit. Movetur vero specialiter propter non infrequenter contingentia in generali, quam vocamus, confessione, ubi pœnitens simul cum peccatis jam alias confessis, solet recensere alia, post ultimam confessionem commissa, quæ nunquam confessus fuerat. Tenebitur ne hoc explicare, ut confessarius id cognoscat, illaque excipiat tanquam materiam necessariam ? Eademque fere difficultas proponi valet, ubi quis confitendo peccata venialia, addit pro majori securitate de valore sacramenti (ut mos est inter personas spirituales, et timoratas) aliquod mortale de vita præterita, quod tamen nunquam hactenus confessus fuerat, sed heri, aut nudius tertius patrarat. Ubi namque ista sic disponuntur, et recitantur, confessarii communiter apprehendunt peccata illa jam confessa fuisse, et ex devotione, aut timore adhiberi. Et nemo, quem viderimus negat, quod aliquando per accidens teneatur pœnitens manifestare illa peccata non fuisse in alia confessione exposita ; ut patet, si sit commissum a religioso, et reservatum, quod tamen in sæculo commissum reservatum non erat. Vel si pœnitens, qui heri peccavit maneat cum illo, ut confitetur, in occasione proxima peccandi, et iterum relabendi. Sed dubium propositum ab his accidentalibus præscindit, et procedit per se loquendo, attendendo præcise ad hoc, quod peccatum nunc cum aliis relatum nunquam hactenus fuerit confessum. Et quamvis complectatur duas propositas difficultates, nihilominus ad vitandum confusionem, et plurium terminorum redundantiam, circa propositam primo loco specialiter versabitur. Quid autem dictum fuerit circa illam, posteriori intelligitur applicandum.

§ I.

Propositæ difficultatis decisio aliquibus assertionibus explicatur.

248. Dicendum est primo, pœnitentem cum dicit se facere confessionem generalem, et inter peccata jam confessa recenset aliqua prius non confessa, teneri ad id explicandum, sive ad manifestandum se illa commisisse post ultimam confessionem. Ita Perez disp. 21, sect. 8, n. 4, Gonet. disp. 10, ar. 2, n. 37, Lastra. tit. 1, c. 1, et sect. 6, n. 68, Luisius Turrian, cont. 4, dub. 7, dicens oppositam opinionem non esse securam in praxi, sed magis bonis auribus perniciosam. Idemque, non obscure significat Aversa q. 10, sect. 2, § *Similiter*, dicens ab omnibus fatendum est, non esse consulendum sic convolvere peccata nova cum antiquis, ut confessarius leviorem pœnitentiam injungat, vel minus pœnitentem reprehendat tanquam pro peccatis antiquis, et alias confessis. Probatur ratione: quia pœnitens tenetur ita exponere sua peccata, ut non varietur notabiliter judicium confessarii erga illa : unde communiter probatur debere explicare circumstantias mutantes speciem, secus autem notabiliter intra speciem aggravantes ; quia scilicet in illis variatur notabiliter confessarii judicium, in istis autem semper retinetur idem simpliciter judicium circa substantiam peccati, ut satis constat ex dictis dub. 4 ; sed ex eo quod pœnitens dicens

cens se facere confessionem generalem inter peccata jam confessa misceat, et referat alia nunquam confessa, quin explicet illa non esse confessa, variatur notabiliter judicium confessarii erga peccata, et statum confitentis : ergo pœnitens se generaliter confitens tenetur manifestare, quæ peccata non fuerit hactenus confessus, sive quæ commiserit post ultimam confessionem. Minor liquet : nam diversissimum est judicium confessarii quando cognoscit peccata mortalia, quæ modo exponuntur, non esse hucusque confessa, et quando existimat illa jam confessa, et remissa. Unde oritur, quod pro non confessis reprehendat vehementer pœnitentem, injungat correspondentem satisfactionem, et consulat remedia ad vitandum peccata. Sed pro jam confessis, et remissis in nihilo horum immoratur, nec tempus consumit, sed pœnitentem nulla reprehensione, et levissima satisfactione dimittit ; quin non semel laudat de studiosa humilitate in reproducendo delicta. Summa vero inter hos effectus differentia satis declarat summam etiam esse varietatem in confessarii judicio.

249. Respondent Adversarii pœnitentem in tali casu confiteri omnia mortalia, quæ debet, et in cæteris uti jure suo non explicando, an sint antiqua, vel nova, dimissa, vel non dimissa : hæc enim accidentaliter prorsus reputantur respectu peccatorum, prout cadunt sub obligatione confessionis : et peccatum fuerit heri commissum, aut anno præterito est omnino extrinsecum illi. Unde N. Antonius infra referendus, non renuit, nec impeditur concedere, quod non agit contra valorem hujus sacramenti, qui dicit se commisisse peccatum mortale anno præterito, vel in præterita vita, quod heri fecit. Quia meniri, inquit, in confessione, quando menacium non impedit explicationem peccatorum in specie, et numero, et circumstantiis mutantibus speciem, non reddit irritam confessionem. Et minus refert, quod pœnitens desideret non intelligi quantum ad hoc a confessario : quia licet obscure, eoque artificio loquatur, nihilominus peccata non negat absolute, sed solum quoad circumstantiam non necessariam temporis, in quo actum fuit, aut aliam impertinentem, quod non semel licet, ut inquit Lugo, sicut, si quis habuit rem cum sorore confessarii, cujus hospes est, et velit illud peccatum ita illi obscure confiteri, ut non suspicetur de sorore, potest dicere se peccasse cum fœmina, quam alio tempore viderat in Ecclesia : nemo negabit valorem hujus confessionis, licet confessarius, et audiendo, et confitendo nihil cogitet de sua sorore, sed existimet fuisse aliam mulierem : quia nihil horum pertinet ad substantiam sacramenti.

Sed hæc sustineri non possunt, et refelluntur : quoniam pœnitens debet ita confiteri sua peccata, ut ex modo confitendi non impediat jus, quod confessarius habet exercendi sua munera ex Christi institutione : et opposito modo se gerens peccat, et quidem mortaliter, ut exposcit gravitas materiæ. Sed pœnitens procedens modo, artificio, et subterfugiis, quæ in hac evasione repræsentantur impedit jus, quod confessarius habet exercendi sua munera ex Christi institutione : ergo pœnitens debet ita confiteri peccata, ut in eis recensendis non utatur modo, artificio, et subterfugiis, quæ proposita ministrat responsio. Probatur minor : nam confessarius habet ex institutione Christi jus exercendi munera judicis, et medici erga pœnitentem in applicando pœnam, et remedium pro peccatis, ut plane constat ex Conc. Trid. s. 14, c. 15, ubi ex ipsa Christi institutione efficaciter colligit utrumque munus in confessario, et obligationem pœnitentis in comparendo ante illum sicut coram medico, et judice. Hæc autem munera impediuntur, ubi pœnitens titulo confessionis generalis, sive manifestandi generaliter omnia peccata, miscet cum jam confessis alia non confessa, et repræsentando ut præterita, quæ sunt immediata, ac desiderando, quod confessarius id non percipiat. Nam eo ipso confessarius non exercet convenienter munera judicis, sed remittit reum absque objurgatione debita, putans omnia illa peccata jam pridem confessa, et dimissa fuisse : nec congrue, quin nullo modo exercet munus judicis, putans nulla esse recentia vulnera, sed antiqua jam exclusa, atque sanata. Unde liquet non esse admittendam doctrinam, et exempla, quibus se munit evasio ; quia solum versantur circa aliqua Sacramento accidentalia ; sed quæ opponimus attingunt, penetrantque ejus substantiam repugnando fini quem

Refellitur responsio.

Concil. Trid.

habet ex Christi institutione, et contra quem si agat pœnitens, nequit non peccare.

Confirmat. Confirmatur, et explicatur propositum fundamentum reducendo contrariam sententiam ad ea inconvenientia, quæ ejus falsitatem, praximque periculosam demonstrant. Nam si in confessione generali licet inter peccata jam confessa inserere unum non confessum, id non declarando ; pariter licebit miscere quinquaginta, aut plura satis gravia, et pertinentia ad diversas species : eadem quippe ratio juxta Adversariorum doctrinam militat in pluribus, atque in uno. Ex quo fiet ulterius confessarium non magis de illis pluribus, atque de uno curare, sed omnia curata, atque remissa supponere; ac proinde dimittet pœnitentem impunitum, et incuratum, sive absque pœnitentia, et medicina, quæ illis peccatis erat debita juxta Christi institutionem. Et quid inde fiet, quam pœnitentem fræno objurgationis, et pœnitentiarum non detentum ad eadem, ut solebat crimina currere, atque in illis repetendo idem artificium immergi ? Quod magis constabit expendendo amplius, sed alia via propositum inconveniens. Nam si semel licitum est una generali confessione inter peccata jam confessa dicere aliquod non confessum id supprimendo ; pariter id licebit in secundo, in tertio, et in quarto, et sic de aliis in decursu vitæ committendis, repetendo eandem, saltem apud alios confessarios , diligentiam , et artificium confitendi generaliter : præsertim cum jam de confessis possit ea, quæ voluerit, tacere. Et hac arte, cum per totam vitam repetat peccata gravia, nullam pro illis subibit confusionem, nullam objurgationem, nullam pœnam, nullam denique asperam medicinam, quales graves ejus, et repetiti lapsus exposcunt. Unde loco remedii consequetur pronitatem ad malum, et firmiorem in sua pernicie adhæsionem. Atque ideo nemo prudens negabit ita se gerentem longe exulare a fine, quem Christus voluit esse hujus Sacramenti, videlicet deponere veterem vitam peccaminosam per subjectionem ad confessarium, qui illam corrigat, et emendet pœna, et medicina adhibitis pœnitenti. Et hæc absurda non minus occurrunt in alio casu a limine dubii propositi recitandi in peccatis venialibus aliquod mortale, ut materiam sufficientem, et tanquam in anteacta vita commissum, cum revera sit materia necessaria, utpote post ultimam confessionem admissum. V. g. confitetur quis (et sit sacerdos, aut religiosus) distractiones animi, verba inutilia, suspiciones contra proximum, aliquos motus iræ, et similia, quæ sunt communiter peccata venialia, et subdat se etiam accusare de una delectatione morosa in vita præterita admissa, quam vere admiserat heri. In hoc casu confessarius communiter putat id addi de materia non necessaria, et pro majori securitate doloris in pœnitente, et valoris in Sacramento. Unde nihil de hoc additamento curat quantum ad reprehensionem, et augmentum pœnitentiæ; quippe cum existimet illud jam olim confessum fuisse. Incidat deinde ille pœnitens eadem, aut sequenti die in idem peccatum ; et utatur eodem artificio in addendo, vel exponendo illud post venialia : succedet plane eadem in confessore deceptio, et omissio circa ejus reprehensionem, pœnitentiam, et remedium : continuabiturque in pœnitente idem tenor tam in peccando, quam in confitendo peccata, in quæ relabitur cum summo æternæ salutis discrimine. Hæc autem investigare, discurrere, proponere, atque tueri non aliud videtur, quam aberrare a fine hujus sacramenti, et dilatare ut plures excipiant, portas inferni.

250. Dicendum est secundo confessarios in præsenti rerum statu posse, et debere per se loquendo, quando audiunt confessiones generales, inquirere a pœnitentibus, an omnia peccata, quæ tunc confitentur, sint jam confessa ; an vero habeant aliqua non confessa, et præcipue ut declarent, quænam sint. Hanc assertionem non reperimus expressam in Auctoribus, sed putamus ex communi omnium doctrina deduci, ut eam probando constabit. Sed prius oportet explicare aliquos terminos in ea positos. Diximus *in præsenti rerum statu*, nempe inventa, atque propugnata a junioribus illa contraria, quæ circumfertur, opinione, quod liceat inserere inter peccata confessa alia non confessa, sed post ultimam confessionem commissa. Nam prioribus temporibus, ubi hæc excogitata non fuerant, putamus non fuisse talem obligationem ob majorem, et omnino securam sinceritatem pœnitentium

tium in manifestando peccata, et præsentem, quem afferebant suæ conscientiæ, statum. Diximus etiam *per se loquendo* : quia per accidens non negamus posse satis frequenter confessarium excusari ab ea obligatione juxta conditionem personarum ad ipsum accedentium, ut generaliter confiteantur : sunt enim aliquæ probatæ adeo virtutis, et tam cognitæ sinceritatis, ac veritatis, ut præsumere possimus illas minime cognoscere, minus autem practicare artificium illum a quibusdam inventum : quas proinde molestare illis inquisitionibus non oportet; sed magis simpliciter credere, quæ referunt, et prout illa manifestant. Et de nobis coram Deo testamur fuisse per plures vitæ annos in ea (sic vocamus) ignorantia, ut tale artificium penitus nesciremus : sed decursu temporis incidentes in recentiorum libros, et opiniones similia stratagemata didicimus, et facti fuimus suspiciosi; ut non semel de his peccatis, quæ pro valore præsenti confessionis solent dici de vita præterita, dubitaverimus, num fuerint patrata post ultimam confessionem. His observatis,

Probatur prima assertionis pars : nam confessarius potest inquirere a pœnitentibus, quæ sunt necessaria ad recte exercendum officium suum juxta Christi institutionem; cum habeat ad hoc jus ex ipsa institutione; sed in casu proposito, ut sacerdos recte exerceat juxta institutionem Christi suum officium, necessarium est inquirere, et scire a pœnitente, utrum omnia peccata, quæ in confessione generali recenset, sint jam alias confessa, et dimissa vel non : ergo confessarius in tali casu potest id inquirere a pœnitentibus : cetera constant, et minor liquet ex dictis pro prima conclusione : quoniam ad confessarii officium recte exercendum pertinent ex Christi institutione munera judicis, et medici spiritualis : hæc autem exercere convenienter non valet, nisi ex relatis peccatis cognoscat, an aliqua sint nondum confessa, sed post ultimam confessionem commissa : aliter enim nequit congruentem pœnitentiam, et medicinam pro non confessis injungere : et consequuntur omnia inconvenientia supra ponderata, et ab officio confessarii, si recte exerceatur, prorsus aliena : ergo ut sacerdos in casu proposito illud convenienter exerceat, necessitatem habet inquirendi, et sciendi a pœnitente, an omnia peccata, quæ exponit, sint jam confessa : unde facile suadetur secunda minoris pars, nempe confessarium debere ita inquirere : nam sine illa notitia nequit recte exercere munera sui officii juxta Christi institutionem, ut immediate ostendimus : ipse vero sicut debet suum officium recte exercere, sic et inquirere a pœnitente illa, sine quarum notitia tale munus recte exercere non valet. Sed insuper probatur eadem pars magis specialiter : nam orta, et invalescente contraria nobis opinione, quod pœnitentes possint illo artificio uti, ut dissimulent peccata esse recentia, et de novo post ultimam confessionem commissa, et eludant in confessario certam circa hoc cogitationem; merito suspicari, et præsumere potest, plures id practicare, et ad exercitium ruducere arripiendo illam sententiam, quæ viam docet, ut se facile exonerent a subeundo confusionem manifestandi peccatum recenter commissum, et a sustinendo objurgationem confessarii, et luendi condignam pœnitentiam; quamvis ita se gerentes non levi periculo se committant, ut expendimus n. præcedenti. Nam ut ipsa veritas (suffragante omnium sæculorum experientia) docet Matth. 7 : *Lata porta, et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam augusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam : et quam pauci sunt, qui inveniunt eam.* Quare ad hæc attendens prudens confessarius, et ad conditionem pœnitentium, ubi similia timet, et præsertim, quod illa occultent consuetudinem peccandi, tenetur de prædictis inquirere, et non faciet satis suo muneri, nisi ita faciat. Matth. 7.

251. Dicendum est tertio : pœnitentem in prædicto casu obligari ad respondendum directe confessario, et manifestandum, quænam ex illis confessus fuerit, et quæ admiserit post ultimam confessionem. Hanc assertionem a fortiori docent Doctores n. 147 relati, qui vel independenter ab inquisitione hanc obligationem in pœnitente constituunt. Probatur efficaciter ex dictis : nam esto pœnitens non semper obligetur manifestare ex se aliqua pertinentia ad suæ conscientiæ statum, ubi sine illis recenset cuncta sua peccata; nihilominus Tertia. Probatio efficax.

ubi de illis inquiritur a confessario, de illis respondere tenetur, ut de consuetudine repetendi peccata dici solet, et constat ex supra dictis n. 125. Ergo ubi confessarius pœnitentem facientem generalem confessionem interrogat, an omnia illa mortalia sint jam confessa, tenetur pœnitens directe respondere, et manifestare non confessa, sive post ultimam commissa.

Confirmat. Confirmatur : nam ubi ex parte confessoris datur jus, ut circa aliqua inquirat, datur etiam ex parte pœnitentis obligatio directe respondendi, explicandique veritatem ; hæc namque duo sibi mutuo, ac necessario correspondent ; sed sacerdos in casu proposito habet jus inquirendi, an omnia illa peccata sint jam confessa, vel non, ut constat ex præcedenti assertione : ergo pœnitens in tali casu habet obligationem respondendi directe, et manifestandi, quænam hactenus ex illis peccatis confessus non fuerit.

Rejicitur evasio. Nec satisfacit, quod N. Antonius disp. 5, sect. 5, n. 310, respondet multa posse confessorem interrogare ad melius exercendum suum officium, ad quæ pœnitens non tenetur respondere, ut si interrogatur de circumstantiis juxta speciem aggravantibus, potest dicere : Ego hoc peccatum confiteor, an vero habuerit hanc, aut illam circumstantiam aggravantem, explicare non teneor. Sic in nostro casu, inquit ille, poterit respondere : Ego hoc peccatum confiteor, quidquid sit, an illud confessus fuerim : ad id enim non obligari scio ex multorum doctrina. Hæc, inquam, responsio non satisfacit, nec apparet ratio probabilis : nam motivum nostrum non imbibitur in eo, quod confessarius queat inquirere de omnibus, prout sibi placet, nec in eo quod pœnitens teneatur cum ea generalitate respondere : manifestum namque est, plurima esse hujusmodi, sive non necessario exponenda. Et hujusmodi sunt circumstantiæ intra speciem notabiliter aggravantes juxta satis communem, et certo probabilem sententiam, ut constat ex dictis dub. 4 ; sed vim facimus in eo, quod confessarius habet jus ex Christi institutione, ut recte exequatur sui officii munera, ad investigandum, quam offerat pœnitens materiam necessariam, sive hactenus clavibus non subjectam, ut pro ejus meritis possit convenientem imponere pœnam, et opportunam adhibere medicinam. Huic autem ex parte confessarii juri opus est correspondere ex parte pœnitentis obligationem respondendi, explicandique illa, ad quæ tale jus extenditur : impossibile namque est dari unum absque alio ; et sicut in materia restitutionis nequit ex parte unius dari jus, ut sibi aliquid restituatur, quin ex parte alterius detur obligatio illud restituendi. Nec videmus, qui id in universum neget.

252. Confirmatur detegendo amplius, quam sit absurda adhibita responsio : nam præsens confessarius bene noscit dari sententiam docentem artificium illud, quo titulo confessionis generalis, vel abundantioris, et securioris materiæ ex vita præterito possint exponi peccata non confessa, quasi non fuissent commissa post ultimam confessionem. Cognoscit etiam, quod per idem artificium juxta oppositam sententiam possunt repeti peccata, quin confessario innotescat ea repetitio, quæ aliud profecto non est, quam consuetudo peccandi ; sed confessarius habet jus inquirendi de hac peccandi consuetudine : et pœnitens tenetur directe respondere confessario hujusmodi consuetudinem inquirenti : ergo pariter tenetur directe respondere, ubi illam confessarius interrogat de repetitione peccatorum, quod exponit, et utrum aliqua commiserit post ultimam confessionem. Consequentia patet ex præmissis. Et minor, in qua poterit esse difficultas, constat ex condemnatione contrariæ doctrinæ contentæ in hac propositione 58, ex reprobatis a SS. Innocentio XI : « Non tenemur confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem. » Ergo pœnitens, ubi confessarius interrogat de peccandi consuetudine tenetur respondere, et eam fateri, si illam habet ; et per consequens ad manifestandum ea, ex quibus dijudicari possit, an sit in consuetudinem peccandi, uti plane colligi valet ex repetitis peccatis post ultimam confessionem. Et sic jam pridem docebat vera, et communis sententia apud Dianam part. 1, tr. 7, resolut. 15 ; nam licet plures doceant pœnitentem non obligari per se ad manifestandum illam consuetudinem, ut et nos statuimus supra n. 125, nihilominus iidem docebant teneri ad ejus manifestationem, si interrogaretur a confessario, ut constat in

Suar.

Suar. Vasq. et Sanch. a Diana relatis. Solus Joan. Sanctius, cum quo sentire videtur relatus Antonius, ausus fuit docere contrarium : sed merito ejus in hac parte doctrinam proscripsit Ecclesia, sicut et aliam ejusdem Sanctii disp. 9, n. 19 propositionis, prioris plane appendicem inter condemnatas 60, nempe : « Pœnitenti habenti « consuetudinem peccandi contra legem « Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, et si emenda- « tionis spes nulla appareat, nec est dene- « ganda, nec differenda absolutio, dum- « mode ore proferat se dolere, et proponere « emendationem. » Unde magis elucet, atque vincitur jus, quod confessarius ex Christi institutione, et juxta Sacramenti naturam habet ad inquirendum ex pœnitente, num habeat consuetudinem peccati, et cetera, quæ pro consequendo hanc notitiam referri valent, uti est, an ea peccata, quæ recensentur commissa fuerint post alias, et præsertim ultimam confessionem. Hac vero prudenti cautela munitus, utensque confessarius vitabit, ne opposita opinio reducatur ad praxim, quam (quidquid fuerit de probabilitate speculativa) censemus perniciosam animabus, et communi fidelium profectui, qui forsan pressi timore serotino, palam manifestabunt instante morte, quæ nunc velo illius artificii involvunt ad vitandam pusillanimiter temporalem confusionem.

§ II.

Refertur sententia contraria.

253. Oppositam nobis sententiam præsertim quantum ad primam assertionem tuentur Bonacina disp. 5, qu. 5, sect. 2, § 2, difficultate 4, Homobonus volum. 2, part. 2, resp. 132, Diana 8 part. tract. 4, resolut. 62, et 4 part. tract. 3, resolut. 65, Lugo disp. 16, n. 49, Dicastillo disp. 9, n. 146, Leander disp. 5, qu. 23, Delgadillo disp. 17, dub. 41, N. Antonius ubi supra, et alii, quam probant primo communi omnibus argumento : nam pœnitens satisfacit propriæ in confitendo obligationi, manifestando omnia sua peccata in specie, et numero, et circumstantiis, quæ speciem mutant ; sed hæc omnia manifestari possunt, quin explicet, an omnia, aut aliqua peccata fuerint prius confessa, vel non confessa : ergo satisfacit suæ obligationi manifestando in confessione generali omnia peccata, licet aliqua non fuerint prius confessa, nec id ab illo explicetur. Cetera constant. Et minor suadetur : nam idem omnino est peccatum, sive prius fuerit confessum, sive non : et circumstantia præcedentis, aut non præcedentis confessionis minime variat peccata in numero, aut specie ; cum non se teneat ex parte illorum, sed magis ex parte pœnitentis. Aliunde vero quamvis huic non liceat dicere omnia illa peccata jam confessum fuisse ; licet tamen obscure loqui non explicando aliqua esse hactenus inconfessa; et desiderare quantum ad hoc non intelligi a confessario : quia his omnibus non obstantibus cuncta sua peccata recenset.

Respondetur distinguendo majorem, quæ concedenda est ad hunc sensum, quod pœnitens suæ obligationi in confitendo satisfacit confitendo omnia peccata, si obligatio solum referatur ad materiam, sive peccata in confessione explicanda : hanc enim fatemur in solis peccatis consistere : sed negari debet, si referatur ad modum confitendi, et ad omnia requisita absolute. Et deinde omissa minori negamus absolute consequentiam. Nam, sicut certum est pœnitentem obligari non solum ad manifestandum omnia peccata, sed etiam ad manifestandum illa cum certo modo, nempe cum dolore, et proposito emendationis : et sicut, qui est in occasione proxima peccandi, debet exponere non solum peccata jam commissa, sed etiam periculum, in quo est, alia committendi : et quemadmodum, qui peccavit faciendo plura juramenta falsa ex prava consuetudine ita jurandi, tenetur non solum juramenta falsa, quæ fecit, sed etiam consuetudinem illa faciendi, quam usu emendet, propalare : aliter enim in his, et similibus casibus non manifestat pœnitens statum suum, sicut debet, ut posset sacerdos exercere officium, vel negando, vel concedendo absolutionem, illumque corripiendo, et puniendo, et medendo, sicut oportet : ita in casu præsentis difficultatis dicendum est. Et ratio jam supra assignata est, quod pœnitens non satisfacit suæ obligationi, nisi ex modo confitendi ita subjiciat peccata clavibus, et judicio confessarii, ut hic possit de eis formare competens judicium in ordine

Responsio. argumenti.

ad finem hujus sacramenti, punitionem videlicet, medicinam, et remedium pœnitentis. Nihil autem horum congruenter fieri valet ex modo confitendi, quem ista opinio defert electioni pœnitentis, nempe faciendi confessionem generalem, et inter plurima peccata jam confessa inserere unum, aut aliqua ex non confessis, ut supra satis explicatum fuit.

Argum. 2. 254. Arguitur secundo (et potest esse replica contra præcedentem doctrinam) nam, si non esset licitum confiteri peccata non confessa, nisi explicando illa non esse hactenus confessa ; taliter non liceret confiteri peccata confessa, nisi explicando illa jam esse confessa : consequens est falsum : ergo et antecedens. Sequela ostenditur : nam ideo non liceret confiteri peccata non confessa nisi manifestando non esse confessa, quia ex tali modo illa confitendi variaretur notabiliter judicium confessarii ; ut in fundamento primæ assertionis expendimus ; sed non minor variatio sequitur in judicio ejusdem sacerdotis ex eo, quod aliquis confiteatur peccata jam confessa non explicando illa jam esse confessa : sicut enim confessarius in priori casu existimat peccata non confessa, sic in secundo putat peccata jam confessa non esse adhuc confessa. (Ex qua variatione eadem, si quæ inconvenientia occurrunt, consequuntur inconvenientia). Unde Lugo disp. cit. n. 47, censet easdem esse in utroque casu rationes. Et quia Sanchez lib. 1 Decalog. c. 10, n. 71, et Suarez disp. 21, concedunt licitum esse confiteri peccata confessa non manifestando esse jam confessa, ideo illos refert pro sua opinione, quod liceat in confessione generali introducere peccata non confessa absque explicatione, quod hactenus confessa non sint. Falsitas vero consequentis facile constat : quia non est qui illam praxim reprehendat : quia illa nullum conferre potest medium ad majorem pœnitentis humilitatem, et confusionem.

Lugo, Sanchez, Suarez.

Solvitur argument. Respondetur negando sequelam. Ad cujus probationem dicendum est ; in utroque casu variari notabiliter judicium confessarii ; sed inter primum, et secundum illud interesse discrimen, quod in primo datur variatio formalis, hoc est, cum præjudicio notabili notitiæ per se requisitæ in confessario, ut suum officium recte ministret, et cum his effectibus, in quos istud sacramentum ordinatur ex institutione Christi : sed in secundo casu variatio est pure materialis, id est, cum præjudicio illius notitiæ, quam confessarius debet habere, ut convenienter exequatur munera propria. Ratio autem disparitatis est, quod in primo casu, cum sacerdos apprehendat peccata non confessa, quod prius fuerint jam dimissa, non reprehendit, nec instruit, nec punit pœnitentem, ut debet ex officio, sed illum ut innocentem facile remittit : quod tam officio, quam sacramenti effectibus, et fini satis oppositum est. Ceterum in secundo res e contra se habet : nam confessarius existimat illa peccata hactenus confessa non fuisse, cum vere confessa, et dimissa sint. Unde excitatur ad satisfaciendum suo muneri reprehendendo pœnitentem, illique injungendo condignam pro peccatis, quæ ipse apprehendit, satisfactionem. In quo nullum momenti inconveniens occurrit : nam pœnitens ubi recognoscit confessarium ex sua relatione, aut modo confitendi ad hæc moveri, potest se gerere uno ex duobus modis. Primo admonendo confessarium, quod ea peccata jam confessus fuerit, lueritque sibi impositam pœnam : et statim cessabit initiata a confessario pro suo munere diligentia. Secundo, si taceat, sustineatque patienter sui objurgationem, et admittat novam sibi pro illis peccatis pœnitentiam gravem injungi. In quo nihil vituperabile operatur, sed permissa illa materiali confessarii deceptione, opus profecto agit insignis virtutis. Unde non recte Lugo pro sua opinione allegavit Suarez, et Sanchez, quod hoc posterius docuerint : distat enim toto cœlo secundus casus a primo.

255. Sed insistes (et sit tertium argumentum) nam ex nostra assertione, et proposito in ejus favorem discursu sequitur illum peccare mortaliter, qui dicit confessario se velle facere generalem totius vitæ confessionem, si cum advertentia omittat aliqua peccata ex jam antecedenter rite confessis. Id autem absurdissimum apparet, cum omittat materiam non necessariam, quam confiteri minime tenetur. Sequela vero suadetur : quia ita se gerens deciperet graviter confessarium, supprimendo graviora, et magis fœda peccata : atque confessarius putaret illum caste, et pie vixisse, cum res aliter omnino se haberet, tacitis turpioribus culpis.

Respondetur

Respondetur absurdum non fore, si concederetur sequela : quam ob insertam probationem docent Victor. in summa, § 153, et Martinus de Ledes. in 2, p. *quæsti*, q. 8, ar. 2, dub. 15, et eorum resolutio nullum continet absurdum, sed aptissima est ad procul pellendum tam perniciosas simulationes, quæ raro fiunt absque sua vana gloria. Sed absolute hæremus communiori sententiæ. Quam cum Henriquez Salas, Diana, et multis Salmanticensibus sequitur Lugo dis. cit. n. 57, et negamus sequelam : nam licet confessarius in prædicto casu patiatur aliquam deceptionem, melius sentiens de pœnitente, quam meretur ; nihilominus ipse pœnitens confessarium non decipit in materia judicii sacramentalis : nam intendit sola ea peccata, quæ confitetur, esse talis judicii materiam : non autem illa, quæ tacere, et confiteri non obligatur : quia præsupponuntur alias legitime confessa. Nec obstat illum præmisisse se velle generalem totius vitæ confessionem facere : nam hinc solum evincitur illum mentitum fuisse, aut mentiri, minime vero, quod illud mendacium sit circa materiam sacramenti, sed circa aliud extrinsecum, et ab ea diversum : sicut alias contingeret, si pœnitens independenter a confessione generali diceret confessario se in anteacta vita fuisse continentem, aut devotum. Et quamvis hæc dicere possit continere hypocrisim, quæ grave peccatum sit ; tamen fieri etiam potest, quod solum sit veniale, ubi non aliud intervenit, quam solum aliqua vana gloria. Quare nec ex genere dicendum est peccare mortaliter, qui in confessione generali tacet aliqua peccata, quæ ex industria vult : et multo minus si illa supprimat ex tædio, vel ex alio motivo : nam sicut confitendo generaliter facit opus supererogationis impliciter sibi liberum, sic illud exequi valet cum majori, aut minori peccatorum explicatione. Simile quid contingit, ubi quis apud unum confessarium confitetur mortalia, quæ habet, deinde ad confessarium ordinarium confitetur sola venialia, retinens apud confessarium antiquam existimationem, non absque aliqua deceptione confessarii. Et quamvis id minime commendamus, tamen generaliter mortalis peccati non condemnamus : quia talis deceptio non est circa materiam necessariam sacramenti, quæ supponitur in alio dimissa, ut supra num. 216 statuimus.

256. Et quia præmissa argumenta attingunt aliam non absimilem difficultatem, quæ nec moras, nec prolixam disceptationem exposcit, congruum duximus illam in calce hujus dubii adjicere. Est autem, utrum mentiri in confessione sit peccatum mortale ? Potest autem mendacium dictum in confessione contingere dupliciter : videlicet, vel negando, quod factum, vel dicendo, quod non est factum. Deinde potest tale mendacium contingere circa tria genera rerum. Primo circa res, quæ nullo modo pertinent ad materiam confessionis, sed concernunt historias longe diversas. Secundo circa materiam non necessariam confessionis, ut sunt peccata venialia, et mortalia jam confessa. Tertio circa materiam necessariam, nempe mortalia nunquam confessa.

Loquendo igitur de rebus primi generis, communis sententia est non esse peccatum mortale, quod pœnitens mentiatur in illis : quoniam tale mendacium pure concomitanter se habet ad sacramentum, cum non versetur circa materiam illius, nec gravem proinde illi inferat injuriam. Sed est veniale gravius, quam si extra sacramentum diceretur : quia præter suam malitiam importat aliquam inordinationem contra reverentiam, quæ sacramento debetur.

Si autem loquamur de rebus secundi generis, quæ videlicet non sunt materia necessaria hujus sacramenti, non est peccatum mortale negare factum : quia simile mendacium non est graviter injuriosum sacramento, quippe supra materiam non necessariam cadens minime excludit veram materiam, et formam, et dispositionem ad fructum : et quod confessarius decipiatur, non refert, cum sit in materia non necessaria : atque ideo nullum est caput, unde consurgat gravis malitia in eo mendacio. Quin contingens est, quod in negatione talis facti nulla, vel levis malitia interveniat ; quippe nec ullum mendacium : nam cum confessarius non habeat jus interrogandi, nisi de necessariis, et in hoc sensu interrogat, si sciscitatur circa aliquod factum, quod jam confessum fuit, potest pœnitens illud negare absque mendacio, nempe factum, quod debeat exponere in

ordine ad confessionem. Si autem pœnitens non interrogatus, sed sponte factum neget, plane mentitur : quia verba non admittunt alium sensum, et nulla rationabilis causa occurrit ita fingendi. Quare peccat venialiter, et gravius, quam si mentiretur extra sacramentum, sicut proxime diximus cum mentitur in confessione circa res extraneas non pertinentes ad materiam confessionis. Major difficultas est, ubi mendacium est affirmativum de peccato veniali, quod pœnitens non commisit, et plane si illud confiteretur tanquam unicam, et totale sacramenti materiam ; profecto peccaret mortaliter gravissimo peccato sacrilegii ; quia impediret valorem sacramenti, quod absque vera materia minime subsistit. Sed ubi illud veniale non dicitur, ut materia totalis, sed solum ut partialis, quia pœnitens illud cum aliis vere factis, et de quibus dolet, fingit, et adjungit : multorum sententia est tale mendacium semper esse mortale. Pro qua refert Suarez disp. 22, sect. 10, n. 6, D. Bonaventura, Richardum, Paludanum, Cajetanum, Martinum de Ledesma, et Armillam, quorum fundamentum est, quod supponere formæ sacramenti materiam falsam, sive totalem, sive partialem sit ex genere suo grave peccatum. Ut patet in eo, qui inter plures hostias consecrandas, et vere triticeas miscet aliquam hordeaceam. Sed nos jam supra disp. præced. n. 141, statuimus oppositum, et modo asserimus talem fictionem, sive mendacium in casu proposito non esse per se loquendo, hoc est, secluso scandalo, aut contemptu peccatum mortale. Pro qua resolutione ibi adduximus Sotum, Navarrum, Vasq. Canistrum, Lugum, Dicastillum, et alios, et modo addimus Sylvestrum, Angelum, et Petrum de Soto, quos refert, et sequitur Suarez ubi proxime n. 7, et probatur : nam in eo, quod pœnitens inter alia venialia, de quibus dolet, dicat aliquod veniale, de quo non dolet, non est peccatum mortale, ut cum communi fere omnium, sententia statuimus disp. cit. n. 133; ergo pariter non peccat mortaliter in eo, quod inter peccata venialia, quæ fecit, confiteatur aliquod unum, quod non fecit. Consequentia videtur manifesta : quia pro materia proxima sacramenti, et valore illius non solum requiritur peccatum vere factum ; sed etiam peccatum, de quo pœnitens doleat : ergo, si per se loquendo non committitur grave peccatum in casu antecedentis ; pariter non committitur in casu consequentis. Ratio vero in utroque illi est, quod licet talis modus agendi sit ex genere sacrilegium, tamen cadit supra materiam attentis omnibus levem : quare non contrahit malitiam gravem. Ille namque vel doloris, vel veritatis defectus est in materia non necessaria, et minime excludi materiam sufficientem : quia eo non obstante, potuit pœnitens confiteri alia venialia, quin et mortalia, quæ vere fecit, et de quibus doleat. Rursus prædictus defectus non contradicit veritati formæ, sive absolutionis, cum dentur alia peccata, quibus applicatur. Denique licet confessarius patiatur aliquam deceptionem, illa tamen est in re levi, et pro sacramento non necessaria. Motivum autem oppositæ opinionis desumptum ab exemplo aliorum sacramentorum, et præsertim Eucharistiæ, jam diluimus disp. præced. n. 137, quin opus hic habeamus addendi.

Sotus, Navarr. Vasq Lugo, Dicast.

257. Denique si sermo fiat de rebus ad tertium, et ultimum genus pertinentibus, nempe de peccatis mortalibus non confessis, quæ sunt materia necessaria hujus sacramenti ; nemo, quem viderimus, negat mendacium tam negativum, quam affirmativum circa hæc in confessione commissum esse peccatum mortale. Et primum liquet : nam cum quis negat se fecisse peccatum mortale, quod fecit (ubi non occurrit sufficiens causa illud non confitendi juxta dicta dubio præced. et si occurreret, jam redderet illam materiam non necessariam contra id, quod supponitur). Destrueret, et excluderet confessionis integritatem, ad quam jure divino tenemur. Secundum etiam constat : tum, quia pœnitens ita se gerens peccat, ut negari non potest; sed materia peccati mortalis non confessi est gravis, ut ex ipsis vocibus liquet : ergo confiteri peccatum mortale illud fingendo est peccatum grave. Quod explicatur a contrario sensu : ideo namque confiteri inter alia venialia aliquod veniale non commissum, est peccatum leve, quia materia supra quam cadit illud mendacium, est levis, ut constat ex n. præced. ergo vice versa ubi in confessione fingitur peccatum grave, debet hujuscemodi culpa esse gravis. Tum etiam, quia eo mendacio decipitur confessarius notabiliter

notabiliter, in pertinente ad substantiam sacramentalis judicii ; in omni autem judicio mendacium in substantiam causæ, ex quo decipitur judex, est peccatum grave, utpote impediens in re notabili debitam justitiam, ut constat etiam in foro externo, et docent communiter Juristæ. Tum denique nam ex opposito fieret tolli gravem obligationem, quam pœnitentes habent examinandi conscientiam ad confitendum certum, quantum fieri potest, numerum peccatorum mortalium, quæ fecerunt : quippe possunt pro suo arbitrio illud augere absque culpa gravi : consequens autem non est admittendum, utpote excludens necessitatem obligationis examinis, quæ minime negari potest. Recolantur supra dicta locis citatis, et præsertim n. 141, ubi ostendimus non esse peccatum mortale, quod quis inter peccata venialia, de quibus dolet, confiteatur aliquod, de quo non doleat ; esse autem mortale, quod quis inter mortalia, de quibus pœnitet, confiteatur aliquod, de quo non pœniteat : nam similis ratio probat non esse mortale inter venialia vere commissa recensere aliquod non commissum ; sed esse mortale, quod inter mortalia vere facta, fingatur, et inseratur aliquod mortale non factum. Videantur Sylvester, verbo *Mendacium*, n. 3, Sotus lib. 5, de justitia, quæst. 6, art. 1, et quæst. 10, ar. 2, Suarez ubi supra n. 11, et alii communiter. Qui tamen etiam communiter observant, hæc procedere per se loquendo, et juxta merita materiæ, seclusa scilicet ignorantia, et bona fide : his namque occurrentibus potest pœnitens in eo non peccare, et confessionem non facere invalidam. Qua ratione excusantur multi rustici, et simplices credentes non male facere in objiciendo sibi, aut contra se numerum peccatorum. Sed tamen oportet, quod a confessariis de veritate instruantur, et certa quantum fieri potest, dicant.

DUBIUM IX.

Utrum confessio facta ex fine venialiter malo sit invalida ?

Difficultatem hanc non pro meritis versabimus, sed delibabimus saltem, ne rem hoc loco examinari consuetam minus recte, prætermittere videamur. Illam namque, ut res exposcebat, late discussimus, tract. 17, de fide dub. 2, per totum, et præcipue, § 5, ad quem locum lectorem ab isto remittimus, ne alibi dicta repetamus. Duo autem hæc observare oportet ; primum omnes convenire in eo, quod si confessio fieret ex fine mortaliter peccaminoso fieret invalida ; ut si quis confiteretur, ut notabilem quantitatem a confessario arriperet : nam eo ipso confessio esset peccatum mortale impediens remissionem peccatorum, idque pœnitens actu cognosceret : cum quibus minime cohæret confessionem esse validam. Et propterea titulus merito inquirit de confessione « facta ex « fine venialiter malo. » Secundum est omnes eadem concordia asserere, quod finis venialiter malus non præjudicat valori confessionis, quando consequenter se habet ad illam, in quo casu non tam comparatur ut finis, quam sicut objectum, et materiam circa quam, ut cum aliquis captat vanam gloriam, aut jactantiam : quia hic superveniens effectus non est causa confessionis, nec ullam ad eam derivat malitiam. Et ex opposito nullus daretur actus adeo bonus, qui non posset fieri malus : quippe nullus est, ad quem non posset alias subsequi aliqua inordinata satisfactio, vel vana gloria. Et eisdem fere motivis non impediri sacramenti valorem ex fine venialiter malo, si pure concomitanter se habeat ad confessionem : ut cum quis in eodem instanti, aut tempore, in quo facit confessionem ex fine honesto, sibi correspondente, habeat circa illam vanam gloriam, aut alium finem venialiter malum intendit. Nam sicut confessio non oritur ex fine consequente, ita nec ex fine pure concomitante, aut disparate se habente ; nullius quippe est effectus, sed objectum, et subinde nulla est ratio, ut exuat suam honestatem, et conditiones, quos aliunde habet sufficientes pro valore sacramenti. Quare proposita difficultas locum tantum habet in sensu formali, quando videlicet pœnitens, ut confiteatur, movetur antecedenter ab aliquo fine venialiter peccaminoso, quem intendit ; ex cujus causalitate, et influxu, licet non exclusis aliis causis, oritur confessio tanquam effectus in genere causæ finalis : ut contingit, cum quis largitur eleemosynam, quod de se, et objective est opus misericordiæ, ut videatur ab

Observatio 1.

Secunda.

hominibus, et inanem inde aucupetur apud illos æstimationem. Idque satis exprimitur in titulo, proprietate illarum vocum « confessionis factæ ex fine venialiter malo. » In hoc igitur sensu

§ UNICUS.

Resolvitur difficultas duabus assertionibus, et refertur opinio contraria.

258. Dicendum est primo confessionem factam ex fine venialiter malo esse invalidam. Ita Abulensis in cap. 6 Matth. q. 3, et q. 55, Navarrus in cap. *Fratres de Pœnit.* dist. 5, num. 54, Sylvester, verbo *Confessio* 1, quæst. 7, Armilla eodem verbo num. 4, Angelus eodem verbo, 1, § 1, et § 4, Joannes a S. Thom. 1, 2, quæst. 18, disp. 16, art. 4, et alii. Idemque tueri debent plurimi sentientes actum fidei non posse ullo ex cap. esse moraliter malum, quos dedimus loco supra citato num. 16 ; occurrit enim idem motivum, ut ex dicendis constabit. Et aliis omissis est hujusmodi ; confessio sacramentalis, sive quæ per modum partis constituit validum pœnitentiæ sacramentum, nequit esse ullo ex capite moraliter mala : ergo talis confessio nequit fieri ex fine moraliter malo : et si ex illo fieret, non esset sacramentalis nec valida ad sacramentum constituendum. Consequentia patet : quia ubi operatio fit ex fine moraliter malo, nequit non esse moraliter mala, sive participare a tali fine aliquam malitiam, ut inductive in omni operatione morali potest ostendi : unde inter circumstantias peccatorum ponitur finis operantis, et dicitur circumstantia *cur*, ut ex communi sententia explicuimus supra dub. 5, § 5: ergo operatio, cui repugnat esse moraliter mala nequit ex fine peccaminoso procedere; et e converso : atque ideo, si confessio sacramentalis nequit esse moraliter mala, non potest fieri ex fine moraliter malo ; et ubi confessio ex tali fine fit, nequit esse sacramentalis, et sacramentum validum constituere. Antecedens autem suadetur : quia confessio sacramentalis, sive quæ per modum partis validum sacramentum constituit, non est mera et præcisa historica peccatorum recitatio, sed est vera de illis accusatio ex supernaturali dolore, ut cum communi sententia statuimus disp. præc. dub. 4; eo autem ipso, quod hæc importet, nequit esse moraliter mala ex ullo capite : ergo, etc. Minor hujus syllogismi ostenditur : nam eo ipso, quod talis sit, importat attritionem supernaturalem (quod enim naturalis est, nec ad validam confessionem, nec ad valorem sacramenti sufficere, constat ex dictis disp. præc. n. 19), sive tanquam formam physice extrinsecam, et moraliter intrinsecam, per quam in esse accusationis constituitur, sive tanquam speciale principium, ex quo ut sit accusatio oritur ; sed implicat aliquam operationem supernaturalem esse ullo ex capite moraliter malam, ut late ex professo ostendimus tract. citat. de fide cum plurimis idem affirmantibus : ergo si confessio, ut sit sacramentalis, et validum sacramentum constituat, debet esse vera accusatio ex supernaturali dolore ; fieri non potest, quod confessio sacramentalis vitietur moraliter ex ullo capite.

Mirum est, ad quanta subterfugia recurrant, ut vires elidant hujus motivi : et non minus quam quinque, aut sex ex Lugo, Arriaga ; et aliis affert Emmanuel a Concept. disp. 3, quæst. 1, in nulla tamen pedem secure figens. In eis autem præcludendis non immoramur, quia id latissime fecimus loco sæpius citato. Cui autem ipse magis fidit, illud est ; eo argumento probari confessionem, ut procedentem ab attritione, sive ut habentem illam adjunctam non posse provenire ex fine venialiter malo, nec ullam malitiam contrahere ; secus vero si consideretur secundum totam suam entitatem extrinsecam subordinatam intentioni pœnitentis, qui potest simul cum fine proprio, et per se alium venialiter malum intendere. Sed hoc facile etiam confutatur : quia non negamus confessionem, quando est mera peccatorum recitatio, posse ordinari ad talem finem, et per illum deturpari : sed hoc modo non est confessio sacramentalis, nec confert ad sacramenti valorem ; et sic contingit, ubi confessio, et sacramentum sunt nulla ob defectum vere, et supernaturalis attritionis. Sed quæstio præsens est de confessione valida, et vere sacramentali, quæ eo ipso importat conceptum accusationis veræ ex supernaturali attritione. Et in hac suppositione dicimus impossibile esse, quod oriatur

Abulens. Navarr. Silvest. Angel. Joann. a S. Thom.

Probatio conclusio.

tur ex alio fine pravo ; et e converso, quod si procedit ex tali fine, non procedit ex attritione. Idque amplius explicari potest exemplo actus virtutis moralis : nam quia hic oritur ex dictamine, et directione prudentiæ, quæ attendit ad omnia, quæ occurrunt in eliciendo actum, impossibile est actum virtutum moralium esse moraliter malum, et hoc ipso, quod aliquo ex fine operantis, aut occurrente circumstantia aliquam importaret malitiam, minime imperaretur, aut dirigeretur per prudentiam ; quin potius convinceretur non esse actum virtutis moralis, ut ostendimus tract. 11, disp. 6, num. 5 et 28 ; ex qua etiam radice provenit eundem actum non posse simul habere bonitatem, et malitiam moralem : nam ubi aliquam malitiam habet, jam non est a prudentia, quæ omnia prospicit, ut aliquid dictet, et ab ea omnis bonitas moralis descendit. Altius autem præ prudentia principium est attritio supernaturalis, sive gratia excitans, et attritionem, et ejus effectus inducens; cum talis gratia sit quædam impressio, et participatio scientiæ, et providentiæ divinæ, atque ideo superat omnem directionem prudentiæ naturalis. Quare, si repugnat, quod in actu directo per talem prudentiam reperiatur ulla malitia moralis, ut eo loco ostensum est ; magis repugnabit reperiri in confessione, quam attritio supernaturalis, et gratia ejus principium dirigunt. Repugnat itaque confessionem factam ex fine veniaiter malo esse sacramentalem, seu validam.

259. Sed, licet hæc per se loquendo se habeant, animadvertere tamen oportet, quod jam præmonuimus loco cit. de fide n. 46, videlicet, quod licet omnes confessiones factæ ex fine venialiter malo sint infructuosæ, et invalidæ, ut hactenus ostendimus ; non propterea in universum affirmamus, vel omnes eas confessiones esse formaliter sacrilegas, vel omnes eo pravo affectu confitentes peccare mortaliter. Unde distinguere oportet : fieri namque valet, quod aliqui ex ita confitentibus laborent ignorantia invincibili putantes valide, et fructuose confiteri, quamvis eo fine, et affectu ducantur. Qui proinde licet ob defectum legitimæ confessionis, nec fructum sacramenti acquirant, nec validum efficiant sacramentum, tamen ob ignorantiam excusantur a peccato sacrilegii. Sicut etiam proportionabiliter contingit in accedentibus ad hoc sacramentum cum solo dolore naturali, quem invincibiliter existimant, vel sufficere, vel esse supernaturalem : sic enim procedentes non peccant, quamvis nec gratiam consequantur, nec validum sacramentum efficiant. Aliter omnino censendum est de sapientibus, qui hæc omnia comprehendunt, et motiva a nobis proposita perpendere possunt, et debent : quæ si faciant, facile recognoscent sententiam nobis oppositam, quæ docet confessionem ex fine venialiter malo esse materiam hujus sacramenti, sufficereque pro ejus valore, et fructu, non esse certam, sed ad summum probabilem ; reclamante nostra, quæ id negat cum magna probabilitate, et consulit materiam certo certam.

260. Contrariam nihilominus nostræ assertioni sententiam tuentur Sotus, Sanchez, Vasquez, Lugo, Dicastillo, et alii, quod refert N. Franciscus cap. 9, punct. 2, num. 6, et idem ipse palam sustentare eo loco videtur : sed numero immediate sequenti ab ea recedit approbans doctrinam Joannis a sancto Thoma, aliud non dantis, quam quod nos a dubii limine prælibavimus. Idem etiam tuentur communiter Juniores, et videri potest in Leandro disp. 4, qu. 9, Emmanuele a Conceptione disp. 3, qu. 1, Delgadillo cap. 17, num. 81, et aliis. Motiva vero hujus opinionis convulsa reliquimus loco cit. de fide, et præsertim toto § 5. Unde pauca subjiciemus, sed quæ magis propria præsentis difficultatis videntur. Primum nimis durum apparet, quod omnes confessiones factas ex fine præcise venialiter malo condemnemus tanquam infructuosas, invalidas quin et per se loquendo sacrilegas : incredibile namque apparet, quod tot, et tam gravia mala confessioni, et confitenti ex tam levi defectu proveniant. Secundum, quia licet sacramentum pœnitentiæ suscipiatur peccando venialiter in confessione ; hoc tamen non impedit, quod prædictum sacramentum suscipiatur ex fine proprio ipsius sacramenti, nempe veniæ, et remissionis peccatorum, et quod simul adsit dolor supernaturalis sufficiens ad prædictum effectum : quibus concurrentibus, non est cur dicatur talis confessio infructuosa, et invalida. Tertium, quoniam aliæ plures sunt actiones non solum sacramentales, sed etiam

Sotus. Sanch. Vasq. Lugo. Dicast.

Leand. Emman. Delgad.

Motivum 1.

Secundum.

Tertium.

supernaturales, quæ possunt contrahere malitiam moralem ex diversis capitibus, quin impediatur eorum valor, et fructus, ut patet in absolutione, et consecratione : peccat enim minister, si has indebite exerceat, quod multipliciter contingere valet ; et tamen ipsæ validæ sunt, et fructuosæ : ergo pariter non repugnat conjungi in confessione rationem actionis sacramentalis, supernaturalis, fructuosæ, et validæ cum aliqua malitia morali levi, sicuti est fieri confessionem ex fine venialiter malo. Hæc sunt graviora, et difficiliora pro hac sententia.

Diluitur 1 motivum.

Sed arduum non est illis satisfacere. Ad primum, respondetur duram non debere dici nostram sententiam, quæ animos avocat a finibus caducis, et peccaminosis, ut inducat ad æternos, et sanctos. Nec iterum potest asperum dici, quod fundatur in Christi Domini institutione, qui voluit pœnitentem satisfacere suæ obligationi non per solam suorum peccatorum recitationem, sed per veram eorum accusationem ex supernaturali aliquo motivo : cum quo minime cohæret talem accusationem fieri ex fine vel venialiter pravo, ut supra ostendimus. Et plane non magis durum, aut asperum est, quod confessio facta ex fine venialiter malo, et consequenter venialiter mala sit infructuosa, et invalida, quam quod confessio moraliter bona, facta non ex supernaturali motivo, sed adæquate ex motivo naturali, quod invincibili ignorantia supernaturale putatur, sit etiam infructuosa, atque invalida, et tamen hoc posterius omnes isti semper docent, præsertim post condemnationem illius propositiou. 57, inter reprobatas a S. Innocentio XI : « Probabile est sufficere » (nempe ad sacramentum pœnitentiæ) « attritionem naturalem modo honestam, » ut docuerant Bonacina, et alii illo antiquiores. Sicut ergo non debet tanquam durum, aut incredibile censeri, quod dicamus confessionem factam bona fide cum attritione, sive accusatione naturali, quam invincibiliter putat, vel supernaturalem esse, vel hanc non requiri, esse invalidam, et infructuosam : multo minus reputari durum debet, quod idem dicamus de confessione moraliter mala utpote proveniente ex fine turpi, aut peccaminoso. Qui autem ista solida appellat dura, alia laxiora, et minus

Propositio damnata.

secura, et plerumque futilia approbans, audiat Divum Augustinum in lib. de Catechizandis rudibus, cap. 5, ubi in simili materia monet catechizantes, ut sedulo curent, quod suscepturi fidem non ad id moveantur ex aliquo fine, aut motivo temporali, et impediatur in eis piæ voluntatis affectus, qui pro suscipiendo fidem desideratur. « Rarissime quippe accidit, » inquit S. Doctor, « imo vero nunquam, ut « quisquam veniat volens fieri Christia- A « nus, qui non sit aliquo Dei timore per- « cussus . Si enim aliquod commodum « expectando ab hominibus, quibus se ali- « ter placiturum non putat ; aut aliquod « ab hominibus incommodum dubitando, « quorum offensionem, aut inimicitias « reformidat, vult fieri Christianus : non « fieri vult potius quam fingere : fides « enim non res est salvandi corporis, sed « credentis animi. » In quibus verbis satis aperte significavit, quod si fides fiat ex aliquo affectu inordinato (et ipsa quidem ab affectu voluntatis dependet) non est vera fides Christiana, licet appareat : quoniam vera debet ex Dei motione, et proinde orto voluntatis affectu, cum quo non cohæret esse ex alio capite turpem propter originem ab inordinata alias affectione. Quæ sententia severior apparet quam nostra, sed est verissima, et militat etiam in nostro casu : nam ut confessio sit sacramentalis debet esse accusatio supernaturalis, sive procedere ex supernaturali attritione, atque ideo ex gratia excitante pro hac requisita : cum quo non cohæret esse ab alia radice malam.

261. Ex quibus patet ad secundum : nam g eo ipso, quod confessio habeat aliquam malitiam ex fine venialiter malo, non adest ibi supernaturalis attritio, ex qua talis confessio procedat : unde falsum est, quod eo defectu non obstante adsint ibi omnia requisita ad valorem, et effectum sacramenti : oppositum enim constat ex dictis. Sicut in doctrina D. Augustini immediate relata, quamvis detur exterior prædicatio nostræ fidei, et succedat ad illam assensus ; si tamen hic procedat ex aliquo affectu inordinato, convincitur illam fidem non esse vere christianam, sed apparere : quia hæc debet ex supernaturali voluntatis affectu, et gratia Dei excitante pro eo requisita ; quæ nulla ratione valet

influere

influere in operationem ex ullo capite malam, quæ ratio militat in nostro casu, ubi jam expendimus, et facile consideranti constabit.

Tertium motivum tangit rem prolixam, nempe omnes actiones sacramentales, et supernaturales an scilicet vitiari ex ullo capite valeant ; cui difficultati superandæ prolixam etiam dedimus operam loco sæpius citato de fide. Nunc satis sit vel in uno exemplo sistere consecrationis, quod ipsum argumentum opponit : nam in consecrando potest sacerdos peccare, quin impediatur consecrationem esse supernaturalem, et validam, quod enim circa id dixerimus, trahet facile lector ad alias sacramentales operationes. Et in primis advertat argumentum excessive probare : nam fieri potest, quod sacerdos in consecrando, sive in exequendo sacramentalem consecrationem peccet mortaliter, idque evidenter cognoscat ; et nihilominus consecratio sit supernaturalis, et valida : ergo si sequamur similitudinem, vel rem illa evincat ; fieri poterit, quod pœnitens in confitendo, sive in faciendo sacramentalem confessionem scire se peccare mortaliter, et ita peccat ; quin valor confessionis impediatur. Id tamen nemo sanæ mentis admittet : nam ubi quis scienter actu mortaliter peccat, vere se non accusat, nec propositum ullum concipit emendationis. Deinde observandum est in consecratione (idem intelligitur de absolutione, de baptizatione, etc.) licet una voce simplici exprimatur, plura concurrunt, et possunt significari. Primum conversio passiva panis in corpus Christi : et hæc quidem supernaturalis est, sed non est ullo in casu formaliter mala, sed ad summum objective ad hunc sensum, quod sacerdos indebite circa illam materiam se exercet. Secundum conversio activa, sive actio quæ talem materiam immediate attingit : et hæc etiam est supernaturalis, sed nunquam est moraliter mala : tum, quia est immediate a Deo agente principali, ad quam sacerdos se applicat : tum, quia hæc actio proprie loquendo non oritur immediate a sacerdote, sed a verbis ab eo prolatis : hæc enim sunt quæ a Deo elevantur, et effectum consecrationis passivæ, sive transubstantiationis immediate attingunt. Tertium denique actio prævia sacerdotis, quæ complectitur, et prolationem externam verborum, et intentionem internam sacerdotis, ut ea prolatio sit actus humanus : et hujusmodi actio prævia ista complectens est aliquando mala moraliter ; sed nunquam supernaturalis est, quin nec instrumentalis, nec proprie sacramentalis : quia et pro formando illam intentionem, et ad proferendum illa verba, solæ, et per se vires naturæ sufficiunt. His itaque ita distinctis constat actiones in consecratione, et similibus intervenientes, si supernaturales, et proprie sacramentales sint, nunquam esse moraliter malas : illas vero, quæ peccaminosæ sunt, non esse supernaturales, nec proprie sacramentales, sed pure naturales, et prævias, in quo sensu permittendo, aut distinguendo antecedens respondetur, negando absolute consequentiam, quæ prout jacet non admittit eam distinctionem, sed est simpliciter mala, et minime ex antecedenti deducitur. Melius colligeretur posse confessionem esse moraliter malam. Sed tunc distinguendum foret consequens ; et si sermo esset de confessione prout est mera, et exterior prolatio verborum, atque historica peccatorum recitatio ; concederetur consequentia : sed negando omnino est, ubi sermo sit de confessione, ut est supernaturalis, et sacramentalis de peccatis accusatio, de qua agimus in præsenti. Et doctrina, atque intelligentia distinctionis constat ex dictis.

DUBIUM X.

An, et quale conscientiæ circa peccata examen debeat confessioni præmitti.

Istud dubium proponimus non quia urgentem aliquam difficultatem afferat, sed quia ad completam de confessione considerationem spectat. Examinis autem conscientiæ vocabulo non aliud significatur, quam studiosa animi recogitatio, qua in memoriam revocat peccata commissa, ut ea possint in confessione recenseri.

§ UNICUS.

Communis doctrina proponitur, et declaratur.

262. Pœnitentem obligari ad diligens conscientiæ examen pro sacramentali pec-

catorum confessione docet semel, et iterum
Concil. Trid. Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 5, ubi in primis ait : « Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri. » Et postea subjungit : « Constat enim nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus exigi, quam ut postquam quisque diligentius se excusserit, et conscientiæ suæ sinus omnes exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, et Deum suum mortaliter offendisse meminerit. » Ac demum Can. 5 ejusdem sess. diffinit : « Si quis dixerit eam contritionem » (ut est pars sacramenti pœnitentiæ) « quæ paratur per discussionem, collectionem, ac detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem » (quæ omnia sunt propriissima examinis conscientiæ materia) « amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum cum proposito melioris vitæ, non esse verum, et utilem dolorem, etc. anathema sit. » In quibus verbis, quamvis incidenter, asseritur convenientia, et necessitas examinis conscientiæ pro confessione sacramentali ad condemnandum hæresim Lutheranorum omnia ista negantium. Ratio autem hujus veritatis inseritur, et insinuatur : nam qui obligatur ad aliquem finem, obligatur etiam ad media necessaria pro eo consequendo, quæ sunt in ejus potestate ; sed homo tenetur jure divino ad confitendum omnia peccata mortalia, quæ post baptismum commisit : pro quo fine consequendo medium necessarium, et in hominis potestate positum est, recogitare hæc peccata, reducendo illa ad suas species, numerum, et circumstantias, specie differentes, ut constat ex dictis per totam præsentem disp. ergo pœnitens tenetur examen conscientiæ ad faciendum confessionem præmittere. Et in hoc conveniunt omnes Auctores.

Observat. 1. Qui eadem etiam concordia observant aliqua, quæ possunt dici præcedentis doctrinæ limitationes, aut explicationes. Primum hoc examen necessarium esse, ubi materia in confessione exponenda est necessaria, ut contingit in peccatis mortalibus non hactenus confessis ; secus autem quando talis materia est præcise sufficiens, et voluntaria, ut sunt omnia venialia, et mortalia alias jam confessa. Nam cum pœnitens ex hac posteriori materia possit pro libito exhibere, aut non exhibere quam voluerit ; nulli periculo exponitur confitendo absque illo examine, quippe qui non peccat, quamvis aliqua ex illis peccatis omittat. Cujus oppositum contingit in materia necessaria : nam ibi explicanda sunt peccata in specie, et numero ; quod absque periculo in his errandi examine omisso non fit. Unde omittere in his examen, esset ex genere suo peccatum grave, ut discursus factus evincit. Secundum est, per quod immediate dicta magis explicantur, rudes, agrestes, et ignaros homines posse ad confessionem admitti absque prævio examine sufficienti. Oppositum docuit Lopez, Medinam pro se referens 1 part. instruct. cap. 18, ductus præmisso motivo. Sed communis jam sententia, quam refert, et sequitur Leander disp. 7, q. 61, sic affirmat, et merito : quoniam tales personæ nimis rudes, et ignaræ, quamvis multoties remittantur, ut se perfectius discutiant, nihil magis proficiunt, et cum eisdem ignorantiis, et oblivionibus regrediuntur ad confessionem : et tamen non sunt privandæ beneficio absolutionis. Nec propterea accedunt sine aliquo examine conscientiæ : recogitant enim se peccasse, et recordantur se multa habere peccata, quamvis nesciant se illa per species, et numero recensere, et ad classes revocare. Accedunt itaque cum aliquo examine, licet imperfecto, et insufficienti : quod tamen fiet sufficiens diligentia, et interrogationibus prudentis confessarii adjuvantis, ut numerus, et species peccatorum declarentur. Et hoc est rusticis facilius, et utilius, quam per se facere illam discussionem, quam profecto nunquam facerent exactam. Hinc derivari satis communem praxim, ut non obstante doctrina Concilii supra relata, raro, aut nunquam videamus, vel unum rusticum remitti, ut iterum faciat suorum peccatorum examen.

263. Relictis vero his, quæ sunt per accidens, et accedendo ad secundam dubii partem, non possumus certa, et uniformi regula diffinire quanta debeat esse conscientiæ examinatio, ut huic obligationi satis fiat : sed id prudentis arbitrio relinquendum est, attentis diversarum personarum

narum circumstantiis, et conditionibus. Unde qui frequenter confitetur, non tenetur in qualibet vice tantam curam adhibere, quantam qui raro : nam illi facilius occurrunt peccata facta ab ultima confessione : nec ad tantam discussionem obligatur simplex, et idiota, qui nescit perscrutari sinus conscientiæ, sicut tenetur vix doctus in his pervestigandis per varias species : nec denique, qui vitam agit pacificam, et a contractibus, et negotiis remotam, sicut qui horum magnis curis,et scrupulis implicatur. Sunt itaque ista regulanda per respectum ad varias istiusmodi conditiones, juxta prudentis arbitrium, ut bene observant Navarrus in cap. *Fratres* de Pœnit. dist. 5, n. 71, Suarez disp. 22, sect. 10, n. 3, N. Franciscus cap. 6, punct. 2, n. 4, et alii communiter. Sed quamvis hæc inæqualitas in diversis personis juxta illarum qualitatem admittatur ; in omnibus tamen per se loquendo requiritur, quod hujusmodi examen non fiat perfunctorie, et superficialiter,sed sedulo,et diligenti attentione : hanc enim significant verba Concilii. « Post diligentem sui discussionem, » et rursus. « Ut postquam quisque diligen- « tius se excusserit, » et denique, « qua « quis recogitat annos suos in amaritudine « animæ ponderando peccatorum suorum « gravitatem, multitudinem, fœditatem, « etc. » Unde in omittendo hanc debitam diligentiam potest adesse major, aut minor culpa juxta modum negligentiæ, quin et peccatum mortale, ut magis constabit ex dicendis a num. 264.

Quanta vero debeat esse illa diligentia, varie ab aliquibus explicatur, et non significatur debere esse satis magna : id enim importat modus, quo eam exposcunt,atque declarant. Paludanus dixit pœnitentem debere facere omnem, quam potest diligentiam. Gabriel debere confiteri omnia, quorum recordari potest. Major præmittere talem diligentiam, qualem, qui de multo, et longo tempore impensa pecunia ratione domino vigili, et avaro fore redditurus. Scotus illam adhibendam esse,quam abhiberet homo in re ardua, quæ maxime cordi esset. Sic rem exaggerant, sed certam in gradu diligentiam non determinant, nec id facile foret. Communis tamen sententia jam obtinuit, ut non exigatur diligentia summa, sufficiat mediocris, et gravis, qualem prudentes in aliis negotiis gravibus adhibere solent, ut cum Vasquez, Henriquez, Granados, Lugo, Reginaldo, Navarro, Filliucio, Bonacina, et aliis docent Leander disp. 7, quæst. 73, et N. Franciscus cap. 6, punct. 2, et communis eorum ratio est satis clara, quod homo procedere debet, sicut in aliis negotiis gravibus : nec enim de pietate Dei præsumendum est, quod præceperit ultra illum modum, vel quod ad aliquid obligaverit, ex quo homines ad insaniam, vel desperationem provocarentur, ut aliquando accidisse oppositum imaginanti, et circa examen conscientiæ prolixissime laboranti, et in eas angustias redactus fuit, ut se pugione lethaliter percusserit, testatur Lugo disp. 16,num. 590; sufficit itaque pro examine conscientiæ præmittere gravem, et prudentem diligentiam, licet non sit omnium major,aut alias fieri summo studio possibilis, sic enim nullus terminus scrupulis, et anxietatibus præfigeretur,sed semper relinqueretur plus ultra nulla industria superandum. Nec amplius significant, vel exigunt verba Concilii; quin occurrens falsis criminationibus calumniantium summam difficultatem sacramenti pœnitentiæ, qualem Catholici asserimus, inquit : « Sed est impium con- « fessionem, quæ hac ratione fieri præci- « pitur, impossibilem dicere, aut carnifi- « cinam illam conscientiarum appellare. » Nihil enim circa confessionem Deus, aut Ecclesia præcipit, quæ istiusmodi fit, vel homines obliget ad physica, vel moraliter impossibilia, aut supra modum ordinarium gratiæ, et naturæ. Unde non pauci observant posse pœnitentem in discutiendo nimis conscientiam peccare per excessum, quippe cum ex eo possit in amentiam incidere, et in alia incommoda, ut liquet in casu relato a Lugone.

Vasq. Henriq. Granad. Lugo, Regin. Navarr. Filliuc. Bonac. Franc.

264. Hinc colligitur primo illum, qui mediocrem, et prudentem diligentiam præstitit in examinatione conscientiæ pro investigandis mortalibus, non obligari ad amplius inquirendum, licet probabiliter conjiciat se aliquod aliud reperturum ejusdem rationis, si se iterum applicet prolixissimæ inquisitioni. Ita cum aliis Bonacina disp. 5, quæst. 5, punct. 7. Et ratio est : quia per illam mediocrem, et prudentem diligentiam obligationi suæ jam satisfecit. Colligitur secundo pœnitentem non

teneri ad scribendum peccata, quamvis lubricæ sit memoriæ, et timeat circa aliqua oblivionem : quia ista est diligentia extraordinaria, aliquibus periculis exposita, ad quam Deus, vel Ecclesia non obligat.

Vasq. Suarez, Henriq. Coninch. Zerola. Ita Vasquez, Suarez, Henriquez, Coninchus, Reginaldus, Filliucius, Zerola, et alii, quibus relatis subscribit N. Franciscus loco cit. num. 6. Nec tenetur statim de peccatis confiteri, qui timent, quod excident e memoria, ut præter relatos docent Bonacina ubi supra num. 4. Colligitur tertio pœnitentem, si adhibito sufficienti, quod diximus examine, non recordatur peccati mortalis in specie, sed solum in genere, ut quod admiserit pravam aliquam cogitationem, non teneri nisi ad id ipsum in genere confitendum : nec enim amplius exposcit integritas confessionis, ut constat ex dictis dub. 7. Colligitur quarto confessorem non obligari ad examinandum pœnitentem, sive inquirendum de peccatis exquisito, et exactissimo examine. Et ratio sumitur ex immediate dictis : nam si pœnitens ipse non tenetur ad exquisitam adeo sui discussionem, sed suæ obligationi facit satis adhibendo mediocrem, et prudentialem, qualem exigit sacramentum, ne sit nimis onerosum : multo minus tenebitur confessarius ad procedendum cum diligentiis tam exquisitis, et prolixis, ne nimis grave reddat sacramentum pœnitentiæ, et pœnitentes torqueat, et ab ejus frequentia abducat. Oportet igitur, quod in hac inquisitione suavi, et humano modo procedat. Et ita recte observant Lugo disp. 16, num. 590, et Leander disp. 7, quæst. 65. Qui ulterius, sed ab eadem radice observant hanc confessarii in suis interrogationibus moderationem, ac temperantiam regulari oportere per respectum ad varios pœnitentes, ut de eisdem pœnitentibus insinuavimus num. 761 ; quare levius examinandus est rusticus, quam homo civilis. Quid namque prodesset investigare, aut sperare subtiliora, quæ non intelliget, nec intelliget, nisi exactissime, et diuturna mora instruatur. Ab infirmo etiam graviter ægrotante pauciora, et grossiora inquirenda sunt : quia plurima, et subtilia ob infirmitatem sustinere non valet, sed eis obruitur, et confunditur. Hac itaque prudenti moderatione, et cum diligenti absolute discussione procedere debent in hac materia tam pœnitentes, quam confessarii. Et quia omnia, quæ attigimus, summa claritate, brevitate et resolutione complexus fuit Cano in tract. de pœnit. c. part. 5, § *Tertia propositio*, fol. 32, impressionis Complut. ann. 1563, visis, atque expensis antiquiorum doctrinis, sequentia ex eo damus lectori.

Tertio.

Quarto.

Lugo, Leand.

265. Qui abhibet humanam, vel mediocrem diligentiam, qualem videlicet præstare solent viri mediocriter timentes Deum, quisquis juxta conditionem gradus, et ordinis sui, vere implet legem de confessione integra facienda. Verbi gratia, si ego adhibui aliquam diligentiam, et per parvam ultiorem probabiliter existimo aliqua mortalia fore in memoriam revocanda, teneor ulterius inquirere. Quod si putem nullum aliud peccatum venturum in mentem, nisi forsitan ingenti quadam discussione, et magni temporis inquisitione, non oportet esse sollicitum : satis namque est illa mediocris, et humana diligentia. Si quis autem adhibuit diligentiam, et curam in examinanda conscientia, quam credit esse sufficientem, etiam si fallatur, excusari talis negligentia a peccato mortali, et potest, et debet. Non in omnibus id quidem, sed in hominibus piis, qui timent Deum, et habent mediocrem curam animæ suæ. Ceterum impios, quos videlicet nulla animæ suæ cura tangit, ego nulla ratione a peccato mortali excusarem, etiamsi existiment se diligentiam idoneam adhuibuisse, cum videlicet omittunt, vel ignorantes aliqua peccata, ex insufficienti discussione. Nam cum hujusmodi hominibus minima diligentia esse videatur maxima, neque sint soliti adhibere mediocrem, timere sibi necessario debent. Quod si non timent, nullam excusationem habent peccati sui. Contra viri sobriæ, et timoratæ conscientiæ cum adhibere diligentiam, et curam soleant, si quando ex ignorantia, et inconsideratione prætermittant : jure optimo, e mortali culpa saltem excusantur. Quod si objicias eam diligentiam mediocrem non sufficere, ex eo quod Augustinus ait de vera pœnit. cap. 15 : « Ponat se omnino pœnitens in « judicio sacerdotis, nihil sibi reservans « sui, paratus facere pro reparanda ani- « mæ vita, quæcumque faceret pro vitanda « corporis morte. » Nam Doctores asserunt

Obj. et sol.

eam

eam diligentiam facturos, quam facerent in inquirenda pretiosa margarita. Probatissimum id est. Quis neget? At quoniam infirmis oportet etiam consulere, non præscribimus, quid faciant optimi; sed quod ad salutem necessario facere debeant, vel imbecilles. Paulo antea similem doctrinam statuens dixerat,§ *Vix animadverti:* Hanc conclusionem vel ex eo solo argumento amplecti deberemus, ne Christi jugum suave, adeo importabile hominibus redderetur, ne Germani merito possint objicere (quod quidam illorum impudenter) Doctores Scholasticos homines nimium argutos confessionem hodie talem reddidisse, ut juxta illorum ætheroxim impossibile sit confiteri. Simili doctrina rem hanc absolvunt Victoria, Navarrus, Valentia, et Coninchus, apud Tyrsum disp. 42, n. 6, et putamus esse communem sententiam.

DUBIUM XI.

An possit dari confessio informis, et valida, et in quibus casibus.

Ut ad propositam difficultatem, quæ principalis censetur in hac materia, commodius accederemus, gradum fecimus per multa dubia in hac, et præcedenti disp. decisa, in quibus exposuimus requisita pro valore, et fructu confessionis sacramentalis, ac proinde totius sacramenti pœnitentiæ: pari namque passu tam in valore, quam in fructu currunt sacramentum, et confessio. Porro tunc dicuntur valida, quando habent omnia, quæ ad essentialem sui constitutionem desiderantur: sunt vero fructuosa, cum proprium effectum; nempe gratiam justificationis, sive remissivam peccatorum inducunt. Sunt autem hæc in communi loquendo separabilia ex genere suo, ut liquet in aliis causis, quæ cum habeant omnia ad suam essentialem constitutionem requisita, quin et sint ex vi sujus in actu primo proximo ad influendum; nihilominus ob occurrens aliquod impedimentum in actu secundo non causant. Et magis, ut ad rem proximiorem accedamus, constat in baptismo adultorum, qui posita ablutione, et forma ex parte ministri cum debita hujus, et suscipientis intentione, tenet, et validus est; sed si suscipiens non habeat supernaturalem dolorem de peccatis, qualis in adultis pro infusione gratiæ illa excludentis desideratur, hujusmodi effectum non inducit. Unde propter concursum omnium, ex quibus constituitur ejus essentia, est sacramentum validum, quin opus sit alium unquam baptismum repetere; sed quia actu non causat gratiam ob defectum dispositionis ad illam, est, et appellatur informe, quia relinquit baptizatum in statu peccati, sive non informatum gratia sanctificante, quæ est forma justificans. In hoc itaque sensu inquirimus, an possit idem contingere in confessione, et sacramento pœnitentiæ, quod videlicet habeant omnia essentialia, teneantque, et valida sint, et nihilominus ob aliquem defectum, sive impedimentum non habeant effectum, sed hominem peccatorem relinquant in sua illa, quam habeat infirmitate, sive statu peccati. Et quamvis non pauca ad præsentem difficultatem expectantia dixerimus, tract. 22, disp. 4, dub. 6, disputantes in genere, utrum sacramenta nostra cum fictione suscepta, ea recedente causent gratiam; et aliquid ibi n. 193 specialiter de sacramento pœnitentiæ; tamen in omnibus illis supponebatur sacramenta nostra posse cum fictione suscipi, esseque subinde valida, et informia: quod tamen non ita facile intelligitur, et a multis negatur in isto quod versamus, pœnitentiæ. Quare opus habemus dubium propositum superare.

§ I.

Statuitur prima conclusio.

266. Dicendum est primo, posse dari confessionem informem, et validam. Sic expresse resolvit D. Th. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 4, quæstiunc. 1. Ubi inquirit: « Utrum confessio possit esse informis? » Et respondet: « Dicendum, quod « confessio est actus virtutis, et pars sacra- « menti. Secundum autem, quod est actus « virtutis, est actus meritorius proprie: et « sic confessio non valet sine charitate, « quæ est principium merendi. Sed secun- « dum, quod est pars sacramenti, sic ordi- « nat confitentem ad sacerdotem, qui ha- « bet claves Ecclesiæ, qui per confessionem

Possibilitas Sacram. pœnitentiæ validi, et informis.

Probatur authoritate D. Thomæ.

« conscientiam confitentis agnoscit. Et « secundum hoc confessio etiam potest esse « in eo, qui non est contritus ; quia potest « peccata sua sacerdoti innotescere, et cla- « vibus Ecclesiæ se subjicere. Et quamvis « tunc non percipiat absolutionis fructum; « tamen, recedente fictione, percipere in- « cipiet : sicut etiam est, in aliis sacra- « mentis. Unde non tenetur reiterare con- « fessionem, qui fictus accedit ; sed tenetur « postea suam fictionem confiteri. » Hæc Sanctus Doct. quibus expressiora dicere non potuit ad significandum, quod confessio informis, sive non habens adjunctum effectum gratiæ, valeat esse simpliciter valida, ita ut pœnitens non teneatur reiterare confessionem, et in ea contingat, quod in aliis sacramentis, utputa in Baptismo, Confirmatione, et Ordine, quæ certum est esse valida, licet informia sint, et gratiam non producant, permanente in susceptoribus statu peccati. Unde S. Doctori summa concordia subscribunt discipuli antiqui, et moderni. Petrus de Soto lect. 8, de confessione, Paludanus ead. dist. quæst. 8, Capreolus quæst. 2, art. 3, Cajetanus in summa, verbo *Confessio*, condit. 10, et tom. 1 opusc. tract. 5, quæst. 5. Sylvester, verbo *Confessio*, quæst. 22, n. 26, Victoria de confessione, n. 160, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 3, art. 2, conclus. 3, § *Sed et his*, Cano de pœnit. part. 5, fol. Complut. 41, Martinus de Ledesma 2, part. quæstion. quæst. 8, art. 1, dub. 2, propos. 5, Petrus de Ledesma tract. 5, de pœnit. cap. 16, concl. 1, Nugnus in supplement. quæst. 9, art, 1, dub. 1, Joannes a Cruce quæst. 3, de Confessione, dub. 9, concl. 2, Joannes a S. Th. quæst. 84, disp. 33, art. 6, Candidus disquisit. 24, art. 17, § 4, Prado quæst. 3, de contritione, dub. 3, § 2, Gonet disp. 10, art. 1, § 2, N. Franciscus cap. 5, dub. unico, n. 9, N. Gabriel disp. 6. quæst. 1, N. Philippus disp. 12, dub. 1, et alii. Idem etiam ex extraneis docent Durandus in 4, dist. 17, quæst. 13, Richardus ibi art. 2, quæst. 8, ad 5, Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1, part. § 4, n. 13, Navarrus in Manuali cap. 9, n. 13, Emmanuel Rodriguez in summa, cap. 17 et 18, Angles de confessione, art. 7, difficult. 4, concl. 3, Henriquez de pœnitentia, lib. 5, cap. 11, § 1, Toletus lib. 3 summæ cap. 10, Suarez disp. 20, sect. 5, Valentia quæst. 11, punct. 2, Filliucius tract. 7 cap. 5, Reginaldus lib. 6, sect. 6, Granado respons. 3, de pœnit. sect. 3, Gaspar Hurtado disp. 6, difficult. 8, Lugo disp. 14 sect. 6, Dicastillo disp. 6, dub. 5, Alphonsus Vega in summa cap. 63, casu 49, Bonacina quæst. 3, punct. 2 et quæst. 5 punct. 1. Diana part. 2, tract. 17, resolut 30 et 3 part. tract. 4, resolut. 63, Trullench. lib. 4, cap. 6, dub. 6, Aversa quæst 14, sect. 5, Thomas Hurtado tom. 7, tract ult. resolut. 10, § 6, Leander disp. 7 quæst. 27, Ludovicus a Conceptione tom 1, exam. tract. 5, quæst. 2, Emmanuel Conceptione disp. 2, quæst. 25, Delgadill cap. 10, dub. 5, Lastra tit. 1, cap. 1, sect 6, quæst. 6, n. 75, N. Antonius disp. 3 sect. 4, n. 79 et alii plures.

Soto, Palud. Capr. Cajet. Sylvest. Victoria, Domin. Sotus, Cano, Martin. de Led. Nugnus, Joann. a Cruce, Joann. a S. Th. Candid. Prado, Gonet, Franc. Gabriel. Philip. Durand. Ricard. Covarr. Navarr. Rodrig. Angles, Henriq. Tolet. Suarez, Valent. Filliuc. Regin. Granad, Hurtado, Lugo, Dicast. Vega, Bonac. Diana, Trull. Aversa, Thomas, Leand. Ludov. Emman. Delgad. Lastra, Anton.

Probatur ratione desumpta ex D. Th loco relato : nam in aliis sacramentis con tingit sacramentum esse informe, et nihi lominus esse validum : ergo idem dicen dum est de sacramento pœnitentiæ, atqu ideo de confessione sacramentali. Antece dens est certum, ut patet in Baptismc Confirmatione, et Ordine : nam sæpe acci dit suscipientes hæc sacramenta esse i statu peccati mortalis, et in eo permanere non recipiendo gratiam illis sacramenti correspondentem : et tamen talia sacra menta sunt simpliciter valida : unde mi nime reiterantur, quamvis postea eviden ter cognoscatur suscipi a peccatoribus, e actu peccantibus. Consequentia autem pro batur a paritate, quæ magis expenditur i hunc modum : nam ideo alia sacrament possunt esse valida, et informia, qui eorum essentia, et partes, ex quibus essen tialiter constant distinguuntur ab eorun effectu, sive a gratia, quæ per illa sole produci ; inde enim provenit, quod lice talis gratia impediatur, et sacramenta pro inde relinquantur infructuosa, sive infor mia ; nihilominus sint valida, utpote ha bentia omnia sibi essentialia antecedenter et independenter a tali effectu, sive sequatur sive non sequatur. Hoc autem eodem mod verificatur in sacramento pœnitentia : nan dolor, confessio, et absolutio, ex quibu essentialiter constituitur, distinguuntu realiter a gratia justificante, et remission peccatorum, quæ sunt hujus sacrament effectus ; et præsupponuntur non solun intelligentia, sed etiam realiter ordin causalitati

causalitatis, et naturæ ad effectum hujusmodi : eo quod totum sacramentum pœnitentiæ ex omnibus suis partibus essentialibus compositum est instrumentum, per quod Deus ut causa principalis efficit justificationis gratiam, et peccatorum remissionem. Ergo si contingit alia sacramenta esse valida, et informia ; idem contingere potest in hoc pœnitentiæ sacramento.

267. Respondent communiter adversarii concesso antecedenti, et negando consequentiam. Et disparitatem assignant, quod in aliis sacramentis tota eorum essentia, et partes essentiales distinguuntur realiter a dispositione ad gratiam, quæ in eis, et per ea producitur ; unde fieri potest, quod tota, et adæquata eorum essentia absque talis gratiæ effectu existat : et consequenter, quod ex una parte sint valida propter illorum essentialem constitutionem, et ex alia parte sint informia ob carentiam gratiæ, quæ ob defectum dispositionis in eis non producitur. Ceterum in sacramento pœnitentiæ res aliter omnino se habet : nam eadem attritio, sive dolor supernaturalis, quæ est pars essentialis hujus sacramenti est etiam dispositio ad gratiam in eo producendam, ut docet Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 4. Unde provenit, quod ubi in pœnitente non datur talis attritio, sacramentum sit non solum informe, aut sine fructu, sed etiam invalidum, et absolute nullum : ubi autem illa attritio adest, tam sacramentum est non tantum validum, sed etiam fructuosum, et formatum. Atque adeo non relinquitur medium, ut hoc sacramentum sit validum, et informe, ut in aliis sacramentis contingit. Quam disparitatem, et differentiam possumus ex eo confirmare, quod in aliis sacramentis, quia attritio, et alii suscipientium actus non sunt partes essentiales illorum, cohæret optime, quod licet suscipiens accedat scienter ad illa peccando mortaliter, actualiter, nihilominus valide illa suscipiat, si concurrant materia, et forma cum intentione sacramentum suscipiendi ; ex qua radice provenit Baptismum, Confirmationem, et Ordinem non repeti, etsi suscipiens fuerit indispositus, et in eorum susceptione peccaverit. Et tamen non dicemus pœnitentem, qui scienter accedit ad sacramentum pœnitentiæ peccando mortaliter actualiter, illud valide suscipere. Oportet igitur, quod circa præsentem materiam aliter de hoc sacramento, ac de ceteris discurramus.

Sed hæc responsio non satisfacit. Et ut ab hac extrema ejus parte (rem hic non necessariam adjungente) statim expediamur, minime intendimus servandam in omnibus æqualitatem inter istud, et alia sacramenta ; quin libenter admittimus nullitatem sacramenti pœnitentiæ in eo, qui ad illud accedit scienter peccans mortaliter, et formale committens in sacramentum sacrilegium. Si enim Theologi communiter damnant improbabilitatis, temeritatis et etiam erroris sententiam asserentem absque ullo prorsus dolore de peccatis confessis posse effici validum pœnitentiæ sacramentum, ut vel agentes de confessione venialium jam attigimus disp. præc. n. 68, non minori nota censebunt dignum, qui assereret accedentem cum actuali complacentia peccati mortalis, sive peccando scienter mortaliter, valide absolvi, et sacramentum suscipere. Verum advertere oportet in tali casu non solum deficere dispositionem ad gratiam sacramenti, sed etiam partem aliquam essentialem illius, nempe dolorem, et confessionem formaliter integram ; siquidem pœnitens de peccato scienter tunc commisso non dolet, nec de illo se (vere saltem) accusat in confessione. Unde magis potius firmatur similitudo a nobis intenta hujus sacramenti ad alia : sicut enim cetera deficiente una eorum parte essentiali non subsistunt, sic etiam istud, ubi deficit, vel dolor, vel confessio ; quæ sunt essentiales ejus partes. Et hinc prosequimur, et urgemus propositam in argumento similitudinem, videlicet, quod sicut in aliis sacramentis contingit dari partes eorum essentiales, et non dari dispositionem ad gratiam, et tunc illa esse valida, sed informia, et sine fructu : sic etiam posse contingere, quod in hoc pœnitentiæ sacramento adsint essentiales ejus partes, dolor, confessio, et absolutio ; et tamen desit dispositio ad ejus effectum, nempe gratiam justificantem ; et consequenter, quod tale sacramentum sit validum, et informe. Id vero non vitatur abhibita responsione : nam sicut in aliis sacramentis opus est illorum essentiam, partesque essentiales distinguere ab eorum effectu, et causalitate, atque dispositione ;

Rejicitur.

sic etiam eodem modo in hoc sacramento discurrere oportet.

268. Et in hoc sensu evertitur prædicta responsio : nam tantum abest, quod Concil. Trident. loco citat. docuerit, id, quod illa assumit in patrocinium, quod fundet disparitatem ad alia sacramenta, ut potius docuerit oppositum, sicut ex proposito, et satis perspicue, ut putamus ostensum a nobis est disp. præc. a n. 9. Nam sub dolore supernaturali distinguit dolorem perfectum, qui dicitur contritio, et tam intra, quam extra sacramentum habet adjunctam justificationis gratiam : et dolorem imperfectum, qui attritio appellatur, et ex se illam connexionem non habet. Rursus Concilium istum imperfectum dolorem dividit, nempe in efficacem, qui voluntatem peccandi excludit : et de isto dicit, quod junctus sacramento disponit ad gratiam justificantem : et in alium adhuc imperfectiorem, et inefficacem, qui adhuc, vel junctus sacramento, gratiam non affert, quia voluntatem peccandi non excludit. Est tamen sufficiens pars sacramenti, ut constat conferendo caput tertium, quod inscribitur, « De partibus, et fructu hujus « sacramenti, » et in quo assignatur *contritio* pars illius, cum cap. immediate sequenti, sub titulo, *De contritione*, in quo omnes tres prædicti dolores recensentur, et significantur posse esse hujus sacramenti partes, et contineri sub illo diviso, ut ostendimus loco citato, quem omnino repetere oportet lectorem, ut rem aptius percipiat, et jam acta non agamus. Ex eis vero continuatur similitudo, et reintegratur argumentum : nam ideo contingit alia sacramenta esse valida, et informia, quia materia, et forma, ex quibus essentialiter constant, distinguuntur realiter ab eorum effectu, et a dispositione pro tali effectu requisita ; sed idem contingit in hoc sacramento : ergo idem de illo, ac de aliis, quantum ad valorem, et informitatem dicendum est. Probatur minor destruendo oppositum responsionis fundamentum : nam licet attritionis nomine significetur, et dolor, qui est pars sacramenti, et dolor, qui disponit ad gratiam justificationis ; nihilominus pro dolore, qui est pars, sufficit esse dolorem supernaturalem, licet inefficacem ; pro dolore autem, qui est dispositio ad gratiam, requiritur esse dolorem efficacem, ut loco cit. ostendimus ; sed dolor supernaturalis inefficax distinguitur realiter a dolore supernaturali efficaci, et potest ab eo separari sicut in genere loquendo, atque in ordine dolor perfectus distinguitur ab imperfecto ergo idem contingit in hoc sacramento, et in aliis quantum ad distinctionem inter partes essentiales, et dispositionem ad gratiam.

Reintegratio rationis.

Confirmatur primo : nam de ratione attritionis, quæ est pars essentialis hujus sacramenti non est esse efficacem, sed ab hoc conceptu efficacitatis præscindit : de conceptu autem attritionis, quæ disponit ad hujus sacramenti gratiam, sive effectum, est esse efficacem ; atqui attritio, quæ non est efficax est separabilis ab attritione. quæ est dispositio ad gratiam, nempe ab attritione efficaci : ergo attritio, quæ est pars essentialis hujus sacramenti, est separabilis ab attritione, quæ est dispositio ad gratiam, sive effectum sacramenti pœnitentiæ : et consequenter istud sacramentum potest, sicut et alia esse validum, et informe. Hæc secunda consequentia patet ex prima : nam ideo alia sacramenta possunt esse valida, et informia : quia earum essentiales partes, materia, et forma possunt separari a dispositione ad gratiam, et etiam ab effectu, ut adversarii in sua responsione dicebant : ergo si attritio, quæ est essentialis hujus sacramenti pars, est separabilis (de alia parte, nempe confessione id absque controversia supponitur) ab attritione, quæ disponit ad gratiam hujus sacramenti effectum ; liquido infertur, istud sacramentum, sicut, et alia posse esse validum, et informe. Prima vero consequentia legitime infertur ex præmissis, ex quibus minor est evidens, et frequenter de facto verificatur : nam multoties datur attritio mere inefficax, quam manifestum est non esse efficacem, sed ab ista separari : sicut idem etiam contingit in amore, intentione, proposito, et aliis effectibus. Major, denique, quantum ad secundam partem, asseritur ab adversariis, qui inde conantur probare, non posse dari validum pœnitentiæ sacramentum, sine effectu. Prior autem majoris pars, in qua est difficultas, probatur ex Concilio Trident. nam sess. 14, cap. 3, quod est de partibus hujus sacramenti, inquit : « Sunt autem quasi materia

« materia hujus sacramenti, ipsius pœni-
« tentis actus, nempe, contritio, confessio,
« et satisfactio. Qui quatenus in pœnitente
« ad integritatem sacramenti, ad plenam-
« que, et perfectam peccatorum remissio-
« nem ex Dei institutione requiruntur, hac
« ratione pœnitentiæ partes dicuntur. »
dque diffinit cap. 4 ejusdem sess. Deinde
ap. immediate sequenti, quod est *de con-*
ritione, reassumens illam, quam dixerat
sse sacramenti partem, sic illam definit :
Contritio, quæ primum locum inter dic-
tos pœnitentis actus habet, animi dolor,
ac detestatio est de peccato commisso
cum proposito non peccandi de cetero. »
)uæ definitio communis est attritioni tam
fficaci, quam inefficaci, et utramque com-
lectitur tanquam membra dividentia abs-
ue ullius exclusione : nec ullum habet
erbum, per quod restringatur ad solam
fficacem attritionem, ut facile conside-
anti constabit : ergo ex doctrina, et sen-
entia Concilii de ratione attritionis, quæ
st pars essentialis hujus sacramenti, non
st esse efficacem, sed ab hoc conceptu
fficacitatis præscindit. Et plane si Conci-
um intendens definire, atque exponere
olorem, quem dixerat, esse partem sacra-
enti pœnitentiæ, omitteret huic parti
ssentialia (cujusmodi dicunt contrarii
sse efficacitatem) satis diminute processis-
t, et non vitaret occasionem errandi in
ac materia : nullam ergo mentionem
cit efficacitatis, sed solum exigit dolorem
e peccatis, et propositum emendationis,
uæ sunt communia dolori, proposito tam
ficaci, quam inefficaci : ne ergo dicamus,
oncilium diminute processisse, et occasio-
em errandi non vitasse, fateri oportet
on esse de conceptu attritionis, ut partis
ssentialis hujus sacramenti, quod sit
ficax ; sed ab hoc præscindere, illumque
rtis conceptum salvari in attritione tam
fficaci, quam inefficaci.

269. Confirmatur secundo, et explicatur
nplius : quia licet non negemus, quod in
odem attritionis actu possit conjungi, et
itio partis essentialis hujus sacramenti, et
itio dispositionis ad gratiam, effectum
ius ; et ita communiter contingit, ubi
acramentum est validum, et fructuosum
uamvis non repugnet ea munera exer-
ri per actus realiter diversos, ut diximus
isp. præced. n. 29) nihilominus tales con-
ceptus partis, et dispositionis sunt satis diversi, et tam objective, quam exercite separabiles ; ergo ex eo, quod idem attritionis actus sit pars essentialis hujus sacramenti, et dispositio ad gratiam, ejus effectum ; perperam colligunt Adversarii esse illa munera inseparabilia, ac subinde non posse sacramentum pœnitentiæ esse validum, quin sit simul fructuosum, et formatum. Consequentia patet : nam eo ipso, quod tales conceptus in eodem actu attritionis inventi sint hujusmodi, nulla est ratio, quare unus, nempe, conceptus partis, qui est prior, absolutior, et ab alio independens, non possit sine illo reperiri ; sed magis colligendum est oppositum, videlicet, attritionem posse exercere munus partis, quin exerceat munus dispositionis : sic enim se habent, quæ similes conceptus important ; sic enim in Beatis idem est amor charitatis, quo diligunt necessario Deum in se, et diligunt libere creaturas in se : quo non obstante, quia sunt conceptus satis diversi, et prior intimior, atque absolutior, potest talis actus persistere terminatus ad Deum, quin extendatur exercite ad creaturas. Eadem etiam gratia habitualis est forma, quæ sanctificat accidentaliter, et constituit hominem filium Dei adoptivum ; sed tamen, quia illud prius est intimius in gratia, potest illud præstare, quin præstet secundum, ut patet in gratia habituali Christi Domini, quæ ipsius animam sanctificat sanctitate accidentali, et tamen non constituit illum filium adoptivum. Et similia pro eadem veritate exempla facile occurrunt tam in Theologia,quam in Philosophia. Antecedens autem est manifestum ; quoniam munera partis sacramenti, et dispositionis ad fructum sacramenti ita in eodem attritionis actu reperiuntur quod conceptus partis sit in ordine ad sacramentum, quod constituit ; conceptus vero dispositionis est in ordine ad gratiam, quam efficit. Conceptus partis est conceptus materiæ respective ad absolutionem tanquam ad formam, cui tam dolor, quam confessio subduntur ; conceptus vero dispositionis pertinet quidem ad genus causæ materialis, non tamen constitutive, aut receptive, sed tantum dispositive. Conceptus partis sacramenti est conceptus causæ simul cum toto sacramento influentis efficienter instrumentaliter in gratiam ;

conceptus autem dispositionis non pertinet ad genus causæ efficientis, sed præcise ad genus causæ materialis dispositivæ, ut jam diximus. Denique conceptus partis essentialis est prior simpliciter, quam conceptus dispositionis ad gratiam : sicut ex parte sacramenti, et partium essentialium est prius esse, quam gratiam efficere, et si illam non efficerent, attritio non disponeret actu ad ejus infusionem : est igitur verum, quod licet idem attritionis actus sit, et pars sacramenti, et dispositio ad gratiam sacramenti ; tamen hi conceptus sunt simpliciter, et objective diversi, et exercite separabiles, quatenus prior valet absque posteriori inveniri.

Idque magis perspicuum fiet, si attendamus ordinem, quo hoc sacramentum constituitur ex partibus, et elevatur a Deo ad rationem instrumenti, et deinde habet influere in gratiam. Primo namque occurrunt ex parte pœnitentis attritio, et confessio peccatorum tamquam materia, ex qua constat accusatio sacramentalis ; deinde accedit ex parte sacerdotis absolutio tamquam forma, ex qua, et illa materia integrum sacramentum constituitur ; quod rursus elevat Deus, ut suum effectum, nempe, gratiam justificationis valeat instrumentaliter producere. Ulterius succedit actualis efficientia prædictæ gratiæ, ad quam connaturaliter suscipiendam disponitur homo per attritionem cum sacramento : hæc enim, quamvis de se insufficiens, habet ex institutione divina esse dispositionem ultimam ad gratiam, quando huic conjungitur sacramento. Ex quibus recte perpensis facile constat, attritionem, quæ est sacramenti pars, esse simpliciter priorem attritione, quæ est dispositio ad gratiam. Tum, quia sicut sacramentum adæquate constitutum præcedit simpliciter gratiam, et ultimam ad illam dispositionem ; sic etiam præcedunt partes, ex quibus essentialiter constituitur, de quarum numero est attritio. Tum etiam, quia attritio solet non solum natura, sed etiam tempore præcedere ipsum sacramentum ; istud namque non constituitur ante absolutionem : quæ est ejus forma, quæ semper supponit accusationem sacramentalem, sive confessionem peccatorum, ex attritione ortam, juxta superius dicta disp. præced. dub. 4, atque ideo qua ratione sacramentum est simpliciter prius, quam gratia ejus effectus, et quam ultima ad hujusmodi gratiam dispositio ita etiam de attritione essentiali hujus sacramenti parte dicendum est. Tum denique, quia constituto adæquate sacramento pœnitentiæ ex sua materia, et forma, nempe, accusatione dolorosa, et absolutione, posset Deus vel illud non elevare ad rationem instrumenti, vel eo elevato suspendere concursum proprium principalem, et subinde impedire influxum instrumentalem sacramenti ad producendam gratiam ; in quo casu daretur in actu verum sacramentum pœnitentiæ, et subinde daretur etiam hæc attritio exercens in actu rationem partis sacramenti pœnitentiæ ; et tamen non daretur attritio exercens in actu rationem dispositionis ad gratiam, siquidem ista actu non produceretur, et ubi forma non producitur, non fit dispositio exercita ad illam ; est itaque in tali casu attritio pars actu componens, sed non est dispositio actu disponens (ut sic uno verbo dicamus). Ergo, quamvis in uno attritionis actu reperiatur, et conceptus partis sacramenti, et conceptus dispositionis ad gratiam ; hi tamen conceptus sunt objective diversi, et realiter separabiles, et prior potest dari sine secundo.

270. Solet etiam nostra, et communis sententia suaderi alio fundamento desumpto ex loco citat. D. Thomæ in argumento *Sed contra*, ubi hæc habet : « Quili-
« bet tenetur ad confessionem mortalium :
« sed si aliquis semel confessus est, etiam
« in mortali existens, non tenetur ulterius
« ad confitendum eadem peccata : quia
« cum nullus sciat se charitatem habere,
« nullus sciret se confessum fuisse : ergo
« non est de necessitate confessionis, quod
« sit charitate formata. » Quamvis autem, quæ afferuntur in argumento *Sed contra*, non semper contineant mentem Doct. Angelici ; tamen hic videmus, Thomistas satis communiter illud tueri ad mentem ipsius D. Thomæ, suffragantibus etiam extra illius scholam aliis antiquis, et satis gravibus scholasticis. Et illud profecto continet congruentiam summe vero similem, potestque ad sequentem formam reduci. Oportuit istud sacramentum ita a Christo Domino institui, quod illud suscipientes possent de ejus valore, et adimpletione Divini illud suscipiendi præcepti esse

securi

ecuri, excludendo oppositas circa id dubie-
ates, et anxietates, sicut in suscipiendo
aptismum, Ordinem, et alia sacramenta
ontingit : id vero non ita salvaretur, si
acramentum pœnitentiæ non esset vali-
um, nisi quando foret fructuosum, sive
ormatum per gratiam justificationis in
o productam : ergo præsumendum est,
hristum non instituisse illud cum præ-
icta restrictione, sed cum majore ampli-
udine, ita quod ejus valor a prædicta gra-
a non dependeat, et possit esse validum,
amvis informe sit, et absque ullo fructu,
ve effectu, ut in aliis sacramentis evenit.
onsequentia patet, et major suadetur :
am cum sacramentum pœnitentiæ, ex
na parte sit valde necessarium ad salu-
m, et ex alia censeatur multum arduum
o difficultatem, quam communiter pati-
ur in manifestando peccata ; decuit illud
a Christo institui, ut possimus esse se-
ri de illius valore, et adimpletione Divini
ud suscipiendi præcepti : alias, eo sus-
pto, in novas induceremus anxietates, et
otiva iterum confitendi eadem peccata,
sic de cetero in infinitum in repetendo
rundem peccatorum confessionem : quod
t nimis durum, et præsumi non potest
pietate Dei illud instituentis. Minor de-
que ostenditur : nam ex suppositione,
od sacramentum pœnitentiæ nunquam
validum, quin sit formatum per gra-
m justificationis in eo productam, non
ssumus habere majorem securitatem de
is valore, quam de gratia sanctificante
r illud communicata ; quippe hæc juxta
positam opinionem dicuntur ad conver-
tiam, ita quod valor sacramenti confe-
gratiam, et negatio gratiæ evincit nega-
nem valoris ; sed juxta communem
videntiam non omnes, qui confitentur,
nt securi, et quieti circa existentiam gra-
e, quam habeant ; imo potius omnes in
parte dubitamus, et timemus, ut ex
fesso diximus in tract. 14, de gratia
p. 9, dub. unico, et liquet ex scriptura :
m Eccles. 9, dicitur : *Sunt justi, ac sa-
ntes, et opera eorum in manu Dei ; et
men nescit homo, utrum amore, an odio di-
us sit.* Job. 9 : *Si simplex fuero, hoc
ipsum ignoravit anima mea.* Ps. 18 : *Delicta
is intelligit ? Ab occultis meis munda me.*
aliis locis, quæ dedimus n. 9, loc. cit.
go ex suppositione, quod sacramentum
pœnitentiæ non sit validum, quin simul
sit fructuosum, sive adjunctam habens jus-
tificationis gratiam, nequeunt pœnitentes
esse securi de valore talis sacramenti a se
suscepti, et adimpletione circa id Divini
præcepti ; sed continuas potius dubietates,
et anxietates in hoc negotio sustinerent,
quibus impulsi continuas eorundem pecca-
torum repeterent confessiones.

271. Occurrunt Adversarii negando mi- Adversa-
norem. Ad cujus probationem dicunt, quod riorum
licet non simus omnino certi de valore sa- occur-
cramenti pœnitentiæ, sicut nec de gratia sus.
justificante ; nihilominus pœnitentes non
inducuntur in eas anxietates, quas ponde-
ravimus, ut repetant confessiones. Ut enim
ad id non obligentur, sufficit censere proba-
biliter se adhibuisse omnia ad confessio-
nem, et absolutionem necessaria : nam eo
ipso non obligantur illa peccata iterum
confiteri. Et quamvis illa confessio fuerit
nulla coram Deo ob latentem carentiam
tam fructus, quam valoris ; obligatio tamen
cessat ob prudens de existentia utriusque
dictamen. Unde satis erit subsequentia
peccata in alia confessione explicare, in
qua tam horum, quam omnium præceden-
tium fiet remissio. Si autem pœnitens
postea certo cognoscat priorem confessio-
nem fuisse nullam, nihil asperum, aut in-
solitum continet, quod dicatur obligari ad
confitendum iterum illa peccata. Ita Vas- Vasquez
quez nostræ conclusioni contrarius, Suarez, Suarez,
et Lugo, licet ejusdem Patroni. Lugo.

Minime tamen satisfaciunt, sed præci- Occur-
puum objectæ difficultatis intactum relin- sus reji-
quunt : nam si semel valor hujus sacra- citur.
menti connectitur cum ejus fructu, et e
converso, ita ut dicantur ad convertentiam,
ut fert opinio contraria, impossibile est,
quod pœnitentes majorem securitatem
habeant, quod fecerint validam confessio-
nem, quam quod sic facientes existant in
gratia ; sed certum omnino est, pœnitentes
majorem securitatem habere de valore
sacramenti, et adimpletione Divini circa id
præcepti, quam de susceptione gratiæ :
ergo inter hanc, et valorem sacramenti
non datur illa connexio, quam adstruit
sententia contraria ; sed plura requiruntur
pro gratia, quam pro solo sacramenti valo-
re. Major, et consequentia patent. Minor
etiam ostenditur : quia communiter omnes
fideles, qui communiter, et juxta commu-

nes prudentum regulas confitentur, sunt moraliter certi de valore sacramenti, et adimpletione circa hoc Divini præcepti ; unde nec anxietatibus communiter premuntur, nec repetunt communiter confessiones, nec ad id obligantur, saltem probabilitate, quam habent, ut illi Authores in sua responsione loquuntur. At aliter circa gratiam contingit : quippe communiter fideles eam securitatem circa illam non habent, sed dubitationibus, et timore circa ejus existentiam quatiuntur, ut experientia liquet : ergo certum omnino est, pœnitentes majorem securitatem habere de valore sacramenti, et adimpletione circa id Divini præcepti quam de susceptione gratiæ. Et ratio a priori hujus inæqualitatis constat ex dictis loco citato de gratia, præsertim a n. 10. Nam licet nemo possit absque speciali Dei revelatione scire omnino certo certitudine methaphysica, vel morali in primo gradu se esse in gratia, potest tamen id agnoscere certitudine morali in gradu infimo, ad eum modum, quo cognoscimus esse baptizatos, vel nostrum confessarium esse sacerdotem, et alia, de quibus non dubitamus, licet dubitare possimus, et aliquando timeamus. Hæc autem certitudo non communis est justis, sed est paucorum, scilicet, perfectorum, qui summo studio Deo hærent, ut ibi ostendimus, et optime significavit D. Thom. 1,2, qu. 112, art. 5, dicens : « Hoc modo potest aliquis co- « gnoscere se habere gratiam, in quantum, « scilicet, percipit se delectari in Deo, et « contemnere res mundanas.» Et in resp. ad 5 : « Illud verbum Abrahæ dictum potest « referri ad notitiam experimentalem, quæ « est per exhibitionem operis : in opere « enim illo (plane heroico offerendi filium « Deo in sacrificium) quod fecerat Abra- « ham, cognoscere potuit experimentaliter « se Dei timorem habere. » Quæ manifestum est non in omnibus justis, sed in aliquibus valde perfectis adesse. Ceterum certitudo moralis de valore sacramenti reperitur valde communiter in pœnitentibus : plurimi namque non dubitant de legitima confessione a se facta, nempe, post diligens examen, et inculcatum attritionis dolorem, nec ulterius dubitant de legitima absolutione ministri ; et sic communiter in cunctis, qui scienter non accedunt prave dispositi. Quæ satis evincunt, pœnitentes

D Tho.

majorem securitatem habere de valore sacramenti pœnitentiæ, quam de gratia in eo suscepta : quod impossibile foret, si hujus sacramenti valor necessario cum ejus fructu connecteretur.

Confirmatur : nam si sacramentum Baptismi pro adultis ita institutum fuisset, quod ejus valor esset necessario connexus cum ejus fructu, sive remissione peccatorum, omnis adultus, qui certo cognosceret se esse valide baptizatum, cognosceret etiam certo se esse in gratia Dei ; et e converso, qui de hac gratia dubitaret, in dubietatem etiam, et anxietatem duceretur circa sacramenti valorem, illudque iterum recipere cuperet. Non decuit autem sacramentum Baptismi sic institui : quia ex una parte est valde necessarium ad salutem, et ex alia adulti baptizati subderentur illis perplexitatibus, et scrupulis, quibus ut satisfacerent, repeterent non absque illorum gravi onere, et molestia idem Baptismi sacramentum semel, et iterum, et sine termino : nam semper possent occurrere eadem circa illius sacramenti fructum. Sed etiam sacramentum pœnitentiæ est prorsus necessarium ad remissionem mortalium post Baptismum commissorum ; et aliunde molestissimum pœnitentibus reputatur repetere eorundem peccatorum confessiones, ad quas tamen adigerentur, si confessionis valor haberet necessariam connexionem cum gratia : quippe eisdem motivis, ob quæ dubitarent de gratia, dubitarent etiam de sacramenti valore : ergo præsumendum non est, Christum ita hoc sacramentum instituisse, quod necessaria pro sacramenti fructu, essent etiam necessaria pro ejus valore ; sed potius, quod sicut in sacramento Baptismi alia sufficiunt ad valorem ejus, et alia requiruntur ad illius fructum, sic exigente tam sacramenti natura, quam hominum fragilitate, ne dubitantes de fructu, dubitarent etiam de valore, et novum Baptismum suscipere cogerentur : ita etiam in hoc pœnitentiæ sacramento disposuerit sufficientiam ad ejus valorem, et ulteriora requisita ad ejus fructum, ut magis assecurari possent de valore, quam de fructu, et ne dubitantes circa fructum, idem dubium conciperent de valore, et obligarentur ad repetitam eorundum peccatorum confessionem, et sacramentum, humanæ fragilitati de se molestum

molestum, magis fastidirent : quod esse inconveniens, nemo prudens negare valet, sicut certe foret in sacramento Baptismi.

Ad hæc : si attritio, quatenus cum sacramento disponit ad gratiam, et illam infallibiliter infert, est etiam essentialis hujus sacramenti pars ; idem prorsus erit hoc sacramentum valide recipere, et hominem illud suscipientem esse in gratia per illud producta : ergo tantum dubitare poterit, an fuerit validum sacramentum, quantum dubitare potest, an ipse sit in gratia : ergo cum communiter omnes fideles circa hoc posterius dubitent, et securi non sint, quod prædictam gratiam habeant, idem dubium patiuntur circa sacramenti valorem, seu validam confessionem, quam perplexitatem, et incertitudinem deponere non valebunt, nisi iterando confessiones : ubi namque dubitatur de confessionis valore, opus est illam repetere : peccata enim in priori exposita reputantur pro dubiis, sive invalide confessis. Id vero asserere est onus gravissimum imponere multitudini fidelium. Quare sicut ad vitandum simile in aliis sacramentis inconveniens, ordinavit suavis Dei providentia alia requisita pro valore, et alia pro fructu, ut sic sacramenta possent esse valida, licet informia, et absque fructu gratiæ ; sic etiam, et multo magis decuit, illam ita disponere in hoc sacramento : ergo præsumi non debet, oppositum ordinasse, nempe, eandem indivisibilem attritionem esse partem essentialem sacramenti, et ultimam cum sacramento dispositionem ad gratiam : ex eo namque sequuntur proposita incommoda, ut ostensum est. Aliunde vero non occurrunt urgentia aliqua motiva ad id credendum, ut ex responsione ad argumenta constabit.

§ II.

Referuntur, et refelluntur diversi modi dicendi.

Possibilitate sacramenti pœnitentiæ informis, et validi stabilita, et firmata, argumentorumque viribus in eam militantium superatis ; restat nunc explicare, quibus in casibus validitas, et informitas hujus sacramenti accidere queat. Facilius autem plane est avertere falsa, quam scopum veritatis attingere, et explicare ; eamque pro viribus tueri, ac nervose firmare, negotium magis arduum solet afferre. Cum vero in nostram sectando assertionem plurimi conspiraverint, non omnes in modo illam propugnandi conveniunt ; sed pro varietate ingeniorum, aut etiam principiorum, quibus imbuuntur, varias sententias excogitarunt, quas introspicere oportet, ut quæ veritati, et rationi magis consonant, amplectamur, et secundæ hujus dubii parti respondere possimus.

Primus dicendi modus. Delgad.

272. Primum igitur dicendi modum proponit Delgadillo cap. 10, dub. 8, n. 44, his verbis : Statuo, non esse improbabilem sententiam, quæ affirmat, dari sacramentum pœnitentiæ informe, etiamsi quis scienter accederet sine dolore, dummodo integre confiteatur. Quod probat, quia ita sentiunt aliqui Auctores graves ab eo relati ; et apparet in satisfactione, quæ etiam si in re non ponatur, est validum sacramentun. Confirmatque exemplo Baptismi (et idem est de Confirmatione, Ordine, et aliis sacramentis) nam si quis vult expresse baptizari, quamvis alias cognoscat evidenter, se accedere indispositum ad gratiam, quæ est effectus Baptismi, tenet simpliciter istud sacramentum, et est informe, ut omnes concedunt : ergo idem contingit in sacramento pœnitentiæ. Quæ paritas (concludit ille) me omnino convincit.

Primus opinandi modus rejicitur.

Sed hic dicendi modus, quidquid alii dixerint ante Concilium Tridentinum, minime post illud sustineri valet : nam prædictum Concilium docuit, et definivit sess. 14, cap. 4 et can. 4, dolorem, et confessionem esse partes pertinentes ad materiam hujus sacramenti, ex quibus illud essentialiter constituitur. Ex qua doctrina, et definitione convincitur, quod sicut sacramentum est nullum sine confessione, ita etiam est nullum absque omni dolore ; atque ideo ubi pœnitens accedit scienter absque omni dolore, nullum redditur sacramentum. Alia ratio est de satisfactione, quam ille Doctor in sui favorem adduxit : nam licet illa sit etiam pars hujus sacramenti, ut Concilium eisdem locis statuit, tamen non est pars essentialis, sed solum integralis, sacramentum essentialiter constitutum supponens, et ad integram ejus perfectionem spectans ; unde quamvis non

succedat, impedimentum non est, ne sit validum sacramentum. Quod autem ait de Baptismo, nil valet, quia in illo salvatur adæquate materia remota, et proxima, nempe, aqua, et ablutio, licet in adulto nulla detur attritio, et ideo tenet sacramentum independenter ab illa ; quæ tamen necessaria est ad consequendam justificationis gratiam, quippe ista nulli adultorum infunditur, quin ipse cooperetur, se libere disponendo ad eam recipiendam. Et propterea, si ea dispositio deficiat, sacramentum Baptismi non producit suum effectum, nempe illam gratiam, sed informe relinquitur. Ceterum in sacramento pœnitentiæ, quod ex parte materiæ proximæ constat actibus humanis, necessaria est aliqua attritio, sive dolor, ut constat ex Conc. Trid. Quare si omnis attritio, et dolor desit, impeditur non tantum fructus, sed etiam valor hujus sacramenti. Nec in prædicti modi dicendi impugnatione opus est immorari : quia id satis, superque præstitimus disp. præc. n. 2, et 103 et 130 et alibi.

Secundus dicendi modus.

273. Secundus hanc difficultatem superandi modus, a præcedenti non omnino recedens, consistit in eo, quod confitens sua peccata, ignoret invincibiliter requiri eorum dolorem, et illam non exhibeat ; vel si sciat esse necessarium, bona fide judicet, se illum habere, cum re vera nullum dolorem habeat. Nam in hoc casu præter Authores a Delgadillo relatos idem sentit Filliucius cap. 6, qu. 5, censens sufficere illum dolorem putativum, sive existimatum ex ignorantia invincibili ad sacramenti valorem ; et tamen pro ejus fructu requiritur verus dolor, ut omnes docent. Hac itaque via contingens est, sacramentum pœnitentiæ esse validum, et informe.

Evertitur.

Sed hic etiam dicendi modus communiter improbatur, et merito : tum, quia ad valorem sacramentorum opus est adhibere in re veram eorum materiam, in qua Deus illa instituit : nec id suppleri valet per nostram imaginationem, aut bonam fidem, Unde si quis putaret bona fide, et habens ignorantiam invincibilem, se baptizare in aqua naturali, vel hanc necessariam non esse ad Baptismum, sed sufficere alium liquorem ; si tamen aqua naturalis non esset, nullum efficeret sacramentum, quia sola aqua naturalis est Baptismi materia ergo quod quis invincibiliter judicet, ve non, requiri dolorem ad sacramentun pœnitentiæ, vel adesse dolorem, ubi nullus est, minime sufficit ad valorem hujus sacramenti. Tum etiam : nam ad valorem hujus sacramenti non sufficit confessio omnium peccatorum mere historica, et recitativa, sed requiritur confessio dolorosa, sive per modum accusationis ; a qua radice provenit, confessionem sacramentalem supponere essentialiter dolorem de peccatis, ut ostendimus disput. præced. dub. 4 ; ergo ubi nullus est peccatorum dolor, vel est pure putativus, sive existimatus, impossibile est confici validum sacramentum pœnitentiæ. Tum denique : quia casus, in hoc modo dicendi propositus, affert moralem contradictionem, atque impossibilitatem : nam ubi quis accedit sine fictione, et sincero animo confitendi peccata, et consequendi eorum remissionem, nequit non habere aliquod eorum odium, et detestationem ; alias illa non diceret, nec cuperet illa exuere : ibi ergo intervenit aliquis dolor, abstrahendo ab eo, quod sit sufficiens, vel non.

274. Tertium dicendi modum docent nonnulli, qui ex una parte affirmant, ad dolorem in esse partis essentialis, et sufficientis pro valore sacramenti sufficere, quod attritionis sit, ut plane fateri opus est post Conc. Trid. et ex alia defendunt, pro dolore, qui est dispositio ad sacramenti fructum, gratiam, videlicet, justificationis, requiri contritionem, sive dolorem perfectum, et procedentem ex amore charitatis, sine quo sentiunt, nunquam contingere adultorum justificationem. Ita multi, cum quibus late disputavimus disp. præced. dub. 1. Et profecto illorum sententia si quantum ad id, quod hic dicendi modus supponit, vera esset ; clarissima, et antiquissima etiam foret in superando, quam nunc versamus, difficultatem. Facile namque percipimus, attritionem posse a contritione perfecta separari, et quod posita attritione sacramentum valeret, sed deficiente contritione perfecta, maneret infructuosum, et informe.

Sed ista sententia est admodum falsa, et non cohærens Concilii Tridentini doctrinæ, ut loco citato ex professo ostendimus, et præsertim num. 63. Nunc satis est una, vel

vel altera impugnatione illius falsitatem manifestare. Gravior desumitur ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 4, illis verbis : « Illam vero contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex « turpitudinis peccati consideratione, vel « ex gehennæ, et pœnarum metu commuuiter concipitur, si voluntatem peccandi « excludat cum spe veniæ, declarat, non « solum non facere hominem hypocritam, « et magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, « sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus, viam sibi ad justitiam parat. Et « quamvis sine sacramento pœnitentiæ « per se ad justificationem peccatorem « perducere nequeat ; tamen eum ad Dei « gratiam, in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit. » Ubi Concilium manifeste attribuit attritioni cum sacramento illam vim disponendi ad gratiam, quam per se, et sine sacramento non habet ; quæ virtus est quidem ultimo sufficiens, independens ab ultimiori alia præparatione : quippe disponere utcumque, et remote ad talem gratiam, convenit attritioni supernaturali per se, etiam sine sacramento, ut nemo negat, et constat in aliis actibus supernaturalibus, licet imperfectis ; ergo ex sententia Concilii attritio supernaturalis cum sacramento pœnitentiæ est sufficiens dispositio ad gratiam justificationis in eo productam, quin opus habeamus perfecta contritione ad talem effectum sacramenti suscipiendum. Altera, et satis gravis impugnatio desumitur ab ipsa experientia : nam cum plurimi in sacramento pœnitentiæ justificentur, non omnes experiuntur illum motum contritionis perfectæ, sive ortæ ex amore charitatis : quin potius aliqui, vel tempore absolutionis aliis cogitationibus distrahuntur, vel continuant, aut repetunt eosdem attritionis actus, quibus accesserunt ad confitendum ; et nemo scrupulum habet, quod non eliciat actum contritionis perfectæ, quo plane pungi deberent, si per ejus carentiam obicem ponerent sacramenti fructui. Quæ impugnatio magis urget in casu, quo pœnitens post attritionem, et peractam confessionem, antequam absolvatur, corruit ad pedes confessarii sensibus destitutus ; absque dubio enim absolvendus est, juxta superius dicta dub. 7, § 3, licet sensibus carens non eliciat contritionem, nec elicere queat. Et de tali moribundi justificatione, ex suppositione prædictorum requisitorum, nemo dubitat, nec dubitare posset sine moribundi injuria, quæ non nihil redundaret in Dei pietatem : ergo pro fructu hujus sacramenti non requiritur determinate contritio perfecta, sed sufficit vera, et supernaturalis attritio.

275. Quartus hanc difficultatem expli- Quart modus dicendi.
candi modus est, quod ad valorem hujus sacramenti sufficit attritio, ad fructum vero ejus requiritur actus spei veniæ peccatorum, et subinde etiam actus fidei justificantis : quippe absque his actibus nunquam justificatio contingit. Potest autem dari attritio sine hujusmodi actibus, atque ideo, et sacramenti valor : nam hi actus nec pertinent ad essentiam attritionis, nec sunt partes essentiales sacramenti pœnitentiæ. Aliunde vero potest quis sine illis ad confitendum accedere, quin in hoc mortaliter peccet, si accedat cum ignorantia invincibili de eorum circa fructum sacramenti necessitate. In casu igitur, quod pœnitens confiteatur sua peccata cum supernaturali dolore attritionis, et sine illis fidei, et spei actibus, recipit validum sacramentum, sed non fructuosum ; et consequenter tunc tale sacramentum est validum, et informe. Sic docuit Gaspar Hurtado disp. 6, difficul. 8, et eidem opinioni multum favet Joannes a S. Thoma loco supra citato, § *Quapropter alia via.*

Sed hæc sententia est simpliciter falsa, Refellitur ut falsus.
et in æquivoco laborat : nam in primis, quamvis in omni adultorum justificatione concurrant illi actus ; nihilominus opus non est ad gratiam obtinendam, quod adsint explicite, et formaliter in se ipsis ; sed sufficit, si vel concurrant virtualiter, et quatenus in alio actu, sicut in effectu, virtualiter perseverant ; et hoc modo adsunt, quoties datur supernaturalis attritio (de qua oportet loqui hanc opinionem : si namque agat de attritione mere naturali, alio modo refellenda est, ut numero sequenti constabit), quippe supernaturalis attritio dirigitur lumine fidei, et ex ejusdem directione importat aliquem motum spei, et aliquod propositum emendationis. Si enim hæc omnia excludamus, non relinquitur actus

veræ attritionis supernaturalis, qui sit pars sacramenti, et sufficiat pro ejus valore. Si vero illa in prædicta attritione includantur, ut includi necesse est, jam in attritione, sufficiente ad valorem sacramenti, concurrunt etiam, quæ pro sacramenti fructu desiderantur; atque ideo illo discurrendi modo minime salvatur, sacram. pœnit. esse validum, et informe. Præterea, falsum omnino ille discursus assumit, nempe, in omni adultorum justificatione concurrere formaliter actum spei (et idem intellige de actibus timoris, pœnitentiæ, et aliis, quos Concilium, agens de justificatione impii, recenset sess. 6, cap. 6,) oppositum enim statuimus tract. 15, de justificatione, disp. 3, dub. 1, § 4 ubi explicuimus, quomodo licet secundum communen Dei providentiam soleant concurrere plures actus formaliter, et expresse, v. g. spei, timoris, pœnitentiæ, etc. nihilominus servata etiam communi illa providentia non requiritur ille formalis, et expressus concursus, sed sufficit virtualis, et implicitus, ut cum quis justificatur immediate per actum amoris Dei ex charitate; ut posse contingere, irrationabiliter negaretur, et expresse affirmant Vega, Arauxo, Gregorius Martinez, Gonet, et alii communiter Theologi relati ibidem n. 19, quibus nunc ex Theologis practicis addimus Azorium tom. 1, lib. 8, cap. 7, q. 6, Sanchez lib. 2 summæ cap. 1, Filliucium tract. 24, cap. 9, num. 255, Bonacinam disp. 3, super primum præceptum Decalogi, punct. 2, Trullenchum lib. 1, in Decalog. cap. 1, dub. 6, et Leandrum disp. 1, de pœnitentia, quæst. 48. Excluso autem, quod pro justificatione pœnitentis sit necessarium, illum tunc habere formaliter, et explicite actum fidei, spei, etc. palam sequitur, quod propter horum actuum in eo instanti carentiam, non impediatur sacramenti effectus, nempe, gratia justificans, nec relinquatur sacramentum informe. Nemo autem scrupulum ponat in verbis Concilii Tridentini numero præcedenti relatis, in quibus agens de attritione, quæ disponit ad gratiam, et in hoc genere illam cum sacramento indicabat, conditionem adjecit: « Si voluntatem peccandi excludat cum « spe veniæ. » Per quæ significasse videtur, possibilem esse aliam attritionem, cui prædicta deficiant, et proinde quæ non sufficiat ad fructum sacramenti, sed illud informe relinquere possit. In hoc enim scrupulo hærendum non est: nam licet nulla sit possibilis supernaturalis attritio, quæ saltem virtualiter, et implicite aliqualem spem veniæ, et aliquam exclusionem voluntatis peccandi non includat, idque necessario conveniat omni attritioni supernaturali sub munere tam partis sacramenti, quam dispositionis ad gratiam: tamen congruentissime illa conditio adhibita fuit a Concilio, ut significaret, magis elucere debere in attritione, ut sit dispositio ad gratiam, quam in eadem, ut sit pars sacramenti; attritionem vero, quæ solum est sacramenti pars, vix, aut leviter illos conceptus exprimere, ut magis constabit ex dicendis § sequenti.

Vega, Arauxo, Mart. Gonet, Azor, Filliuc. Bonacin Trullen. Leand.

276. Quinto, ut aliqui componant hanc difficultatem stabiliendi sacramentum pœnitentiæ validum, et informe, dicunt pro valore sacramenti sufficere attritionem naturalem, ad fructum autem requiri attritionem supernaturalem: et quia attritio naturalis potest separari a supernaturali, ut ex se liquet, facile concipiunt, et explicant quomodo istud sacramentum possit esse validum, et informe. Porro cum in attritione naturali possit esse latitudo, varie explicatur, quæ attritio naturalis possit esse sufficiens pars sacramenti validi. Nam aliqui tam ample id asseruerunt, ut dixerint, sufficere attritionem naturalem, non solum entitative, et subjective, sed etiam terminative, sive ex parte motivi, ut cum dolet de peccato ob incommoda, quæ ex illo sustinet, velut paupertatem, infirmitatem, aut infamiam.

Sed hic dicendi modus facile convincitur falsitatis, et communiter rejicitur: quoniam dolor pro valore hujus sacramenti requisitus debet constituere confessionem in esse accusationis sacramentalis in ordine ad claves Ecclesiæ; quod minime habet dolor pure naturalis tam subjective, quam terminative, sive qui excitatur præcise ab incommodis humanis: quippe non afferens materiam propriam, in quam cadat sacramentalis absolutio, quæ per se ordinatur ad destruendum peccata, ut sunt Dei offensa. Quapropter hujus dicendi modi Patroni addiderunt, ita sufficere pro sacramenti valore attritionem naturalem, si tamen attingat terminum, et motivum supernaturalem

ralem, ut cum quis ex metu naturali gehennæ movetur ad dolendum de peccatis, et proponendum illorum emendationem. Quin aliqui illorum magis cautiores subjunxerunt aliam cautelam, nempe, quod ut attritio pure naturalis sit vera pars hujus sacramenti, debet existimari supernaturalis, ut sæpe contingit in pœnitentibus, qui in hoc frequenter invincibiliter fallantur, putantes, se dolorem supernaturalem afferre, cum revera solum naturalis sit. Qui enim scienter cum sola naturali attritione istud sacramentum reciperet, eo ipso poneret obicem ejus fructui, nempe, gratiæ, ob carentiam dispositionis ad illam, et sic actu graviter peccaret : unde convinceretur, nullam recipere absolutionem, et invalidum reddi sacramentum. Hæc in summa est non paucorum sententia, cui subscripsit Bonacina quæst. 3, punct. 2, et quæst. 5, punct. 3, pro eadem referens D. Thomam, Ricardum, Durandum, Capreolum, Paludanum, Sotum, Cajetanum, Sylvestrum, Canum, Ledesmam, Covarruvias, et Navarrum. Sed in referendo D. Thomam, quidquid sit de aliis, vehementer deceptus fuit : nullus enim occurrit locus, neque ab illo producitur, in quo Angelicus Doctor talem sententiam asseruerit : illi tamen etiam subscripsit Aversa quæst. 14, sess. 6, in sexto casu, pro ea allegans Henriquez, et Victoriam. Subscripsit denique Filliucius tract. 7, cap. 7, quæst. 8, affirmans esse fere omnium antiquorum. Et commune apud illos fundamentum videtur fuisse, quod generaliter loquendo non requiritur pro valore sacramentorum, quod eorum materia sit aliquid supernaturale, sed res naturales sufficiunt, ut ablutio in Baptismo, unctio in Confirmatione, consensus in Matrimonio, et sic de aliis ; quin etiam in hoc sacramento confessio peccatorum, quæ ad ejus materiam pertinet, quid naturale est, nempe, prolatio verborum ; sed attritio, quæ pro valore hujus sacramenti requiritur, spectat ad illius materiam simul cum confessione : ergo pro valore hujus sacramenti sufficit attritio naturalis, quamvis alius dolor perfectior, et supernaturalis desideretur per modum dispositionis ad sacramenti fructum.

Hic dicendi modus, si veris principiis inniteretur, summa facilitate explicaret, quomodo istud sacramentum possit esse validum, et informe, haberetque pro sui declaratione in aliis sacramentis exempla. Sed absolute peccat, fallitur, et minime sustineri valet in eo, quod affirmat, ad rationem partis hujus sacramenti, et pro ejus valore sufficere attritionem entitative, et subjective mere naturalem. In quo refellendo opus non habemus nunc immorari : quia id late, et ex professo fecimus in priori parte disp. 1, dub. 4, § 4, et in præsenti disp. 8, a num. 19. Modo sufficit pro illius sententiæ omnimoda eversione, tam in eo, quod supponit, quam in illa suppositione, quam conciliare intendit, quod S. Innocentius in decreto dato anno 1679, inter alias propositiones istam in num. 57 condemnavit : « Probabile est, « sufficere attritionem naturalem, modo « honestam. » Unde a contrario sensu colligendum est, non esse probabile, quod attritio naturalis, licet honesta, sufficiat. Nec hoc loco impediri debemus in præcludendo illorum effugium, qui ausi sunt dicere, condemnari illam propositionem, ut relatam ad sacramentum non tantum validum, sed adæquate sumptum, scilicet, validum, et fructuosum ; quatenus illa propositio significabat sufficere attritionem naturalem, tum ut esset sacramenti pars, tum ut esset dispositio ad gratiam in sacramento productam : quod merito reprobatur a Pontifice : quia ut adulti suscipiant hujusmodi gratiam, debent disponi dispositione aliqua supernaturali, et ejusdem ordinis cum tali gratia, ut definit Concilium Tridentinum sess. 6, Can. 3, his verbis : « Si quis dixerit, sine « præveniente Spiritus Sancti inspiratione, « atque ejus adjutorio, hominem credere, « sperare, diligere, aut pœnitere posse, « sicut oportet, ut ei justificationis gratia « conferatur, anathema sit. » Ex quibus constat de fide esse, quod actus per vires mere naturales eliciti non sufficiunt ad disponendum, ut gratia sanctificans nobis conferatur. Ad hunc itaque sensum reprobata fuit illa propositio. Sed in hac, ut diximus, responsione confutanda, supervacaneum est immorari : quia aliena est prorsus a mente Pontificis, et agit adversus eam : nam in principio illius decreti declaratur mens Pontificis his verbis : « Sanc- « tissimus Dominus noster Innocentius Papa « XI, ovium sibi a Deo creditarum saluti

Concil. Trident.

« sedulo incumbens, et salubre opus in se-
« gregandis noxiis doctrinarum pascuis ab
« innoxiis, a felicis recordationis Alexan-
« dro VII, prædecessore suo inchoatum, pro-
« sequi volens, plurimas propositiones, »
etc. Quæ vero fuerit Alexandri intentio in reprobando aliquas doctrinas, constat ex decreto anni 1665, in quo dicitur : « Sanc-
« tissimus Dominus noster audivit, non
« sine magno animi sui mœrore, compla-
« res opiniones Christianæ disciplinæ rela-
« xativas, et animarum perniciem infe-
« rentes, partim antiquatas iterum suscitari,
« partim noviter prodire, et summam
« illam luxuriantium ingeniorum licentiam
« in dies magis excrescere, per quam rebus
« ad conscientiam pertinentibus modus
« opinandi irrepsit, alienus omnino ab
« Evangelica simplicitate, Sanctorumque
« Patrum doctrina », etc. « Quare ne ullo
« unquam tempore », etc. Unde liquet, mentem utriusque Pontificis in eis decretis eam fuisse, ut reprobarent, et ab usu fidelium excluderent, quasdam opiniones Christianæ sinceritatis, ac Religionis relaxativas, quæ eorum tempore circumferebantur, et a recentioribus fuerant inventæ; et in has direxerunt damnationis fulmina. Nulla autem erat, quæ assereret, attritionem naturalem ex motivo honesto esse sufficientem dispositionem ad infusionem gratiæ justificantis ; et omnes Catholici docebant oppositum, ut rem plane, et perspicue definitam in Canone relato Concilii Tridentini. Unde in solo prædicto sensu reprobarunt prædictam propositionem, in quo ab initio decretorum suorum professi sunt luxuriantes tunc opiniones damnare. Invalescebat autem eo tempore opinio docentium, ad valorem sacramenti pœnitentiæ sufficere attritionem naturalem ex motivo honestam, ut liquet ex modernis ejus Patronis proxime relatis, et aliis, quos referre possemus. Et quia Sanctissimus Innocentius censuit, illam doctrinam esse falsam, et perniciosam, illam cum aliis ejusdem generis reprobavit, et damnavit. Et si ita in hac parte non processit, nihil fecit, quoad proscribendum doctrinam falsam, quæ tunc invehebatur, opus haberet ; quod enim actus naturales non disponerent ad gratiam justificantem, jam definitum fuerat in Tridentino, et Sanctum erat inter Catholicos, nemine reclamante : reprobavit igitur eam propositionem in eo sensu, quo significabat, probabile esse, quod attritio naturalis sufficit ad valorem sacramenti, et ad rationem partis illius. Illa itaque via nemo secure incedere potest, nec salvare possibilitatem hujus sacramenti validi, et informis.

277. Sextus modus id declarandi consistit in defectu extensivo attritionis ; v. g. habet quis duo peccata mortalia, furtum, et incestum ; sed furti inculpabiliter oblitus, dolet simpliciter de incestu ob specificam ejus deformitatem, et sic illud confitetur. In quo casu validum efficitur sacramentum, et tamen non confert justificationis gratiam, atque ideo est validum, et informe. Primum constat : quia ex una parte ille homo facit confessionem formaliter integram, confitendo omne peccatum, quod ejus memoriæ occurrit ; et ex alia habet veram, et supernaturalem attritionem ex motivo peculiari turpitudinis, et oppositionis ad contrariam virtutem supernaturalem. Secundum etiam constat : quia unum peccatum mortale non expellitur absque alio : quippe cum nullum possit excludi sine infusione gratiæ justificantis, quæ habet generalem cum omnibus repugnantiam ; in tali autem suppositione non expellitur peccatum furti, siquidem juxta præsentem, et regularem providentiam nulli adultorum remittitur peccatum mortale absque aliqua ejus pœnitentia, et retractatione ; unde facta suppositione, quod nulla præcesserit retractatio furti, sed solius incestus, ob propriam, et specificam hujus turpitudinem, opus est dicere, quod nec ipsum incestus peccatum remittatur, nec infundatur gratia justificans, sed manet sacramentum his effectibus destitutum : datur igitur in tali casu sacramentum validum, et informe. Ita docet Suarez disp. 20, sect. 4, et 5, subscribentibus plurimis modernis non solum Scotistis, sed et Thomistis, qui vix, aut nullo modo recognoscunt aliam viam ad salvandam, quam defendunt, possibilitatem sacramenti pœnitentiæ validi, et informis. Unde Tyrsus, licet Suario, et nobis in assertione contrarius, inquit disp. 37, num. 7 : « Ultimus
« modus, omniumque probabilissimus est
« ille, quem primus in scholas invexit
« eximius Doctor. »

Sed his non accinit Vincentius Candidus

disq. 24

disq. 24, art. 17, dub. 2, dicens : « Iste « casus Suarii est potius speculatio meta- « physica, quam casus moralis. » Nec Joannes a S. Thoma loc. supr. cit. § *Hæc sententia*, dicens : « Hæc sententia Suarez « valde difficilis est. » Et rursus : « Hæc so- « lutio nullo modo stare potest cum verbis « Concilii. » Nos vero, licet admittamus illum casum non implicare, sed posse, quamvis valde raro, contingere ; multa in ea Suarii explicatione videmus, quæ mo- dum conciliandi valorem sacramenti cum ejus informitate impracticabilem, et pene impossibilem repræsentant. Et primo loco suspectum illum nobis facit, quod Tyrsus recensuit elogium : « Primus in scholas « invexit. » Nam difficultas hæc concilian- di valorem sacramenti cum informitate nova non est in scholis, sed vetus apud an- tiquissimos scholasticos, ut constat ex rela- tis, et referendis : fuerunt autem inter eos plurimi valde docti, et qui hanc difficulta- tem ex professo versarunt : ergo incredi- bile est, hunc conciliandi modum, quem primus post tot annos Suarez invexit, ipsos latuisse, si veram, et practicabilem conti- neret doctrinam ; veremur itaque illum oppositas habere conditiones. Suspectum secundo loco nobis est, quod quamvis Sua- rez teneat D. Thomæ assertionem ; nihi- lominus nec vestigium in eo modo servat motivorum, quibus Angelicus Doctor usus fuit, aut insinuavit, sed alia graditur via. Nobis autem minime probatur quidquid, vel in modo procedendi, et firmandi san- citur Sancto Doctori non conforme, quem non dubitamus supra Suarium intelle- xisse.

278. Veniamus ad alias, forsan apud aliquos, fortiores impugnationes. Etenim unum, et satis grave, motivum asserendi sacramentum validum, et informe, funda- tur in convenientia vitandi repetitionem confessionum eorundem peccatorum : nam si omne sacramentum pœnitentiæ, in quo non producitur gratia, foret eo ipso invali- dum, necessarium etiam esset illud repe- tere ; et sicut illud primum satis frequen- ter contingit, sic etiam satis frequenter illa necessitas inculcaretur repetendi confes- siones ; quod, cum sit inconveniens, affe- ratque importabile onus, oportet ab opposito statuere, quod contingens est, confessiones esse informes, et tamen va- lere, atque præcepto satisfacere absque obligatione eadem illa peccata iterum con- fitendi. Casus autem, a Suario excogitatus, rarissime, aut nunquam contingit ; unde nec moralis, nec doctrinalis est pro quali- tate materiæ, et necessitatis, cui expedit obviam ire. Sed quando tot circumstantiæ, nisi studio conquisitæ, in eodem subjecto concurrunt ? Quod habeat duo peccata spe- cie diversa; quod unius invincibiliter obli- viscatur ; quod de altero doleat, non secun- dum rationem omnibus mortalibus com- munem, ut communiter dolemus ; quod illud cognitum specialiter, et retractatum unice confiteatur sine intentione conse- quendi veniam aliorum, quæ forte coram Deo habet ? Existimamus, quod nunquam, vel rarissime : nam commune non est, habere præcise duo tantum mortalia specie distincta. Supponamus, hominem habere triginta, aut plura specie diversa, et quod unius tantum invincibiliter obliviscatur. Quomodo se geret in dolendo circa alia ? Dolebit ne de singulis secundum proprium unicuique specialis fœditatis motivum ? De furto, quia furtum sit ; de incestu, quia incestus ; de sacrilegio, quia sacrilegium ; de juramento falso, quia tale ; et sic de aliis ? Nihil minus, et fidelium praxi con- trarium : omnes namque, illam prolixita- tem vitantes, dolent de omnibus suis pec- catis mortalibus ratione motivi omnibus communis, utputa, quod per illa Deum graviter offenderint ; quod a se excluserint illius gratiam ; quod meruerint gehennam; quod in perpetuum damnari timeant, etc. Et si millies de suæ confessionis, et accu- sationis motivo interrogarentur a confessa- rio, hoc communiter, et vere responderent. Idque satis declarat, hunc esse communem inter Christianos usum ; et casum a Suario propositum, tot suppositionibus, et præ- cisionibus vestitum, non esse regularem, et moralem, qualem in hac difficultate desideramus ; sed metaphysicam quan- dam speculationem, contradictionem non implicantem, etc.

Explicatio hujus.

Explicatur hoc amplius, inquirendo, qui- nam practicabunt casum a Suario propos- tum, vel apud quos erit ejus usus ? Rustici, et idiotæ ? Id plane dicere foret ridiculum : quippe hujusmodi personæ non sic præs- cindunt, et vix percipiunt proprias ra- tiones specificas peccatorum ; sed, ut expe-

rientia constat, dolent de peccatis grossiori, sinceriori, et securiori motivo ; quod sint contra legem Dei, quod perniciem afferant animabus, quod æternam impediant salutem. Unde si in eorum aliquo fingatur ille casus, quod habeat duo mortalia specie distincta, et quod unius non recordetur propter oblivionem inculpabilem, et quod aliud, cujus meminit, confiteatur ; absque dubio illud exponet cum accusatione ex generali aliquo motivo ex immediate assignatis, minime vero cum ea præcisione, a Suario proposita, specialis deformitatis specificæ. Quare in his pœnitentibus simplicibus, et rusticis locum non habet illa subtilitas metaphysica. Sed habebit ne in sapientibus, et prudentibus ? Multo minus ; nisi Deus alicui revelet, quod non habet nisi unum tantum mortale hujus, aut alterius speciei : tunc enim secure posset illud confiteri cum dolore restricto ad propriam, et specificam ejus rationem, quatenus talem, ut talem inordinationem importat ; sed ea revelatione seclusa, non possunt secure procedere, sed debent dolere ex motivo universali omnibus mortalibus communi. Et rationem jam assignavimus disput. præced. num. 80, qua ille discursus Suarii subvertitur : nam prudentes, et sapientes optime cognoscunt, quod licet unius tantum mortalis recordentur, illudque præcise confiteri debeant ; contingens tamen est, quod habeant aliud, vel aliqua occulta : sunt enim profundi animæ sinus, præsertim quantum ad motus pure internos, qui exterioribus signis non se produnt ; cognoscunt etiam, et cognoscere debent, unum peccatum mortale non remitti sine aliis, et sine dispositione ad omnium remissionem per justificationis gratiam. Hoc autem cognoscentes facile advertunt, quod confitentes unum mortale cum dolore restricto ad ejus fœditatem specificam, graviter peccant, se exponendo periculo manifesto impediendi fructum sacramenti : quia forte alia mortalia in conscientia latent, et minime cum eo tantum dolore remittentur, et subinde nec excluditur illudmet peccatum, quod confitentur, ob rationem immediate assignatam. Unde liquet, sapientes, et prudentes non confiteri illo modo, et cum dolore illo restricto ad unum præcise mortale. Et credimus, quod Suarius non auderet in praxi tali modo confiteri : est enim periculosus, e illicitus per se loquendo, id est, seclus invincibili ignorantia, aut divina de un tantum peccato revelatione, ob rationen jam assignatam. Quare casus a Suario pro positus sistit in metaphysica speculatione et inutilis est ad tuendum communem nostram assertionem, quæ magis respicit praxim.

279. Quæ omnia urgenter confirmari possunt ex Concilio Tridentino sess. citata cap. 5, ubi hæc habet : « Constat enim, « nihil aliud in Ecclesia a pœnitentibus « exigi, quam ut postquam quisque dili- « gentius se excusserit, et conscientiæ suæ « sinus omnes, et latebras exploraverit, ea « peccata confiteatur, quibus se Dominum, « et Deum suum mortaliter offendisse « meminerit. Reliqua autem peccata, quæ « diligenter cogitanti non occurrunt, in « universum eadem confessione inclusa « intelliguntur ; pro quibus fideliter cum « Propheta dicimus. Ab occultis meis mun- « da me Domine. » Quo loco Concilium non solum docet, peccata oblita, quæ diligenter cogitanti post attentam conscientiæ excussionem non occurrunt, intelligi inclusa in tali confessione ; sed etiam docet, omnia tam cognita, et expresse confessa, quam oblita, et in confessione inclusa, remitti juxta petitionem fidelium : *Ab occultis meis munda me Domine :* quæ mundatio est pœnitentium justificatio, quæ sine remissione omnium peccatorum non contingit. Cum qua doctrina non cohæret Suarii cogitatio, dicentis, in eo casu a se proposito confessionem esse formaliter integram propter impotentiam explicandi peccata invincibiliter oblita : nam Concilium generaliter docet, quod ubi peccatum est invincibiliter oblitum, intelligitur comprehensum in confessione, et terminare dolorem peccatorum, quod fideliter, et generaliter a Deo poscimus in omni confessione legitime facta emundationem ab illis ; unde manifeste supponit, omnem attritionem, confessioni legitimæ adjunctam, extendi saltem virtualiter, et implicite ad omnia peccata, licet occultissima. Quod minime verificatur, si pro valore sacramenti sufficeret illa attritio a Suario asserta, terminata ad peculiare peccatum, et sub peculiari ejus motivo restricta : hæc namque nec formaliter, nec virtualiter

liter extenditur ad peccata occulta, ut ille affirmat, hac via salvare tentans, quod sacramentum validum relinquatur informe.

Confirmatur, et explicatur amplius : nam cum certum de fide sit, fideles habere quandoque aliqua peccata occulta, quæ vel post diligens examen non deprehendunt, nec confiteri explicite valent, ut perspicue docet Concilium , oportet, quod non destituantur remedio in ordine ad consequendum eorum remissionem : nullum autem secundum præsentem providentiam datur, nisi sacramentum pœnitentiæ in re, vel in voto, nec illorum remissio contingit absque talium peccatorum dolore, et retractatione, vel formalibus, et expressis, vel virtualibus, et implicitis ; ad quod opus est, attritionem de aliis peccatis cognitis conceptam esse universalem, sive tendentem sub motivo comprehendente omnia mortalia tam cognita, quam occulta. Et qui opposito modo se gerit, confitendo unum mortale, quod præcise detestatur, et dolendo sub peculiari motivo illi tantum alligato, et ad alia non se extendente, vel firmiter censet, se nullum mortale occultum habere, quod videtur insignis superbiæ, et temeritatis argumentum, vel se exponit manifesto periculo non consequendi remissionem occultorum, et subinde nec illius, quod confitetur : quippe si cum occultis concurrat, nequit sine illis remitti. Unde modus a Suario propositus non tantum alienus a mente Concilii apparet, sed ei contrarius, et qui secure practicari non posset. Simpliciter itaque standum est Concilio aperte dicenti, in confessione omnium mortalium memoriæ occurrentium intelligi inclusa etiam oblita, omniaque simul remitti ; quod falsum foret, si in attritione priorum cetera non continerentur ; sicut contingeret, si juxta Suarii doctrinam attritio pro sacramento sufficiens non deberet extendi ad occulta.

Nec audiendi sunt, qui dixerunt, Concilium loqui in casu, quod pœnitens confiteatur cum contritione : hæc enim cum procedat ex amore Dei super omnia, est universalis dolor de peccatis, ad occulta etiam se extendens. Hanc vero necessariam universalitatem non habet attritio, sed potest ad determinatum peccatum, quod cognoscitur, dirigi, ipsique sub proprio, et specifico motivo alligari, sine extensione formali, aut virtuali ad occulta. Nulla namque ratione hæc dicentes sustineri possunt, cum aperte obluctentur Concilio. Tum, quia istud expresse agit de remissione occultorum facta in sacramento pœnitentiæ ; ubi autem pœnitens disponitur per contritionem, remittuntur omnia peccata ante absolutionem, et cum voto sacramenti. Tum etiam, quia Concilium in c. 4 et 5 illius sess. eundem tenorem observat circa confessionem, et attritionem ; dixerat autem cap. 4, quod « attritio quamvis sine « sacramento per se ad justificationem « peccatorum perducere nequeat, tamen « eum ad Dei gratiam in sacramento « pœnitentiæ impetrandam disponit. » Ubi manifestum est, sermonem non fieri de confessione cum contritione, sed cum sola attritione : cum igitur in capite immediate sequenti eandem materiam continuet, de eadem confessione cum attritione loquitur, et debet intelligi, quando ait : « Reliqua peccata, quæ diligenter cogitanti « non occurrunt, in universum eadem « confessione inclusa esse intelliguntur. » Et oppositum dicere, parvum habet fundamentum in Concilio, sed ei voluntarie addit, qui illius intentioni resistit : eam namque expresserat Concilium repræsentando fidelibus, hoc sacramentum non habere eas difficultates, quas opponebant hæretici, ut evidenter constat ex verbis immediate præcedentibus : « Sed, et im- « pium est ; etc. Constat enim, nihil aliud « in Ecclesia a pœnitentibus exigi, etc. » In confessionibus autem ordinariis diuturni temporis, ubi dantur multa mortalia, frequentissimum est, non pauca manere oblita, præsertim quæ ad cogitationes, et internos motus pertinent, ut experientia liquet ; at satis rarum est, pœnitentes vulgares accedere cum perfecta contritione : si ergo necessaria foret pro occultorum peccatorum remissione, raro etiam contingeret aliorum in hoc sacramento remissio ; quod homines multum retraheret ab hujus sacramenti usu (idque intendebant hæretici) et in quandam desperationem induceret. Fatendum itaque est, pro occultorum remissione sufficere attritionem cum confessione, seu sacramento : sed non sufficit attritio partialis,

Concil. Trid.

sive ad occulta formaliter, aut virtualiter non extensa, ut ostendimus contra Suarium, et hic concedit : ergo requiritur attritio universalis, sive procedens sub motivo communi omnibus mortalibus tam cognitis, quam occultis. Hanc igitur attritionem, et non aliam, asseruit, et supposuit Concilium, quando agens de confessione rite facta generaliter statuit : « Reliqua autem peccata, quæ diligenter « cogitanti non occurrunt, in universum, « eadem confessione inclusa esse intelli« guntur ; » utique tam in ordine ad confessionem, quam ad dolorem, et tam in ordine ad valorem, quam ad fructum : hæc quippe intendebat Concilium contra hæreticos exponere, atque tueri ; et ab isto scopo multum elongatur Suarii discursus.

Object. 280. Sed oppones in ejus favorem cum Gaspare Hurtado disp. 6, difficult. 8, quod in casu proposito opus non est, dolorem, qui tanquam pars ad hujus sacramenti valorem requiritur, extendi ad peccata oblita, quin nec ad illa, quæ pœnitens justis de causis non exponit, juxta superius dicta dub. 7, § 1, sed sufficit, quod sit illorum præcise peccatorum, quæ pœnitens confitetur : ergo falsum est, attritionem in tali casu debere extendi ad oblita, et per consequens tunc licet detur dolor pars sacramenti, non tamen datur dolor, qui sit dispositio ad remissionem peccatorum occultorum, imo nec aliorum per gratiam justificationis : salvatur itaque in tali casu sacramentum validum, et informe. Cetera constant, et antecedens suadetur : quia dolor in hoc sacramento nec est pars, nec est dispositio, nisi quatenus sensibilis per confessionem ; sed nequit ita fieri sensibilis respectu illorum peccatorum, quorum pœnitens est invincibiliter oblitus, et quæ subinde non confitetur, nec confiteri potest : ergo dolor in tali casu solum est pars sacramenti quantum ad peccata confessa, non vero quantum ad oblita ; et nec in ordine ad hæc, nec ad illa remittenda habet rationem dispositionis : quia nulla remitti possunt absque infusione gratiæ, quæ vel omnia simul, vel nulla excludit.

Objectioni fit satis. Respondetur negando antecedens, cujus probatio convincitur falsitatis : tum, quia Conc. Trident. loco citato expresse docet, peccata oblita, quæ post diligens examen pœnitenti non occurrunt, intelligi in universum inclusa in eadem confessione ; unde necessario requiritur, quod sequatur ex mente Concilii, confessionem factam formaliter, et expresse de peccatis memoriæ occurrentibus, extendi implicite, et virtualiter ad peccata oblita ; aliter enim ista non comprehenderentur in illa. Si autem confessio ad ea sic extenditur, quamvis illa non explicet, nulla est ratio quare dolor per dictam confessionem factus sensibilis ad eadem peccata simul cum confessione eodem modo non extendatur. Tum etiam : quia in confessione formaliter integra (ut exemplum antecedenti insertum retorqueamus) solent aliqua peccata justis de causis subticeri ; et tamen confessio illa implicite, et virtualiter complectitur, quin et attritio interior potest illa formaliter, et explicite detestari, et semper detestatur, saltem implicite ; cujus evidens signum est, confessionem formaliter integram esse frequentissime non solum validam, sed et fructuosam, causando, scilicet, et consequendo gratiam ; quod minime contingere valet absque dolore, sive attritione extensa formaliter, aut virtualiter, explicite, ad omnia mortalia tam confessa expresse, quam juste in confessione non expressa. Falsum itaque omnino est, attritionem, et in esse partis, et in esse dispositionis, ita confessioni commensurari, ut solum extendatur ad peccata, quæ quis expresse confitetur. Eliditur autem illa probatio, concedendo majorem, et negando minorem : quia attritio fit sufficienter sensibilis non solum per verba confessionis, sed etiam per ipsam externam submissionem veniæ, qua pœnitens petit a suis peccatis absolvi ; sicut quando non potest loqui, sed per nutus, aut alia externa signa se explicat ; et infirmus, qui confiteri cœpit aliqua peccata, solet subito facultate loquendi privari, et confitendi omnia ; et tamen in his casibus, qui sunt vulgares, non impeditur valor, nec fructus sacramenti, etsi pro isto in omnium sententia requiratur dolor universalis, sive qui ad omnia quantum est ex parte motivi extendatur. Sufficit itaque ad prædictos effectus fieri sensibilem modo explicato.

281. Septimus modus conciliandi hujus sacramenti validitatem cum informitate, quem

iem N. Bonæ Spei retulit, et impugnavit act. 5, de Pœnitentia, disp. 5, dub. 2, n. 3, est N. Mag. Ponce, qui hujus Salmanicæ Universitatis clarissimum jubar extit; hic semper ingenii acumine pollens in ia controversia Theologica dogmatica, omæ typis excusa, dub. 11, et ultimo unc dicendi modum nuperrime rara sinularitate prælibavit ; rem discutit, et ropriam sententiam a n. 1 sic resolvit. In uolibet instanti hujus mortalis vitæ potest omo, sui compos manens, lethaliter denquere, nisi in gratia sit confirmatus, ut in ejus actuali receptione aliquam istam operationem exerceat : ergo in ulmo instanti terminativo absolutionis cantis supra confessionem peccatorum rmaliter, imo, et materialiter integram, dolorosam, et undique legitime peram, potest homo labi, et in lethalem ılpam incidere. In isto autem casu, inuit hic ingeniosissimus Magister, sacraentum extitit validum, utpote ex peccarum integra confessione, eorum supernaturali dolore, et absolutione constitutum; ex alia parte fuit informe, et infructuum, ratione peccati mortalis in ultimo istanti terminativo absolutionis commissi: le namque peccatum non tollit sacraenti valorem, licet ejus fructum, scilicet, ratiam, impediat : quia non pertinet ad lam confessionem, sed ad aliam subsequentem, per quam tale peccatum debet xpiari, et remitti. Rationemque hujus eddit : quia ex una parte nequit absoluonem in illa instantanea morula impere ; et ex alia est pœnitenti impossibile illo peccato tunc confiteri : ergo conssio de præteritis omnibus integre facta, dolorosa, accedente absolutione subsisit valida, utpote ex partibus essentialis, nempe, materia, et forma, constituta: cet sit infructuosa. Exemplum apponit Baptismo cum fictione recepto, et cum iquo peccato gravi in ultimo instanti rminativo Baptismi ab adulto illum cipiente scienter commisso ; qui quidem, cet informis sit, et infructuosus, est men validus : quia illud peccatum non mpedit talis Baptismi valorem, sed tantum ius fructum, nempe, justificationis gram ; nec pertinet ad Baptismum, sed ad cramentum pœnitentiæ, per quod est xpiandum, et delendum. Ratio autem, ob quam peccatum commissum in ultimo instanti terminativo absolutionis non pertineat ad illam confessionem tali absolutioni subjectam, consequenterque non possit illi officere, aut eam annullare, est, quia solum pertinent ut materia remota ad confessionem peccata illa, quæ pœnitens potest expresse, vel implicite confiteri, et absolutioni subjicere ; atqui pœnitens est absolute impotens tale peccatum in ipso instanti terminativo absolutionis commissum in illa confessione tunc confiteri, et absolutioni illi exponere : ergo tale peccatum non pertinet ad illam confessionem, et sacramentum, sed per aliam confessionem est expiandum.

Evertitur hic dicendi modus.

Verum licet hic dicendi modus ingeniosus sit, et speciosus videatur : nihilominus non est nervosus, et falsitatis facile convincitur ; cum loquatur de peccato, non tantum implicite, et indirecte volito, sed expressa, et directa volitione perpetrato, seu (quod idem est) scienter, et ex proposito in ultimo instanti terminativo absolutionis commisso ; quo in instanti sacramentum perficitur, et completur, cum tale instans sit intrinsecum sacramento secundum suum ultimum mutatum esse, licet extrinsecum illi in ratione motus, ut jam firmatum supponimus ex his, quæ tract. 22 de sacramentis, disp. 4, dub. 5, concl. 1 et 2, late statuimus. Et quidem hic dicendi modus eisdem exponitur nullitatibus, quibus paulo ante Suarii cogitatum rejecimus : est enim casus propositus, esto non implicatorius, raro tamen contingens, et metaphysicus, non vero practicus, et qualem in præsenti desideramus. Et ulterius in re gravi a Theologis antiquis, et Patribus, ac præcipue a D. Th. diligenter discussa, novam offendiculis plenam arripit viam, a reliquis, si non despectam, penitus tamen non tritam ; unde ex hoc præcise nobis redditur suspectus, et omnino falsus. Et profecto quantum ad id, quod asserit de peccato in ultimo instanti terminativo receptionis Baptismi, ab adulto illum recipiente, scienter commisso, nimirum, quod tale peccatum non pertineat, ut remittendum ad Baptismum, est plane falsum, et rationibus urgentissimis, authoritatibusque D. Aug. ac D. Th. a nobis adductis 1 p. hujus tract. disp. 2, dub. 2, § 2 et 3, ubi oppositum stabilivimus

ex diametro adversum. Sed esto nunc permittamus, quod peccatum a pœnitente scienter, et ex proposito, seu expressa volitione commissum in instanti ultimo terminativo absolutionis non pertineat, ut remittendum ad illam confessionem tali absolutioni subjectam : quia (ut ait ipse Magister) hoc peccatum in illo instanti nequit confiteri, et absolutioni subjici ; ceterum licet ut solvendum ad illam confessionem non pertineat, ad eam tamen spectat necdum, ut gratiam impediens,sed etiam ut valorem sacramenti auferens, illudque reddit non solum infructuosum, verum, et prorsus invalidum.

282. Et in primis, non est ad rem instantia Baptismi a perdocto Magistro Ponce toties inculcata,et ad suum tuendum assertum repetita ; est namque satis nota disparitas, quæ datur inter materiam sacramenti baptismi, et pœnitentiæ ; et si similitudo omnino servetur, prorsus evertitur excogitatus ab eo discursus. Nam supposita in adulto intentione libera recipiendi Baptismum ex fine honesto, licet peccatum lethale, v. g. furti, aut adulterii desiderium, ante instans terminativum receptionis Baptismi scienter, et expressa voluntate commissum, impediat fructum hujus sacramenti ; ejus tamen valorem relinquit intactum, nihilque illi officit quoad partes essentiales, cum in consortio talis peccati materia ejus remota, et proxima, nempe, aqua naturalis, et ablutio possit salvari, ac verba, quæ sunt forma, valeant debite proferri ; et nihilominus peccatum grave intra pœnitentiæ sacramentum ante instans terminativum absolutionis a pœnitente scienter, et directa volitione commissum, in omnium sententia reddit hoc sacramentum necdum informe, verum, et invalidum, ut sequenti dubio latius dicemus : ergo licet baptismus salvetur validus cum peccato lethali in instanti ultimo terminativo receptionis illius scienter, et ex proposito commisso, nequit tamen salvari sacramentum pœnitentiæ, sed cum tali peccato scienter tunc perpetrato est prorsus invalidum : ergo nulla est hujus sacramenti cum Baptismo paritas, sed ingens ac notissima differentia.

Potestque hoc amplius fulciri, si comparatio hujus sacramenti cum Baptismo fiat in eo, quod spectat ad essentialia requisi
Etenim non minus requiritur ad essenti
constitutivum sacramenti pœnitentiæ,qu
adsit supernaturalis dolor de peccatis p
teritis expresse, aut implicite, et propo
tum ea in posterum vitandi, quam
Baptismum desideratur libera inter
adulti ipsum recipiendi, et motivum
nestum se Deo initiandi, ut Christia
vitæ ineat rationem ; sed peccatum h
intentioni oppositum, scienter, et dire
volitione commissum in instanti ulti
terminativo receptionis Baptismi, destr
ejus valorem, sacramentumque reddit
validum : ergo peccatum grave scienter
expressa volitione in ultimo instanti t
minativo absolutionis perpetratum destr
volorem sacramenti pœnitentiæ, cum qu
libet opponatur dolori supernaturali. P
consequentia : nam ideo peccatum c
missum scienter in ultimo instanti ter
nativo receptionis Baptismi destruit
valorem, quia non salvat in eodem insta
sed eradicat liberam intentionem su
piendi illum, quæ est essentialiter neces
ria, ut validus sit Baptismus ; sed et
peccatum scienter, et ex proposito,
expressa volitione in instanti ultimo
minativo absolutionis commissum non
vat in eodem instanti, sed destruit d
rem supernaturalem inefficacem de pecc
præteritis, et propositum inefficax vita
futura, quæ essentialiter ad valorem h
sacramenti sunt requisita, et omnino
cessario exacta : ergo sicut in primo
cum illo peccato scienter,et sine ignora
pure vincibili commisso Baptismus est
validus ; ita in hoc secundo sacramen
pœnitentiæ cum peccato scienter perpet
erit nullum.

Confirmatur, et explicatur ulterius :
nim pœnitentiæ sacramentum (et idem
de aliis) quod in instanti completur,
perficitur, nec terminatur usque ad
mum instans terminativum prolati
verborum, quæ sunt forma, in quo ult
syllaba cum ordine ad præcedentes pro
tur, ut est expressum in D. Thom. 3 p
quæst. 75, art. 7 et quæst. 78, art. 4 a
ubi ait : « Unde vis, quæ est forma ho
« sacramentorum, consequitur signific
« nem, quæ in prolatione ultimæ dicti
« terminatur, et ideo in ultimo inst
« prolationis verborum prædicta v
consequu

« consequuntur hanc virtutem, in ordine « tamen ad præcedentia. « Ergo si in ultimo instanti prolationis verborum absolutionis non adest supernaturalis dolor inefficax de peccatis commissis, licet in morula antecedenti adfuerit (et idem est de proposito peccata futura vitandi) forma absolutionis formaliter accepta non cadit in illo instanti supra materiam proximam hujus sacramenti, nec coexistit pro illo tunc cum proposito essentialiter requisito ad valorem sacramenti. Tum sic, sed si in ultimo instanti terminativo absolutionis datur peccatum actuale, scienter, et expressa voluntate commissum, pro illo instanti non adest, sed intrinsece in illo desinit, et perit supernaturalis dolor inefficax de peccatis commissis, et in morula antecedenti cum tali dolore, et proposito vitandi futura confessis : ergo in hoc casu sacramentum necdum est infructuosum, verum, et invalidum. Minor probatur : nam (ut manet a nobis satis clare insinuatum 1 part. hujus tract. disp. 1, dub. 4, num. 207, et hic in solutione argumentorum non pauca circa hoc dicemus, fusiusque sequenti dubio explicabimus) licet cum dolore inefficaci supernaturali de peccatis commissis ex motivo universali procedente, et proposito inefficaci vitandi futura possint in eodem instanti conjungi non sólum peccata habitualia commissa, et actualia ob non retractionem moraliter permanentia, sed etiam voluntas actualis peccandi virtualis, et implicita, seu indirecta, et interpretativa, qualiter in primo peccato Angeli in amore inordinato propriæ excellentiæ admittunt Thomistæ; attamen voluntas formalis, et actualis volitio expressa, et directa peccandi, et peccatum actuale expresse votitum, et scienter, ac directe commissum, in nullo instanti conjungitur, nec valet conjungi, et coexistere cum dolore supernaturali, et proposito etiam inefficaci peccata cavendi, ut in dubio nuper relato innuimus, et cum communi Theologorum calculo latius dubio sequenti stabiliemus. Unde in eodem instanti, in quo est verum dicere, nunc est peccatum scienter, et ex proposito commissum, est verum asserere, nunc non est propositum vitandi peccata, nec aliquis supernaturalis dolor. Cum ergo dolor supernaturalis cum proposito vitandi peccata sit hujus sacramenti materia proxima, ad ejus valorem essentialiter requisita, si talis dolor in instanti ultimo terminativo absolutionis non adest, sed ad positionem peccati tunc intrinsece desinit esse, quamvis in morula præcedenti fuerit, talis absolutio formaliter sumpta, et completa non cadit in illo instanti supra materiam proximam sacramenti ; unde illa confessio est prorsus invalida. Propterea que N. Franciscus Bonæ Spei non solum asseruit, hunc casum esse metaphysicum, et moraliter impossibilem, verum etiam de potentia absoluta repugnare : sic enim concludit : « Quomodo tamen dari possit dolor suffi- « ciens ad hujus sacramenti effectum » (qui dolor in sua sententia ad valorem sacramenti simul est exactus) « ipso absolu- « tionis instanti perseverans, ut debet, et « simul mortale peccatum, capere non pos- « sum ; unde respondere malo, casum esse « impossibilem, etiam per Deum. « Et licet videatur loqui non de dolore inefficaci, sed de efficaci, qui simul intra sacramentum sufficit ad ejus valorem, et fructum ; ceterum quantum ad non coexistendum in eodem instanti cum peccato expresse volito, et scienter commisso, idem est Theologorum placitum de uno ac de altero, solumque hi dolores de peccatis discriminantur in eo, quod dolor efficax etiam voluntatem actualem implicitam, et virtualem, seu interpretativam peccandi excludit ; dolor autem inefficax illam in eodem instanti secum admittit. N. Bonæ Spei.

283. Octavus, et ultimus dicendi modus in hac gravissima difficultate est etiam ejusdem Magistri Ponce in sua controversia dogmatica loco supra citato, et in eo consistit, quod hic Author asserit, ad hujus sacramenti valorem sufficere propositum virtuale, et implicitum emendationis vitæ, ac vitandi futura peccata, ceterum ad sacramenti fructum, et ad gratiam justificantem tale propositum non sufficere, sed indispensabiliter, et essentialiter requiri circa peccata futura vitanda propositum formale, et expressum ; potest autem aliquando contingere, et hoc non raro accidit, quod pœnitens ita rapiatur metu pœnarum gehennæ, aut turpitudinis peccati consideratione, ut penitus obliviscatur faciendi tale propositum formale, et expressum, sed tantum eliciat illud virtuale, et in attritione implicitum ; in quo casu non justifi- Octavus, et ultimus dicendi modus.

cabitur, nec sacramentum faciet fructuosum, licet suscipiat sacramentum validum. Et pro hac sententia refert Joannem a Sancto Thoma, quem, inquit, sequitur N. Lumbier a num. 517, circa propositiones damnatas a Sanctissimo Papa Innocentio XI.

Dispellitur 1.

Sed hic modus dicendi multum nobis displicet, nec aliquam veritatem in se continet : nam licet regulariter, et connaturaliter loquendo, in justificatione impii adsit tale expressum, et formale propositum ; non tamen ad justificationem, et gratiam adipiscendam est indispensabiliter necessarium, nec essentialiter requisitum ; sed sufficit ad hoc implicitum, et virtuale propositum. Quod quidem facile, et nervose convincitur ; nam magis debet habere sibi annexum propositum formale, et expressum non peccandi perfecta contritio, quam attritio etiam existens intra sacramentum, et esto efficax sit in peccata detestando; ut est valde notum, et tenet Catejanus tom. 1 *Opusculorum*, tract. 4, quæst. 1 ; atqui contritio perfecta, quæ cum voto sacramenti in ea incluso est ultima dispositio ad gratiam, etiamsi extra sacramentum existat, non habet ad hoc tale propositum non peccandi formaliter, et explicitum, essentialiter sibi annexum, sed cum illo implicito disponit infallibiliter multoties impium ad gratiam justificantem obtinendam : ergo attritio efficax de peccatis confessis intra sacramentum existens sufficit ad sacramenti fructum, et ad dispositive justificandum, licet pœnitens non habeat futura peccata vitandi propositum formale, et explicitum, sed tantum virtuale, et implicitum in tali attritione inclusum. Minorem, quæ difficultatem præsefert, tuentur, qui nobiscum

Suarez, Vasquez, Nugno Prado.

in hac parte sentiunt, Suarez, Vasquez, Magister Nugno hic quæst. 1, dub. 5, Prado ibi dub. 2, quod et nos 1 part. hujus tract. disput. 4, dub. 1, § 2 insinuavimus. Et facile probatur primo, ex sacra pagina multos casus referente, in quibus propositum formale, et expressum vitandi peccata futura non de facili invenitur, et tamen contritio sortita est suum justificationis effectum; ut 2, Paralipom 33, de Manasse nihil nisi pœnitenter orasse legitur : de Publicano, quod oculos præ confusione levare non auderet Lucæ 18, et Lucæ 15, de Prodigo illis verbis : *Pater, peccavi in cœlum*, etc. Et stolam, et annulum accepit. Ad quæ Chrysostomus homil. de pœn
tentia : *Dic peccavi, et solvisti peccatu*
Vix David pœnitens *peccavi Domino dixi*
cum statim ei Propheta testatur, Dominu
transtulisse peccatum suum ; prout
Augustinus homil. 41, exponit his verbis
« Tres syllabæ sunt peccavi, sed de his tr
« bus syllabis flamma sacrificii coram D
« mino ascendit in cœlum. » Rursus i
conversione D. Petri ita sunt omnia cele
riter consummata, ut pene idem videatu
Dominum eum respicere, et illum ad gra
tiam convertere, et egressum statim fora
flevisse amare, quæ tantum vehementer
exprimunt dolorem, et detestationem trin
negationis præteritæ, non adhibito ex
presse proposito vitæ futuræ. Ac deniqu
Dimas latro cum Christo crucifixus, qu
in mortis articulo amplius vivere in ha
vita non sperabat, et consequenter de pec
catis in hac vita præcavendis nihil ei oc
currebat, per contritionem de præteriti
gratiam adeptus fuit justificationis, et pe
memoriæ Christi petitionem dum venire
in regnum suum, meruit ingredi eade
die in Paradisum. Igitur sacra scriptur
clare indicat, quod contritio perfecta, u
disponat ad gratiam, non habet essentiali
ter, et indefectibiliter sibi annexum pro
positum formale, et explicitum vitand
peccata futura ; seu sufficere virtuale i
ipsa contritione contentum. Deinde, lice
Concilium Tridentinum testetur, in contri
tione triplicem actum concurrere, nempe
dolorem, detestationem de peccatis præte
ritis, et propositum præcavendi de futuris
nihilominus isti actus licet regularite
conjungantur, non tamen semper, et inde
fectibiliter; sed multoties accidit, ut sepa
rentur ; ut videre est in Beatis, ubi pœ
nitentia residet perfectissima, illisque ades
detestatio formalis de peccatis ; et tamen
in illis non est dabilis dolor, aut exequi
bile propositum non peccandi de cetero.
Similiter, dum quis ardentissimo amore
succensus, vel de peccatis commissis in
genti dolore concussus, nihil cogitat de
futuris præcavendis, contritionem perfec
tissimam habet absque ullo formali, et
expresso proposito, quod tunc nec cogitat,
nec mentem levissime pulsat : igitur nostra
assertio, et Tridentini authoritate non im
pugnatur, et ratione, ipsoque Tridentino
bene perpenso fulcitur.

284

284. Secundo: Ad hoc ut voluntas eliciat propositum formale, et explicitum non peccandi de cetero, necessum est, quod ei objectum hujus actus expresse proponatur: cum enim circa nihil possit voluntas versari, nisi præeunte intellectus cognitione, nullum potest exercere actum erga objectum, quod non cognoscit intellectus, et apprehendendo illud ei proponit amandum: sed quandoque, aliquo accidente impediente, voluntas perfecte conteritur, quin objectum propositi formalis ei expresse ab intellectu repræsentetur; ergo tunc casus erit contritio perfecta absque formali, et expresso proposito. Minor, in qua difficultas tantum continetur, probatur in oblivione naturali, aut ignorantia invincibili talis propositi, quæ multoties accidere valent; et etiam quando alicui morte subito incussa, quod non raro accidit, non est de futura hujus sæculi vita, de qua nulla spes adest, cura aliqua, nec in mentem statim morituri venit, aut ei occurrit, sed tantum de præteritis peccatis dolere, ac de eis conteri: ergo eo casu menti minime occurrit proponere expresse in posterum non peccare. Ulterius; vehemens Dei amor ita voluntatem potest ad se rapere, ut nullam pro tunc in ea virtutem ad alium actum relinquat, nec in intellectu; ut objectum extra Deum proponat, prout in raptibus frequenter contingit. Similiter dolor ingens, et acutus subito ortus alios præoccupat sensus: ergo contritio vehementi amore bonitatis divinæ, et dolore anteactæ offensæ concepto, objectum propositi expliciti fugitandi peccata futura, naturali oblivione non cogitat.

Nec valet dicere cum Cajetano, quod cum contritio perfecta charitate essentialiter sit informata, cujus motivum formale est offensa Dei, et injuria divini juris ut compensabilis per pœnitentiæ dolorem ex amore Dei super omnia excitatum, continet rationem motivam contritioni, et proposito formali communem; unde si hoc proponitur, utriusque actus cognoscitur, et proponitur motivum; et si ex defectu cognitionis, et repræsentationis non potest contritioni deficere propositum formale.

285. Non enim hoc refert, nam ratio præcipua manet intacta; quippe esto verum sit, quod contritio offensam Dei commissam attingit, et de ea dolet sub motivo et ratione, sub qua universali, sibi, et proposito formali cavendi offensam futuram communis ex hoc tamen non evincitur, quod si proponitur potentiæ volitivæ, pœnitentia, et charitate exornatæ, illud motivum formale, et ratio sub qua contritio exercite, et in actu secundo extenditur ad offensam commissam, et circa illam sic versatur, debeat in exercitio proponi, et cognosci idem motivum secundum quod est ratio *sub qua* propositi formalis, et expressi de præcavendis offensis futuris. Et ratio est manifesta: nam sub eadem ratione formali *sub qua* potentiæ, et habitus cadunt diversa objecta, *quæ* ab ipsis sub tali ratione attingibilia in actu primo; et tamen ex eo, quod unum objectum *quod* particulare sub illa ratione formali *sub qua* potentiæ, aut habitui exercite objiciatur, et ab ea per unum actum attingatur, non sequitur, quod eadem ratio *sub qua* proponatur, et agnoscatur prout de facto ad objectum aliud particulare, *quod* ejusdem habitus, vel potentiæ, licet diversi actus, exercite, et in actu secundo extenditur: ergo non sequitur, quod si proponitur, et cognoscitur ratio *sub qua* contritio attingit offensam commissam tanquam objectum formale *quod* a se inspectum debeat in actu secundo proponi, et cognosci eadem ratio formalis *sub qua* prout exercite circa offensam futuram præcavendam servatur, quam ut objectum formale *quod* respicit formale, et expressum propositum, si prius talis offensa futura non objicitur, et media cognitione intellectus voluntati exercite non repræsentatur. Antecedens exemplis ostenditur: nam licet color albus, et niger cadant sub eadem ratione formali *sub qua* potentiæ visivæ, quæ est lucidum coloratum, non sequitur, quod si color albus sub illa ratione *sub qua* exercite potentiæ visivæ repræsentetur, et ab ea attingatur, debeat etiam exercite color niger cadens sub eadem ratione coloris lucidi potentiæ visivæ, objici, et repræsentari, atque ab ea de facto attingi, et videri. Similiter licet amicus, et inimicus, ut diligibiles ex charitate inspiciantur ab hac virtute sub eadem formali ratione, nun sequitur, quod si hæc ratio formalis *sub qua* proponitur voluntati ornatæ charitate prout de facto extenditur ad amicum, proponatur etiam exercite secundum quod in actu secundo extenditur ad inimicum: potest

enim de facto proponi amicus ut sic diligendus, et nullo modo repræsentari inimicus. Ergo pariter, licet sub eadem ratione formali *sub qua* inspiciant contritio, et propositum formale offensam commissam, et præcavendam, potest repræsentari voluntati offensa commissa, circa quam versatur contritio, quin repræsentetur offensa præcavenda per ordinem, ad quam se exercet formale propositum ; et consequenter tunc formale, et expressum propositum in re non ponetur. Ergo propositum expressum de vitandis futuris offensis multoties potest a contritione perfecta separari ; et consequenter multo magis ab efficaci attritione intra sacramentum existente, quo pacto disponit ultimo ad gratiam, et ad justificationem. Quod quidem de hac attritione ipse Cajetanus ubi supra admittit; et etiam tenet N. Cursus Moralis Salmantic. tract. 6, cap. 5, punct. 4. Idemque tenetur Navarrus, Vega, Pitigianus, Suarez, Filliucius, quos refert, et sequitur Bonacina de pœnitentia sacram. disp. 5, q. 5, punct. 3, N. Gabriel a Sancto Vincentio disp. 4, quæst. 3, Sylvius in additionibus ad 3 part. quæst. 1, Villalobos in Summa tom. 2, tr. 9, difficult. 19, num. 8, Laiman tract. 6, cap. 4, num. 6, N. Antonius a Spiritu Sancto de Pœnitentia num. 119. Ergo cum attritione efficaci intra sacramentum non requiritur indispensabiliter ad consequendum sacramenti fructum propositum de vitandis peccatis formale, et explicitum ; sed sufficit virtuale, et implicitum ; unde in casu a Magistro Ponce proposito sacramentum non est informe, sed validum, et formatum. His igitur dicendi modis rejectis, nobis incumbit aliquem, vel aliquos designare, in quibus salvetur valor sacramenti sine fructu ; alioqui sententiam D. Thomæ omnino desertam relinqueremus.

Curs. Moral. Salmant. Navarr. Vega, Pitigian. Suarez. Filliuc. Bon. N. Gabriel, Solvius, Villalob. N. Anton.

§ III.

Statuitur secunda conclusio, in qua primus casus informis, et validæ confessionis proponitur, et firmatur.

Assertio 2.

286. Dicendum est secundo, sacramentum pœnitentiæ esse validum, et informe, seu infructuosum, quando pœnitens integre confitetur sua peccata cum supernaturali de eis attritione, quam bona fide putat efficacem, licet revera inefficax sit. Est validum in hoc casu : quia habet partes, ex quibus essentialiter constituitur, et præsertim attritionem : est autem informe, quia non adest attritio efficax, quæ est dispositio necessaria ad introducendum justificationis gratiam. Diximus, *quam bona fide putat efficacem :* nam si cognosceret, se non afferre attritionem efficacem, quæ tanquam dispositio pro infusione gratiæ requiritur ex hoc ipso scienter poneret obicem fructui sacramenti, scienterque peccaret mortaliter ; cum quo non cohæret, sacramentum esse validum. Casus igitur descriptus non est cogitatio quædam metaphysica, qualem supra impugnavimus ; sed res satis obvia et frequenter contingens, quod magis firmat communem nostram assertionem

287. Pro cujus majori intelligentia oportet hic breviter refricare, et in unum colligere principia disput. præced. dub. jam præjacta : statuimus namque ibi num. 9, pro dolore, ut sit pars sacramenti, non requiri contritionem. Quæ sententia est in his Regionibus communis, et certa, ibique contra aliquos in aliis Theologos lata demonstrata. Deinde num. 19 asseruimus pro attritione, ut in hoc sacramento habeat rationem partis, non requiri, quod sit omnino efficax, et absoluta : sed sufficere vel inefficacem, vel præscindentem ab efficaci, et inefficaci. Idque probavimus num. 23, et præcipuum motivum fuit quod Concilium Tridentinum, postquam sess. 14, cap. 3, asserit, dolorem, sive contritionem esse hujus sacramenti partem, statim cap. 4 sequenti illam definivit dicens : « Contritio, quæ primum locum « inter dictos pœnitentis actus habet, animi « dolor est, ac detestatio de peccato « commisso cum proposito non peccandi « de cetero. » Quæ definitio adæquate convenit attritioni sufficienti, vel abstrahenti ab efficaci, et inefficaci, ut facile consideranti constabit. Ergo pro attritione ut sit præcise sacramenti pars, non requiritur efficacia ; quod ibi fusius ostensum est. Præterea num. 26 affirmavimus attritionem, ut disponat ad fructum, sive effectum hujus sacramenti, debere esse omnino efficacem, et absolutam. Quod principaliter ostendimus ex eode m concilio cap. 4, ubi attritionem disponentem ad sacramenti fructum, illumque in suo gener-

genere inducentem, ita describit : « Illam « vero contritionem imperfectam, quæ « attritio dicitur, quoniam vel ex turpitu- « dinis peccati consideratione, vel ex ge- « hennæ, et pœnarum metu communiter « concipitur, si voluntatem peccandi ex- « cludat cum spe veniæ, declarat non solum « non facere hominem hypocritam, et « magis peccatorem ; verum etiam donum « Dei esse, et Spiritus Sancti impulsum, « non adhuc quidem inhabitantis, sed « tantum moventis, quo pœnitens adjutus « viam sibi ad justitiam parat ; et quam- « vis sine sacramento pœnitentiæ per se « ad justificationem perducere peccatorem « nequeat ; tamen eum ad Dei gratiam in « sacramento pœnitentiæ impetrandam « disponit. » Attritio enim, quæ viam ad justitiam parat, dispositio est ad illam, quam tunc demum in suo genere infert, quando sacramento conjungitur ; sed ut hæc præstet, conditionem expressit Concilium, *si voluntatem peccandi excludat*, utique actualem : nam cum voluntate peccandi habituali, sive cum statu peccati optime cohæret. Attritio autem hanc actualem peccandi voluntatem excludens, modo a nobis explicando, nequit non esse efficax, et absoluta : quum namque hujusmodi non est, cum tali voluntate saltem implicita conciliari valet. Ergo in sententia Concilii quamvis attritio, ut sit pars hujus sacramenti, non debeat necessario esse efficax, tamen ut in sacramento disponat ad gratiam, sive sacramenti effectum, debet importare efficaciam illis verbis expressam. *Si voluntatem peccandi excludat*, quæ vel vana sunt, vel significant dari aliam attritionem non importantem eam efficaciam, et perfectionem, sed esse inefficacem.

Ratio autem distinguendi inter attritiones, vel unius attritionis conceptus, si veram quærimus, ea est, scilicet, Dei voluntas instituentis hoc sacramentum ; de qua sufficienter nobis constat per testimonia Concilii immediate relata. Si autem velimus assignare hujus dispositionis congruentiam, facile occurrit : nam sicut in ordine tam naturali, quam supernaturali dantur affectus circa idem objectum, ex quibus unus est efficax, et alter inefficax ; unde communiter distinguimus amorem efficacem, et inefficacem, intentionem efficacem, et inefficacem, auxilium efficax, et inefficax, etc., sic distinguere oportet in attritione, quin ulla in ea circa hoc occurrat repugnantia. Quod vero ad dolorem in esse partis hujus sacramenti sufficiat attritio non efficax, ad dolorem autem in esse dispositionis ad gratiam requiratur attritio efficax, eam congruentiam habet, quod sicut plus est inducere actu gratiam, quam posse illam inducere, et sicut majus est esse causam simul efficientem, et dispositivam, quam esse causam præcise : sic etiam plus requiritur, ut attritio sit simul pars sacramenti, et dispositio ad gratiam, quam ut sit præcise pars sacramenti ; sed minus desideratur, ut sit solum pars, quam ut sit simul pars, et dispositio. Quare licet attritio, ut cum sacramento sit ultima dispositio ad gratiam, debeat esse efficax, ut omnes docent ; tamen ut solum sit pars sacramenti, ea efficacia non eget, sed ab ea præscindit. Pro quo accedit optima congruentia rationis jam assignatæ loco citato num. 24, nam oportet, istud sacramentum ita institui, quod homines non paterentur anxietates, et scrupulos circa ejus valorem, ne ad repetitas eorundem peccatorum confessiones obligarentur ; quod foret molestiam addere molestiæ manifestandi semel peccata. In hos autem scrupulos frequenter impingerent pœnitentes, si attritio per modum partis ad valorem sacramenti requisita deberet esse efficax : quia in discernendo inter efficacem, et inefficacem summa occurrit obscuritas ob difficultatem comprehendendi internos nostræ conscientiæ sinus, et recessus, ut per experientiam liquet. Decuit itaque pro valore sacramenti non exigi attritionem determinate efficacem, sed quæ ab hoc præscindat. Et si opponatur, eandem difficultatem occurrere in agnoscendo attritionem supernaturalem ; et tamen ut attritio sit pars hujus sacramenti, debet esse supernaturalis determinate ; jam istam objectionem diluimus loco citato num. 25, quæ lector consulat.

288. His præjactis principiis, non parum lucis jam accipit nostra, et fere communis assertio : eam namque docent plures, et graves Doctores ; et in primis illam tuetur Navarrus tom. 1 suorum operum in cap. *fratres*, titulo de pœnitentia, dist. 5, n. 35, et in Manuali cap. 9, n. 13, cujus Navarr.

placuit verba referre, et sic inquit : « At « vero si de peccatis præteritis dolet, pro- « ponitque futura vitare, quamvis non adeo « doleat, neque ita perfecte illa vitare « proponat, ut perveniat ad sufficientem « contritionem, neque ad eam attritionem, « quæ adjuncta sacramento in contritionem « transeat » (hæc est attritio efficax) « non « tamen tenebitur iterare confessionem. »

Sotus, Cano, Toletus, Henriq. Granad. Talentia. Joann. a S. Thom. Reginal. Aversa. Delgad.

Ex quo sequitur, quod illam efficit validam, esto infructuosam. Idem tenent Sotus in 4 sent. dist. 18, quæst. 3, art. 3, Can. 5, Victoria in summa n. 157, circa finem, Mag. Cano relectione de pœnit. part. 5, fol. 130 et 131, impressionis Complut. Estque sententia communis Thomistarum ; eam etiam sectantur Toletus, Henriquez, Granad. quibus addimus Valentiam disp. 7, q. 11, punct. 2, Joannem a Sancto Thoma ubi supra, § *Quapropter alia via*, Reginaldum apud Leandrum disp. 7, quæst. 23, Aversam in quæst. 15, sect. 6, § *Septimus casus sit*, referens Delgadillum cap. 10, dub. 6, num. 37, et dub. 7, num. 41. Refert etiam Emmanuel loc. cit. 268, pro isto casu Ledesmam, Nugnum, et Candidum, sed fallitur, quia id non docent; nec Gonet, qui allegatur pro hac sententia, illos refert.

Sed vanum est, alios pro isto modo dicendi Patronos quærere, cum habeamus unum pro mille Angel. Doctorem, qui illum satis aperte asseruit, ut collatis variis ejus testimoniis recte Tyrsus evincit disp. 40, sect. 6, n. 73, quamvis teneat sententiam contrariam, et nobis oppositam. Occurrunt enim sic D. Thomæ testimonia in quibus aperte docet, contritionem, sive dolorem esse partem essentialem hujus sacramenti : nam ut interim omittamus illa, quæ habet in summa Theologiæ, præsertim hac 3 part. q. 90, art. 1, cum duobus sequentibus ut in notis ad eosdem articulos observavimus ; sic expresse docuit super sententias : siquidem in 4, dist. 17, q. 3, art. 3, quæstiunc. 1, ad 2, ait : « Dicendum, quod in sacramento pœni- « tentiæ non solum est aliquod ex parte « ministri, scilicet, absolutio, et satisfac- « tionis injunctio : sed etiam aliquid ex « parte ipsius qui suscipit sacramentum, « quod est etiam de essentia sacramenti, « sicut contritio, et confessio. » Unde sicut nemo negat, confessionem esse de hujus sacramenti essentia, et quod sine confessione non possit istud sacramentum consistere; ita de contritione, sive dolore juxta D. Th. hoc debet affirmari, nempe, contritionem, sive dolorem esse de essentia hujus sacram. Sed in art. 4 immediate sequenti, quæstiunc. 1, ubi resolvit hoc sacramentum posse esse informe, sic ait « Dicendum, quod confessio est actus vir- « tutis, et pars sacramenti : secundum « autem, quod est actus virtutis, est actus « meritorius proprie ; et sic confessio non « valet esse sine charitate, quæ est prin- « cipium merendi. Sed secundum, quod « est pars sacramenti, sic ordinat confi- « tentem ad sacerdotem, qui habet claves « Ecclesiæ, qui per confessionem conscien- « tiam confitentis agnoscit. Et secundum « hoc confessio etiam potest esse in eo, qui « non est contritus, qui potest peccata sua « innotescere, et clavibus Ecclesiæ subji- « cere. Et quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum ; tamen recedente fic- « tione » (accedendi, scilicet, sine contritione, aut dolore) « percipere incipiet « sicut etiam est in aliis sacramentis. » In quibus plane ita contingit : quia dolor, sive contritio non est eorum pars, nec pertinet ad eorum essentiam. In quibus duobus testimoniis reperimus D. Thomam duo contradictoria asserere: nam in primis dicit, contritionem sicut, et confessionem esse de essentia hujus sacramenti ; in secundo autem negat essè de essentia, cum affirmet, posse confessionem sacramentalem salvari in eo, qui non est contritus, sicut contingit in aliis sacramentis, ad quæ profecto non pertinet essentialiter ullus dolor, seu contritio. Quid ad hoc dicemus ? Contradicit sibi Sanctus Doctor ? Nullo modo, præsertim cum ea loca sint adeo immediata, ut in eis offendant, vel tyrones, et Scioli. Concordia itaque stat in eo, quod D. Thomas contritionis vocabulo comprehendit, et distinxit duos de peccatis dolores, unum inefficacem, sufficientem quidem ad valorem confessionis, et sacramenti, sed insufficientem ad ejus fructum; alterum autem efficacem, ad valorem, et fructum sacramenti simul sufficientem. Et quando in primo loco affirmat, contritionem esse de essentia hujus sacramenti, non loquitur de dolore determinate efficaci, sed de dolore, vel inefficaci, vel ab efficaci, aut

aut inefficaci abstrahente ; et solum intendit, aliquem dolorem, vel aliquam contritionem imperfectam, seu attritionem esse essentialiter necessariam pro valore hujus sacramenti. Quando autem in secundo loco negat, dolorem ad hoc sacramentum essentialiter requiri, et docet, confessionem sacramentalem posse absque contritione imperfecta, seu attritione salvari, non negat omnem attritionem, sed præcise efficacem : nam licet hæc sit necessaria pro fructu sacramenti, non tamen pro ejus valore. Unde in illis dictis nulla est contradictio, sed omnia cohærent, ut erudite declarat Tyrsus. Sed hæc meminisse debuit, cum in eadem disp. n. 91 scripsit, hanc sententiam sibi non videri probabilem ; sententiam, scilicet, quam esse Divi Thomæ ostenderat ; præsertim cum n. 92 immediate sequenti fateatur (nec plane poterat negare) talem sententiam esse probabilem absolute. Maneat ergo, quod sacramentum pœnitentiæ factum cum attrione supernaturali inefficaci, existimata tamen efficaci bona fide, est validum, et informe : nam attritio supernaturalis inefficax est ad valorem hujus sacramenti sufficiens, licet non ad ejus fructum.

§ IV.

Sententia primæ assertioni adversa.

289. Sententiam contrariam, negantem absolute sacramentum pœnitentiæ posse esse in aliquo casu validum, et informe, propugnant ex antiquis Major in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 9, Gabriel ibidem q. 2, Adrian. qu. 5, de confess. dub. 5. Pro ea referuntur Medina qu. 20, de confessione ficta non iteranda, Vasquez q. 52, art. 2, dub. unico, Coninchus disp. 4, dub. 5 et 11, Layman lib. 5, tract, 6, cap. 6, Fagundez de secundo præcepto Ecclesiæ lib. 2, cap. 7, pro se adducens Scotum, Toletum, et alios ; immerito tamen, nam id non asserunt, ut legenti constabit. Palaus tract. 23, disp. unica, punct. 7, Ochogavia tract. 2, q. 30, Amicus disp. 12, sect. 2, Fuliensis 2 part. lib. 3, cap. 2, resolut. 6, N. Bonæ Spei disp. 2. Licet non omnes Authores, qui pro hac sententia referuntur, eam absolute tueantur ; sed aliqui solum negant validam informitatem sacramenti pœnitentiæ ex inefficacia doloris ; quod a præsenti assertione non parum discriminatur.

290. Arguunt, ergo, primo Major Gabriel, et Adrianus : quia non est vera confessio, atque adeo nec valida, illa, in qua pœnitens vere non manet absolutus ; sicut non est verus Baptismus aut valida Confirmatio, in quibus non vere quis abluitur, aut confirmatur ; sed in confessione informi, seu absque fructu gratiæ, pœnitens non vere absolvitur a peccatis ; ergo confessio informis non est vera, nec valida. Minor, in qua est difficultas, ostenditur. Quæ vere sacerdos ut minister absolvit super terram, sunt absoluta, et in Cœlo, ut Christus in institutione hujus sacramenti clare innuit, dicens : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, et in Cœlo :* atqui in Cœlo non sunt vere absoluta peccata, dum gratia non infunditur peccatori; ergo nec in terris est vera absolutio, ac proinde confessio, dum est informis, et infructuosa, seu absque fructu gratiæ. Argum. 1.

Confirmatur primo : etenim ubi non datur forma sacramentalis constituens, nec datur sacramentum constitutum, ut constat inductive in omnibus sacramentis, utpote ex materia, et forma coalescentibus; sed in confessione informi, et infructuosa non datur vera forma, quæ in absolutione consistit : ergo nec datur verum, et validum sacramentum pœnitentiæ. Minor suadetur : veritas absolutionis consistit in eo, quod ejus significatio cum re, quam significat, conformetur ; at forma instituta pro confessione, nempe *ego te absolvo a peccatis tuis*, significat solvi, ac remitti peccata, quòd absque infusione gratiæ est impossibile, ut modo supponimus : ergo absque fructu gratiæ non verificatur forma essentialis confessionis. Confirm 1

Confirmatur secundo, et tacita responsio præcluditur : nam etsi gratia ex se sit remissiva peccatorum, si tamen pœnitens ei impedimentum apponit, peccata vere non remittit : ergo etsi forma absolutionis, a ministro debita intentione prolata, sit ex se a peccatis absolutiva, si tamen pœnitens ponit ei obicem, vere non absolvit a peccatis ; erit quidem absolutiva, non tamen tunc actualiter vere absolvens ; sicut gratia, quæ est peccatorum remissiva, non est tunc vere remittens ; cum ergo Confirm. 2.

absolutio ultra facultatem absolutivam, actum absolvendi significet, si actu a peccatis non absolvit, perinde se habet ac minister, antequam impendat absolutionem, potens absolvere, et non absolvens : ergo tunc non datur vera absolutio a peccatis, et consequenter illa confessio informis non est vera, nec valida.

Responsio ad argumentum.

Ad argumentum, quamquam absolute posset concedi major, et minor negari, claritatis tamen gratia distinguitur major: non est vera, nec valida confessio illa, in qua pœnitens non manet vere absolutus, prout ly *absolutus* significat absolutionem a peccatis passive acceptam, sive ex parte termini semper habitam, negatur major ; prout illam significat active, seu quantum est ex parte ministri sacramentaliter absolventis, conceditur. Et distinguitur minor eodem modo : in confessione informi pœnitens non vere absolvitur a peccatis, absolutione passive accepta, sive ex parte termini, sumpta, videlicet, pro remissione passiva peccatorum, quæ est effectus gratiæ, concedimus ; absolutione, active, et ex parte ministri quantum est ex se, et ex institutione sacramenti absolventis a peccatis considerata, negamus minorem, et consequentiam. Unde in tali casu pœnitens vere tam a Deo in Cœlis, quam a sacerdote ejus ministro in terris, manet absolutus active, et quantum est ex institutione sacramenti ; esto non maneat absolutus absolutione passive sumpta, quæ coincidit cum remissione passiva peccatorum, et terminative accepta, connexa cum infusione gratiæ.

Diluitur confirmatio prima.

Ex quo ad primam confirmationem constat solutio ; concessaque majori, negatur minor; cujus probatio, ut concernens veritatem absolutionis prout formæ sacramentalis, tot respicit sententias, quot capita, pluresque dicendi modos circa sensum horum verborum, *Ego te absolvo* rejecimus ut distortos 1 part. hujus tract. disp. 3, dub. 2. Ubi § 5, sensum in omni eventu verissimum juxta D. Th. expendimus : ipse enim Doctor Angelicus 3 part. q. 84, art. 3, et Opusc. 22, cap. 3, inquit : « Sed « est sensus : Ego te absolvo, id est, sacra- « mentum, vel ministerium absolutionis « tibi impendo. » Quod omnimodo verificatur semper, ac sub ista forma, et legitima materia conficitur sacramentum, sive per gratiam, quæ est illius effectus formetur, sive informe relinquatur. Ex quibus manifeste constat, probationem claudicare in re significata ; cujus minor est falsa de primario, et formali significato intellecta : etenim hæc verba : *Ego te absolvo*, quæ sunt forma sacramenti pœnitentiæ, duo significant : et sacramentum scilicet, absolutivum a peccatis impendi a sacerdote, et rursus peccata per tale sacramentum remitti, et absolvi, gratiamque infundi. Primum significatum, uti essentiale, est ab absolutione inseparabile. Secundum est ab illa divisibile, non semperque verificatur, utpote consistens in termino, et effectu sibi in genere causæ effectivæ correspondente, qui separabilis est a causa, solumque exigitur a sacramento, et a forma aptitudinaliter, et quantum est ex se, non vero exercite. Unde illa forma significat, peccata absolvi, et remitti, non actualiter, et in exercitio, sed aptitudinaliter, et quantum est ex se, seu ex vi sacramenti ; quod quidem etiam in confessione informi verificatur.

Secunda confirmatio noto laborat æquivoco ; unde concesso antecedenti, consequentia, vel absolute negatur, vel detecta æquivocatione distinguitur consequens : ergo forma absolutionis, quando datur obex peccati ex parte pœnitentis, non actu absolvit a peccatis, licet ex se sit absolutiva, si ly *actu absolvit* sumatur active, et quantum est ex parte ministri, et sacramenti, negatur ; si sumatur passive, et terminative prout significat terminum causatum per absolutionem, nempe, gratiam, peccata solventem, et remittentem, conceditur, et negatur assumptum. Quamvis enim possit suspendi effectus causabilis effective a sacramento, videlicet, gratia solvens a vinculis peccatorum, ut contingit in confessione, et sacramento informi ; non tamen potest non verificari, sacramentum, ex se absolutivum a peccatis, esse actu exhibitum pœnitenti, et consequenter hunc esse actu absolutum active, et quantum est ex parte ministri. Unde maxime distant inter se, et absolutio tunc a sacerdote prolata, et potestas absolutiva ipsius, antequam illam proferat : quia hoc posteriori modo sicut non constituitur sacramentum, sic nec in exercitio datur absolutio adhuc active, et quantum est ex parte

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

parte sacramenti, et ministri. Per quod patet ad paritatem.

291. Arguunt secundo iidem antiqui Theologi. Instrumentum non alium effectum producit, quam ex motione agentis principalis, et juxta ipsius virtutem, et activitatem ; sed motio divina non sistit in absolutione, quatenus sacramentum impendit, sed ex se ad producendam gratiam remittentem peccata ordinatur : ergo nec sacerdos absolvens sistit præcise in sacramento constituendo, sed ad productionem gratiæ, et remissionem peccatorum progreditur. Patet consequentia : quia si hoc sacramentum ad remittenda peccata fuit ordinatum, et institutum, Deus a sua motione non dividit hunc effectum, et eo non consequuto, cessat finis, et institutio sacramenti : ergo sacerdos absolvens, ut instrumentum, ad producendam gratiam a Deo elevatum, non potest a sua activitate instrumentali productionem gratiæ separare ; et consequenter si sacramentum est validum, et essentialiter constitutum, debet etiam esse formatum, et fructuosum.

Confirmatur : etenim cum accusatione, quæ fit ore, cor fideliter debet conformari ; alias non esset sacramentalis confessio, sed historica narratio ; at in confessione informi peccatum, de quo ore accusatur pœnitens, in corde retinetur : ergo non concordant, sed os, et cor maxime dissonant. Ulterius, qui accedit cum morte animæ suæ ad sacramentum, et mortuus in illo manet per peccatum, nullam facit confessionem ; nam, ut inquit Spiritus Sanctus Ecclesiast. 17 : *A mortuo quasi nihil periit confessio.* Sed cui confessio perit, talis confessio nec fructum, nec valorem sortitur : ergo idem, quod prius ; et consequenter confessio informis est nulla.

Respondetur ad argumentum, concessa majori, distinguendo minorem : motio divina non sistit in absolutione, ut impendente sacramentum, sed ex se ad producendam gratiam ordinatur, et progreditur, quando non ponitur obex ab agente libero, conceditur ; quando talis ponitur obex, scilicet, peccatum lethale, negatur ; et eodem modo distinguitur consequens per ordinem ad sacerdotem absolventem : per quod facile vires argumenti infringuntur. Dicimus, ergo, quod sacerdos absolvens, et Deus, quantum est ex sua motione, et activitate, non sistunt in absolutione, ut præcise constituente sacramentum : sed ad gratiam producendam per sacramentum collimant, si non ponitur impedimentum peccati ex parte pœnitentis ; si autem tale impedimentum apponatur, impeditur talis motio, et activitas effectusque remissionis peccatorum non sequitur ; sed hoc non provenit ex defectu sacerdotis absolventis, sed tantum ex incapacitate subjecti.

Solutio confirmationis. D. Tho.

Confirmatio autem facile dispellitur, quamvis Sotus plura satis difficilia pro ejus enodatione congesserit. Respondetur ergo cum Ang. Præceptore art. 4, dist. 17, ad 3 : « Dicendum, quod ille, qui peccata, « quæ habet, narrat, vere loquitur : et sic « concordat voci, vel verbis quantum ad « substantiam confessionis, quamvis dis- « sonet a confessionis fine. » Unde concessis majori, et minori, negatur consequentia intellecta de dissonantia quoad substantiam confessionis sacramentalis : quia etsi pœnitens retineat corde peccatum, quoad usque remittatur per gratiam, vere tamen se de illo accusat, et detestatur illud attritione saltem inefficaci invincibiliter ab illo existimata efficaci, quæ sufficit ad valorem sacramenti. Et per hoc constat ad id, quod confirmatio addit ex Eccles. prout ibidem exponit Doctor Angelicus solut. ad 1, dicens : « Quod authoritas illa intelli- « genda est, quantum ad fructum confes- « sionis percipiendum, quem nullus extra « charitatem existens percipit. »

3 Argum.

292. Tertio arguit Vasquez ubi supra num. 22, quia in pœnitentiæ sacramento accedit sufficienter dispositus ad effectum illius, qui exhibet materiam a Christo Domino institutam, ut fiat verum sacramentum, accedente forma, nempe, absolutione ; sed sacramentum, quod suum effectum sortitur, nequit dici informe ; et aliunde si non ponitur materia a Domino instituta, non est validum, sed nullum : ergo servata divina institutione, implicat confessio sacramentalis informis, et valida. Majorem, ad quam devolvitur difficultas, probat : quia reo, qui profert ex parte sua omnia ad sententiam requisita, hæc sententia quoad effectum est debita, et si proferatur, suum effectum sortitur : cum ergo ex parte pœnitentis non nisi integra accusatio de suis peccatis, et supernaturalis de

illis dolor requirantur, ut sententia absolutiva peccata per gratiam remittat, et solvat ; sufficienter dispositus ad hunc effectum accedit pœnitens, qui omnia sua accusat peccata, eaque vero dolore supernaturali detestatur, atque deplorat, si legitima absolutio accedat.

Confirm. Confirmatur ex discrimine, quod inter hoc et reliqua sacramenta intercedit : nam in aliis partes essentiales, ea intrinsece constituentes, non sunt dispositiones ad eorum effectum, nempe gratiam ; ideoque licet sint informia, valent esse valida, ut patet in Baptismo, Confirmatione, Matrimonio, et Ordine ; at sacramentalis confessio exigit ut materiam necessariam actus pœnitentis ad peccata detestanda, qui sunt sufficientes dispositiones intra sacramentum ad gratiam recipiendam : ergo etsi reliqua sacramenta possint esse informia, et valida ; confessio, nisi sit formata, nequit esse vera. Probatur minor : nam ubi essentiales partes coincidunt cum dispositionibus ad effectum requisitis, ubi deficiunt dispositiones, desunt et partes, et e contra ubi adsunt partes, non deficiunt dispositiones ; sed in hoc sacramento Dominus instituit, illius partes esse ad gratiam dispositiones : ergo non stat, hoc sacramentum esse validum, et non esse fructuosum.

Infringitur argumentum. Respondetur ad argumentum, negando majorem principalem argumenti ; ad cujus probationem distinguendum est antecedens : reo integre sua delicta accusanti, et omnia requisita ad sententiam ex parte sua exhibenti, talis sententia quoad suum effectum debetur, quoad effectum formalem, hoc est, quod sententia ei impendatur, conceditur : quoad effectum ipsius effective productum, subdistinguitur ; si non datur impedimentum, concedatur ; si aliquod in ordine ad executionem apponatur impedimentum, negetur ; et sic manet enervatum totum argumentum. Nam licet peccatori integre se accusanti de suis delictis, eaque vero dolore supernaturali detestanti, debeatur sententia absolutiva, seu absolutio quantum ad hoc, quod est ei impendere absolutionem, et etiam quantum ad effectum ab absolutione effective causatum, nempe, gratiam, peccata remittentem, et solventem, quantum est ex intentione ministri, sacramentique institutione, si non ponatur obex ex parte subjecti, attamen si talis obex per peccatum apponatur, sistit in primo effectu absolutio, et effectum secundum nempe, gratiam, tunc nullo modo sortitur, ideoque confessio valida non formatur, sed remanet informis ob intrinsecum impedimentum, ut supra diximus.

Ad confirmationem nihil restat dicendum, præter ea, quæ inter nostram probandam conclusionem manent expensa ; scilicet, quod Christus Dominus plus instituit pro fructu hujus sacramenti, quam pro ejus valore : sic enim erat rationi conformius. Unde alius dolor requiritur ad hujus sacramenti valorem, nempe, attritio inefficax, vel ab efficacia præscindens ; et alius pro fructu sacramenti, et tanquam dispositio ad gratiam, videlicet, attritio efficax. Quare dolor, qui est pars essentialiter requisita non dicitur ad convertentiam cum dolore disponente ad gratiam intra sacramentum ; et sic potest esse validum hoc sacramentum, sicut et alia, licet maneat informe, et infructuosum.

§ V.

Adversariorum argumenta proponuntur et enervantur.

293. Contrariam secundæ assertioni sententiam tuentur Suarez disp. 20, sect. 4, num. 5, referens Gabrielem, Majorem, Adrianum, Medinam, ac Petrum de Soto, Vasquez q. 92, art. 2, dub. unic. a n. 13, Valentia tom. 4, disp. 7, qu. 11, punct. 2, Ægidius disp. 4, de pœnit. dub. 5, Tannerus tom. 4, disp. 6, de pœnit. q. 6, dub. 4, n. 83, Bellarminus tom. 2, lib, 2, de pœnit. c. 6, Layman lib. 5, tract. 6, c. 4, n. 6 et 8, et c. 9, n. 2 et 3, et alii. Pro quorum sententia arguitur primo ex Tridentino : nam juxta Concilium eadem attritio indivisibiliter, et secundum eandem rationem est pars sacramenti pœnitentiæ, et dispositio ad ejus sacramenti fructum ; sed ut ad hujusmodi fructum disponat, debet esse efficax, ut concedimus : ergo pariter debet esse efficax, ut sit sacramenti pars ; et consequenter ubi sacramentum pœnitentiæ est validum, semper etiam est fructuosum, atque ideo per insinuatam a nobis distinc-

tionem

tionem attritionis inefficacis, et efficacis salvari non valet, quod sacramentum hoc sit aliquando validum, et informe. Cetera constant, et major ostenditur. Etenim Concilium sess. 14, c. 3, postquam recensuit contritionem sive dolorem inter partes hujus sacramenti, statim cap. 4 sequenti illum dolorem diffinivit his verbis : « Contritio, quæ primum locum inter dic- « tos pœnitentis actus habet, animi dolor « ac detestatio est de peccatis cum propo- « sito non peccandi de cetero. » Sed detestatio ac dolor cum proposito non peccandi est dolor efficax, et sufficiens dispositio ad fructum sacramenti ; siquidem Concilium, cum eo loco assignet dispositionem pro tali effectu, nullam aliam ponit quam hujusmodi dolorem : ergo juxta Concilium eadem indivisibiliter, et secundum eandem rationem attritio est pars hujus sacramenti, et dispositio ad fructum illius.

Confirmatur, et urgetur : nam Concilium post illa verba : « Animi dolor ac detesta- « tio est de peccatis, » etc., quibus explicuit naturam doloris, qui est pars sacramenti, statim subjunxit : « Fuit autem « quovis tempore ad impetrandam veniam « peccatorum hic contritionis motus neces- « sarius. » Atqui dolor, qui quovis tempore fuit necessarius ad impetrandam veniam peccatorum est dolor efficax ad futura peccata præcavenda : ergo assignavit Concilium pro materia necessaria sacramenti pœnitentiæ dolorem determinate efficacem ; ac subinde ob defectum doloris efficacis non poterit esse sacramentum informe, sed nullum. Minor, in qua est difficultas, suadetur : tum, quia sine illo efficaci peccatorum dolore nunquam Deus adultis peccata remisit, ut patet Deuteronomii 4 : *Cum quæsieris Dominum, invenies eum, si toto corde quæsieris eum, et tota tribulatione animæ tuæ.* Quæ verba dolorem ac detestationem efficacem peccatorum important. Tum etiam : nam dolor, qui quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum fuit necessarius, est dolor conjunctus cum proposito absoluto observandi omnia præcepta, juxta illud Ezechielis 18 : *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit præcepta mea, et fecerit judicium, et justitiam, vita vivet, et non morietur, omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Sed dolor cum proposito observandi omnia præcepta, vel, quod idem est, cum proposito absoluto non labendi in peccata futura, est dolor omnino efficax : ergo :

Ad argumentum respondetur negando majorem, cujus falsitas constat ex dictis, et satis diffuse expensis disp. præc. dub. 1, § 3, a num. 23, et deinceps, ubi statuimus distinctionem intercedentem inter dolorem requisitum ad partem essentialem sacramenti, et desideratum ad ejus fructum. Ad majoris autem probationem neganda est minor : quippe tota illa doloris definitio, qua Concilium illum describit, convenit dolori tam efficaci, quam inefficaci, cum cuilibet eorum absolute conveniat esse serium animi dolorem cum proposito non peccandi de cetero : quemadmodum enim datur dolor efficax, et inefficax ; ita etiam propositum efficax, et inefficax non peccandi. Concilium autem, dum dolorem, qui est pars sacramenti, definivit, non dixit esse detestationem peccatorum cum proposito efficaci de cetero non peccandi, sed solum cum proposito non peccandi ; quæ omnia utrique dolori, ut ex se constat, adaptantur. Unde magis firmatur nostra doctrina, quatenus asserit ad attritionem, ut sit mera pars sacramenti pœnitentiæ, non desiderari esse dolorem determinate efficacem. Et inserta minoris probatio nihil evincit, quin potius regerenda est in arguentem : nam Concilium pro attritione in esse partis sacramenti non alium dolorem assignat, nisi quem ibi describit ; ille autem non est determinate efficax, sed ab efficaci, et inefficaci præscindens, ut ex verbis ipsius definitionis liquet. Solvitur

Ad confirmationem neganda est minor intellecta, ut intelligi debet, solum, et determinate de dolore efficaci : aliud namque est dolorem esse ad justificationem necessarium, aliud vero esse sufficientem. Differentia igitur inter utrumque dolorem efficacem, et inefficacem in eo sita est, quod quamvis uterque fuerit, et sit ad justificationem necessarius ; tamen solum efficax est ad justificationem sufficiens, secus vero non efficax, sive ab efficaci, et inefficaci præscindens : plurima enim possunt esse necessaria ad aliquid, quin propterea per se sola sufficiant, sed alia desiderentur. Cum ergo Concilium ibi definierit communem Confirmationi satisfit.

rationem doloris, merito dixit talem motum fuisse omni tempore necessarium ad remissionem peccatorum, sed non dixit fuisse sufficientem, nec dicere potuit : quia certum etiam est attritionem, quantumvis efficax in suo genere fingatur, non fuisse sufficientem vel ex se, vel adjunctam alicui sacramento ad remissionem peccatorum ante legem gratiæ. Et eodem modo potuit Concilium asserere actum fidei fuisse quovis tempore necessarium, ut remitterentur peccata, quia sine fide nemo justificatur ; et si ita dixisset Concilium, inepte quis inde colligeret Concilium dicere aut sentire, quod actus fidei esset ad justificationem sufficiens : nam toto cœlo distant aliquid requiri, et aliquid sufficere ; et non melius colligit qui ex eo quod Concilium dicat motum contritionis, de quo agebat in genere abstrahendo a contritione perfecta, et ab attritione tam efficaci quam inefficaci, fuisse omni tempore ad justificationem adultorum necessarium, infert Concilium sensisse illum contritionis motum, de quo agebat, fuisse omni tempore sufficientem, et esse determinate efficacem. Per quod patet ad utramque minoris probationem, ad primam quidem : quia licet Deus nunquam adultis peccata dimiserit sine dolore efficaci, non tamen cum illo solo, sed etiam cum dolore inefficaci, aut præscindente ab efficaci, et inefficaci, quippe qui etiam quovis tempore ad illum effectum necessarius fuit, quamvis alias ipse solus non sufficiat. Ad secundam autem, quoniam ad peccatorum veniam impetrandam non solum fuit necessarius dolor conjunctus cum proposito absoluto, et efficaci servandi omnia præcepta, verum etiam dolor sociatus cum proposito absoluto et inefficaci non labendi in futura crimina, sive cuncta præcepta observandi.

294. Secundo arguitur alio simili fun-
Argum 2 damento ex eodem Concilio petito. Etenim cum. cap. 3, assignasset contritionem ut hujus sacramenti materiam, et cap. 4, eam descripsisset, mox prædictam contritionem divisit in contritionem perfectam, sive ex amore charitatis ortam, et in contritionem imperfectam, seu attritionem, de qua immediate subjungit : « Illam vero contri-
Concil. Trident. « tionem imperfectam, quæ attritio dici-
« tur, quoniam vel ex turpitudinis peccati
« consideratione, vel ex gehennæ, et pœ-
« narum metu communiter concipitur,
« voluntatem peccandi excludat cum s
« veniæ, declarat non solum non face
« hominem hypocritam, et magis peccat
« rem, verum etiam donum Dei esse,
« Spiritus Sancti impulsum, non quide
« inhabitantis, sed tantum moventis, qu
« pœnitens adjutus viam sibi ad justitia
« parat; et quamvis sacramento pœnite
« tiæ per se ad justificationem perduce
« peccatorem nequeat, tamen eum ad D
« gratiam in sacramento pœnitentiæ imp
« trandam disponit. » Ergo Concilium d
clarans, ac dividens contritionem, quæ e
pars, et materia hujus sacramenti, no
aliam recognoscit, aut recenset, nisi v
perfectam ex amore charitatis causatan
vel imperfectam attritionem intra sacra
mentum disponentem sufficienter ad obt
nendam justificationis gratiam. Atqui attr
tio sufficienter intra sacramentum dispo
nens ad gratiam est omnino, ac determina
efficax : ergo ex mente Concilii solum attriti
efficax est materia, et pars essentialis huju
sacramenti ; ac per consequens sine hujus
modi efficaci dolore sacramentum er
nullum.

Respondetur negando consequentiam quippe dum Concilium assignavit materia hujus sacramenti, contritionem in com muni assignavit, sub qua comprehendi contritionem perfectam, et imperfectam scilicet, attritionem ; sub qua attritione, u sic duplicem etiam attritionem satis apert insinuavit ; aliam, quæ excludit non solu pro explicito, sed etiam pro implicito vo luntatem actualem peccandi, quæ est attri tio efficax intra sacramentum sufficiente disponens ad gratiam sacramenti fructum alium vero talem voluntatem actuale peccandi omnino non excludentem, se aliquomodo, implicite nimirum, in su consortio permittentem, quæ adeo est inef ficax attritio, et adhuc intra sacramentu non disponit ultimo ad ejus fructum. I quod satis palam colligitur ex eodem Con cilio, dum in communi sic loquitur : « S « voluntatem peccandi excludat cum sp « veniæ, declarat, » etc. Frustra namqu Concilium illam conditionalem *si*, ac limi tationem apponeret, si aliam attritione voluntatem peccandi aliqualiter non exclu dentem non recognosceret. Hæc igitur es attritio inefficax, et materia sufficiens a sacramentu

sacramentum, ipsumque constituens validum, non tamen adhuc in sacramento sufficienter disponens ad ejus fructum. Ex quo fit, quod dum sola adest, sacramentum est validum ac informe.

Dices : implicat, quod sacramentum valide suscipiatur, dum voluntas actualis peccandi retinetur, aut non destruitur ; sed juxta nuper dicta attritio inefficax voluntatem actualem ad peccandum non excludit : ergo cum solo isto dolore inefficaci sacramentum evadit nullum. Respondetur, quod licet attritio inefficax non excludat sicut efficax voluntatem peccandi absolute, et omnibus modis ; excludit tamen voluntatem actualem peccandi formalem, et expressam, quamvis ex modo tendendi segniter ac languide interpretemur admittere aliquomodo voluntatem virtualem, et implicitam, quoniam ita detestatur peccata, ut propter aliquam peccandi inveteratam consuetudinem illa non respuere videatur. Cum hoc autem interpretativo, virtuali, et implicito affectu ad peccatum præcise ex modo tendendi segni ac tepido, stat vera ac seria detestatio peccati formalis, et explicita destruens omnem voluntatem peccandi formalem, et expressam ; et quamvis ex hac voluntate implicita, ac interpretativa impediatur sacramenti fructus, non tamen ejus valor.

Sed urgebis : nam voluntas implicita ac virtualis objecti dissoni sufficit ad peccatum, ut patet in Angelis, qui solum ex modo tendendi affectu virtuali ac implicito ad objectum peccaminosum, graviter deliquere : sed sacramentum susceptum cum actuali peccato in illo commisso est nullum : ergo hac via salvari non potest sacramentum pœnitentiæ susceptum cum dolore præcise inefficaci esse validum, et informe.

Respondetur, voluntatem objecti peccaminosi implicitam, et virtualem non ortam ex ignorantia invincibili, sed vincibili, aut ex aliqua inadvertentia, inconsiderationeve practica, qualis fuit in Angelis, qui ex ignorantia non peccaverunt, sufficere ad peccandum. Qui vero bona fide accedit ad sacramentum pœnitentiæ cum inefficaci dolore, invincibiliter putat se efficaciter peccata detestari, ac de illis efficaciter dolere ; unde nullum peccatum committit. Imo esto procederet cum ignorantia lethaliter peccaminosa, qua graviter in sacramenti receptione delinqueret, si tamen hæc ignorantia non esset crassa, supina, aut affectata, sed tantum vincibilis, sacramentum utique validum quamvis non fructuosum susciperet, ut ex dicendis dubio sequenti constabit.

295. Tertio, et ultimo arguitur. Nam Concilium eundem dolorem assignat ad fructum hujus sacramenti, quem depingit, ut sit illius pars ; sed dolor desideratus ad fructum sacramenti obtinendum est determinate efficax : ergo tantum dolor efficax est qui assignatur a Concilio, ut necessarius per modum materiæ ad sacramenti valorem ; atque ideo hujusmodi dolore deficiente, sacramentum validum non erit. Suadetur major : nam postquam dixit : « Sunt autem quasi materia hujus sacra- « menti ipsius pœnitentis actus, nempe « contritio, confessio, et satisfactio, » statim addidit : « Qui quatenus in pœnitente « ad integritatem sacramenti, ad plenam- « que, et perfectam peccatorum remissio- « nem ex Dei institutione requiruntur, hac « ratione partes pœnitentiæ dicuntur. » Ergo eundem dolorem, ac sub eadem ratione assignat Concilium necessarium ad perfectam peccatorum remissionem, et ut sit sacramenti pars. Atqui dolor requisitus ad remissionem peccatorum est determinate efficax, ut nemo negat : ergo etiam ut sit, et dicatur pars sacramenti, debet esse efficax, et ad utrumque munus sub unica ratione concurrere. Argum. 3.

Confirmatur primo : étenim Concilium, ubi assignat hujus sacramenti partes, eodem modo loquitur de contritione, seu dolore, ac de confessione ; sed confessio, sub illa ratione, sub qua requiritur ad fructum sacramenti, est etiam necessaria ad ejus valorem : nam ut integra formaliter requiritur necessario ad utramque rationem : ergo pariter, contritio, vel dolor sub eadem ratione requiritur ad valorem sacramenti, et ad ejus fructum. Cum igitur ad fructum sacramenti sit necessarius dolor efficax, etiam erit ad ejus valorem requisitus. Confirm. 1

Confirmatur secundo exemplo satisfactionis, quæ non est pars essentialis, sed tantum integralis hujus sacramenti ordinata ad remissionem pœnæ temporalis remanentis post culpam dimissam. Nam satisfactio sub illa ratione est pars hujus sacramenti, sub qua pœnam temporalem Confirm. 2.

diluit, et proprium fructum, et effectum obtinet, et e converso : ergo simili modo contritio imperfecta, seu attritio est hujus sacramenti pars essentialis quatenus remittit intra sacramentum in suo genere dispositivo rationem culpæ, qui est proprius fructus illius ; et e converso, quatenus non concurrit ad hujusmodi effectum, non habet rationem partis. Ergo cum ut sit dispositio sufficiens ad remissionem culpæ, necessario sit dolor efficax, etiam ut habeat rationem partis in sacramento debet importare efficaciam.

Diluitur argument. Respondetur ad argumentum negando majorem, ad cujus probationem confesso antecedenti, negantur consequentiæ inde deductæ : etenim ex quo Concilium asserat pœnitentis actus esse partes sacramenti quatenus requiruntur ad perfectam peccatorum remissionem, minime infertur dolorem sub ea ratione esse partem, sub qua habet esse dispositionem ad fructum. Id quod evidenter instatur in eadem materia : nam quemadmodum attritio, ita etiam confessio, et satisfactio sunt sacramenti partes, quatenus requiruntur ad perfectam peccatorum remissionem, uti Concilium docet ; et nihilominus confessio, et satisfactio sub ea ratione qua sunt partes, non sunt dispositiones ad gratiam sacramenti, siquidem sunt partes, ut opera externa, et sub ista ratione operis externi, et sensibilis omnino incapaces sunt, ut dispositive concurrant ad internam ac spiritualem gratiæ receptionem. Ergo ex verbis Concilii non recte infertur attritionem sub eadem indivisibili ratione munus partis ac dispositionis obire : sunt enim distincta munera ad diversa causarum genera spectantia. Concilium igitur ita intelligendum est, quod attritio sit, et dicatur pars sacramenti, quatenus requiritur ad perfectam ac plenam peccatorum remissionem, non tamen cum omnimoda sufficientia, sed ultra istum dolorem requiratur alter, qui sit sufficiens : quippe, ut supra explicuimus, satis differunt esse aliquid necessarium ad aliquem effectum, et esse sufficiens ; intentio enim necessario desideratur ad sacramentum, quæ tamen sola non sufficit. Unde non dicuntur ad convertentiam ratio partis, et ratio dispositionis, ita ut dolor sit pars quatenus dispositio, aut dispositio quatenus rationem partis sortitur : quoniam ly *quatenus requiritur* solum impor in dolore efficaci necessitatem requis non autem requisiti sufficientiam ad p nam, ac perfectam peccatorum remiss nem : quoniam ad hunc effectum obtine dum necessarius est dolor inefficax, c habet rationem partis, et ultra illum de deratur dolor efficax per modum dispo tionis.

Ad primam confirmationem respondet negando majorem : nam Concilium distin to modo loquitur de confessione formalit integra, ac de attritione : quippe confe sioni nullam limitationem apposuit, qua tamen attritioni adjunxit, dum dixit : « « voluntatem peccandi excludat cum s « veniæ ; » ubi in dolore, ut sit disposit ad fructum sacramenti exposcit efficacian per quam voluntas peccandi omnino excl ditur. Hanc autem restrictionem non p suit, dum de attritione, quæ est pars sacra menti sermonem faceret : de hac eni solum dicit : « Animi dolor ac detestat « est de peccatis cum proposito non pe « candi de cetero ; » quæ omnia de attr tione inefficaci, et parte sacramenti verif cantur. Unde cum distinguat inter dolore partem, et inter dolorem dispositionem, id non efficiat circa confessionem formal ter integram, ut est pars sacramenti, et habet concurrere ad illius fructum, nc eodem modo de utrisque loquitur. Et qu dem ratio favet, ut ita procedat : eteni confessio, ut formaliter integra cum nc sit dispositio ad gratiam, sed solum pa essentialis sacramenti, instrumentalite effective ad illius fructum concurren necessarium non est, quod in ea duplice rationem assignet, sed sat est, quod su eadem utrumque munus, et partis, causæ efficientis exerceat. Attritio aute cum habeat rationem partis, atque ide concurrat efficienter instrumentaliter a fructum sacramenti, et insuper sit caus dispositiva ad gratiam, consentaneum fu Concilium inter hæc duo munera distin xisse, et pro unoquoque exercendo pro priam rationem doloris assignasse : plu enim requiritur ad influendum effective ac dispositive, quam ad solum effective Attritio igitur, ut inefficax habet rationer partis sacramentum constituentis, ac ins trumentaliter instituentis in gratian dum obex non adest ; ut vero dispositiv concurra

concurrat, necessario efficaciam exposcit.

Ad secundam dicendum est, satisfactionem esse tantum partem integralem sacramenti, et non dispositionem ad illius fructum, cum frequenter sit aliquid externum, quod disponere nequit ad infusionem gratiæ. Quo circa solum desideratur, ut reatum pœnæ temporalis solvat tanquam pars sacramentum adintegrans. Attritio vero est pars essentialis sacramenti, et simul dispositio ad fructum illius; unde contingit habere, quæ requiruntur ad rationem partis, quin habeat omnia requisita ad rationem sufficientis dispositionis, et consequenter primum munus obire valet non exercendo secundum: ad hoc enim dolor efficax voluntatem peccandi excludens desideratur; ad illud vero attritio inefficax satis est, vel præscindens ab efficaci, et inefficaci.

296. Dices : vel dolor inefficax sufficit simul ad valorem sacramenti, ac ad ejus fructum, vel non sufficit ad valorem obtinendum : primum est falsum, ut concedimus : ergo secundum concedendum est, atque ideo sacramentum cum solo inefficaci dolore validum non erit. Major ostenditur : nam accedens ad sacramentum cum dolore inefficaci, vel accedit bona fide putans efficacem esse, vel mala existimans esse inefficacem? Si bona fide accedit, non delinquit lethaliter in receptione sacramenti, ac subinde cum obicem gratiæ non ponat, sacramentum validum simul, et fructuosum existet. Si vero mala fide accedat cognoscens dolorem esse inefficacem, grave peccatum in sacramenti susceptione committit, siquidem scienter obicem gratiæ apponit ob carentiam sufficientis dispositionis, et consequenter sacramentum erit nullum. Ergo ex dolore inefficaci non recte colligimus validitatem, ac informitatem sacramenti.

Respondetur negando majorem; ad cujus probationem priorem dilemmatis partem colligimus, cujus impugnatio non urget. Etenim qui bona fide accedit ad sacramentum cum inefficaci dolore existimans esse efficacem, non ponit obicem gratiæ ex eo, quod peccatum in sacramenti susceptione committat; sed aliunde, quatenus, nimirum, dolor, quem in re adhibet, non est efficax, atque ideo nec sufficiens dispositio ad sacramenti fructum. Unde licet sic accedens non delinquat, et judicet se fructum sacramenti adipisci, illum re vera non obtinet, ex quo fit sacramentum esse validum ac infructuosum. Id quod aliqualiter parificari potest in eo, qui bona fide accederet ad sacramentum cum attritione naturali existimans esse surpernaturalem, qui nec delinqueret, nec fructum sacramenti reciperet : quia esto peccatum non ponat, quod est impedimentum gratiæ repugnans, ponit tamen inculpabiliter alium obicem ex carentia doloris supernaturalis, et efficacis per modum dispositionis gratiæ convenientis. Ita igitur in præsenti contingit, quamvis inter utrumque eventum sit notum discrimen quoad valorem sacramenti. Et enim si attritio re vera est naturalis, licet bona fide existimetur supernaturalis, non est materia apta ad constituendam sacramenti essentiam. Attritio autem supernaturalis, et inefficax, si bona fide efficax judicetur, est materia apta ad sacramenti valorem, non quia efficax existimatur, sed quia reipsa est supernaturalis dolor, ac « detestatio de peccato commisso cum pro« posito non peccandi de cetero; » qua definitione Concilium describit attritionem requisitam per modum partis, quæque mere naturali adaptari non potest. Unde licet attritio supernaturalis inefficax differat ab efficaci in eo, quod voluntatem peccandi non omnino excludat, ut Concilium innuit, convenit tamen cum ea in pluribus aliis ab eodem Concilio assignatis : convenit quippe in ratione doloris supernaturalis, et in eo, quod sit domum Dei, et Spiritus Sancti impulsus, ac insuper in suo motivo, quoniam utraque, « vel ex turpitudinis peccati « consideratione, vel ex gehennæ, et pœna« rum metu communiter concipitur. » Qui quidem metus, vel timor est servilis non solum servilitate subjectiva, quæ consistit in eo, quod subjectum timorem concipiens sit in servitute, seu in statu peccati gravis, sed etiam servilitate objectiva, et formali, extendentia ad objectum, et formali motivo desumpta, ex attingentia nimirum pœnæ, ut statuimus tract. 18, de Spe, disp. 4, dub. 3, agentes de timore servili.

Verum quia de timore servili memoria incidenter effecta est, minime omittenda venit impugnatio injusta, quamvis ex sana, ut credimus, intentione orta, quo Magister Ponce Observantissimæ Familiæ Carme- M. Ponce

litanæ alumnus acriter invehit doctrinam, quam agentes de timore servili loco proxime citato tradidimus, quamque pro viribus demolire conatur uti rationi non consonam, et quod plus est, ut omnino D. Thomæ contrariam. Impugnationem sereno animo vidimus, ac non semel demirati sumus virum oculatissimum in re clarissima adeo vehementer fuisse deceptum, aeremque verberasse. Fictos plane apprehendit hostes ubi veri deficiebant : nullibi enim doctrinam, quam nobis impingit, docuimus, ut ex statim subjiciendis evidenter constabit. Quo circa eximium viri ingenium commendamus, ac ingentem erga familiam nostram benevolentiam gratitudine amicissime rependimus. Cum tamen absque hujus præjudicio impugnationem intulerit, etiam absque ejusdem disruptione impugnationem abigere, ac crimen inconsequentiæ in sectandis D. Thomæ vestigiis, quo nostram doctrinam inficit, amovere licebit. Id quod breviter fiet, ut quam citius ad rem præcipuam, a qua tantisper discedimus, regrediamur.

§ VI.

Digressio vindicativa doctrinæ traditæ tract. 18, *disput.* 4, *dub.* 3, *ab impugnatione Mag. Ponce.*

297. Inter alia igitur proprii ingenii monumenta, prælo mandata, novissime Magister Ponce quandam controversiam Theologico dogmaticam in cap. 4 Tridentini Romæ typis excussit. Cujus lectioni dum libenter, ac voluptate non modica incumbimus, inopinate nobis occurrit sextum argumentum dubii 3, cujus epigraphe est : « Occasione sexti argumenti ostendi-« tur in timore divino servili dari servili-« tatem formalem, et objectivam omnino « diversam a servilitate subjectiva. » In quo perdoctus Magister a num. 177, usque ad 202 inclusive, totus est in impugnando, ut sibi persuadet, doctrinam, quam disp. ac dub. citat. tradidimus. Ceterum ut cunctis veritas evidentius appareat, videamus quid prælaudatus Magister tot coacervatis argumentationibus evincere intendat, ut ita innotescat id in quo nos sibi contrarios existimet, et an re vera doctrinam nostram impugnet, an potius in fru laborare.

Igitur prædicti Magistri scopus, ut graphe citati argumenti palam ostendi evincere, quod in divino timore ser datur servilitas formalis, et objec omnino distincta a servilitate subjecti quarum hæc nihil est aliud quam st servitutis, seu peccati habitualis mort in quo eliciens actum timoris ser existit, prout idem Ponce docet, et ipsi docuimus loco ab eodem citato. vero, servilitas nimirum, formalis objectiva, est ipsa actualis tendentia dicti actus timoris ad suum objectum cificativum, quod est pœna : vel, ut i Magister explicat, « est ipsa attinge « pœnæ tanquam objecti proprii in acti « in habitibus vero est respicientia ho « actuum, et pœnæ tanquam objecti pro « servilitatis. » Ita dub. 3 suæ contro « siæ num. 190. Quo supposito,

Sic prælaudatus Magister intentum det a num. 176 : « Timor servilis, ut « tinctus a casto, et a mixto ex casto « servili, importat servilitatem non so « ex parte subjecti, sed etiam ex p « objecti ; sed ratio servilitatis est con « ria charitati, ac proinde mala : erg « mor servilis, ut distinctus a casto, « mixto ex casto, et servili, est malus « charitati contrarius. Major hujus sy « gismi, quam immerito negat » (perpe verba) « et acriter impugnat noster « manticensis tom. 7, tract. 18, disp. « dub. 3, num. 28, 29, 30 et 40 oste « tur », etc. Inde pergit, ac per agglo ratas paginas adducit plures illius maj probationes ex D. Thoma depromptas, bus assumptum adeo palam demonstra aliquando asserat esse evidentissimum D. Tho., interdum esse expressam ip mentem, quandoque vero se urgentissi et simul ad hominem contra Salmantic ses arguere ; atque alia his similia imm cet, quibus tanquam de victoria p triumphum arripuisse sibi videtur. Ne plane illum sibi denegabit ; at fictum lum concedet, quippe cui in hostes tant modo apprehensos irruerit.

Ulterius prælaudatus Magister abs ullo hæsitationis vestigio absolute af mat, unicum ac totale fundamentum, usi fuimus ad statuendam nostram doc

n

iam, quam sibi oppositam judicat, aliud ion esse quam argumentum quoddam a D. Thoma 2, 2, quæst. 19, art. 5, pro contraria sententia propositum, et ab eodem ing. Præceptore, veluti suæ resolutioni dversum, dissolutum. Ita expresse ingeiosus Magister dub. citat. suæ controverliæ a n. 184. Tum illis verbis : « Nunc sic : sed hoc est » (præfatum videlicet rgumentum) « unicum, et totale fundamentum, quo noster Salmanticensis movetur », etc. Tum etiam illis, quibus ationem concludit : « Igitur sententia opposita, et a nostro Salmanticensi propugnata unice fundatur in argumento contrario ipsi D. Thomæ, quod idem D. Thomas ut sibi contrarium contra se proponit, et solvit. » In quo proculdubio xcessit : quippe non nihil amicabiliter orquet, adeo palam asserere fidelissimos D. Thomæ discipulos, ac in omnium judio rigidissimos, in re clarissima ab ejus estigiis sinistre deviasse. Ceterum quum eminem fugiat, doctrinam hactenus in oc cursu traditam ullibi ab Angelici Præeptoris mente nec in minimis recessisse, nsuperque tradendam nec ab eodem (ut ixum in animo est) unquam recessuram, tramque Magistri Ponce impositionem ad rutinam avocemus, ut quid verum sit nnotescat.

298. Et quidem in prima absque ullo orsus fundamento procedere, multiplicier ostendimus. Primo : nam ut major llius syllogismi negaretur, aut acriter mpugnaretur, ut ipse inquit, necessum rat negare, aut impugnare servilitatem ormalem, et objectivam, quam ultra serilitatem subjectivam in illo argumento tabilire intendit ; sed nec in locis a once citatis, nec alibi servilitatem formaem, et objectivam veram, et propriam egamus, aut impugnamus : ergo absque undamento asserit majorem sui argumenti nobis negatam, aut impugnatam fuisse. Minor facile ostenditur sincera lectione erborum, quæ tradidimus disp. 4, dub. 3, num. 28, citatis a Ponce, quæque fideliter transcripta sunt hæc : « Dicendum est « secundo, conditionem servilitatis non « reddere actum timoris pœnæ turpem, sed « prædictum actum licet huic conditioni « conjunctum adhuc conservare bonitatem « moralem. Hæc conclusio nobis est de fide, « et omnino consona præcedenti. Probatur « breviter : quoniam conditio servilitatis, « de qua in præsenti, nihil aliud est quam « status servitutis, seu peccati habitualis, « in quo eliciens actum timoris existit ; « sed per hoc quod actus timoris eliciatur « ab homine existenti in peccato mortali: « habituali non contrahit malitiam, nec « bonitatem exuit : ergo conditio servili« tatis non reddit actum timoris turpem. « Consequentia patet, et minor ostenditur : « nam status habitualis peccati non reddit « actus in eo statu elicitos generaliter tur« pes, alias omnia opera peccatoris essent « peccata. Quod damnat Conc. Trid. sess. 6, « can. 7, his verbis : Si quis dixerit, opera « omnia, quæ ante justificationem fiunt, « quacumque ratione facta sint, vere esse « peccata, etc., anathema sit. Et iterum « Pius V, et Greg. XIII condemnantes pro« positionem 35 Michaelis Baji, quæ erat « hujusmodi : Omne quod agit peccator, aut « servus peccati, peccatum est. Ergo status « peccati habitualis non præstat quod timor « servilis ex se, et secundum suam essen« tiam honestus, ut vidimus § præced. « fiat turpis, et peccaminosus. » In quibus verbis, ut patet, nihil invenitur, quod neget, aut impugnet servilitatem formalem, et objectivam, cum ultra servilitatem subjectivam, quæ in existentia subjecti in statu peccati habitualis consistit, aliam servilitatem honestam, et moraliter bonam probemus, quam vocamus actum timoris servilis *secundum essentiam*, et omnino coincidit cum servilitate *formali, et objectiva*, prout a Magistro Ponce intenditur.

Secundo : nam servilitas formalis, et objectiva non est aliqua conditio contingenter superaddita essentiæ, et bonitati morali specificæ actus timoris, sed est ipsa essentia, seu substantia, et bonitas moralis specifica illius, quæ per se ipsam intransitive, et absque aliquo addito reali, formali, aut virtuali servilitas formalis, et objectiva denominatur, ut Ponce intendit ; sed locis ab eo citatis plane ostendimus actum timoris servilis adhuc in consortio servilitatis subjectivæ provenientis a statu peccati mortalis habitualis conservare, suam honestatem, ac bonitatem moralem substantialem, seu essentialem, et specificam, esseque tunc moraliter bonum secundum suam essentiam : ergo minime

negavimus, aut impugnavimus servilitatem formalem, et objectivam, pro qua suadenda prædictus Author defatigatur.

Tertio : quoniam servilitas formalis, et objectiva, ut ipse Ponce definit dub. 3 suæ controversiæ num. 190, « est ipsa attingentia pœnæ tanquam objecti proprii in actibus. » Sed hanc ipsissimam servilitatem formalem, et objectivam, consistentem in attingentia pœnæ tanquam objecti proprii in actibus, expressis verbis concessimus, et propugnavimus : ergo falsum omnino est a nobis fuisse negatam, et impugnatam. Minor ad sensum patet : nam dubio citato excludentes a num. 22, quandam servilitatem objectivam improprie talem, quæ prout a quibusdam Authoribus depingitur, continetur formaliter sub timore mundano, ita conclusimus : « Unde vel dicendum est, timorem, de quo loquimur, non habere servilitatem objectivam ; vel quod verius est, hujusmodi servilitatem objectivam sitam esse in eo quod immediate, et principaliter terminetur ad pœnam : proprium enim servorum est pœnam timere, et inde moveri ad operandum. » Quid evidentius ? Qualiter ergo negari, aut impugnari poterat servilitas objectiva, si adeo palam cum expressione ejusdem nominis admittitur, et ex formali objecto, quod est pœna, demonstratur ? Similia verba invenies initio ejusdem numeri 22.

Urgetur ulterius, et simul ad hominem idipsum evincitur. Etenim ex eo deducit Ponce servilitatem formalem, et objectivam in actu timoris servilis, quia timor iste, et filialis differunt specie : hoc enim est potissimum, imo, et unicum ipsius argumentum a num. 177, usque ad 202 citati dubii. Ergo qui prædictis timoribus concesserit differentiam essentialem, et specificam, non negabit, quin potius adstruet, ac propugnabit servilitatem formalem, et objectivam. Tum sic : sed expressis verbis, ac sine ulla ambiguitate statuimus differentiam essentialem inter timorem filiarem, et servilem : ergo servilitatem formalem, et objectivam actui timoris non denegavimus. Minor subsumpta liquet exhibitione verborum, quæ habemus disp. ab eodem Magistro citata, dub. 4, a n. 67. « Infertur primo, timorem filialem, et « servilem distingui essentialiter quoad « actus, et habitus. Ita resolvit D. Thom: « in præsenti art. 5, et in 3, dist. 3. « quæst. 2, art. 3, quæstiunc. 3, et faci « probatur ex dictis : nam distinctio esse: « tialis inter actus, et habitus actibus co: « respondentes sumitur ab eorum object « primariis ; sed timor filialis, et servil: « habent diversa objecta primaria ; siqui « dem objectum primarium timoris filial: « est subjectio passiva, et reverentialis a « Deum connotando possibilitatem ma « separationis, aut culpæ, ut explicuimu « a n. 50. Objectum autem timoris servili « est pœna, quam quis subire refugit, « constat ex dictis dub. præc. Ergo time « filialis, et servilis distinguuntur essen « tialiter quoad actus, et habitus. » Qu circa nescimus unde R. Ponce asserere ra tionabiliter potuerit, servilitatem forma lem, et objectivam a nobis fuisse nega tam.

299. Dices cum eodem Magistro, quod i dub. 3, n. 28, hæc habemus : « Major con « stat ex dictis num. 22, ubi exclusimu « aliam servilitatem objectivam, quam ali « qui adstruunt, et dicunt consistere in eo « quod timens fugiat culpam cum affecti « illam prosequendi, nisi immineret pœna « hujusmodi enim affectus penitus destrui « affectum timoris, de quo in præsenti, e « quem § præced. statuimus. Sistendo igi « tur in timore, de quo agimus, conditio « servilitatis nihil aliud est quam status « servitutis, vel peccati. » Ergo servilitatem formalem, et objectivam negamus, et nullam aliam præter subjectivam admittimus.

His credimus Magistrum Ponce allucinatum offendisse. Sed oculatius forsan, aut non ita cursim ea percurrere deberet, ne consequentiam adeo illegitimam deduceret. Etenim ex illo num. 22, ad quem in replica nos remisimus, ac ex ipsismet expressis replicæ verbis evidenter constat, nos ibi minime excludere servilitatem objectivam veram, et propriam timoris servilis, sed aliam a quibusdam Authoribus depictam, de quorum numero proculdubio est Ferre, qui tandem propriam sententiam correxit, ut ibidem adnotavimus num. 50, a Ponce citato. Hujusmodi enim Authores asserebant, servilitatem objectivam actus timoris in eo sitam esse, quod quis operetur serviliter timendo pœnam, ut oppositam

positam bono proprio amato per modum ultimi finis, ut cum quis vitat culpam paratus non vitare, si pœna non immineret, qui affectus, ut ibi docuimus a num. 21 et 22, extra dubium perversus est, tum quia sic timens afficitur ad culpam ; tum, quia præfert simpliciter malum pœnæ malo culpæ, quæ est satis gravis inordinatio. De hac igitur servilitate objectiva ita accepta diximus non pertinere adhuc per modum conditionis ad actum timoris servilis secundum suam essentiam consideratum, de quo dubium procedebat, ut constat ex illa restrictione, posita in verbis contentis in replica : « Hujusmodi enim affectus penitus « destruit essentiam timoris, de quo in « præsenti, et quem § præced. statui- « mus ; » qui est timor servilis secundum suam essentiam consideratus. Ratio autem cur servilitas objectiva, prout ita ab illis Authoribus explicata, non pertineat ad actum timoris servilis secundum suam essentiam considerati, est quia illa servilitas pertinet revera ad timorem mundanum, cujus est respicere bonum proprium timentis ut ultimum finem non solum habitualiter, sed etiam actualiter ; ex quo fit hunc actum mundani timoris esse pravum, uti servilitas objectiva, a qua specificatur, et quam respicit tanquam proprium objectum. Timor autem servilis secundum suam essentiam consideratus est honestus ac bonus moraliter, ut fides docet juxta ea, quæ ibi expendimus a num. 23, atque ideo terminari non potest ad illam servilitatem objectivam ac perversam ; alias ipse actus redderetur pravus ex suo objecto.

Ex his autem nescimus, qualiter deduci possit, servilitatem objectivam veram, et propriam ibi a nobis fuisse negatam, sed potius concessam : qui enim supponit dari actum timoris servilis formaliter ac secundum suam essentiam, et de eo ita accepto loquitur, necessarium est etiam in eo supponere servilitatem formalem, et objectivam, alias cum essentia cujuscumque actus sit talis per ordinem ad objectum, ita ut ubi repugnat objectum, repugnet essentia actus, si non supponeremus dari servilitatem formalem et objectivam in actu timoris servilis secundum suam essentiam, proculdubio, dum de eo ita reduplicative accepto sermonem fecimus, loqueremus de subjecto non supponente, quod nimis cæcutire esset. Ibi igitur servilitas objectiva vera et propria, quæ ad essentiam timoris servilis attinet, supponebatur, et solum difficultas procedebat de alia servilitate subjectiva, aut etiam objectiva contingenter se habentibus ad essentiam timoris. Quo circa, dum conclusimus : « Sistendo « igitur in timore, de quo agimus, conditio « servilitatis nihil aliud est quam status « servitutis vel peccati ; » rejecimus ab actu timoris servilitatem objectivam prout a supra dictis Authoribus excogitatam, quamque denegavimus spectare ad timorem servilem adhuc per modum conditionis, solamque servilitatem subjectivam consistentem in statu peccati mortalis affirmavimus habere rationem conditionis contingentis ad prædictum timorem quoad essentiam consideratum. Nam quæcumque alia servilitas, quæ ab objecto proveniat, non erit conditio superaddita, et contingenter adveniens timori servili ex parte subjecti, sed erit de intrinseca illius ratione ec essentia. Convincitur ergo, quod nullibi servilitatem formalem, et objectivam veram, et propriam negavimus, aut impugnavimus, sed Magistrum Ponce omnino fuisse deceptum, vaneque, ac ficte apprehendisse.

300. Sed age jam, ac ad secundam, ipsamque deteriorem notam inconsequentiæ in adhærendo fideliter D. Thomæ, qua doctrinam nostram percellit, accedamus. Inquit enim num. 184. « Nunc sic : sed hoc « est unicum, et totale fundamentum, quo « noster Salmanticensis movetur.... Igitur « sententia opposita, et a nostro Salmanti- « censi propugnata, unice fundatur in argu- « mento contrario ipsi D. Thomæ, quod « idem D. Thomas uti sibi contrarium con- « tra se posuit, et solvit. » Hæc vix credimus a tali Magistro exarata, sed ab alterius forsan sinistra manu ejus operi veremur assuta. Quam autem veritatem præseferant, liquido patefiet in medium producendo illud D. Th. argumentum, in D. Th. quo sententiam nostram unice innixam asserit, quodque prout ab eodem Ponce refertur ex 2, 2, qu. 19, art. 1, argum. 1, est hujusmodi : « Ita enim videtur se habere « timor filialis ad servilem sicut fides for- « mata ad informem, quorum unum est « cum peccato mortali, aliud vero non ; « sed eadem secundum substantiam est

« fides formata, et informis : ergo, et idem « est secundum substantiam timor servilis, « et filialis. » Hoc igitur ait esse unicum ac totale nostræ sententiæ fundamentum. Sed id etiam longe admodum a rationis vestigio asseruisse convincitur.

Primo : quoniam sententia, de qua inquit Ponce esse unice totaliter fundatam in illo D. Thomæ argumento, est quæ docet non dari in actu timoris servilis servilitatem formalem, et objectivam ; atqui hanc sententiam nullibi docuimus : ergo nec illam in illo D. Thomæ argumento fundavimus. Consequentia est evidens : nam prius est quod sententia sit, quam quod alicubi fundata existat. Major constat ex ipso Ponce, et minor evidenter ex supra dictis. Secundo : quia adhuc omnino gratis permisso, sententiam, quam locis a Ponce citatis propugnavimus, esse illam quam ipse censuit, verum non est quod unice ac totaliter fundetur in illo argumento contrario D. Th. ergo etiam ex hoc capite claudicat illa propositio : « Sed hoc est « unicum ac totale fundamentum, » etc. Suadetur antecedens : nam Magister Ponce citat tractatum 18, disp. 4, dub. 3, n. 28; sed sententia, quam ibi propugnamus, nobis est de fide, et ut talis ibi probata est principaliter ex Concilio Tridentino sess. 6, can. 7, ac ex Gregorio XIII condemnante trigesimam quintam propositionem Michaelis Baji, quæ ex diametro sententiæ, quam ibi defendimus, opponitur : ergo adhuc dato hanc sententiam esse eam, quam Ponce censuit, verum non est esse unice ac totaliter fundatam in illo D. Thomæ argumento.

D. Tho. Tertio : quia sententia, quam n. 28, et aliis citatis a Ponce defendimus, ibidem expresse probata est non ex illo argumento art. 5, sed ex corpore art. 4, ubi D. Th. hæc habet : « Dicendum, quod timor ser- « vilis ex parte servilitatis habet quod sit « malus.... Sic ergo servilis, in quantum « servilis est, contrariatur charitati. Si « ergo servilitas » (subjectivam intellige) « esset de ratione timoris servilis, oporte- « ret quod timor servilis simpliciter esset « malus. Sicut adulterium simpliciter est « malum, quia id, ex quo est, contrariatur « charitati, et pertinet ad adulterii speciem. « Sed prædicta servilitas non pertinet ad « speciem timoris servilis, sicut » (nota verba) « nec informitas ad speciem fidei « informis. Species enim moralis habitus « vel actus ex objecto accipitur. » Deinde assignando objectum timoris servilis concludit : « Et ideo timor servilis secun- « dum suam substantiam bonus est, sed « servilitas ejus est mala. » Ex quibus ibi n. 28, hanc rationem efformavimus : « Confirmatur, quia ita se habet servilitas « ad timorem servilem sicut informitas ad « fidem, uti expresse docet D. Thomas in « præsenti art. 4, sed informitas fidei non « est aliud quam carentia informationis « per gratiam, et charitatem, quæ carentia « non deturpat actum fidei, sed illum re- « linquit moraliter bonum : ergo servilitas « timoris ejus essentiæ superadditæ nihil « aliud est quam carentia gratiæ, sive condi- « tio status peccati ; quæ tamen non faciunt « ut actus timoris sit moraliter malus. » Cum ergo fundamentum sententiæ, quam defendimus his locis a Ponce assignatis, non erit integrum corpus art. 4, quem expresse in confirmatione citamus, et in quo D. Thomas utitur exemplo fidei informis ad probandum id ipsum, quod nos illo dubio intendimus ; sed potius erit argumentum primum art. 5, in quo D. Thomas utitur etiam eodem fidei informis exemplo ad probandum apparenter rem aliam distinctissimam ab ea, quam locis a Ponce citatis versamus.

Quarto : nam ut nostra sententia inniteretur illi argumento articuli 5, debebat asserere id ipsum, quod illud argumentum probat ; sed hoc ita non est : ergo in illo non nititur. Minor ostenditur : etenim illud argumentum probat, vel probare intendit, timorem servilem, et filialem non distingui specie ; sed n. 28, 29, 30 et 40, citatis a Ponce non examinamus an isti timores specie distinguantur, sed solum an servilitas subjectiva deturpet essentiam actus timoris servilis ; imo in eadem disp. n. 67, docemus timorem servilem et filialem esse specifice distinctos, ut idem Magister vidit : ergo aliud intendit illud argumentum, et aliud est quod nostra sententia asserit ; atque ideo in illo fundari nequit. Nec plura subjicimus : subjecta quippe rem satis demonstrant.

Ex quibus omnibus ad sensum quisque deprehendet, tum quam frustra R. Ponce insudaverit a n. 177 dubii 3, suæ controversiæ

versiæ usque ad 202 impugnando, ut sibi visum est, sententiam a nobis traditam : loquitur enim in omnibus illis de subjecto non supponente, sive de sententia, quam nusquam propugnavimus, sed potius oppositam, ut liquet ex illis disertis verbis, quibus dub. 2, n. 22, diximus : « Servili-« tatem objectivam sitam esse in eo quod « immediate, et principaliter terminetur « ad pœnam. » Ubi et illam fatemur, et eandem insuper explicamus. Tum, quam infirma sit illa subsumpta minor : « Nunc « sic : sed hoc est unicum ac totale funda-« mentum, quo noster Salmanticensis mo-« vetur, etc., » nam evidenter falsum supponit, nos nimirum servilitatem formalem, et objectivam negasse. Tum denique, quam immerito asseruerit doctrinam nostram adeo aperte contra D. Th. procedere, ut unice in argumento ab eodem Angelico Præceptore rejecto fundetur. Etenim ut ex dictis innotescit, nec doctrina quam nobis adscribit, nec alia in illo argumento fundata est, sed eidem argumento ex diametro adversam cum Ang. Præceptore citat. n. 67, statuimus.

Si vero (ut omnis scrupulus penitus abigatur) inquiras, cur si servilitatem formalem, et objectivam non negavimus, expresso nomine servilitatis objectivæ in illo dubio non usi fuimus? Respondetur, nos id consulto effecisse, tum quia servilitas absolute prolata solum stat pro servilitate subjectiva, et peccaminosa, juxta illud Joann. 8 : *Omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Cujus signum perspicuum est, quod D. Th. quoties nominat servilitatem, solum intelligit illam, quæ peccaminosa est, et charitati contraria, ut eundem S. Doctorem legenti constabit. Tum, et præsertim, quia D. Th. nusquam in suis scriptis nomine servilitatis formalis, et objectivæ utitur, sed solum nomine servilitatis absolute, per quam intelligit subjectivam, et nomine actus timoris considerati secundum suam substantiam, essentiam, et speciem, quæ cum per se ipsam sit respicientia, attingentia, et terminatio ad pœnam tanquam ad objectum specificativum, necessario, et intransitive est ipsa servilitas formalis, et objectiva, ut vel ipse Ponce fatetur, atque ideo superfluum omnino erat aliis nominibus uti, quam a D. Th. usitatis. Unde tam longe abest ut a D. Th. abscederemus, ut non solum in substantia doctrinæ, verum etiam in modo loquendi ipsum sequuti fuerimus, a quo tamen Ponce recessit. Tum denique : quia non omnino nomen servilitatis objectivæ silentio traditum est, sed satis illud expressimus citat. dub. n. 22. Quocirca omnia consonant, cunctaque aperte evincunt, utramque Mag. Ponce impugnationem inepte processisse. Creditu tamen difficile non apparet, ea (si ab eo dicta) inde duxisse originem, quia falso apprehendit, ac raptim doctrinam nostram percurrit ut cuidam hujus Collegii Theologo, a quo fuit de veritate convictus, palam confessus est. Nec vestigium suspicandi relinquitur, Magistrum adeo sapientia æque ac virtute præstantem ea omnia, si superstes perennaret, in alia suæ controversiæ impressione retractaturum.

DUBIUM XII.

An possit dari confessio valida, et informis ex negligentia graviter culpabili circa examen conscientiæ.

Controversia valorem ac informitatem hujus Sacramenti discutiens, diffusionem exposcit indaginem, quam possit unico in dubio decidi. Nec enim D. Th. etsi Angelica prædito mente, satis fuit id semel attigisse ; sed postquam difficultatem hanc versavit in 4, dist. 17, q. 3, qæstiunc. 1, ad 1, iterum art. 4, quæstiunc. 4, atque iterum dist. 21, q. 3, art, 1, quæstiunc. 1, ad 1, eandem ad trutinam reduxit, in examenque vocavit. Et nobis corde ac mente D. Th. sequentibus, ipse etiam in hoc proponitur fideliter imitandus. Sic conarunt, et separatis quæstionibus perfecerunt Cajetanus in summa, verbo *Confessio*, condit. 10, itidem eodem verbo *Confesssio iteranda*. Nec his contentus, tom. 1 opusc. tract. 5, quæst. 5, idem repetit, et iterum discutit. Sotus in 4, dist. 18, quæst. 3, art. 2, difficultatem istam urgenter stabiliens, eandem art. 3 iterat, ut argutius discutiat. Hujus namque Sacramenti valida informitas, ex diversis capitibus resultans, decisiones expostulat separatas, ne si in una plura, et satis ex se distincta ac difficilia pertractentur, potius quam lucem inducant confusionem. Quocirca postquam ante-

riori dubio sacramentum pœnitentiæ validum, et informe contingere posse ratione doloris inefficacis, efficacis invincibiliter existimati, statuimus; secundus modus, quo confessio informis, et valida fieri potest, in hoc dubio explicandus accedit. Cumque non sit alius excogitabilis veritati consonus, præter illum qui ex negligenti examine oritur, pro illius intelligentia

§ I.

Titulus dubii exponitur, et aliqua pro illius intelligentia prænotantur

Observ. 1. 302. Ut titulum explicemus quæstionis, et quid quærimus innotescat, observandum est primo, quod cum negligentia secundum se opponatur curæ ac studio addiscendi ea, quæ quis tenetur agnoscere, negligentia in examinando conscientiam debet opponi diligentiæ in perscrutando peccata in confessione detegenda. Ex quo fit, quod quemadmodum ad diligentem peccatorum discussionem sequitur eorum notitia, ita ad negligentiam examinis sequitur eorundem peccatorum ignorantia, quam quisque excludere debet ut apte dispositus ad confitendum accedat. Unde ulterius fit, quod ignorantia peccatorum non ponit in numero cum prædicta examinis negligentia, ex qua oritur, et quod istius diversitas regulanda sit per multiplicitatem illius, atque ideo eisdem nominibus, quibus dividimus ignorantiam, dividere possumus et examinis negligentiam. Hæc igitur quoad præsens attinet, et prout importat negligentiam, et ignorantiam, quæ potest et debet vinci, dividitur juxta ea, quæ statuimus tract. 13, disp. 13, dub. 1, n. 5, in *affectatam, crassam, seu supinam, et in pure vincibilem*. Examinis negligentia *affectata* illa est, qua quis data opera, seu ex proposito conscientiam discutere non vult, sed potius peccata ignorare, ut ea in confessione non detegat, more illorum qui Job cap. 21, dixerunt: *Recede a nobis; scientiam viarum tuarum* Job 21. *nolumus*. Et Psalm. 37: *Noluit intelligere* Psalm. 35. *ut bene ageret*. Quæ testimonia licet clarius de ignorantia, quam de affectata discussionis peccatorum negligentia loqui videantur, facile tamen huic negligentiæ valent adaptari, ut attente id consideranti perspicuum fiet; cum hujusmodi negligentia affectat nullam aut fere nullam secum permitt diligentiam ex proposito, et a consili *Crassa*, aut *supina* illa est, qua negliger desidia maxima detentus, nihil aut fer nihil de ea abigenda curat, quamvis no ex proposito per diligentiam ei contra riam, more hominum pinguium, ac supin jacentium quasi nihil de rebus curantium Quæ negligentia in præsenti materia datur quum quis nullam aut fere nullam adhi bet curam excludendi ignorantiam, et ac quirendi notitiam peccatorum necessarian pro confessione facienda.

Negligentia vero, et ignorantia *pur vincibilis* est, quæ minorem affert desidiam sufficientem tamen ut negligens aut igno rans non excusetur a culpa: quia lice non admodum segniter se gesserit, se mediocriter laboraverit, non tamen dili gentiam moraliter sufficientem pro negoti qualitate adhibuit. Unde hæc negligenti *pure vincibilis* circa examen se habet i præsentiarum sicut ignorantia pure vinci bilis, quæ ab *affectata, crassa, aut supin contradistinguitur*; ut patet ex textu i cap. *Ut animarum* de constit. in 6, ub dicitur: « Ut animarum periculis obvie « tur, sententiis per statuta quorumcumque « Ordinariorum prolatis ligari nolumu « ignorantes, dummodo illorum ignoran « tia non sit crassa vel supina. » In quibu Pontifex decernens ignorantiam, quæ no est crassa, aut supina, excusare a censuris, non intendit ignorantiam affectatam supina deteriorem ab illis excusare posse. Nec item loquitur de ignorantia invincibili; de hac enim nunquam fuit dubitatio, sed per se notum quod excuset nedum a censuræ pœna, verum, et a culpa. Quocirca non magis obviam faceret animarum periculis expeditione illius decreti, quam non expeditione si solam invincibilem ignorantiam comprehenderet. Loquitur igitur de ignorantia vincibili; cumque excludat ignorantiam crassam, aut supinam, a fortiori affectatam, plane deducitur sermonem facere de ignorantia (ac idem est de negligentia) pure vincibili. Et quamvis illam ut crassæ, supinæ, ac affectatæ contrapositam Suarez, et Lorca rejiciant; eam tamen Sanchez, Curiel, et alii approbant, et propugnant.

Ulterius, hæc ignorantia, vel negligentia

tia *pure vincibilis* dupliciter accipi potest ; vel prout est absolute, et simpliciter *vincibilis*, et consequenter graviter culpabilis ; vel prout est absolute, et simpliter *invincibilis*, vincibilisque solum secundum quid, et ideo tantum leviter culpabilis, eo quod apponendo quis diligentiam necessariam, et debitam, in hoc ipso aliquantulum deficit. Eodemque fere modo sub nomine culpæ dividunt Jurisperiti *in latam*, *levem*, *et levissimam*. *Latam* appellant, dum ea omittitur diligentia, quam passim homines adhibent, quæ est gravissima negligentia coincidens cum crassa, supina, et affectata. Levem autem dicunt ubi ea diligentia omittitur, quam pro qualitate materiæ adhibere solent diligentiores ; quæ coincidit cum negligentia pure vincibili, et graviter culpabili. *Levissimam* vero nuncupant quando omittitur diligentia, quam adhibere solent prudentissimi, ac admodum exacti, et hæc est negligentia solum secundum quid, ac leviter peccaminosa.

303. Secundo observandum est discrimen, quod in discutiendis peccatis intercedit inter negligentiam affectatam, crassam, aut supinam, et pure vincibilem absolute, et simpliciter. Nam licet omnes sint lethaliter peccaminosæ, et culpabiles, tamen peccatum negligentiæ affectatæ, crassæ, aut supinæ æquiparatur peccato scienter, et ex proposito commisso, ac expressa, et directa volitione perpetrato, et moraliter pro eodem accipitur juxta magis commune Theologorum placitum, qui in peccato negligentiæ pure vincibilis oppositum sentiunt : hoc quippe solum indirecte ac interpretative committitur, in illudque sola implicita ac virtuali volitione labitur negligens in discutiendis peccatorum numero, ac speciebus.

Tertio observandum est, pœnitentes sub lethali culpa obligari ad diligens conscientiæ examen pro integra peccatorum confessione facienda. Id quod Tridentinum semel ac iterum declaravit, tum sess. 14, cap. 5 : « Ex his colligitur oportere a pœnitentibus « omnia peccata, quorum post diligentem « sui discussionem conscientiam habent, in « confessione recenseri, etiamsi occultissima « sint. » Et deinceps addit : « Constat « enim nihil aliud a pœnitentibus in Eccle- « sia exigi, quam ut postquam quisque « diligentius se excusserit, et conscientiæ « suæ sinus omnes exploraverit, ea peccata « confiteatur, quibus se Dominum, et Deum « suum mortaliter offendisse meminerit. » Tum etiam Can. 7, ubi definitur : « Si « quis dixerit in sacramento pœnitentiæ « necessarium non esse jure divino confite- « ri omnia, et singula peccata, quorum « memoria cum debita ac diligenti præ- « meditatione habeatur, etiam occulta, « anathema sit. » In quibus testimoniis, esto incidenter, declarat convenientiam, ac gravem examinis obligationem ex vi institutionis hujus Sacramenti ortam, cujus ratio perspicua est : etenim qui obligatur sub culpa gravi ad aliquem finem, eodem modo cogitur ad media necessaria ad consequendum talem finem, dum ea in sua potestate existunt ; sed homo tenetur ex jure divino sub lethali culpa ad confitendum integre omnia peccata mortalia post Baptismum commissa, et pro hujusmodi finis executione necessarium omnino est, hæc in ejus potestate conscientiæ sinus introspicere, peccata recogitare, ea reducendo ad numerum, et circumstantias specie differentes : ergo pœnitens tenetur graviter diligens conscientiæ examen ante confessionem præmittere. Hæc autem ita intelligenda sunt, ut pœnitens sciat se aliqua peccata lethalia commisisse, quæ nunquam confessus est. Nam si peccata sint tantum venialia, vel mortalia jam confessa, cum hæc materia necessaria confessionis non sint, sed omnino voluntaria, non obligatur pœnitens ad eorum examen. Ex quo fit, quod nulla negligentia, etiam crassa aut affectata, circa hujusmodi examen possit esse lethaliter culpabilis ; sed ut talis sit, necessario debet versari circa examen peccatorum mortalium, quæ hactenus confessioni subjecta non sint.

Quarto animadvertendum est, hujusmodi examen diligens, ad quod sub lethali tenetur pœnitens, non esse adeo essentialiter requisitum ad valorem sacramenti, ut eo ex quocumque capite re vera deficiente, deficiat etiam infallibiliter sacramentum : ad modum quo deficiente re vera absolutione, aut dolore supernaturali, quamvis invincibiliter censeatur adesse, confessio necessario est invalida. Hæc enim longe aliter se habent : quippe examen diligens non desideratur ad sacramentum tanquam pars essentialiter constituens, sed tanquam Observ. 4.

quædam res præcepta modo humano ac possibili apponenda. Ex quo fit, quod non semel sine ea diligenti conscientiæ discussione confessio sit non solum valida, sed etiam formata ; ut contingit in moribundo multis criminibus implicato, qui si non potest eam diligentiam adhibere, verum sacramentum ac illius fructum recipit, si reliqua essentialiter requisita adsint ; et in eo, qui insufficiens examen præmisit, et ex ignorantia invincibili existimat suæ obligationi satisfecisse. Quocirca cujusdam junioris doctrinam non probamus, distinguentis duplex examen, aliud *diligens*, aliud vero *diligentius* ; de quorum primo asserit esse omnino necessarium ad valorem sacramenti, et de secundo ad ejus fructum. Hæc enim fundamentum non habere constat in exemplis adductis, in quibus absque diligentiori, imo absque diligenti conscientiæ discussione salvatur, et valor, et fructus confessionis. Unde solum desideratur essentialiter, quando modo humano adhiberi potest, et adest plena ac directa cognitio hujus obligationis : quia si tunc non adhibetur, cum confessio ex professo fiat dimidiata, necessario est invalida. Id quod ex deinceps dicendis amplius patefiet.

Ulterius observandum est, quod nomine diligentis examinis requisiti modo dicto ad confessionem, non intelligimus exactissimam conscientiæ discussionem, quæ sit omnium maxima, et nulla alia exactior summo studio fieri possit, ut quibusdam visum est : sic enim nullus terminus scrupulis, ac anxietatibus præfigeretur. Significamus igitur diligentiam non summam, sed mediocrem, et gravem qualem prudentes in aliis negotiis gravibus adhibere solent. Nec enim Deus, aut Ecclesia præcipit aliquod physice aut moraliter impossibile, vel supra modum ordinarium gratiæ, et naturæ : sed solum quod modo humano ac prudenti fieri valet. Unde illa peccatorum discussione, satis fit huic præcepto, quæ attentis personarum circumstantiis, ac peccatorum numero, et qualitate, in prudentis judicio censetur diligentia gravis, ac sufficiens ; atque ideo ea posita, ad amplius pœnitens non premitur.

His igitur prænotatis, devolvitur difficultas ad casum satis practicum ac frequentem, in quo Sortes, v, g. accedit ad sacramentum cum duplici peccato homicidii, et sacrilegii, et dimidiat confessionem detegendo peccatum sacrilegii, et celando peccatum homicidii ob negligentiam examin graviter culpabilem, eo quod tantam curam non adhibuit in peccatorum perscrutation quanta necessaria erat in prudentum jud cio. In quo eventu quærimus, an confess existat valida, et informis ; ceterum cu hic casus tripliciter contingere possit, ide et ut cum majori claritate procedamu diversis assertionibus decidetur.

§ II

Duplex assertio statuitur.

304. Dicendum est primo, confessione dimidiatam ob negligentiam examinis gra viter culpabilem, crassam, supinam, a affectatam, esse invalidam. Hæc asserti est omnium Theologorum sententia, sua deturque ratione. Quoniam negligenti crassa, supina, et affectata coincidit in æsti matione morali cum negligentia scientei et directe volita ; sed qui scienter, et di recte vult negligentiam circa examen mor talium, confessionem reddit invalidam ergo cum negligentia crassa, supina, a affectata circa prædictum examen sacra mentum est nullum. Major est commun doctrina, et minor ostenditur : nam q scienter, et directe vult dimidiare confes sionem, illam reddit nullam : sed q scienter, et directe vult negligentiam circ examen, scienter, et directe vult dimidia confessionem, siquidem scienter, et direc vult ignorare peccata, ne illa in confes sione detegat : ergo nullam efficit confes sionem qui scienter, et directe vult negli gentiam circa examen mortalium. Quo etiam liquet ex Tridentino sess. 14, cap. ubi inquit : « Qui vero secus faciunt, « scienter aliqua retinent, nihil divinæ b « nitati remittendum proponunt. Si eni « erubescat ægrotus vulnus medico deteger « quod ignorat medicina non curat. »

305. Dicendum est secundo, confessi nem dimidiatam ob negligentiam circ examen graviter culpabilem et simplicit invincibilem, esse non solum validam, s etiam fructuosam. Iste casus contingit, du pœnitens re vera insufficienter conscie tiam discussit, et invincibiliter existim sufficiens, et omnino requisitum exam adhibuis

dhibuisse : tunc enim illa negligentia ex e est graviter culpabilis ut patet, et dici- ur simpliciter invincibilis, quia cum pœ- nitens eam non advertat, sed potius oppo- itum bona fide judicet, hic, et nunc vinci non potest. Assertionem igitur in hoc sensu ntellectam docent communiter Theologi, t sub eisdem terminis Gonet tom. 5, tract. , disp. 10, art. 1, § 2,n. 6,et Labat. tract. le pœnit. disp. 2, dub. 1, § 4. Fundamen- um est: quia ut sacramentum pœnitentiæ it validum, et fructuosum, necessarium on est quod omnia peccata expresse con- iteantur, sed sufficit quod virtualiter in- ludantur in confessione ; sed dum quis imidiat confessionem ob negligentiam xaminis graviter culpabilem, et simplici- er invincibilem, eo quod existimat invin- ibiliter, et bona fide sufficiens examen dhibuisse, tunc illius peccata sunt virtua- iter inclusa in confessione : ergo facit onfessionem validam, et fructuosam, si liunde impedimentum non adest. Conse- uentia liquet, et major est evidens ; alias ui post diligentissimam conscientiæ dis- ussionem alicujus peccati non meminit, ec illud expresse clavibus subjicit, confes- ionem fructuosam non efficeret, quod satis bsurdum est. Minor vero, quæ difficulta- em præsefert, ostenditur ; nam illa peccata xpresse in confessione non detecta, cen- entur in ea virtualiter inclusa,quæ absque œnitentis culpa omittuntur; sed qui dimi- iat confessionem ob negligentiam exami- is graviter culpabilem, et simpliciter nvincibilem, eo quod invincibiliter, et ona fide censet sufficiens examen adhi- uisse, inculpate peccata omittit : ergo hæc irtualiter inclusa in confessione relin- uuntur. Minor patet : quia peccatum,quod bi intercedere poterat, esset illa gravis xaminis negligentia ; hæc autem in præ- enti eventu, quamvis ex se, objective, et naterialiter sit graviter culpabilis, in actu amen, et formaliter non est peccatum ob gnorantiam invincibilem, et bonam fidem œnitentis existimantis requisitum examen dhibuisse. Quemadmodum licet omissio acri in die festo ex se, et objective sit gra- iter culpabilis, in actu peccatum non est, i fiat cum ignorantia invincibili judicantis ic, et nunc diem festum non esse. Major tiam constat : nam ideo peccatum, quod ost diligentissimum examen memoriæ non occurrit, censetur virtualiter inclusum in confessione, qui absque pœnitentis culpa omittitur : id enim solum intendit Concilium, dum sess. 14, cap. 5, inquit : « Reli- « qua autem peccata, quæ diligenter cogi- « tanti non occurrunt, in universum eadem « confessione inclusa intelligentur ; pro « quibus fideliter cum Propheta dicimus : « Ab occultis meis munda me Domine. » Concil. Trid.

Confirmatur, et explicatur : Etenim sacramentum ex se causativum gratiæ nequit suspendi ab ejus actuali productione, nisi vel ejus virtus productiva auferatur, vel dispositio physica, et connaturalis ad gratiam deficiat, vel adsit aliquod impedimentum gratiæ repugnans ; sed qui dimidiat confessionem ob negligens examen, invincibiliter existimans fuisse sufficiens, et omnium conscientiæ sinuum discussivum, nec virtutem sacramenti productivam gratiæ removet, nec gratiæ producendæ physica, et connaturalis dispositio deficit, nec tandem pœnitens eidem gratiæ impedimentum positive repugnans apponit; ergo in hujusmodi eventu nedum sacramenti valor, verum etiam illius fructus salvatur. Consequentia est legitima,et major etiam constat : quia ex nullo alio capite quam ex recensitis deficere potest sacramenti fructus. Minor autem quoad omnes suas partes ostenditur ; quoad primam quidem : nam virtus sacramenti in actu primo productiva gratiæ non est unde removeri posset per pœnitentem, nisi quatenus ipse non adhiberet dolorem supernaturalem effective instrumentaliter influentem in gratiam ; hunc autem adhibet, vel adhibere potest : quippe hujusmodi dolor, utpote inefficax, et pars sacramenti, non repugnat nec in statu gratiæ, nec in statu peccati. Deinde quoad secundam etiam liquet : quoniam dolor supernaturalis, et efficax, qui est physica ac connaturalis ad gratiam dispositio, solum pugnat cum peccato; in eventu autem quæstionis nullum adest cum quo inconjungibilis sit; quia negligentia examinis, quamvis ex se, et objective sit graviter culpabilis, in actu tamen ob ignorantiam invincibilem pœnitentis, qui bona fide existimat sufficientem conscientiæ discussionem præmisisse, culpa non est ; et aliunde peccatum in confessione non expressum in ipsa virtualiter includitur,cum ob eandem invincibilem ignorantiam omit- Confirm.

tatur. Per quod etiam constat tertia minoris pars : quia nullum aliud impedimentum gratiæ repugnans excogitari posset, nisi vel negligentia examinis, vel culpa in confessione non expressa ; quarum nec prior est gratiæ obex, cum peccatum non sit, nec posterior ob rationem assignatam. Videatur Vega lib. 13, in Concilium Tridentin. cap. 34, qui hac ratione convincitur, ac ex ejus expensione concludit nunquam pœnitentiæ sacramentum evadere posse validum, et informe, nisi ob aliquod peccatum gratiæ receptionem impediens.

Objectio. 306. Objicies tamen cum Ledesma, cui oppositus dicendi modus arrisit tract. de pœnit. cap. 16, concl. 5. Quia non minus essentialiter requiritur ad fructum sacramenti diligens conscientiæ examen, quam dolor supernaturalis, et efficax in re positus; sed stante solo dolore inefficaci, etiamsi invincibiliter existimetur efficax, sacramentum non est fructuosum, sed tantum validum : ergo si examen diligens in re non adhibetur, quamvis invincibiliter existimetur sufficiens, sacramentum fructuosum non efficiet ; atque ideo cum hujusmodi ignorantia invincibili de negligentia examinis potest fieri confessio valida, et informis. Consequentia constat : nam ideo cum dolore inefficaci invincibiliter existimato efficaci sacramentum est infructuosum, quia licet ignorantia invincibilis sufficiat ut pœnitentem excuset a culpa, non tamen ut dolor, qui re vera est inefficax, et insufficiens ad fructum, fiat efficax, et sufficiens : ergo similiter, quamvis ignorantia invincibilis de defectu sufficientis examinis deservire possit ut pœnitentem a culpa extrahat, non tamen ut sacramenti fructus assequatur, quippe qui etiam dependet ab examine re vera diligenti.

Diruitur. Respondetur negando majorem : nam dolor efficax ita essentialiter requiritur ad fructum sacramenti, ut sit omnino indispensabilis, et necessarius per modum connaturalis, et physicæ dispositionis ad illius introductionem. Ex quo fit, dolorem efficacem non esse existimationi humanæ subjectum, nec vere ab ea aliquam dicere dependentiam, ut pœnitentem ad gratiam disponat, sed necessario debet in re, et physice existere. Sicuti quia calor ut octo est ultima dispositio physica subjecti ad formam ignis recipiendam, si talis calor in re physice non adest, licet adesse e ignorantia invincibili credatur, forma ign in ligno nullo modo introducitur. Diligen vero conscientiæ discussio, cum solum pe modum rei præceptæ sit necessaria, modo humano ac prudenti apponenda, hu manæ existimationi subjicitur, ac pruden tiæ regulis attemperatur pro qualitate per sonarum. Unde quando aliquale exame præcessit, licet in re omnino sufficiens no sit, si ob invincibilem ignorantiam suffi ciens, et exactum censetur, sufficit ut pec catum, quod memoriæ non occurrit, i aliorum confessione implicite ac virtualite sit inclusum, atque indirecte remissum Quocirca cum aliunde defectus sufficienti examinis ob eandem pœnitentis invincibi lem ignorantiam in actu peccatum non sit nullum impedimentum relinquitur ad sa cramenti fructum ; atque ideo validum, e formatum evadit. Et quidem si diligen conscientiæ examen ita essentialiter ac sacramenti fructum se haberet, ac dolo efficax, qui in articulo mortis ob impoten tiam physicam aut moralem præmitter non valet diligentem conscientiæ discus sionem, confessionem formatam non effi ciet, quod nimis durum apparet, nec d divina pietate rem ita fuisse dispositam præsumendum est.

Nec refert, si dicas, plus desiderari ad valorem, et fructum sacramenti simul, quam ad valorem tantum : quippe esto ad valorem sufficiat dolor inefficax, dummodo efficax existimetur ; ad fructum tamen non sufficit, sed necessario dolor efficax physice, et realiter adhiberi debet ; atqui ad sacramenti valorem requiritur aliquale ac imperfectum examen, quod censeatur perfectum, ac omnino sufficiens pro integra peccatorum confessione : ergo ad sacramenti fructum requiritur, quod perfectum ac diligens examen physice in re existat, et non sufficit quod moraliter ut sufficiens existimetur.

Non, inquam, refert, sed facile dispellitur : nam dupliciter obtineri possunt valor, et fructus sacramenti simul ; vel sine aliqua imperfectione physica, et materiali pœnitentis accedentis ad sacramentum cum examine re vera diligenti, ac ut tali existimato ; vel absolute, et præscindendo ab eo quod pœnitens aliquam imperfectionem afferat, ut contingit dum accedit cum exa-

mine

ne re vera insufficienti, invincibiliter edens fuisse sufficiens. In quo eventu, et portat ignorantiam invincibilem defec- examinis, quæ quædam imperfectio ysica, et materialis est, et omnino ex- nseca sacramento ; et insuper ipsam gligentiam examinis, quæ licet ob invin- ilem ignorantiam pœnitentis non sit ccatum formale, nec imperfectio moralis, tamen culpa materialis ac imperfectio ysica. Igitur plus requiritur ad valorem, fructum sacramenti simul, quam ad va- em tantum, si ly *ad valorem, et fructum cramenti simul* intelligatur in priori su, et quatenus recipiuntur sine aliqua perfectione etiam extrinseca, et pure teriali, ex parte pœnitentis se tenente ; us vero si accipiatur in posteriori, et ut importat fructum sacramenti reci- ndum absolute : etenim hoc pacto idem men, quod sufficit ad valorem, sufficit am ad fructum. Adde quod ad fructum ramenti requiritur vel examen re vera igens, vel saltem quod si fuerit negligens, incibiliter existimetur diligens, et suf- ens ; ad valorem vero sacramenti tan- , sufficit quod ex ignorantia pure cibili , et graviter culpabili diligens utetur. Sed pro pleniori hujus doctrinæ elligentia, ac perfecta dubii decisione,

§ III.

Tertia assertio proponitur, et firmatur.

807. Dicendum est tertio, esse validam, nformem confessionem dimidiatam ob gligentiam examinis pure vincibilem, graviter culpabilem. Explicatur assertio. negligentia circa examen sit pure vin- ilis, et graviter culpabilis, necessarium ut procedat etiam ex simili ignorantia re vincibili, et graviter peccaminosa : m si illa negligentia procederet ex igno- ntia invincibili, jam non esset pure ncibilis, sed simpliciter invincibilis : ippe negligentia aut examinis defectus, i hic, et nunc non advertitur, sed potius positum bona fide creditur, hic et nunc ci nequit, atque ideo est simpliciter in- ncibilis. Similiter gravis negligentia aminis, quæ procedit ex ignorantia ssa, supina, aut affectata, non potest se pure vincibilis prout contra distincta ab aliis negligentiis, sed necessario est negligentia per se, et directe volita, atque ideo est crassa, supina, aut affectata, sicut ignorantia, ex qua procedit. Quocirca ut defectus in discutienda conscientia sit pure vincibilis, et graviter culpabilis, necessario ortum ducit ex ignorantia pure vincibili, et graviter culpabili, quatenus pœnitens efficit examen re vera insufficiens, et expresse id non advertit ; advertit tamen implicite, et interpretative, quasi proprium defectum formidando. Unde sive in præsenti eventu duplex interveniat ignorantia, quarum una versetur circa peccatum celatum in confessione, et alia circa negligentiam examinis, sive unica tantum, quæ sit ignorantia utriusque, parum refert : quia utraque est necessario ignorantia pure vincibilis, et graviter culpabilis.

Assertio igitur in hoc sensu intellecta continet proculdubio secundum casum, in quo D. Thomas propugnat sacramentum pœnitentiæ validum, et informe. Angelicum præceptorem sequuntur ejus discipuli tam antiqui quam moderni, paucis exceptis. Capreolus in 4, dist. 17, qu. 2, art. 3, ad 4, Paludanus ibidem quæst. 8, a n. 10, usque ad 24, Sotus in 4, dist. 18, qu. 3, art. 2, concl. 2, § *At vero*, et art. 8, concl. 3, § *Sed est hic*. Victoria in summ. de Confessione a n. 160, Prado quæst. 3, de Contrit. dub. 3, § 3, n. 18, Nugnus qu. 9, supplem. art. 1, dub. 1, casu 1, ubi inquit: « Casus iste ab omnibus Doctoribus reci- « pitur. » Cajetanus in summ. verbo *Confessio*, condit. 1, et verb. *Confessio iteranda*, et tom. 1, opusc. qu. 5, in qua assertionem esse expressam D. Thomæ resolvens, ait : « Propterea concludendum vi- « detur hoc loco non plus sapere, quam « oportet. » Et in solut. 1, concludit : « Quoad modum exercendi non procedit a « Deo, quoniam sacrilege exercetur ; quoad « substantiam vero sacramenti a Deo pro- « cedit simpliciter, et absolute. » Sylvester in summ. *Confessio* 1, n. 26, eadem, qua Cajetanus, claritate ; ideoque miramur Aversam utrumque adducere in partem contrariam. Canus relection. de pœnit. fol. complut. 4, column. 4, ubi postquam statuit, fictum esse sacrilegum, inquirens an suscipiat validum sacramentum ? Respondet : « Et quidem D. Thomas manifeste « docet, quod sicut fictussin edebita dispo-

D. Tho.

Capreol. Palud. Sotus. Victor. Prado. Nugnus. Cajet. Sylvest. Canus uterque. Ledesm. Joan. a Cruce. Hurtado. Durand. Navarr. Vega. Tolet. Henriq. Diana. Rodrig. Delgad. Trullen. Filliuc. Regin. Covarr. Fray. Simplician. Gerson. N. Gabr. et alii.

« sitione potest verum sacramentum Bap-
« tismi suscipere, ita etiam, et confessio-
« nem sacramentalem facere, ac veram
« absolutionem percipere. » Et postquam sententiæ adversantis argumenta retulit, inquit : « Hæc autem argumenta movere « non debent, ut D. Thomæ sententiam « relinquamus, quæ multo quidem proba-« bilior est. » Uterque Ledesma, Martinus 2 part. quarti, quæst. 8, art. 1, dub. 2, proposit. 5, Petrus vero in summ. tract. 8, cap. 16, concl. 1, diffic. 3, et concl. 6, ubi asserit esse sententiam omnium, qui docent esse possibilem confessionem validam, et informem. Loquitur forsan vel de illis, quorum scripta jam tunc extabant, vel de aliis, qui ratione consequentiæ id asserere coguntur, ut recte vidit Canus loco citat. Joannes a Cruce qu. 3, de Confes. dub. 9, concl. 2, Hurtado tom. 2, tract. ult. resol. 10, Durandus in 4, dist. 17, qu. 13, Navarrus cap. 9, n. 1, et cap. 17, n. 31, Vega tom. 1 summæ, cap. 63, casu 68, Toletus lib. 3, cap. 10, n. 5, Henriquez lib. 2, de Pœnit. cap. 11, Diana 2 part. tract. 3, Miscellan. resol. 31, Emmanuel Rodriguez in summ. cap. 57 et 58, utrobique n. 7, Delgadillo cap. 10 de Pœnit. dub. 5, n. 34, Trullench lib. 4, cap. 6, dub. 6, Filliucius tract. 7, de Confes. cap. 6, n. 132, Reginaldus lib. 5, n. 169, Covarruvias, Petrus Fray, Simplicianus, Gerson tract. 34, lit. 1, N. Gabriel a S. Vincentio de sacram. pœnit. disp. 6, quæst. 1 et alii plures. Hæc adeo prolixe referre placuit, ut liquido appareat ingens hujus sententiæ probabilitas, utpote cui ex omni schola favent Authores, quique majori nomine fulgent. Unde miramur qua fronte quidam dixerit, quod huic sentiendi modo ubique ab omnibus contradicitur. Verum de his parum curamus, cum oppositum ex relatis innotescat.

Probatur ex D. Th.

308. Probatur igitur ex D. Thoma in 4, dist. 17, qu. 3, art. 4, quæstiunc. 1, ubi postquam statuit posse dari confessionem validam, et informem, concludit : « Et quam-« vis tunc non percipiat absolutionis fruc-« tum, tamen recedente fictione percipere « incipiet, sicut etiam est in aliis sacra-« mentis. Unde non tenetur iterare con-« fessionem qui fictus accedit, sed tenetur « postmodum fictionem suam confiteri. » Ex quibus hæc ratio efformari potest. D. Thomas asserit, confessionem factam cum fictione esse validam, et informem ; sed hæc fictio consistit in dimidiatione confessionis ob negligentiam examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem : ergo ex mente D. Thomæ confessio dimidiata ob negligentiam examinis pure vincibilem et graviter culpabilem valida est, et informis. Consequentia est legitima ; et major constat ex relatis D. Thomæ verbis. Minor autem, in qua stat difficultas, ostenditur : nam fictio est quoddam peccatum sacrilegii commissum in indigna susceptione sacramenti, ut omnes fatentur ; inquiramus ergo, cur pœnitens in receptione confessionis validæ illud sacrilegium committit ? Non quidem alia ratione nisi quia apponit aliquod impedimentum ad sacramenti fructum : quod solum duplicite fieri potest, vel non adhibendo dolorem supernaturalem efficacem, qui necessario requiritur ad gratiam, sed tantum inefficacem : vel celando aliquod peccatum, atque ideo dimidiando confessionem. Non enim excogitabilis est alter modus, quo pœnitens validum pœnitentiæ sacramentum recipiat, et sacrilegium fictionis committat quod postea confiteri teneatur, ut inquit D. Thomas ; vel si alter excogitabilis est illum adversarii designent.

Si igitur dicatur primum, pœnitentem videlicet apponere impedimentum gratiæ non adhibendo dolorem efficacem, sed tantum inefficacem ; ulterius inquirimus an id faciat ex ignorantia invincibili ; an autem ex crassa, supina, et affectata ; an vero ex pure vincibili, et graviter culpabili. Si ex ignorantia invincibili existimando bona fide dolorem inefficacem, quem adhibet, esse efficacem, licet sacramentum validum, et informe recipiat, non tamen sacrilegium fictionis committit, quod postea confiteri teneatur : nam ignorantia invincibilis illum excusat ; atque ideo de hac fictione non loquitur D. Thomas, cum expresse asserat, pœnitentem teneri postmodum suam fictionem confiteri, in quo supponit illam fictionem esse culpam gravem. Deinde si ex ignorantia crassa, supina, aut affectata dolorem efficacem non adhibet sacramentum est nullum, cum directe pœnitens intendat illius fructum non recipere. Ex quo fit quod nec etiam de hac fictione loquatur D. Thomas : quippe supponi

onit confessionem esse validam, et ser-
ionem facit de peccato sacrilegii commisso
n sacramento valido. Si tandem dicatur,
œnitentem adhibere dolorem inefficacem,
xistimantem ex ignorantia pure vincibili,
t graviter culpabili esse efficacem, habe-
ius intentum. Tunc enim sacrilegium
ctionis committit ; sed confessio, quæ est
alida, et informis, est etiam dimidiata,
quidem in ea pœnitens celat illud pec-
tum fictionis : vel saltem eadem omni-
o difficultas est in hoc eventu, ac in casu
uæstionis, cum utrobique pœnitens sacri-
gium committat. Unde tunc salvatur
cramentum validum ; salvatur deinde
era fictio, quam postea pœnitens confiteri
netur, ut intendit D. Thomas ; salvatur
enique dimidiatio confessionis ob igno-
ntiam pure vincibilem, et graviter
lpabilem, quæ coincidit cum negligentia
rca examen pure vincibili, et graviter
lpabili ; imo, et hæc in præsenti adest ;
quidem pœnitens illa ignorantia deten-
s, negligens est in examinando an habeat
l non dolorem efficacem requisitum ad
uctum sacramenti, ad quod tenetur,

Si vero secundum eligas, pœnitentem
mirum apponere impedimentum gratiæ
confessione valida celando aliquod pec-
tum, atque ideo dimidiando confessio-
em ; investigamus similiter, an illud
ccatum furti, v.g. occultetur ex ignoran-
a invincibili, vel non ? Si primum, jam
ud peccatum manet virtualiter in con-
ssione inclusum, indirecteque remissum
subinde illa confessionis dimidiatio,
t non manifestatio peccati ob ignoran-
m invincibilem sacrilegium fictionis non
t ; itaque sacramentum non erit (ut ait
Thomas) informe, sed formatum. Si
cundum, recurrere debemus ad hoc quod
amen fuerit aliquomodo defectuosum,
que ideo illud peccatum culpabiliter
litum. Hoc autem examen, si solum
buit negligentiam, vel defectum levem,
una parte ratione venialis culpæ non
ponit obicem gratiæ, nec est fictio
crilega, quam pœnitens in alia con-
eri teneatur, cujus oppositum asserit
Thomas ; et ex alia peccatum mor-
le furti celatum in confessione vir-
aliter includitur, et indirecte remittitur,
ippe defectus levis examinis id non
llit. Ergo necessario asserere debemus,

examen lethaliter defectuosum præcessisse, ut ita verificari possit, pœnitentem graviter delinquere in occultatione peccati furti, ac in dimidiatione confessionis. Quo supposito, ulterius inquirimus an illa gravis negligentia examinis sit crassa, supina, et affectata, an vero pure vincibilis, et graviter culpabilis ? Primum dici non potest ; tunc enim pœnitens directe, ac ex proposito vult ignorare peccata, ac dimidiare confessionem ; et consequenter hujusmodi confessio non est valida, et informis, de qua loquitur D. Thomas, sed prorsus nulla. Igitur concedendum est secundum, quod nimirum illa negligentia examinis sit pure vincibilis, et graviter culpabilis ; atque ideo fictionem sacrilegam, qua inquit D. Thomas fieri confessionem validam, et informem, esse occultationem peccati, aut dimidiationem confessionis ob prædictum defectum examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem, ortum ex simili ignorantia.

Ceterum ut aptius percipiatur, qualiter intelligendus sit D. Thomas, dum in allegato testimonio inquit, pœnitentem teneri postmodum suam confiteri fictionem ; observandum est, fictionem esse duplicem: aliam materialem, aliam vero formalem, ut cum eodem Aug. Præceptore explicuimus in priori hujus tractatus parte, disp. 2, dub. 2, num. 46. Fictio materialis est illud peccatum, quod ante sacramenti receptionem commissum præsupponitur, ut in præsenti se habet furtum, quod pœnitens in confessione non detegit. Fictio autem formalis militat contra reverentiam debitam sacramento, estque proinde sacrilegium in indigna ejusdem sacramenti susceptione perpetratum, quatenus quis accedit cum obice gratiæ recipiendæ repugnanti. De qua formali fictione asserit Div. Thom 3 part. quæst. 69, art. 9, quodammodo includere omne peccatum, quatenus supponit aliquod præcessisse, non determinans quod sit hujus vel alterius speciei. Cui accedit ipsa indigna sacramenti susceptio, quæ in præsenti coincidit cum dimidiatione confessionis, ac examinis negligentia, quæ constituunt peccatum sacrilegii distinctum a peccato furti in confessione non manifestati. Igitur dum D. Thomas asserit in verbis supra relatis quod « non tenetur iterare confessionem qui

Nota.

D. Tho.

« fictus accedit, sed tenetur postmodum « suam fictionem confiteri ; » per ly *fictionem* intelligit non solum formalem, aut sacrilegium indignæ susceptionis sacramenti, sed etiam materialem, peccatum furti nimirum, quod ex negligentia examinis celatur in confessione : hoc enim cum culpabiliter omisit sit, nullo modo remissum est.

Evasio. 309. Dices, fictionem formalem, quam inquit Divus Thomas constituere confessionem validam, et informem, sitam non esse in dimidiatione confessionis ob negligentiam examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem ; sed in defectu extensivo doloris, ratione cujus aliquod peccatum irretractatum ac irremissum persistit, quod impedimentum est ad gratiam recipiendam. Idque solum intendere D. Thomam satis palam constat ex verbis immediate antecedentibus, quibus dixit : « Et secun« dum hoc confessio etiam potest esse in eo, « qui non est contritus : » nam ly *non est contritus* carentiam extensionis doloris circa aliquod peccatum designat.

Præclu- Sed contra : nam qui de uno peccato conteritur, ac non de alio, vel id facit ex ignorantia invincibili, uti excogitavit Suarius, vel ex graviter culpabili ? Si ex invincibili, licet præmittamus tunc salvari sacramentum validum, et informe, non tamen est casus de quo loquitur D. Thomas, expresse asserens pœnitentem teneri suam fictionem postmodum confiteri ; quod verificari non potest, si pœnitens ex ignorantia invincibili unum peccatum detestatur alio non detestato, cum nulla adsit fictio sacrilega, cujus declaratio deinceps urgeat. Si autem ex graviter culpabili crassa, supina, aut affectata, etiam locum non habent verba D. Thomæ de confessione valida loquentis, qualis illa non est, sed prorsus nulla. Si tandem dolor circa aliquod peccatum non extendatur ob ignorantiam pure vincibilem, et graviter culpabilem inextensionis doloris, confessionem esse validam, et informem fatemur ; ceterum hujusmodi confessio dimidiata est, quandoquidem pœnitens illam fictionem, aut grave sacrilegium in confessione non detegit: si enim detegeret, et in eodem statu inextensionis doloris persisteret, confessio esset nulla, ut ex se patet. Si vero fictionem detegeret, et statum mutaret extendendo dolorem ad alia peccata sacramentum validum simul ac fructuosum evadit ; in quo sensu D. Thomas accipi nequit, cum expresse sermonem faciat de confessione valida, et informi cum fictione, quam postea pœnitens confiteri teneatur. Quocirca si D. Thomas intelligendus est, ut debet intelligi, in sensu formali, et rigoroso, ita ut omnia ejus verba verificentur, aliter exponi non potest nisi modo in assertione explicato, quatenus pœnitens accedit ad sacramentum cum negligentia examinis pure vincibili, et graviter culpabili, et inde confessionem indirecte, et interpretative dimidiat, et sacrilegium formalis fictionis committit. Tunc quippe, et confessio est valida, et informis, et pœnitens contritus non est efficaciter, quamvis sit inefficaciter, ac insuper adest fictio sacrilega, cujus manifestationi obstrictus persistit.

310. Hactenus non tam curavimus ratione assertionem munire, quam suadere eam esse ad mentum D. Thomæ, ipsiusque authoritate firmare ; et quamvis sola hæc satis, superque sit (nobis præsertim) ad quamlibet sententiam omnino firmiter statuendam ; ulterius tamen proposita assertio suadetur alio motivo ex doctrina præcedentis dubii desumpto, quod sic efformari potest. Confessio, quæ ex expressa ac directa intentione pœnitentis est integra, quamvis alias ex implicita, et indirecta sit dimidiata, est valida, et informis ; sed confessio dimidiata ob negligentiam examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem est integra ex directa ac expressa intentione pœnitentis, et solum dimidiata implicite ac indirecte : ergo valida est, ac infructuosa. Consequentia est legitima, et minor constat ex distinctione, quæ intercedit inter confessionem dimidiatam ob negligentiam examinis pure vincibilem, et inter dimidiatam ob negligentiam crassam, supinam, aut affectatam : hæc enim in omnium, aut fere omnium sententia censetur expresse, scienter, ac ex proposito non integra ; illa vero solum indirecte, implicite, ac interpretative, eo quod pœnitens habet animum detegendi omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt post aliquale, et re vera insufficiens examen, quod ex ignorantia pure vincibili, et graviter culpabili fuisse sufficiens existimat.

Quocirca

uocirca licet omissio sufficientis examinis ılpa gravis extiterit, et ex ea ortum duxe- t sacrilegium fictionis, aut occultationis icujus peccati : nihilominus omnes istæ missiones, quæ in re non ponunt in nu- ıero, sed unicum peccatum constituunt, on processerunt ex certa scientia, ac lena, et expressa cognitione practica ; sed m ex ignorantia pure vincibili, et raviter culpabili, quæ solum causat in is omissionibus volitionem indirectam, interpretativam. Major autem quoad ecundam partem, asserentem illam con- ssionem esse informem, admittitur ab mnibus; quoad primam vero, in qua stat ifficultas, ostenditur. Etenim ut confessio t valida, sat est quod pœnitens directe expresse excludat voluntatem peccandi, ut dimidiandi confessionem, licet impli- ite ac interpretative eam non excludat, t patet in dolore supernaturali inefficaci, ui validum sacramentum constituit, esto mplicitam voluntatem peccandi admittat, solum expresse, et directe eam exclu- at ; sed in confessione ex expresso animo ntegra, et solum interpretative dimidiata, ormalis ac expressa voluntas peccandi xcluditur, et solum implicita admittitur : rgo habet quod sufficit ad valorem. Unde, t recte vidit Canus ubi supra, omnes qui obiscum sentiunt salvari sacramentum alidum, et informe cum solo dolore su- ernaturali inefficaci, coguntur in vi con- equentiæ id ipsum defendere cum negli- entia examinis pure vincibili, et gravi- iter culpabili.

Confirmatur : nam ea confessio est va- da, quæ secum permittit dolorem super- aturalem inefficacem sufficientem ad par- em, atque ideo ad valorem sacramenti : tqui confessio hac,enus descripta secum dmittit dolorem supernaturalem ineffica- em sufficientem ad partem sacramenti : rgo valida est.Suadetur minor ex proxime ictis, ac dubio præced. late expensis : uia dolor supernaturalis inefficax suffi- iens ad partem sacramenti solum pugnat um voluntate expressa ac formali pec- ndi, non vero est incompossibilis cum mplicita, ac virtuali ; sed dum confessio imidiatur ob negligentiam circa examen ure vincibilem, et graviter culpabilem, olum continet implicitam, virtualem, ac ndirectam voluntatem peccandi, aut con- fessionem dimidiandi : ergo secum admit- tit dolorem sufficientem ad valorem sacra- menti. Quam compossibilitatem suæ con- versionis initio satis sensibiliter D. Au- gustinus expertus est, dum lib. 8 Confes. dixit: « Non igitur monstrum partim velle, « partim nolle ; sed ægritudo animi est : « quia non totus assurgit veritate sublева- « tus, consuetudine prægravatus ; et ideo « sunt duæ voluntates,quia una earum tota « non est. » En dolorem inefficacem per- spicue descriptum. Sufficit quidem, ut vere ac serio pœnitens doleat, voluntatemque expressam peccandi excludat ; sed non omnino eam detestatur, sed quasi impli- cite ac subreptitie amplectitur. Cur ? Quia animus « non totus assurgit veritate suble- « vatus, » id est, quia non omnimoda expressa ac practica veritatis lux mentem affulsit, sed quædam veritatis obnubilatio propter ignorantiam pure vincibilem, et graviter culpabilem animum obrepsit,quæ indirectam ac interpretativam voluntatem peccandi intulit. Igitur conjungibilis est dolor sufficiens ad partem sacramenti cum prædicta examinis negligentia, atque ideo cum indirecta confessionis dimidiatione, aut implicita fictione sacrilega.Unde adsunt quæ ad valorem sacramenti sufficiunt, et quamvis tunc ob fictionem sacrilegam pœ- nitens non obtineat absolutionis fructum, postmodum, inquit D. Thomas, « rece- « dente fictione percipere incipiet. » D. August.

311. Sed ecce unde quædam, et satis ur- gens assurgit difficultas, qualiter Ang. Doctor asserere potuerit pœnitentem rece- dente fictione obtenturum absolutionis fructum ? Etenim ut tract. 22, disp. 4,dub. 6, § 2, cum multiplici ejusdem D. Thomæ authoritate ac ratione firmavimus, sacra- menta non imprimentia characterem nec physice nec moraliter causant gratiam re- cedente fictione ; pœnitentia autem cha- racterem non imprimit, ut ex se patet : ergo hæc verba D. Th. « Et quamvis tunc « non percipiat absolutionis fructum,tamen « recedente fictione percipere incipiet, » in quibus palam sentire videtur pœniten- tiam recedente fictione influere in gratiam, non cohærent cum his, quæ loco citato ex eodem D. Thoma statuimus. Incidens difficul- tas. D. Tho.

Hac difficultate, nec admodum levi, ibi fuimus præpediti, nec tandem ea convicti ab arrepto itinere discessimus, quin testi- Dis-sol- vitur 1.

monium adductum consone ad alia, quæ habentur in partibus ac Theologiæ summa studuimus exponere, duplicem intelligentiam illi adhibentes. Quarum prior fuit, S. Doctorem, si in prædicto testimonio ex 4 sent. re vera loquutus fuit de pœnitentia producente gratiam recedente fictione, hanc sententiam retractasse tum expresse locis, quæ ibi dedimus, tum virtualiter in 3 part. q. 69, art. 10, ubi soli Baptismo concedit recedente fictione influere in gratiam ea sola ratione quia characterem imprimit, quæ æque urget in aliis sacramentis characterem imprimentibus ; atque ideo virtualiter exclusisse pœnitentiam, Eucharistiam, et alia, quæ characterem non imprimunt. Quam interpretationem denuo confirmamus ex Soto, gravissimo D. Thomæ interprete, qui in 4, dist. 18, q. 3, art. 3, in fine inquit : « Unde ad S. Thomam « respondetur primum quod fortasse loque- « batur in 4, cum communi vulgo, quod « quidem in summa correxit, et correxisse « clarius, si hucusque pervenisset. » Nec inde sequitur (ut ita latenti replicæ satisfiat) quod si D. Thomas correxit illam doctrinam quoad hanc partem influendi in gratiam recedente fictione, etiam eam correxit quoad aliam admittendi sacramentum validum, et informe cum fictione sacrilega, quia eodem modo loquitur de utroque. Non, inquam, id sequitur : nam posse dari confessionem validam, et informem cum fictione sacrilega, quod in 4 docuit, nullibi explicite aut implicite negavit, et aliunde hæc doctrina optime cohæret cum reliquis ejusdem S. Doctoris principiis. Confessionem autem validam, et informem influere recedente fictione in gratiam absolutionis fructum, aut explicite locis, quæ tract. citat. dedimus, aut saltem virtualiter in 3 part. q. 68, art. 10, rejecit ; subindeque facile non est id cum aliis D. Thomæ testimoniis conciliare.

Soto.

Replica tacita præoccupatur.

Posterior vero intelligentia, quam eidem authoritati adhibuimus, in eo sita erat quod D. Thomas ibi loquutus non fuit de principaliori absolutionis fructu, qui est gratia, sed de alio minus principali confessioni validæ indispensabiliter annexo, videlicet de exemptione ab onere iterum confitendi illa peccata, quæ in confessione valida clavibus subjecta sunt. Ad hoc enim videtur D. Th. collimasse, dum immediate quasi illative concludit : « Unde non ten « tur iterare confessionem qui fictus acc « dit. » Quam expositionem priori præf rendam ibi censuimus, et in præsen tractatu uti in sede propria diligentius e plicandam reliquimus. At rem sedulo i vestigantes, hinc indeque introspiciente ea omnino firma, ac verbis D. Thomæ u dequaque consona non apparet. Nam An Doctor expresse loquitur de absolution fructu, qui dum adest fictio, non percip tur, et recedente fictione obtinetur ; s pœnitens fictus, statim ac conficit sacr mentum validum, et informe, deobligat manet ab onere iterum subjiciendi clavib peccata tunc confessa, idque etiam si n recedat fictio : ergo in relato testimon non loquitur D. Thomas de hoc absoluti nis fructu, sed de alio principaliori, qui e gratia, quæ usque dum fictio recedat n obtinetur. Quo circa cum loco citato hæs tanter ac quadam animi suspensione fuer mus loquuti, judicium ultimum ad hu tractatum reservantes, modo utramq illam expositionem in sua probabilita relinquentes, ut quisque, quam maluer eligat, aliam omnino firmam, perspicuar ac D. Th. menti satis affinem adhibemu

312. Pro cujus intelligentia nota, gr tiam dupliciter nuncupari posse fructu sacramenti ; vel quia re vera, et exercite sacramento tanquam proprius effectus in trumentaliter producta sit ; vel quia lice sacramento re re vera non processerit, t men ab eo produci exigebat, quo pac fructus sacramenti dici potest, non exer tus, sed exactus. Concedimus igitur, Thomam in illis verbis : « Et quamvis tu « non percipiat absolutionis fructum, tam « recedente fictione percipere incipiet, sermonem facere de fructu sacramenti, a absolutionis, qui sit gratia. Ceterum n ita intelligendus est, quod gratia, qua pœnitens recedente fictione obtinet, sit e fectus aut fructus exercite productus in absolutionis sacramenti informis ; sed i ut si pœnitens deinceps excludit fictione et justificatur per contritionem extra sacr mentum, aut per attritionem intra ali sacramentum, gratia, quæ tunc infun tur, sit fructus exercitus vel contritioni vel subsequentis sacramenti respective, solum exactus a priori confessione inform quæ re vera illum produxisset, si fic

n

on impediret. Et quidem cum fructus absolutionis aliud non sit quam gratia remissiva peccatorum, ut in priori hujus act. parte disp. 3, dub. 2, fuse expendimus, D. Thomas in verbis præallegatis aliud non intendit, quam quod pœnitens um ficte ad sacramentum accedit, gratiam on obtineat, sed postmodum ubi fictio redit. sive hujusmodi gratia sit re vera ructus prioris sacramenti, sive per contrionem aut subsequentem confessionem nductus, sive eadem in entitate, sive simis in intensione. Sic etiam commentatur otus ubi supra, art. 3, in fine : « Secundo respondetur, quod D. Thomas non videtur idem tribuisse huic sacramento, quod Baptismo : ait enim quod quamvis tunc confessus non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione recipere incipiet, sicut est in aliis sacramentis. De aliis sacramentis non imprimentibus characterem nullibi hoc ipse opinatus est. Attamen S. Thomas, ut arbitror, non aliud sibi vult, quam quod recedente fictione per contritionem incipiat homo habere gratiam, et remissionem peccatorum, quam non habuit per prius sacramentum ; et si iterum confiteatur » (verba perpende) habebit etiam gradum sacramentalem gratiæ similem illi, quem habuisset per primum sacramentum, nunquam tamen eandem numero. » In quibus cum communi Thomistarum sententia supponit eundem numero effectum a duplici causa totali produci non posse, et cuidam replicæ, quæ ex hac sententia efformari poterat, adhibet solutionem.

Hanc autem esse perspicuam D. Thomæ explanationem, liquet ex alio ejusdem S. Doctoris testimonio : nam 3 part. p. 64, art. 3, in corpore asserit, Christum potuisse effectum sacramentorum sine sacramento producere, de factoque produxisse dum dixit Magdalenæ : *Dimittuntur tibi peccata.* Quomodo ergo hæc verba verificari possunt ? Nam si Christus re ipsa, et de facto sine sacramento, et se solo gratiam contulit Magdalenæ, qua ratione hujusmodi gratia dicitur sacramentalis, aut fructus sacramenti ? Non utique quia re vera, et *exercite* per sacramentum fuerit producta, sed quia modo connaturaliori per sacramentum producenda erat ; itaque fructus sacramenti dicitur, non exercitus, sed *exactus.* Sic igitur ac eodem modo gratia, quæ recedente fictione per contritionem, ac subsequens sacramentum inducitur, dicitur fructus absolutionis præcedentis, non exercitus, sed ab ejus causalitate *exactus*, quatenus informis confessio ex se tendebat ad eandem specie gratiam, ac similem in intensione producendam.

§ IV.

Adversariorum argumenta proponuntur, et enodantur.

313. Contrariam huic tertiæ assertioni sententiam propugnant omnes Authores, quos dub. præcedente retulimus, negantes confessionem validam, et informem ex doloris inefficacia. Eandemque tenent Tyrsus disp. 40, sect. 7, et 8, Gonet tom. 5, tract. de pœnitentia disp. 10, art. 1, § 2, n. 6, Labat tract. de pœnitent. disp. 2, dub. 1, § 4, Joannes a S. Thoma, in quam etiam inclinat N. Franciscus tract. 6, cap. 5, dub. unic. n. 21, et alii asserentes confessionem non integram ob negligentiam examinis graviter culpabilem, et pure vincibilem, esse nullam. Pro qua sententia. Tyrsus, Gonet, Labat, Joannes a S. Tho.

Arguitur primo ex Tridentino sess. 14, cap. 5, ubi statuit integritatem formalem esse de substantia sacramenti pœnitentiæ ex vi institutionis illius ; sed confessio dimidiata ob negligentiam examinis, aut ignorantiam pure vincibilem, et graviter culpabilem, non est integra formaliter : ergo hujusmodi confessio non habet quidquid ad illius substantiam desideratur, subindeque erit nulla. Major, et consequentia constant, et minor ostenditur : ut omittens aliquod peccatum dicatur efficere confessionem formaliter integram, necessarium est ut illud omittat ex rationabili causa ; sed qui confessionem dimidiat ob negligentiam examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem, non omittit peccatum ex aliqua rationabili causa : hæc enim vel est impotentia physica, vel moralis, aut aliquod grave sui, vel proximi nocumentum ; quorum nihil adest in præsenti, ut ex se liquet. Ergo qui dimidiat confessionem, aut omittit aliquod peccatum ob negligentiam examinis pure vincibilem, et Argum. 1.

graviter culpabilem, non censetur confessionem formaliter integram efficere.

Diluitur. Respondetur negando minorem, cujus probatio non urget. Quamvis enim verum sit, quod ad confessionem formaliter integram, in qua quis directe, scienter, ac ex proposito aliquod peccatum omittit, cujus post diligens examen memor erat, requiratur aliqua rationabilis causa impotentiæ physicæ, aut moralis ; non tamen dum confessio dimidiatur, peccatumve omittitur ob examinis negligentiam pure vincibilem, et graviter culpabilem : tunc quippe cum solum indirecte, ac implicita volitione dimidietur confessio, et pœnitens habeat expressam ac directam intentionem detegendi peccata, quæ post aliquale examen memoriæ occurrunt, et quæcumque alia occurrerent, illa rationabilis causa necessaria non est ut confessio formaliter integra evadat. Eo vel maxime, quod illa rationabilis causa sufficit ad constituendam confessionem adeo formaliter integram, ut sit non solum valida, sed etiam fructuosa. In eventu autem quæstionis cum prædicta examinis negligentia non salvamus confessionem validam, et fructuosam simul, sed tantum validam ; ad quod satis est quædam moralis impotentia secundum quid, ortum ducens ex ignorantia pure vincibili, et graviter culpabili. Itaque de substantia confessionis est integritas formalis ex directa pœnitentis intentione, quæ in præsenti adest ; non vero ex quacumque intentione etiam interpretativa, et implicita, ut patet in dolore supernaturali, et efficaci, qui æque necessarius est ad sacramenti substantiam, ac formalis integritas ; quo non obstante ut confessio valida existat, sufficit pœnitentem expressam habere intentionem doloris efficacis, et non desideratur habere etiam implicitam ; cum dolor inefficax in re positus, et omnem voluntatem peccandi non excludens, validum sacramentum constituat.

2. 314. Secundo arguitur, et tradita solutio impugnatur. Etenim ut negligentia circa examen sit graviter culpabilis, opus est ut pœnitens plene advertat se absolute, et simpliciter esse in conscientiæ discussione negligentem, et sciat in hujusmodi omissione graviter delinquere ; sed cum peccato scienter ac plena advertentia commisso, et perseverante usque ad ultimum instans terminativum absolutionis, qualiter prædicta negligentia perdurat, non salvatur sacramenti valor : ergo nequit esse validum, et informe sacramentum dimidiatum ob examinis negligentiam supra descriptam. Minor cum consequentia constat, et major ostenditur. Nam peccatum lethale sive commissionis, sive omissionis requirit plenam voluntatem ad factum, vel omissum ; sed plena voluntas plenam advertentiam, et cognitionem exposcit : ergo ut negligentia circa examen sit graviter culpabilis, necessarium est pœnitentem plene cognoscere se esse simpliciter negligentem, ac lethaliter in re gravi delinquere. Et quidem sicut nemo absque plena advertentia æternæ pœnæ reatum contrahit, ita sine eadem peccatum lethale committit. Quo fundamento convincitur Joann. a S. Thoma ut nostram deserat, et oppositam amplectatur sententiam. Jo S.

Confirmatur, et urgetur : quoniam esto co ad peccatum lethale negligentiæ circa examen, sive alterius gravis omissionis, non requiratur expressa advertentia, sed solum quod cum teneatur, et possit advertere, non advertat ; nihilominus necessario desideratur quod hæc gravis obligatio advertendi ad factum vel omissum advertatur ; sed pœnitentem cognoscere plene obligationem advertendi ad negligens examen, et id omittere, est velle scienter ac ex proposito aliquod peccatum non detegere in confessione, quod cum integritate formali cohærere non potest : ergo hujusmodi confessio est nulla. Suadetur minor : nam qui plene advertit periculum tacendi aliquod peccatum, et periculum non removet, censetur velle scienter illud peccatum tacere ; sed pœnitens, qui plene cognoscit obligationem advertendi ad negligens examen, et id non facit, plene cognoscit periculum omittendi aliquod peccatum, et illud non removet : ergo censetur velle scienter, ac ex proposito dimidiare confessionem.

Ad hoc argumentum respondetur ex dictis tract. 13, disp. 10, dub. 4, n. 172, cum sequentibus, quod negligentia graviter culpabilis circa examen, si est *directe volita*, exposcit plenam advertentiam tam speculativam quam practicam formalem, et directam ; si vero sit negligentia indirecte volita, petit plenam advertentiam speculativam formalem ; practicam autem, et proximam Soi ar mei

proximam solum implicitam, et interpretativam. Et sub hac distinctione majoris, conceditur minor quoad primam partem, et negatur illius suppositum quoad secundam : quippe negligentia, de qua in assertione loquimur, quæque perseverat intra confessionem, non est directe ac ex proposito volita, sed solum indirecte-ob ignorantiam. Nec majoris inserta probatio aliquid evincit : nam ex ea solum habetur, quod plenitudo advertentiæ commensuranda sit cum plenitudine voluntatis ad quodlibet peccatum, vel commissionis, vel omissionis. Contingit autem, peccatum esse plene volitum expresse, et directe, et hoc similem expressam, et directam advertentiam exposcit. Contingit item solum plena volitione indirecta ac interpretativa esse commissum, ut in casu de quo in præsenti ; et advertentia, quæ huic culpæ aut voluntati respondet, solum est pure virtualis, et implicita : ideo enim homo sic peccat, quia cum teneatur hic, et nunc ad practicam formalem, et expressam advertentiam, de ea non curat, sed inconsiderate procedit ; alias nulla daretur culpa orta ex vincibili ignorantia, nec quoad hæc ulla peccatorum differentia appareret, quod a vera Theologia exorbitat. Ut autem quis in æternum damnetur, sufficit voluntarie in lethale peccatum incidere, sive id ex plena advertentia directa fiat, sive ex indirecta. Unde, ut vides, hoc argumentum non tam nostram assertionem oppugnat, quam possibilitatem negligentiæ aut ignorantiæ pure vincibilis, et graviter culpabilis, quæ in præsenti supponenda est, alioqui quæstio locum non habebit, ut consideranti constabit.

Pœnitens igitur, dum conscientiam discutit, advertit speculative adesse præceptum de diligenti examine confessioni præmittendo, atque ideo etiam cognoscit negligentiam circa examen esse prohibitam. Et hujusmodi speculativa et formalis advertentia omnino necessaria est, ut negligentia circa examen, sive directe, sive indirecte volita, sit graviter culpabilis : quippe dum notitia præcepti non habetur, istud violari non potest. Deinde advertit pœnitens practice ac expresse examen, quod præmisit, fuisse re vera negligens, quo non obstante confessionem aggreditur. Et hujusmodi advertentia constituit eam negligentiam directe volitam, et confessionem cum ea factam reddit scienter ac ex professo nullam. Ad quam classem reducenda est confessio facta cum negligentia circa examen crassa, supina, et affectata : tunc enim pœnitens, cum nullam aut fere nullam in conscientiæ discussione curam adhibeat, censetur plene, expresse, ac practice advertere hic, et nunc suam negligentiam, atque ideo directe velle confessionem esse non integram ; nec de his procedit difficultas. Potest igitur pœnitens aliter se habere, ita ut speculative cognoscat præceptum urgens ad diligens examen, et practice se aliquale præmisisse ; non tamen practice advertit ad hujusmodi aliquale examen, quod præmisit, sit vel non sit sufficiens ; et hanc ignorantiam, aut practicam inconsiderationem non excludens, ad quod tenetur, procedit ad confessionem, quam asserimus esse validam. Etenim negligens examen in hoc eventu directe volitum non est, sed tantum indirecte, quatenus pœnitens speculative cognoscens se obligationem habere ad practice sciendum an examen sit sufficiens vel non, et quasi timens, aut scrupulizans sufficiens non fuisse, animum suspendit, nec curam sufficientem adhibet ad acquirendam advertentiam practicam, et formalem, per quam excludenda erat ignorantia pure vincibilis, qua detinetur. In quo casu interpretamur pœnitentem implicite ac indirecte examinis negligentiam admittere ; expresse tamen ac ex proposito intendere confessionem integram facere. Nec ista clariorem explanationem admittunt : nam quæ ad ignorantiam attinent, quo plus scrutantur, eo imperceptibiliora apparent. Recolantur tamen quæ loco proxime citato ex tract. 13 expendimus. Ex quibus

Confirmationi satisfit.

Ad confirmationem, quæ hanc doctrinam infringere conabatur, eodem modo dicendum est, quod licet ut quis non advertendo peccet, requiratur plene cognoscere speculative præcise obligationem, quam habet, ad expresse, et practice advertendum ; nihilominus necessarium non est, ut hic et nunc, dum delinquit, practice, et expresse advertat transgressionem præcepti ut sibi bonam judicatam : hæc enim plena advertentia exercita constituit modum operandi scienter, ac ex malitia ; sed satis est adver-

tentia implicita, atque indirecta propria illius, qui operatur ex inconsideratione, aut cum vincibili ignorantia. Quippe hæc distinctio inter peccata intercedit, quod quorundam malitia resultat in voluntate ex voluntaria directe propositione practica intellectus dictantis voluntati esse hic et nunc sibi conveniens se exercere contra legem Dei directa ac expressa volitione ; quod est peccandi genus scienter ac ex proposito. Aliorum vero turpitudo non provenit voluntati ex intellectus cognitione practica, ac expressa malitiæ ; sed potius cognitionem inficit voluntas, quatenus passione delinita, voluptate inescata, desidiave, aut inertia detenta mentem vitiose obnubilat, explicite advertat quod advertere tenebatur, sed sistat in actu incompossibili cum debito. Et hujusmodi delinquendi species ortum ducit ex inconsideratione explicita debiti, cum ejus adimpletione voluntarie interpretative inconjungibili.

Id quod aliqualiter declarari valet exemplo peccati Angeli. Hic enim, ut cum D. Thoma explicuimus tract. 7, disp. 10, dub. 8, et clarius ac brevius tract. 13, disp. 10, dub. 4, num. 172, non ex aliquo intellectus errore prolapsus est, sed ex quadam inconsideratione, aut inadvertentia practica. Cognovit quippe speculative ac expresse obligationem referendi se ac subordinandi Deo authori supernaturali, et in sua beatitudine naturali non sistendi. Deinde hujusmodi obligationem practice ac expresse hic et nunc, dum præceptum urgebat, non advertit suæ naturalis felicitatis pulchritudine raptus, sed potius in ea stetit, et practicam advertentiam, ac in finem supernaturalem subordinationem omisit ; et hæc subsequens inconsideratio, aut practica inadvertentia censetur advertentia interpretativa sufficiens ad culpam. Similiter ergo pœnitens, dum conscientiam discutit, expresse ac speculative cognoscit debitum præmittendi diligens examen ad confessionem, ne trunca fiat ; efficit aliquale, et in eo sistit practice non advertens an re vera sit sufficiens ; et hujusmodi inadvertentiam conservans (quæ advertentia interpretativa dicitur, eo quod speculative saltem sub dubio aut scrupulo cognoscit habere obligationem sciendi diligens examen præmisisse) confessioni finem imponit. Ex quo fit, quod confessio ex directa pœnitentis intentione sit formaliter integra, et solum implicite ac interpretative mutila. Non enim scienter ac ex professo vult peccatum aliquod in confessione supprimere, sed tantum implicite, quatenus non excludit ignorantiam pure vincibilem negligentis examinis, quam habet ; atque ideo implicite admittit periculum aliquod peccatum tacendi. Per quod patet etiam ad minoris probationem in confirmatione adductam.

315. Tertio arguitur : quoniam omissio diligentis examinis expresse ac directe volita constituit confessionem non integram formaliter : ergo etiam quando est indirecte volita, aut negligentia pure vincibilis, et lethaliter peccaminosa. Antecedens constat, et consequentia probatur : nam omissio diligentis examinis directe volita est ejusdem rationis ac ea, quæ indirecte, et interpretative intenditur : ergo vel utraque, vel nulla reddit confessionem formaliter non integram, et invalidam. Antecedens, in quo poterat esse difficultas, liquet ex dictis tract. 13, disp. 13, dub. 3, § 4, ubi ex professo statuimus omnia peccata, quæ ex ignorantia simpliciter vincibili procedunt, manere in propriis speciebus, uti si scienter ac directe commissa fuissent. Id quod etiam in eodem tract. disp. 8, n. 4, docuimus asserentes modum directe aut indirecte respiciendi objectum omnino de materiali ad speciem peccati se habere.

Respondetur negando consequentiam, quæ minime subjecta probatione evincitur : etenim non negamus, negligentiam circa examen directe volitam esse ejusdem rationis, et speciei cum ea, quæ indirecte amplectitur ; asserimus tamen hanc ultimam non tollere formalem confessionis integritatem ac valorem. Cujus ratio disparitatis est, quia licet modus directe vel indirecte prosequendi objectum de materiali se habeat in ordine ad peccati speciem mutandam, nihilominus de formali se habet respective ad valorem vel nullitatem confessionis : quippe directa volitio negligentis examinis ostendit pœnitentem scienter ac ex proposito velle peccata in confessione tacere, cum quo incompossibilis est formalis integritas sacramenti. Indirecta vero, et interpretativa non destruit expressum

pressum ac directum animum detegendi omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, et quæcumque alia occurrere possunt; quod satis est ad formalem confessionis integritatem ad sacramenti valorem desideratam. Nam dum Concilium definit: « Qui vero secus faciunt, et scienter aliqua « retinent, nihil divinæ bonitati remitten- « dum proponunt, » non dicit facere confessionem nullam, qui *ignoranter*, sed qui *scienter* aliqua peccata retinent. Qui autem ob negligentiam examinis ortam ex ignorantia pure vincibili aliquod peccatum celat, ignoranter celat, et quasi per accidens, cum expressam voluntatem habeat omnia integre manifestandi.

E converso autem contingit in eo, qui ex positiva malitia, ac etiam in his, qui ex negligentia crassa, supina, et affectata confessionem dimidiant: isti enim censentur directe velle peccata ignorare, atque ideo scienter ea supprimere. Cujus non modicam lucem habemus ex illo Augustini lib. 8, confession. cap. 7: « Tu autem « Domine retorquebas me ad me ipsum, « auferens me a dorso meo, ubi me posue- « ram, dum nollem me attendere, et « constituebas me ante faciem meam, ut « viderem quam turpis essem; et sic co- « nabar a me avertere aspectum. Tu me « rursus apponebas mihi, et impingebas « me in oculos meos, ut invenirem iniqui- « tatem meam; noveram eam, sed dissi- « mulabam, et obliviscebar. » In quibus perspicue depingit propriam negligentiæ, aut ignorantiæ crassæ, supinæ, et affectatæ conditionem, nolentem admittere explicitam peccatorum advertentiam, quod idem est ac expresse, et scienter velle eadem ignorare, ac reticere. Ex quo fit, confessionem cum hujusmodi negligentiis factam, esse ex mente Concilii nullam; ceterum quæ cum negligenti conscientiæ discussione pure vincibili conficitur, licet fructum non pariat, valorem non amittit: stat quippe omnes has negligentias idem peccatum quoad speciem moralem constituere, et nihilominus quoad aliqua diversos effectus ac satis oppositos sortiri. Itaque videmus ignorantiam crassam, supinam, et affectatam operationis malitiam augere; vincibilem vero eandem diminuere, ut communiter docent Theologi. Insuper, ignorantiam pure vincibilem sufficere ut liberet ab incursione censuræ, ut constat ex cap. *Ut animarum*, de constit. in 6, tenentque Cajetanus, Sylvester, Sotus, Sanchez, et alii; a quo tamen aliæ ignorantiæ non liberant. Quemadmodum igitur factum vel omissum cum certa scientia, aut cum ignorantia supina, crassa, et affectata, est ejusdem rationis, aut malitiæ specificæ, ac factum vel omissum ex ignorantia pure vincibili, et nihilominus hoc a censuris liberat, illud vero non; ita proportionabiliter contingere dicimus circa negligens examen, quod si ex certa scientia, aut ex illis ignorantiis procedat, confessionem annullat; si autem ex pure vincibili ortum ducat, quamvis fructum sacramenti non obtineat, illius valori non officit.

316. Arguitur quarto. Nam per confessionem validam satisfit præcepto divino, et ecclesiastico de confessione facienda; atqui per confessionem indirecte sacrilegam non fit satis præcepto confessionis: ergo hujusmodi confessio invalida est. Minor ostenditur, tum quia præceptum confessionis non solum præcipit confessionem quoad substantiam fieri, sed etiam quod debito modo fiat, aut quod indigne non fiat; sed confessio indirecte sacrilega debito modo non fit: ergo per eam non adimpletur præceptum. Tum etiam: nam per communionem sacrilegam non satisfit præcepto annuæ communionis, ut constat ex decreto SS. D. N. Innocentii XI, anno 1679, damnantis hanc propositionem, quæ inter reprobatas est 55: « Præcepto commu- « nionis annuæ satisfit per sacrilegam « Domini manducationem. » Ergo similiter nec præcepto confessionis annuæ per confessionem sacrilegam. Argum. 4. Propositio damnata.

Ad argumentum respondetur negando minorem: ad cujus primam probationem dicendum est, confessionem indirecte sacrilegam, qua sacrilegam, præceptum lædere, atque ideo sub hac consideratione illi non satisfacere; qua validam tamen, implere præceptum quoad substantiam modo statim explicando. Itaque concedimus præceptum divinum confessionis esse virtualiter aut æquivalenter duplex, prout versatur circa substantiam confessionis, et prout respicit modum illius, sive sub hac ratione sit affirmativum præcipiens confessionem modo debito fieri, sive negativum prohibens indigne fieri, quod pa-

rum quoad præsens refert. Hoc tamen præceptum, quatenus versatur circa modum, dupliciter violari potest. Primo, ita ut pœnitens scienter ac ex proposito indispositus ad sacramentum accedat, aut aliquod peccatum supprimere intendat ; et dum ita contingit, modus transit in substantiam rei, atque ideo nec præceptum quoad substantiam, nec quoad modum adimpletur, cum confessio sit prorsus nulla. Secundo, indirecte ac interpretative, ita ut pœnitens ex expressa intentione digne accedat ad sacramentum cum animo detegendi omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, et cum simili expressa intentione doloris requisiti ; et solum accedat implicite indispositus ratione negligentis examinis ducentis principium ex ignorantia pure vincibili, esto graviter culpabili. Et in hoc eventu præceptum confessionis, prout versatur circa modum, solum læditur indirecte, implicite, et quasi per accidens. Unde iste modus violandi præceptum, aut indispositionis pœnitentis, quæ fit præter ejus expressam intentionem, in sacramenti substantiam non transit, nèc illi quoad valorem officit. Quocirca præceptum divinum confessionis, prout versatur circa substantiam, non frangitur, sed potius per hujusmodi confessionem validam, et informem adimpletur ; licet alias prout versatur circa modum, indirecte, et implicite lædatur. Id quod etiam dicimus de præcepto Ecclesiastico determinate divinum quoad utramque rationem, quod substantiam, videlicet, et modum digne conficiendi sacramentum. Ita, ni fallimur, in substantia sentiunt Soto, Ledesm. Nugnus Sot. in 4, dist. 15, q. 3, art. 3, § *Ex his autem* circa medium, Ledesma de sacram. pœnit. c. 16, concl. 6 et 7, Nug. in addit. ad 3 part. q. 9, art. 1, illis verbis : « Est « igitur primus casus, in quo datur con- « fessio vera, et valida quantum ad subs- « tantiam, ita ut non sit iteranda, et nihi- « lominus sit confessio informis, imo, et « sacrilega. »

Per quod patet ad secundam minoris probationem, nam distinguendum est consequens ; quod si intelligatur de confessione sacrilega scienter ac ex proposito, concedenda est consequentia ; si vero de ignoranter, indirecte, ac extra expressam intentionem sacrilega, ulterius subdistinguendum ; et si procedat de non adimpletione præcepti prout urget ad substantiam confessionis, neganda est consequentia ; concedenda vero, si procedat de non adimpletione præcepti quatenus versatur circa modum. Nec ista doctrina comprehenditur in illa propositione damnata a SS. D. N. Alexando VII, quæ inter reprobatas est 14, et hujusmodi : « Qui facit confessionem « voluntarie nullam, satisfacit præcepto « Ecclesiæ. » Hic quippe solum damnat doctrinam asserentem præcepto Ecclesiæ satisfieri per confessionem *nullam*, qualis est illa, quæ scienter ac certa malitia dimidiatur, aut etiam illa, in qua scienter requisitus dolor, aut propositum corrigendi vitam non adhibetur ; quibus confessionibus libenter fatemur præceptum divinum aut etiam Ecclesiasticum nec quoad substantiam, nec quoad modum adimpleri. Non vero reprobat sententiam asserentem per confessionem *validam, et informem* Ecclesiæ præcepto satisfieri. Porro confessio, de qua agimus, esto sit informis, imo, et graviter peccaminosa implicite, ac præter expressam pœnitentis intentionem, qua ratione præceptum quoad modum indirecte lædit ; est tamen absolute valida, atque ideo adimpletiva præcepti quoad substantiam, quippe quod solum cadit supra confessionem validam tanquam supra propriam materiam præceptam. Recolantur, quæ supra in hac eadem disp. dub. 2, num. 57, expendimus, remittentes, ut nunc iterum remittimus, Ecclesiæ judicio hujus propositionis explanationem.

Imo, si Sotum consulas, id ipsum quod cum citatis Theologis asserimus de confessione informi, et valida, applicat etiam, et in vi consequentiæ extendit ad communionem ignoranter, et indirecte sacrilegam, qua præceptum annuæ communionis, licet non quoad modum, quoad substantiam tamen adimpleri inquit. Quod ita esse docuimus loco proxime citato, dum communio est informis, et sacrilega pure materialiter, ut contingit dum quis accedit ad communionem cum aliquo peccato lethali invincibiliter oblito, et absque dolore supernaturali, eo quod bona fide existimat illo non indigere. In quo eventu præcepto communionis annuæ quoad substantiam satis fit : nam sic accedens in modo se habendi communicat *reverenter*, et in sua existimatione

existimatione *religiose*. Cujus contrarium accidit ubi quis sciens, et volens cum conscientia peccati mortalis indigne accedit ad sacramentum : hæc quippe proprie loquendo est sacrilega Domini manducatio, de qua intelligendus est Pontifex in reprobatione illius propositionis : « Præcepto « communionis annuæ satisfit per sacrile- « gam Domini manducationem : » loquitur enim in sensu formali, ac de communione scienter, et ex certa malitia sacrilega ; non vero de ea, quæ est talis pure materialiter, aut etiam ignoranter, et implicite : quia ita communicans expresse nullum in se peccatum videt, quin si videret, in ejus statu perdurans non communicaret. Itaque solum implicite ob ignorantiam vincibilem, quam habet, culpam admittit ; expresse tamen ac ex animo reverenter communicare censet, et consequenter præcepto communionis annuæ quoad substantiam videtur satisfacere, licet non quoad modum.

Et quidem confessionem informem, et indirecte peccaminosam posse in aliquo vero sensu esse absolute validam, et præcepti confessionis quoad substantiam adimpletivam, perspicue constat ex D. Thoma in testimonio pro firmanda assertione expenso. Ibi namque docet Angel. Doctor, confessionem cum fictione factam posse esse validam, et infructuosam, ac insuper pœnitentem non teneri confessionem iterare, sed solum fictionem postmodum confiteri. Quæ verba cohærere nequeunt, nisi per confessionem indirecte sacrilegam præcepto confessionis quoad substantiam fiat satis. Nam per fictionem, quam inquit teneri postmodum pœnitentem confiteri, nequit intelligi ea, quæ expresse ac scienter est sacrilega, quippe quæ confessionem annullat, cujus oppositum supponit D. Thomas : ergo intelligenda est, quæ solum interpretative, et implicite est graviter culpabilis, de qua verificatur quod obligat ut deinceps manifestetur. Rursus docet, pœnitentem non teneri ad iterandam eam confessionem, in qua prædicta fictio invenitur ; sed confessio, quam pœnitens iterare non cogitur, adimpletiva præcepti est, ut ex se liquet : ergo in sententia D. Thomæ (hucusque ab Ecclesia non damnata in prædictæ propositionis reprobatione) per confessionem informem, et validam, in qua indirecta fictio adest, satisfit præcepto confessionis quoad substantiam, quamvis illi prout versatur circa modum non satisfiat. Doctrinam tamen istam, licet tanti Doctoris authoritate roboratam, summa animi demissione, ut par est, Ecclesiæ judicio subjiciendam recognoscimus, et subjicimus.

317. Vel dicas, si non displicet, ad argumentum, optime cohærere confessionem, de qua in præsenti, esse validam, et informem, et nihilominus per eandem præcepto confessionis annuæ non satisfieri absolute. Cujus ea ratio adhiberi potest, quia ut sit valida, et informis, sufficit habere ea, quæ pro firmanda assertione expendimus ; ut autem adimpletiva præcepti sit, non sufficit esse validam, sed insuper desideratur quod non fiat indigne positive, aut modo culpabili redundante in injuriam sacramenti. Cujus instantia in aliis sacramentis constat, quippe quæ non semel valida sunt, et tamen eorum receptio, quia indigne fit, adimpletiva præcepti non est. Nec inde sequitur, præceptum urgere non solum ad valorem sacramenti, sed etiam ad ejus fructum, aut finem obtinendum, quod nemo docuit. Non, inquam, sequitur : nam recte cohæret præceptum urgere ad confessionem, quæ non fiat indigne positive, aut modo culpabili, et quod non urgeat ad fructum, aut finem obtinendum : iste enim potest aliunde impediri sine culpa pœnitentis, ut liquet in casu præcedentis dubii, in quo pœnitens accedit ad confessionem cum dolore ineffi- caci, invincibiliter existimato efficaci ; in quo eventu fructum non obtinet, et præceptum confessionis adimplet, eo quod, et valida confessio fit, et alias non fit modo culpabili, aut indigne positive, sed tantum negative; imo quamvis fructus sacramenti, sed ejus finis sub præcepto non cadat, potest tamen cadere vel medium requisitum ad ejus assecutionem, vel saltem remotio impedimenti positive fructui repugnanti, dum ipsa remotio ex suscipientis voluntate dependet. Nec iterum sequitur, quod si per hujusmodi confessionem non adimpletur, sed potius frangitur præceptum, sit nulla. Nam illud præceptum non læditur scienter ac ex proposito, sed solum implicite ac indirecte, quod valori sacramenti non officit, sicut nec etiam officit

Alia solutio.

culpa negligentis examinis indirecte volita.

Applicatur argumento. Quocirca juxta hanc solutionem major argumenti distinguenda est; et si procedat de confessione valida, et sine modo culpabili ac indigno positive, concedenda est; neganda vero, si intelligatur de confessione valida absolute, et quomodocumque talis sit; et concessa minori negatur consequentia. Minoris autem probationes, in quibus argumenti robur innitebatur, jam non urgent, ut ex se patet, cum id quod evincunt, libenter concedamus. Sed ecce hinc alia difficultas; si pœnitens per hujusmodi confessionem validam, et informem, ac indirecte sacrilegam annuæ confessionis præcepto non satisfacit, necessum est ut teneatur iterum intra annum confiteri. Quæ igitur peccata? Respondetur tamen facile, quod non tenetur ad confitendum ea peccata, quæ in priori confessione detecta sunt: hæc enim licet ante illam confessionem obligarent, postquam jam facta est, per accidens non obligant, cum jam vere confessa valide sint; atque ideo idem judicium de illis fieri debet, ac de aliis anno præcedenti legitime declaratis. Tenetur ergo ut præcepto satisfaciat, aliam confessionem emittere, in qua detegere cogitur peccatum fictionis formalis, quod in priori commisit, et insuper fictionem materialem, aut peccatum illud, quod ex negligenti conscientiæ discussione in alia celavit. Unde etiam cum hac doctrina conciliatur apprime D. Thomas, dum asserit pœnitentem non obligari ad iterandam confessionem, teneri tamen postmodum suam fictionem confiteri, ut videlicet præceptum confessionis adimpleat: nam per priorem illi satisfactum non est. Cui solutioni facillime etiam adaptantur omnia, quæ dub. 2 hujus disp. statuimus, imo positive consonant, sicut et ea, quæ tract. 23, disp. 11, dub. 4, § 2, n. 45, expendimus.

Observat. 318. Ex dictis in dubii processu notandum apparet discrimen, quod inter hujusmodi informitatis modum, et alium ex inefficacia doloris præcedenti dubio descriptum intercedit: nam dum quis accedit ad sacramentum cum dolore tantum inefficaci, existimans efficacem ex ignorantia invincibili, efficit confessionem validam, et informem nullum tamen peccatum committit; unde hujusmodi sacramentum consuevit neutrum appellari, eo quod nec pœnitens culpam committit, nec sacramenti fructum obtinet. Si vero attritio inefficax adsit, et ex ignorantia pure vincibili efficax desit, lethalis culpa intra sacramentum indirecte patratur, subindeque est validum, et informe, ac interpretative sacrilegum, de quo idem judicium fieri debet quoad adimpletionem præcepti, ac de eo, quod num. præcedente explicuimus. Ceterum in modo informitatis ex negligentia examinis procedente res aliter se habet: quippe ubi de hujusmodi negligentia adest ignorantia invincibilis, nedum confessio valida, verum, et formata existit. Cujus discriminis ratio ex dictis deprehenditur: quia, nimirum, dolor efficax est physica ac connaturalis dispositio ad gratiam, non secus ac calor ut octo ad formam ignis. Ex quo fit, quod eo deficiente, quantumvis alias invincibiliter adesse existimetur, sacramenti fructus non aderit. Diligens autem examen, ad confessionis integritatem petitum, physica ac connaturalis dispositio indispensabiliter requisita ad fructum sacramenti non est, sed quædam quasi conditio, aut medium humano modo apponendum, prudentiæ regulis, judicio, aut pœnitentis existimationi subjectum, et pro qualitate subjectorum attemperandum; atque ideo in metaphysica ac indivisibili constitutione, uti dolor efficax, non consistit, sed aliquam intra lineam sufficientis admittit latitudinem. Quocirca ea diligentia, quæ in uno sufficiens, in alio insufficiens apparet, et e converso. Qui ergo aliquale examen præmisit, et invincibiliter ac bona fide fuisse sufficiens existimat, sacramentum validum, et formatum conficit: nam qua ratione habet ignorantiam invincibilem, excusatur a culpa, et peccata oblita virtualiter in confessione inclusa censentur; et quo capite culpam non patrat, non repugnat, sed potius compatibilis est dolor universalis, et efficax ad gratiam per modum dispositionis requisitus. Cujus oppositum contingit in dolore re vera inefficaci, invincibiliter existimato efficaci, et dum negligentia circa examen est graviter culpabilis ob ignorantiam pure vincibilem.

In calce item hujus prolixæ, ac satis implexæ difficultatis apponendam censuimus quandam Nugni observationem non incongruam, qua pœnitentes uti possint, ut postmodum deveniant in expressam notiNo

tiam

tiam illius culpæ lethalis negligentiæ circa examen, quæ in confessione informi, et valida solum implicite commissa, et cognita fuit. Et quamvis universalis ac omnino firma regula tradi nequeat, nihilominus ipse censet, quod si post absolutam confessionem informem pœnitentis memoriæ plura occurrunt peccata, quam ea quæ in confessione fuerunt detecta, est signum moraliter probabile, examen sufficiens non præmisisse, sed re vera negligens, et culpabile moraliter, quod satis vero simile apparet. Si vero peccata, quæ deinceps occurrunt, longe pauciora sint quam confessa, præmissam conscientiæ discussionem sufficientem absolute fore reputandam, licet secundum quid negligentem, ita ut pœnitens venialiter tantum deliquerit, satisque sit de peccatis oblitis se accusare, quamvis ad cautelam optime aget si etiam examinis negligentiam prodeat.

DUBIUM XIII.

An sexdecim tantum assignentur confessionis conditiones?

A difficilioribus expeditis, ad faciliora accedimus explicaturi pro præsentis disputationis integritate alias conditiones, quæ communiter a Doctoribus circumferuntur, de quibus etiam D. Thomas in 4, dist. 17, qu. 3, art. 4, et in supplem. qu. 9, art. ultimo disseruit. Ab illis tamen breviter expediemur, quia difficultates, quas concernunt, decisas in præcedentibus relinquimus; unde non tam disputatione, quam doctrinali expositione egent. His autem versibus continentur:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata.
fortis, et accusans, et sit parere parata.

Nec inconvenit aliqua in præsenti assignari ut conditiones confessionis, quæ per se non ad pœnitentiam, seu ad ejus actum, qualis est confessio, sed ad alias virtutes spectant, uti quod sit *fidelis*, quæ ratio per se concernit fidelitatem; quod sit *humilis*, quæ ad humilitatem refertur; quod sit *simplex* aut *fortis*, quæ simplicitatis ac fortitudinis virtutes demonstrant. Non igitur inconvenit, inquit loco cit. D. Thomas, « quod « conditio unius virtutis in actu alterius « inveniatur, quia ab ipsa imperatur, vel « quia medium, quod est unius virtutis « principaliter, etiam aliæ virtutes per « participationem habent. » Unde plura, quæ in prædictis versibus continentur, licet formaliter sint actus ab aliis virtutibus procedentes, dicuntur confessionis conditiones, quia dum pœnitentia proprium confessionis actum elicit, imperat alias virtutes, ut simul suis actibus concurrant ad formandam confessionem omnino ornatam, et undequaque perfectam, in majorem sacramenti reverentiam, ac uberiorem illius fructum recipiendum. Videamus igitur cur prædictæ conditiones sexdecim assignentur.

§ 1.

Resolvitur difficultas.

319. Dicendum est sexdecim esse tantum confessionis conditiones. Ita communiter DD. D. Thom. loc. cit. Sotus, Navarr. Bonacina, Sayrus, Henriq. Reginald. N. Franciscus tract. 6, c. 6, punct. 1, et alii. Suadetur ipsa D. Thom. ratione: nam conditiones confessionis ex triplici capite illi advenire possunt; vel quatenus est actus virtutis in genere; vel quatenus est actus specialis virtutis pœnitentiæ; vel quatenus est pars sacramentum constituens. Qua ratione est actus virtutis in genere, quatuor exposcit conditiones, quæ in quocumque virtutis actu inveniri debent juxta Arist. 2 Ethic. Etenim ut quis virtuose operetur, necesse est quod procedat ut sciens, qua de causa dicitur quod confessio debet esse *discreta*. Deinde, ut actio virtuosa sit, opus est ut procedat ab eligente, unde virtus ab eodem Aristotele definitur, quod sit « habitus electivus in mediocritate « consistens, » etc., ideoque confessio dicitur *libens*. Rursus, ad actum virtutis desideratur quod fiat propter finem, ob idque additur ly *pura*, quod denotat confessionem fieri debere ex legitima intentione se accusandi coram Deo, propria delicta cognoscendi, ac obtinendi eorum remissionem. Ulterius requiritur ad virtutis actum, quod perseveranter ac immobiliter eliciatur, quo motivo subditur quod sit *fortis*.

Assertio.

Ratio.

Si vero quoad secundum caput consideretur, quatenus videlicet, est actus spe-

cialis virtutis Pœnitentiæ, septem alias vindicat conditiones. Quippe pœnitentia triplicem gradum continet; incipit abhorrere turpitudines peccati, quæ ruborem parit, et respectu hujus dicitur *verecunda*; progreditur ad detestationem, et dolorem ejusdem peccati, unde additur lacrymabilis; et consummatur in hominis abjectione, quatenus propriam fragilitatem ac infirmitatem deprehendit, ideoque ponitur ly *humilis*. Item ex peculiari ejusdem actus natura habet confessio quod sit manifestativa; manifestatio autem impediri potest, vel per falsitatem, ad quam excludendam ponitur ly *fidelis*, ut vere proferatur quod corde retinetur; vel per obscuritatem, aut verborum circuitum, ad cujus præcautionem additur ly *nuda*; vel per verborum multitudinem, prolixamve narrationem crimina potius palliantem, quam detegentem, id quod etiam ut rejiciat, dicitur *simplex*; vel denique per subtractionem, aut diminutionem eorum, quæ necessario aperiri debent, ad quam vitandam additur *integra*.

Ex tertio autem capite, quo pacto est pars sacramenti, quinque alias vindicat conditiones. Etenim cum hujusmodi sacramentum sit quoddam spirituale tribunal, in quo sacerdos judicis munus obtinet; ut legitimam ac proportionatam sententiam proferat, necesse est ut criminum notitiam accipiat; pœnitens autem, qui rei vicem ac testis exercet, crimina deponere debet, ideoque ponitur ly *accusans*. Deinde additur ly *secreta*, quod refertur ad conditionem illius tribunalis, ubi de occultis agitur. Additur præterea *parere parata*, ut innuat pœnitentem uti reum promptum esse debere ad sacerdotis sententiam acceptandam. Ac tandem apponuntur ly *frequens* ac *accelerata*, quæ requiruntur in confessione ut illius fructus citius percipiatur, ac ut ingens difficultas, quam ut plurimum nonnulli in peccatorum manifestatione experiuntur, ipsa confessionis frequentia dehiscat. Cum igitur istæ sufficiant, et aliæ ita opportunæ, et congruentes excogitabiles non sint, sexdecim tantum esse debent confessionis conditiones. Eas autem plus quid in singillatim exponere decet.

§ II.

Sexdecim confessionis conditiones exponuntur.

320. Prima igitur confessionis conditio juxta ordinem, quem in versibus obtinent, est quod sit *simplex*, quæ refertur ad verba, ad distinctionem alterius, nimirum, quod sit *pura*, quæ respicit intentionem. Hujusmodi autem verborum simplicitas in eo nititur, quod inutilia verba in confessione amputentur, et solum ea proferantur, quæ generalitatis ac disjunctionis confusione rejecta præcise sunt necessaria, ut perspicue ac distincte pœnitens cuncta peccata prodeat, ita ut sacerdos cognoscere possit eorum numerum, species, ac circumstantias, ob quas non semel id quod ex se est veniale, transit in lethale. Itaque sacerdotes circa id vigiles esse debent: quippe pœnitentium plures, vel frequentissime in peccatorum declaratione summa procedunt generalitate, quatenus dicunt se deliquisse nimis comedendo, murmurando, aut irridendo, et similia, quæ cum frequenter venialia sint, ea sacerdotes indiscriminatim ut pure levia dijudicant, cum non raro lethalia extiterint, uti facta cum notabili Dei, Sanctorum, aut Ecclesiæ irreverentia, vel cum ingenti damno spiritualis salutis, honoris, famæ, aut alterius rei ad se vel ad proximum pertinentis. Idcirco hæc inquirenda sunt, ut sacerdoti constet an culpa malitiam peccati lethalis induerit, vel non; nisi ex qualitate personæ, aut confitendi modo parvitatem aut gravitatem malitiæ liquido deprehendat. Aliam vero quamcumque garrulitatem, prolixamve narrationem, aut circumstantias ad ingenuam peccatorum declarationem nihil referentes, omnino scindere debet, ne diutius quam par est, confessio protrahatur.

Secunda conditio, quod nimirum sit *humilis* necessitatem importat quoad hoc quod pœnitens animum demittat, et tanquam peccatum, ac proprium defectum agnoscat id quod re vera est peccatum; alioqui dolor ad sacramenti valorem desideratus haberi nequit. Quoad alia vero solum rationem ornatus ad confessionem sortitur, quatenus pœnitens ex deformitatis culpæ detestatione adeo in sui abjectionem propendit, ut non solum animi demissione

sione, verum, et corporis, sacerdoti se subdat, peccataque detegat flexis genibus, capite discooperto, ense non præcincto, nisi sit eques, aut miles, quibus ratione professionis, et status id permitti assuevit. In aliis autem aliter ad sacramentum accedere, nisi necessitas urgeat, erit peccatum veniale. Si vero contingat, pœnitentem in confessione tam longe ab humilitate abesse, ut potius de peccatis, quæ pandit, se jactet, nullum plane sacramentum conficiet, tum ex defectu doloris, qui cum illa jactantia ac affectu ad peccandum incompossibilis est; tum etiam ex defectu integritatis: quippe tunc novum peccatum committit, quod in confessione nec explicite nec implicite inclusum censetur. Ita communiter Authores.

Tertia conditio, quod sit *pura*, rectitudinem intentionis importat, ita ut confessio ob pravum finem non fiat, sed intuitu Deum placandi, et remissionem peccatorum obtinendi. Unde si fiat ob pravum mortaliter finem, est invalida, ut nemo Theologorum dissentit. Sed quid dicendum, si ex fine venialiter tantum peccaminoso conficiatur? Erit ne tunc valida confessio? Verum hæc difficultas decisa manet in præsenti disp. dub. 4, et insuper tract. 17, disp. 5, dub. 2, § 5, in quibus ex professo ostendimus invalidam esse confessionem factam ob venialem finem antecedentem, et in confessionem in suo genere causæ influentem; ut si quis confessionem emittere intendat ut hominibus placeat, honorem apud sacerdotem obtineat, aliquod temporale lucrum reportet, vel quid simile curet. Cujus eam rationem satis perspicuam utrobique assignavimus, quia confessio sacramentalis, quæ per modum partis constituit validum sacramentum, nequit ex aliquo capite esse moraliter mala; siquidem est supernaturalis, aut procedens ex dolore supernaturali, qui nullo modo vitiari potest; si autem confessio emittitur ex fine adhuc venialiter peccaminoso, nequit non malitiam ex fine induere, atque ideo desinit esse confessio ad sacramenti valorem requisita. Præsertim quia vere non dolet de peccatis, qui eo dolet ut alteri placeat: hoc enim non est dolere, sed fingere, ut ex se liquet. Nota tamen, affectum venialiter peccaminosum interdum solum se habere consequenter, aut concomitanter ad confessionem, uti dum pœnitens in ipso confessionis actu, aut deinceps de ea gloriatur; et in hoc eventu confessio valida existit: quippe quæ ex fine malo non procedit, sed præcise se habet tanquam objectum circa quod vana gloria versatur; qui affectus cum in confessionem per modum finis non influat, eam non deturpat, atque ideo non solum valida, sed etiam fructuosa esse potest. Plura huc spectantia citatis locis invenies.

Quarta conditio, quod confessio sit *fidelis*, id est, vera, ac sine fallacia, est de substantia sacramenti, si versetur circa materiam gravem. Idcirco mentiri circa peccatum lethale nondum unquam confessum, est sacrilegium, redditque sacramentum nullum; tum quia sacerdos, qui est judex in foro pœnitentiæ decipitur in re gravi, quod culpa levis non est; tum quia confessio non est integra, cum non reveletur mendacium grave in confessione commissum, nec illud peccatum circa quod mendacium versatur. Tum denique quia deficit dolor ad sacramentum necessario requisitus: implicat enim quempiam actualiter et scienter peccare, ac de peccatis vere dolere. Ita Sylvester, Navarrus, Nugnus, Filliucius, et alii. Secus autem continget, si pœnitens fidelitatem non servat, aut veritatem non dicit inquisitus de peccato lethali jam olim legitime confesso; tunc enim venialem culpam tantum incurrit, confessionemque validam conficit; nisi alias sacerdos de illo peccato inquirat, ut in cognitionem status pœnitentis deveniat, quem forsan timet apte dispositum ad sacramentum non accedere; in quo eventu veritatem prodere cogitur sub lethali. Item graviter delinquit, confessionemque nullam reddit, qui peccatorum gravium majorem numerum scienter exprimit, quam re vera commisit: decipit namque sacerdotem in re gravi. Per accidens tamen excusantur pœnitentes nonnulli, ipsique simplices, ac rudes, qui bona fide securius judicant (idque faciunt) plura peccata fateri, quam quod aliquod inconfessum relinquatur. Ita Navarrus, Sylvester, Sanchez, Rodriguez, et alii. Ulterius graviter deliquit, qui peccata lethalia dubia ut certa, certaque ut dubia pandit. Valida autem confessio fiet, dum quis circa venialia fidelitatem non servat: nam hujusmodi mendacium non est circa mate-

4 Conditio.

Sylvest. Navarr. Nugnus, Filliuc.

Navarr. Sylvest. Sanchez, Rodrig.

riam confessionis necessariam, nec sacerdos in re gravi decipitur. Hoc tamen est intelligendum, dummodo venialia, quæ confitentur, sint plura : quippe si unicum tantum esset, et circa illud pœnitens mentiretur, confessio invalida existeret; eo quod licet culpa venialis absolute loquendo materia necessaria confessionis non sit, in hoc eventu est necessaria ex suppositione ; subindeque si quis solum confiteretur se unicum veniale commisisse, quod re vera non commisit, lethaliter peccaret, sacramentumque redderet nullum. Idem dicendum de lethali jam confesso, si eadem fiat suppositio.

5 Conditio. 321. Quinta conditio, quod confessio sit *frequens*, id est, quod non raro, sed sæpe in anno fiat, non est de necessitate præcepti, sed præcise opus consilii, ob ingentes, uberesque spirituales fructus, quos ex hujus sacramenti repetitione animæ colligunt. Idcirco timorati viri, ac studio propriæ salutis impense incumbentes, quamquam interdum solis criminibus jam rite ac sæpe confessis se maculatos deprehendant, ea tamen semel ac iterum clavibus submittere curant, ne sacramenti fructibus careant, sed gratiam virtutesque foveant. Imo quamvis absolute loquendo præceptum divinum aut Ecclesiasticum de confessionis frequentia non extet, non dubitamus religiosum aliquem penes id nimis negligentem posse graviter delinquere, tum ratione scandali, quod aliis pararet, si in ea religione mos magnæ frequentationis pœnitentiæ vigeret; tum quia ratione status ac professionis strictæ ad perfectionis studium teneretur, ad quam comparandam confessionis frequentia admodum refert. Quo motivo ducti in hac eadem disp. dub. 2, n. 31, censuimus posse nostri Ordinis Superiores sub præcepto formali ad confitendum constringere religiosum illum, quem per tres aut quatuor menses ad sacramentum pœnitentiæ non accessisse convicerint.

6 Conditio. Sexta conditio est, quod sit *nuda*, verborum videlicet obscuritate ac circuitu non palliata. Quemadmodum enim quidquid in homine fit tam extra quam intra, etiam secretiores animi motus, Dei oculis patent; ita cuncta, quæ pœnitens in conscientiæ recessu detinet, sacerdoti in pœnitentiæ sacramento munus Dei obtinenti palam manifestare debet, ut peccatorum species, gravitatem, ac numerum videat, perpendat, ac dijudicet; alioqui nec tanquam judex legitimam proferre sententiam, nec tanquam medicus aptum animæ vulneribus medicamen præscribere valebit. Idcirco resecanda sunt ea omnia, quæ malitiam confundunt, aut diminuunt, et quæ eandem ingenue ac sincere ostendunt, adhibenda : contingere enim potest quod ob obscuram peccatorum declarationem sacerdos graviter decipiatur, confessioque nulla evadat. Et quidem qui hisverborum anfractibus ad peccata confitenda utitur, suspicionem non levem remissi aut nullius doloris offert.

Septima conditio, quod sit *discreta*, est omnino ad substantiam sacramenti necessaria, quatenus importat confessionem fieri debere tanquam actum humanum a rationis compote; in quo sensu accipitur a D. Thoma. Unde quamvis amentes sua peccata propalent, nequeunt licite aut valide absolvi. Quid vero cum moribundo sensibus destituto faciendum, constat ex dictis in hac disp. dub. 7, § 4, a n. 240, et deinceps ; ubi casum sub omni accidentali circumstantia consideratum revolvimus. Si autem ly *discreta* innuat pœnitentem inter omnia peccata discernere debere, ita ut uniuscujusque gravitatem, aut parvitatem, speciem subalternam, aut atomam speculative cognoscat, indispensabiliter necessaria non est, ut liquet in rusticis, quos hujusmodi speculationes non affulgent. Debet nihilominus confessio esse antecedenter *discreta*, adeo ut pœnitens probum, ac sufficienti doctrina ornatum seligat sacerdotem, qui inter peccata discernere, illisque congrua adhibere remedia apprime noscat. Item ly *discreta* designat quod pœnitens caute peccata explicet, impudica præsertim per verba honesta, nec ad singulas descendat circumstantias, quas necessarias ad peccati malitiam detegendam non censuerit.

Octava est quod sit *libens*, aut voluntarie emissa; si enim ex electione non fieret, non esset opus virtutis; atque ideo omnino desideratur voluntas, ac intentio confitendi, ut sacramentum teneat. Si vero *libens* significet quod confessio prompto animo fiat, ea conditio non est prorsus necessaria, sed tantum confessionem exornat : contingit quippe nonnullos, præsertim consuetudinarios

rios, qui ingenti peccatorum numero irretiuntur, non ita prompte ad sacramentum accedere, ex quo solo capite minime infertur, confessionem, quam emittunt, esse nullam. Nec etiam necessario requiritur, sed tantummodo ad ornatum, quod confessio fiat ita voluntarie, ut omne involuntarium excludat : etenim non semel pœnitentes excommunicationis, infamiæ, aut rixarum parentum timore arrepti peccata confitentur, quum tamen confessio teneat, si aliunde sit integra, et cum sufficienti dolore emissa : nam licet ibi aliquod involuntarium immisceatur, adest sufficiens intentio ac voluntas recipiendi pœnitentiæ sacramentum.

Nona est, quod sit *verecunda*, vel cum pudore ex peccatorum fœditate concepto ; non quia id omnino indispensabile sit, sed quoniam admodum decet animam criminibus deturpatam aliquam exteriorem emittere erubescentiam, non quæ culpas detegere formidet, sed quæ ad dolorem augendum, obtinendamque veniam prosit. Caveant tamen sacerdotes ne in sacramenti limine pœnitentes asperitate deterreant, ne forsan ubi salus quæritur, pernicies paretur. Itaque in confessionis processu lenibus, quoad possint, verbis utantur, quibus pœnitentes ad cuncta crimina fideliter detegenda alliciant, reprehensione prudenter imposterum reservata. Id quod maxime in fœminarum confessionibus observandum, quippe quæ in peccatorum declaratione, eorum præsertim quæ ad turpitudinem attinent, adeo interdum verecundia suffunduntur, ut si quam in sacerdote asperitatem deprehendunt, potius felicitatem amittere seligant, quam illi conscientiam prodere.

Decima, quod sit *integra*, vel quod cuncta peccata sacerdoti tanquam Dei ministro manifestentur, refertur ad materiam remotam sacramenti, quæ est duplex ; alia nimirum sufficiens, et voluntaria ; alia vero necessaria. Prior consistit in venialibus, ac etiam in lethalibus jam rite confessis ; posterior autem in lethalibus nondum confessis. Integritas igitur ad sacramentum requisita non versatur circa materiam liberam : nam cum circa confessionem venialium, ac etiam lethalium, quæ jam legitime confessa sunt, nullum præceptum adsit, quemadmodum ea absolute omittere possumus, ita, et in eorum confessione integritatem non observare. Militat itaque penes materiam necessariam, aut peccata lethalia post baptismum commissa, et nondum confessa. Hæc autem integritas qualiter ad sacramentum requiratur, ac quando ejus defectus confessionem invalidet vel non, lato calamo explicuimus dub. 7 hujus disp. et ideo ab ulteriori hujus conditionis expositione supersedemus.

322. Undecima conditio quod sit *secreta* sive quod non publice, aut aliis adstantibus fiat, sed soli sacerdoti, requiritur per se loquendo ad sacramentum. Ratio est ; quia licet præceptum divinum de confessione secreta non adsit ; nihilominus, ut inquit Tridentinum sess. 14, cap. 5 : « Non est res a divino mandato aliena, « nec oppositum consulte præciperetur a « lege humana. » Unde cap. omnis *utriusque sexus* præcipitur confessio soli sacerdoti facienda. Ex quo infertur primo, neminem constringi per se loquendo ad confessionem, quæ secreto fieri non valet, quamvis per accidens oppositum contingat, ut liquet in existentibus in articulo aut periculo mortis, dum contritionem elicere nequeunt. Ita Navarrus, Canus, Nugnus, et alii. Infertur secundo, prohibitum esse saltem sub veniali peccata confiteri, aliis præter sacerdotem audientibus : tunc quippe absque justa causa fama prodigitur, quod est culpa levis. Colligitur tertio, illicite procedere sacerdotes, qui pueros doli capaces in unum congregatos sacramentaliter audiunt, ut recte observat Navarrus in Manuali c. 8, n. 13, et Sylv. verbo *Confessio* 1, n. 13. Diximus confessionem debere fieri secreto per se loquendo : nam per accidens licite ac valide potest fieri publice, qualis est facta ab existentibus in naufragio, vel a pestilenti morbo laborantibus, aut etiam a lethaliter vulneratis in prælio, quæ coram aliis adstantibus emitti solent. Item si occurrat motivum, quod Tridentinum assignat dicens : « Quod Christus « non vetuit, quin aliquis in vindictam « suorum scelerum, et sui humiliationem, « tum ob aliorum exemplum, tum ob Ec- « clesiæ offensæ ædificationem delicta sua « publice confiteri possit. »

11 Conditio. Concil. Trid. Navarr. Canus, Nugnus. Navarr. Sylvest. Concil. Trid.

Duodecima conditio, nimirum, quod confessio sit *lacrymabilis*, dupliciter accipi

12 Conditio.

potest ; vel prout significat detestationem, ac dolorem supernaturalem peccatorum, qui est materia proxima, et pars essentialiter constituens sacramentum ; vel prout importat planctum externum, quod est significatum proprium illius termini. In priori sensu est de substantia sacramenti, quippe quod sine parte essentiali subsistere non potest. Notandum tamen, hujusmodi dolorem debere esse non solum internum, verum etiam aliquomodo sensibilem, et externum ratione alicujus signi illum demonstrantis. Qualiter autem debeat præcedere confessionem ; ad quæ peccata, et sub quo motivo se extendere ; quam habere intentionem ; et similia quorum explanatio in præsenti desiderari possit, abunde constant ex dictis discursu præcedentis disp. In posteriori vero sensu hæc conditio solum spectat ad confessionis ornatum, quatenus exterior fletus internum dolorem viscera torquentem designat. « Et certe » (inquit Tridentinum sess. 14, cap. 4,) « qui « illos sanctorum clamores consideraverit : « Tibi soli peccavi, et malum coram te « feci : Laboravi in gemitu meo, lavabo « per singulas noctes lectum meum : Reco- « gitabo tibi omnes annos meos in amari- « tudine animæ meæ ; et alios hujus gene- « ris, facile intelliget, eos ex vehementi « quodam ante actæ vitæ odio, et ingenti « peccatorum detestatione manasse. » Itaque congruum est, pœnitentes adeo dolore pressos ad sacramentum accedere, ut vel lacrymis veniam ac absolutionem exposcant.

Concil. Trid.

13 Conditio. Decima tertia conditio, quod confessio sit *accelerata*, eo tendit, ut nemo in infelici culpæ lethalis ac suæ damnationis statu morosus persistat ; sed confestim Deo iterum reconciliandus, gratiæque restituendus ad pœnitentiæ sacramentum accurrat. Hæc tamen conditio, quamquam multum laudabilis, ac maxime consulenda, per se loquendo præcepti necessitatem non affert : etenim ut in priori hujus tract. part. disp. 5, dub. 7, § 1, fuse expendimus, nemo qui lapsus est, tenetur ad statim pœnitentiam agendum, ac protinus se Deo reconciliandum, nec ex vi alicujus præcepti divini, nec Ecclesiastici, nec etiam ex vi pœnitentiæ virtutis : quippe cum hæc omnia præcepta affirmativa sint, non obligant pro semper, ita ut nulla interposita mora constringant ad confitendum. Id quod optime explicuit D. Thomas ibi citato exemplo Baptismi, qui licet adeo necessarius sit ad salutem, non tamen ita cadit sub præcepto, ut recipi debeat statim ac primum se offerat occasio ; alioqui peccaret adultus, qui per diem aut horam Baptismum differt. Diximus *per se loquendo :* nam si contingat pœnitenti statim ac lapsus est mortem imminere, ad protinus confessionem emittendam cogitur, etiamsi aliter ad Deum convertatur.

Decima quarta confessionis conditio, scilicet, quod sit *fortis*, referri potest vel ad actum confessionis, vel ad tempus ipsam præcedens. Et quidem si ad præcedens tempus referatur, designat pœnitentem tentationibus concussum ut ad sacramentum non accedat, fortiter dimicare debere, procellasque superare, ne spiritualem salutem, quam in confessione obtinendam sperat, amittat. Si vero ad ipsum confessionis actum, fere idem importat : innuit enim quod pœnitens nec ob timorem, nec ob verecundiam peccatum aliquod reticeat, aut quid simile ad sacramenti valorem, et fructum omittat, sed omnia vincat obstacula, cunctaque viriliter superet impedimenta.

323. Decima quinta, quod sit *accusans*, designat quod pœnitens in eo spirituali judicio adeo se accuset, ut non potius se excuset, aliisque culpam suæ ruinæ immittat, ut non raro etiam in timoratis contingit. Et quidem eis excusationibus involutum, ac malitiæ diminutionibus obtectum propalari peccatum valet, ut sacerdotes tanquam leve accipiant, quod re vera grave extitit, in quo eventu tanquam clavibus non subjectum reputandum est. An autem pœnitens teneatur proprium peccatum detegere, dum id efficere nequit, quin complicem prodeat, satis constat ex dictis dub. 7 hujus disp. quem locum recolat Lector, ne eadem inculcare cogamur.

Decima sexta ac ultima, quod nimirum sit *parere parata*, ostendit pœnitentem promptum esse debere ad obediendum sacerdoti in his, in quibus ei obedientiam præstare tenetur, ut in occasionibus peccatorum vitandis, in restitutione honoris, famæ, aut aliarum rerum facienda ; quæ si renuat, absolutione dignus censendus non

non est. Item paratus esse debet ad satisfactionis aut pœnitentiæ acceptationem : nam debet habere intentionem recipiendi sacramentum perfectum ac integrum ; satisfactio autem ut executa est pars integralis sacramenti, sine qua imperfectum relinquitur. Ceterum si pœnitentia, quæ injungitur pœnitenti, fuerit invita, vel moraliter impossibilis, ad ipsam non tenetur, atque ideo licite illam omittere potest. Item si cadat supra materiam levem, aut ipsa pœnitentia in se levis sit, eam omittere non erit gravis culpa ; quemadmodum nec omittere partem levem alicujus pœnitentiæ gravis est peccatum lethale ; sed de his iterum redibit sermo disp. 11, per totam.

DISPUTATIO IX.

De sigillo Confessionis sacramentalis.

1. Absolutis his, quæ ad contritionem, et confessionem præcipuas sacramenti pœnitentiæ partes spectant, illico de sigillo disquirendum sese offert ; non quia partis sacramenti rationem vindicet, sed quoniam illi adeo intraneum est, adeoque indispensabiliter nectitur, ut Angelicus Doctor asseruit sigillum esse *de essentia sacramenti ;* quorum verborum sensus ex infra dicendis apparebit. Quocirca quamvis satisfactio sit altera sacramenti pars, proindeque de ea statim disserendum congruum videbatur, ut quæ ad pœnitentiam tanquam partes attinent, simul absolverentur ; nihilominus hunc procedendi ordinem deserere cogimur, tum ob assignatum motivum ; tum quia D. Thomas quæst. 11 supplementi, quæ est de sigillo, præmittit quæstionibus de satisfactione ; tum denique, quia hanc disputandi methodum observarunt egregii D. Thomæ commentatores Sotus, Nugnus, et alii, prius de confessionis sigillo agentes, quam de satisfactione sermonem intexerent.

Verum ut quid nominis subjecti disputationis innotescat, observandum est cum Ambrosio Calepino sigillum esse diminutivum a signo quasi parvum signum, quo aliqua signantur. Unde Cicero 6 Verr. « Apposuit patellam, in qua erant sigilla « egregia. » Sic servi ac pecora aliquo signo aut notula a Dominis sigillari assuevere, ut facile agnosci queant. Interdum accipitur pro Imperatoris aut Regis imaguncula parva monetæ impressa, ut ad commercium, humanumque convictum deserviat. Nonnunquam sumitur pro imagunculis, quibus Regum ac Pontificum decreta, etiam aperta, obsignantur, ut censeantur authentica, majoremque fidem inducant. At ut ad nostrum institutum, ac ad id quod plus refert, propius accedamus, sigillum frequentissime usurpatur pro signaculo litteris aut epistolis impresso, quo in illis contenta claudimus, ut eo persistente nequeant ullo modo aperiri, aut manifestari. Hinc igitur desumpta metaphora, ea quæ sub secreto commendantur, sub sigillo esse dicuntur.

Hujusmodi autem secretum, aut sigilli vinculum communiter bipartitur : nam aliud est pure naturale, sive jure naturæ præscriptum, quod licet obligationem tacendi afferat, non tamen ita indispensabilem ac rigorosam, ut in nullo eventu oppositum liceat. Aliud vero est sacramentale, eo quod versatur circa ea, quæ sacerdoti in pœnitentiæ sacramento propalantur, quodque ita strictum ac indispensabile est, ut in nullo eventu, aut rerum contingentia vim obligandi exuat. Differt autem a priori sicut continens a contento, aut includens ab incluso præsuppositive, et materialiter. Id quod in aliis sacramentis proportionabiliter exemplificari potest : quippe aqua, v.g. Baptismi, prout est instrumentum divinæ virtutis, duplicem actionem, sive ablutionem importat ; aliam præsuppositive, et quasi materialiter, nimirum, actionem præviam sibi virtute propria competentem, quæ est exterior corporis ablutio, et actio omnino naturalis ; dicit insuper aliam spiritualem animæ ablutionem, qua actio sacramentalis ac supernaturalis existit, et solum principaliter a divina virtute procedit, quæque priorem ablutionem superat, ad ordinemque supernaturalem sacramentorum elevat. Similiter ergo confessionis sigillum quasi materialiter ac præsuppositive rationem secreti naturalis includit ; sed ut formaliter est sigillum sacramentale, aliam vim obligandi obtinet, prioremque rationem secreti ad sacratiorem elevat seriem. Verum de his infra.

Sigilli definitio.

2. Sigillum igitur ita acceptum describit

D. Tho. D. Thomas in præsenti q. 11,supplem.art. 3, in corpor. dicens, nihil aliud esse quam « debitum confessionem celandi. » Quæ definitio est optima, apprimeque sigilli naturam explicat : ponitur enim ly *debitum* loco generis, quia in ea ratione cum aliis debitis aut obligationibus convenit. Additur ly *celandi*, ut partialem ac subalternam differentiam significet : quippe in ratione occultandi convenit sigillum confessionis cum vinculo secreti naturalis, et per eandem rationem differt ab aliis obligationibus, quæ penes occultationem non versantur. Tandem subditur ly *confessionem*, quod explicat propriam, et ultimam differentiam, per quam sacramentale sigillum differt etiam a naturali secreto : hoc enim licet interdum sit etiam debitum celandi confessionem,aut ea quæ sunt dicta in confessione, nihilominus id habet materialiter ; etenim ad obligationem tacendi, quam secretum naturale affert,omnino per accidens se habet quod ea, quæ sciuntur, intra vel extra confessionem sciantur. Sacramentale autem sigillum id importat per se, ac omnino formaliter, quippe quod solum obligat ad occultationem eorum, quorum notitia intra sacramentum acquiritur. Observa tamen, quod hæc sigilli obligatio rigorose ac stricte accepta refertur principaliter ad sacerdotem, et solum ex illius parte, non vero pœnitentis se tenet; quamvis si improprie accipiatur, ad alios nonnunquam se extendat,ut ex infra dicendis constabit. Observa item, quod ly *confessionem*, quod in prædicta diffinitione vicem differentiæ gerit, usurpandum est omnino formaliter, ita ut obligatio occultandi solum cadat supra ea, quæ per se spectant ad confessionem, uti sunt peccata, et quidquid illa concernit ; non vero supra alia si quæ ibi immiscentur, et ad confessionem non attinent. Porro sigillum confessionis, sive præceptum occultandi quæ in confessione audiuntur, de facto existere, tanquam quid omnino certum in præsenti supponendum est, de eoque nullo modo dubitandum, cum a tempore Apostolorum Ecclesia id semper tenuerit, et perpetua traditione uti catholicum dogma servaverit. De hac igitur materia, egit D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, 2, et 3, et quodlib. 5, quæst. 7, artic. 3, et quodlib. 12, quæst. 11, art. 16. Ex quibus complicata est ab ejus discipulis qu. 11 supplementi, quam attingimus.

3. Ceterum priusquam ad alia descendamus, videndum est in quo sensu asseruerit D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 2, art. 2, occultationem peccatorum esse « de essentia sacramenti, » non enim id facile intelligitur : nam pœnitentiæ sacramentum solum coalescit essentialiter ex partibus intrinsecis, videlicet, supernaturali peccatorum dolore, integra eorumdem confessione, absolutione sacerdotis jurisdictionem habentis, ac ex intentione ministri tanquam conditione sine qua non ; hæc autem omnia salvantur, etiamsi sigillum deficiat : videtur ergo quod de essentia hujus sacramenti non sit. Respondetur, ita re vera esse,si loquamur de sacramento quoad ejus essentiam absolute sumptam ; sic enim a sigillo non dependet. Imo etiam si Christus confessionem instituisset non occultam, sed publicam, ac pluribus manifestam, adhuc in eo eventu non esset distinctæ rationis quoad substantiam, sed tantum quoad modum, ut sentire videtur Sotus in 4, dist. 18, q. 2, art. 6. Itaque sacramentum dupliciter considerandum est, vel quoad ejus essentiam absolute, vel quoad ejus conservationem, ac suavem, connaturalem, et tolerabilem usum. Si priori modo accipiatur, sigillum non pertinet ad sacramentum tanquam pars aut prædicatum essentialiter constitutivum illius,sed independenter a sigillo salvantur omnia sacramenti essentialia. Si vero posteriori modo consideretur, ad ejus essentiam spectat : quemadmodum enim cibus essentialiter requiritur ad humanæ vitæ connaturalem conservationem, ita sigilli vinculum ut pœnitentiæ sacramentum conservetur : si enim obligatio strictissima reticendi peccata non adesset, confessio odiosa fieret, ac illius usus intolerabilis redderetur ingentem difficultatem,quam homines experiuntur in eo quod eorum crimina publice innotescant. Stante autem sigilli indispensabili consignatione, facile alliciuntur ad salutem in confessione quærendam, sacramentumque sustinendum. Ita Sotus quæst. proxime citata, artic. 5 : « Quamquam confessionis secretum non sit « de ejus essentia, est nihilominus neces- « sarium, ut confessio sustineatur. » Et in hoc sensu credimus D. Thomam fuisse loquutum

quutum. Nisi mavis D. Thomam accipiendum fore non de sigillo formaliter sumpto, sed radicaliter ac exactive considerato, quo pacto cum ipsomet sacramento coincidit; quippe quod ex se exigit ad sui conservationem, suavemque usum strictissimam peccatorum occultationem. Adeum proportionabiliter modum, quo in priori hujus tractatus parte disp. 1, dub. 2, n. 155 statuimus, satisfactionem esse partem essentialem sacramenti, quatenus ab eo radicaliter, et exactive importatur.

DUBIUM I.

Quo jure obliget sacramentale sigillum?

Dubii titulus unum supponit, et aliud inquirit, supponit quidem adesse obligationem reticendi peccata, quæ in confessione innotescunt; quod adeo ex Ecclesiæ usu ac traditione Apostolica verum est, ut nullus etiam hæreticorum id uspiam negaverit, subindeque nulla Conciliorum definitio circa rem necessaria fuerit. Inquirit autem hujus obligationis radicem, quæ triplex esse potest, jus nimirum naturale, ecclesiasticum, et divinum: nam sigillum ex jure regio, Cæsareo, aut etiam ex jure gentium non constringere, certius est quam in examen avocari valeat. Quocirca videndum est quod ex illis principiis hanc obligationem inducat.

§ I.

Triplici assertione absolvitur difficultas.

4. Dicendum est primo, sigillum confessionis materialiter, et præsuppositive acceptum oriri ex jure naturæ, non vero formaliter sumptum, et quatenus dicit rationem secreti sacramentalis. Hæc conclusio duplicem continet partem; et quoad primam, quæ est communis Doctorum, facile suadetur: nam sigillum confessionis importat materialiter, et præsuppositive rationem secreti naturalis; atqui secretum naturale obligat ex jure naturæ: ergo sigillum confessionis, si consideretur quoad id, quod præsuppositive affert, oritur ex jure naturæ. Consequentia est legitima, et major constat; tum quia ibi adest secretum naturale, ubi quis ob circumstantias occurrentes intelligitur promittere saltem implicite servaturum sub secreto rem sibi commissam; hoc autem invenitur in confessione, siquidem ex modo quo pœnitens sua peccata detegit, ac ex modo quo illa sacerdos audit, censetur hic implicite promittere secretum observaturum, etiamsi alias obligatio sigilli sacramentalis non urgeret. Tum etiam: quia ipsa peccata, quæ manifestantur, ex se ipsis exigunt ac inducunt secretum naturale, cum eorum declaratio in damnum pœnitentis vergat; atque ideo pro priori ad obligationem sigilli ut sacramentalis intelligitur sacerdos naturali secreto obstrictus, istudque illi præsupponitur. Minor autem etiam liquet, tum quia ideo secretum dicitur naturale, quia obligat ex jure naturæ. Tum quoniam lex naturalis dictat: « Quod tibi non vis, « alteri ne feceris; » nemo autem vult rem magni momenti, quam ipse alteri sub secreto commisit, fieri publicam. Tum etiam: quia fidelitas lex naturalis est; hæc autem præcipit commissum alterius fideliter servandum, juxta illud Proverb. 11, vers. 13: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana: qui autem fidelis celat amici commissum.* Et juxta illud: *Quæ viderunt oculi tui ne proferas in jurgium cito, ne postea emendare non possis, cum dehonestaveris amicum tuum.* Proverb. 25, vers. 8. Tum denique: nam ex jure naturæ cogimur proximum non infamare; atqui ex manifestatione peccatorum, quæ sub naturali secreto commendantur, proximi infamatio subsequitur: ergo secretum naturale, quod versatur circa peccata, obligat ex jure naturæ. Ex quo fit quod si sacerdos extra confessionem caute audiret eademmet peccata, quæ audit intra sacramentum, adhuc teneretur ex jure naturæ ad eorum occultationem; quod evidenter demonstrat in sigillo confessionis importari materialiter ac præsuppositive rationem naturalis secreti ex lege naturali urgentis.

Proverb. II.

Proverb. 25.

5. Quoad secundam vero partem non ita expressa reperitur assertio apud Authores; suadetur nihilominus ex principiis a D. Thoma mutuatis. Primo: nam 1, 2, qu. 91, art. 4, inquirens utrum necessarium fuerit esse aliquam legem divinam? Sic in corpore respondet: « Dicendum quod « præter legem naturalem, et legem hu- « manam necessarium fuit ad directionem

1 Fundamentum posterioris.

D. Tho.

« humanæ vitæ habere legem divinam, et « hoc propter quatuor rationes. Primo « quidem, quia per legem dirigitur homo « ad actus proprios in ordine ad ultimum « finem. Et siquidem homo ordinaretur « tantum ad finem, qui non excederet pro- « portionem naturalis facultatis hominis, « non oporteret quod homo haberet aliquod « directivum ex parte rationis supra legem « naturalem, et legem humanitus positam, « quæ ab ea derivatur; sed quia homo or- « dinatur ad finem beatitudinis æternæ, « quæ excedit proportionem naturalis fa- « cultatis humanæ, ideo necessarium fuit « ut supra legem naturalem, et humanam « dirigeretur etiam ad suum finem lege « divinitus data. » Ex quibus hoc efformare possumus ratiocinium. Jus naturale ex se solum dictat de rebus pertinentibus ad finem naturalem ; atqui sigillum sacramentale ut tale ordinatur ad finem supernaturalem : ergo sigillum confessionis formaliter acceptum, et prout importat rationem secreti sacramentalis, non oritur ex jure naturæ. Consequentia est in forma, et major est ipsa D. Thomæ doctrina immediate adducta ; ideo namque probat legem divinam præter naturalem ; quia hæc non dirigit hominem ad finem supernaturalem, sed ad solum naturalem, vel non excedentem naturalis facultatis proportionem. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam sigillum confessionis formaliter, et ut sacramentale acceptum, quo pacto obligat in omni eventu etiam cum propriæ vitæ dispendio, ordinatur ad suavem usum, decentiam, ac conservationem sacramenti ; sacramentum autem, ac ejus conservatio ad ordinem supernaturalem spectat, ordinemque naturæ transcendit : ergo confessionis sigillum sumptum formaliter, finem respicit supernaturalem.

2 Probatur. 6. Secundo id ipsum suadetur ex eodem Ang. Præceptore, qui in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2, inquirens an confessio sacramentalis sit de jure naturali?

D. Tho. Sic respondet : « Dicendum quod sacra- « menta sunt quædam fidei protestationes, « unde oportet ea fidei esse proportionata. « Fides autem est supra cognitionem ratio- « nis naturalis, unde, et sacramenta sunt « supra rationis naturalis dictamina. Et « quia jus naturale est quod non opinio « genuit, sed innata quædam vis inseruit, « ut Tullius dicit ; ideo sacramenta non « sunt de jure naturali, sed de jure divino, « quod est supra naturale. » Ex quibus sic etiam arguitur. Inde probat D. Thomas sacramenta non esse de jure naturæ, quia sunt supra dictamen rationis naturalis ; atqui confessionis sigillum formaliter acceptum est etiam supra dictamen naturalis rationis : ergo ex jure naturæ ortum non ducit. Consequentia in vi formæ est evidens : quippe cum jus naturale, de quo agimus, idem omnino sit ac dictamen naturalis rationis, quod habet rationem legis, si sigillum sacramentale est supra dictamen rationis naturalis, ab eo oriri non potest. Major autem ex verbis D. Th. constat ; et minor ostenditur : tum quia confessionis sigillum sequitur ad sacramentum, et illius institutionem essentialiter præsupponit ; sed sacramentum est supra dictamen naturalis rationis : ergo, et ipsum sigillum, quod illi nectitur. Tum etiam a priori : nam ideo sacramenta sunt supra dictamen rationis naturalis, quia hæc dictare non potest id quod non cognoscit : sacramenta autem, cum sint entia supernaturalia, cognosci nequeunt lumine naturali, sed solum lumine fidei ac supernaturali ; sed sacramentale sigillum cognosci non potest lumine naturali : ergo est supra dictamen naturalis rationis. Probatur minor : nam sigillum confessionis est etiam quid supernaturale saltem connexive, quippe quod prout sacramentale formaliter ad lineam sacramentorum spectat, ac sine ordine ad sacramenta intelligi nequit ; lumen autem naturale sibi relictum nec cognoscere potest entia formaliter supernaturalia, nec ea quæ sunt supernaturalia connexive, alias cum connexio extremorum attingi nequeat, quin extrema ipsa attingantur, posset etiam attingere entia formaliter supernaturalia. Adde D. Th. in eodem art. in secundo argumento sed contra, probare confessionem sacramentalem non esse de jure naturæ, quia necessario supponit potestatem clavium, quæ de jure naturali non sunt ; ita enim inquit : « Confessio fit « ei, qui habet claves ; sed claves Ecclesiæ « non sunt de jure naturali institutæ ; ergo « nec confessio ; » atqui sigillum sacramentale supponit etiam confessionem, quæ jure naturali dictata, aut instituta non est : ergo

nec

nec sigillum a jure naturali procedere potest.

de- 7. Deinde suadetur ratione ex præcedentibus deducta, et in hunc modum expensa : nam illa obligatio oritur ex jure naturæ, quæ dictatur a lumine naturali sibi relicto ; sed lumen naturale sibi relictum non dictat obligationem sigilli, ut sacramentalis : ergo sigillum sacramentale formaliter sumptum non oritur ex jure naturæ. Consequentia est legitima ; et major inductive constat in omnibus, quæ oriuntur ex jure naturæ : ideo enim non esse mentiendum, occidendum, aut furandum, et similia obligant ex jure naturæ, quia ratio naturalis sibi relicta id dictat ; alioqui si non sola ratio naturalis, sed supernaturalis id dictaret, jam præcepta non essent ex jure naturæ, sed ex divino, ut ex se liquet. Minor autem ostenditur : etenim sigillum ut sacramentale obligat ad celanda peccata pœnitentis indispensabiliter, et in omni eventu, ita ut etiam si peccatum, cujus notitia in confessione acquiritur, sit leve, et alias publicum, manifestari non possit, adhuc cum propriæ vitæ dispendio, imo cum Reipublicæ, Religionis, aut totius Regni jactura ; atqui lumen naturale sibi relictum hæc non dictat : ergo nec obligationem sigilli ut sacramentalis. Majoris veritas a cunctis Catholicis defenditur, et in sequenti dubio firmabitur. Minor vero etiam patet : nam lumen naturale sibi relictum potius dictat bono communi consulendum, quam proprio determinati subjecti ; atque ideo dictat, scientem sub secreto rem præsertim parvi momenti, uti est leve peccatum alterius, teneri id palam facere, si ex illius non revelatione imminet gravissimum incommodum exterminandi totum Regnum, aut propriam vitam amittendi, ut cum communi sententia recte docet N. Andreas tract. 13, cap. 4, puncto 6, n. 82.
38. Quocirca si sacramentale sigillum ortum duceret ex solo jure naturæ, non plus adstringeret quam secretum naturale ; hoc autem minime obligat indispensabiliter, atque adeo stricte, ut nunquam res occulta propalari possit, sed latitudinem ac exceptiones admittit, quæ in sigillo ut sacramentali locum non habent.

8. Respondebis, quod licet jus naturale absolute, et præcisive a confessione non obliget indispensabiliter in omni eventu ad observantiam secreti ; nihilominus sacramenti pœnitentiæ institutione supposita, potest universaliter, ac sine ulla prorsus exceptione constringere. Cujus ratio in promptu est : quia nimirum, ipsamet institutio ac sacramenti natura expostulat ut pœnitentis peccata omnino reticeantur, ne confessio odiosa fiat. Id quod instari potest tum in Eucharistia, cujus institutione supposita, ipso jure naturæ oritur obligatio eam non sumendi in peccato lethali, ne tantum sacramentum indigne recipiatur, proprioque effectu fraudetur. Tum in actu virtutis pœnitentiæ infusæ, de quo in priori hujus tractatus parte disp. 5, dub. 6, § 5, statuimus, quod supposita elevatione hominis ad finem supernaturalem, obligat ex præcepto juris naturalis ; quam doctrinam ibidem ad actus aliarum virtutum infusarum extendimus, eo quod non ex præcepto positivo, sed ex ipsa natura rei prædictis virtutibus annectuntur. Poterit igitur simili modo, supposita sacramenti pœnitentiæ institutione, sigillum indispensabiliter urgere ex jure naturæ, sive ex ipsius sacramenti exigentia, quamvis alias præcisive a confessione jus naturale non dictet secretum cum ea universalitate servandum.

Verum hæc evasio robur adductæ ra- Præclu-
tionis minime infringit, quin ex æquivo- ditur.
catione procedit ; quam ut excludas, observa ex dictis in fine § in evasione citati, jus naturale dupliciter accipi posse. Primo stricte ac proprie, prout contradistinguitur a supernaturali ; quo pacto illud dicitur, et est jus naturale, quod nullo modo est supernaturale, sed ad nudum naturæ ordinem spectat, ac ex solius naturæ principiis procedit, qualiter contingit in præceptis non mentiendi, non furandi, non occidendi, et similibus, quæ a lumine naturali sibi relicto dictantur. Secundo improprie ac minus rigorose, prout contraponitur juri libero, et positivo ab extrinseco adveniente sine exigentia rei. Et in hoc sensu jus naturale non limitatur ad naturalem ordinem, sed etiam per supernaturalem divagatur : quippe non minus naturale est gratiæ suas proprietates inferre, quam animæ rationali proprias passiones radicare, vel, ut aptiori utamur exemplo, non minus naturale est charitati

dictare Deum ut authorem supernaturalem esse super omnia diligendum, quam justitiæ naturali dictare neminem esse occidendum ; atque ideo juxta hanc impropriam juris naturalis acceptionem recte cohæret aliquid esse absolute, et simpliciter de jure divino, et simul esse de jure naturali, prout distinguitur a positivo : quia videlicet ipsa natura rei supernaturalis dictat ac infert obligationem. Quæ est doctrina D. Th. in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2. Sacramenta non sunt de jure naturali, sed de jure divino, quod est supranaturale ; quod quandoque etiam naturale dicitur secundum quod cuilibet rei illud est naturale, quod ei a suo creatore imponitur. Tamen proprie dicuntur naturalia, quæ ex principiis naturæ causantur ; supra autem naturam sunt illa, quæ ipse Deus sibi servat sine naturæ ministerio operanda, sive in operationibus miraculorum, sive in revelationibus mysteriorum, sive in institutionibus sacramentorum.

Igitur dum in præsenti propugnamus, sigilli sacramentalis obligationem ex jure naturali non prodire, loquimur de eo in priori sensu, quo pacto jus naturale ad nudum naturæ ordinem spectat, ac stricte, et in propria acceptione usurpatur juxta illud D. Thomæ : « Tamen proprie dicun« tur naturalia, quæ ex principiis naturæ « causantur. » Ea autem, quæ in evasione afferuntur, tantummodo suadent sigilli vinculum vim constringendi accipere ex naturali jure in posteriori ac impropria consideratione : nam sacramentum entitative est quid supernaturale ; atque ideo ejus naturam exposcere indispensabilem peccatorum occultationem, solum evincit hujusmodi præceptum esse de jure divino naturali prout a positivo distincto. Similiter præceptum non accipiendi Eucharistiam in statu lethalis peccati est juris divini non solum naturalis sed etiam positivi, ut patet ex illo Apostoli : *Probet autem se ipsum homo, et sic de pane illo edat*, ubi præceptum non ab Apostolo, sed a Christo latum continetur, ut palam significant ea verba, quæ præmittuntur : *Ego enim accepi a Domino quod et tradidi vobis*, uti explicuimus tract. 23, disp. 11, dub. 3, § 1 ; unde ex vi hujus potius habetur oppositum, quod evasio intendit. Ac tandem quod hominis elevatione ad supernaturalem finem supposita, actus infusarum virtutum obligent ex jure naturali, id ipsum probat : quippe cum illæ virtutes supra omnem naturæ ordinem existant, præcepta, quæ circa earum exercitia versantur, solum urgere possunt ex jure divino naturali ; quod, et non amplius loco in evasione citato docuimus. Quocirca si in hac impropria juris naturalis usurpatione (de qua non procedit assertio) loquamur, ex eo ortum ducere sacramentalis sigilli obligationem concedere non veremur, cum pœnitentiæ sacramentum a Christo Domino institutum, ac ejus suavis, et tolerabilis usus connaturalem afferat exigentiam strictissimum servandi secretum, ne confessio odiosa, et impracticabilis fiat.

9. Dicendum est secundo, sigilli obliga-2 tionem ortum non ducere ex solo jure Ecclesiastico. Hæc assertio est etiam communis consensus Doctorum, suadeturque ratione. Nam si vinculum sigilli sacramentalis ortum duceret ex solo jure Ecclesiastico, posset Ecclesia saltem pro aliquo eventu dispensare in illius observatione ; atqui ecclesia dispensare nequit, ut peccata, quorum notitia habetur in confessione, revelentur in aliquo casu etiam pro ingenti damno vitando, aut bono consequendo : ergo sacramentale sigillum obligandi vim non obtinet ex solo jure Ecclesiastico. Minor constat ex communi sensu, et Ecclesiæ usu, generalique Doctorum sententia, qui docent, quod si per impossibile Summus Pontifex decerneret, ut peccata in confessione audita in aliquo casu revelarentur, minime esset illi parendum. Major autem etiam liquet, tum quia obligatio legis pendet ex voluntate legislatoris, et per easdem causas per quas introducitur, dissolvitur : ergo si sigilli vinculum procederet a solo jure Ecclesiastico, posset etiam per illius dispensationem vigorem obligandi amittere. Tum etiam a simili : nam ideo Summus Pontifex justa de causa dispensare potest, de factoque dispensavit cum Carolo V, ut non jejunus ad Eucharistiam accederet, quia hujusmodi præceptum est pure Ecclesiasticum, ut statuimus tract. 23, disp. 11, dub. 2, n. 29. Idem igitur dicendum esset de sigillo, si ex solo Ecclesiastico jure constringeret. Quæ omnia

egregie

egregie complexus est D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, ad 2, ubi hæc habet : « Dicendum, quod præceptum de « confessione servanda consequitur ipsum « sacramentum, et ideo sicut præceptum « de confessione sacramentali facienda est « de jure divino, et non potest aliqua dis- « pensatione, vel jussione humana homo « ab eo absolvi, ita nullus ad revelatio- « nem confessionis potest ab homine cogi, « vel licentiari. Unde si præcipiatur sub « pœna excommunicationis latæ sententiæ, « quod dicat si aliquid scit de peccato, non « debet dicere : quia debet æstimare quod « intentio præcipientis sit, si sciat ut homo. « Si etiam exprimeret de confessione in- « terrogans, non deberet dicere, nec ex- « communicationem incurreret, quia non « est subjectus superiori suo nisi ut homo ; « hoc autem nescit ut homo, sed ut Deus. » Si autem sacerdos nulla humana dispensatione absolvi potest ab obligatione reticendi peccata, consequens est ut ex solo præcepto humano ad sigilli observationem non obstringatur, atque ideo quod ex altiori principio ea obligatio procedat.

Confirmatur : quoniam obligatio sacramentalis sigilli est major, quam a solo Ecclesiastico jure oriri possit : ergo ex eo præcise capite non procedit. Antecedens ostenditur : nam sigillum, ut dictum est, obligat indispensabiliter, ac adeo stricte, ut nunquam vim constringendi amittat, etiamsi ex ejus violatione bono communi Reipublicæ consuleretur ; sed lex humana, qualis est Ecclesiastica, licet interdum constringere possit cum propriæ vitæ periculo dum bono communi expedit, tamen nequit vim obligandi conservare cum boni communis jactura, nisi aliunde jus divinum aut naturale id ipsum præciperet: ergo urgentius, strictiusque est sacramentalis sigilli vinculum, quam possit ab Ecclesiastico jure ortum ducere. Et quidem si jus naturale, quod fortius ligat, eam adeo strictam obligationem inducere nequit, ut ex prima assertione constat, nullum urgens motivum apparet, cur Ecclesiasticum ad id se extendat. Eo vel maxime, quia sigilli obligatio cum sacramento nata creditur, et ab exordio nascentis Ecclesiæ viget, proindeque antiquior est quam lex humana circa illam a Pontificibus lata.

10. Diximus in assertione : *ex solo Ecclesiastico jure ;* quia non negamus quod supposito divino præcepto ad sigilli observantiam, constringente, potuit Ecclesia præcipere, de factoque præcepit illius non violationem saltem ut *puniendam* designatis pœnis, uti constat ex cap. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6, ubi D. Gregorius inquit : « Sa- « cerdos ante omnia caveat ne de his, qui « ei confitentur peccata alicujus revelet, « non propinquis, non extraneis, neque « quod absit pro aliquo scandalo. » Et etiam ex cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. et remiss. § *Caveat*, ubi Innocentius III : « Caveat autem omnino, ne verbo, « aut signo, aut alio quovis modo aliquate- « nus prodat peccatorem, sed si pruden- « tiori consilio indigeat, illud absque ulla « expressione caute requirat : quoniam qui « peccatum in pœnitentiali judicio sibi « detectum præsumpserit revelare, non « solum a sacerdotali officio deponendum « decernimus, verum etiam ad agendam « perpetuam pœnitentiam in arctum mo- « nasterium detrudendum. » Itaque solum intendimus, sigilli vinculum ex solo Ecclesiastico jure non procedere : hoc enim se solo satis non est ad inducendam obligationem adeo strictam, et universalem ; alioqui, ut vidimus, ea lex ab Ecclesia abrogari posset, quod nemo concedit. Igitur,

11. Dicendum est tertio sigilli sacramentalis obligationem esse de jure divino. In hanc assertionem quoad substantiam omnes Doctores unanimiter conspirant, licet non omnes eodem modo se explicent ; quidam existimantes hujusmodi præceptum esse divinum positivum, id est, ex libera Christi voluntate proveniens ; alii vero censentes esse divinum naturale, quatenus ex ipsamet natura sacramenti urget ; ac tandem alii indefinite procedunt, et nihil determinant. Sed de his infra. Assertio igitur absolute intellecta satis palam constat ex his, quæ pro præcedentibus apposuimus : etenim sigillum sacramentale ex aliquo jure obligat ; at non ex pure naturali, nec aliunde ex Ecclesiastico : ergo ex divino. Consequentia a sufficienti partium enumeratione liquet ; nam jura alia, quæ excogitari possent, ad hujusmodi obligationem inducendam incongruenter se habent, ut in dubii limine præmonuimus. 3 Assertio.

Deinde suadetur ratione : nam qui præ- Fundamentum.

cipit aliquem finem, præcipit etiam ex consequenti quidquid necessarium est ad illius finis assecutionem ; sed Christus Dominus præcepit confessionem sacramentalem, quæ sustineri non posset, si sigilli vinculum deficeret : ergo præcepit etiam sigillum confessionis, atque ideo obligat ex jure divino. Major cum consequentia constat ; et minor quoad secundam partem, quæ difficultatem præsefert, ostenditur. Etenim Christus Dominus non præcepit confessionem durissimam, ac intolerabilem, sed suavem, et quæ sine ingenti difficultate exerceri posset ; atqui ut confessio suaviter ac tolerabiliter fiat, necessarium omnino est ex parte sacerdotis vinculum perpetuum ac indissolubile reticendi crimina, quæ sibi in sacram. innotescunt : ergo confessio divino jure præcepta practicari ac sustineri non posset deficiente obligatione sigilli. Minor patet : nam confessio sacramentalis ex se quid satis arduum ac difficile est : magna quippe cum repugnantia, summaque confusione homo alteri homini sua delicta manifestat, ea præsertim quæ majorem infamiam, ac deteriorem afferunt ignominiam. Quocirca plurimi mallent quascumque pœnalitates subire, quam conscientiæ recessus detegere. Si igitur adeo ingentem repugnantiam in peccatorum declaratione homines experiuntur, ut adhuc stante indissolubili sigilli consignatione, imo adhuc post frequentes ac ardentes tum in concionibus tum in spiritualibus libris exhortationes, non semel oneri ac difficultati succumbunt, confessionemque omittunt ; quid fieret si sigillum deficeret, pœnitentesque timerent sacerdotem eorum crimina prodituram ob necessitatem, quæ intervenire posset illa revelandi ad bonum Reipublicæ, vel ad tuendam innocentis vitam, vel ad similia damna præcavenda ? Plane confessio odiosa ac impracticabilis redderetur, ad eamque pœnitentes accedere non auderent, præsertim fœminæ, quæ vehementiori pudore ac verecundia comprimuntur ; itaque cuncti tædium conciperent, ac integre peccata non propalarent, quin a confessione arcerentur, istiusque sacramenti usus, ex quo præcipue fidelium salus dependet, deficeret ; uti apud Abyssinos aut Æthiopes abiisse in dissuetudinem ob sacerdotum malitiam sigillum non observantium, testatur Lugo in præsenti. Igitur ut confess a Christo præcepta subsisteret, necessariu fuit sigilli vinculum, quo divina author tas ministrorum ora absque ulla exceptio præcluderet, pœnitentesque omnino secu ros de suorum peccatorum perpetua occu tatione redderet.

12. Ulterius ostenditur ratione D. Thom in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiun 1, in corpore : « In sacramentis ea, qu « exterius geruntur, sunt signa rerum qu « interius contingunt ; et ideo confessio « qua quis sacerdoti se subjicit, signum es « interioris, qua quis Deo subjicitur ; Deu « autem peccatum illius, qui se sibi sub « jicit per pœnitentiam, tegit : unde, e « hoc oportet in sacramento pœnitentiæ « signari. Et ideo de necessitate sacrament « est, quod quis confessionem celet, et tan « quam violator sacramenti peccet, qu « revelat. » Quod fundamentum sub ha forma proponi potest. Recta administratio ac debitus sacramenti usus est de jur divino ; atqui observatio sigilli sacramen talis spectat ad rectam administrationem ac debitum sacramenti usum : ergo ex jure divino obligat. Consequentia est legitima ; et major certa : nam recta administratio ac debitus usus cujuscumque re obligat ex natura, et exigentia ipsius rei ac juxta ordinem, in quo constituta est sacramenta autem sunt entia supernaturalia, et ordinis divini, atque ideo eorum debitus usus urget ex jure divino naturali Et in hoc sensu accipiendum est id quod tract. 22, disput. 7, dub. 4, num, 63, in fin. apposuimus ; nimirum, obligationem recte tractandi sacramenta oriri ex naturali jure ; quia supposita supernaturali sacramentorum institutione, ipsa ratio naturalis dictat quod ea ex officio ministrans sit sanctus : nam per ly *ipsa ratio naturalis dictat*, nihil aliud intendimus quam quod ratio aut natura sacramenti exposca Ministri sanctitatem, ut ibidem num. 63 in calce secundæ confirmationis expressi mus. Minor autem ostenditur, tum quia ad rectam sacramenti administrationem debitumque illius usus spectat exterior significatio eorum, quæ interius contingunt ; atqui per sigillum, quod est exterior peccatorum occultatio, significatur interior qua Deus pœnitentis peccata non solum remittit, sed tegit : ergo sigilli observatio

ad

ad rectam sacramenti administrationem debitumque usum pertinet. Tum etiam ex secundo argumento *sed contra* ejusdem quæstiunc. D.Thomæ ; nam de recta sacramenti administratione est quod minister se conformet cum Deo principali agente : sed Deus celat peccata, quæ confessioni subjiciuntur ; ergo, et sacerdotem peccata reticere ut ad Deum conformitatem habeat, est de recta sacramenti administratione. Major constat ex illo Apostoli 1, ad Corinth. 3 : *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei;* ac ex illo 2,ad Corinthios 4 : *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros.* Ubi satis aperte innuitur, operantem ut Dei Ministrum ac ejus officium exequentem debere agere cum conformitate ad ipsum, et ad ministerium quod exhibet. Quo motivo usi fuimus loco proxime citato ad suadendum lethaliter delinquere Ministrum consecratum, qui in statu peccati existens sacramenta solemniter aut ex officio ministrat.

Verum hæc Divi Thomæ ratio a plurimis extra ejus scholam, qui ubique mathematicas demonstrationes exoptant, inefficax reputatur, et tanquam debilis ac nihil evincens rejicitur. E contra vero insigniores Ang. Præceptoris discipuli eam non solum probant, sed et ab impugnationibus vindicant. Capreolus Thomistarum princeps plura pro illius defensione congessit in 4, dist. 21, quæst. 2, quem sequutus est Sotus ibidem dist. 18, quæst. 4, art. 5, et alii. Itaque quia eam veram censemus, quæ illi a junioribus opponuntur, videamus.

§ II.

Evasiones ad rationem D. Thomæ præcluduntur.

13. Primus igitur, cui ratio D. Thomæ displicuit, fuit Durandus, qui in 4, dist. 21, q. 4, respondet, ea quæ exterius in sacramentis geruntur, esse signa eorum, quæ interius contingunt quoad effectum principalem sacramentorum, non vero quoad alia, quæ ad principalem sacramenti effectum non spectant. Principalis autem sacramenti pœnitentiæ effectus est interior peccatorum remissio, quæ satis significatur per verba formæ : *Ego te absolvo ;* quemadmodum quia principalis effectus Baptismi est interior animæ ablutio a peccatorum maculis, hæc debet a Ministro significari, et significatur per exteriorem corporis ablutionem, et verba formæ : *Ego te baptizo*, etc. Sigillum vero, sive peccatorum occultatio effectus sacramenti non est. sed potius obligatio quædam ex sacramento resultans : hæc igitur per signum exterius significari non debet, atque ideo sacerdos minime contra sacramenti significationem aget, sive celet, sive peccata manifestet.

Deinde negat illam D. Th. propositionem : « Deus autem peccatum illius, qui « se sibi subjicit per pœnitentiam, tegit ; » si intendat quod id aliqua speciali Dei occultatione fiat. Etenim in hoc sæculo eodem modo tegit peccata confitentium, ac non confitentium ; cum nec istorum, nec illorum manifestet. In futuro autem omnium crimina propalabuntur juxta illud 1, ad Corinth. 4 : *Illuminabit abscondita tenebrarum*, etc. ergo falsa est illa minor discursus D. Thomæ. 1 ad Corinth. 4.

Sed istæ Durandi responsiones D.Thomæ rationem non enervant : prior namque, ut recte vidit Sotus ubi supra, ex sinistra interpretatione procedit. Nec enim Ang. Doctor intendit, aut vel leviter insinuat, sigillum debere esse sacramenti effectum per absolutionis verba significatum, sed potius signum internæ peccatorum occultationis ex parte Dei se tenentis. Pro quo nota, dupliciter Deum pœnitentis peccata clavibus subjecta tegere. Primo ea remittendo ex vi gratiæ, quam infundit ; quæ occultatio est præcipuus sacramenti effectus, a Deo principaliter, et a sacramento, ac Ministro instrumentaliter inductus. Secundo, eadem peccata, quæ remisit, tacendo ; quæ occultatio dici potest silentium Dei ad peccatorum remissionem subsequutum : quippe eo ipso quod gratiam infundit, ita peccata manent apud Deum oblita, quasi commissa non fuissent ; nunquam enim ea detegit, juxta illud : *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata.* Psalm. 13. Ac iterum : *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, et operuisti omnia peccata eorum.* Psalm. 84. De hac igitur loquitur D. Thomas, et intendit eam per sigillum fore significandam quod inde probat : quia sacramenta sunt exteriora signa eorum, quæ interius inter Deum, et Præcluditur Sotus. Ps. 31. Ps. 84.

animam ex vi sacramenti contingunt. Ergo quemadmodum prior peccatorum occultatio, intransitive consistens in illorum remissione, significatur primario per externam sacerdotis absolutionem; ita silentium Dei, quo peccata remissa celat, significari debet secundario, et consecutive per sacramentale sigillum, aut externum sacerdotis silentium. Consequentia liquet; tum quia exteriora signa correspondere debent his, quæ interius fiunt; tum quia officium Ministri exercens conformare se debet cum principali agente. Quocirca : « De necessi-« tate sacramenti est, » infert D. Thomas, « quod quis confessionem celet : » quia, nimirum, necessario sequitur ad sacramentum obligatio reticendi; unde addit : « Et tanquam violator sacramenti peccat, « qui revelat : » agit enim contra naturam ac exigentiam sacramenti, et contra modum debitum procedendi circa ministerium, quod exhibuit.

Nec majoris momenti est, quod Durandum subdit : etenim Deus ita pœnitentium peccata celat tam in hoc sæculo quam in futuro, ut nunquam ea propalet ad punitionem, et erubescentiam eorum; oppositum autem fiet respectu illorum, qui confiteri ac se Deo per pœnitentiam subjicere renuerunt, ut idem Ang. Doctor exponit in 4, dist. 44, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 2, ad 3, his verbis : « Publicatio peccato-
D. Tho. « rum ad ignominiam peccantis est effectus « negligentiæ, quæ committitur in omis-« sione confessionis; sed quod peccata sanc-« torum revelentur, non potuit esse in eru-« bescentiam, vel verecundiam, sed ad « magnam gloriam propter pœnitentiam, « quam fecerunt. Sicut confessor laudat « eum, qui magna scelera fortiter confite-« tur. Dicuntur autem peccata esse tecta, « vel deleta, quia Deus non videt ea ad « puniendum. »

Suarii responsio. 14. Secundo occurrit Suarez disp. 33, sect. 1, num. 6, censens D. Thomæ discursum sufficiens fundamentum non esse ad inducendam sigilli obligationem. Tum quia ea significatio interioris occultationis Dei non est substantialis in sacramento, nec id ulla ratione vel authoritate probatur. Tum, quia non est de substantia sacramenti pœnitentiæ, quod secrete fiat; atque ideo nec quod sacerdos exteriori silentio significet Deum occultare peccata. Tum denique : quia alias nec de pœnitentis licentia posse sacerdos confessionem revelare, cum sacramenti significatio ex pœnitentis arbitrio pendens non sit. Non igitur ea ratio sigilli vinculum suadet.

Ceterum nec his impugnationibus labefactatur. Non quidem prima : quia licet ea significatio non sit substantialis formaliter ita ut si deficiat, sacramentum non teneat, est tamen substantialis consequenter, id est, quid per se subsequutum ad significationem substantialem, et quid exactum a debito modo procedendi ministri cum conformitate ad Deum vel Christum, cujus vicem gerit; id quod satis est ad inducendam gravem obligationem reticendi peccata in confessione audita, ut exemplo liquet. Nam sanctitas, aut gratiæ status in ministro conficiente sacramenta non est de eorum substantia aut valore, siquidem positis materia, forma, et intentione absolute subsistunt; et tamen cum eodem Suario docuimus tract. 22, disp. 7, dub. 4, § 1, ministrum consecratum, in statu peccati existentem, et publice aut ex officio sacramentum ministrantem, peccare mortaliter; cujus eam rationem cum D. Thoma adhibuimus : quia minister personam Dei, et Christi exercet, dum sacramenta confert, atque ideo licet ejus sanctitas non sit de substantia sacramenti ad hujus principalem effectum significandum, est tamen de substantia, aut simpliciter debita ad rectam administrationem, ut sanctitas ministri sanctitati principalis agentis se conformet, eamque repræsentet. Similiter ergo, quamvis sigilli significatio substantialis non sit, aut ad sacramenti valorem spectans, erit nihilominus de substantia rectæ administrationis, ut minister conformitatem habeat ad Deum principalem agentem in re gravissima, qualis est pectorum occultatio; istaque prout ex parte Dei se tenet, per sigillum aut externum sacerdotis silentium repræsentetur. Unde non nihil Suarius excessit, dum subdit id nulla ratione aut authoritate probari, quasi D. Thomæ Theologorum principis authoritas nulla sit. Sufficiat igitur Præceptorem Angelicum, quem supra Suarium intellexisse non dubitamus, id palam asseruisse, ut insignissima; omniumque Theologorum maxima authoritate fulcitum censeatur.

Non

Non item secunda : nam D. Thomas nec in loco, quem versamus, nec alibi asseruit esse de substantia sacramenti significationem sigilli ; sed solum dixit, « esse de « necessitate sacramenti quod quis confes- « sionem celet, » ut silentium Dei significet. Quæ duo satis distincta sunt; et ad veritatem posterioris sufficit, quod ea obligatio sequatur per se ad sacramentum ; quod re vera ita est. Etenim sacramentum petit sui rectam administrationem ; hæc autem haberi nequit, nisi minister agenti principali conformetur, et exteriora signa consonent his, quæ interius contingunt. Cum ergo Deus pœnitentis peccata, quæ secreto clavibus subjiciuntur, celet, consequens est sacerdotem ex vi sacramenti sigillo obstrictum relinqui, ut utrumque illud munus præstet. Nec obest non esse de sacramenti substantia, quod secrete fiat, ut inde concludatur non esse etiam de necessitate sacramenti, quod sacerdos exteriori silentio significet silentium Dei circa peccata secreto confessa ; ut simili argumento in propria materia constat. Non est de substantia sacramenti quod secreto fiat : ergo nec observatio sigilli de necessitate illius. Hanc consequentiam nemo absolute concedit, sed cum limitatione, ita ut observatio sigilli non sit de necessitate confessionis, quæ publice fit ; esse tamen de necessitate aut exigentia illius, quæ secreto conficitur. Similiter ergo in præsenti contingit; et utriusque ratio est, quia sacramentum non exposcit sigillum, nec significationem silentii Dei nisi in favorem pœnitentis ; hic autem juri suo cedere potest, et re ipsa cedit, dum publice confitetur ; atque ideo tunc nec sigillum, nec ejus significatio ex vi sacramenti urget. Dum vero secreto confitetur, juri suo non cedit, subindeque sacramentum utriusque exigentiam ac necessitatem conservat. Et quidem cum ea significatio in nullo alio consistat quam in conformitate ministri cum Deo quoad occultationem peccatorum, si minister ex ministerio, quod exhibet, tenetur ad se cum principali agente conformandum in re adeo gravi, necesse est ut teneatur ad eam significationem, et consequenter ad sigillum, sine quo conformitas aut significatio existere nequit.

Nec tandem tertia : quia pœnitens, cum licentiam sacerdoti confert, ut confessionem revelet, efficit illum scire ut hominem, quod alias ut Dei vicarius, aut Christi minister sciebat. Quocirca, quemadmodum qui extra confessionem pœnitentis peccata novit, de eis loqui valet, quin contra sigillum aut ejus significationem procedat ; ita sacerdos, cui per pœnitentem licet : tunc enim cum hic cedat juri suo, sacramentum nec sigillum nec significationem expostulat. Unde quod pœnitens sua licentia facere nequit, est quod sacerdos peccata revelet cum sola notitia, quam de illis habet ut præcise minister Christi. Per quod patet ad aliam Vasquii impugnationem, quæ similem doctrinam continet, quin opus sit ut in illius eversione immoremur.

15. Tandem D. Thomæ rationi occurrit Navarrus in cap. *Sacerdos*, de pœnitentia, dist. 6, n. 32, ubi eam fragilem dicit, et illi opponit. Primo, quod si obligatio occultandi peccata inde ortum duceret, quia sacerdos utpote Dei minister cum eo se conformare debet, sequeretur sigillum solum constringere sacerdotem ; atqui ligat etiam alios non Dei ministros, ut pœnitentis interpretem, sacerdotis consiliarium, et eos, qui casu vel actu confessionem audiunt, ut in naufragiis, ac in bellis contingit, ubi ob necessitatem peccata publice confitentur : ergo ex quo minister cum Deo se conformare debeat, inepte sigilli vincu- cum deducitur. Secundo : quia sacerdos non solum cogitur confessionem celare ubi tanquam minister verum conficit sacramentum, sed etiam dum confessio est invalida ob aliquem pœnitentis defectum, imo etiam dum postquam peccata audivit, absolutionem non impendit ; in quibus, et similibus casibus ministri officium non exercet, cum sacramentum non conficiat. Navarri responsio.

Verum utraque ex his evasionibus haud difficile dispellitur. Prior quidem : quoniam recte cohæret sigilli obligationem ex eo principio oriri, et omnes ibi recensitos constringere. Pro cujus luce observandum est, ministrum sacramenti dupliciter accipi posse ; vel proprie, et formaliter, quo pacto stat pro solo sacerdote, qui primo, et per se, et tanquam ex officio competit munus illud ministrandi, et vices Dei exercendi ; vel solum participative, et minus stricte, qua ratione sub ministri nomine comprehenduntur omnes illi, qui aliquid de actio- Everti- tur.

nibus ministri participant. Porro illæ actiones sunt propriæ ministri, ut ministri, quas exercet loco Dei ut principalis agentis ; sacerdos autem non solum vicem Dei gerit dum absolvit, sed etiam dum peccata audit : hæc enim non sibi ut particulari homini deteguntur, sed ut existenti loco Christi. Ex quo fit omnes qui confessionem audiunt, participare actionem propriam ministri, atque ideo esse ministros participative, et quasi inadæquate, sive licite confessionem audiant, ut pœnitentis interpres consiliarius sacerdotis, et qui ob inevitabilem contingentiam assistunt, sive illicite, uti se habet qui actu ac malitiose peccata auscultat, et actionem ministri sibi arrogat. Quo supposito ratio D. Thomæ vires reassumit, et perspicue intentum suadet : nam minister tenetur conformitatem habere ad principalem agentem in his, quæ spectant ad rationem ministri; atqui Deus agens principale in pœnitentiæ sacramento celat pœnitentis peccata, et omnes in evasione recensiti participant rationem ministri : ergo ad sigillum constringuntur, ut Deo in occultatione peccatorum conformentur ; atque ideo ratio D. Thomæ non solum evincit sigillum constringere sacerdotem, sed et quoscumque alios in confessione intervenientes ; siquidem eo ipso quod confessionem audiant, jam sunt ministri quoad eam actionem, ex qua sigilli obligatio ortum ducit.

Posterior autem, quæ levior est, ex dictis dehiscit. Nam licet sacerdos, dum confessionem audit, et pœnitentem non absolvit, non ministret sacramentum integrum, efficit tamen sacramentum quasi partiale, et concurrit ad actionem audiendi peccata, quæ sacramentalis est saltem intentive, atque ideo propria ministri ut ministri. Minister autem non solum cogitur ad se cum Deo conformandum, dum totum ministri officium exercet, sed etiam in quacumque actione propria ministri. Cum igitur actio audiendi confessionem sit hujusmodi, et alias Deus celet peccata, quæ pœnitens tunc confitetur, tenebitur sacerdos ad sigillum, ut principali agenti in re adeo gravi se conformet. Et plane utraque Navarri objectio in ipsum retorquenda est : quippe si inquiramus, cur sacerdos confessionem audiens, et absolutionem non impendens, et similiter cur pœnitentis interpres, et sacerdotis consiliarius, quorum nemo integrum ac validum sacramentum ministrat, sigilli obligationem contrahant ? Non aliter respondet ibidem num. 44, nisi quia res ad quemcunque transit, cum suo onere transit ; atque ideo cum sigillum sit annexum confessioni aut actioni audiendi peccata, quæ confitentur, in quocumque hæc actio inveniatur, ibi etiam sigilli obligatio reperiri debet, quamvis alias integrum sacramentum non adsit. Si igitur hæc ita sunt, cur etiam ad quemcumque transit actio audiendi confessionem, quæ est propria ministri, transire non poterit obligatio se conformandi cum Deo in his, quæ pertinent, aut sequuntur ad eam actionem ? Nulla prorsus disparitas rationabiliter assignanda apparet. Recte ergo infert D. Thomas obligationem sigilli ex obligatione ministri ut se cum Deo conformet : nam eo ipso convincitur quod quicumque confessionem audit, sigillum contrahit, quippe qui ministri actionem exercet.

16. Ex hactenus dictis solum constat, sigilli obligationem ex jure divino urgere ; an autem ex divino naturali, an vero ex positivo, aut ex utroque, Authores dissident. Primum placuit Suario disput. 33, sect. 1, n. 10 et 13, Lugoni disp. 23, sect. 2, n. 9, Henriq. lib. 6, cap. 19, Labat. tract. de pœnit. disp. 2, dub. 3, § 2. Quorum fundamentum est, quod supposita sacramenti pœnitentiæ institutione, ex se ipso sigilli observationem expostulat, ne pœnitentes publicationis peccatorum timore arrepti a confessione arceantur. Secundum amplectitur Navarrus ubi supra dist. 6, n. 33, Vasquez qu. 93, art. 4, dub. 1, n. 10, Coninchus disp. 9, dub. 2. Qui licet in re conveniant, diversis ducuntur motivis ; præcipuum tamen est, quod n. 11, pro firmanda assertione expendimus. Et quidem si vinculum sigilli ex jure divino urget, ut omnes fatentur, quod ex divino naturali, aut ex positivo constringat, parum refert ; cum non ideo malitia peccati in fractione sigilli commissi specie aut numero multiplicetur. Nihilominus veriorem censemus sententiam asserentem eam obligationem ex utroque jure prodire : nam quod ex divino naturali constringat, suadet tum motivum primæ sententiæ, tum ratio D. Thomæ a n. 12, ac deinceps expensa. Quod vero ex divino positivo, constat tum ex dictis

dictis num. 11, nam qui præcepit finem, censetur præcipere saltem implicite id sine quo talis finis haberi nequit ; Christus autem positive præcepit confessionem sacramentalem, quæ sine sigillo ex parte sacerdotis practicabilis non esset : igitur sigillum urget ex positivo Christi præcepto saltem implicito, ac imbibito in alio de confessione facienda ; unde quærendum non est ubi nam expresse scriptum extet. Tum etiam : quia D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, ad 2, eodem modo loquitur de præcepto confessionis, ac de eo quod circa sigillum versatur ; primum autem esse juris divini positivi, nemo dissentit, atque ideo videtur Ang. Præceptor id ipsum, de secundo sensisse. Tum denique : quoniam sigillum constringere ex jure divino naturali omnino certo non constat, nec an ex eo capite in omni eventu urgeat aliundeque ab Ecclesiæ initio tanquam lex positiva a Christo Domino lata observatum est ; atque ita docent N. Franciscus tract. 6, cap. 14, punct. 1, num. 2, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5, et alii plures, quatenus eorum motiva utrumque suadent, quamvis non ita expresse loquantur.

§ III.

Argumentis contra primam assertionem satisfit.

17. Præmissæ assertiones adeo universaliter ab omnibus recipiuntur, ut neminem inveniamus, quem referre possimus oppositum sentientem absolute loquendo : quippe si quæ inter Doctores dissensio est, non tam circa rem, quam pœnes modum eam suadendi militat. Quia tamen motiva, quibus Ricardus, Alensis, et alii conantur ostendere sigillum ex naturali jure constringere, si quid suadent, probant contra secundam prioris nostræ assertionis partem, ideo tanquam argumenta illi contraria in præsenti diluenda sunt. Arguitur ergo primo : nam præceptum non mentiendi obligat ex jure naturæ, et in omni eventu ; sed qui propalat crimina audita in confessione, mentitur : ergo obligatio sigilli ut sacramentalis oritur ex jure naturæ. Consequentia liquet : ideo enim juxta doctrinam supra num. 7 traditam, sigillum ut sacramentale ex jure naturæ non constringeret, quia sacerdos tenetur in omni eventu ad non detegendam confessionem ; jus autem naturale ad inducendam adeo indispensabilem obligationem nequit se extendere. Quocirca si ex vi argumenti habetur, jus naturale urgere ad nunquam confessionem manifestandam, recte evincitur sigillum ut sacramentale ex eo principio ortum ducere. Minor vero, quæ difficultatem præsefert, ostenditur. Tum, quia ille mentitur, qui loquitur ut homo id quod nescit ut homo ; sed qui peccata in confessione audita manifestat, dicit ut homo id quod nescit ut homo, licet alias id sciat ut Dei Minister : ergo mendacium profert. Tum etiam : nam si sacerdos interrogetur an sciat peccata, quorum notitiam in confessione acquisivit, non mentitur asserendo se ea nescire, ut ex infra dicendis constabit ; ergo a contrario sensu, qui ea peccata se scire asserit, mentitur : *scio* namque, et *nescio* contradictionem important.

Respondetur ad argumentum negando minorem ; ad cujus primam probationem, quæ plus confusionis quam roboris affert, distinguenda est minor, et neganda si ly *nescit ut homo* accipiatur physice ; concedenda vero si sumatur moraliter, aut authoritative. Itaque aliud est, sacerdotem confessionem manifestantem absolute, et ex omni capite ignorare peccata, quæ prodit, ita ut re vera nullam eorum notitiam habeat ; aliud vero quod ea non sciat ut licite propalari possent, eo quod sibi dicta non sunt ut personæ particulari authoritatem propriam exercenti, sed tanquam Dei Ministro ac in ipsius loco constituto. Ex quo autem hoc posterius verum sit, minime prius esse falsum convincitur : nam cum Dei minister sit homo, impossibile est peccata in confessione innotescere sacerdoti ut Dei Ministro, et ipsi non innotescere ut homini physice, et realiter. Ut igitur sacerdos confessionem manifestans non mentiatur, satis est quod re vera, et absolute sciat ac sentiat id quod profert : quippe eo ipso contra mentem non procedit, cujus oppositum ad rationem mendacii desideratur. Et quidem sacerdos non minus authoritate Dei consecrat, quam pœnitentiæ sacramentum ministrat, et tamen si consecratione peracta dicat se consecrasse, nemo affirmabit mendacium protulisse, licet alias authoritate propria

Diluitur.

consecrationem non fecerit. Ergo similiter nec sacerdos mentitur, dum peccatum in confessione auditum revelat ; maxime si addat se illud in confessione audivisse ; tunc quippe non asserit se ut personam privatam illam notitiam habere.

Ulterior eversio.

Quibus addendum est primo, quod si argumentum convinceret, probaret etiam sacerdotem mentiri, dum non revelata persona peccatum aliquod in confessione auditum manifestat, quod nemo asseruit. Adde secundo, obligationem servandi sigillum esse gravissimam in omni eventu, nec parvitatem materiæ admittere, ut communiter docent Authores, ac ex infra dicendis constabit ; ex vi autem argumenti hæc adeo gravis obligatio minime infertur ; nam mendacium ex genere suo peccatum grave non est ; aliundeque contingere potest sacerdotem solum peccatum leve pœnitentis detegere ; in quo eventu violatio sigilli peccatum lethale non existeret, nec ex vi mendacii, nec ex materia circa quam versatur, cum pœnitenti leve damnum induceretur. Si autem peccatum lethale est, ergo ex alio capite vim obligandi obtinet.

Satisfit secundæ probationi.

Ad secundam minoris probationem concesso antecedenti negatur consequentia : optime enim stat sacerdotem peccata sibi in confessione detecta scire, et simul nescire juxta duplicem sensum, quem admittunt ly *scio*, et ly *nescio*, si absolute proferantur : nam prout sic sunt ex se indifferentia ad significandam loquentis personam, vel secundum munus quod ex se habet, vel secundum quod vicem alterius gerit ; et juxta intentionem proferentis adjunctis aliis circumstantiis determinantur ad hanc vel illam significationem sine detrimento veritatis. Id quod exemplo appositissimo liquet : Loquente Christo Domino de Præcursore dixit : *Joannes ipse est Elias*. Joannes autem interrogatus an Elias esset, respondit : *Non sum*. Ecce quod Christus affirmat, Joannes negat ; et neuter mendacium profert, sed uterque veritatem annunciat. Cujus ratio est, quia illa propositio *Joannes ipse est Elias*, et idem est de contradictoria, duplicem affert sensum, et in diversa acceptione verissimum : quippe intelligi potest vel de propria Eliæ persona, vel de ejus virtute ac Spiritu. Unde

D. Greg.

ut recte vidit D. Gregorius hom. 7, in Evang. Joann. cap. 1, vers. 21, nulla in illis propositionibus oppositio interest : nam quod Joannes denegat de persona, Christus affirmat de professione, Spiritu, ac modo vivendi ; quorum utrumque verum est. Similiter igitur ly *scio*, et ly *nescio* solum apparenter contradictoria sunt : quoniam ly *nescio* ad determinatam sacerdotis personam refertur, qui nec pœnitentis peccata propria authoritate audivit, nec eadem propria authoritate illa licite detegere potest. Ly autem *scio* respicit eundem sacerdotem ut munus Dei obeuntem, ac Christi personam induentem ; quæ duo sunt satis diversa ; et juxta loquentis limitationem sub qualibet ex illis propositionibus diversimode continentur.

18. Secundo arguitur : etenim lædere alterius famam prohibetur jure naturæ ; sed qui sigillum violat, lædit alterius famam : ergo observatio sacramentalis sigilli obligat ex jure naturæ. Major constat ex illo : *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, ex quo naturali jure cogimur alterius bona non lædere ; fama autem inter præcipua bona computatur. Minor vero etiam liquet : nam peccata alterius manifestari nequeunt, quin damnum illius reputationi inferatur ; sed qui sigillum frangit, alterius crimina detegit : ergo lædit illius famam. Eo vel maxime, quod inter pœnitentem, et sacerdotem intercedit pactum saltem virtuale, aut promissio data, et acceptata reticendi peccata in confessione audita ; promissio autem data, et acceptata obligat ex jure naturæ ratione fidelitatis : ergo ex eo principio oritur obligatio servandi sigillum sacramentale.

So

Respondetur, argumentum solum evincere, sigillum materialiter, et præsupposito acceptum, quo pacto importat rationem secreti naturalis, ortum ducere ex jure naturæ ; non vero formaliter sumptum prout sacramentale. Cujus ratio est, quod materia sigilli sunt pœnitentis peccata, sive gravia, sive levia, sive occulta, sive manifesta, cum omnibus circumstantiis, et connexionibus infra explicandis, ita ut hæc omnia cadant eodem modo sub obligatione sigilli ut sacramentalis, et sacerdos gravissime delinquat, etiamsi peccatum, quod manifestat, sit tantum leve, et alias publicum. Materia vero, quæ cadit sub jure aut secreto naturali, longe aliter se habet ; non enim semper, et eodem modo

modo constringit, sed respective : nam si peccatum est grave, jus naturæ graviter obligat ad illius occultationem, ne gravis læsio famæ alterius inferatur ; si autem est leve, leviter tantum constringit. Imo contingere potest peccatum esse grave, et occultum, et quod jus naturæ nec graviter nec leviter ad illius occultationem obliget, uti si in damnum commune vergeret, aut in propriæ vitæ, vel alterius innocentis jacturam ; in quo eventu jus ad famam non habet qui solum sub secreto naturali peccatum alteri manifestat. Unde ut jus naturale obliget ad occultationem peccati, requiritur per se, et formaliter, quod illius revelatio sit infamativa, et quod alter jus ad famam conservet : si enim hæc deficiant, deficit ratio formalis sub qua jus naturæ urget ; atque ideo nec adest formalis detractio, nec formalis læsio famæ proximi, subindeque nec peccatum. Ex quo evidenter fit, sigillum ut sacramentale altiorem ac universaliorem vim obligandi habere, quam possit a jure naturali accipere : quippe ita invariabiliter in omni eventu urget, ut per se, et formaliter omnia peccata gravia, et levia, infamativa, aut non infamativa, æque comprehendat. Quocirca respectu illius solum se habet de formali peccata in confessione fuisse detecta ; quod autem infamativa sint, vel non, omnino per accidens est, ac pure de materiali. Id quod in habitibus ac potentiis liquet : quippe ens mobile, quod formaliter inspicitur a Philosophia, de materiali se habet respectu intellectus, qui solum considerat ens in quantum ens ; quod proportione servata in præsenti contingit.

Ex quibus etiam patet ad difficultatis augmentum : licet enim dum pœnitens in confessione sua delicta pandit, censeatur sacerdos implicite eorum occultationem promittere, non inde infertur sigillum ut sacramentale ex fidelitate urgere : ad hoc enim opus erat, quod fidelitas semper, et in omni eventu invariabiliter constringeret. Itaque cum contingere valet sacerdotem confessionem propalantem solum venialiter contra justitiam, et fidelitatem delinquere, uti si peccatum leve detegeret ; et nihilominus gravissime alias peccare, quia sigillum frangit, non obscure demonstratur hanc obligationem ex alio capite fortius ligante promanare. Unde sigillum solum obligat ex fidelitate, et justitia pure concomitanter, et quasi materialiter, quatenus rationem secreti naturalis præsupponit ; formaliter autem ut sacramentale ex jure divino vim obtinet.

DUBIUM II.

Utrum sigillum sacramentale in omni eventu sit observandum ?

Obligationis sigilli radice cognita, facilius jam erit ad alia descendere. Plura autem, eaque satis difficilia, in præsenti materia occurrunt scitu digna, ac plerumque reducuntur ad peculiares casus, in quibus dubitatur an sigilli vinculum urgeat, vel non ? Omnes tamen sub dubii hujus universalitate simul comprehendere congruum non est. Tum quia uniuscujusque decisio ex circumstantiis, quibus vestitur, pendet. Tum quia plurium agglomeratio confusionem parit. Ut igitur claritati consulamus, observandum est omnes eos casus ad duplicem classem reduci posse : nam vel in illis confessio, et pœnitens revelantur expresse, vel tantum implicite, et quatenus ex vi alicujus actionis aut signi in cognitionem peccati, et pœnitentis devenitur. Quæ prioris generis sunt, ad directam confessionis revelationem spectant ; quæ posterioris autem ad indirectam. Dubium ergo circa primam procedit, et illius sensus est an liceat sacerdoti in aliquo eventu propalare expresse, et directe pœnitentem, et peccatum in confessione notum.

§ I.

Communis et vera sententia statuitur.

19. Dicendum est, sigillum sacramentale obligare in omni eventu. Assertio hæc est expressa D. Thomæ in 4, dist. 21, qu. 3, art. 1, et quodlib. 12, quæst. 11, art. 16 et 2, 2, quæst. 70, art. 1, ad 2, Cajetan ibidem, et tract. 21, quæst. unic. Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5, Nugnus in addit ad 3 part. qu. 11, art. 1, concl. 1, Bannez 2, 2, quæst. 33, art. 8, Gonet de pœnit. disp. 21, art. 1, num. 4, N. Franciscus tract. 6, cap. 14, punct. 1, Bonæ Spei disp. 13, dub. 1, n. 2, N. Antonius

Assertio. D. Tho. Cajetan. Sotus Nugnus. Bannez, Gonet. N. Fran. N. Bonæ. Spei. N. Ant.

Sanch. Lugo Dicast. Suarez, Scotus, Delgad. et alii plures.

tract. 5, disput. 19, sect. 1, Sanchez de Matrimon. tom. 1, lib. 3, disp. 16, num. 3, Sylvius ad quæst. 11, art. 1, supplem. Suarez disp. 33, sect. 1, Lugo disp. 23, sect. 1, num. 1, Dicastillo tract. disp. 18, dub. 1, num. 4, Scotus in 4, dist. 21, quæst. 2, Delgadill. de pœnitent. cap. 19, dub. 53, Granados in 3 part. controvers. 7, tract. 11, disp. 7, num. 5, Dubal disp. 5, dub. 1, num. 626, D. Bonavent. in 4, dist. 21, art. 2, quæst. 1, Capreolus, Paludanus, Durandus, et Major ibidem. Navarrus cap. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6, num. 116, Ledesma 2 part. q. 10, art. 1, Sylvester verb. *Confessio* 3, q. 19 et 20, Adrianus, Medina, Viguerius, Covarruvias, estque communis Theologorum sententia, uno excepto Altisiodorensi, qui in hac parte a cunctis deseritur.

Fundam. 1.

Præcipuum hujus assertionis fundamentum sumitur ex perpetua ac notoria Ecclesiæ traditione, quæ semper ab initio retinuit, sigillum cum omni universalitate, et absque ulla prorsus exceptione obligare. Quam traditionem testantur tam antiqui Ecclesiæ Doctores, quam moderni, ut videre est apud D. Augustinum lib. de salutaribus documentis, cap. 25, D. Basilium in Regula Monach. cap. 21, Ambrosium in ejus vita apud Paulinum ; Leonem Pap. epist. 78, Nugnum ubi sup. Suarium, et alios. Unde D. Thomas locis proxime citatis oppositam sententiam erroneam vocat. Itaque ex generali fidelium sensu liquet sacramentalis sigilli vinculum adeo stricte urgere, ut etiam imminenti totius Reipublicæ destructione, peccata in confessione audita propalari non possint. Id quod etiam in Summorum Pontificum decretis omnino expressum habetur. Etenim Innocentius III, in cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnitentia, et remission. § *Caveat*, ita inquit : « Caveat autem omnino ne verbo, « aut signo, aut alio quovis modo aliqua- « tenus prodat peccatorem. » Similiter in cap. *Sacerdos*, de pœnitentia, dist. 6, D. Gregorius ait : « Sacerdos ante omnia ca- « veat ne de his, qui ei confitentur, peccata « alicujus revelet, neque (quod absit) pro « aliquo scandalo vitando. » In quibus ly *ante omnia caveat* obligationem servandi sigillum aliis esse præferendam significat; ac insuper ly *neque pro aliquo scandalo vitando* juxta unanimem Theologorum intelligentiam idem valet ac *neque pro aliquo damno vitando*. Ergo ex mente Pontificis sigillum sacramentale in omni eventu indispensabiliter obligat, quin damnum aliquod quantumvis publicum, et commune imminens possit illius non observationem licitam reddere. Et quanquam id etiam convincat ratio D. Thomæ quodlib. 12, quæst. 11, art. 6, et in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, nihilominus quia eam dub. præced. expendimus, et quisque præsenti materiæ adaptare potest, aliam subjiciemus.

Innoc. III.

D. Greg.

20. Suadetur igitur secundo a priori. 2. Nam lex tandiu vim obligandi conservat, quandiu adæquatus finis legis persistit ; sed finis adæquatus legis sacramentalis sigilli persistit in omni eventu : ergo, et in omni eventu illius observatio urget. Consequentia liquet, et major est certa : etenim legem in hoc aut in illo casu non obligare, solum fieri potest ex defectu vel potestatis, vel intentionis in legislatore, qui aut non potest, aut non vult suo præcepto omnem eventum comprehendere ; quorum nullum in præsenti materia dici potest, non quidem primum : nam Christo Domino hanc legem ferenti *data est omnis potestas in Cœlo, et in terra*, Matth. 18, atque ideo potuit obligationem sigilli ad omnem casum extendere. Non item secundum : quoniam persistente fine adæquato a legislatore intento, non possumus rationabiliter judicare talem voluntatem obligandi in illo defuisse. Minor autem, quæ difficultatem præsefert, ostenditur. Finis adæquatus legis sigilli est sacramentum pœnitentiæ fidelibus summe necessarium in Ecclesia conservare, ejus usum tolerabilem reddere, pœnitentesque ad integram suorum criminum confessionem allicere ; sed finis iste in nullo eventu cessat : ergo. Minor patet : quoniam si semel in aliquo casu, etiam rarissimo, sacerdoti liceret confessionem propalare, pœnitentes omnino securi de suorum criminum occultatione non essent; atque ideo quo peccata graviora existerent, eo amplius eorum confessionem reformidarent ob urgentiorem necessitatem, quæ occurrere posset illa revelandi ad bonum commune, vel ad innocentis vitam tuendam, vel ad similia gravissima damna præcavenda ; unde confessio odiosa fieret, pœnitentesque ad eam accedere

accedere non auderent, vel saltem illius integritatem non observarent.

m. Confirmatur, et explicatur : nam in sententia Div. Thomæ, cui communiter adhærent Theologi, quamque tract. 13, disp. 10, dub. 6, num. 231 statuimus, ideo pollutio voluntaria in nullo eventu licita est, quia humanum semen, ejusque administratio determinate ordinata sunt ad conservationem speciei, non autem propter commodum, salutem, aut vitam individui. Ex quo fit, quod cum bonum speciei sit communius, ac divinius bono hujus vel illius individui, nunquam voluntaria pollutio licet, etiam cum propriæ vitæ periculo, imo cum ruina totius Regni, cujus salus pendebat ex vita hujus hominis illo remedio indigentis. Tum sic : sed sigillum sacramentale institutum est ad conservationem sacramenti pœnitentiæ, quod in commune bonum omnium fidelium cedit : ergo illius violatio in nullo eventu licet. Consequentia patet, tum ex rationis similitudine : tum quia bonum omnium fidelium præferendum est cuicumque alteri commodo determinati individui, vel alicujus Reipublicæ, quod sequi poterat ex sigilli violatione. Quocirca cum ex licentia revelandi confessionem in aliquo casu sequatur pœnitentes ab ea arceri, proindeque fidelium universitatem detrimentum subire, opus fuit, ut nunquam confessio revelari possit, ut ita semper communi bono consulatur.

21. Nec refert Coninchi responsio in præsenti, disp. 9, dub. 2, num. 33, dicentis minime confessionem odiosam fore reddendam ex quo in aliquo casu sacerdoti liceret peccatum in confessione auditum revelare, ut Regni eversionem impediret, aut simile ingens damnum præcaveret. Cujus eam rationem assignat, quia in illo eventu pœnitens tenetur vel per se ipsum peccatum revelare, vel sacerdoti permittere ut revelet ; vel si neutrum vult, absolvendus non est ; et tamen licet de facto hæc ita contingant, confessio odiosa non fit, nec pœnitentes ab ea arcentur : ergo nec arcerentur ex quo sacerdoti licitum esset in eo particulari casu sigillum aperire. Patet consequentia, siquidem adhuc in præsenti rerum dispositione vult pœnitens accedere ad confessionem, esto certo sciat quod a sacerdote impellendus sit ad criminis manifestationem.

Non, inquam, refert : nam si absolute sacerdoti liceret in aliquo urgentis necessitatis eventu sigilli vinculum aperire, prudenter pœnitentes timerent ad confessionem accedere ; tum quia re vera occurrere poterat casus ille, in quo sacerdos pro suo arbitrio, et absque pœnitentis consensu, hujus crimina licite propalaret : quod proculdubio pœnitentes a confessione deterreret. Tum etiam : quia semel dato sacerdotem posse in aliquo casu confessionem revelare, nunquam pœnitentes de suorum peccatorum occultatione securi essent, quippe qui timere poterant ne sacerdos ob ignorantiam, zelum, aut passionem apprehenderet sibi licitam peccati revelationem in isto aut in illo casu, qui re vera casus necessitatis non existerent : non enim facile est inter casum veræ necessitatis, et apparentis discernere. Unde si revelatio sigilli in aliquo casu liceret, confessio etiam in aliis ob timorem odiosa fieret. In præsenti autem rerum dispositione nullum adest motivum pœnitentibus ut a confessione arceantur : etenim sacerdos peccata revelare non potest sine pœnitentis consensu, atque ideo licet dum casus necessitatis urget, possit absolutionem non impendere, si pœnitens criminis manifestationem non permittit ; nihilominus absolute loquendo ex solo pœnitentis arbitrio pendet illius criminis manifestatio : potest enim utrumlibet extremorum seligere, vel absolutionem, et peccati propalationem, vel utriusque carentiam; ipso autem renuente, sacerdos non revelabit peccatum, esto illius notitiam habeat. Cujus oppositum contingeret, si sigillum vim obligandi in omni eventu non obtineret. Præcluditur.

§ II.

Argumenta assertioni adversa convelluntur.

22. Opposita sententia tribuitur Altisiodorensi lib. 4, tract. 6, cap. 3, quæst. 4, asserenti licitum esse revelare confessionem Patri, aut Prælato, ut filium aut subditum corrigat ; ac etiam ad illicitum matrimonium impediendum, vel ad magnam populi ruinam vitandam. Duplicem tamen subdit conditionem ; et quod ex licentia Episcopi id fiat, et dummodo confessio odiosa non fieret. Cui etiam adhærere

Gabriel. videtur Gabriel in 4, dist. 21, quæst. 1, art. 3, casu 4, ubi docet confessionem revelari posse ubi damnum grave imminet confessario vel in vita, vel in fama, vel in bonis. Hanc autem sententiam non solum D. Thomas, ut supra vidimus, sed et alii Theologi erroneam censent. Et quidem prior limitatio, aut conditio, quam Altisiodorensis apponit, nihil refert : cum enim sigilli vinculum vim obligandi ex jure divino sortiatur, nec Episcopus, nec Summus Pontifex sacerdotem licentiare potest ut confessionem revelet. Imo licet id sub excommunicatione præciperent, illis obtemperandum non esset, ut docet D. Thomas in 4, dist. 21, q. 3, art. 1, quæstiunc. 1, ad 2. Secunda vero minus prodest : nam esto contingere posset confessionem per accidens odiosam non fieri respectu ipsius pœnitentis, si ita secreto ejus peccatum, et persona revelarentur, ut nec ipse intelligeret ; nihilominus nequit non fieri odiosa in communi, et per se, cum omnes ægre ferant sua crimina alteri revelari ; unde si scirent id licitum esse sacerdoti, a confessione arcerentur. Per quod patet ad primum casum hujus Authoris : non enim pœnitentes auderent peccata sacerdoti detegere, si hæc licite deferri possent ad pœnitentis patrem, aut superiorem ob correctionis finem ; sed hæc omnino secreta esse debet inter pœnitentem, et sacerdotem, cui ex vi proprii muneris tota incumbit cura corrigendi pœnitentem. Quod si a peccatis desistere nequit, minime absolvendus est : quippe futura patris aut superioris correctio efficere nequit ut pœnitens, dum actu absolvitur, capax absolutionis existat ; sed ad summum deservire potest ut in posterum capax efficiatur. Ad secundum autem casum etiam liquet id illicitum esse : tum quia testimonium sacerdotis ex confessionis notitia nullam vim habet, nec fidem facit in foro exteriori, ut constat ex cap. *Dilectus* de excessibus Prælatorum ; et ex cap. 2, de Officio Ordin. Subindeque, etiam si mortuus sit pœnitens, nequit illius confessio propalari ad illicitum matrimonium impediendum. Tum etiam : quoniam sigilli vinculum, ac pœnitentis fama semper observanda sunt, etiam, post pœnitentis mortem : quippe id necessarium est ad sacramenti conservationem, alioqui si vel post pœnitentis mortem ejus peccata revelari possent, ea viventes confessioni subjicere formidarent. Ad reliquos vero casus ex infra dicendis constabit.

23. Arguitur ergo primo ex Conciliis : L. nam in Carthaginensi 7, cap. 5, relato in cap. *Placuit* 9, q. 2, habetur quod si subditus neget crimen, quod Episcopus revelat, non ob id Episcopus censeat sibi injuriam aliquam fieri : ergo videtur Concilium supponere licitum esse Episcopo crimen sui subditi, in confessione sibi notum, in aliquo casu revelare. Similiter in Maguntino cap. 10, et 21, significatur olim in usu fuisse, ut quædam peccata in confessione audita sub secreto detinerentur, quædam vero propalarentur. Id quod etiam roborari valet ex antiqua Ecclesiæ praxi injungendi pro peccatis publicas pœnitentias ; quod fieri non poterat absque manifestatione peccatorum, quæ clavibus subjiciebantur.

Respondetur in Concilio Carthagi- So nensi sermonem non fieri de confessione sacramentali, sive de revelatione peccati, cujus notitiam intra sacramentum Episcopus acquisivit ; sed de revelatione criminis, quod aliunde extra confessionem novit. Nec ibi verbum aliquod extat, quod oppositum innuat. Maguntinum autem non loquitur de publicatione peccatorum a sacerdote, sed a pœnitente spontanee facienda. Quod interdum ex honesto motivo fieri posse, constat ex Tridentino sess. 14, cap. 5, illis verbis : « Et « si Christus non vetuerit quin aliquis in Cc « vindictam suorum scelerum, et sui hu- Tr « miliationem, tum ob aliorum exemplum, « tum ob Ecclesiæ offensæ ædificationem, « delicta sua publice confiteri possit ; non « est tamen hoc divino præcepto manda- « tum. » Ad augmentum vero difficultatis dicendum est, initio Ecclesiæ ob recentem Christi sanguinem, insignemque fidelium fervorem, non solum pœnitentias publicas injungere assuevisse, verum, et pœnitentes libella peccatorum tradere sacerdotibus, ut in Ecclesia recitarentur. Inde tamen minime evincitur licuisse unquam sacerdotibus confessionem manifestare, cum ea omnia ex pœnitentium consensu, ad eorumque petitionem fierent. Quod si interdum ob peccata publica ad publicas pœnitentias cogebantur, quemadmodum, et modo cogi possunt

possunt, ut tenet communis Doctorum sententia contra unius Navarri placitum ; id utique potuit etiam fieri, quin sacerdotes confessionem prodereut, aut sigillum violarent. Cujus duplicem rationem, assignat D. Thomas in 4, dist. 14, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 1, ad 1. Tum, quia culpa non certo scitur ex pœna : publicæ namque pœnitentiæ, uti sunt peregrinationes, ferrea pondera bajulare, vicatim flagellis cædi, et similia, satis frequenter ex diversis motivis fiunt, vel ex devotione, vel pro aliorum culpis. Unde ex quo quis publice pœniteat non recte infertur eam pœnitentiam a sacerdote fuisse injunctam, et confessionis esse manifestativam. Tum etiam, quia esto ibi aliqua suspicio, aut peccati manifestatio intercedat, ea non fit a sacerdote, sed ab ipso pœnitente consentiente, ac exequente pœnitentiam publicam ; alias absolvendus non esset, nisi sub ea conditione ad justam punitionem, et vindictam sui peccati necessaria. Et quidem si sacerdos confessionem non manifestat, ubi pœnitenti onus imponit expostulandi veniam ab alio, quem injuriavit ; nec ubi illum cogit ad propalationem sui peccati, ut remedium communi damno adhibeat ; non est cur confessionem manifestare dicatur, dum ob peccatum publicum publicam pœnitentiam injungit, ut ita pœnitens cum aliis, quos exemplo suo offenderat, reconcilietur. Videantur Soto in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 5, Vasquez quæst. 94, art. 2, dub. 2, et N. Franciscus cap. 10, punct. 3, num. 39.

24. Arguitur secundo : quia æque de jure divino est integritas confessionis, atque observatio sacramentalis sigilli ; sed confessionis integritas non est adeo indispensabiliter observanda, ut sæpe non liceat peccatum aliquod in confessione omittere : ergo similiter, esto observatio sacramentalis sigilli ex jure divino urgeat, non adeo indeficientem vim obligandi affert, ut in aliquo eventu licitum non sit revelare confessionem. Consequentia ex paritate rationis liquet. Major autem constat ex dictis disp. 8, dub. 3, ac ex Tridentino sess. 14, cap. 7, ubi definitur confessionis integritatem esse de jure divino. Minor vero est communis sententia, quam disput. cit. dub. 7, statuimus, asserentes non teneri pœnitentem ad confessionis integritatem, ubi adest impotentia physica, vel moralis.

Huic argumento dupliciter respondet Gonet disp. 11, art. 1, § 2. Primo, non omnem confessionis integritatem esse de jure divino, sed eam dumtaxat, quæ est moraliter in potentia pœnitentis ; hæc autem semper obligat, nec assignabilis est casus, in quo pœnitenti liceat emittere confessionem non integram formaliter, quamvis plures adduci possint, in quibus non teneatur confessionem materialiter integram facere. Sed hæc responsio difficultatis propositæ robur non enervat : Tum quia cohærere non videtur Tridentino Can. in objectione relato, dicente : « Si « quis dixerit, in sacramento pœnitentiæ « ad remissionem peccatorum necessa- « rium non esse jure divino confiteri om- « nia, et singula peccata mortalia, quorum « memoria cum debita et diligenti præme- « ditatione habeatur, etiam occulta, quæ « sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, « et circumstantias, quæ peccati speciem « mutant, etc., anathema sit. » Hæc autem utramquè integritatem formalem, et materialem esse de jure divino, satis perspicue ostendunt : quippe ly *omnia, et singula peccata* ad materialem spectat, ut ex se liquet. Tum etiam, et præsertim, quia responsio principium exposcit : nam dicere, solam integritatem formalem, aut eam, quæ est moraliter in potentia pœnitentis, esse de jure divino, nihil aliud est quam asserere pœnitentem non teneri in omni eventu ad confessionem omnium peccatorum, sed eorum dumtaxat, quæ potest absque notabili damno proprio vel alieno, in quo moralis potentia consistit. Cur ergo similiter dicendum non erit de observatione sigilli, quod nimirum sacerdos solum teneatur ad celandam confessionem ubi moraliter potest absque gravi detrimento proprio, aut communi ; non vero ubi horum aliquod imminet, ut objectio intendit ? Itaque ut res perspicua fiat, demus pœnitentem esse peste aut alio contagioso morbo infectum, et sacerdotem non posse omnia peccata absque manifesto periculo ejusdem contagii audire. In hoc eventu, ut communis sententia tenet, cui vel ipse Gonet adhæret disp. 10, art. 2, num. 40, necessarium non est integram confessionem continuari, sed accelerari potest, ali-

Solutio ex Gonet.

Improbatur. Tridentin.

quibus vel multis peccatis tunc omissis, et non confessis. Quemadmodum igitur in hoc eventu præceptum divinum non obligat nec pœnitentem ad integre confitendum, nec sacerdotem ad integram confessionem audiendam, sed uterque excusatur ratione contagii, aut periculi vitæ imminentis sacerdoti ; cur etiam simile vitæ periculum sacerdotem non deobligabit a retentione sigilli, illumque efficiet moraliter impotentem ad alicujus peccati occultationem ? Nulla in tradita solutione disparitatis ratio assignatur, ut consideranti constabit. Unde aliam viam evadendi difficultatem proponens.

Alia solutio.

25. Respondet secundo, omissis præmissis negando consequentiam ; disparitatis autem eam rationem assignat, quod licet utrumque præceptum de jure divino sit ; illud tamen, quod penes integritatem versatur, est affirmativum, proindeque solum urget quando, et quomodo expediens apparet. Ex quo fit, quod si in aliquo casu aliter expedire prudenter censetur, licitum erit confessionem non integram efficere. Præceptum vero de sigilli observatione est negativum, ideoque semper, et in omni eventu obligat : ea quippe est negativi præcepti natura, ut semper, et pro semper urgeat.

Rejicitur.

Verum, et hæc responsio nihilo melior præcedenti est. Tum, quia præceptum de integritate confessionis, licet quoad sensum, ac specietenus videatur affirmativum, in re tamen saltem quoad præsens negativum est, utpote quod prohibet absolutionis receptionem sine integra peccatorum manifestatione. Unde fit hujusmodi præceptum peccato commissionis violari ; quod esse negativum demonstrat. Ergo ad diluendam difficultatem nulla est assignata differentia. Tum etiam ; nam quidquid sit, an prædictum præceptum sit vel non affirmativum, plura alia sunt negativa, quæ non semper, et in omni eventu obligant, quod patet in præcepto de naturali secreto non revelando, quod æque negativum est atque præceptum confessionem non detegendi ; et tamen plures sunt casus, in quibus secretum naturale observari non debet. Liquet similiter in præceptis non occidendi, non accipiendi rem alienam, quæ non violantur ubi quis cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem occidit, nec ubi extrema necessitas rem alterius accipere compellit. Quod igitur præceptum non revelandi confessionis sigillum sit negativum, ratio sufficiens non est ad asserendum in omni eventu constringere.

Id quod amplius innotescet, observando præcepta negativa esse in duplici differentia. Quædam enim prohibent res ex se, et ab intrinseco malas objective, et absolute independenter a qualibet conditione, aut circumstantia ; eo quod secundum se acceptæ opponuntur alicui ex divinis perfectionibus, ut contingit in præceptis non odio habendi Deum, non blasphemandi, non mentiendi, non conculcandi Eucharistiam, et similibus, quæ ex se repugnant summæ Dei bonitati, veracitati, ac honori, aut dignitati Christi. In his autem nec materia præcepti unquam deficere potest, nec mutari ab inhonesta in honestam, ita ut ratione alicujus circumstantiæ advenientis jam res prohibita non sit mala. Ex quo fit, hujusmodi præcepta in omni eventu, et pro semper urgere, nec in illis dispensationem aliquam cadere posse. Quædam vero interdicunt actiones, quæ non ita absolute sunt inhonestæ, sed prout sub determinatis circumstantiis exercentur, quibus deficientibus, aut mutatis, deficit vel subtrahitur materia præcepti, quod proinde non violatur, ut in præcepto non accipiendi, aut retinendi rem alterius cernere est : retentio quippe, aut acceptio rei alterius non est absolute mala, nec prohibita, sed solum prout invito Domino rationabiliter, et prout adest potentia, aut opportunitas restituendi. Similiter in hominis occisione contingit, quæ solum est mala, et prohibita ut injusta. Ubi autem illæ circumstantiæ deficiunt, aut variantur, vel quia ea est occisio hominis invasoris cum moderamine inculpatæ tutelæ, vel quia Dominus rei ablatæ aut retentæ non censetur rationabiliter invitus, vel quia opportunitas restituendi non adest, aut summa necessitas urget, quo eventu omnia bona reputantur communia, prædictæ actiones prohibitæ non sunt, subindeque nec peccaminosæ. Idemque judicium fieri debet, si Deus rei dominium in ipsum auferentum transferat, ut re ipsa factum est ubi Hebræi divina authoritate Ægyptios expoliavere. Et horum instar se habent etiam negativa præcepta secretum naturale non revelandi,

non

non comedendi carnes in die Veneris, non celebrandi Missam sine vestibus sacris; quæ similiter solum urgent ubi requisitæ circumstantiæ variationem non subeunt, nec materia præcepti subtrahitur.

rior rsio. Hinc autem ulterius refellitur prædicta responsio : etenim ea præcepta negativa obligant semper, et in omni eventu, quæ prohibet rem ex se, et ab intrinseco turpem objective, et absolute, sicut mentiri, blasphemare, et similiter prioris generis ; atqui revelare confessionem non est ex se malum objective, et absolute : ergo ex quo præceptum de confessione non revelanda negativum sit, minime habetur obligare in omni eventu. Major ex præmissa notabili constat. Minor vero, in qua poterat esse difficultas, ostenditur. Tum quia in præceptis prohibentibus res ab intrinseco, et objective malas nulla dispensatio cadere potest ; constat autem Deum posse dispensare in præcepto non revelandi confessionem ; in hoc enim nulla implicatio apparet : ergo. Tum etiam : nam Christus Dominus potuit absolute sacramentum pœnitentiæ instituere, quin adeo strictam sigilli obligationem, qua de facto premimur imponeret ; quod fieri non posset, si revelare confessionem ex se, et ab intrinseco malum esset. Aliud igitur discrimen assignandum est, ex quo oriatur sigilli præceptum in omni eventu constringere ; non vero præceptum integre confitendi.

ra tio. 26. Itaque ad argumentum omissis præmissis neganda est consequentia. Ratio autem differentiæ inter utrumque præceptum ex duplici radice venari debet. Primo, et quidem a priori, ex ipsa sacramenti institutione, ac voluntate Christi Domini legislatoris supremi, qui voluit præceptum sigilli omnimodam extensionem habere, nulliusque casus exceptionem admittere ; præceptum vero integre confitendi non ita universaliter omnem eventum comprehendere, sed pati exceptiones ubi physica aut moralis impotentia existit. Christum autem rem ita disposuisse circa præceptum sigilli, nobis notissimum est, et ex Summorum Pontificum declarationibus, et ex communi Theologorum sententia, et ex generali fidelium consensu, totiusque Ecclesiæ praxi, ac acceptatione, quæ vim Apostolicæ traditionis habet, ut num. 19 explicuimus. Limitatio vero præcepti integre confitendi constat similiter ex eisdem principiis, quæ disp. 8, dub. 7, num. 211, apposuimus, et præsertim ex declaratione Concilii Tridentini sess. 14, cap. 5, ubi docet Christum Dominum ita voluisse omnia mortalia post Baptismum commissa Ecclesiæ clavibus subjici, ut nihilominus non præceperit impossibilia, uti est confiteri, quæ homo ignorat per inculpabilem oblivionem, aut quæ per similes causas recensere non potest. Quod plane congruit, et suavi Dei providentiæ, et hominum imbecillitati, et opportuno usui hujus sacramenti adeo ad salutem necessarii. Si enim in nullo eventu, et ob nullum motivum ab omnium, et singulorum peccatorum declaratione deobligaremur, omnes ad pœnitentiam vererentur accedere : quippe qui prudenter timerent ne peccatum aliquod, ob oblivionem saltem, inconfessum relinqueretur. Imo nec absolvi possent qui in articulo mortis constituti omnia peccata prodere non valerent. Id autem credere a Deo ita fuisse dispositum, nimium ejus pietati derogaret. Recolantur, quæ disp. præced. num. 206 statuimus, ubi similem objectionem eadem doctrina amplius expensa dissolvimus. Concil. Trident.

Secundo discriminis ratio desumenda est ex fine intento a Christo Domino in utriusque præcepti impositione. Nam finis adæquatus in præcepto sigilli est pœnitentiæ sacramentum lapsis post Baptismum simpliciter ad salutem necessarium in Ecclesia conservare, illiusque usum suavem ac tolerabilem reddere. Hic autem finis in omni eventu persistit, et præponderat, ac excedit quodcumque aliud bonum sive particulare propriæ salutis, vitæ, aut divitiarum, sive commune Reipublicæ, aut totius Regni. Cum ergo juxta generalem Theologorum sententiam tamdiu præceptum urgeat, quamdiu illius finis adæquatus persistit, consequens est ut fine præcepti sigilli in omni eventu persistente, et nusquam cessante, nunquam similiter ejus obligatio deficiat, sed in omni rerum contingentia premat. Finis autem præcepti integre confitendi rem adeo ingentis momenti non affert, sed aliam inferioris ponderis : quippe obligatio detegendi omnia, et singula peccata tam in specie quam in numero, et circumstantiis speciem mutantibus, ut ex Tridentino sess. 14, cap. 5,

colligitur, præcipue ordinatur, ut sacerdos, qui in pœnitentiæ sacramento judicis, et medici munus exercet, undique rei causam, et infirmi statum cognoscat, ut in prolatione sententiæ æquitatem judicii servet, convenientem satisfactionem pro culpis imponat, et opportunam pro qualitate morborum medicinam adhibeat. Hujusmodi vero finis vel ab alio superari potest, vel interdum cessare, et de facto deficit in plurimis casibus, quos disput. præced. dub. 6 et 7 expendimus, in quibus pœnitens a materiali confessionis integritate deobligatur. Ubi enim quis in articulo mortis constitutus, et vita desperatus, nequit ob infirmitatis angorem omnia, et singula peccata declarare, prædictus finis omnino cessat; siquidem nec pœnitentia culpis proportionata ante mortem mandari potest executioni, nec medicina animæ vulneribus adhiberi, aliundeque æterna pœnitentis salus, quæ majus bonum est, ex prompta sacerdotis absolutione pendet. Idemque contingit ubi multi simul in eodem articulo mortis constituti existunt, v. g. in naufragiis, terremotibus, incendiis, aut prœliis, et unus vel pauci sacerdotes pro eorum confessionibus excipiendis inveniuntur: ibi enim ex una parte impossibile est omnes integre materialiter confiteri, proportionatasque pœnitentias executioni mandare; et ex alia si sacerdos uni aut aliquibus exactam confessionem audiens adesset, alii sine beneficio absolutionis perirent. Cum igitur in his, et similibus casibus finis præcepti integre confitendi deficiat, et alias ex quo in illis confessio integra non fiat, sacramentum odiosum non reddatur, sed potius suave, et amabile, cujus oppositum in revelatione sigilli contingit, patet inter utrumque præceptum distinctio, et cur sigillum nullam patiatur exceptionem, integritas autem confessionis non semper urgeat.

Argument. 27. Tertio arguitur: nam contingere potest sacerdotem in administratione sacramenti pœnitentiæ grave peccatum committere, quod postea ipse confiteri non possit, quin pœnitentem, et confessionem sibi factam prodat; sed id hoc eventu tenetur ad revelandam pœnitentis confessionem: ergo in aliquo eventu licet revelare sigillum. Major patet: etenim contingens est, quod unus sacerdos errante clave graviter peccet absolvendo alium sacerdotem a peccato, cui censura, et irregularitas annexa est, ob quem errorem excommunicatus postmodum celebrat. In quo eventu, si non sit nisi alter tertius sacerdos, cui fiat confessio, non potest prior, qui male absolvit, suum peccatum detegere, quin confessionem audiens intelligat quisnam fuerit male absolutus. Simile esset, si sacerdos accederet ad unicam sororem, quam habet, putans ignorantia pure vincibili esse aliam mulierem, quæ postea fratri suo confitetur se esse eam mulierem, ad quam accessum habuit: hic enim, si non sit nisi alter sacerdos, qui scit unicam illi esse sororem, nequit suum peccatum incestus confiteri, quin sororis confessionem prodat, vel saltem utatur notitia peccati habita in confessione. Minor autem, quæ difficultatem præsefert, ostenditur. Tum, quia fortius ligat præceptum integre confitendi, quam sigilli; siquidem integritas est de essentia sacramenti, non autem sigillum; sed ut sacerdos integre confiteatur, necessarium est confessionem sibi factam revelare: ergo ad id tenetur. Tum: quia sigillum institutum est propter integritatem confessionis servandam, cui proinde potius quam sigillo consulendum est. Tum præterea: nam sacerdos ille potius tenetur consulere suæ saluti integram confessionem emittendo, quam famæ proximi sigillum observando. Tum denique: quia sacerdos solum obligatur ad non manifestandum pœnitentis peccata alteri ut homini extra confessionem; in casu autem quæstionis dumtaxat manifestantur alteri ut Dei Ministro, et intra aliam confessionem, ita ut maneant sub sigillo.

Gabriel in 4, dist. 21, quæst. 1, art. 3, dub. 1, casu 5, asserit, licitum esse sacerdoti in casu argumenti revelare confessionem; et quidem si consequenter loquatur, asserere debet necessarium esse id ita fieri, ut consideranti constabit. Quam sententiam probabilem censet Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5. Ceterum alii Doctores eam communiter rejiciunt ut falsam, et improbabilem. Itaque ad argumentum respondetur admittendo casum, aut casus in eo depictos, qui tamen vix aut nunquam contingere possunt, et negando minorem, cujus adhibitæ probationes non urgent. Non prima: nam ut ex hactenus dictis

dictis patet, strictius urget sigilli vinculum, quam confessionis integritas. Nec verum est omnem integritatem esse de essentia sacramenti, sed dumtaxat formalem ; materialis autem adeo necessaria non est, ut semper observari debeat, quin sæpe plures occurrunt causæ ab ea excusantes, inter quas nulla gravior quam observatio sigilli. Unde ex communi Theologorum doctrina statuimus disput. præcedent. dub. 7, num. 215, pœnitentem deobligari a manifestatione peccati, quod prudenter timet revelandum a sacerdote. Ex quo liquet hujusmodi materialem integritatem cedere arctissimo sigilli præcepto.

Non secunda : tum quia esto sigillum ordinetur ad conservandum sacramentum, ejusque integritatem : nihilominus majus detrimentum subiret integritas confessionis ex licentia ad loquendum in prædicto casu, quam ex obligatione ad tacendum : etenim ex ea licentia solum servaretur integritas in quodam particulari, et determinato eventu ; sed inde occasio, et ansa pararetur pœnitentibus sæpius confessionem dimidiandi, timore ne sua peccata alteri revelarentur. Tum etiam : quoniam sigillum dumtaxat ordinatur ad conservationem sacramenti, et illius integritatis eo modo quo a Christo Domino instituta, et præcepta sunt ; ex Christi autem institutione, et præcepto solum habetur quod integritas formalis sit de essentia sacramenti, et quod tam hæc, quam materialis in voto, et proposito sumpta semper observari debeant, ut explicuimus disp. præced. dub. 7, num. 212. Et ad istarum conservationem ordinatur per se vinculum sigilli. Integritas autem materialis exercita non obligat ex Christi præcepto in omni eventu, sed dumtaxat communiter, et regulariter ubi physica aut moralis impotentia non adest ; et ad istius etiam ut sic acceptæ conservationem ordinatur confessionis secretum. An autem in casu objectionis urgeat vel non præceptum observandi integritatem materialem, etiam cum dispendio sigilli, est difficultatis scopus. Unde hæc secunda argumenti probatio principium exposcit. Asserimus itaque sacerdotem in eo eventu non teneri confessionem integram materialiter emittere, nec id sibi licere : si enim ubi quis timet sibi vel alteri grave damnum, ab ea deobligatur, cur similiter in præsenti non deobligabitur ob non violationem sigilli, cum hoc adeo strictam vim obligandi afferat, ut etiam cum propriæ vitæ jactura observari debeat.

Non tertia : quoniam in eo eventu necessarium non est ad propriam sacerdotis salutem integra illius peccati manifestatio ; potest enim sufficienter saluti consulere, confessionem integram formaliter emittendo, ut in aliis casibus contingit, in quibus licet peccatum aliquod subticere. Et quidem si sacerdos duorum confessionem audiens, et ex declaratione unius deprehendens alium indigne aut non integre confiteri, non potest ex vi hujus notitiæ illi absolutionem denegare, nec aliquid dicere unde prioris confessionem revelet, quin inde sequatur sacrilegium committere, aut propriæ saluti non consulere ; a fortiori id ipsum dicendum est in præsenti, et quod nullum damnum sibi infert occultatione illius circumstantiæ, ex cujus manifestatione alterius confessio proderetur. Non denique ultima ; quippe sigilli vinculum non solum cogit sacerdotem ad non revelandum confessionem alteri ut homini, verum etiam ad eam non manifestandam alteri ut Dei Ministro ; alioqui posset sacerdos quamcumque confessionem sibi factam aliis, et aliis sacerdotibus intra sacramentum revelare, cum ea peccata semper sub sigillo relinquerentur, quod est principium ab arguente assumptum. Id autem asserere nemo audebit, cum inde sacramentum odiosum paretur : negari enim nequit summe pœnitentibus displicere peccata, quæ semel sub secreto sacerdoti commiserunt, ab eo ad alios sacerdotes etiam intra sacramentum deferri ; ideoque ea licentia pœnitentes arceret a confessione.

28. Dices, hinc sequi pœnitentes non teneri ad confessionem peccati, quod manifestare non possunt, quin sacerdos in notitiam complicis veniat ; oppositum autem docuimus disp. præc. dub. 7 a num. 220, et deinceps : ergo doctrina in solutione tradita nulla est. Sequela ostenditur : nam etiam ex manifestatione peccati complicis confessio fit ipsi odiosa, cum ex ea manifestatione sequatur ejus infamia apud confessarium. Rep'ica.

Respondetur negando sequelam, cujus Solvitur.

probatio non urget ob satis notam disparitatis rationem utrobique intercedentem. Etenim in casu argumenti si sacerdos ad confitendi proprium peccatum, in administratione sacramenti commissum, pœnitentis peccata manifestaret, confessio fieret per se odiosa; cum absque pœnitentis culpa ejus peccata semel sub sigillo commissa ad alios deferrentur, ac ejus famam, ad quam jus habet, minuerent. Quod plane timentes sæpe contingere posse ob malitiam, imprudentiam, aut scrupulum sacerdotis, motivum arriperent ad non accedendum ad confessionem. In replicæ autem eventu oppositum contingit : nam ubi duo extra confessionem in eodem peccato communicant, quod ab uno confiteri nequit absque complicis manifestatione, nullum recedendi a confessione motivum adest : siquidem nunquam sigillum aperitur, nec peccatum, quod sacerdos semel sub secreto accepit, alteri manifestat. Quod autem ad integram confessionem faciendam pœnitens cogatur complicem prodere ; ex quo huic aliqua infamia sequatur, id non sacramento, nec sacerdoti adscribendum est, sed ut Suarius docet, malitiæ ipsius complicis, qui ubi peccavit, quasi suo juri cessit, et illi periculo se exposuit. Ex quo fit confessionem per se odiosam sibi non fieri, sed ad summum per accidens, et quasi in abstracto, et secundum se ratione peccati ipsius complicis extra confessionem patrati ; ad eum modum quo in reservatione peccatorum contingit : quippe peccatum aliquod soli Pontifici, cui reservatum est, confiteri, gravamen adducit, confessionemque saltem specie tenus odiosam reddit ; id tamen respectu reservationis per accidens est, et ipsi peccatori in causa volitum, dum peccatum committit. Eo præsertim, quod in casu argumenti obligatio sacerdotis non detegendi confessionem sibi factam oritur ex præcepto sigilli, quod fortius ligat, quam integritas confessionis, huicque proinde præferendum est utpote bonum commune conservationis sacramenti importans. In replicæ vero contingentia obligatio non manifestandi complicem præcise oriri posset ex præcepto famam proximi non diminuendi. Hoc autem præceptum non obligat absolute, sed suppositis circumstantiis ex parte finis, et ubi majus bonum non adest famæ proximi præferendum ; quod in præsenti invenitur. Nam integritas confessionis, spiritualis fructus ex ea percipiendus, confidentia propriæ salutis, congrua proprio vulneri medicina, solatium ac sapientis sacerdotis consilium, qui majus bonum sunt quam conceptus, aut existimatio complicis apud confessarium, illisque proinde cedere debet. Unde quemadmodum pœnitens ob bonum commune, aut ipsius complicis, vel alterius innocentis posset illud peccatum alicui viro docto, aut etiam confessario manifestare, ita etiam ob recensita bona ipsi pœnitenti obvenientia.

29. Quarto arguitur : nam præcepta etiam divina, quæ non prohibent res ab intrinseco malas, non obligant cum dispendio boni communis ; sed præceptum sigilli non prohibet rem ab intrinseco malam : ergo cum boni communis jactura non obligat. Major est communis Theologorum doctrina, quam tradit N. Andreas tract. 11, cap. 2, punct. 7, num. 127. Minor autem constat ex supra dictis, præsertim a num. 25. Consequentia vero est legitima. Tunc sic ; sed contingere potest bonum commune ex revelatione sigilli pendere : ergo in hujusmodi eventu sigilli vinculum non urgebit. Minor subsumpta ostenditur : etenim contingens est, sacerdotem per confessionem deprehendere pœnitentem vel alium contra Civitatem machinasse, eamque subvertendam secreto inimicis tradidisse ; imo, id quod plus est, posset etiam sacerdoti per confessionem innotescere nefandissimam hæresim in Ecclesiam inserpere, et aliam viam occurrendi his damnis non apparere quam per revelationem sigilli, quo medio facile præciderentur. Eo vel maxime, qui in hoc eventu bonum commune totius Ecclesiæ præferri debet bono particulari ipsius pœnitentis.

Respondetur ad argumentum admittendo primum syllogismum in sensu statim explicando, et negando minorem subsumptam, cujus probatio non urget. Etenim licet Civitatis eversio, ac nefanda hæresis absolute loquendo censeantur damna communia ; nihilominus in casu argumenti censentur detrimenta particularia. Cujus ratio est, quia inter ipsa damna communia quædam sunt universaliora, et majoris ponderis ; quædam vero minus universalia, ac inferioris momenti : majus enim est detrimentum

detrimentum Regni, quam Provinciæ, et istius damnum universalius est, quam urbis determinatæ. Quocirca ubi plura hujusmodi occurrunt, minus universalia respectu universaliorum tanquam particularia habentur, ac illis cedent. Ex quo fit, quod ubi præceptum intendit damnum aliquod universale præcidere, obligat etiam cum detrimento boni communis minorem universalitatem importantis. Igitur Civitatis, aut etiam Regni eversio, si absolute consideretur, aut conferatur cum damno, quod pœnitens ex revelatione sigilli acciperet, detrimentum commune est. Si vero referatur ad sacramenti pœnitentiæ destructionem, quæ sequeretur ex licentia revelandi sigillum, tanquam particulare, et longe inferioris ponderis reputatur : quippe si ab initio sacerdotibus licuisset in gravissima necessitate confessionem aperire, magna ex parte Ecclesia fructu ac utilitate hujus sacramenti caruisset, quod plane majus detrimentum est, quam cujusvis Civitatis eversio. Quod idem dicimus etiam si comparatio fiat cum hæresi, quam sacerdos per confessionem cognosceret in Ecclesiam inserpere : non enim plus Ecclesiæ noceret, quam licentia revelandi sigillum, ex qua suavis ac tolerabilis confessionis usus periret. Et quidem nec per tot sæcula ad ea damna præcavenda sigillum aperire opus fuisse experientia testatur. Alia itaque via, ac prudentia, inquit Sotus, illis occurrendum est, ita ut sacerdos generalibus verbis admoneat eos, quibus periculum creatur, ut sibi prospiciant, et caveant damna, quæ contingere possunt. Quod etiam perspicue adnotavit D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 1 ad 1: « Tamen aliquod « remedium adhibere debet in prædictis « casibus, quantum potest sine confessionis « revelatione, sicut monendo eos, qui con- « fitentur, et aliis diligentiam apponendo, « ne corrumpantur per hæresim. Potest « etiam dicere Prælato, quod diligentius « invigilet super gregem suum ; ita tamen « quod non dicat aliquid, per quod verbo « vel nutu pœnitentem prodat. »

30. Ultimo arguitur : Etenim si sacerdos interrogetur, an tale peccatum in confessione, et tanquam Dei minister noverit, quod re vera ita est, veritatem aperire cogitur : ergo saltem in hujusmodi eventu licet confessionem revelare. Suadetur antecedens : nam si taceat, et negare nolit, eo ipso pro confesso reputabitur: quippe silentium illud vehementem ingereret suspicionem, præsertim si maritus zelotipia ardens id interroget, qui ex ea sacerdotis taciturnitate sibi quasi certo suadebit rem ita esse ; alioqui sacerdos palam, et absque hæsitatione negaret. Negare autem non potest; cum in nullo eventu mendacium proferre liceat ; siquidem re vera peccatum illud sibi tanquam Dei Ministro in confessione innotescit. Quocirca in præsentiarum supposito eo modo expresso interrogandi, locum non habet verbum *nescio* subintellecto *ut homo*, vel *ut tibi dicam* : hæc enim limitatio, aut restrictio exclusa est per mentem expresse interrogantis an ut Dei minister sciat? Et pro majori casus urgentia supponamus sacerdotem a Tyranno sibi mortem minitante compelli ad jurandum an illud peccatum intra confessionem noverit ; tunc enim si juramento neget, non apparet cur a sacrilegio perjurii excusandus sit.

Hic palam est casus, quem admittit Gabriel in 4, dist. 21, quæst. 1, art. 3, dub. 1, cas. 3, asserens sacerdotem vocatum in testem, et ad jurandum compulsum teneri ad prodendam confessionem, ne si neget, perjurus existat. Hanc tamen sententiam communiter Authores rejiciunt, imo erroneam censent, de quo videri potest Vasquez quæst. 93, artic. 4, dub. 11, et 12, et Lugo ubi supra sect. 4. Sotus autem vim argumenti elidit, asserendo in eo eventu acriter respondendum esse Tyranno sacramentum exprobranti, christianam religionem præcipere de his, quæ confessioni sacramentali subduntur, in neutram partem quidquam esse dicendum. Id quod acrius, et efficacius reprobissimo christiano confessionis secretum vi extorquere conanti respondendum foret. Quod si in utroque eventu modus hiccine respondendi non sufficeret, sed mors sacerdoti immineret, ea potius esset subeunda, quam confessio revelanda. Verum ista responsio aliis displicet, quippe quæ argumenti vim non evacuat : quamvis enim salvet sacerdotem expresse confessionem non revelare, eam tamen suspectam reddit, et quasi implicite prodit; cum ex ea neutralitate respondendi ansam Tyrannus aut fidelis improbus sibi assumat ad judicandum rem ita esse, ut ab

Sotus.

eo quæritur. Quocirca idemmet Sotus vi objectionis compulsus, Opusc. de tegendo secreto, membr. 3, quæst. 3, tandem concessit id, quod et alii Doctores docent, posse sacerdotem in eo casu simpliciter negare se peccatum illud audivisse, si remedium aliud non superesset.

Observ. 1. 31. Igitur ut id palam innotescat, supponendum est, quod si sacerdos absolute interrogetur, an tale peccatum audierit, aut sciat, non addito interrogante an intra vel extra confessionem ? Posse absolute respondere *non audivi*, aut *nescio*, imo, et id, si necessitas urgeat, juramento firmare, D. Tho- ut expresse tradit D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. 1, ad 3, ubi ait : « Dicendum quod homo non adduci- « tur in testimonium nisi ut homo, et ideo « absque læsione conscientiæ potest jurare « se nescire quod scit tantum ut Deus. » In quo conveniunt Authores, quos congerunt Vasquez quæst. 93, art. 4, dub. 12, et Suarius disp. 33, sect. 6, num. 6. Quorum communis ratio, et vera, ea est quæ in præmisso D. Thomæ testimonio continetur: quia nimirum verbum *nescio* duplicem sensum ex se admittit, et quod sacerdos id nesciat ut homo, et quod nesciat ut Dei minister. Cum autem judex, aut quivis alius interrogat, censetur interrogare de his, quæ sibi jure revelari possunt, et quæ nota sunt sacerdoti ut homo est. Ex quo fit, quod licet sacerdos ut Dei minister sciat id, de quo interrogatur, nihilominus ubi respondet *nescio*, verum dicit, quia responsio est ad mentem interrogantis, et verbum *nescio* limitatur ad ignorantiam, quam sacerdos habet ut homo. Unde quemadmodum pœnitens, qui adulterium commisit, et in alia confessione manifestavit, potest sacerdoti interroganti, an illud commiserit, sine mendacio respondere *non commisi*, quia hæc propositio negativa intelligitur de adulterio nondum confesso, de quo solum credit sacerdotis interrogationem procedere ; ita sacerdos in præmisso casu mendacium non facit, ubi respondet *nescio*. In hoc igitur nemo Doctorum dissentit; unde tota difficultas est ubi omnis limitatio excluditur, et sacerdos urgetur, ac expresse interrogatur de notitia peccati, quam habet in confessione.

Observ. 2. Deinde observandum est ex communi Theologorum doctrina, quos refert, et sequitur N. Andreas tract. 17, cap. 2, punct. 8, quod licet usus restrictionis pure mentalis prohibitus sit a SS. D. N. Innocentio XI, nihilominus illicitum non est uti restrictione, quæ pure mentalis non est, sed talis conditionis ut ex ipso modo loquendi, ac ex adjunctis exterioribus circumstantiis de facili significatur, et exterius percipitur. Quod præsertim locum habet ubi verba loquentis ipso jure restricta sunt ad determinatum sensum, ac ubi interrogans jus ad interrogandum non habet, vel interrogatus ratione sui officii, aut ex alio capite ad respondendum non tenetur : non enim responsio adaptanda est interrogationi prout fit, sed illi prout fieri debet. Quocirca potest quis absque mendacio loqui, imo, et jurare in diverso sensu, ac per audientes intelligitur, dummodo verba ex vi circumstantiarum loci, temporis, personæ interrogatæ, et modi interrogantis, eum sensum faciant juxta intentionem loquentis, quem debent facere, et quem interrogans, et alii ex circumstantiis facile possunt, et debent concipere. Unde Christus Dominus Marc. 13, dixit : *De die autem illa, et hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, sed solus Pater*. Quæ verba verificari non possunt, nisi subintellecto *in ordine ad manifestationem externam ;* quæ restrictio pure mentalis non est, sed externa ex circumstantiis, cum ea locutio sit juxta mentem audientium, qui petere non poterant nisi eam notitiam, quam Christus suggerere poterat, non vero eam, quam ex Patris obedientia sub secreto habebat. Similiter si quis interrogatur a judice, sed non legitime, an tale crimen commiserit, quod re vera ita est? Jurare potest se non fecisse, subintelligendo *ita ut debeam revelare:* quia eo modo, et non aliter, debebat judex interrogare, et ita responsio est ad mentem interrogantis, quam debet habere, qui ex circumstantiis facile potest in sensum illius propositionis negativæ devenire. Ex his igitur.

32. Ad argumentum respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dicendum est, sacerdotem expresse interrogatum an tale peccatum in confessione, et tanquam Dei minister noverit, posse absque mendacio respondere *non scio* subintelligendo *ad tibi revelandum, vel per scientiam utilem*

utilem ad respondendum. Hæc enim non est restrictio pure mentalis, sed satis sensibilis, et ex vi circumstantiarum exterius significata : nam ratione iniquæ interrogationis Tyranni, aut cujusvis alterius fidelis improbi illa responsio *nescio* ipso jure limitata est ad illum sensum, quem ipsi possunt, et debent concipere ; et si non concipiunt, ipsorum inscitiæ, pravitati, et inconsiderationi tribuendum est, cum sacerdos utatur jure suo, et respondeat ad interrogationem, quæ sibi fieri debet. Unde dolus non est ex parte loquentis, qui in debito sensu respondet, sed ex parte interrogantis, qui injuste conatur extorquere veritatem : quamvis enim Tyrannus per expressum modum interrogandi eam limitationem excluserit, nihilominus ex pravitate suæ interrogationis jus non acquirit ut compellat sacerdotem ad inique respondendum, sed hic semper potest respondere ut debet, et ita ejus responsio in legitimo ac sano sensu intelligenda est. Id quippe humanus, et rationalis convictus expostulare videtur, ut respondentis verba referantur ad interrogationem debitam, non ad iniquam. Atque ita sentiunt expresse Vasquez q. 93, dub. 12, n. 9, Gonet disp. 11, art. 1, § 3, num. 13, N. Andreas ubi supra cum plurimis ab eo relatis, Lugo disp. 24, sect. 4, num. 75, Victoria in summ. n. 184, Busembau de Pœnit. cap. 3, dub. 1, Adrianus quæst. ultim. de confessione, Palaus disp. unic. punct. 19, § 5, num. 13, Navarrus cap. 8, num. 10, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 14, num. 12, Henriquez lib. 6, cap. 19, n. 7, Ægidius disp. 8, dub. 1 in fine, Medina, Cod. de confes. quæst. de confessionne celanda. Sylvester verbo *Confessio* 3, num. 10, Ledesma quæst. 10, art. 1, dub. 6, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, part. 4, num. 31, Major, et Sotus, Opusc. cit. memb. 3, q. 3, Suarez disp. 33, sect. 6, n. 7 et alii.

Per quod etiam patet ad difficultatis augmentum : nam si sacerdos modo dicto negare potest absque mendacio se peccatum illud scire, id similiter poterit etiam jurare, ut ex se constat ; cum juramentum supra veritatem cadat. Observandum tamen est, quod ubi sacerdos acriter respondendo repellere potest interrogantem, quin confessionem suspectam reddat, eo medio utendum est ; alioqui si confessio suspecta redditur, nec Tyrannus, judex, aut quivis alius a proterva, et iniqua interrogatione desistit, responsio negativa adhiberi potest, quæ ex ipso jure prædictum sensum adducit. Nonnullæ autem objectiones, quæ ex diversis reflexionibus, ac reduplicationibus interrogantis fieri poterant, satis ex dictis dehiscunt, et idcirco in earum enodatione ulterius non immoramur. Consulatur tamen Lugo loco nuper cit. ubi eas dissolvit, et rem explicat, et illustrat.

DUBIUM III.

Qualiter sigillum sacramentale observari debeat ?

Sensus præsentis dubii satis liquet ex dictis in limine præcedentis, ubi duplicem confessionis revelationem distinximus, directam, videlicet, et indirectam, de quarum prima hactenus disseruimus. De secunda igitur, quæ difficultates æque graves, et in praxi frequentiores involvit, modo agendum est.

§ I.

Communis sententia proponitur, et plures casus et consectaria decidantur.

33. Dicendum est, sigillum sacramentale ita observari debere, ut nec indirecte revelari possit. In hac assertione conveniun omnes Doctores, quos proinde supervacaneum foret in particulari referre. Eam autem expressam habemus in Pontificum decretis supra relatis : Nam Gregorius in cap. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6, inquit : « Sacerdos ante omnia caveat, ne de his, « quæ ei confitentur, peccata alicujus reve- « let, neque (quod absit) pro aliquo scan- « dalo vitando. » Quæ verba absolute, et simpliciter procedunt, et comprehendunt quamcumque confessionis revelationem ; qui autem indirecte revelat, absolute revelare censetur, quippe in moralibus ejusdem rationis sunt ac pro eodem reputantur velle aliquid indirecte, et implicite, ac velle directe, et expresse. Unde fit, concurrentes ad furtum sive positive, et directe bona alterius accipiendo, sive indirecte, et quasi privative non obstando, aut furtum non impediendo ubi quis potest, et

Assertio.

D. Greg.

debet, contra justitiam delinquere, et restitutioni obnoxium fieri. Clarius autem, ac expressius loquitur Innocentius in cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit.et remiss. §. *Caveat autem omnino,ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem.* Quæ verba nullam limitationem admittunt, ut consideranti constabit : recensent enim omnes modos indirectæ revelationis sigilli ; siquidem aliter fieri non potest quam per verba, signa,aut actiones, imo etiam si alius modus excogitabilis esset, etiam comprehenderetur per ly *aut alio quovis modo*, ac pressius per ly *aliquatenus*. Cum igitur propositio sit negativa, proindeque omnia distribuat, consequens est illicitum esse confessionem revelare, quomodocumque id fiat. Quod etiam perspicue docet D. Thomas quodlib. 5, quæst. 7, art. 13, ubi ait : « Id quod per « confessionem auditur, nullo modo est « manifestandum nec verbo, nec nutu, nec « etiam aliquid est faciendum, unde in « suspicionem peccati aliquis possit deve- « nire. »

Innocent.III

D. Tho.

Ratio.

34. Ratio autem,quam dubio præcedenti expendimus, id ipsum convincit. Etenim sigilli vinculum eo tendit, ut pœnitentiæ sacramentum, ejusque suavis ac tolerabilis usus in Ecclesia conservetur, omniaque peccata etiam occultissima, et infamativa clavibus subjiciantur ; atqui si sacerdotibus licitum esset indirecte confessionem prodere,vel aliquam actionem,nutum,signum, aut quid simile efficere, unde in pœnitentis notitiam quis devenire posset, confessio ac ejus suavis usus magnum detrimentum subirent, pœnitentesque ab ea arcerenter,nec in peccatorum declaratione debitam integritatem servarent : ergo ita sigillum observandum est, ut nec indirecte confessionem aperire liceat. Consequentia liquet, et major constat ex hactenus dictis. Minor autem facile ostenditur ; nam quod pœnitentibus displicet, eosque a confessione per se removet, non est quod eorum peccata hoc vel illo modo revelentur, sed quod absolute revelentur, quomodolibet id contingat : quippe eo ipso sequitur eorum erubescentia, ac famæ denigratio, quæ verentes sibi obventura, conscientiæ sinus sacerdoti aperire nollent ; sed quod confessionis revelatio indirecte fiat, non tollit quod absolute,et re ipsa peccata aliis innotescant, atque ideo nec impedit pœnitentium erubescentiam, ac eorum famæ diminutionem : ergo si nutibus, signis, aut quibuscumque aliis anfractibus confessionem revelare liceret, pœnitentes a confessione arcerentur, eaque onerosa ac impracticabilis redderetur. Et quidem ut sacramenti bono, ac ejus conservationi consulat, nihil in prudentum judicio refert, sacerdotem hac vel illa solertia uti, si tandem ambages, ac circuitus, quibus graditur,in peccati ac pœnitentis notitiam ducunt.

35. Contra præmissam communem assertionem non occurrunt vel sententiæ Doctorum, quas referamus, vel argumenta alicujus momenti, quæ superemus. Ex ea tamen plures deciduntur casus, quorum notitia pro praxi admodum necessaria est. Colligitur ergo primo, non posse sacerdotem ob notitiam peccati intra confessionem obtentam exprobrare deinceps pœnitentem, severiorem vultum ostendere, minus grate ei alloqui, aut quid simile efficere, quod pœnitenti molestiam, ruborem, aut detrimentum afferat. Quippe hujusmodi actiones ex se indirecte confessionem revelant, eamque odiosam parant. Ita Dicastillo disput. 12, dubit. 7, num. 156, Leander disput. 10, quæst. 83, Lugo disput. 23, sect. 5, num. 104, Graffius, et Bonacina, quos affert, et sequitur N. Franciscus cap. 14, punct. 3, num. 37. Similiter nec potest sacerdos actionem aliquam efficere ex vi cujus occasionem indirectam aliis præbeat non solum positive judicandi, verum nec suspicandi de pœnitente. Quod etiam ibidem tenet Lugo num. 106, Tabiena verbo *Confessor*, § 1, et 4, favetque D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 1, art. 5, quæstiunc. 1, ad 3, ubi docet omnem suspicionem revelandi confessionem esse vitandam. Observant tamen Joannes de Medina, Cod. de confess. pag. 109, Palatius dist. 21, quæst. 2, et alii, id intelligendum esse de suspicione probabili, sive prudenter, et cum fundamento sufficienti efformata ; non vero de quibuscumque conjecturis etiam levibus, quas nasuti ac vecordes pro libito fingunt : has enim omnino præcidere moraliter impossibile est.

I

D L G B F

D

M Pa

36. Colligitur secundo, non posse sacerdotem extra confessionem absque expressa pœnitentis licentia loqui de peccatis auditis

III

in

in confessione non solum cum aliis, verum nec cum eodem pœnitente ; nec nutum, actionem, aut quid aliud efficere, ex quo peccata in ejus memoriam reducat. Id enim ruborem, molestiamque pœnitentibus afferret, et confessio onerosa fieret. Docent Dicastillo disput. 12, dub. 6, num. 81, Aversa quæst. 18, sect. 6, Granados tractat. 11, disput. 5, N. Franciscus punct. 3, num. 39, Palaus disput. unic. punct. 19, § 3, num. 14, Sanchez lib. 3, de Matrimon. disp. 16, num. 3, et 15, Sotus detegendo secreto, dub. 4, Victoria in summ. num. 195, Fagundez, Rodriguez, Lugo sect. 5, § 4. Estque communis consensus Doctorum, qui etiam docent pœnitentem censeri eam licentiam concedere, ubi ipse de illis, quæ in confessione detexit, incipit prius loqui cum sacerdote. Intra confessionem autem illicitum non erit loqui cum pœnitente de peccatis in alia confessione manifestatis, et quod necessarium fuerit ad ipsius admonitionem recolere : hoc enim intra idem forum sacramentale fit, nec pœnitenti molestum existimatur. Tenent Lugo num. 127, Dicastillo num. 91, Henriquez, Granados, Malderus, Aversa, Præpositus, et N. Franciscus num. 42. Item, potest statim finita confessione aliquid, quod per oblivionem omisit, advertere : adhuc quippe censetur moraliter idem judicium perseverare. Favent similiter iidem, quibus adhæret N. Antonius num. 1534.

37. Sed quid si pœnitens licentiam concedere renuat, ut sacerdos illi extra confessionem loquatur, dum id necessarium est vel ad supplendum defectum confessionis, vel ad præcavendum damnum imminens innocenti? Suarez sect. 5, num. 3, Layman, Nugnus, Hurtado, Cœlestinus, Filliucius, et alii apud Aversam quæst. 18, sect. 6, affirmant posse sacerdotem in eo casu petita, et non obtenta licentia, cum pœnitente loqui. Quorum fundamentum est, pœnitentem esse irrationabiliter invitum, aliundeque priorem confessionem quasi inchoatam, et incompletam existere usquedum ejus defectus suppleatur ; unde cum sacerdos censeatur moraliter intra eandem confessionem loqui, minime sigilli violator reputari debet. Oppositam tamen sententiam longe veriorem ac probabiliorem existimamus, quam tuentur Lugo sect. 5, num. 140, referens Sotum, Toletum, Rodriguez, Reginaldum, Silvium, Bonacinam, Onuffrium, et Dianam, N. Antonius num. 1533, N. Gabriel disp. 10, quæst. 14, N. Franciscus punct. 3, num. 44, Dicastillo dubit. 6, num. 81, Fagundez lib. 6, de secund præcept. cap. 4, num. 33, Turrianus, Sanchez, Victoria, Palaus, et alii. Et suadetur, tum quia generalis Doctorum regula, ac communis fidelium sensus est, sacerdotem non posse absque pœnitentis licentia loqui extra confessionem de peccatis sub sigillo existentibus : absque fundamento igitur exceptio prædicti casus apponitur. Tum etiam : quoniam renuente pœnitente licentiam concedere, ea sacerdotis locutio esset quædam peccatorum exprobratio, ipsumque pœnitentem confusione, et pudore afficeret, quod proinde illum, et alios a confessione arcere posset. Tum denique : quoniam Authores contrariæ sententiæ nobiscum sentiunt adhuc in præsenti casu prius petendam esse licentiam, ut ea loquutio sit licita ; sed licentia non requiritur nisi ut sigillum non rumpatur : ergo si agnoscunt obligationem exposcendi licentiam, tenentur sentire sigillum obligare ubi licentia non conceditur ; alias si sacerdos potest loqui cum pœnitente etiam dum licentiam non concedit, non tenebitur illam petere nisi urbanitatis causa ; quod non concedent. Nec eorum motivum alicujus momenti est : nam prior illa confessio jam absolute terminata fuit, judiciumque sacramentale moraliter expletum, quamvis cum aliquo defectu quasi physico prodierit ; alias eo titulo incompletæ confessionis posset sacerdos, maxime si scrupulis vexetur, post multum temporis, ipso pœnitente renuente, illum extra confessionem semel, et iterum corripere, passimque admonitiones circa confessionem suggerere, quod onus intolerabile existeret. Adde quod etiam permisso illam admonitionem esse confessionis factæ complementum, adhuc inde non sequitur eam fieri posse absque pœnitentis consensu : confessio namque omnino pendet ex pœnitentis voluntate tam in suo initio, quam in processu, et completione. Unde constat, quod ubi pœnitens confessionem incipit, non potest cogi a sacerdote ut eam finiat, sed pro libito inceptam relinquere valet. Quocirca si prædictam admonitio-

Sotus. Tolet. Rodrig. Regin. Silvius, Bonac. Onuffrius, Diana, N. Anton. N. Gabr. N. Franc. Dicast. Fagund. Turrian. Sanchez, Victoria, Palaus.

nem recipere non vult, sed quod sacramentum olim factum imperfectum aut nullum persistat, nequit sacerdos pœnitente invito defectum supplere. Sacerdos autem suo muneri satisfacit licentiam exposcendo, quam si pœnitens denegaverit, huic, et non illi defectus imputandus est.

Illatio 3. 38. Colligitur tertio, non posse sacerdotem ob solam confessionis notitiam vitare in publico excommunicatum non toleratum. Sic tenent communiter Authores. Dissident tamen an vitari possit in occulto, ubi alius præter sacerdotem, et pœnitentem, non adest? Affirmant Navarr. in cap. *Sacerdos* de pœnit. distinct. 6, num. 145, Leand. tract. 5, de pœnit. disput. 10, quæst. 72. Alii vero, quorum sententiæ adhæremus, negant posse sacerdotem etiam in occulto prædictum excommunicatum vitare, aut illi politicum denegare commercium. Ita Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, ad 14, N. Antonius tract. 5, disp. 15, sect. 6, num. 1569, Lugo ubi supra sect. 5, § 3, num. 119, et seq. Fagundez præcept. 2, lib. 6, cap. 3, num. 10, Suarez disput. 33, sect. 6, num. 4, Medina, Cod. de confessione. quæst. 61, Ledesma quæst. 10, art. 5, dub. 6. Idem tueri videntur Richardus in 4, distinct. 21, quæst 2, art. 4, D. Antonius 3, part. tit. 25, § 5, Covarr. in cap. *Alma mater*, part. 1, § 2, num. 3, Hostiensis, et alii. Fundamentum est, tum quia sigillum non solum urget ad non detegenda utcumque pœnitentis peccata, sed etiam ad non efficiendam ex vi notitiæ confessionis actionem aliquam, quæ in illius præjudicium, quale est denegatio commercii, vergat; cum id ex se confessionem exosam ac difficilem efficiat. Nec hujusmodi inconviens vitatur ex quo pœnitentes hic, et nunc exercite non advertant vel detrimentum sibi illatum, vel motivum inferendi ob industriam sacerdotis aliam fingentis excusationem, aut prætextum se denegandi. Id enim omnino per accidens est : nam licet non advertatur, tamen, et detrimentum re vera sequitur, et motivum aut causa illius est re ipsa notitia peccati intra sacramentum acquisita. Quocirca si pœnitentes scirent licere sacerdoti usum scientiæ confessionis ad fictionem prætextus politicam communicationem denegandi, vel similia damna inferendi, peccata ei prodere renuerent, confessionemque horrescerent. Tum etiam : quoniam si sacerdoti non licet ex sola confessionis scientia severiorem vultum ostendere, aut minus grate pœnitentibus alloqui, ut ex num. 35, liquet quia id censetur quædam peccati exprobatio, atque ideo indirecta manifestatio sigilli; potiori jure censendum est sacerdotem indirecte prodere confessionem, peccataque objicere, ac exprobrare excommunicato non tolerato, ubi ex sola confessionis scientia illius communicationem in occulto fugit.

Navarr. Leand. Nugnus, N. Anton. Lugo, Fagund. Suarez. Medina. Ledesm. Richard. D. Anton Covarr. Hostiensis.

39. Unde colliges quarto, sacerdotem Eucharistiam, aut alia sacramenta denegare non posse indigno, si hujus indispositionem intra confessionem dumtaxat noverit, sive ea occulte, sive publice petat. Unde nec sacerdos potest repellere a contractione Matrimonii eum, quem scit intra confessionem habere impedimentum dirimens : nec episcopus ordines denegare illi, quem sub sigillo scit irregularem esse. Cui sententiæ tenentur in vi consequentiæ adhærere omnes, quos pro præcedenti retulimus : utrobique enim eadem difficultas est, ac æque eadem motiva utrumque suadent, ut consideranti constabit. Et ita expresse docent Lugo disput. 23, sect. 5, § 2, num. 126, et pluribus relatis, Sanchez de Matrimon. lib. 3, disp. 16, num. 15, Suarez disp. 33, sect. 6, num. 4, prope finem, Henriquez lib. 1, cap. 30, Gabriel in 4, distinct. 9, quæst. 2, art. 3, dub. 1, Paludanus in 4, dist. 9, quæst. 2, concl. 3, Adrianus quodlib. 3, quæst. 3, Sylvester verbo *Eucharistia* 3, quæst. 3, D. Antonin. 3 part. tit. 14, cap. 12, § 2, Sanctius in select. disp. 8, num. 10, Bonacina de sacrament. disput. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 4, numer. 17, Ægidius disput. 9, num. 67, Fagundez præcept. 2, lib. 6, cap. 3, num. 5, Aversa quæst. 17, sect. 8, Dicastillo disput. 12, num. 150, Reginaldus. Coninchus, Diana, quos citat, et sequitur N. Franciscus cap. 14, punct. 3, num. 46, Palaus disput. unica, punct. 19, § 3, num. 20, Delrio lib. 6, disquisit. mag. sect. 2, Layman lib. 5, tractat. 6, cap. 14, quæst. 2, num. 22, Bannez, Armilla, Sotus in 4, dist. 12, quæst. 1, art. 6, circa medium, et alii plures. Quam doctrinam jam alibi statuimus tractat. 22, disput. 7, dub. 5, ubi disserentes an sacerdos sacramenta indignis ministrando delinquat, præmonuimus

in

in fine num. 86, sacerdotem acquirentem notitiam indispositionis pœnitentis intra confessionem, minime ea uti posse ad Eucharistiam illi denegandam, ob generale motivum ne confessio gravis ac difficilis paretur, quod plane ex opposito fieret. Observandum autem est cum Lugone, posse sacerdotem publicam meretricem, aut usurarium ad Eucharistiam non admittere etiam in publico, si aliunde eorum peccata publica extra confessionem noscat. Quod si instet : « Confessus tibi sum, et absolu-« tionem tribuisti ; » respondere debet : « De tua confessione nihil scio ; te tamen « agnosco publicum peccatorem, et absque « satisfactione publica te admittere ad sa-« cramenta non debeo. »

Opposita sententia placuit Leandro tract. 5, de Pœnit. disput. 10, quæst. 72, qui in proprium patrocinium adducit Suarium de Eucharistia disput. 67, sect. 3, et de pœnit. disp. 33, sect. 6, num. 4. Sed immerito : nam sententiam, quam priori loco docuerat, in posteriori deseruit ; melius tamen citare posset Alensem 4 part. quæst. 49, memb. 1, Tabienam verbo *Communio*, § 52, Victoriam in summ. num. 86. Quorum doctrina suaderi potest tum ex cap. *Placuit* 6, quæst. 2, ubi habetur posse episcopum ob peccatum sibi in confessione notum Eucharistiam denegare secrete, non tamen publice. Tum quia in eo eventu non censetur sacerdos confessionem odiosam reddere, præsertim si nihil de crimine sibi noto pœnitenti objiciat, sed aliunde prætextum quærat denegandi communionem. Eo vel maxime, quoniam ita videtur docuisse D. Thomas in 4, dist. 9, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, ubi hæc habet : « Si sacerdos sciat peccatum alicu-« jus, qui Eucharistiam petit, per confes-« sionem, aut alio quolibet modo, distin-« guendum est : quia aut peccatum est « occultum, aut manifestum ? Si est occul-« tum ; aut exigit in occulto, aut in mani-« festo ? Si in occulto, debet ei denegare, et « monere ne in publico petat. Si autem in « manifesto petat, debet ei dare. Primo, « quia pro peccato occulto pœnam inferens « publicam revelator est confessionis, et « proditor criminis. »

40. Sed hæc parum urgent, ut a propo-sita via recedamus. Ad primum igitur respondetur cum Suario de Eucharistia disput. 67, sect. 3, eum textum non procedere de episcopo acquirente peccati notitiam intra confessionem sacramentalem, sed extra sacramentalem : loquitur enim de crimine, quod episcopus dicit sibi fuisse a reo confessum ; episcopus autem prodere, aut dicere nequit crimen intra sacramentum sibi notum ; unde ibi sermo est de notitia peccati aliunde extra sacramentum habita. Ad secundum dicendum est, fieri non posse ut sacerdos saltem implicite, et indirecte peccata pœnitenti non objiciat, si ob solam confessionis notitiam illum ab Eucharistia repellit, quantumvis alias prætextum repellendi fingat : pœnitens quippe satis causam intelligit moraliter loquendo, sufficiensque motivum habet suspicandi sacramentum sibi ob peccata confessa denegari. Et quidem si sacerdos uti nequit confessionis notitia ad secrete denegandum suffragium pœnitenti in ejus electione ad prælaturam, etiamsi ipse pœnitens conjicere non possit id fieri ob peccatum confessum, ut cum communi sententia docet idem Leander quæst. 54, nescimus qua doctrinæ consequentia procedat asserendo posse uti eadem confessionis scientia ad sacramenta deneganda, et inquirendum prætextum id faciendi, cum utrobique eadem ratio militet, et confessio æque pœnitentibus fiat ingrata. Nec respondere potest, in priori eventu illicitum esse ob decretum Clementis Octavi de quo infra ; secus vero in posteriori. Nam si usus notitiæ confessionis ad denegationem suffragii indigno jure divino sigilli prohibitus non est, nec ecclesiastico prohiberi potuit : hoc enim, ut recte vidit Dicastillo ubi supra, interdicere nequit usum scientiæ ex natura rei licitæ ad actionem rectæ rationi conformem, et alias ex præcepto justitiæ debitam, qualis esset in eo eventu denegatio suffragii indigno. Unde prædictum decretum jus novum non statuit, sed antiquum, et divinum exposuit, quod æque prohibet usum scientiæ sacramentalis ad omnes actiones, quæ pœnitentibus detrimenti quid afferunt.

Ad augmentum vero difficultatis respon-detur primo cum Dominico Soto in 4, distinct. 12, quæst. 1, art. 6, Div. Thomam eam sententiam tenuisse in 4, ubi crebro aliorum Doctorum opiniones insequebatur, eorumque doctrinæ se accom- Sotus.

modabat. In summa autem 3 part. quæst. 80, art. 6, ubi rem oculatius scrutabatur, propriamque mentem aperiebat, satis palam nostram sententiam docuit : etenim in corpore art. nihil de occultis peccatoribus distinxit, utrum in publico, an in occulto ad communionem accederent : sed absolute asseruit illis Eucharistiam denegari non posse ; quod, ut verum sit, intelligendum est saltem respectu eorum, quorum indispositio intra confessionem dumtaxat noscitur. Hoc enim posito verificatur simpliciter peccatoribus non manifestis communionem negandam non esse, sive in publico, sive in occulto petant. Illis namque, quos indignos deprehendit sacerdos per notitiam extrasacramentalem, extra dubium est Eucharistiam per se loquendo denegandam fore, si occulte petant, ut cum communi sententia docuimus tract. 22, disp. 7, dub. 5, num. 89. Secundo respondetur, D. Thomam, dum in objecto testimonio inquit : « Si sacerdos sciat pec- « catum alicujus, qui Eucharistiam petit, « per confessionem, » nomine confessionis non intelligere sacramentalem, sed extra sacramentalem, aut secreti naturalis commendationem ; quod innuere videtur cum statim subdit : « Si in occulto, debet et « denegare, et monere ne in publico petat. » In quibus post denegatam in occulto pœnitenti Eucharistiam, dicit admonendum esse a sacerdote ne in publico petat ; hæc autem admonitio ita fieri extra confessionem non posset, si sacerdos solum per confessionem sacramentalem pœnitentis indignitatem nosceret : id enim esset expressa peccati confessio, objurgatio, sigillique quasi directa proditio, quæ aliena est a mente Aug. Præceptoris, qui perpetuus est in docendo confessionem ita reticendam esse, ut nec motivum suspicandi de crimine tribuatur, ut patet ex dictis num. 33. Quocirca sensus D. Thomæ est, sacerdotem, peccatum petentis secreto Eucharistiam scientem per confessionem sub secreto naturali sibi factam, aut alio quovis modo secreto, quia videlicet ipse solus viderit, aut ab alio audierit, debere Eucharistiam denegare, et monere ne publice expostulet. Si vero id ipsum, et eodem modo sciat, non posse communionem denegare petenti publice, quia alias esset revelator confessionis extrasacramentalis, et proditor criminis existentis sub naturali secreto ; id enim esset peccatorem occultum apud alios infamare, proindeque contra justitiam delinquere : quæ vera sunt, sed doctrinæ traditæ minime præjudicant.

41. Colliges quinto, sacerdotem qui pœnitentem ob ejus indispositionem absolvere noluit, si postmodum ab eodem de falso crimine accusetur, non posse se defendere prodendo confessionem, etiam si ea detecta omnino calumnia cessaret, mortisque periculum removeret ; nec quidquam efficere posse ex quo quis suspicari possit illius calumniæ impositionem ex denegata absolutione oriri. Quamvis enim vim alia vi repellere liceat, in præsenti tamen ob sigilli vinculum, et sacramenti conservationem non licet, sed aliis viis defensio legitima procuranda est. Lugo disp. 23, sect. 5, num. 115. Id quod etiam intelligi debet de quocumque alio innocente, qualibet dignitate præstante, quem licet sacerdos in supplicium, aut mortem rapi videat, sitque de illius innocentia certissimus per confessionem malefactoris sibi factam, neutiquam ei fas est, ut innocentem liberet vel confessionem prodere, vel actionem aut quid simile efficere, unde in peccati confessi, ac pœnitentis notitiam deveniatur ; potius quippe sacramenti bono, ac conservationi consulendum est, quam innocentis vitæ. Ita Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, artic. 5.

42. Colliges sexto, quid dicendum sit ad casum satis communem, an liceat sacerdoti Missam omittere, aut ab itinere declinare, ubi per solam confessionem scit venenatum vinum sibi præparatum, aut mortem sibi a latronibus inferendam, si ingrediatur in sylvam? Circa quod duo communiter observant Authores. Primum quod si pœnitens eam notitiam ad sacerdotem intra confessionem detulit non serio animo se confitendi, sed potius prava intentione ligandi illum arctissimo sigilli vinculo, ne metu violandi secretum Missam omittere, aut a via recedere audeat, quæ intentio facile ex circumstantiis intelligi potest, posse sacerdotem utrumque facere ad mortem vitandam. Quia cum ea confessio ex intentione pœnitentis sacramentalis non sit, obligationem sigilli non inducit. Secundum, posse similiter sacerdotem fugere, aut Missam omittere, ubi hujusmodi acciones sub talibus circumstantiis, ac adeo

caute

caute exercentur, ut nullam peccati confessi notitiam, aut suspicionem afferant, ac aliunde nullum pœnitenti sequitur detrimentum, quod confessionem efficiat gravem : hæc enim sunt principia, ex quibus usus notitiæ confessionis illicitus redditur, quibus deficientibus poterit sacerdos ea uti. Unde quemadmodum ex his, quæ sacerdos in confessionibus audivit, potest fieri cautior vel ad dirigendas proprias actiones, vel ad suas res custodiendas, vel ad vigilandum supra gregem mediis his, quibus alii utuntur, ubi nec damnum pœnitenti infertur, nec motivum suspicandi de confesso crimine tribuitur ; poterit similiter fieri cautior ad propriæ vitæ custodiam.

Difficultas igitur est, an absolute loquendo liceat sacerdoti in prædicto casu aliam viam carpere, aut Missam omittere ad mortem fugiendam, quamvis alii inde conjiciant sacerdotem tale peccatum in confessione audivisse ? Respondetur negative. Ita N. Franciscus cap. 14, punct. 3, num. 53, N. Antonius disput, 19, sect. 6, num. 1567, Suarez disput. 33, sect. 7, num. 6, Sotus in 4, distinct, 18, quæst. 3, art. 5, § *Hoc adeo*, Lugo disp. 23, sect. 5, § 2, num. 110, Dicastillo disp. 12, dub. 7, num. 157, et 161, Vasquez quæst. 93, art. 4, dub. 10, num. 4, Diana tom. 5, tract. 11, resol. 46, Turrianus disp. 33, dub. 5, Richardus, Navarrus, Ledesma, Medina, et alii ab eisdem relati. Fundamentum autem constat ex dictis : nam ut liquet ex cap. *Sacerdos*, ob nullum scandalum, aut damnum vitandum potest confessio directe aut indirecte revelari ; cum bonum sacramenti etiam propriæ vitæ præferendum sit ; constat autem eam sacerdotis fugam, aut Missæ omissionem, ex quibus alii facile conjiciunt, aut prudenter conjicere possunt peccatum in confessione notum, esse indirectam confessionis revelationem : ergo in illo eventu, et similibus tenetur sacerdos potius mortem oppetere, quam eas actiones absolute exercere. Quod adeo verum est, ut extendendum etiam sit ad periculum vitæ spiritualis, uti si in eo casu sacerdos in lethali existat, et confiteri non possit, ac de contritione dubitet. Motivum enim propositum id etiam evincit. Debet igitur sacerdos in eo eventu sperare auxilium divinæ gratiæ, divinæque providentiæ se committere, et animæ suæ providere meliori modo quo possit, orando, ac conando contritionem. Et quidem, cum non sponte, ac proprio arbitrio illi periculo se exposuerit, sed quasi coactus illud subeat, ut sacramenti bono consulat, si alioqui quod in se est faciat, Dei auxilio non destituetur. Hujusmodi tamen casus cum eis circumstantiis potius mente finguntur, quam in praxi contingere valeant. Ex suppositione autem eventus ita sentiendum est, uti recte in vi consequentiæ docent ibidem Lugo num. 115, Dicastillo a num. 167, et deinceps, Suarez n. 8 et alii.

43. Non tamen desunt, qui oppositum propugnent. Hi sunt Scotus in 4, dist. 21, quæst. 3, ad 3, Sylvester verbo *Confessor* 3, quæst. 2, Major q. 3, ad 2, Castro Palao disp. unic. punct. 19, § 3, num. 18. Quorum sententiæ eas suppetias ferunt Coninchus disput. 9, dub. 4, n. 33, et sequent. et Leander quæst. 69, ut asserant posse sacerdotem eas actiones exercere etiamsi inde immineat pœnitenti periculum mortis a sociis inferendæ ; quamvis laudabile foret, subdunt illi, saderdotem mortem subire, ut pœnitentem ab eo periculo eriperet. Hujus autem additionis probabilitatem alii viderint : nec enim multum sacramenti conservationi confert, ubi adeo ingentem facultatem sacerdotibus adscribit, ut eis liceat scientia confessionis uti etiam cum vitæ pœnitentis jactura Id vero suadere conantur, tum quia sacerdos ex vi earum actionum nihil revelare videtur, cum jam socii pœnitentis illud peccatum sciant. Tum etiam : quia sacerdotem Missam omittere, aut aliam viam carpere, ex se est quid indifferens ad plura, nec ex natura sua significat determinate peccatum in confessione notum ; sacerdos autem ubi actiones ex se indifferentes exercet, utitur jure suo, quod sibi licet etiam cum dispendio alterius. Tum deinde : quoniam per eas actiones ad summum significatur pœnitentem confessum fuisse ; quod non est violare sigillum, cum licitum sit dicere : Titius mihi confessus est ; non autem significatur tale peccatum in particulari, sed id aliunde socii pœnitentis suo discursu colligunt. Tum denique : quia inde confessio non fit odiosa ; irrationabiliter enim pœnitentes retraherentur a confessione, ex quo sacerdos jure suo utatur eliciendo actiones indifferentes, quæ sæpe ob alia motiva fiunt.

Aliorum sententiæ. Scotus, Sylvest. Major, Palaus, Coninch. Leand.

Fundamenta.

Convelluntur. Enimvero eæ objectiones non multum premunt. Non prima: nam quod complices criminis, aut socii pœnitentis jam peccatum sciant, solum suadet sacerdotem eis non tribuere notitiam illius peccati absolute, non tamen quod non detegat confessionem, aut crimen ut confessum; hoc autem illicitum est, alioqui posset sacerdos prodere peccata publica sibi confessa, siquidem tunc diceret quod ab aliis jam scitur. Non secunda: quia vim non facimus in eo quod sacerdotis fuga, ac Missæ omissio sint ex natura sua actiones determinatæ ad manifestandum peccatum in confessione notum; sed fatemur secundum se, et abstractive sumptas esse indifferentes, frequenterque ob alias causas diversimode occurrentes exerceri. Ceterum si considerentur hic, et nunc, et prout fiunt sub his circumstantiis, ex quibus alii conjiciunt peccatum confessum, indifferentiam amittunt, et confessionem determinate produnt. Quocirca licet absolute aliquandò, et præcisive a circumstantiis sacerdos jus habeat ad eliciendas vel non prædictas actiones; ex suppositione tamen quod ex illis peccatum aliis innotescat, sacerdos non utitur jure suo, sed jus se tenet ex parte sacramenti prohibentis earum exercitium, ne confessio reveletur, et ex parte pœnitentis, cui sigillum favet. Imo, si ad actiones secundum se acceptas attendendum foret, nulla unquam revelatio indirecta contingeret; cum nulla sit actio, quæ secundum se indifferentiam non admittat, quæque ad diversa practice significanda applicari non possit. Non item tertia: quamvis enim dicere Titium tali sacerdoti confessum fuisse, regulariter contra sigillum non sit, dicere tamen confessum fuisse tale peccatum, violatio sigilli est. Illa autem sacerdotis fuga, et omissio sacri non solum pœnitentem confessum fuisse innuunt, sed potius significant ipsa peccata; imo, ut recte videt Lugo ubi supra num. 113, ex directa significatione peccati significant confessum fuisse: quippe omittere sacrum in illa rerum contingentia propter venenum vino immixtum, et a via recedere ob insidias paratas, prius, et immediatius significant peccatum in infectione vini, aut in insidiarum præparatione commissum, unde alii colligunt sui complicis confessionem. Non denique quarta; nam si ex vi actionum sacerdotis alii crimen confessum intelliguñt, nequit non pœnitens pudorem et confusionem accipere, cum ibi indirecta peccati exprobratio intercedat; hæc autem confessionem admodum exosam efficeret pœnitentesque ab ea removerent. Id quo maxime contingeret, ut ex se liquet, ubi ex fuga sacerdotis, aut omissione Missæ mortis periculum pœnitenti immineret. Unde miramur quam inhæsitanter Leander asseruerit, etiam propter hoc non posse pœnitentes rationabiliter a confessione retrahi. Si enim vitæ jacturam accipere ex confessione, eam odiosam non reddit, non apparet cur fieret odiosa ex directa revelatione sigilli in casu ubi dumtaxat pœnitentis fama denigraretur; cum hæc minoris momenti sit.

44. Colligitur septimo, sacerdotem vocatum ad audiendam confessionem illius, quem scit sibi scandalum esse, non teneri adire. Ita N. Antonius ubi supra, numer. 1574, Lugo disput. 23, num. 116, Dicastillo disput. 12, num. 171. Nam vel scandalum, aut occasio ruinæ spiritualis oritur ex sacerdotis fragilitate, qui dum pœnitentis peccata audit, ingentes experitur concupiscentiæ tentationes, aut lapsus? Vel ex ipso pœnitente, qui in priori confessione sacerdotem ad malum sollicitavit? Si primum, certum est sacerdotem adire pœnitentem non teneri, nec ibi aliquam sigilli violationem intervenire; siquidem motivum, quo detinetur, non est notitia peccatorum pœnitentis, sed propriæ fragilitatis. Si secundum, etiam non cogitur, tum quia si pœnitens ad priorem confessionem vocavit sacerdotem non serio animo se confitendi, sed potius illum sollicitandi, ad malumque inducendi, illa confessio ex intentione pœnitentis non est sacramentalis, proindeque sigilli obligationem non inducit, sed solius naturalis secreti, quo sacerdos uti potest ad propriam ruinam præcavendam. Tum, quia ea provocatio ad malum non est peccatum, quod pœnitens in priori confessione confitetur, sed quod in ipsa commisit, atque ideo sub sigillo non cadit. Unde quemadmodum si pœnitens absolutione indignus mortem sacerdoti minetur ut eum absolvat, potest sacerdos absque ulla sigilli violatione fugere, et non redire, eo quod minæ illæ confessionis materia non extitere, sed peccatum ibi commissum; ita

ita in præmisso casu licet non accedere. Sed quid si sacerdos semel, et iterum pœnitentem indispositum absolvit, et rursus vocatur ab eodem serio animo se confitendi, licet adhuc indispositus? Respondetur, posse sacerdotem se excusare, si aliam habeat causam id faciendi : si vero non habeat, et aliunde intelligatur saltem in genere eam excusationem fieri ob pœnitentis indispositionem, non posse non ire ; posse tamen initio confessionis eum dimittere, et admonere ne iterum inutiliter eum vocet. Ita N. Antonius tract. 5, disp. 18, sect. 6, Perez disp. 54, sect. 13, Lugo ubi supra, num. 117.

45. Colligitur octavo, confessarium, qui per confessionem novit aliquem, cui confiteri solebat, non esse sacerdotem, posse abstinere a confessione illi facienda, si inde nullum dedecus pœnitentis sequitur, nec ulla confessionis suspicio. Ita N. Franciscus ubi supra, num. 55, Sanchez de Matrimonio disput. 16, num. 5, Sylvester verbo *Confessio* 3, quæst. 19, Dicastillo num. 158, Lugo num. 105, Henriquez, Coninchus et alii. Si vero id fieri non posset, quin ex usu illius notitiæ confessionis quid incommodi pœnitens subiret, aut peccati confessi revelatio aliqua indirecte resultaret (quem eventum non communem, et practicum, sed apprehensione fabricatum censemus) consequenter dicendum est, debere sacerdotem illi iterum quoad exteriorem cæremoniam confiteri, et alteri, qui legitimam absolvendi potestatem habeat, serio se accusare. Quod etiam docent citati Authores.

46. Colligitur nono, non posse sacerdotem pœnitentiam pro peccatis injunctam manifestare, si fuerit signum culpæ lethalis certæ, aut dubiæ, vel specialium peccatorum venialium quoad numerum, vel speciem ; secus vero si pœnitentia adeo levis existat, ut ex ea nihil intelligi valeat, nisi pœnitentem venialia confessum fuisse. Quemadmodum enim licet sacerdoti dicere in genere : « Titius mihi confessus est, » vel etiam dicere : « mihi confessus est « venialia ; » ita contra sigillum non est levissimam pœnitentiam manifestare : hinc enim pœnitens non major cognoscitur peccator, quam ex eo præcise, quod ad confessionem accesserit. Docent Dicastillo disput. 12, num. 122, Lugo disput. 13, num. 89, Granados 2, 2, controvers. 7, Diana tom. 5, tract. 11, resolut. 31, N. Franciscus tract. 6, cap. 14, numer. 34. Granad. Diana.

47. Tandem colligitur, non posse sacerdotem confessionis schedulam denegare illi, quem ob ejus indispositionem non absolvit, si sciatur ipsi confessum fuisse. Quod a fortiori asserendum est ubi sacerdos absolutionem distulit, ut pœnitens, quem rediturum speˊrat, melius se disponeret. Ea quippe denegatio indirecte proderet peccatum, ac pœnitentis conscientiam. Unde sicut nequit sacerdos dicere : « Non « absolvi Petrum mihi confessum : » quia hæc loquutio vehementem generat suspicionem vel de casu reservato, vel de alia pœnitentis indispositione ; sic nec schedulam denegare, ut pœnitens satisfaciat Patri, hero, aut aliis testimonium de confessione inquirentibus : hæc enim denegatio est quædam practica loquutio præcedenti æquivalens. Tenent Palaus, Coninchus, Medina, Layman, Fagundez, Diana, Henriquez, N. Gabriel a S. Vincentio, Aversa, quos refert, et sequitur N. Franciscus ubi supra, punct. 3, num. 30. Illatio ultima. Palaus, Coninch. Medina, Layman, Fagund, Diana, Henriq. N. Gabr. N. Franc.

Oppositum vero satis probabiliter docent Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 4, num. 7, Dicastillo num. 119, N. Antonius ubi supra, sect. 3, num. 1542, N. Bonæ Spei, quibus adhæret Lugo num. 87. Idque suadent, tum quia sacerdos in ea schedulæ denegatione nihil de peccatis confessis revelat, sed tantum non approbat confessionem, quam approbare non debet. Tum, quia sacerdos hujusmodi schedulam meretrici, aut peccatori publico non absolutis largiendo, cooperatur impœnitentium fraudibus, qui eo testimonio suffulti Dominos aut parochos deciperent. Tum etiam : nam quoddam genus mendacii esset testificare in schedula confessum fuisse eum, qui nullam fecit confessionem. Respondetur tamen ad primum, sacerdotem denegantem schedulam pœnitentis peccata expresse non prodere, prodere nihilominus implicite : quia in prudentum existimatione censetur practice operibus dicere, pœnitentem ad confessionem indispositum accessisse. Ad secundum dicendum est, sacerdotem schedulam concedendo, sui officii munus explere ; si autem pœnitens ea abutitur, id sibi imputet : quippe sacerdos circa ejus fraudes mere permissive se Bonacin. Dicast. N. Anton. N. Bonæ Spei, Lugo.

habet, ne confessionem revelet. Ad tertium respondetur, quod licet pœnitens non absolvatur, re vera coram sacerdote se accusat in ordine ad absolutionem, proindeque confessionem efficit quodammodo sacramentalem ; sacerdos igitur ea schedulæ concessione solum testatur pœnitentem confessum fuisse ; quod verum est, an vero absolutus prodierit vel non, nihil exprimit.

§ II.

Specialis difficultas circa usum notitiæ confessionis ad externam gubernationem.

48. Materia præsentis dubii tot difficultatibus scaturit, totque diversorum eventuum combinationibus exundat, ut impossibile sit vel omnes simul decidere, vel seorsim perficere. Plures tamen in præcedentibus examinavimus, aliasque in sequentibus attingemus, unde quid ad similes, vel etiam dissimiles, aut diversæ combinationis dicendum sit, quisque facile deprehendet. Præsertim cum sit regula generalis tunc sigilli violationem non intervenire, cum nec motivum suspiciendi de confessione tribuitur, nec aliquid fit ex notitia confessionis, quod in pœnitentis incommodum aliqualiter cedat. Itaque ubicumque Authores in hac materia discriminantur, nusquam dissidium est an sigillum sit observandum, vel non? Id quippe omnino extra dubium habetur, et tanquam certum a cunctis supponitur sigillum aperiri nunquam licere. Militat igitur dissensio an hic, et nunc, in isto aut in illo casu elicientia hujus actionis, aut prolatio illius verbi sit directa aut indirecta violatio sigilli, vel nulla; quod plane ex ipsis rerum circumstantiis pendet. Ibi autem maxime contingere posset hujusmodi indirecta confessionis proditio, ubi sacerdotes, aut prælati uterentur confessionis notitia ad externam subditorum gubernationem, eos ab officiis removendo, vel illis suffragia in electionibus denegando. Quæ est adeo ingens difficultas, plures complectens, ut Auctores in varia placita sparserit, quæ Lugo sect. 5, § 1 recenset, ac eorum quilibet tot propriæ sententiæ limitationes apponit, ut vix intelligi valeat quid tandem doceat.

Lugo.

Ut igitur cum majori claritate procedamus, animadvertendum est, in præsenti sermonem fieri non solum de Prælatis inferioribus, ac Superioribus Regularium, verum etiam de quibuscumque aliis : doctrina enim communis est et ratio quæ suadet de Priore, aut Abbate posse, aut non posse uti confessionis notitia ad removendum subditum a suo ministerio, id etiam convincit de Provincialibus, Generalibus, Episcopis, Archiepiscopis, et similibus, ut ex dicendis constabit. Item observari debet, Prælatum cognoscentem intra confessionem peccatum subditi, ratione cujus indignus redditur ministerio, vel ipsum ministerium esse illi occasionem proximam labendi in tale peccatum, teneri intra Sacramentum remedium, quoad fieri possit, adhibere, pœnitentem admonendo, ut sponte officium dimittat ; quod si noluerit, quid Prælato faciendum sit, qualiterque se gerere debeat, ne confessionem prodat, inquirimus. Pro quo ulterius observa, officia esse in duplici differentia : quædam enim sunt ad nutum Prelati amovibilia, uti officium Procuratoris, Ostiarii, Sacristæ, et similium ; quædam vero habent sibi annexam jurisdictionem subalternatam, aut subalternantem, qualem officia Prioris, Superioris, et aliorum in Religione nostra sibi vendicant, quæ proinde ad Prælatorum arbitrium auferibilia non sunt. Si ergo de posterioribus loquamur, certum, et constans est apud omnes non posse Prælatum ex vi notitiæ confessionis subditum ab hujusmodi officiis amovere : nam, ut recte vidit Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5, circa finem, cum subditi, habeant jus possidendi, ab officiis arceri nequeunt sine causa in foro judiciali externo probanda ; Prælatus autem peccatum in confessione notum ad forum externum deferre nequit, tum quia id esset expresse pœnitentis conscientiam prodere, ac sigillum directe violare ; tum quia testificatio criminis in confessione noti nullam in foro externo vim habet, ut patet ex cap. 2, de Offic. Ordin. et cap. *Dilectus* de excessibus Prælatorum.

49. Quocirca tota difficultas devolvitur circa ministeria prioris generis, et inquirit an Prælatus cognoscens per confessionem peccatum, et indignitatem subditi, possit illum deponere a suo ministerio ad nutum

nutum amovibili, si aliæ causæ externæ non existant ? Resolutio est negativa, et his temporibus probabilior, ac omnino vera sententia, quam tuentur D. Thomas quodlib. 5, art. 13, N. Franciscus punct. 3, num. 47, Bannez 2, 2, quæst. 23, art. 8, Thomas Sanchez lib. 3, de Matrim. disp. 16, Aversa quæst. 18, sect. 8, N. Gabriel a Sancto Vincentio quæst. 5, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 4, num. 14, et 16, Stephanus a S. Paulo num. 219, Gonet disp. 11, art. 1, § 3, num. 17, Lugo disp. 23, sect. 5, num. 93, Dicastillo disp. 12, dubit. 7, a num. 138, et sequent. Armilla verb. *Confessor*, num. 7, Castro Palao punct. 19, § 3, num. 20, Delrio lib. 7, disquisit. sect. 2, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 14, quæst. 2, num. 22, Coninchus disp. 9, dub. 4, num. 6, Suarez disp. 33, sect. 7, num. 4, in fine, Leander quæst. 63, et 64, referens Malderum, Fagundez, Joannem a Cruce, Dianam, Filliucium, Ægidium, Candidum, Granados, et alios. Suadeturque primo ex decreto Clementis VIII, de casibus reservatis pro Regularibus expedito anno 1594, ubi cap. 4 hæc habentur : « Tam superiores pro tempore « existentes, quam confessarii, qui postea « ad superioritatis gradum fuerint pro- « moti, caveant diligentissime, ne ea « notitia, quam de aliorum peccatis in « confessione habuerunt, ad exteriorem « gubernationem utantur... Atque ita per « quoscumque Regularium superiores, qui- « cumque illi sint, observari mandamus. » In quibus Sanchez (qui in moralibus pro multis computatur) rem aperte decisam censet. Unde merito inquit Lugo, se nescire qualiter opposita sententia post hujusmodi decretum sustineri valeat ; eamque quantumvis Magno Doctorum numero fulcitam, omnino ab Ecclesia fore eliminandam, subdidit Dicastillo.

Porro licet prædictum decretum solum videatur de Regularibus procedere, ex eo tamen colligitur doctrina universalis pro omnibus sacerdotibus, et quibuscumque prælatis. Tum, quia ideo prohibetur Regularibus usus notitiæ confessionis ad gubernationem externam, quia hujusmodi usus censetur esse in detrimentum sacramenti pœnitentiæ, ac violativus sigilli ; sed nulla major ratio est cur apud Regulares sit talis, et non apud alios : non enim apparet cur actio removendi subditum ab officio ob notitiam confessionis posita in Priore aut Abbate Conventus sit contra reverentiam, et secretum sacramenti ; et eademmet actio exercita ab episcopo, aut a quolibet alio sacerdote non sit ejusdem conditionis : ergo ea Pontificis decisio doctrinam generalem pro omnibus affert. Tum etiam : quoniam vel prædictus usus scientiæ confessionis ad externam gubernationem supponitur illicitus ex natura sacramenti, et præcepto Christi pro priori ad decretum Clementis, vel non ? Si primum : ergo eodem modo se habet apud Regulares, ac apud non Regulares : nec enim Christus diversum sacramentum pro istis ac pro illis instituit ; nec præceptum sigilli a Christo Domino impositum pro diversitate subjectorum sacramentum administrantium variatur, ut ex se liquet. Secundum autem dici nequit : nam prædictum decretum procedit cum omnimoda universalitate, ita ut Regularibus interdicat uti scientia confessionis ad externam gubernationem in omni eventu ; lex autem Pontificia nequit ita universaliter urgere, si aliunde ille usus ex institutione, et natura sacramenti illicitus non supponitur ; cum jus pure ecclesiasticum, et a divino præscindens non obliget cum detrimento propriæ vitæ, nec cum dispendio boni communis Reipublicæ, Regni, aut Ecclesiæ. Ergo si ea decisio limitationem non admittit, ideo est quia supponit illicitum ex natura rei usum scientiæ sacramentalis ad gubernationem externam. Eo vel maxime, quia ut recte expendunt Dicastillo num. 141, et Lugo num. 94, si ille usus ex se licitus esset, non semel foret etiam necessarius, et ex naturali præcepto debitus, proindeque Prælati regulares non solum possent, sed etiam deberent cognita indignitate subditi in confessione vel illum ab officio removere, dum cederet in damnum commune, vel illi in electione secreta suffragium denagare, ne scienter eligerent indignum, cum hoc ex se malum sit. Si autem ex naturali præcepto tenentur Prælati id facere, nequit oppositum Pontifex decernere ; alioqui circa præcepta naturalia disponere posset. Relinquitur ergo, usum notitiæ confessionis ad externam gubernationem ex natura rei esse illicitum, Clementisque decretum novum jus non induxisse, sed antiquum, et divinum expli- Dicast. Lugo.

cuisse, et corroborasse. Unde audiendi non
Gonet. Suarez. sunt Gonet, et Suarez, qui licet in re nobiscum sentiant, totam vim in posita lege Ecclesiastica consignant, quasi ea sola posset in omni eventu constringere.

Fundament. I. 50. Deinde suadetur resolutio ratione satis efficaci, qua sæpe usi fuimus, quæque etiam universaliter convincit, et premere debet Adversarios, cum ad hominem procedat. Nam juxta eorum, et omnium doctrinam, motivum potissimum, ob quod sigilli vinculum indispensabiliter urget in omni eventu, ita ut nunquam abrumpi possit etiam cum dispendio boni communis, illud est, ne confessio difficilis paretur, et ab ea fideles arceantur : sic enim magni fecit Christus Dominus hujus sacramenti piaculum, sicque illius usum suavem ac tolerabilem esse voluit, ut quæcumque damna, quæ ex sigilli retentione subsequi possent, posthabuerit, et omnia tanquam minoris aut nullius momenti respectu violationis sigilli æstimanda decreverit; sed nihil confessionem ita gravem, et exosam reddere posset, nihilque ab ea fideles amplius arceret, quam si scirent posse sacerdotes uti confessionis notitia ad externam gubernationem denegandi suffragia in electionibus, removendi eos ab officiis, privandi honoribus, muneribus, et similibus, quæ tanti habentur, et ad quæ omnes maxime afficiuntur : ergo illicitum est sacerdotibus , et prælatis hæc omnia ex solius confessionis notitia exercere. Ex quo palam habetur, confessionem odiosam fieri etiam independenter ab eo, quod pœnitens hic, et nunc advertat eas actiones elici a sacerdotibus ob notitiam peccati confessi : nam si re vera ex sola ea notitia eliciuntur, quod exercite advertantur vel non, per accidens est. Si enim antecedenter scirent id licere sacerdotibus, a peccatis manifestandis detinerentur, verentes ne ob eorum manifestationem ea damna sibi obvenirent, dum non intelligerent.
D. Th. Quod fundamentum desumitur ex D. Thoma quodlib. 5, art. 13, in argumento *Sed contra est*, inquit, « quia nihil est faciendum in præjudicium confessionis ; esset autem in præjudicium confessionis, si subditus ab administratione removeretur propter crimen, quod suo Prælato confessus est, quia per hoc alii retraherentur a confessione : non ergo debet Prælatus subditum ab administratione removere propter peccatum, quod ei confessum est. »

Confirmatur primo ex Tridentino sess. 14, cap. 7, ubi expendens quo pacto utilissimum sit graviorum criminum absolutionem superioribus reservari, subdit : « Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores pro beneficio absolutionis accedant. » Si autem ex uno capite adstringerentur pœnitentes ad superiores pro graviorum criminum absolutione accedere : et ex alio liceret superioribus usus scientiæ sacramentalis ad prædictas actiones removendi subditos ab officiis, aut beneficiis, et privandi eos aliis honoribus ; non utilissima criminum reservatio existeret, sed durissimum, et intolerabile onus, quod in sacramenti pœnitentiæ detrimentum admodum vergeret. Cum enim hominum imbecillitas avide in altiora propendat, honorifica inhiat, vehementerque ambiat, qualiter pœnitentes pro obtinenda peccatorum absolutione superiores adire auderent, si ab eisdem ob confessionis scientiam removendos a ministeriis, vel ad ea non admittendos scirent? Id utique ansam tribueret vel ad sæpe dimidiandas confessiones, vel ad omnino omittendas.

Confirmatur secundo : nam sigillum, ut omnes fatentur, non solum obligat respectu aliorum, sed etiam respectu ipsius pœnitentis : ergo quemadmodum illicitum est sacerdoti non solum revelare aliis peccata confessa, verum etiam aliquid efficere unde suspicientur, aut prudenter suspicari possint de pœnitente; ita illicitum erit non solum loqui extra confessionem cum pœnitente de peccatis sub sigillo existentibus, verum, et elicere eas actiones, quibus sibi peccatum implicite exprobatur, et motivum suspicandi de confessione tribuatur. Atqui amotio subditi ab officio ex sola confessionis notitia, et ubi alia causa exterior non existit, ut supponimus, est re ipsa implicita peccati exprobratio, et motivum sufficiens ut pœnitens prudenter suspicetur id fieri ob peccatum Prælato in confessione detectum : ergo ea actio illicita est. Minor subsumpta liquet : quippe si ante confessionem nulla causa removendi subditum ab officio apparebat, ideoque prælatu

prælatus illum in suo ministerio conservabat, nec post confessionem aliqua denuo suborta est, unicæ subditus confessioni prælato factæ eam ab officio amotionem adscribere posset, idque ingens motivum, saltem suspicandi, esset. Eo vel maxime, quia sicut non licet revelare aliis peccata, etiam ubi periculum non est quod pœnitens id sciat; ita nec ex vi notitiæ confessionis aliquid efficere in præjudicium pœnitentis, adhuc in eo eventu, in quo ipse nec suspicatur, nec suspicari potest de usu scientiæ confessionis; amotio autem subditi ab officio incommodum est pœnitentis, quod proinde ex se confessionem odiosam reddit. Per quæ satis confirmantur ea, quæ supra a num. 38 et 39 statuimus: eadem quippe utrobique est difficultas.

51. Oppositam vero sententiam ante decretum Clementis plurimi antiquorum propugnavere, quos refert Sanchez ubi supra, et post decretum nonnulli recentiores, Reginaldus lib. 3, cap. 2, num. 16, Villalobos tract. 9, diffic. 75, num. 1, Ledesma cap. 22, dub. 3, Vega 1 part. summ. cap. 63, casu, 24, Nugnus quæst. 11, art. 1 ad 6 et alii apud Leandrum quæst. 63. Suaderique potest primo: quia Prælatus per confessionem subditi sibi factam non amittit jus, quod habebat; sed ante confessionem habebat jus eligendi, vel non eligendi, removendi, vel non removendi subditum ab officio ad nutum amovibili; ergo eodem jure gaudet post confessionem, poteritque proinde subditum ob solam scientiam sacramentalem ob officio amovere. Secundo: nam sacerdos solum cogitur ad tegendam confessionem; amotio autem subditi ab officio nec confessionem prodit, nec tribuit motivum suspicandi de crimine confesso, cum supponatur officium esse amobile ad arbitrium Prælati. Tertio, quoniam si Prælatus ante subditi confessionem illum ab officio removeret, vel illi suffragium in electione denegaret, irrationabiliter pœnitens conquereretur, cum injuria illi non fiat: ergo, et post confessionem emissam erit irrationabilis querela, et quælibet suspicio denegationis, aut amotionis ob peccatum confessum. Quarto: quia sacerdoti non est prohibitus omnino usus scientiæ confessionis: potest enim ea uti ad dirigendos actus humanos, ubi potest sine alterius nocumento, et periculo propalandi peccata; unde ex auditis in confessione potest fieri cautior, v.g. ad vitandum talem cibum ne sanitati noceat, vel commercium, aut familiaritatem cum tali persona, a qua pœnitens damnum accepit: sæpe enim discunt sacerdotes in confessione, qualiter se extra gerere debeant. Ergo cum in casu quæstionis nulla tribuatur suspicio peccati, et alias injuria pœnitenti non fiat, siquidem jus non habet petendi, vel conservandi rem gratuitam, aliundeque ablatione occasionis peccandi ejus bono spirituali consulatur, licitum erit prælato uti confessionis scientia, ut subditum a ministerio deponat, vel ei suffragium deneget.

Respondetur nihilominus ad primum, subditi confessionem jus pristinum prælati non tollere; hic autem ante confessionem jus non obtinebat amovendi subditum ab officio ob notitiam confessionis. Potest itaque prælatus absolute, et ob alias causas aliter cognitas eam amotionem facere; non tamen ad id moveri ex scientia peccati confessi. Unde quemadmodum sacerdos, qui extra confessionem crimen aliquod noverat, et postmodum in confessione audit, jus non amittat loquendi de illo; obligatur tamen ad non plus loquendum quam extra confessionem scit, atque ideo ad non manifestandam hanc aut illam circumstantiam, quam sacramentaliter novit; ita prælatus, licet absolute loquendo jus habeat amovendi subditum a suo ministerio, id exercere non potest ob ea, quæ sub sigillo accepit. Ad secundum dicendum est, eam amotionem ab officio ex sola confessionis scientia, et ubi alia causa non adest, esse implicitam exprobrationem peccati, practicam de eo loquutionem, et sufficiens motivum ut de crimine suspicetur. Et quamvis contingere possit, ut nec alii, nec pœnitens, ob prælati cautelam, id intelligant, aut suspicentur; adhuc tamen sigillum violatur: nam ad id satis est eam actionem esse in detrimentum pœnitentis; nec opus est, ut quis sigillum offendat revelare confessionem, ut patet in eo, qui de peccatis sibi confessis loquitur deinceps cum pœnitente: huic enim nihil revelat, cum jam sua crimina sciat; delinquit tamen contra sigillum, quia ea loquutio est pœnitenti ingrata. Et ratio est: quoniam revelatio sive directa, sive indirecta confessionis non prohibetur quia revelatio

Solvitur.

præcise, sed quia affert nocumentum pœnitenti, cui sacramentum favet : ergo omne id, quod ex scientia confessionis fit in incommodum, et detrimentum pœnitentis, est prohibitum sub sigillo. Cum ergo amotio subditi ab officio ex sola scientia confessionis sit illius detrimentum, nequit non esse illicita prælato, quidquid sit an subditus hic, et nunc usum scientiæ confessionis advertat, vel non. Semper enim hujusmodi actiones ex se confessionem odiosam reddunt, pœnitentesque ab usu sacramenti removent. Per quod patet etiam ad tertium : nam licet pœnitens nullam habeat causam justæ quærelæ, dum ante confessionem ab officio gratuito deponitur; habet tamen ubi prælatus ex confessione sibi facta ad id movetur, siquidem fidelitatem non servat in secreto sibi commisso, et illis, quæ sibi ut Deo dicta sunt, utitur ad externum forum, et ad damnum temporale pœnitenti inferendum.

Constat etiam ad quartum : fatemur quippe non omnem usum scientiæ confessionis esse illicitum ; contingere enim potest, sacerdotem ex notitia sacramentali cautiorem fieri ad exercendas plures actiones, quæ nec suspicionem de peccatis sub sigillo existentibus præbeant, nec damnum aliquod pœnitentibus afferant, quales sunt quæ in objectione recensentur, in quibus et similibus non est unde sacerdos violator sigilli censeatur. Principium enim ad id cognoscendum est, an actio, quam sacerdos ex notitia confessionis exercet, eam gravem ac difficilem paret, vel non? Prædictæ autem actiones, quæ nec peccata produnt, nec in pœnitentium incommodum cedunt, confessionem exosam non efficiunt. Ceterum si actio talis conditionis sit, ut licet hic, et nunc vel ob cautelam sacerdotis, vel ob aliorum distractionem, aut inadvertentiam peccatum non manifestet, nihilominus est ingrata pœnitenti, illique molestiam infert, nequit non esse sigilli violativa ; et ita in præsenti contingit, ut dictum est. Nec refert, pœnitentem jus non habere ad conservationem officii gratuiti, aut ad nutum amovibilis : inde enim ad summum sequitur eam amotionem non esse proprie injuriam pœnitentis, prout injuria importat actionem contra justitiam, aut lædentem jus alterius ; non tamen quod non sit injuria prout hæc significat damnum, aut incommodum, quod re ipsa obveniat pœnitenti ex privatione ministerii, aut non electione ad officium ; hoc autem sufficit ut confessio fiat odiosa, et pœnitentes motivum accipiant ad eam non accedendi, ne ob criminum manifestationem incommodum reportent. Præterquam quod injuria non irrogatur subdito ex negatione rei debitæ, sed ex modo denegandi rem indebitam: est enim sacerdos infidelis circa secretum sub arctissimo sigillo sibi commissum, et eam notitiam in detrimentum pœnitentis convertit, eum privando temporalibus commodis. Quod autem ea amotione ab officio ejus bono spirituali consulatur, quatenus occasio peccandi aufertur, nihil similiter refert : etenim qui denegat Eucharistiam in publico peccatori occulto cognito ut tali in confessione, illius bono spirituali consulit, cum illum a sacrilegio committendo removeat ; et nihilominus ea denegatio est illicita, quia est in denigrationem honoris, aut in jacturam temporalis boni pœnitentis. Sufficit itaque ministeria censeri bona temporalia subditi, ut ab illis ob solam confessionis notitiam amoveri nequeant sine violatione sigilli.

52. Urgentius autem nobis objicere possent adversarii authoritatem D. Thomæ loco cit. ex quodlib. 5, art. 13, in corp. ubi inquit : « Dicendum, quod id, quod per « confessionem auditur, nullo modo est « manifestandum nec verbo, nec signo, « nec nutu, nec etiam aliquid est faciendum, unde in suspicionem peccati aliquis « possit devenire. Si ergo amotio subditi « ab administratione posset inducere ad « manifestandum peccatum in confessione « auditum, vel ad aliquam probabilem sus« picionem habendam de ipso, nullo modo « prælatus deberet subditum ab adminis« tratione removere ; puta, si in aliquo « monasterio esset consuetum quod Priores « non amoverentur de suis Prioratibus nisi « propter culpam ; manifestaretur peccatum confitentis per remotionem ab ad« ministratione. Unde si Abbas hoc faceret, « graviter peccaret tanquam confessionem « revelans. Posset tamen eum secreto cha« ritative admonere, ut cum instantia pe« teret cessionem, si hoc videret saluti « ejus expedire. Si vero per amotionem « ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur

« manifestaretur, puta si in aliquo mo-« nasterio esset consuetum quod Abbas « pro suo libito de facili aliquos ab admi-« nistratione removeret, tunc alia occasione « accepta posset subditum sibi confessum « ab administratione removere, et deberet « hoc facere, cum debita tamen cautela, si « talis administratio esset subdito pericu-« losa in posterum ; quamvis etiam, et in « hoc casu melius esset quod eum induce-« ret ad cessionem petendam. » In quibus manifeste sermonem facit de officiis ad nutum, et de facili amobilibus ; et distinguens inter depositionem subditi a ministerio inducentem suspicionem peccati, et inter non inducentem, asserit de prima illicitam esse ; de secunda autem non solum docet posse fieri, sed vel prælatum teneri alia occasione accepta, aut prætextu quæsito ad ita faciendum, cum debita tamen cautela. Similia habet in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 1, ad 3, et urgentiora ad 4, ubi ait : « Dicendum, « quod ex multis aliis causis aliquis reddi-« tur indignus ad Prælationis officium « quam ex peccato, sicut ex defectu scien-« tiæ, vel ætatis, vel alicujus hujusmodi ; « et ideo qui contradicit » (in electione intellige) « nec suspicionem de crimine « facit, nec confessionem revelat. » Ex quibus locis deprompta sunt a discipulis ea, quæ habentur in supplem. quæst. 11, art. 1, quæque idem continent.

53. Verum ut clarius patefiat quid D. Thomas in objecta auctoritate sentiat, prius decidendum est quid debeat facere prælatus ubi ultra notitiam peccati, quam habet in confessione, adsunt aliæ causæ ad deponendum subditum a suo ministerio ? Ad quod consequenter ad ea, quæ hactenus statuimus, cum distinctione respondendum est, et respondere tenentur omnes, qui in casu præcedenti nobiscum sentiunt. Etenim vel hujusmodi causæ aderant ante confessionem subditi factam prælato, vel post confessionem oblatæ sunt ? Si ante confessionem aderant, easque prælatus percaluerat, et nihilominus subditum in officio conservabat, nequit post confessionem eum a ministerio removere absque sigilli violatione : quia si illæ causæ prius ut sufficientes cognitæ prælatum ad eam actionem non excitabant, et post peccati confessi notitiam ad id movetur, signum est scientiam confessionis influere efficaciter in eam subditi depositionem : quod ex se reddit confessionem odiosam, et suspicionem de crimine facit. Si vero ante confessionem prælatus jam ex illis causis motus erat, differebat tamen, quia opportunum tempus expectabat, potest eo accedente eam amotionem executioni mandare. Idemque dicendum est ubi causæ post confessionem accedunt, et ex illis, et non ex notitia confessionis movetur prælatus ad ita procedendum, ut recte docet Henriquez quodlib. 8, quæst. 16. Quæ omnia convincunt motiva, quæ supra expendimus, et præsertim ratio D. Thomæ num. 50 explicata : nam illa verba : « Nihil est fa-« ciendum in præjudicium confessionis ; « esset autem in præjudicium confessionis « si subditus ab administratione remove-« retur propter crimen, quod suo prælato « confessus est, quia per hoc alii retrahe-« rentur a confessione : » generaliter suadent non solum esse illicitam amotionem subditi a suo ministerio ex sola confessionis scientia, sed etiam ubi aliæ causæ existunt, et ab illis prælatus non movetur ; siquidem tunc re ipsa verificatur quod subditus deponitur a ministerio propter peccatum, quod suo prælato confessus est, et non ob alias causas, quæ efficaciter moveant. Amotio autem ab officio propter peccatum confessum est in præjudicium confessionis, inquit D. Thomas, et illam facit odiosam, quia « per hoc alii retraherentur a confes-« sione : » ansam enim pœnitentibus tribueret ne ob timorem amittendi officia, aut alia bona, peccata sacerdoti manifestarent. Ergo etiam illicitum est prælato amovere subditum ab officio, ubi aliis causis existentibus ab illis non movetur, sed a confessionis scientia.

Henriq. D. Tho.

54. Unde satis constat ad objectionem ex locis D. Thomæ efformatam. Nec enim censendum est Sanctum Doctorem sibi contrarium stetisse, quum in tesmonio proxime expenso perspicue nostram sententiam doceat, et efficaci ratione evincat. Itaque sensus D. Thomæ in priori authoritate non est quod ubi prælatus suspicionem de crimine non facit, potest, et debet moveri ex notitia confessionis ad deponendum subditum a suo ministerio, alio colore aut prætextu utens : hoc quippe cum re ipsa sit amovere subditum propter

Objectioni satisfit.

peccatum confessum, esset in præjudicium confessionis, et fideles ab usu sacramenti arceret, ut ex se liquet. Alias si in eo sensu loqueretur, doctrinam, quam in argumento *sed contra* statuerat, in corpore ejusdem articuli desereret. Intendit igitur posse, et debere prælatum, cui subditus confessus est, illum ab officio amovere ubi alia causa occurrit, quæ efficaciter moveat. Hanc autem esse mentem legitimam D. Thomæ constat tum ex proxime dictis, tum ex verbis quibus utitur; inquit enim : « Tunc alia « occasione accepta, posset, etc. » ubi ly *accepta* notanter appositum est ad significandum prælatum passive se habentem ad recipiendam aliam causam deponendi subditum ; non vero active quærentem occasionem : quia ly *accepta* non valet idem ac ex vi notitiæ confessionis active quæsita, sed ab extrinseco oblata, et ultro accedente, quæ si sufficiens sit, et efficaciter influat, poterit prælatus eam depositionem exercere, « cum debita tamen cautela » subdidit Ang. Doctor : quod non ideo dixit, ut prælatus solum vitet suspicionem prudentialem : hæc enim sufficienter præcavetur, si subditus deponitur ex alia causa, aut occasione, quæ ultro se se offert ; sed etiam quamlibet aliam adhuc minus rationabilem, quam pœnitens circa peccatum confessum concipere posset.

Per quod etiam patet ad ea, quæ habet in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 1, in solutione ad 3. Eundem enim sensum
D. Tho. continuent, ut colligitur ex illis, quæ ibidem præmittit : « Similiter autem absque « læsione conscientiæ potest prælatus im- « punitum dimittere peccatum, quod scit « ut Deus, vel sine aliquo remedio : quia « non tenetur adhibere remedium nisi eo « modo quoad ipsum defertur. Unde in « his, quæ deferuntur in foro pœnitentiæ, « in eodem foro debet quantum potest ad- « hibere remedium, ut Abbas in casu « prædicto admoneat eum ut Prioratum « resignet. » Et ex illis, quæ in solutione ad 1 præmiserat : « Illud autem, quod in « confessione scitur, est quasi nescitum, « cum nesciat ut homo, sed ut Deus. » Cum ergo id, quod est nescitum, nullo modo influat in actionem, consequens est D. Thomam non sentire posse prælatum removere subditum ab officio propter peccatum confessum, alio prætextu quæsito : tunc enim jam peccatum nescitum influeret in subditi desitionem. Nec plus urgent, quæ recensentur in ultimo testimonio ex solut. ad 4, quippe ibi loquitur D. Thomas de prælato non solum cognoscente peccatum, aut indignitatem subditi in confessione, sed etiam habente alias causas exteriores, uti sunt defectus scientiæ, ætatis, vel alterius hujusmodi, a quibus moveatur ad contradicendum in publica subditi electione. Si enim prælatus contradicit has causas objiciendo, necesse est D. Thomam supponere eas existere, alias prælatus illas objicere non posset.

55. Ex quibus omnibus colliges, Prælatum, Magistrum novitiorum, aut quemlibet alium sacerdotem non posse denegare suffragium ad officium, beneficium, præbendam, aut professionem illi, quem solum intra confessionem cognovit indignum, sive alias electio sit publica, sive secreta. Similiter nec posse prælatum ex vi peccati in confessione sibi noti subditum extra sacramentum mortificare, nec causas consulto quærere mortificandi, denegandi suffragium in electione, aut deponendi ab officio : hæc enim, et similia, cum damnum pœnitentibus afferant, si licerent, confessionem perdifficilem redderent, nec pœnitentes conscientiæ sinus aperirent. Concedunt tamen Doctores non esse contra sigillum uti confessionis scientia, ubi nec suspicio de peccato tribuitur, nec aliquid fit ingratum, et incommodum pœnitenti. Unde poterit sacerdos cautior fieri ad custodiendas res suas, et prælatus vigilantior super gregem mediis his quibus alii utuntur : quemadmodum potest etiam preces coram Deo fundere pro pœnitentis salute, libros pro illius instructione evolvere, et alia hujusmodi facere, quæ sacramenti usui, ac pœnitentibus favent. Qua etiam ratione contra sigillum non est, prælatum, aut quemlibet alium sacerdotem uti confessionis notitia ad peculiaris benevolentiæ signa subdito aut pœnitenti ostendenda, ubi per confessionem comperiunt, pœnitentem, vel magna fidelitate conscientiæ latebras aperire, cunctaque crimina etiam occultissima detegere, vel diu sine gravi crimine vixisse. Tunc enim ea benevolentiæ signa, et in pœnitentium favorem cedunt, et ortum non ducunt ex notitia peccati confessi, sed potius ex ingenti

genti puritate, aut humilitate, quæ obiter in confessione innotescunt.

DUBIUM IV.

Utrum sacerdos possit prodere peccatum sibi confessum de licentia pœnitentis?

56. Quamvis ex hactenus dictis, præsertim a num. 36, satis constet non licere sacerdoti loqui de auditis in confessione sine pœnitentis licentia, compertum non est an ea concessa possit : quippe nonnulli autumant crimina sub sigillo existentia esse omnino extra pœnitentis jurisdictionem, nec ab ejus arbitrio pendere, subindeque nec licentiare posse sacerdotem ut confessionem revelet. Pro cujus resolutione supponendum est, sacerdotem habentem notitiam extra sacramentalem eorum, quæ audivit in confessione, posse de illis loqui; ita tamen ut non plus dicat quam extra sacramentum scivit. Quæ est doctrina communis Doctorum contra nonnullos antiquos, quos suppresso nomine refert, et rejicit D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 3 in corpor. ubi ait : « Quidam enim « dicunt quod illud, quod aliquis audit in « confessione, non potest aliquomodo di- « cere, si scit alias sive ante, sive post. « Quidam vero dicunt, quod per confes- « sionem præcluditur sibi via ne possit « aliquid dicere, quod prius scivit, non « autem quin possit dicere, si postea alio « modo sciat. Utraque opinio, dum ni- « mium sigillo confessionnis attribuit, præ- « judicium veritati, et justitiæ servandæ « facit... Et ideo alia opinio est, et verior, « quia illud, quod homo alias scit sive « ante confessionem, sive post, non tenetur « celare quantum ad id, quod scit ut homo. « Potest enim dicere, scio illud quia vidi ; « tenetur tamen celare illud in quantum « scit ut Deus : non potest enim dicere, « ego audivi hoc in confessione. »

Suaderique potest præmissa suppositio ; tum quia pœnitentis confessio non removet a sacerdote jus, quod extra confessionem habebat ; sed ex vi notitiæ extrasacramentalis habebat jus ad loquendum de peccato sine violatione sigilli (quidquid sit de alia charitatis, aut justitiæ obligatione, a quibus supersedemus) : ergo prodere potest peccatum, quod scit intra, et extra confessionem. Tum etiam, et est ratio D. Thomæ in 1 argum. *Sed contra* cit. art. art. quia « nullus potest alium obligare ad quod « non erat obligatus, nisi sit suus præla- « tus, qui obliget eum præcepto ; sed ille, « qui sciebat alicujus peccatum per visum, « non erat obligatus ad celandum : ergo « ille, qui ei confitetur, cum non sit præ- « latus suus, non potest eum obligare ad « celandum hoc, quod sibi confitetur. » D. Tho. Tum denique : nam ex opposito lata fraudibus panderetur via : posset enim qui furtum coram sacerdote commisit, statim ei confiteri, ne de crimine accusaretur. Fieret, item sacerdotem, qui intra, et extra confessionem novit hæresim in Ecclesiam inserere, Regni proditionem, aut simile aliud crimen tendens in damnum publicum, his damnis occurrere non posse, nec teneri rem palam facere ubi in testem adducitur. Similiter, excommunicari non posset ab Episcopo ille, qui convictus de crimine in foro externo, ei peccatum in confessione manifestat. Hæc autem satis absurda sunt, et justitiæ legibus adversa : ergo sentiendum est, posse sacerdotem peccatum prodere, ubi illius scientiam extrasacramentalem habet.

57. Nec refert si cum Altisiodorensi, cui opposita sententia tribuitur, objicias, sacerdotem, dum confessionem audit, virtualiter promittere crimina sub secreto celare ; sed qui promittit rem habere sub secreto, tenetur tacere, quantumcumque id aliis viis sciat : ergo. Tum etiam : nam confessionis sigillum institutum est ob scandalum vitandum, et ne fideles arceantur a confessione ; sed qui dicit quæ in confessione audivit, etiamsi aliunde sciat, scandalum parat, ansamque recedendi a confessione offert : ergo illicitum est loqui de auditis in confessione, etiamsi eorum alia notitia extrasacramentalis habeatur. Non, inquam, refert : etenim sacerdos confessionem audiens non promittit retinere peccata simpliciter, et omnibus modis, sed solum ea non revelare prout confessa. Ex quo fit, non posse dicere, audivi hoc crimen in confessione, nec eas circumstantias, quarum notitiam intra sacramentum dumtaxat acquisivit ; potest tamen, quod aliunde novit, prodere. Præterquam quod ex ea virtuali sacerdotis promissione ad summum sequitur, sacerdotem delinquere

Objectio Altisiod.

Dispellitur.

contra fidelitatem, non vero sigillum violare : quippe quod non ex fidelitate, sed ex religione urget. Ad secundam probationem
D. Tho. respondet D. Thomas ubi supra : « Dicen-
« dum, quod non debet ita vitari peccatum
« ex una parte, quod ex alia justitia relin-
« quatur. Veritas enim non est propter
« scandalum dimittenda ; et ideo quando
« imminet periculum justitiæ, et verita-
« tis, non debet dimitti revelatio ejus, quod
« quis in confessione audivit, si alias scit. »
Nec est unde fideles a confessione arceantur, si sacerdos confessionem non revelat, sed quod alias ut homo extra sacramentum vidit, vel audivit, profert.

Suppositio 2. Ulterius supponendum est, posse pœnitentem facultatem concedere sacerdoti, ut peccatum revelet, si illud iterum extra confessionem quasi historice referat : hoc enim pacto, ut adversarii fatentur, cum jam sacerdos notitiam extrasacramentalem habeat, et crimen sit sub naturali secreto, potest pœnitens cedere juri suo. Unde quemadmodum valet per se ipsum peccatum alteri manifestare, ita, et facultatem concedere sacerdoti ut manifestet. Difficultas igitur est, an ea quasi historica narratione extrasacramentali non facta, sed sola licentia intra vel extra confessionem concessa, possit sacerdos peccatum detegere juxta licentiæ universalitatem, vel restrictionem ; ita ut si fuerit ampla, possit cui necessarium fuerit revelare ; si limitata pro aliqua persona, illi, et non alteri, prodere ? Et similiter, ita ut pœnitens per sacerdotem internuncium transmittat sigilli vinculum ad illum tertium, cui revelatur confessio, vel non transmittat, sed illum relinquat sine obligatione sigilli juxta pœnitentis arbitrium?

§ I.

Dubii resolutio.

Assertio. 58. Dicendum est, posse sacerdotem peccatum sibi confessum alteri revelare de pœnitentis licentia, et juxta qualitatem licentiæ. Ita D. Thomas in 4, dist. 21, qu. 3,
D. Tho. D. Bon. art. 2, D. Bonaventura 2 part. dist. art. 2,
D. Anton. quæst. 2, D. Antoninus 3 part. tit. 22, § 1,
Uterque. Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 6, Palu-
Sotus. Paludan. danus ibidem dist. 21, quæst. 3, art. 3, num. 24, Petrus Soto lect. 11, de confess. Medina, Cod. de confes. quæst. de licentia pœnitentis ad revel. confess. Navarrus in cap. Sacerdos, num. 127, Sylvester verbo Confessor 3, quæst. 3 et 5, Henriquez quodlibet. 7, quæst. 26, Covarruvias in 4 Decretal. part. 2, cas. 8 et 12, Adrianus qu. ultim. de confess. in 4, § *Sed probabilior*, Suarez disp. 33, sect. 5, num. 6, Vasquez quæst. 93, art. 3, dub. 5, Lugo disp. 23, sect. 5, § 4, num. 133, Dicastillo disp. 12, dub. 5, 73, Leander q. 17, plures referens, estque communis Neothericorum consensus. Et satis colligitur ex capit. Officii de Pœnit. et remiss. ubi refertur quemdam sacerdotem consuluisse Pontificem circa peccatum sibi a muliere confessum, præstita prius licentia ad consilium expostulandum.

Suadetur igitur prior assertionis pars ratione D. Thomæ in corp. cit. art. Nam ideo sacerdos de licentia pœnitentis non posset peccatum alteri revelare, quia nescit tale peccatum ut homo, quo pacto extra sacramentum loquitur, et quia alias sequeretur scandalum ex hujusmodi revelatione ; sed concessa pœnitentis licentia, etiamsi ea quasi historica peccati narratio extrasacramentum non fiat, utrumque illud principium cessat : ergo de licentia pœnitentis valet sacerdos peccatum alteri revelare. Minor, quæ difficultatem præsefert, ostenditur quoad utramque partem ; quoad primam quidem : etenim si pœnitens referat historice peccatum extra sacramentum, facit, ut adversarii fatentur, quod sacerdos illud sciat ut homo ; sed in prudentum judicio licentia præstita a pœnitente æquivalet illi historicæ narrationi : ergo sacerdos ex vi licentiæ pœnitentis scit peccatum ut homo, proindeque primum principium cessat. Tum etiam : nam pœnitens potest sine ea narratione transferre notitiam extrasacramentalem in sacramentalem, et facere sacerdotem scire ut Dei ministrum id, quod alias sciebat ut homo, uti si contingat pœnitentem crimen committere coram sacerdote, et postea dum ei confitetur dicat, de his, quæ vidisti, me accuso : ergo e converso potest prædicta historica narratione non facta, sed sola licentia concessa, facere sacerdotem scire ut hominem, quod alias scit ut Dei minister, et unico verbo dicere, de his, quæ in confessione audivisti, extra sacramentum loquaris. Nec enim plus continet

tinet ea extrasacramentalis relatio, quam hæc loquutio, estque proinde quædam cæremonia metaphysica ad rem moralem nihil conferens. Tum denique : quia in omnium sententia potest sacerdos loqui in communi de auditis in confessione non revelando personam : inquiramus ergo ab adversariis, an dum ita loquitur extra sacramentum, loquitur ut homo, et sciat ut homo quod dicit ? An vero id sciat ut Dei minister,et loquatur ut talis ? Si primum : ergo, ut sacerdos loquatur ut homo,et sciat ut homo quod extra sacramentum loquitur, necessarium non est quod sibi fiat a pœnitente illa historica, et extrasacramentalis relatio peccatorum, siquidem hæc in casu posito non adest. Si secundum : ergo ut sacerdos possit dicere quæ audivit intra confessionem, non indiget ea scire ut homo, sed satis est ea scire ut Dei minister, atque ideo ex quo nesciat peccata ut homo, dum sibi extrasacramentaliter historice non referuntur, inepte probatur quod nequeat loqui de auditis in confessione cum licentia pœnitentis : poterit quippe hujusmodi licentia deservire ut loquatur tanquam Dei minister. Quoad secundam vero suadetur eadem minor : nam eo ipso quod fideles sciant confessionem revelari non posse nisi de eorum expressa licentia, et juxta taxationem ad eorum arbitrium factam, satis obviatur scandalo, ut ex se liquet. Præsertim, quia ubi sacerdos cum pœnitentis licentia alteri peccatum revelat, potest et debet dicere, mihi concessa est facultas, ut tibi dicam ; quo posito nullum motivum scandali apparet.

Confirmatur, et urgetur : quoniam sigilli vinculum institutum est a Christo Domino in favorem pœnitentis, ne ex confessione incommodum reportet, et sacramentum odiosum fiat ; sed posse sacerdotem revelare peccatum de licentia pœnitentis, cedit in hujus favorem, sacramentumque amabilius reddit : ergo de pœnitentis facultate licitum est crimen alteri revelare. Suadetur minor : nam sæpe necessarium est sacerdoti, ut recte circa ea, quæ in confessione occurrunt,procedat, aliquid extra sacramentum dicere, virum prudentem, et eruditum consulere, vel facultatem absolvendi a tali crimine exposcere ; sed pœnitentem non posse facultatem concedere ad hujusmodi, quin peccata extra sacramentum historice referat, est grave onus illius ; siquidem cogeretur ut cum rubore proprii peccati consilium vel facultatem absolvendi per se ipsum, et non per internuncium, quæreret, vel ut crimen extra confessionem manifestaret cum periculo ut jam facilius posset revelari ab aliis sine violatione sigilli : ergo quod sacerdos loqui valeat de auditis in confessione cum licentia pœnitentis cedit in hujus favorem, et consequenter sacramenti, quippe quod eo redditur amabilius, quo plus pœnitenti consulitur. Adde primo D. Thomam dicentem in primo argum. *Sed contra* citati art. « Superior potest « remittere peccatorem cum litteris ad in- « feriorem sacerdotem de voluntate ipsius: « ergo de voluntate pœnitentis potest alteri « peccatum revelare. » Adde secundo, sigillum sacramentale sequi naturam, et conditionem secreti naturalis ; hoc autem non exposcit ut semper irrevocabiliter retineatur, sed dumtaxat juxta voluntatem committentis, qui pro suo libito vel omnino, vel ex parte vinculum tollit. Adde tertio, quod licet juramentum promissioni adjunctum obliget ex jure divino, nihilominus ubi ille, in cujus favorem fit promissio, cedit promissioni, juramentum vim obligandi amittit. Ergo similiter, esto sigillum ex divino jure urgeat, non plus urget quam juxta arbitrium pœnitentis, in cujus favorem est institutum. D. Tho.

59. Posterior assertionis pars, nempe, sacerdotem posse peccatum revelare juxta licentiæ qualitatem, satis constat ex dictis: si enim absque pœnitentis licentia crimen revelari non potest, et ea concessa potest, consequens est tum quod si pœnitens eam potest concedere pro uno, possit etiam pro multis ; tum quod si pro uno dumtaxat conceditur, illi, et non alteri, crimen detegendum sit : id quippe non ex sacerdotis, sed ex pœnitentis arbitrio pendet. Et similiter quod ille tertius, cui revelatur confessio, maneat etiam sigillo obstrictus, si sub ea limitatione licentia concedatur ; vel obligationem sigilli non contrahat, si id pœnitens non intendat. Quæ omnia suadentur ulterius ratione D. Thomæ in 2 argum. *sed contra* cit. art. Nam quod pœnitens potest facere per se ipsum, potest etiam per alterum facere in præsenti materia ; atqui pœnitens per se ipsum po-

test sua crimina alteri revelare, obligationem ad sigillum non inducendo, vel eam inducendo uti contingit dum prælato superiori crimen reservatum prodit ut facultatem absolvendi concedat ; hæc enim manifestatio, cum sit in ordine ad confessionem, obligationem sigilli infert, ut communiter censent Authores : ergo etiam per sacerdotem tanquam per internuncium poterit crimen alteri revelare, vel obligationem ad sigillum non transmittendo, vel transmittendo si opus fuerit, et relevatio in ordine ad confessionem fiat. Et quidem si ubi sacerdos sine pœnitentis licentia ejus peccatum detegit, qui audit sigillo obstringitur ; non apparet cur etiam non obstringatur ille, cui ob urgentem necessitatem revelatur confessio de licentia pœnitentis cum ea limitatione. Sed de his infra dub. 5 ex professo sermo rebidit.

Observatio. Observandum autem est, hujusmodi pœnitentis licentiam debere esse expressam, nec in re tanti momenti sufficere tacitam, aut præsumptam. Ita communiter Doctores, quos refert, et sequitur Palaus disp. unic. punct. 19, § 4, num. 7, Dicastillo disp. 12, dub. 5, num. 70, Lugo disp. 23, sect. 5, § 4, num. 13, N. Franciscus cap. 14, punct. 1, num. 6, Suarez disp. 33, sect. 5, num. 14, Navarrus in cap. *Sacerdos*, num. 151, Coninchus disp. 9, dub. 1, num. 28, Reginaldus lib. 13, num. 59, Nugnus, Fagundez, Layman, Covarruvias, Diana plures adducens tract. 11, resolut. 10. Et ratio est perspicua : si enim præsumpta sufficeret, sæpe contingere posset, quod sacerdos eam præsumeret, aut concessam crederet, et quod pœnitens nec concederet, nec deberet. Ne ergo contingat quod confessio contra pœnitentis arbitrium reveletur, locus præsumptioni relinquendus non est. Similiter debet esse omnino libera, nec per vim, metum, aut deceptionem extorta, nec importunis precibus obtenta : alioqui invalida censebitur. Ita etiam Diana, et Suarez ibidem, N. Franciscus num. 7, Palaus num. 8, Navarrus, Fagundez, et alii.

Palaus, Dicast. Lugo, N. Franc. Suarez, Navarr. Coninch. Regin. Nugnus, Fagund. Layman, Covarr. Diana,

Quæstiuncula. 60. Inquires autem, an possit sacerdos cum licentia pœnitentis revelare peccatum complicis sine complicis licentia ? Hæc difficultas supponit peccatum complicis cadere etiam sub sigillo, id quod est sententia communis, cujus Patronos refert, et sequitur Suarez disp. 34, sect. 3, num. 2, et satis constat ex eo generali principio, quod ea omnia cadunt sub sigillo, quæ deteguntur a pœnitente in ordine ad intregram confessionem faciendam ; peccatum autem complicis manifestatur a pœnitente ut integre suam conscientiam prodat, ut supponimus : ergo sub sigillo celari debet. Quo supposito, locum habet proposita difficultas. Cui respondet negative Vasquez quæst. 93, art. 4, dub. 5, num. 5, Kelison tom. 2, in 3 part. quæst. 11, art. 1, dub. 2, Tamburinus in meth. confes. lib. 5, cap. 3, num. 7, et alii asserentes necessarium esse pœnitentem extra confessionem referre historiam peccati, et personam complicis nominare, ut sacerdos ea notitia uti possit ; nec satis esse si licentiam intra confessionem concedat. Quorum fundamentum est, sigillum obligare non solum in favorem pœnitentis, sed etiam in utilitatem complicis ; sed quia obligat in favorem pœnitentis, nequit sine hujus licentia peccatum alteri revelari : ergo nec sine licentia complicis. Majorem probat Vasquez, quia Deus voluit judicium sacramentale omnino secretum, ne inde alicui incommodum sequeretur, aut sequi posset : ergo censendum est eo secreto voluisse consulere non solum pœnitenti, sed, et omnibus, qui quomodolibet implicantur in peccato pœnitentis.

Sentiendum tamen est, posse sacerdotem sine violatione sigilli revelare peccatum complicis cum sola pœnitentis licentia, sive ea revelatio fiat ad bonum pœnitentis, sive ad correctionem complicis. Ita Capreolus in 4, dist. 21, q. 2, art. 3 ad 8, D. Antoninus 3 part. tit. 14, cap. 19, § 11, Sonicas in summ. Capreoli dist. 21, q. 2, conclus. 2 ad 3, Lugo disp. 23, sect. 5, num. 138, Dicastillo disp. 12, dub. 5, num. 80, Hurtado disp. 12, diffic. 6, Diana 5 part. tract. 11, resol. 24, Corduba lib. de detract. famæ, memb. 2, q. 4, concl. 3, Suarez disp. 34, sect. 3, num. 7 et sect. 4, num. 5, referens plures, asserensque esse communem Theologorum sententiam quam utrobique multis probat. Ex dictis vero breviter suadetur : nam motivum, cur sigillum sacramentale obligat, est ne confessio reddatur odiosa, ac difficilis ejus usus ; sed ex quo sacerdos possit cum sola pœnitentis licentia peccatum complicis revelare,

confessio

confessio non redditur odiosa, et difficilis : ergo contra sigillum non est revelare peccatum complicis cum sola pœnitentis licentia. Minor ostenditur ; quia ea solum reddunt confessionem difficilem, quæ detinent pœnitentes ne ad confessionem accedant ; sed ex revelatione peccati complicis cum sola pœnitentis licentia nemo rationabiliter a confessione detinetur, nec detineri potest, non quidem pœnitens, qui videt sigilli clavem ex ejus voluntate pendere, et peccata absque suo arbitrio nunquam revelari posse ; non item complex ; quamvis enim ejus peccatum prodatur, non tamen prout ab ipso confessum, sed prout ab alio, qui sponte ad id licentiam concedit, quique extra confessionem id ipsum facere poterat. Ergo ex hujusmodi revelatione confessionis usus nemini difficilis efficitur. Tum etiam : quoniam licentia complicis non est unde requiratur : ipse enim secretum non commisit, sed solus pœnitens : ergo ab isto solo pendet licentia ad illius peccati revelationem. Patet consequentia ; nam jus sigilli, et cujuslibet alterius secreti soli illi acquiritur, qui secretum committit, quo cedente juri suo obligatio secreti perit, quidquid sit de alia obligatione ex charitate, aut justitia, quæ relinquatur in sacerdote ad non infamandum proximum.

Unde constat ad motivum adversæ opinionis : quippe sigillum sacramentale per se solum obligat in favorem pœnitentis, et ratione illius, non vero in favorem complicis nisi per accidens, et per quandam attentionem reflexam ad pœnitentem : si enim peccatum complicis cadit sub sigillo, non ideo est quia ejus revelatio cedit in detrimentum complicis, aut in ejus famæ denigrationem, sed quia tale peccatum est quid spectans ad confessionem pœnitentis, qui aliter propriam conscientiam detegere, et confessionem materialiter integram facere non poterat, quam explicando complicem ; atque ideo quia illius peccati revelatio esset in detrimentum pœnitentis, cujus confessio manifestaretur, et cui proinde fieret difficilis. De damno autem, quod inde complici obveniret, sigilli vinculum non curat per se, et formaliter, sed ad aliam spectat virtutem. Itaque concessa pœnitentis licentia, revelatio illius peccati non erit violatio sigilli, aut peccatum contra religionem ; poterit tamen esse contra justitiam, si indebite fiat, et complicis honorem lœdat. Quocirca, ut recte vidit Suarez ubi supra, hujusmodi licentia raro a pœnitente concedenda est, et non nisi sub circumstantiis secundum prudentiam requisitis, et sub urgentibus motivis vel proprii boni ipsius pœnitentis, vel complicis, vel ad præcidendum aliquod grave damnum. Consulatur citatus Author, qui rem satis explicat, et appositis exemplis illustrat sect. 4, per totam. Suarez.

§ II.

Oppositæ sententiæ fundamenta convelluntur.

61. Pro sententia assertioni adversa decertant Scotus in 4, dist. 21, q. 2, Major q. 3, Gabriel art. 3, dub. 4, Durandus q. 4, Alensis 4 part. quæst. 19, Angelus verbo *Confessio* 8, num. 5, Villalobos 1 part. tract. 9, diffic. 74, Delgadillo cap. 19, dub. 68, num. 14. Quorum placitum suadetur primo : nam si liceret sacerdoti ex sola pœnitentis licentia intra confessionem præstita, et alia peccatorum narratione quasi historica extra confessionem non facta, peccata sibi confessa alteri revelare, etiam id ipsum facere posset de licentia legitimi superioris ipsius pœnitentis ; sed hoc non licet etiam de licentia Summi Pontificis supremi omnium Prælati : ergo nec de licentia pœnitentis. Sequela constat, quia licentia, quam præstat inferior, potiori jure a superiori concedi potest. Imo ex eodem principio urgetur : etenim si pœnitens posset eam facultatem concedere, posset illius superior præcipere ut eam concederet, et ad concessionem cogere ; sed absurdum est asserere Summum Pontificem posse præcipere, et cogere pœnitentem ad concessionem licentiæ : ergo. Major ostenditur : quippe subditus in omnibus, quæ licita sunt, tenetur superiori obedire, ad idque urgeri potest ; atqui si doctrina tradita vera est, sæpe erit licitum, imo, et necessarium, pœnitentem concedere hujusmodi facultatem : ergo. Sotus. Major. Gabriel. Durand. Alensis. Angelus. Villalob. Delgad. Argum. 1.

Respondetur ad argumentum negando sequelam, vel suppositum illius : licet enim pœnitens quoad alia plures gradatim superiores habeat ; quoad ea tamen, quæ ad sacramentale sigillum spectant, nemini Diluitur.

nisi Christo Domino subjicitur, qui ita potuit, et voluit rem disponere, ut sacramentalis secreti clavem in solius pœnitentis manus tradiderit, ut pro libito, et sine dependentia ab alio clauderet, vel aperiret. Quod inde colligitur, quia in impositione præcepti sigilli unice attendit ad suavem, facilemque sacramenti usum ; hic autem omnino, vel magna ex parte corrueret, si superior ad confessionem revelandam facultatem concedere posset, vel pœnitens quoad hæc alteri quam Christo subjiceretur. Unde quemadmodum sacerdos superiorem non habet, cui obedire teneatur, in ordine ad confessionis revelationem ; ita nec pœnitens, qui quoad id ab omni subjectione est extractus, ut facilius, et securius posset cuncta scelera prodere, et conscientiæ recessus sacerdoti detegere. Quibus addenda est responsio D. Thomæ
D. Tho. in 4, dist. 21, q. 3, art. 2 : « Ad primum « ergo dicendum, quod Papa non potest « licentiare eum ut dicat, quia non potest « facere ut sciat ut homo, quod potest qui « confitetur. » Itaque pœnitentis licentia non est proprie licentia, aut actus jurisdictionis, seu dispensatio juris divini ; nec enim tam consistit in re, quam in modo dandi notitiam extrasacramentalem, quam superior præstare nequit ; hæc autem notitia est quasi quædam conditio, qua posita obligatio sigilli deficit. Ex quo etiam liquet ad difficultatis augmentum, quæ in adversarios retorquenda est : quippe facilius poterit superior præcipere pœnitenti, ut peccatum sibi vel sacerdoti extra confessionem revelet.

Argum. 2 62. Secundo arguitur : quoniam id, quod institutum est ob bonum commune, nequit ex arbitrio unius irritari; sed occultatio peccatorum, quæ confessioni subjiciuntur, instituta est in commune bonum fidelium, ut confidentius ad sacramentum accedant : ergo nequit pœnitens pro suo nutu sacerdoti facultatem concedere, ut peccata clavibus subjecta revelet.

Confirmatur : nam clericus nequit cedere privilegio fori, aut canonis, ut judicetur a laico in foro externo : ergo nec pœnitens juri sacramenti, ut ejus peccata revelentur. Antecedens constat ex cap. *Contingit de sentent. excommun.* et ex cap. *Diligenti de foro competenti.* Consequentia vere probatur : nam ideo clericus illi legi immunitatis, et exemptionis cedere no potest, quia esto consulat honori cujusli bet clerici in particulari, tamen institut est in favorem ac decus totius Ecclesiastic status, cui injuria fieret si quis clericorur illi privilegio cederet ; atqui jus sigilli no solum attendit ad bonum pœnitentis, se per se primo institutum est in favoren omnium fidelium, et totius Ecclesiæ i communi : ergo nec pœnitens huic jur cedere potest concedendo licentiam ad re velationem peccati.

Ad argumentum respondetur omissi præmissis negando consequentiam : etenim præceptum sigilli impositum a Christ Domino in bonum commune totius Eccle siæ non est ad reticenda absolute omni peccata quomodocumque sacerdoti nota sive per scientiam sacramentalem, sive extra sacramentalem ; sed solum ad reticend peccata confessa, quæ nullo alio mod nisi per confessionem innotescunt : hæc enim dumtaxat premuntur sigillo in bonum Ecclesiæ instituto. Unde si sacerdos eadem met peccata, quæ sibi in sacramento, et tanquam Dei Ministro dicta sunt, alic modo extra sacramentum, et tanquam homo agnoscat, vel quia vidit, vel quia audivit, de illis prout sic notis loqui potest, quin sigillum violet. Pœnitens autem ubi licentiam concedit ad revelationem sui criminis, tribuit sacerdoti in vi illius licentiæ aliam notitiam extrasacramentalem peccati, et facit sacerdotem scire ut hominem, quod alias sciebat ut Deus. Quocirca sicut sacerdos, qui loquitur de peccato sibi confesso, quod ante confessionem noverat, non immutat vinculum sigilli in bonum Ecclesiæ institutum, ita nec immutat dum loquitur de licentia pœnitentis. Quæ est solutio D. Thomæ art. proxime cit. « Ad « secundum dicendum, quod non tollitur « quod est propter bonum commune insti« tutum, quia sigillum confessionis non « frangitur, quia dicitur quod alio modo « scitur. »

Ex quibus ad confirmationem respondetur negando suppositum consequentis, id est, quod pœnitens cedat juri sacramenti, ut privilegio sigilli, dum licentiam concedit sacerdoti ut peccatum prodat, sicut clericus cederet privilegio exemptionis, et immunitatis, si in sensu composito status clericalis se laico in foro externo judicandum

dum committeret. Cujus ratio constat ex dictis : quia præceptum sigilli prout est favor in bonum omnium fidelium non se extendit ad omnia peccata, sed solum comprehendit ea, quorum notitia habetur intra confessionem dumtaxat; de illis autem, quæ aliunde sciuntur, non curat, nec eorum revelationem prohibet. Pœnitens igitur, dum licentiam concedit ad sui peccati propalationem, non permittit quod peccatum actu existens sub sigillo reveletur, sed illud extrahit ab statu existentiæ sub sigillo ut revelari possit ; quod facit in vi licentiæ, quam concedit ; per eam quippe tribuit sacerdoti intransitive, et æquivalenter notitiam extrasacramentalem, qua posita jam peccatum prout sic cognitum ad aliud forum spectat. Oppositum autem contingit in clerico : hic enim in sensu composito existentiæ sub statu clericali, cui favet immunitas, se laico judicandum committeret, quod est cedere Canonis privilegio. Unde quemadmodum si clericus statum clericalem exueret, et ad laicorum transiret, non cederet legi exemptionis, dum a laico judicaretur, quia hujusmodi lex non favet laicis, qualis jam ille existeret ; ita nec pœnitens cedit juri sigilli pro omnibus fidelibus concesso, dum licentiat sacerdotem ut peccatum revelet : qnia in vi illius licentiæ jam peccatum extractum est ab statu sigilli, saltem si licentia sit ad absolute revelandum. Adde aliam disparitatis rationem ; clericum, videlicet, illi privilegio cedere non posse, quia si in foro sæculari judicaretur, redundaret in injuriam ac dedecus totius ecclesiastici status. Ex quo autem pœnitens sui peccati revelationem permittat, nihil detrimenti patitur sacramentum, cum non ideo difficilius fiat, nec fideles ab eo arceantur. Adde item ; quod sicut est favor sacramenti, et fidelium, sacerdotem nihil dicere posse de auditis in confessione absque pœnitentis licentia, ita etiam spectat ad eundem favorem ut cum illa licentia loqui possit, quæ ad bonum pœnitentis necessaria occurrunt; atque ideo eam licentiam concedere non est cedere favori, sed eo uti.

63. Arguitur tertio : nam in præceptis, quæ ex jure divino obligant, nemo dispensare potest ; sed præceptum sigilli obligat ex jure divino, ut statuimus dub. 1 hujus disp. ergo pœnitens in eo dispensare nequit. Dispensaret autem, si posset licentiam concedere ut ejus peccata revelarentur ; siquidem pro priori ad licentiam peccata existerent sub sigillo : ergo.

Confirmatur : quia nemo potest alteri licentiam concedere ut ipsum interficiat : ergo nec pœnitens licentiam concedere sacerdoti, ut ejus peccatum prodat. Consequentia ostenditur : eo quippe primum non licet, quia quisque ex jure naturæ tenetur ad propriæ vitæ conservationem; sed etiam quilibet obligatur ad propriam famam, et honorem tuendum ; ergo cum manifestatio peccati honorem lædat, nequit pœnitens ad id licentiam concedere. Confirm.

Respondetur ad argumentum, pœnitentem non dispensare in sigilli præcepto, dum facultatem concedit ad sui peccati propalationem, sed tribuere sacerdoti notitiam extrasacramentalem, qua uti possit, vel conditionem apponere necessariam, ut illud præceptum vim obligandi amittat. Ut liquet tum in juramento promissorio, quod non obligat ubi promissarius cedit promissioni, non quia iste in juramento obligante ex jure divino dispenset, sed quia obligat in favorem promissarii, quo cedente cessat obligatio juramenti. Tum in voto paupertatis, quo tenetur religiosus ad nihil expendendum, et tamen de prælati licentia id licet, ideo quia hujusmodi votum non obligat ex jure divino ad nihil expendendum absolute, sed ad non expendendum prælato renuente. Similiter igitur contingit ubi pœnitens facultatem concedit ut ejus crimen prodatur : quippe sigilli præceptum dumtaxat prohibet criminis revelationem contra pœnitentis voluntatem. Respondetur argumenti.

Ad confirmationem dicendum est, excessive probare : convincit enim nec pœnitentem posse ad sacramentum pœnitentiæ accedere, vel sua crimina sacerdoti intra confessionem manifestare ; siquidem ea criminum manifestatione se ipsum inhonoratet apud sacerdotem infamat. Itaque famæ, et honoris detrimentum subire sub arbitrio hominum est, ut docet D. Thomas 2, 2, quæst. 73, art. 3, ad 1, non autem vitæ jacturam facere. Cujus ratio desumitur ex eodem Ang. Præceptore ibidem quæst. 64, art. 5. Nam homo est dominus eorum, quæ propria industria acquirit, de illisque ut vere dominus disponere potest ; homo autem sicut propria industria acquirit di- Occurritur confirmationi. D. Tho.

vitias, ita honorem, et famam, non autem vitam. Unde licet vitæ dispendium facere non possit, potest tamen saltem justa interveniente causa se ipsum inhonorare, proindeque licentiam alteri concedere ut crimen infamativum detegat. Tenent Sotus de justitia, lib. 4, quæst. 6, art. 6, ad 4. Tapia lib. 5, quæst. 23, art. 3, num. 6, Banez prælud. ad quæst. 52, de dominio dub. 2, concl. 5, Dicastillo lib. 2, tract. 1, disp. 1, num. 97, Palaus de justitia in genere disp. unic. punct. 6, num. 5, Lessius lib. 2, cap. 4, dub. 11, N. Andreas tract. 12, cap. 1, punct. 5, num. 43.

Soto, Tapia, Banez, Dicast. Palaus, Lessius, N. Andr.

Argum. 4. 64. Ultimo arguitur : quia vel pœnitens in vi licentiæ, quam concedit, tribuit sacerdoti notitiam extrasacramentalem peccati, vel non? Quodcumque dicatur, nequit sacerdos de pœnitentis licentia peccatum alteri revelare : ergo. Minor ostenditur : nam si eligatur primum ; nec sacerdos revelans, nec ille tertius, cui fit revelatio, tenentur ad sigillum : non sacerdos, quia jam habet notitiam extrasacramentalem peccati, ut hæc responsio concedit ; nec etiam ille tertius, cum eandem notitiam accipiat extra confessionem ; ubi autem quis peccatum novit extra sacramentum, de eo loqui potest sine violatione sigilli. Si eligatur secundum : ergo sacerdos cum ea licentia peccatum revelare non potest, siquidem extra confessionem loquitur ut homo, et peccatum illud solum cognoscit ut Deus.

Diruitur. Respondetur, sacerdotem accipere vel non notitiam extrasacramentalem peccati in vi licentiæ pœnitentis, pendere ex limitatione, aut modo, quo ipsa licentia conceditur. Si enim facultas conceditur ad revelandum peccatum absolute, et libere cuicumque sacerdos pro suo arbitrio voluerit, censetur pœnitens tribuere in vi hujus licentiæ notitiam omnino extrasacramentalem, qua sacerdos uti possit non secus ac si peccatum sibi extra confessionem relatum fuisset. Unde nec ipse sacerdos, nec alii, quibus peccatum revelat, sigillo adstringuntur. Ceterum si licentiam sub limitatione concedat, ut peccatum reveletur determinatæ personæ, v. g. prælato superiori ad obtinendam facultatem absolvendi a reservatis, vel viro prudenti ad accipiendum consilium, non censetur notitiam omnino extrasacramentalem conferre, sed sacramentalem aliqualiter, et participativ vel, quod in idem redit, conferre notitia extrasacramentalem cum ordine tamen a confessionem ; quod satis ut tam prælatus quam consiliarius sigilli obligationem cor trahant. Quam doctrinam tradit D. Thoma ubi supra : « Ad quartum dicendum, quo « ille, ad quem notitia peccati devenit me « diante sacerdote ex voluntate confitentis « participat in aliquo actum sacerdotis ; e « ideo simile est de eo, et de interprete « nisi forte peccator velit quod ille abso « lute sciat, et libere. » Quocirca sicu interpres, licet minister sacramenti non sit, nec sciat peccata ut Deus, contrahi obligationem sigilli, quia habet notitiam peccati in ordine ad judicium sacramentale, ad quod aliqualiter concurrit interpretando verba ministri ; ita prælatus, et consiliarius, qui etiam in idem judicium quodammodo influunt per modum consiliantis, et conferentis potestatem absolvendi. Id quod expedit suavi hujus sacramenti usui, consonatque fini intento a Christo Domino in impositione præcepti sigilli : sæpe enim opus est, sacerdotem, ut congrue in judicio sacramentali se gerat, virum prudentem consulere, vel superiorem adire, ut facultatem absolvendi a crimine reservato concedat. Si autem pœnitens cogeretur peccatum extra sacramentum referre cum periculo ut de facili publicari posset, aut superior, et consiliarius ad sigillum non cogerentur, ubi per sacerdotis revelationem peccati notitiam accipiunt, ansa fidelibus tribueretur ne ad sacramentum accederent ; siquidem in hujusmodi eventu nulla via, quam eligerent, securi redderentur de suorum criminum occultatione.

Secundo, et satis probabiliter responderi posset eligendo secundam dilemmatis partem, cujus impugnatio non urget. Falsum enim est, quod sacerdos non possit loqui ut homo ea, quæ solum novit ut minister sacramenti, ut perspicue apparet in eo, qui loquitur in communi de peccato sibi confesso non revelando personam : hic quippe loquitur ut homo, cum non loquatur in ordine ad confessionem, vel ad eliciendam actionem aliquam ministrantis sacramentum ; non tamen loquitur scientia hominis, cum tale peccatum sibi extra sacramentum dictum non fuerit : utitur ergo scientia

scientia ministri ad loquendum ut homo. Quod si adversarii dicant, eam loquutionem esse licitam, quia non revelatur persona, jam principium ab eisdem assumptum nihil valet, siquidem sacerdotem non posse de licentia pœnitentis prodere peccatum, non inde probatur quia non potest loqui ut homo quod solum novit ut Deus, sed inde quia nequit loqui ut homo prodendo personam, quod solum novit ut Dei minister. Hoc autem est in manifestam principii petitionem incidere : id enim est quod inquirimus, dum investigamus an licitum sit sacerdoti loqui de auditis in confessione cum pœnitentis licentia, ut ex se liquet. Itaque cum sigillum in favorem pœnitentis institutum sit, non plus urget quam juxta hujus voluntatem; unde si licentiam concedit sub limitatione, ita ut sigillum contrahat ille tertius, cui revelatur confessio, re ipsa huic obligationi subjacet. Nec refert dicere, quod non tenetur ad adeo strictam obligationem subeundam. Nam id solum evincit, quod possit tale peccatum non audire, sicut etiam sacerdos potest confessionem non accipere; si tamen consentiat, nequit non sigillo obstrictus evadere.

DUBIUM V.

Ex qua confessione oriatur sigillum sacramentale, et quas personas constringat ?

Duo inter se satis affinia sub uno titulo comprehendimus, quia unius decisio alterius resolutioni lucem præfert; ab illis tamen breviter expediemur, quia adeo difficilia non sunt, ut diffusam expostulent investigationem.

§ 1.

Prior dubii pars resolvitur.

65. Dicendum est, sigilli sacramentalis obligationem ortum ducere ex sola confessione sacramentali, et ex omni ea, quæ talis fuerit ex intentione pœnitentis, licet aliqua de causa non perficiatur. Ita D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 1, ad 1, Soto dist. 18, quæst. 4, art. 5, concl. 5, Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 3, concl. 2, N. Franciscus cap. 14, punct. 2, Suarez disp. 33, sect. 2, Ledesma 22, difficult. 7, Dicastillo disp. 12, dub. 2, Lugo disp. 23, sect. 2, num. 41, Palaus punct. 19, § 2, num. 1, Vasquez quæst. 91, art. 4, dub. 2, num. 6, Gonet disp. 13, art. 2, num. 23, Reginaldus lib. 3, num. 5, Coninchus disp. 9, num. 4, Henriquez lib. 6, cap. 19, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, part. 2, Zerola in praxi de sacram. pœnit. cap. 2, quæst. 10, Pesancius in addit. ad 3 part. qu. 12, disp. 2, Leander quæst. 16. Ledesm. Suarez, Lugo, Dicast. Vasqu. Palaus, Regin. Coninch. Henriq. Bonacin. Zerola, Pesanc. Leand. et alii.

Estque communis DD. sententia, quæ suaderi potest quoad primam partem : quia sigillum ex ea confessione oritur, ex cujus revelatione fit injuria sacramento ; atqui ex revelatione confessionis non sacramentalis nulla fit sacramento injuria : ergo ex sola sacramentali oritur obligatio sigilli. Tum etiam: nam sigillum vel oritur ex ipsa sacramenti natura, ut plures censent; vel est præceptum positivum a Christo Domino injunctum, ut alii autumant. Si primum : ergo ubi confessio non fuerit sacramentalis, non erit obligatio sigilli ; siquidem deficiente radice inducente obligationem, impossibile est obligationem esse inductam. Si secundum : ergo cum Christus Dominus in vi illius præcepti solum intendat sacramenti pœnitentiæ conservationem, et suavem usum, consequens fit ut sigillum solum urgeat ad celandam confessionem sacramentalem : ex quo enim aliæ confessiones prodantur, aut alia secreta revelentur, pœnitentiæ sacramentum odiosum non fit. Tum denique : quoniam sigillum est, et dicitur sacramentale per ordinem ad sacramentum : ergo non erit vinculum sacramentale nisi quod ad confessionem sacramentalem subsequitur. Ratio prioris.

Quoad secundam vero partem convincitur assertio ex communi sensu fidelium, et Ecclesiæ praxi, quæ in his, quæ ad sacramenta spectant, est optima legum interpres. Itaque omnes fideles censent confessionem factam ministro per ordinem ad absolutionem, et ex animo se accusandi coram Deo, sub sigillo celandam esse, sive sacramentum perfectum evadat, sive non, nec ad hujusmodi obligationem inducendam opus esse, ut confessio cum omnibus conditionibus ad absolutionem requisitis fiat. Id quod etiam suadetur ex fine Christi Domini in impositione præcepti sigilli : Ratio posterioris.

quippe eo tendit ut sacramentum ex se satis difficile, et onerosum, suavius, et facilius reddatur, pœnitentesque alliciantur ad suorum criminum manifestationem ; si autem sigillum consurgeret ex sola confessione perfecta, nunquam securi ad sacramentum accederent, cum nec de illius valore certificari possint, nec aliunde sciant an absolutio deneganda sit, et sacramentum imperfectum relinquendum ob causam, quæ vel ex parte pœnitentis, vel sacerdotis occurrat ; quo pacto peccata ministro confessa absque sigilli violatione jam publicari deinceps possent. Sentiendum igitur est, sigillum obligare ad celandam omnem confessionem sacramentalem, quæ talis est ex intentione, et animo pœnitentis, ita ut eo ipso quod peccata detegantur coram ministro in ordine ad absolutionem, sub sigillo relinquantur, sive alias confessio perficiatur, sive non. Tum etiam : quia alias posset sacerdos, postquam peccata in confessione audivit, uti fraude denegandi absolutionem, ad eadem postmodum revelanda, vel dicere pœnitentem imparatum ad confessionem accessisse, et eo titulo ejus crimina prodere, quæ absurdissima sunt, et sacramenti usum intolerabilem efficerent. Tum denique : nam sacramentalis confessio instituta est in modum judicii, in quo cognoscitur causa per ordinem ad potestatem absolvendi, vel ligandi : ergo cum ex natura judicii cognitio causæ debeat præcedere sententiam, consequens est ut sub eodem secreto retineatur a judice, sive absolvere debeat, sive ligare.

Consectarium I.

66. Ex quibus infertur primo, quod si quis efficiat confessionem nullam vel ex defectu doloris supernaturalis, vel propositi emendationis, et tamen accedat ad confitendum serio animo se accusandi de peccatis coram sacerdote, et illa Ecclesiæ clavibus subjiciendi, ut sacerdos de illis dijudicet, consurgere ex hujusmodi confessione obligationem sigilli. Idemque dicendum est ubi confessio est valida, et informis, et ubi solum fuit inchoata in ordine ad absolutionem, licet ista postmodum denegetur ob pœnitentis indispositionem. In quibus conveniunt omnes, ut testatur Suarez ubi supra sect. 2, num. 8.

Suarez.

Unde D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 1, ad 1, oppositam sententiam erroneam censet his verbis : « A « primum ergo dicendum, quod quida « dicunt, quod sacerdos non tenetur se « vare sub sigillo confessionis nisi pecca « de quibus pœnitens emendare promitti « alias potest ea dicere ei, qui potest pr« desse, et non obesse. Sed hæc opini « videtur erronea, cum sit contra veritate« sacramenti. Sicut enim Baptismus e« sacramentum, quamvis quis fictus acc« dat, nec est mutandum propter hoc ali« quid de essentialibus sacramenti, it« confessio non desinit esse sacramentali« quamvis ille, qui confitetur, emendatio« nem non proponat, et ideo nihilominu« sub occulto tenendum est. » Ideo auter asserit D. Thom. hujusmodi confessione non desinere esse sacramentalem, quia s ob defectum firmi propositi absolutio dene gatur, est sacramentalis initiative, et e animo pœnitentis, quod satis est ut sigill obligationem inducat. Si autem absoluti impenditur, eo quod pœnitens accedit cun proposito inefficaci invincibiliter existi mato efficaci abstinendi a peccato, recipi verum sacramentum licet informe, juxt ea, quæ disp. præced. statuimus, et i priori parte hujus tract. disp. 1, dub. 4 num. 202. Idcirco in utroque sensu verifi catur, eam confessionem non desinere esse sacramentalem modo sufficienti ut sigill vinculum a ministro contrahatur.

67. Infertur secundo, si pœnitens accedat ad confitendum non animo efficiendi confessionem sacramentalem, et serio se accusandi coram Deo de peccatis, sed potius prava intentione decipiendi ministrum vel eum attrahendi in suorum criminum consortium, injuriis afficiendi, aut deterrendi minis, non teneri sacerdotem ac sigillum. Docent Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, N. Franciscus cap. 13, punct. 2, num. 14, Dicastillo disp. 12, dub. 3, num. 44, Henriquez cap. 21, num. 3, Coninchus disp. 9, num. 7, Vasquez qu. 93, dub. 7, in fine, Navarrus cap. 8, num 18, Reginaldus lib. 3, num. 66, Lugo disp. 23, sect. 2, num. 43, Suarez disp. 33, sect. 2, num. 6, Palaus punct. 16, § 2, num. 2, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, part. 2, num. 5, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5. Cujus ratio constat ex dictis : hujusmodi enim confessio sacramentalis non est ex intentione pœnitentis ; sigillum autem solum

solum urget ad celanda peccata, quæ in confessione sacramentali deteguntur. Unde in his casibus non majori obligatione premitur sacerdos quam secreti naturalis, proindeque tenetur rem palam facere ubi bono communi expedit. Quocirca Sotus loco proxime citato refert, Cardinalem quendam Romæ degentem, qui conspirationem in Pontificem moliebatur, alteri Cardinali confessum fuisse pravo animo eum inducendi in suam conspirationem ; postmodumque fraude per aliam viam comperta, Cardinalem, qui confessionem audierat, de re accusatum, pecuniaque mulctatum fuisse, eo quod protinus conspirationem non detexit. Etenim cum ex illa confessione solo naturali secreto obstrictus evaserit, rem aperire debuisset, ut communi bono consuleret. Hæc tamen (observat Suarez) ita intelligenda sunt, ut conjecturæ, et signa pœnitentis sint talis conditionis, ut aperte demonstrent ipsum non accessisse cum animo se accusandi coram Deo, quippe si dubia sint, in favorem pœnitentis, et sacramenti judicandum est. Nam contingere potest, pœnitentem accedere ad confessionem cum animo efficiendi aliquod malum, quod putat non esse peccatum in quo eventu si per sacerdotis admonitionem id intelligat, et a proposito non desistit, sed absque absolutione recedit, sub sigillo nihilominus retinendum est, quia ea confessio ex pœnitentis intentione sacramentalis fuit. Quod etiam observat ibidem Soto.

68. Unde infertur tertio, eum, qui accedit ad sacerdotem non animo confessionis faciendæ, sed secretum aliquod commendandi, sigilli obligationem non inducere, sed solius secreti naturalis juxta qualitatem rei sub secreto commissæ, etiamsi id dicat flexis genibus, et generalem confessionem præmittendo ; imo etiam si sacerdos dicat se tale secretum sub sigillo confessionis recipere. Ita D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2 : « Ad secundum dicendum, quod homo, non de facili « debet recipere aliquid hoc modo, si « tamen recipiat ex promissione, tenetur « hoc modo celare ac si in confessione « haberet, quamvis sub sigillo confessionis « non habeat. » Quorum verborum sensus est, sacerdotem in eo eventu teneri jure naturæ ratione promissionis secretum illud servare ea solicitudine ac si sub sigillo haberet, non tamen indispensabile sigilli vinculum subire. Id quod etiam docent Cajetanus 2, 2, quæst. 70, art. 1, Sotus in 4, dist. 21, quæst. 4, art. 5, concl. 5, Gonet disp. 13, art. 2, num. 25, Paludanus quæst. 3, art. 1, concl. 3, Vasquez dub. 2, num. 13, Suarez disp. 33, sect. 2, num. 6, Ledesma cap. 22, conclus. 7, circa finem, Navarrus cap. 8, num. 55, Simancas lib. de justit. cathol. tit. 24, num. 15, Palaus punct. 19, § 2, num. 2 et alii. Et suadetur, tum quia secretum illud sæpe non est peccatum, tum quia esto peccatum sit, cum pœnitens alia scienter reticeat, secretum intentione confitendi non detegit ; tum quia ea confessio, ut recte vidit Cajetanus, licet fiat ad instar sacramentalis, non tamen est re vera sacramentalis adhuc ex intentione pœnitentis: quod necessarium erat, ut sigilli obligationem induceret. Tum denique : nam sigillum non obligat ex pacto, aut promissione, sed ex ipsa sacramenti institutione, atque ideo ubi non est vera confessio sacramentalis saltem initiative, aut ex pœnitentis intentione, nequit vinculum sigilli consurgere, quantumvis quis promittat se rem sub sigillo servaturum. Nec audiendus est Paludanus, qui licet nobiscum sentiat, subdit tamen eum, qui tradit vel recipit extra confessionem secretum aliquod servandum sub tum arcto sigillo, ac si in confessione auditum, vel traditum fuisset, injuriam sacramento irrogare. Satis enim fideles intelligunt obligationem, quæ inde oritur, distinctam esse ab ea, quæ ex confessione consurgit, nec censent tantam reverentiam illi secreto deberi, quanta sacramentali debetur, subindeque cum bona fide procedant, et re ipsa tale secretum ad sacramentum non spectet, non est unde illi injuria irrogetur. Nec D. Thomas Paludano favet, dum in præmisso testimonio ait : « Homo non de « facili debet recipere aliquid hoc modo. » Id enim solum subdit ad cautelam.

Cajet. Sotus, Gonet, Palud. Suarez, Vasqu. Ledesm. Navarr. Simanc. Palaus.

Palud.

69. Infertur quarto, si quis serio animo se accusandi coram Deo, et recipiendi absolutionem confiteatur alicui se sacerdotem, et legitimum pœnitentiæ ministrum fingenti talem confessionem imponere obligationem sigilli ; nam cum pœnitens bona fide procedat, et peccata prodat in ordine ad claves, ea confessio est vere sacramen-

Quartum

talis inchoative, et ex pœnitentis intentione, proindeque si reveletur, magna illi, et sacramento irrogatur injuria. Tenent Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, Dicatillo dub. 3, num. 28, N. Franciscus cap. 14, punct. 2, num. 12, Lugo disp. 23, sect. 2, num. 40, Suarez disp. 33, sect. 2, num. 3, Vasquez ubi supra, dub. 2, num. 3, Sotus citat. art. 5, Diana, Reginaldus, Layman, Bonacina, Coninchus, et alii plures apud recensitos.

Nugnus, Dicast. N. Franc. Lugo. Suarez. Vasqu. Sotus, Diana.

Quæstiunc.

70. Sed quid si pœnitens credat invincibiliter laicum in absentia sacerdotis, et in extrema necessitate posse sacramentaliter absolvere, ad idque jurisdictionem habere, et hujusmodi ductus errore illi confiteatur serio animo subjiciendi Ecclesiæ clavibus sua peccata, et accipiendi absolutionem sacramentalem ? Respondetur, audientem confessionem in hoc eventu teneri ad observationem sigilli : tum quia illa confessio ex intentione pœnitentis est sacramentalis, siquidem peccata deteguntur in ordine ad absolutionem, quæ forsan pœnitens non detegeret, si laicum non posse absolvere existimaret. Tum quia præceptum impositum est in favorem pœnitentis, et sacramenti : ergo ampliari debet ad omnem confessionem factam bona fide sub ratione, et intentione sacramenti. Tum denique : nam ideo confessio facta illi, qui se ministrum finxit, inducit obligationem sigilli, quia licet de facto non terminetur ad legitimum ministrum, tamen ex intentione pœnitentis ad legitimum terminatur; sed ita contingit ubi pœnitens confitetur laico existimans invincibiliter posse in absentia sacerdotis sacramentaliter absolvere: ergo sigilli vinculum infert.

Decidi-tur.

Ita N. Franciscus cap. 14, punct. 2, num. 13, Hurtado de sacram. diffic. 3, resol. 13, Joannes Præpositus, Diana tract. 11, resol. 13, Suarez disp. 33, sect. 2, num. 3, circa finem ; Sotus art. 5, cit. Navarrus in summ. cap. 8, num. 7, Favet Dicastillo, sect. 3, num. 30, in fine. Id quod a fortiori dicendum est, ubi confessio fit clerico, vel in minoribus constituto, vel jurisdictione carenti, si pœnitens invincibiliter credat posse legitime absolvere : quippe ea confessio ex pœnitentis intentione ad claves dirigitur, et sacramentalis est inchoative ; defectus autem absolutionis per accidens contingit, ideoque ad sacramenti reverentiam spectat, ut sub sigillo ea peccata retineantur, ut recte adnotavit Suarez ibidem num. 4, et Palaus cum aliis punct. 19, § 2, num. 1.

N. Franc. Hurtad. Præpositus. Diana. Suarez. Sotus. Navarr. Dicast.

71. Oppositæ tamen sententiæ adhærent Vasquez quæst. 93, artic. 4, dub. 2, num. 7, et Lugo disp. 23, sect. 2, num. 41, referens pro eadem Suarium, sed immerito, cum expresse nostram defendat num. 3, ubi explicat sensum, in quo prius loquutus fuerat. Igitur isti Authores, cum nobiscum sentiant sigilli obligationem oriri ex confessione facta sacerdoti ficto, id negant de confessione facta laico, dum pœnitens invincibiliter credit posse in casu necessitatis absolvere ; disparitatemque assignat Vasquez, quod in priori casu laborat pœnitens ignorantia facti, in posteriori vero ignorantia juris, seu potestatis absolvendi. Verum hæc differentia nulla est : nam ideo qui scienter confitetur laico, laborat ignorantia juris, quia credit invincibiliter habere potestatem absolvendi, quam re vera non habet ; sed qui confitetur fingenti se sacerdotem, credit eodem modo habere legitimam potestatem, et jurisdictionem, quibus etiam caret, cum ex vi illius fictionis nihil obtinuerit, ut ex se liquet : ergo in utroque eventu intercedit eadem ignorantia juris, seu deceptio circa legitimam potestatem. Tum etiam : nam juxta universalem Doctorum regulam, quam amplectitur idem Vasquez ibidem num. 6, tunc confessio inducit obligationem sigilli, cum fit ex intentione sacramenti ; sed in utroque eventu, de quo agimus, fit ex intentione, et animo sacramenti : ergo quod in uno detur ignorantia juris, et in alio facti, nihil refert.

Hæc videns Lugo, aliam arripuit viam, et differentiam in eo statuit, quod pœnitens in primo casu ubi confitetur sacerdoti ficto, apprehendit, et intendit confessionem veram a Christo institutam, id est, confessionem cum sacerdote, licet alias erret circa personam judicando esse sacerdotem, et habere potestatem, qui nec sacerdos est, nec potestate gaudet. In secundo autem apprehendit, et intendit confessionem fictam, siquidem intendit confessionem cum laico, quam Christus non instituit : sigillum igitur sequitur ad sacramentum a Christo institutum, non vero ad fictum. Ceterum hæc doctrina nihilo melior præcedenti est :

nam

am si inquiramus a Lugone, an confessio um sacerdote ficto sit a Christo Domino nstituta ? Id utique non concedet ; quo upposito in ipsum retorquetur argumen- um. Ex confessione a Christo non insti- uta non oritur obligatio sigilli ; sed con- essio cum sacerdote ficto non est a Christo nstituta : ergo ex ea non oritur obligatio gilli. Si respondeat, confitentem sacerdoti cto non apprehendere nec intendere con- essionem fictam a Christo non institutam, ed confessionem veram cum legitimo sa- erdote, et ministro, dicipitur tamen circa unc hominem existimans esse verum mi- istrum, contra est : nam ideo juxta Lu- onem, qui confitetur laico apprehendit, intendit confessionem fictam, quia in- ndit confessionem cum laico, quam hristus non instituit, sed qui confitetur acerdoti ficto, apprehendit, et intendit onfessionem cum isto homine, quem hic, nunc habet præsentem, quam confessio- em Christus non instituit, cum sacerdos le fictus sit : ergo apprehendit, et inten- t confessionem fictam. Solutionem ergo, uam huic objectioni adhibuerit, applicare oterit illi, quam ipse efformavit.

72. Pro omnibus igitur dicendum est, enitentis deceptionem in utroque eventu ersari non circa confessionem, sed circa inistrum, eo quod apprehenditur potestas olvendi in subjecto, in quo non est. Quem- modum enim qui confitetur sacerdoti to, apprehendit confessionem cum sacer- te, quam re ipsa Christus instituit, deci- tur tamen quatenus judicat hunc homi- m esse verum sacerdotem ; ita qui confi- ur laico, apprehendit confessionem cum gitimo ministro, quam Christus instituit, cipitur tamen circa laicum existimans se legitimum ministrum. Ex quo fit, enitentem in neutro casu apprehendere nfessionem fictam : non enim apprehen- confessionem faciendam laico ut tali, illi ut legitimo ministro ; sicut nec prehendit confessionem cum sacerdote to ut tali, sed cum illo homine tanquam m legitimo sacerdote ; confessio autem m legitimo ministro vera confessio est, a Christo Domino instituta. Ex quo etiam quod non intendit confessionem fictam, veram : tum quia intendit quam ap- ehendit ; tum quia si interrogetur quam endat ? Respondebit, a Christo institu- tam. Quocirca in utroque eventu adest quod sufficit ad inducendam sigilli obliga- tionem : hæc enim oritur ex confessione sacramentali ex animo pœnitentis ; imo, et re ipsa sacramentalis initiative, et quoad ea, quæ se tenent ex parte pœnitentis : nam si ex parte ministri adhiberetur vera absolutio, absque alia pœnitentis diligentia fieret integrum sacramentum ; quod esse non posset, nisi illa confessio fuisset sacra- mentalis. Et ratio a priori est : quia in utro- que eventu pœnitens sua peccata re ipsa confitetur, et vere de illis dolet in ordine ad legitimas Christi claves, licet apprehen- sæ ubi non sunt : tunc enim non apprehen- duntur claves fictæ, sed veræ, quia decep- tio solum est circa earum subjectum. Sicut qui apprehendit Pontificem esse Hispali, non apprehendit fictum Pontificem, cum solum decipiatur circa ejus ubicationem, quam non Hispali, sed Romæ habet. Unde prædicta confessio tam sacramentalis est inchoative, quam ea, quæ fit legitimo sacerdoti, et absolutione non perficitur.

§ II.

Expeditur dubium quoad alteram partem.

73. Posterior tituli pars inquirit, quæ personæ sigilli vinculo ligentur? Quæ dif- ficultas ad præcedentem reducitur, solum- que ab ea distinguitur penes majorem universalitatem, quam importat. Plures autem sunt, de quibus dubitari potest, an ad sigillum teneantur. Cum enim pœni- tentiæ sacramentum in modum judicii institutum sit, quemadmodum in judicio fori exterioris præter judicem, et reum alii ministri concurrunt ; ita in sacramen- tali foro præter sacerdotem, qui munere fungitur judicis, et pœnitentem, qui rei, testis, et accusatoris vicem gerit, alii inter- dum admittantur aut ex necessitate, aut per accidens, ut consiliarius tanquam as- sessor judicis, qui eo indiget ex defectu aliquali scientiæ : interpres, ubi pœniten- tis idioma sacerdoti ignotum est ; superior judex, cum casus reservatus occurrit, a quo inferior absolvere nequit, nisi supe- rior facultatem concedat ; et alii, qui vel casu, vel actu confessionem audiunt, vel quibus inique revelatur confessio. Porro ut certa ab incertis separemus, supponendum Suppo- sitiones.

est sacerdotem teneri stricte, et rigorose ad observationem sigilli : hoc enim, cum nihil aliud sit quam debitum confessionem celandi, illum principaliter, et per se primo constringere debet, cui tanquam judici ac ministro fit confessio ; alioqui si iste eo vinculo non ligaretur, nulla esset ratio cur alter talem obligationem subiret ; de hoc igitur nemo Doctorum dubitat. Et eadem certitudine supponi debet, pœnitentem non teneri ad sigillum eorum, quæ confitetur : tum quia istud non in gravamen, sed in pœnitentis favorem institutum est ; tum quia sigillum non est debitum celandi confessionem absolute, sed dependenter a pœnitentis arbitrio, ut ex dictis dub. præced. constat : ergo sicut licentiam conferre potest sacerdoti ut peccata revelet, ita, et per se ipsum revelare potest. Ad occultandum autem sacerdotis defectus, et ea, quæ sibi in confessione dixit, solum tenetur sub secreto naturali juxta qualitatem materiæ, ut communis sententia docet. Nec audiendi sunt Paludanus, Navarrus, et Adrianus contendentes ea cadere sub sigillo : constat enim sanctum Inquisitionis tribunal præcepisse strictissime pœnitentibus denunciare sacerdotes ad turpia intra sacramentum sollicitantes ; si autem sacerdotis actiones, aut verba sub sigillo caderent, nec pœnitentes tenerentur illi Inquisitionis præcepto obedire, nec possent : siquidem sigillum rumpere nunquam licet. His ergo suppositis, solum relinquitur difficultas circa alias personas nuper recensitas.

Resolutio circa interpretem. D. Tho. Nugnus, Ledesm. Gonet, Medin. Victor, N. Franc. N. Anton. Bonæ Spei. Suarez. Lugo. Dicast. Navarr. Vasqu. Henriq. Iurtad. Diana, Leand. et alii.

74. Et quidem si loquamur de interprete, medio quo fit confessio, dicendum est teneri ad sigillum. Ita D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 3, et art. 2, ad 4, Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, Ledesma cap. 22, conclus. 7, Gonet disp. 11, art. 2, num. 22, Medina, Cod. de confes. quæst. 50, Victoria in summ. num. 172. N. Franciscus cap. 14, punct. 4, num. 59, N. Antonius sect. 3, num. 1508, N. Bonæ Spei resol. 11, num. 18, Suarez disput. 33, sect. 4, num. 4, Lugo disp. 23, sect. 2, num. 21, Dicastillo disp. 12, sect. 3, num. 26, Navarrus in cap. *Sacerdos*, num. 24, Vasquez quæst. 93, art. 4, dub. 2, n. 2, Henriquez lib. 3, cap. 19, num. 9, Hurtado disp. 12, difficult. 3, Diana 5 par. tract. 12, resol. 48, Leander cum multis quæst. 51, fereque omnes consentiunt : si quæ enim dissensi inter aliquos est, non tam circa rem, quan penes modum loquendi versatur, ut e dicendis constabit. Suadetur igitur resolu tio : nam sigillum est obligatio reticend ea, quæ per confessionem sacramentalen innotescunt ; sed interpres cognoscit pœnitentis peccata per confessionem sacramentalem : ergo sigillo obstringitur. Tum etiam ratione D. Thomæ loco citato : ete nim qui participat de actu clavium, debe etiam participare de actu sigilli ; sed inter pres, dum confessionem audit, participa actum clavium, siquidem cognoscit pœni tentis causam, quod spectat ad claven scientiæ sacerdotis, ut dicemus dum de cla vibus sermo instituetur : ergo etiam parti cipat sigilli vinculum. Tum denique, e præsertim : quoniam, ut sæpe dictum est Christus Dominus imposuit arctissimum sigilli præceptum propter sacramenti re verentiam, et in pœnitentis favorem, ne illud odiosum fieret, nec iste ex confessione detrimentum acciperet, unde ab ea remo veretur ; atqui si sigillum non comprehen deret etiam interpretem, non satis Chris tus Dominus consuluisset sacramento, e pœnitentibus ; siquidem si peccata clavibus subjecta revelari possunt, parum aut nihi refert, quod id per interpretem, et non per sacerdotem fiat ; ergo sentiendum est, sigil lum non solum premere sacerdotem, sed etiam se extendere ad interpretem, imo et ad quoscumque alios, qui confessionis notitiam accipiunt : ratio quippe generaliter de omnibus convincit, ut ex se patet.

75. Objicies primo, D. Thomam loco cit. quæstiunc. 3, hæc habere : « Sed con- « tra est, quod solus sacerdos est ministe « hujus sacramenti ; sed sigillum confes- « sionis est annexum sacramento : ergo « solus sacerdos habet sigillum confessio- « nis. » Et ulterius in 2 argum. *Sed contra*, id ipsum probat : « Homo tenetur ea « quæ in confessione audit, celare, quia « nescit ea ut homo, sed ut Deus ; sed solus « sacerdos est minister Dei : ergo ipse so- « lus tenetur occultare. » Cum ergo D. Thomas in ea quæstiuncula inquirat, an interpres, et alii teneantur ad sigillum, videtur sentire hujusmodi obligationem neminem præter sacerdotem comprehendere.

Respondetur, Ang. Præceptoris mentem venandam

venandam fore ex corpore illius quæstiunculæ, ubi difficultatem resolvit, et ita loquitur : « Dicendum quod sigillum con- « fessionis competit sacerdoti in quantum « est minister hujus sacramenti, quod « nihil est aliud quam debitum confessio- « nem celandi, sicut clavis est potestas « absolvendi. Tamen sicut aliquis, qui non « est sacerdos, in aliquo casu participat « aliquid de actu clavis, dum confessionem « audit propter necessitatem ; ita etiam « participat de actu sigilli confessionis, et « tenetur celare, quamvis proprie loquen- « do, sigillum confessionis non habeat. Et « per hoc patet solutio ad objecta. » In quibus perspicue docet non solum sacerdotem, sed etiam non sacerdotem participantem actum clavis, sive confessionis scientiam, teneri peccata celare, utique sub sigillo, de quo difficultas procedebat : nam sub secreto naturali compertum est, nec id in examen vocabatur. Subdit tamen : « Quamvis proprie loquendo sigil- « lum confessionis non habeat ; » non ut innuat interpretem non teneri ad celandam confessionem ex virtute Religionis, sed quod ad id non tenetur directe, et quasi ex officio, sicut sacerdos, cui per se ea obligatio incumbit. Sigillum quippe principaliter institutum est propter sacerdotem, ad quem tanquam ad ministrum spectat audire confessionem, quique regulariter loquendo solus audit ; non autem propter interpretem, aut alios, qui per accidens sacramento intersunt. Si tamen contingat confessioni interesse, vel ejus scientiam accipere, ad ipsos sigillum indirecte, et quasi secundario extenditur propter sacramenti reverentiam, ita ut si confessionem revelent, peccato sacrilegii delinquant. Quemadmodum enim si sigillum referatur ad materiam, cujus revelationem prohibet, solum cadunt directe sub sigillo peccata pœnitentis, quæ sunt materia sacramenti, et indirecte plura alia, quæ licet materia absolutionis non sint, spectant nihilominus ad judicium sacramentale, quatenus necessaria sunt ad explicationem peccati ; ita dum refertur ad personas, quas constringit, solum tendit per se in sacerdotem, et quasi per accidens in alios, qui confessionis notitiam accipiunt. Et in hoc sensu loquutus est D. Thomas, cum dixit quod proprie loquendo sigillum confessionis non habent, nec aliud intendit in argumentis sed contra in objectione relatis. Per quod etiam credimus nonnullos conciliari Authores, qui ob confusionem, sub qua loquuntur, specietenus sentire videntur, interpretem confessionis sigillo non ligari : cum enim doceant teneri celare confessionem adeo stricto vinculo, ut nunquam rumpi possit, opus est in interprete sigilli obligationem concedere ; siquidem secretum naturale adeo stricte non urget, ut sæpe revelari non liceat. Intendunt igitur eo modo loquendi, ut recte vidit Suarez ubi supra, sigillum esse propriam ministri obligationem, aliorum autem non nisi indirecte, et ratione extensionis illius præcepti. Quod videtur sensisse Sotus in relect. de tegend. secret. memb. 3, quæst. 4.

76. Objicies secundo : nam interpres in confessione dumtaxat se tenet ex parte pœnitentis, siquidem præcise requiritur ut illius peccata manifestet sacerdoti : sed pœnitens est immunis a sigillo : ergo, et interpres. Patet consequentia : cum enim ex utroque quasi una persona moraliter constituatur, idem privilegium utrique favere debet. Tum etiam : quia ex vi præcepti confessionis nemo tenetur ad confitendum per interpretem : ergo cum ex una parte dum pœnitens ita confitetur, videatur cedere juri suo, et ex alia sigillum dari non debeat pro illa notitia, quæ necessaria non est ad observationem præcepti confessionis, interpres sigillo non ligabitur. Objectio 2.

Respondetur negando majorem : interpres quippe non solum deservit pœnitenti, sed etiam sacerdoti, est enim quasi lingua utriusque, et veluti organum medio quo unus se accusat, et alter causam examinat, substantiam, et circumstantias peccatorum investigat, correctionem adhibet, et pœnitentiam adjungit. Unde quamvis prout ex parte pœnitentis se tenet non ligaretur sigillo, adhuc illius obligationem subiret prout se tenet ex parte ministri. Diximus *quamvis non ligaretur* : quia etiam prout supplet pœnitentis defectum ligatur : non enim sigilli privilegium in interpretis favorem, sed pœnitentis, cui damnum ex peccatorum revelatione sequeretur, institutum est. Præterquam quod, ut quis sigilli obligationem contrahat, satis est Diruitur.

peccata per scientiam sacramentalem agnoscere, cum eo ipso illorum revelatio in sacramenti injuriam cederet. Ad augmentum difficultatis dicendum est excessive probare : suadet enim nec sacerdotem teneri ad celandam confessionem factam per interpretem, nec ad celanda peccata venialia, nec mortalia jam iterum confessa ; cum hujusmodi confessiones non ex præcepto, sed libere fiant a pœnitente. Quemadmodum igitur dum voluntarie confitetur venialia, juri suo non cedit ut sacerdos ea revelet ; ita nec cedit ubi per interpretem confitetur. Et similiter sicut sigillum obligat ad celanda venialia, quorum confessio necessaria non est ad adimpletionem præcepti ; ita etiam favet confessioni factæ per interpretem, quamvis ex præcepto non debeatur ; quod ideo est, quia alias sacramentum odiosum fieret. Per quod patet ad utramque probationem consequenti insertam.

Quid de consiliario ? 1 sententia. Pesanc. Vasquez. Onuffrius. Coninc. Palaus.

77. Sed quid dicendum de consiliario, cui sacerdos petendi consilii gratia confessionem revelavit ? Pesancias in addit. ad 3 part. quæst. 11, disp. 3, Vasquez quæst. 93, art. 4, dub. 2, num. 10, Onuffrius de sigillo, sect. 3, qu. unic. dub. 6, Coninchus disp. 9, dub. 3, num. 50, Palaus punct. 19, § 4, num. 8, negant teneri ad sigillum, si ea revelatio fiat de consensu pœnitentis. Quod probant, tum quia ubi pœnitens licentiam concedit sacerdoti ut de auditis in confessione consulat detegendo personam, perinde est ac si per se ipsum extra confessionem consuleret ; atqui si per se ipsum consuleret, non inducet sigilli obligationem in consiliario : ergo nec ubi confessio illi revelatur de pœnitentis consensu. Tum etiam : nam vix unquam necessarium est pœnitentis personam manifestare ad consilium petendum : ergo si pœnitens licentiam concedit ut manifestetur, consiliarius sigillo non ligatur. Consequentia patet : quippe sigillum non favet illi notitiæ peccatorum, quæ necessaria non est ad obtinendam sacramentalem absolutionem. Tum denique : quia pœnitens in vi illius licentiæ tribuit sacerdoti aliam notitiam extra sacramentalem peccati, quam possit communicare consiliario ; sed quod per notitiam extrasacramentalem scitur, sub sigillo celari non debet : ergo.

Communis tamen sententia tenet, consiliarium sigillo obnoxium evadere, sive peccata sibi revelentur de pœnitentis consensu sive non. Quæ est expressa doctrina D. Thomæ in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 2, ad 4, ubi inquit : « Dicendum, quod ille, a « quem notitia peccati devenit mediante « sacerdote ex voluntate confitentis, participat in aliquo actum sacerdotis, et idem « simile est de eo, et de interprete, nisi « forte peccator velit quod ille absolutus « sciat, et libere. » Docentque Gonet disp. 13, art. 2, num. 22, Petrus Ledesma cap. 22, concl. 7, Alter Ledesma quæst. 10, art. 3, dub. 1, Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, Petrus Soto lect. 11, de confes. Paludanus dist. 21, quæst. 3, Viguer in summ. cap. 16, § 4, vers. 20, Navarrus cap. 8, n. 4, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 14, num. 18, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 3, p. 3, nam. 4, Suarez disp. 33, sect. 4, n. 6, Lugo disp. 23, sect. 2, num. 25, Dicastillo disp. 12, dub. 3, num. 54, Fagundez præcept. 2, lib. 6, cap. 5, num. 20, Sylvester verb. confessio 3, quæst. 1, Candidus disquisit. 24, art. 49, dub. 5, Leander cum multis, quæst. 49, Diana tract. 11, resol. 11, et alii plures. Ratio autem constat ex dictis num. 74, et ulterius suadetur : nam ideo interpres sigillo obstringitur, quia cognoscit, et declarat peccatum pœnitentis in ordine ad confessionem ; sed etiam consiliarius cognoscit et declarat naturam, et gravitatem ejusdem peccati in ordine ad confessionem, et se habet tanquam interpres juris declarando an pœnitens sit vel non absolutione dignus : ergo eandem obligationem subit. Tum etiam : quia si consiliarius, dum de licentia pœnitentis notitiam peccati accipit, non ligaretur sigillo, nec etiam ligaretur ipse sacerdos post illam revelationem factam ; siquidem jam cognoscit peccatum eadem scientia, ac consiliarius ; consequens est absurdum, nec ipsi adversarii concedunt ; ergo. Tum denique, nam ubi confessio revelatur consiliario sine pœnitentis licentia, contrahit obligationem sigilli, nec potest peccatum alteri prodere nisi ex consensu pœnitentis, ut adversarii fatentur : ergo etiam ligatur eodem vinculo, dum sibi revelatur confessio cum licentia limitata ut ipse solus sciat, et consilium præstet. Patet consequentia ; cum enim in utroque eventu habeat illam notitiam

ST MARY'S COLLEGE LIBRARY

iam mediante sacerdote, nulla est ratio ur in primo illam habeat subordinatam œnitentis arbitrio, et non in secundo. Nec apparet, cur consiliarius redderet con- essionem odiosam, si in priori eventu al- eri revelaret peccatum, et eam odiosam ion redderet in posteriori, cum in utraque evelatione contra pœnitentis voluntatem rocedat. Itaque sufficit, notitiam peccati, uam mediante sacerdote accipit consilia- ius, haberi via confessionis, et ad ipsam rdinem dicere, ut secum sigilli vinculum fferat, et semper sub pœnitentis potestate naneat.

78. Nec opposita motiva aliquid evin- unt : non primum : aliter quippe se habet œnitens, dum mediante sacerdote alium onsulit, ac dum per se ipsum id efficit. tenim in priori casu accipit consiliarius otitiam ex confessione, et participat ac- um clavium cognoscendo pœnitentis cau- am, et supplendo sacerdotis defectum, psum coadjuvando in ordine ad consum- nationem sacramenti. In posteriori autem on accipit per confessionem eam notitiam, ec ex ea pendet, cum adhuc non existat tiam inchoative. Præterquam quod satis robabile est, etiam in secundo casu teneri onsiliarium ad sigillum, eo quod licet talis otitia non habeatur ex confessione, dicit amen ad eam ordinem. Quod docent Le- esma cap. 22, concl. 7, Fagundez, Navar- us, quos refert, et sequitur Diana resol. 4. Ad secundum dicendum est, non raro ecessariam esse consultationem delegendo ersonam ad obtinendam sacramentalem bsolutionem, eo quod sacerdos dubitat de œnitentis dispositione, vel de facultate ad bsolvendum, et aliunde peccatum talis onditionis est, vel sub talibus circums- antiis factum, ut adæquate explicari non ossit, quin persona manifestetur, vel in- ens motivum suspicandi offeratur. Cete- um licet contingat, quod absque necessi- te id fiat, adhuc tamen consiliarius gillo obstringitur : ad hoc enim satis est im notitiam a confessione pendere : con- uit quippe ad majorem pœnitentis se- ritatem, quod omnis notitia peccati abita ex confessione sive immediate, sive ediate, sub sigillo retineatur, et pendeat ejus arbitrio, ita ut possit licentiam ab- lutam, vel limitatam concedere ad illius um, alioqui satis onerosa esset confessio pœnitenti, si ubi consultatio necessaria est, consiliarius sigillo non ligaretur. Ad ter- tium constat ex dictis dub. 4, in fine, pœni- tentem, dum licentiam confert sacerdoti ad consulendum, non tribuere novam no- titiam extrasacramentalem peccati, sed facultatem ut sacramentali utatur, et eam ad alios extendat sub eadem sigilli obliga- tione contrahenda ab audiente ; ubi enim dicitur non posse sacerdotem loqui, quæ scit ut Dei minister, intelligitur sine pœ- nitentis licentia, in cujus favorem sigil- lum institutum est. Vel si pœnitens in vi illius licentiæ notitiam extrasacramentalem confert, non est omnino absoluta, sed a sacramentali participata, et dependens, ut ibidem explicuimus.

79. Et quibus infertur primo, idem, et ob eadem motiva dicendum esse de prælato superiori, cui sacerdos inferior de pœni- tentis licentia confessionem revelat, ut facultatem absolvendi a reservatis conce- dat ; tenent Suarez disp. 33, sect. 4, num. 3, Ledesma cap. 22, post conclus. 7, Victo- ria in summ. num. 109, N. Antonius sect. 3, num. 1507, N. Franciscus punct. 4, num. 66, Dicastillo dub. 3, num. 41, Lugo sect. 2, num. 34, Reginald. lib. 3, num. 25, Diana tract. 11, resol. 12, ubi plures refert. Gonet disp. 13, art. 2, num. 22, Nugnus in addit. quæst. 11, art. 1, difficult. 1, Villalobos cap. 9, difficult. 72, num. 7, Navarrus in cap. Sacerdos, num. 42, Leander quæst. 50, adducens Sotum, Candidum, Granadum, Fagundez, et alios. Et quidem in præsenti urgentior est ratio: superior quippe non solum notitiam acci- pit ex confessione saltem inchoata, sed etiam ad ipsum defertur causa pœnitentis tanquam ad superiorem judicem, qui proinde quodammodo in eo sacramento utitur clavibus, et influit aliqualiter in absolutionem, delegando facultatem, sine qua pœnitens directe absolvi nequit. Ob quam rationem plures ex citatis Doctores, uti Lugo, Navarrus, Dicastillo, Ledesma, et alii, doctrinam extendunt etiam ad ca- sum, in quo pœnitens per ipsum superio- rem adit, et facultatem absolvendi a cri- mine reservato exposcit, quod satis con- sequenter dictum videtur, et ita esse sen- tiendum constat ex dictis dub. 4, num. 59.

Illatio 1. Suarez, N. Anton. N. Franc. Victor. Dicast. Regin. Lugo, Diana, Gonet, Ledesm. Nugnus. et alii.

80. Infertur secundo, teneri etiam ad sigillum, qui actu, vel furtive confessio- Illatio 2.

nem audivit, tum quia eadem ratio est ac de eo, qui se sacerdotem finxit ; tum quia tota illa notitia habetur ex confessione, cui sigillum annexum est, ne sacramento, et pœnitenti injuria irrogetur. Porro si judicium sacramentale ob arctissimum secretum, quod affert, prohibet alios præter sacerdotem audiendis confessionibus se immiscere, consequens est ut si ex industria audire contingat, rem sub eodem secreto habere compellantur. Ita N. Franciscus punct. 4, num. 61, Gonet art. 2, num. 22. Lugo num. 39, Dicastillo num. 7. Suarez sect. 4, num, 7, Leander quæst. 52, Diana tract. 11, resol. 16, ferequе omnes consentiunt ; et idem judicium faciunt, et facimus de eo, cui sacerdos inique peccatum revelavit, et similiter de illis, qui casu, vel ex necessitate confessionem audiunt, ut in naufragio, vel incendio, dum coram aliis peccata alta voce confitentur. Quippe regula generalis Doctorum est, omnem eam notitiam peccati manere sub sigillo, quæ mediate vel immediate oritur ex confessione : id enim colligitur ex fine præcepti sigilli, et expedit sacramenti reverentiæ, et congruit ut fideles majori securitate ad confessionem accedant.

DUBIUM VI.

Quæ cadant sub sacramentali sigillo.

Non solum in confessione innotescunt sacerdoti pœnitentis peccata gravia, et levia, eorum species, et circumstantiæ ; verum etiam plura alia, uti sunt defectus naturales pœnitentis,macula originis, peccatum complicis, scrupuli, et similia, quæ licet non sint materia absolutionis, proindeque non pertineant directe ad judicium sacramentale ; nihilominus interdum pertinent indirecte, eo quod manifestantur ratione peccati, quod aliter explicari non potest, nisi illi defectus detegantur, ut contingit in spurio, qui se talem dicit ad manifestandum peccatum in acquirenda hæreditate contra jus filiorum legitimorum commissum ; interdum vero nec directe, nec indirecte ad sacramentum pertinent,sed obiter, aut pure concomitanter innotescunt Sacerdoti. Dubium igitur inquirit, quæ ex his celari debeant sub sigillo.

§ I.

Resolvitur difficultas aliquibus assertionibus.

81. Dicendum est primo, cadere directe sub sigillo omnia peccata, quæ pœnitens confitetur quoad numerum, species, et circumstantias tam aggravantes, quam mutantes speciem, sive peccata sint gravia, sive levia, sive antea confessa, sive nondum confessa. Hæc assertio est communis apud Authores, quos proinde supervacaneum foret in particulari referre. Suadeturque ratione : nam sigillum sacramentale ea comprehendit directe, quæ directe et ratione sui sunt materia sacramenti ; sed omnia peccata prout in assertione recensita pertinent directe, et ratione sui ad materiam sacramenti : ergo ea omnia sigillum sacramentale comprehendit directe. Major constat ; quia cum sigillum sacramentale sit debitum celandi confessionem, ea debent esse materia directa sigilli, quæ fuerint materia directa confessionis. Minorem autem ex professo ostendimus in priori hujus tract. parte disp. 1, dub. 1, § 4. Quamvis enim peccata gravia nondum confessa differant a venialibus, et mortalibus jam confessis in eo quod priora sint materia necessaria, posteriora vero libera, et ad pœnitentis nutum possint omitti, vel apponi ; nihilominus omnia sunt materia sacramenti ; tum quia omnia exponuntur ut dimittenda, vel retinenda ; tum quia dolor, qui est materia proxima, non solum cadere potest supra mortalia, sed etiam supra venialia, tum quia cum hujusmodi sacramentum institutum sit ad instar medicinæ, ea erunt materia sacramenti, quæ fuerint animæ vulnera ; non solum autem peccata mortalia, sed etiam venialia animam sauciant. Consequentia vero ex præmissis infertur. Quæ ratio desumitur ex D. Thoma in 4 dist. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2 ubi inquit : « Ad secundam quæstionem « dicendum, quod sigillum confessionis « non directe se extendit nisi ad illa, quæ « cadunt sub sacramentali confessione.

82. Observandum tamen est discrimen quod intercedit inter peccata venialia, et lethalia: hæc enim non solum quoad numerum, et speciem,sed etiam sumpta in genere

re sub sigillo comprehenduntur. Unde si sacerdos extra confessionem diceret : « iste confessus est gravia peccata ; » proculdubio sigillum violaret. Ceterum venialia licet sumpta quoad numerum, speciem, et circumstantias, sub sigillo cadant, non tamen sumpta in genere. Quocirca sacerdos, qui diceret : « iste confessus est « venialia; » sigillum non rumperet ; rumperet tamen si diceret, « con- « fessus est mendacium, » vel si adderet : « confessus est multa venialia, aut intra « spheram venialium graviora ; » vel si de persona probatæ virtutis subderet : « Hæc non curat vitare venialia. » Quæ omnia apud Doctores recepta sunt. Et ratio est perspicua : nam eo ipso quod quis accedat ad sacramentum, infertur, et per se innotescit ex ipso actu confitendi, confessum fuisse saltem venialia ; alioqui sacramentum non recepisset. Quocirca sicut licet dicere : « iste mihi confessus est ; » ita, et dicere : « confessus est venialia. » Ceterum ex eo quod quis ad sacramentum accesserit, non infertur confessum fuisse lethalia adhuc in genere, cum absque his absolutio stare possit ; nec similiter infertur confessum fuisse multa venialia, nec graviora intra limites venialium, nec etiam hoc, aut illud in determinata specie, aut de venialibus non curare ; atque ideo horum revelatio displicet pœnitentibus, eosque a confessione arcet. Nec audiendus est Ledesma, qui contra omnium sententiam asserit 2, p. 4, quæst. 11, art, 1, cap. 5, sacerdotem revelantem aliquod peccatum veniale, v. g. mendacium pœnitentis non violare graviter sigillum, si ita caute dicat, ut alii non intelligant tale peccatum fuisse cognitum in confessione. Ut enim quis graviter contra sigillum delinquat, illa advertentia in audientibus necessaria non est; cum sigillum non obliget ob scandalum aliorum, sed propter sacramenti reverentiam, cui gravissima irrogatur injuria, etiam si peccatum revelatum sit leve ; alias nemo venialia confiteri auderet, si sciret sacerdotem ea revelare posse absque gravi sigilli violatione.

83. Id autem, quod diximus de illa loquutione : « iste confessus est venialia », intelligendum est etiam de ista : « confessus est sua peccata, » non determinando an sint mortalia an venialia : quia ita loquens nec revela venialia in specie, nec mortalia in genere: non ergo sigillum violatur. Sic Navarrus in cap.Sacerdos, n. 68, 69 et 72, et in Manuali, cap. 8, n. 11, Fagundez lib. 6, cap. 5, n. 19, Henriquez lib. 3, cap. 21, Suarez disp. 33, sect. 3, n. 9, Lopez 1 part. instruct. cap. 36. Hoc autem intelligi debet per se loquendo : nam per accidens contingere posset in aliquo casu, ut observat idem Navarrus, hujusmodi loquutionem esse sigilli violativam ; ut si quis adeo occulte confiteretur huic Sacerdoti, ut nolit alterum scire se illi confessum fuisse, nec ex hac quasi furtiva confessione ex adjunctis circumstantiis peculiaris confessarius pœnitentis, vel ejus parentes, herus aut alii suspicentur aliqua lethali culpa illaqueatum fuisse, dum alium quæsivit sacerdotem, ut illi confiteretur. Idemque asserit Lugo sect. 3, num. 65, et a fortiori asserendum est ubi ex ea loquutione ob circumstantias occurrentes colligi posset pœnitentem peccatum aliquod reservatum confessum fuisse. Et similiter si postquam sacerdos duorum vel trium confessiones audivit, diceret : « iste « sola venialia confessus est ; » vel unum nimis laudet dicens nunquam gravis peccati conscientiam afferre : tunc enim tacite innuere videtur alios graviora crimina adducere. Quod tamen merito limitat Dicastillo dub. 7, num. 98, ita ut solum habeat locum per se loquendo, non autem in omni eventu : nam contingere potest, alicujus pœnitentis sanctitatem adeo eximiam esse, ut omnes videant excessum virtutis respectu aliorum. Quocirca licet ejus virtus, et conscientiæ puritas commendentur, non inde aliorum confessio proditur.

Navarr. Fagund. Henriq. Suarez, Lopez.

Lugo.

Dicast.

84. Inquiri autem solet in præsenti, an non solum peccata actualia, sed etiam futura sub sigillo comprehendantur ? Verbi gratia ; accedit quis ad sacerdotem, et confitetur se habere propositum interficiendi inimicum : an in hoc casu non solum cadat sub sigillo peccatum in proposito commissum, verum etiam ipsum homicidium, si forfan sequatur ? Adrianus quæst. ultim. de confessione, Sylvester, verbo *Confessio* 3, q. 5, Decius in cap. *Cum ab homine*, de judiciis, Angelus, verbo *Confessio* 8, num. 7 et Abbas in cap. *Omnis utriusque sexus*, censent futurum peccatum non cadere sub sigillo, si pœnitens, dum confitetur, per-

Quæstiunc.

Adrian. Sylvest. Decius, Angel. Abbas.

sistit in proposito, eo quod illa confessio non est sacramentalis; cadere vero si in confessione propositum mutavit. Alensis autem 4 part. quæst. 78, memb. 2, art. 2, docet, quod si pœnitens peccavit cum adultera, et accedit ad confessionem cum proposito iterum peccandi, utrumque peccatum, et præteritum, et futurum esse materiam sigilli; secus vero si cum adultera non peccavit, sed solum habeat propositum peccandi: tunc enim, inquit, futurum peccatum sub sigillo non manere.

Alensis.

Sed absolute, et absque aliqua distinctione sententiæ, ut tenent D. Thomas in 4, dist. 21, qu. 3, art. 1, quæstiunc. 1 et ibidem D. Bonaventurâ 2 part. art. 2, q. 1, Ricard. art. 4, q. 2, Gabriel art. 2, cap. 3, Lugo sect. 4, num. 53, Soto dist. 18, quæst. 4, artic. 5, ad 2, Cajetanus tom. 1, Opusc. tract. 21, Petrus Soto lect. 11, de confessione, Vasquez qu. 93, art. 4, dub. 3, num. 7, Ledesma 2, 4, quæst. 10, art. 5, Navarrus in cap. *Sacerdos*, num. 20, Medin, Cod. de confes, qu. 47, Suarez sect. 3, num. 4, et alii. Itaque sive pœnitens prius peccaverit eodem genere peccati, sive non; sive propositum mutet, sive non mutet, futurum peccatum sub sigillo celari debet. Quod generali ratione convincitur: nam tale peccatum nulla alia via nisi confessionis cognitum est, ut supponimus, et ejus revelatio cedit in detrimentum pœnitentis; sed quæ per solam confessionem cognoscuntur, et quorum revelatio affert damnum, et dedecus pœnitenti, cadunt sub sigillo: ergo, et illud peccatum futurum. Tum etiam: quia peccatum futurum est objectum propositi præsentis, quod pœnitens confitetur, proindeque cum eo connexionem habet; ad sigillum autem non solum spectant peccata, sed etiam eorum objecta, et quæcumque cum peccato connectuntur; siquidem hæc non propter se manifestantur sacerdoti, sed quia aliter peccatum explicari nequit. Tum deinde: quoniam sacerdos nequit prodere peccatum futurum pœnitentis, quin utatur notitia propositi sibi confessi; sed uti notitia confessionis in incommodum pœnitentis illicitum est, ut vidimus dub. 3. Ergo. Tum denique: nam licet peccatum futurum non pertineat ad sacramentum tanquam materia absolutionis, spectat tamen tanquam quid omnino necessarium ad judicium sacramentale, et sacerdotis: hic enim non solum debet cognoscere peccata commissa in ordine ad absolutionem, sed etiam impedimenta, si quæ sunt, ut absolutio denegetur: ergo si sacerdos tale peccatum futurum revelat, revelat aliquid sibi dictum in foro pœnitentiæ in ordine ad judicium quod formari debet de causa pœnitentis, ideoque nequit non sigilli violator existere. Nec fundamentum adversariorum quicquam suadet: licet enim illa confessio, in qua pœnitens non recipit absolutionem, quia non mutat propositum peccandi, non sit integrum sacramentum; est tamen confessio sacramentalis initiative, quod satis est ut ejus peccata sub sigillo relinquantur; alias quotiescumque pœnitenti absolutio non impenditur, possent licite cuncta illius crimina revelari.

Decidi-tur. D. Tho. D. Bonav. Ricard. Gabriel, Uterque Soto, Cajetan. Medina, Lugo, Suarez, Vasquez, Navarr. Ledesm.

Ratio.

85. Dicendum est secundo, cadere etiam sub sigillo saltem indirecte omnes defectus tam naturales, quam morales, et civiles, et quæcumque alia, quæ manifestantur a pœnitente ad explicationem peccati. Ita Soto in 4, distin, 18, quæst. 4, artic. 5, conclus. 2, Gonet disp. 13, art. 2, num. 19, Ledesma cap. 22, concl, 7, N. Franciscus cap. 14, punct. 2, num. 23, Lugo sect. 3, num. 55, Dicastillo sect. 3, num. 51, Suarez disp. 33, sect. 3, num. 5, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 2, num. 10, Coninchus disp. 9, dub. 1, num. 13, Reginaldus lib. 3, num. 38, Diana tract. 11, resolut. 38 et alii communiter, Fundamentum est, quia sigillum obligat ad celanda peccata, ne confessio fiat onerosa, et ne fideles ab ea arceantur; atqui plus arcerentur a confessione, hæcque difficilior fieret ex revelatione eorum defectuum, quam ex revelatione peccati: ergo cadunt etiam sub sigillo. Minor constat: nam objectio originis, infectio sanguinis, defectus natalium, occulta paupertas, naturalis impotentia, et similia indecorosa ingenti pudore ac confusione afficiunt homines, et difficillime tolerantur, proindeque sæpe mallent sua crimina aliis innotescere, quam hujusmodi defectus, ut experientia testatur. Si ergo scirent pœnitentes in aliquo casu revelari posse, plus arcerentur a confessione, quam ex revelatione peccati. Observant autem Doctores, prædictos defectus, et quæcumque alia, quæ manifestantur

Ass

Sot Gon Led

Lug Dic Sua Bon Con Reg Dia Fur

Ext asse ni

tantur a pœnitente in confessione, non solum cadere sub sigillo dum sunt omnino necessaria ad integre explicandum peccatum, sed etiam ubi ad hunc finem sunt utilia, vel dum bona fide exismantur a pœnitente tanquam utilia ad melius explicandum peccatum, licet aliter sine illis adæquate explicari posset. Id quippe necessarium est ad suavem sacramenti usum, et pœnitentium securitatem : nec enim omnes discernunt, aut recte callent, præsertim rudiores, quæ reticenda, quæ declaranda, quæ necessaria, utilia, aut inutilia sunt, ut culpa integre confiteatur. Satis igitur est propter hunc finem esse dicta, ut indirecte, et quasi in obliquo ad sacramentum spectent, et sub sigillo celari debeant.

86. Dicendum est tertio, sigillum sacramentale se extendere etiam indirecte ad omnia illa, per quæ posset peccator, et peccatum deprehendi, licet de illis non sit sacramentalis confessio ; non autem ad ea, quæ impertinenter se habent ad crimina manifestanda, quæque solum concomitanter audiuntur in confessione. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in 4, distin. 21, quæst. 3, art. 1, quæstiunc. 2. « Sed indi- « recte id, quod non cadit sub sacramen- « tali confessione, etiam ad confessionis « sigillum pertinet ; sicut illa, per quæ « posset peccator, vel peccatum depre- « hendi. » Tenetque Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 2. concl. 3, et alii non tam disputant, quam supponunt. Et quoad primam partem suadetur : nam lex directe prohibens, aut præcipiens aliquid, indirecte præcipit aut prohibet, quæ necessaria sunt ad observantiam rei præceptæ ; ideoque quia tenemur ex præcepto divino ad integritatem confessionis, tenemur etiam ex eodem præcepto ad conscientiæ examen, quod necessarium est ad assecutionem illius finis ; et similiter lex præcipiens audire sacrum in die festo, præcipit etiam accedere ad templum, et prohibet detentionem in ludo, aut in venatione cum auditione sacri incompossibilem ; atqui sigillum prohibet manifestationem peccati : ergo prohibet etiam manifestationem eorum, per quæ peccatum, et peccator deprehendi possunt. Unde fit non posse sacerdotem dicere, Titium tali hora fuisse in tali loco, si inde quis devenire posset in notitiam homicidii ab eo facti in eo loco. Et similiter si pœnitens dum confitetur homicidium, narrat qualiter faber gladium sibi tradiderit, nequit sacerdos fabrum prodere ; alioqui viam pararet indagandi occisorem, et crimen in confessione notum. Quoad secundam vero partem est etiam communis Doctorum consensus, ut testatur Suarez sect. 3, num. 10. Quæ enim nec sunt peccata, nec propter peccata declaranda dicuntur, sed pure concomitanter, aut incidenter, nulla est ratio cur sub sigillo celari debeant : hoc quippe solum se extendit ad ea, quæ propter integram confessionem faciendam manifestantur, qualia non sunt, quæ nullo modo peccatorum declarationi subserviunt, de quibus proinde idem judicium fieri debet, ac si extra sacramentum nota fuissent. Cavenda tamen est eorum revelatio, præsertim coram rudioribus, ac simplicioribus, qui scandalum acciperent, videntes non esse tam sancte recondita, quæ in sacramentali judicio manifestantur.

§ II.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

87. Ex præmissis assertionibus infertur primo, quid dicendum sit de peccatis publicis, an cadant sub sigillo? Et quidem si sacerdoti non aliter quam per confessionem innotescant, certum, et constans est apud omnes teneri ad sigillum, nec posse ea prodere quantumvis alias publica existant : de his enim idem judicium fieri debet ac de omnino secretis, cum apud sacerdotem tanquam secreta habeantur. Similiter certum est, non posse sacerdotem dicere, se tale peccatum publicum in confessione audivisse, si ex hujusmodi revelatione peccatum fiat apud alios magis certum ; alioqui ansa tribueretur sacerdotibus ad prodenda peccata non ita publica, et certa. Itaque difficultas devolvitur circa peccata, quæ ita publica, et certa sunt omnibus, ut ex revelatione sacerdotis non fiant magis certa, et inquirit, an licitum illi sit dicere de publico homicida, latrone, usurario : « Istorum publica homicidia, « latrocinia, aut usuras audivi in confes- « sione cum magnis pœnitentiæ signis ? » Vel subdere de meretrice : « Ista confessa Consectarium 2.

« est mihi legitime de suo publico mere-
« tricio, et absolutionis gratiam obtinuit. »

Joannes de Medin. Affirmativa sententia tribuitur Joanni de Medina, Cod. de confes. quæst. *de his, quæ a confessore celanda sunt.* Quæ suaderi potest : quia ex una parte sacerdos pœnitentem non infamat, cum illius peccatum jam aliis innotescat ; ex alia autem dicere ipsum cum magno dolore tale peccatum fuisse confessum, cedit in illius laudem, ac proinde ex tali revelatione confessio illi non fit odiosa.

Vera sententia.

D Thom. Cajetan. Sotus, Navar. Lugo, Dicast. N.Franc. Vasquez. Coninc. Suarez.

Communis tamen, et vera sententia negat eas loquutiones esse licitas sacerdoti, quam tenent D. Thomas in 4, dist. 21, quæst. 3, art. 3, ad 2, Cajetanus, verbo *Confessor* in fine, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5, post 3, concl. Navarrus in summ. cap. 8, num. 11, Lugo sect. 3, num. 61, Dicastillo dub. 7, n. 105, N. Franciscus punct. 3, num. 31, Vasquez qu. 93, art. 4, dub. 6, Coninchus disp. 9, num. 12, Suarez sect. 3 et alii, imo, et ipse Medina, qui tandem quæst. ult. priorem sententiam deseruit: Ratio autem hujus resolutionis est, quia sacerdos tenetur ad celanda peccata prout cognita in confessione ; sed peccatum publicum prout cognitum in confessione est omnino secretum : licet enim alii sciant absolute tale peccatum, non tamen an confessum sit : ergo nequit sacerdos absque sigilli violatione dicere se illud in confessione audivisse. Tum etiam : quia revelatio peccati cogniti in confessione per se, et ex suo objecto semper est injuriosa sacramento, et displicens pœnitenti, quem proinde a confessione arcet : ergo licet peccatum sit publicum, et ejus revelatio cedat per accidens in laudem pœnitentis, adhuc est illicita. Accedit, prædictas loquutiones male audire apud fideles, et grave generare scandalum etiam apud pios, et doctos ; quod satis demonstrat esse sigilli violativas. Accedit item, quod alias posset etiam sacerdos loqui de peccato secreto pœnitentis cum ejus complice, et cum duobus, aut tribus, quibus tale peccatum extra confessionem innotescit ; siquidem ex una parte pœnitentis famam non lædit, cum jam complex, et alii peccatum sciant ; et ex alia dicere pœnitentem cum ingenti dolore confessum fuisse, cedit in ejus laudem. Hæc autem satis absurda sunt, et viam parant ad confessionis revelationem in multis casibus, ut ex rationis paritate convincitur. Ergo dicendum est, nullam exceptionem esse admittendam, atque ideo nec posse sacerdotem dicere de peccato publico sibi esse confessum cum magnis pœnitentiæ signis. Per quod satis constat ad fundamentum oppositæ sententiæ : licet enim illæ loquutiones, quatenus detegunt contritionem pœnitentis, cedant per accidens in ejus laudem, et aliunde nihil revelent, cum jam peccatum sit aliis publicum ; adhuc tamen sunt contra sigillum, quo tenetur sacerdos tacere, quæ in confessione audivit, ut patet in sacerdote, qui absque necessitate, et licentia pœnitentis loquitur cum eodem extra sacramentum de peccatis sibi confessis : tunc quippe nihil revelat pœnitenti, cum ipse sua peccata noscat, et nihilominus sigillum violatur, ut omnes fatentur, quia non tacet, quæ clavibus commissa sunt.

88. Sed hinc oritur alia difficultas, qualiter nimirum debeat sacerdos respondere, ubi interrogatur an talem pœnitentem absolverit, quem constat apud eum confessum fuisse ? Et quidem si dicat, non absolvi quia occasionem peccandi non resipiscit ; nemo negat sigillum violare ; sicut econverso non violare si dicat, non absolvi, quia generalem confessionem inceperat, et nondum perfecit, sed vult altera die perficere ; vel si addat, non absolvi quia confessionem incepit, et vocatus ab alio ad eam perficiendam non rediit, vel similem aliam legitimam causam adhibeat, ex qua confessio suspecta non reddatur. Hæc omnino acquiescimus asserentibus non violari sigillum, si sacerdos dicat : « Non ab-
« solvi, quia materiam absolutionis non
« inveni : » id enim licet deservire possit pro parvulo, de quo dubitatur, an ad usum rationis devenerit, vel pro alia persona excellentissimæ virtutis, quæ raro contingunt ; nequit tamen pro omnibus regula generalis existere, cum constet vel justos septies in die cadere. Quocirca si sacerdos interrogetur de eo, qui ut peccator existimatur, vel de homine vitæ communis, qui raro, vel semel in anno accedit ad sacramentum, an absolutionem obtinuerit, et respondeat : « Non absolvi, quia absolu-
« tionis materiam non inveni, » procul dubio contra sigillum delinquet : quia, ut recte

recte vidit Dicastillo dub. 7, num. 114, nemo sanæ mentis sibi persuadebit, illum hominem tanta conscientiæ puritate vigere, ut nec peccata venialia, a quibus absolvatur, habeat ; quin potius suspicabitur, ob pravam dispositionem, et nimis inquinatam conscientiam non recepisse absolutionem; atque ideo sacerdos eo modo loquendi confessionem indirecte prodit. Idemque judicium fieri debet, si dicat : « Non absolvi, quia est nimis tenax suæ « sententiæ, quam ego non approbo. » Quam loquutionem non desunt qui censeant esse licitam absolute ; alii vero cum limitatione, si sacerdos addat pœnitentem non habere peccatum mortale, sed propositum actionis, quæ in ejus sententia est licita, in sacerdotis vero illicita. Sed neutrum admittendum est, quia absolutio non denegatur nisi ob pœnitentis indispositionem nolentis abstinere a peccato ; unde satis innuitur pœnitentem indispositum accessisse, quod est indirecta confessionis proditio. Tenent Lugo sect. 4, num. 85, Dicastillo num. 115, et alii.

Itaque dubium solum est, an sacerdos respondere possit absolute, *non absolvi*, nullam exprimendo causam cur id fecerit ? Armilla, Henriquez, et Cajetanus, verbo *Confessio*, affirmant, quia cum denegatio absolutionis ex multis, et honestis causis oriri possit quam ex pertinacia in peccato, aut prava dispositione, videtur quod ea responsio confessionis revelatio non sit. Sed negat communis sententia, cui adhærent Soto in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 5, post 3, concl. Victoria de sacram. num. 186, Ledesma cap. 22, concl. 5, dub. 5, in fine, N. Francisc. punct. 3, num. 27, Lugo sect. 4, num. 84, Dicastillo dub. 7, num. 113, Suarez sect. 6, num. 1, Vasquez quæst. 93, artic. 4, dub. 10, num. 9, Navarrus in cap. *Sacerdos*, num. 64, Diana tract. 11, resol. 42, Coninchus disput. 9, num. 14, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, punct. 4, num. 6, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 14, num. 8, Palaus punct. 19, § 3, num. 3, et alii. Et ratio est : quia moraliter loquendo absolutio non denegatur nisi ob pœnitentis indispositionem. Quocirca licet interdum contingat id fieri ob aliam justam causam, nihilominus ubi non explicatur, sed absolute dicitur *non absolvi*, suspicio sinistra generatur, pœnitentem absolutionem non recepisse ob casum reservatum, vel ob similem indispositionem. Id quod præsertim locum habet, ubi pœnitens, de quo quæritur an absolutus sit, habetur tanquam publicus concubinarius, vel usurarius, ut ex se liquet.

Ceterum cum sacerdos, si re ipsa absolutionem non præstitit, nequeat respondere *absolvi ;* id enim esset manifestum mendacium, optimus modus respondendi erit : « Confessus est, et functus sum meo « munere ; vel feci quod debebam. » Quod observandum est sive sacerdos absolvat, sive non, ut ita auferatur suspicio pro casibus particularibus ; alioqui si ea responsio solum adhibenda foret, ubi pœnitens non absolvitur, inde posset fieri suspecta confessio. Sed quid si pœnitens ipse dicat, absolutionem sibi fuisse denegatam, poterit ne sacerdos id ipsum dicere vel saltem addere : « Ipse dicit, quod eum non « absolvi, » ut nonnulli concedunt ? Neutrum sentiendum est ; non primum : quia nunquam licet peccata etiam publica revelare ; revelaret autem sacerdos pœnitentis conscientiam, et indispositionem, si diceret *non absolvi*. Non secundum : quia eo modo loquendi videtur approbare veritatem absolutionis negatæ. Et idem dicimus, si econverso jactetur pœnitens absolutionem obtinuisse : semper enim retinendus est ille modus loquendi : « feci meum offi- Dicast. Lugo.
« cium. » Docent Dicastillo dub. 7, num. 117, Lugo sect. 4, num. 85, et alii.

89. Infertur secundo, quid sentiendum Consectarium 2.
de sacerdote revelante peccata in tali oppido, civitate, aut Religione commissa, tacendo personas ; an videlicet contra sigillum delinquat ? Quidam enim absolute negant ; alii vero affirmant, vel saltem videntur in hunc sensum propendere. Alii autem mediam arripiunt viam, quibus libenter subscribimus. Itaque si civitas sit admodum extensa, dicendum est raro vel nunquam per se loquendo violari sigillum : nam talis peccati, vel peccatorum gravium revelatio non est infamativa alicujus personæ in particulari, nec totius civitatis, nec confessionem reddit difficilem, aut ab usu sacramenti pœnitentes arcet : ergo sigilli violativa non est. Consequentia liquet ; siquidem ex nullo alio capite, quam ex recensitis, colligi potest manifestationem peccati esse contra sigillum. Antece-

dens autem ostenditur: demus quippe sacerdotem dixisse plures pœnitentes sibi, dum Romæ degeret, usuras, aut alia crimina fuisse confessos, aut Matriti, Hispali, vel Salmanticæ plures a peccatis carnalibus absolvisse. Quis ex vi hujus se inhonoratum existimaret, aut censeret civitates illas famæ dispendium subituras? Vel quis ob id a confitendo abstineret, vel ejus peccatum revelandum formidaret? Nullus quidem sanæ mentis ita sentiet. Idemque cum Nugno, et aliis asserendum existimamus, quando sacerdos dicit se in aliqua Religione etiam reformata aliqua peccata gravia audivisse: quia cum quælibet Religio hisce temporibus sit nimis universalis, nec pœnitens in particulari detegitur, nec ipsius aut Religionis fama minuitur. Sicut ob eandem rationem, ex quo confessarius dicat aliquem vel aliquos sacerdotes in communi lethalia commisisse, eorum nemini, nec toti statui clericali damnum infertur: etenim ex se patet in tam ampla sacerdotum, aut Religiosorum collectione, attenta natura rei, nonnulla gravia crimina perpetranda fore. Maxime cum Religiosi non ex nobiliori specie quam alii, sed ex communi, et fragili compaginentur; et aliunde non omnes possint esse probatæ virtutis. Diximus *per se loquendo*: quia per accidens, et ex adjunctis circumstantiis poterit violari sigillum ratione periculi suspicandi peccatum de aliquo in particulari; præscindimusque in præsentiarum ab eo quod talis loquutio sit ex aliis capitibus peccatum scandali, vel alterius rationis, de quo non est sermo.

Oppositum autem dicendum est, ubi sacerdos nulla assignata persona evulgat de exiguo oppido, familia, communitate, aut Religiosorum Conventu gravissima crimina in confessione sibi nota. Quod ex contraria ratione convincitur: nam ex tali peccatorum manifestatione infamatur oppidulum, collegium, aut communitas, ita ut propter horum exiguitatem ea infamia ad pœnitentes in particulari descendat, et qui de aliquibus sinistram conceperant opinionem, in eadem firmantur, et per se loquendo adest periculum suspicandi de aliquo subjecto determinato, quod talia crimina fecerit; sed hæc sunt pœnitentibus adeo molesta, et ingrata, ut inde averti possint a confessione: ergo hujusmodi revelatio est per se loquendo violatio sigilli. Cui sententiæ sub data distinctione adhærent Henriquez lib. 6, cap. 21, num. 6, Reginaldus lib. 3, num. 4, Suarez disp. 33, sect. 2, Dicastillo dubit. 7, num. 97, Coninchus disp. 9, nu. 16, Navarrus in cap. *Sacerdos*, num. 54, Bonacina disp. 5, quæst. 6, sect. 5, p. 4, nu. 3, Lugo n. 64, N. Franciscus punct. 3, n. 36, Palaus punct. 19, § 3, num. 11, referens D. Antoninum, Layman, et alios. Hen Reg Suar Dica Coni Nav Bon N Fra Lugo Pala et a

90. Infertur tertio, virtutes, revelationes, et alia dona spiritualia, quæ sacerdoti per confessionem innotescunt, cadere sub sigillo, si dicantur a pœnitente tanquam necessaria, vel utilia ad declarandum peccatum, vel ingratitudinem erga Deum post tot beneficia accepta, vel inconstantiam in bono post tale firmum propositum diu observatum procurandæ perfectionis. Et ratio est, quia sic accepta jam sunt materia confessionis saltem in obliquo ob connexionem cum peccato, ratione cujus manifestantur. Docent Lugo sect. 3, num. 58, Diana part. 5, tract. 11, resol. 30, Perez disp. 54, sect. 4, num. 13, Granados in part. controv. tract. 11, disp. 3, n. 4, N. Antonius sect. 4, num. 1530, et alii. Si vero ob alium finem manifestantur, ut pœnitens videlicet integrum conscientiæ statum, et progressum perfectionis aperiat ad obtinendam instructionem a sacerdote, cui tanquam Patri spirituali animæ regimen commisit, censemus sub sigillo non cadere, sed tantum sub naturali secreto juxta qualitatem materiæ: tunc enim nec ratione sui, nec ratione alterius spectant ad sacramenti materiam. Et juxta hunc sensum accipiendi sunt Navarrus, Bonacina, Henriquez, et alii asserentes omnia recensita sub sigillo sacramentali celanda non esse. Cons tari 3 Lugo Dian Perc Gran N Anto et a

91. Infertur quarto, quid dicendum sit de scrupulis, an ad sigillum spectent? Et quidem si sermo fiat de illis, qui manifestantur a pœnitente tanquam peccata, vel in ordine ad declarationem peccati, aut illius circumstantias, indubitatum est sub sigillo celari debere. Si vero loquamur de scrupulositate, de qua pœnitens non se accusat, sed quæ ex ipso modo confitendi patet, et ex evidentia rei innoteseit non solum sacerdoti, sed, et aliis, qui vident pœnitentem næniis, et motibus concuti, Cons tar.

asserendum

asserendum est ad sigillum non pertinere, atque ideo posse sacerdotem sine illius violatione dicere Titium scrupulis vexari, et næniis, ac impertinentiis sibi caput obtundere. Ita Navarrus in summ. cap. 8, num. 12, Lugo sect. 3, nu 60, Aversa qu. 18, sect. 4, Diana 5 part. tract. 11, resol. 50, Fagundez præcep. 2, lib. 6, cap. 5. num. 17, Reginald. lib. 3, num. 53, Villalobos tract. 9, diffic. 73, num. 6, Henriquez cap. 21, num. 2, et cum multis Leander quæst. 37. Et ratio est : quia sacerdos ex vi sigilli solum tenetur ad reticendum ea, quæ sibi dicuntur tanquam materia sacramenti, vel tanquam quid pertinens ad materiam ; scrupulositas autem, de qua loquimur, non est hujusmodi, cum pœnitens de ea non se accuset, sed potius ex ipsius actionibus deprehendatnr. Quocirca sicut sacerdos evidenter cognoscit pœnitentem esse juvenem, aut senem, surdum, aut tardiloquum, acuti, aut hebetis ingenii, vel alterius conditionis, quin hæc cadant sub sigillo ; ita deprehendit esse morosum, impertinentem, aut scrupulosum, quæ ob eandem rationem sigilli obligationem inducere non debent. Tum etiam : quia si licet sacerdoti dicere, « Titius confessus est venia- « lia ; » cur etiam dicere non licebit esse scrupulosum, vel confessum esse scrupulos ; cum hujusmodi nomine nec peccata venialia significentur ?

DUBIUM VII.

Quæ peccata committat violator sigilli confessionis ?

Pro dubii explicatione recolere oportet ea, quæ in prima hujus disputatione præliminata manent, nimirum, in arcano confessionis, sive in confessione sacramentali duo diversi ordinis intervenire secreta ; aliud naturale competens confessioni specificative acceptæ, et est commune tam confessioni peccatorum, quam aliis rebus, quæ extra confessionem sub hoc secreto dicuntur ; quod tantum de materiali, et præsuppositive se habet ad sigillum sacramentale formaliter ut tale. Aliud est supernaturale proprie, vel reductive, conveniens confessioni peccatorum sacramentali reduplicative ut tali, et ut formaliter constituit pœnitentiæ sacramentum, vel dicit ordinem ad illud. Primum secretum solum constringit ex jure naturæ, sive ex motivo justitiæ, aut fidelitatis ; secundum vero obligat ex jure supernaturali, et indispensabiliter. Ulterius est advertendum, quod particula *quæ*, in titulo apposita supra *peccata*, ampliativum sensum indigitat, adeo ut intelligi debeat relate ad speciem, numerum, et gravitatem peccatorum, quæ in fractione sigilli confessionis committuntur. Quæ omnia sub eodem titulo comprehendimus, ac singillatim discutere curabimus.

§ I.

Triplici conclusione resolvitur difficultas.

1 Conclus.

92. Dicendum est primo, peccatum, in fractione sigilli formaliter accepti commissum, esse essentialiter, et intrinsece sacrilegium ; licet communiter habeat annexas alias duas specie distinctas malitias accidentales, et extrinsecas, nimirum, detractionis, et injustitiæ, aut infidelitatis. Hæc conclusio, quæ duas continet partes, debet quoad utramque probari. Et quidem quoad primam est expressa in Angelico Præceptore, tum in præsenti quæst. 11, supplement. art. 1, in corpore ubi ait : « Tan- « quam violator Sacramenti » (et consequenter rei sacræ) « peccat, qui confessio- « nem revelat. » Tum etiam quodlib. 12, quæst. 11, art. 16, ubi inquirens, an liceat in aliquo casu revelare confessionem, respondet: « Dicendum, quod non, nec verbo, « nec facto, nec nutu, nec aliquo signo licet « hoc facere, quia est sacrilegium. » Ubi solum hanc speciem peccati tanquam intrinsecam, essentialem, et primariam nominat, clare insinuans alias species malitiæ tantum esse extrinsecas, et secundarias, quamvis regulariter concurrant.

Species hujus peccati assignantur.

D. Tho.

Probatur ratione recolendo jam dicta tract. 11, disp. 3, dub. 1 et 2, et tract. 13, disp. 8, dub. 2, n. 28 ; ibi namque statuimus, diversitatem præceptorum ex parte rei prohibitæ, et motivi prohibendi inferre distinctionem specificam inter peccata ; unde in transgressione legis ad venandam primariam speciem peccati debet attendi ad primarium, ac principale motivum legislatoris quoad condendam legem ; ex quo principio deduximus in eodem tractat. 13,

disput. 16, dub. 6, § 3 et 4, primariam speciem peccati Adami fuisse superbiæ, etsi secundario habuerit annexas gulæ, et inobedientiæ species. Unde fit, quod in fractione præcepti sigilli illa sit primaria, atque essentialis species hujus peccati, quæ sumitur ex transgressione legis contra primarium motivum legislatoris; sed primarium motivum Christi Domini in injungendo sigillo fuit motivum Religionis, et ne injuria fiat pœnitentiæ sacramento: ergo cum peccatum contra reverentiam, et honorem sacramenti, et contra virtutem religionis sit ex ejus intrinseca, et essentiali ratione sacrilegium, erit etiam quoad intrinsecam, ac primariam speciem sacrilegium fractio præcepti sigilli. Consequentia est optima: nam ut ait D. Thomas 2, 2, quæst. 99, art. 3, in corpore: « Peccatum sacrilegii in hoc consistit, quod « aliquis irreverenter se habet ad rem sa- « cram. » Et paucis interjectis subdit: « Inter quas res sacras summum locum ob- « tinent ipsa sacramenta, quibus homo « sanctificatur. » Major constat ex alibi jam dictis. Minor autem ostenditur: nam motivum principale, et primarium Christi Domini in imponendo sigillo fuit, ne hoc sacramentum tam salutiferum, ac necessarium fieret detestabile, ac perdifficile; sed hoc fuit attendere ad honorem, et reverentiam sacramenti, et ne aliquis ei injuriam irrogaret, quod est proprium motivum virtutis religionis: ergo motivum primarium Christi Domini in hujusmodi præcepto fuit motivum religionis, et ne injuria fieret pœnitentiæ sacramento.

D. Tho.

Ceterum quia ut probat D. Thomas loco relato ex 2, 2, intra speciem subalternam peccati contra virtutem religionis dantur plures species infimæ, sive atomæ, cum esto omnia sacrilegia conveniant in eo, quod sint contra rem sacram, tamen, ut ipse ait in responsione ad primum, differentia sacrarum rerum non solum sit materialis, sed formalis, posset aliquis dubitare, an omnes fractiones sigilli sint ejusdem atomæ speciei? Ad quod affirmative respondetur: quia cum omnes tendant contra honorem, ac debitam reverentiam ejusdem formaliter rei sacræ, et ejusdem sacramenti pœnitentiæ, nullum est caput, ex quo possint atomam mutuare differentiam; unde ad eandem infimam speciem sacrilegii debent pertinere.

Secunda autem pars conclusionis facile suadetur: nam etsi aliquando contingat, secretum naturale non obligare, et consequenter nec violari fidelitatem illud manifestando, nec detractionis perpetrari peccatum, cum ad hæc sibi servanda nullum jus pœnitens sortiatur; hoc tamen non regulariter contingit, quin potius evenit oppositum, et communiter loquendo tenetur confessarius ex justitia ob fidelitatem, et ad vitandam detractionem servare secretum naturale in confessione sibi commissum: ergo istæ duæ peccatorum species communiter annectuntur fractioni sigilli ob violationem secreti naturalis ibi connexi. Tum sic; sed istæ peccatorum species sunt accidentales, ac de materiali se habent ad speciem sacrilegii, sicut secretum naturale de materiali, et præsupposito se habet in confessione ad sigillum formaliter sacrum: ergo in fractione sigilli præter speciem sacrilegii communiter clauduntur duæ specie distinctæ accidentales, et extrinsecæ.

93. Dicendum est secundo, tria numero distincta peccata in fractione sigilli communiter perpetrari; aliquando vero unicum tantum pertinens ad speciem sacrilegii. Ratio prioris est: quia cum unitas numerica sit omnium maxima, et ad specificam duorum distinctionem nequeat non sequi eorum distinctio numerica, et in fractione sigilli, regulariter loquendo, tria distincta specie peccata committantur, ut numero præcedenti diximus, quorum unum est in sua specie atoma sacrilegium, et contra virtutem religionis, aliud contra justitiam in specie infima detractionis, atque infamationis proximi, et aliud in sua specie atoma contra fidelitatem ratione onerosæ promissionis inter pœnitentem, et confessarium, quod simul est contra justitiam; inde est, quod communiter loquendo hæc tria peccata numero distincta ibi committuntur. Ratio posterioris est: quia cum aliquando pœnitens non habeat jus ad famam, quoniam illius peccatum est manifestum, nec ad observantiam secreti commissi, quippe vergit ad damnum Ecclesiæ, vel totius Regni, non frangitur debitum justitiæ, nec fidelitatis, ut communiter censent Authores: ergo

ergo solum remanet debitum religionis, ac reverentiæ sacramenti pœnitentiæ, indispensabiliter obligans in omni eventu; et consequenter unicum numero peccatum patrabitur, quod est formaliter sacrilegium. Unde juxta hunc sensum, et non aliter, adhæremus N. Francisco a Jesu Maria in suo Cursu Morali, hæc tria peccata assignanti in fractione sigilli.

94. Dicendum est tertio, sacrilegium, quod in fractione sigilli perpetratur, esse ex genere suo peccatum lethale, et non modicæ gravitatis inter mortalia ; peccata vero detractionis, et infidelitatis, licet inferioris sint gravitatis respectu sacrilegii, ex genere tamen semper sunt gravia, nisi ob defectum deliberationis ; aut ex parvitate materiæ reddantur levia. Hæc conclusio quoad primum, quod continet, est communi Doctorum calculo recepta, et suadetur ratione : nam lex præcipiens aliquid, graviter conducens ad Deum immediate, vel mediate colendum, et ad ejus sacramenta venerandum, obligat ex genere suo ad peccatum mortale, et non modicæ gravitatis, cum sit contra virtutem religionis, quæ inter morales est omnium maxima; sed observatio sigilli est graviter, ac maxime conducens ad honorem, et reverentiam sacramenti pœnitentiæ, et ne ei aliqua irrogetur injuria, ita ut odio fiat dignum, quod est maxime diligendum, utpote remedium ad animarum salutem valde necessarium : ergo lex præceptiva sigilli obligat ex genere suo ad peccatum lethale, et non modicæ gravitatis inter mortalia. Quod secundum vero, quod asserit conclusio, probatur : nam peccatum infamationis, et peccatum infidelitatis ex diverso capite sunt contra justitam : primum namque est contra jus, quod quis habet ad famam ; secundum contra jus, quod obtinet, ut in occultatione peccatorum servetur ei fidelitas, et adimpleatur promissio data, et acceptata formaliter, aut virtualiter ; quæ obligat ex vi pacti onerosi ex justitia commutativa, ut cum veriori sententia tenet N. Andreas a Matre Dei in Cursu Morali tract. 13, cap. 4, § 1, num. 79. Sed peccatum contra justitiam est grave ex genere suo, ut etiam tenent N. Andreas tract. 11, de legibus, cap. 2, punct. 2, § 2, num. 23, et propterea asserit D. Thomas 2, 2, quæst. 73, art. 2, quod detractio, sive infamatio proximi est peccatum grave ex genere suo, quia per illam læditur fama proximi injuste, et est gravius peccatum, quam furtum, cum fama sit bonum æstimabilius divitiis, juxta illud Proverbiorum 22, *Melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*. Ergo hæc duo peccata detractionis, et infidelitatis, quæ communiter patrari solent, quando violatur sigillum, sunt ex genere suo gravia ; etsi aliquando ex indeliberatione, vel ex imperfectione affectus lædendi, aut ex parvitate materiæ non excedant limites peccati venialis. Proverb. 22.

§ II.

Referuntur, et refelluntur oppositæ sententiæ.

95. Licet circa gravitatem peccatorum in fractione sigilli assignatam parum dissidii sit inter Authores; valde tamen discriminantur in speciebus, et numero illorum stabiliendis. Moure namque in examine, part. 3, cap. 7, § 9, num. 23, unum tantum asserit committi peccatum, pertinens ad speciem sacrilegii. Alii duplex assignant peccatum, contra religionem, et contra justitiam ; ita Suarez, Villalobos, Diana, Leander, Dicastillus, Hurtado, Fagundez, Kelison, Bonacina, N. Antonius, et alii. Quidam vero tuentur, quatuor ibi reperiri peccata, primum contra justitiam, secundum contra obedientiam divinam, tertium contra religionem, quartum contra obedientiam Prælatis debitam. Ita Christophorus a sancto Joseph, verbo *Confessio* in appendice ad 3 part. de sigillo confessionis, dub. 2, num. 5. Alii denique censent quinque peccata committi : primum contra fidelitatem, secundum contra justitiam, tertium contra charitatem, quartum contra jus divinum, quintum contra jus ecclesiasticum. Ita Henriquez, et alii apud Christophorum a S. Joseph supra num. 4. Ceterum Authores sectantes secundum dicendi modum facile in nostrum valent adduci : cum enim intra speciem subalternam peccati contra justitiam dentur plura peccata diversa in specie atoma, ut furtum, et rapina, detractio, et contumeliæ ; ideo in fractione secreti confessionis dantur, præter sacrilegium violans sigillum formaliter ut sacrum, alia duo peccata

contra justitiam ex vi secreti naturalis, quod connexive frangitur, aliud in specie infima detractionis, et aliud in specie atoma infidelitatis contra debitum standi promissis : non enim negant hujus sententiæ Authores, peccatum infidelitatis ibi patrari, quin potius quantum ad hoc nobiscum sentiunt, discriminantur tamen in eo, quod adstruunt, hæc duo specie distincta, vel tria numero peccata indispensabiliter, et ex terminis semper committi in qualibet fractione sigilli. Pro qua sententia

1 Objectio. 96. Arguitur primo : quia in revelatione confessionis, ultra peccatum sacrilegii ibi indispensabiliter commissum, læditur semper jus naturale, quo gaudet pœnitens, ne per explanationem suorum criminum fama ejus denigretur, vel minuatur ; sed læsio famæ addit malitiam distinctam in specie atoma supra sacrilegii malitiam : ergo in revelatione confessionis indispensabiliter reperitur peccatum infamationis proximi. Secundo : omnis violatio secreti

2 Objectio. naturalis habet ex se quod sit contra justitiam, et eo gravioris deformitatis, quo res celanda est majoris ponderis : ergo potiori jure omnis violatio secreti divini, quod summi ponderis est, erit contra justitiam. Tum sic ; sed quælibet revelatio confessionis est inseparabiliter, et intransitive violatio secreti divini ; ergo habet ex se esse formaliter, et indispensabiliter contra jus-

3 Objectio. titiam. Tertio : nam inter pœnitentem, et confessarium datur intra sacramentum pactum saltem implicite promissum, et acceptatum, in quo promittit confessarius peccata illa inviolabiliter in omni eventu celaturum : ergo quando ea revelat, peccat contra fidelitatem, et debitum standi promissis acceptatis, quod ex justitia obligat : ergo in qualibet manifestatione confessionis, præter sacrilegium, et peccatum injustitiæ in specie infirma detractionis, datur semper, et in omni eventu peccatum aliud contra justitiam in specie atoma infidelitatis.

Sed hæc parum urgent : ad primum

Enodatur I objectio. namque respondetur, quod etsi in confessionis revelatione frequenter lædatur jus naturale, quo gaudet pœnitens ad famam ; non tamen semper, et indispensabiliter : quia sæpe jus non obtinet ad illam, et per hoc, quod peccata intra confessionem manifestet, non acquirit jus, quod prius non habebat ; unde si confessarius peccata revelet, quamvis peccet peccato sacrilegii ex vi fractionis sigilli, non tamen contra naturale, et debitum justitiæ, cum hoc in pœnitente non adsit. Ad secundum, concesso antecedenti, negatur consequentia : sigillum quippe formaliter ut tale non præcipitur ex motivo justitiæ, et a jure naturali proprie sumpto, ut jam manet firmatum, sed unice ex motivo religionis, et e jure supernaturali : nam motivum justitiæ solum se habet de materiali ad sacrum confessionis sigillum ; et ideo in revelatione confessionis formaliter ut sacramentalis nullum intercedit peccatum injustitiæ ; solet tamen frequenter patrari ob violationem secreti naturalis, quæ communiter evenit, quando confessio revelatur, etsi non semper, aut indispensabiliter contingat. Sicut non semper, quando violatur jejunium naturale ante communionem præceptum ex motivo religionis, frangitur jejunium ecclesiasticum præscriptum ex motivo abstinentiæ, et mortificationis ; cum illud primum non semel violaretur per modicam sumptionem cibi, vel potus, quin hoc secundum frangatur : pariter ergo, proportione servata.

Ad tertium, negandum est antecedens : licet enim inter pœnitentem, et confessarium, ex vi secreti naturalis in confessione reperti, detur pactum implicitum, aut virtuale celandi peccata confessa, quod obligat non ex fidelitate præcisive sumpta, sicut simplex promissio, sed ex fidelitate onerosa, et ex justitia commutativa, atque ideo sub mortali in specie atoma infidelitatis ; nullum tamen reperitur pactum obligans indispensabiliter in omni eventu, et cum incommodo totius Ecclesiæ, Regni, vel Provinciæ ; nec pœnitens valet ex vi secreti naturalis ita adstringere confessarium, sed solum ex vi sigilli formaliter sacramentalis, ratione præcepti divini Christi Domini, qui adeo potuit, et voluit confessarium in omni eventu indispensabiliter obligare. Unde ex vi pacti onerosi, etsi confessarius promitteret in omni eventu peccata celare, obligatio indispensabilis non resultaret, sive adstringatur ex justitia naturali, sive ex supernaturali, et infusa (ad quam recurrit Suarez, ut hanc obligationem indispensabilem adstruat) quia utraque justitia inclinat ex se ad tri-

buendum unicuique quod suum est, sive in ordine ad naturalia, sive ad supernaturalia ; non vero ad præstandum id, ad quod non obtinet jus; pœnitens autem ex vi pacti nequit habere jus, ut secretum naturale in omni eventu sibi indispensabiliter servetur, nisi adesset præceptum divinum de sigillo, ratione cujus unice debet in omni casu celari peccatum.

97. His igitur argumentis, quæ principaliora sunt, enodatis, non est cur immoremur in proponendis, ac refutandis fundamentis Authorum adstruentium quatuor, aut quinque species peccati in qualibet fractione sigilli : diversorum quippe superiorum præcepta ex eodem motivo lata non multiplicant specie malitias in qualibet transgressione, ut ex communi sententia manet stabilitum tract. 13, disp. 8, dub. 2, num. 26 et sequentibus, cum D. Thoma 1, 2, quæst. 72, art. 6, ad 2 ubi sic concludit : « Unde secundum diversa « præcepta legis non diversificantur pec- « cata secundum speciem. » Quare furtum prohibitum lege naturali, divina, et humana, non est per se in triplici specie, dum sub eodem prohibetur motivo. Et quamvis peccatum contra charitatem in violatione sigilli posset aliquando committi, hoc tamen non communiter, ac regulariter contingit, sed valde raro, et per accidens. Nec contra multiplicitatem horum peccatorum numericam occurrit argumentum speciali consideratione dignum; cum enim eadem sigilli, ac secreti naturalis fractio debeat connotare idem tempus ; nullum restat principium ad multiplicanda numero peccata, nisi per respectum ad diversa objecta adæquata, vel diversa jura, quæ quælibet fractio violat ; hæc autem clare innotescit ex distinctione peccatorum specifica, cum qua nequit compati unitas eorum numerica.

§ III.

Quid sentiendum de parvitate materiæ in fractione sigilli formaliter ut sacri?

98. Diximus « in fractione sigilli for- « maliter ut sacri : » quia si loquamur de illo secundum id, quod dicit de materiali, et præsuppositive, nullus ambigit posse illius violationem esse levem ex parvitate materiæ. Unde difficultas solum reducitur ad sacrilegium, quod in fractione sigilli formaliter accepti committitur; pro cujus resolutione oportet aliqua ex alibi dictis prælibare. Primo ergo est prænotandum ex his, quæ diximus tract. 13, disp. 19, dub. 1, § 2, num. 13, primariam, et formalem differentiam, quæ inter peccatum mortale, et veniale reperitur, consistere in eo, quod peccatum mortale est simpliciter contra legem, de ordinando hominem circa ultimum finem, ac directionem in vitam æternam, unde est contra substantiam legis divinæ ; peccatum vero veniale solum est contra legem secundum quid, vel præter legem, in quantum servato ordine finis deordinat præcise quoad media. Hoc autem peccatum veniale aliud est tale ex genere suo ; aliud vero ex indeliberatione, seu deliberatione imperfecta, cum qua solummodo datur in voluntate consensus imperfectus, et secundum quid ; ac tandem aliud est veniale ex parvitate materiæ : quia etsi fiat cum plena deliberatione, ac voluntate consensus, et præceptum circa rem gravem graviter obliget ex genere suo ; quia tamen materia est aliquando levis, solum committitur culpa venialis, ut furtum unius oboli aut assis. Primum notabile.

Secundo, est supponendum ex N. Cursu Morali, tract. 11, cap. 2, quod ad discernendum, quod peccatum sit simpliciter contra legem, et mortale, quod vero solum secundum quid, et veniale, non solum debet attendi gravitas, vel levitas materiæ per legem præceptæ, aut prohibitæ, sed præcipue major, vel minor conducentia ad consecutionem finis a legislatore intenti. Unde si res, alias magna, et gravis, parvi momenti sit ad finis assecutionem, erit transgressio levis, et præcise venialis ; si vero valde ad hoc conducat, licet alias sit res levissima, erit culpa gravis violatio legis. Sicut licet gutta aquæ ex se sit materia levis, illam tamen non injicere vino in calice consecrando, est culpa gravis : quia hoc valde conducit ad finem legislatoris mixtionem præcipientis ob mysterium, quod repræsentat. Similiter licet audire sacrum ex se sit quid grave, et si præcipiatur ab Ecclesia, cadat sub obligatione gravi, quia non parum conducit ad finem intentum, qui est profectus animarum ; tamen si præcipiatur a Rectore Secundum notabile.

Universitatis, vel Collegii sub pœna præstiti juramenti, omissio unius sacri erit tantum culpa levis, quia parum conducit ad illorum finem, qui est recta subditorum gubernatio; ut cum aliis docet N. Andreas ubi supra.

Tertium notabile.

Tertio, est advertendum ex eodem Cursu Morali, tract. et cap. relatis, aliquas dari leges adeo stricte obligantes, ut non solum ex genere suo ad mortale constringant, verum, et ab hujusmodi gravitate nunquam excusent; alias vero oppositum habere: licet enim ex genere suo ad culpam gravem obligent, aliquando tamen solum ad levem constringunt; quia materia est parva. Porro ad discernendum quando hoc contingat, et quando parvitas materiæ in transgressione legis dari non valeat, hæc ibi assignatur regula; quod quando forma ex se gravis latitudinem admittit, ita ut non tota integra in qualibet materia salvetur, tunc etsi transgressio legis contineat actum ex genere gravem, admittit tamen parvitatem materiæ; quando vero forma tota integra, et indivisibiliter in qualibet materia invenitur, tunc parvitas materiæ non datur. Quod quidem hoc exemplo declaratur: justitia, ex qua furtum prohibetur, ex genere suo obligat ad mortale; ceterum quia æqualitas inter creditorem, et debitorem intenta a justitia non consistit in indivisibili, sed latitudinem habet, et parum minuitur per ablationem, vel non solutionem rei parvi momenti, ideo hujusmodi rem furari est culpa venialis ob parvitatem materiæ. E contra vero: quia præceptum fidei intendit servare illæsam summam primæ veritatis authoritatem, quæ non admittit latitudinem, sed æque lædit, si ei vel in minimis fides non adhibeatur: est enim supponere Deum saltem in re parvi momenti mentiri, quod summæ Veritati repugnat; ideo in hoc præcepto non datur parvitas materiæ, sed semper est lethalis quilibet circa fidem dissensus, si cum plena deliberatione fiat: nam si absque pleno voluntatis consensu procedat, poterit esse levis culpa; ex quo capite etiam in fractione sigilli culpa venialis reperiri valet. His ergo prænotatis

Resolvit. dubitatur.

99. Dicendum est, transgressionem præcepti sigilli nequire intra limites peccati venialis remanere ob parvitatem materiæ, sed semper malitiam gravem induere. Hæc conclusio probatur primo: quia nulla materia confessionis revelabilis est, quæ non sit ex se frustrativa finis a Christo Domino intenti in impositione hujus præcepti, et consequenter quæ ut celata non valde conducat ad hujusmodi finem, et ut revelata non maxime lædat, quod præceptum intendit; sed omnis materia frustrans ex se, ac lædens finem intentum a legislatore, est necdum magna ex genere suo, verum nec aliquando parvitatem admittit, cum ejus forma sit indivisibilis, nec latitudinem habeat: ergo non datur in transgressione hujus præcepti parvitas materiæ. Minor constat ex prænotatis. Major autem ostenditur: quia finis Christi Domini Legislatoris supremi in impositione hujus præcepti est reddere pœnitentes omnino securos de inviolabili occultatione peccatorum, quæ in confessione dicuntur, ne eorum revelationem formidando arceantur ab hoc tam necessario sacramento, et intolerabilis fiat confessionis usus; sed si quælibet, quantumvis minima, materia confessionis revelaretur, e medio tolleretur omnimoda securitas, et maxime læderetur confessionis usus, cum perdifficilis redderetur: ergo quælibet materia confessionis, quantumvis minima, frustrat omnino finem legislatoris, et maxime vulnerat id, quod præceptum intendit. Minor probatur, nam si absque lethali culpa materia parva confessionis revelari posset, etiam aliquando materia magna posset revelari, quia in aliquibus personis magis ingrata esset manifestatio alicujus venialis, quam alterius peccati mortalis, ut probat Lugo in præsenti, sect. 3, num. 51; miles quippe nobilis mallet revelari, quod strenue percusserit inimicum, a quo fuerat inhonoratus, quam leve furtum, aut invidiæ venialis affectum, quem erga alterum habet: ergo æque potest quis arceri a confessione per revelationem materiæ parvæ, quam alicujus magnæ. Rursus: quia si admitteretur in hoc parvitas materia, relinqueretur arbitrio confessarii non semel indocti judicare, quando revelatio parvi vel magni momenti sit, in quo quidem cum decipi posset, prudenter formidarent pœnitentes, ne proderet aliquod grave peccatum, quod ipse existimaret leve; ergo tolleretur suavis confessionis usus, si aliqua

aliqua illius materia, etsi minima, absque mortali culpa esset revelabilis.

100. Probatur secundo : omne peccatum, quod est simpliciter contra legem graviter obligantem, est lethale ; sed revelatio cujuslibet peccati confessi, adhuc venialis, est simpliciter contra legem graviter obligantem : ergo hujusmodi revelatio est peccatum lethale ; ac proinde nullum est peccatum veniale ex parvitate materiæ in fractione sigilli. Hæc ultima consequentia constat ex prima, quæ ex præmissis clare deducitur. Major autem devincitur ex primo notabili, ubi ostendimus, peccatum mortale in hoc a veniali distingui, quod mortale est simpliciter contra legem graviter obligantem ; veniale vero solum secundum quid. Unde præcise minor venit probanda, cujus partem supponimus, et partem ostendimus : supponimus enim, legem sigilli sacramentalis ex se graviter obligare, et in revelatione venialis confessi aliquod peccatum patrari, ut apud omnes est pervium ; quod autem hujusmodi revelatio sit simpliciter contra hanc legem, sic evincitur, quoniam hæc lex prohibet revelari sive directe, sive indirecte quidquid pertinet ad materiam confessionis, vel dicitur per ordinem ad illam ; sed quodlibet peccatum veniale est simpliciter materia confessionis sacramentalis, licet non necessaria, saltem voluntaria, et libera : ergo cujuslibet peccati confessi manifestatio est simpliciter contra legem sigilli, ac per consequens peccatum grave.

Confirmatur primo : eatenus quippe in transgressione præcepti fidei non datur parvitas materiæ, quatenus non credere Deo adhuc in rebus minimis, v. g. quod caudam habuerit canis Tobiæ, aufert omnimodam securitatem, quam fides divina requirit, et omnem formidinem a credentibus non excludit, ac proinde destruit adæquatum motivum prædictæ securitatis tam in parvis, quam in magnis ; sed etiam revelatio cujuslibet confessi peccati, adhuc venialis, et parvi momenti, destruit omnimodam securitatem in pœnitentibus circa perpetuam occultationem peccatorum, quæ confitentur, tam in gravibus, quam in levibus, quæ solummodo scit confessarius ut Deus, et non ut homo : ergo nulla revelatio peccati confessi quantumvis levis est culpa venialis ex parvitate materiæ, sed semper superinduit malitiam gravem: Consequentia est legitima. Minor constat ex immediate dictis, et major supponitur ut certa a Theologis in tract. de fide : quia omnimoda securitas assentientis fidei divinæ non regulatur per arbitrium credentis, sed nititur testimonio divinæ veritatis, quod integre, et indivisibiliter salvatur in qualibet materia, etsi minima, a Deo revelata, et regulatur per infallibilem propositionem Ecclesiæ, æqualiter omnia credenda proponentis.

Confirmatur secundo : quoniam in veritate juramenti assertorii non admittitur parvitas materiæ, cum omne juramentum falsum adhuc circa materiam parvi ponderis sit gravè peccatum : ergo nec admittenda est in fractione sigilli. Probatur consequentia : ideo primum contingit, quia non levis, sed gravissima injuria est summæ veritatis, illam adducere in testimonium rei falsæ, etsi parvi momenti ; sed per revelationem confessionis, adhuc in re parvi momenti non levis, sed gravis injuria fit sacramento, quod Christus voluit efficere omnino suave, et amabile, ut sæpius diximus : ergo nullatenus debet admitti parvitas materiæ in violatione sigilli. Confirm. 2.

101. Opinionis tamen oppositæ videtur fuisse Moure 3 part. summæ, cap. 9, lib. 6, num. 78, ubi inquirit : « Quod peccatum « sit frangere sigillum ? » Et sic respondet : « Dico unum, ex natura sua sacrilegium « grave : Ex natura sua dixi ; quia oportet « ut reveletur materia gravis, quale est « peccatum mortale. » Similiter, et Patri Sa durum videtur ad mortale damnare confessarium, aliquod leve tantum in confessione notum extra confessionem aperientem. Sed audiendi non sunt hujus modi dicendi Authores, cum nullum fundamentum grave ad hoc suadendum adducant. Nugnus quoque videtur huic sententiæ adhærere quantum ad aliquid : licet enim ex parte peccati revelati non admittat parvitatem materiæ, eam tamen admittit ex parte revelationis, et actus manifestantis ; unde in addit. ad 3 part. quæst. 11, art. 1, in secunda solutione ad 8 argumentum inquit, quod etiam in hac parte potest esse peccatum veniale ex parvitate materiæ, non quando manifeste revelatur Sententia opposita. Moure. Pater Sa. Nugnus.

aliquod veniale, sed præcise quando manifestatur per aliquam insinuationem imperfectam. Præterea Lugo in præsenti, disp. 23, sect. 3, num. 71, cum in antecedentibus nostram, et communem sententiam fuisset amplexatus, tandem ita fatur: « Facilius posset admitti levitas materiæ, « quando res, quæ narratur, est talis, ut « sit periculum aliquod ingerendi suspi- « cionem alicui, sed adeo tenue periculum, « et adeo remotam suspicionem, ut non « sufficiat ad imprudentiam gravem, neque « ad gravem irreverentiam contra sacra- « mentum. »

Lugo.

Refelluntur Nugnus, et Lugo.

Ceterum neque ex parte actus, et revelationis peccati, quando fit cum plena advertentia (ut Nugnus, et Lugo debent interpretari, si aliquid dicunt) debet admitti parvitas materiæ, nec peccatum tantum veniale, sed vel nullum, vel lethale. Diximus, *si aliquid dicunt:* nam si revelatio fieret absque plena deliberatione, etsi peccatum sit grave, ac revelatio undique manifesta, et periculum saltem proximum daretur ad suspicionem omnino rationabilem; adhuc non esset peccatum grave, sed tantum leve; unde debent loqui in sensu a nobis exposito; in quo eis non acquiescimus: quoniam vel revelatio deliberate facta pertingit ad obtinendam essentiam revelationis peccati, vel non? Si hoc secundum: ergo vere non est revelatio cadens sub hoc præcepto, et prohibita per illud; itaque nec veniale contra præceptum dabitur peccatum, sed erit scrupulus contemnendus. Si autem primum, quamvis revelatio sit in minimo gradu, lædit graviter hoc præceptum, et gravis injuria fit sacramento; unde grave patrabitur sacrilegii peccatum; ut patet in dissensu circa res fidei, vel earum dubio: nam vel anxiatus tentatione in hac materia, cum plena deliberatione vere dissentit, aut dubitat, vel non? Si hoc secundum, etsi tentatione vexetur, nec veniale committet peccatum. Si vero primum, gravissimum perpetrabit delictum. Rursus: qui omnino deliberate narraret peccatum per insinuationem, quæ sibi videtur imperfecta, et secundum quid, exponeretur manifesto periculo illud manifestandi, cum ex proprio arbitrio non facile queat hoc dimetiri: fortasse enim verbum, quod sibi videtur non omnino manifestare peccatum, ex adjunctis circumstantiis respectu aliorum illud perfecte manifestat; itaque saltem ex hoc periculo cui se voluntarie exponit, graviter delinquit. Unde nec ex parte manifestationis, vel actus revelantis debet in hoc admitti parvitas materiæ.

§ IV.

Quas pœnas incurrat violator sigilli confessionis?

102. Pro ultimo hujus dubii complemento breviter insinuare oportet, quibus pœnis subjaceat violator sacramentalis sigilli; qua in re potius resolutorie, quam disputando procedemus. Dicimus ergo, violatorem sigilli nullam ipso facto incurrere censuram, irregularitatem, vel aliam quamcumque pœnam. Ita communiter omnes Doctores: quia nullum datur jus, in quo hujusmodi censura, irregularitas, aut pœna ipso facto incurrenda reperiatur. Unde merito ut falsa rejicitur sententia Speculatoris, quem refert, et sequitur Mayolus lib. 5, de irregularitate, cap. 19, memb. 6, ubi asserit, sacerdotem revelantem confessionem fieri irregularem. Nam cum irregularitas sit impedimentum canonicum, sive a jure introductum per modum pœnæ, de cujus ratione est, ut absque expressa determinatione juris non incurratur, inde fit, quod nisi expresse in jure assignetur, nequit incurri, ut cum communi Doctorum placito tenet N. Andreas in Cursu Morali, tract. 10, cap. 7, punct. 1 num. 3; nulla vero irregularitas taxatur a jure pro violatione sigilli. Ex quo inferunt Suarez, et Lugo, falsitatis convinci id, quod addit Mayolus, nimirum, sacerdotem confessionem secretam alterius absque necessitate, si eam revelet, irregularem fieri: quia nullibi est expressa hæc irregularitas; deberet tamen laicus sæverissime puniri.

Pœnæ autem assignatæ, et a Prælatis Ecclesiasticis injungendæ confessario frangenti sigillum, recensentur in jure cap. *Sacerdos* de pœnit. dist. 6, his verbis: « Si « hoc fecerit, deponatur, et omnibus diebus « vitæ suæ ignominiosus peregrinando « pergat. » In cap. vero: *Omnis utriusque sexus* de pœnit. et remis. § *Caveat*, sic dicitur: « Qui peccatum in pœnitentiali judicio

« dicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum. » Ubi inquit glossa littera A: « Olim alia pœna imponebatur; hodie hæc imponitur. » Ex quo inferunt Doctores, pœnam illam perpetuæ peregrinationis in pœnam perpetuæ reclusionis fuisse commutatam; non tamen ipso facto incurritur, sed judicis sententia est expectanda, sive reveletur confessio mortalium directe, vel indirecte, sive venialium; sive fiat sacerdoti medio interprete, sive absque illo; sive sit pro adimplendo præcepto annuæ confessionis, sive omnino voluntarie. Solus tamen sacerdos incurrit hanc pœnam, cum solum de illo textus loquatur; interpres vero, et alii, qui casu confessionem audierunt, et quibus confessarius injuste revelavit, et ceteri hujusmodi non puniuntur hac pœna ordinaria, sed alia ad arbitrium judicis taxanda pro qualitate delicti.

103. Si autem inquiras, quis sit competens judex ad cognitionem, et punitionem hujus delicti? Respondetur, hoc ad superiorem Ecclesiasticum pertinere, cum sacramenti reverentiam, et Religionem concernat. Nec de hujusmodi delicto Inquisitores cognoscere, tenent Lugo in præsenti, disp. 23, sect. 5, num. 148, et Diana 3 part. tract. 8, resolut. 95, et alii; nisi confessionem revelans, se prave de sacramento sentire ostendat, vel eam revelationem esse licitam, aut non merito a jure prohibitam, vel quid simile in fide erroneum adstrueret: tunc enim ad Sanctæ Inquisitionis Tribunal, tanquam suspectus in fide, esset denuntiandus. Ab aliis vero quam plurimis, quæ hic possent investigari, utputa, qui, quales, et quot testes requirantur, et sufficiat ad hujus probationem delicti? Quomodo confessarius de hoc crimine accusatus, aut denuntiatus possit se defendere? Quas valeat interponere excusationes? Et cui onus probandi incumbat? Merito supersedemus: quia similia non ad Theologos, sed ad Jurisperitos expectant, quibus lectorem remittimus. Et licet aliqui Theologi, ut Suarez, Lugo, Bernardus Diaz, Fagundez, et Navarrus, plura non relinquant intacta; maluimus nostri muneris aliena omittere, quam tractatum hunc immodice crescere.

DISPUTATIO X.

De satisfactione prout est actus virtutis Pœnitentiæ.

1. Quia in præcedentibus operam fuisse navavimus confessioni, ac contritioni, ut partes sunt sacramenti pœnitentiæ, ex quibus essentialiter coalescit; forsan congruentior methodus appareret, cognitionis satisfactionis, ut sacramenti pœnitentiæ est pars, prius insistere, quam eidem, ut actus virtutis est, insudare. Hunc vero deserere ordinem duplici, eoque non levi motivo cogimur. Tum: quia Angelicus Præceptor (a quo nec in minimis avelli habemus semper in votis) et communiter Doctores de satisfactione, ut actus virtutis est, prius disserunt. Tum: quia plura, de quibus hic agendum, et satis utilia sunt, et ad subsequentis disputationis intelligentiam admodum necessaria: quæ hac de causa ipsi præmittendam investigationem requirunt. Neque pro omnibus seorsim dubia excitabimus, sed tantum pro gravioribus, ac utilioribus, ut consuevimus; minora autem, illis accurate discussis, obiter lucem accipient.

2. Igitur ut quid nominis innotescat, et ad proprium, ac determinatum hujus disputationis subjectum calamus percurrat, observandum est, quod nomen *satisfactio* ex verbo *satisfacio* derivatur, quod significat *facere sufficienter*; unde satisfactio eam rem, vel operationem indigitat, quam quis efficit, secundum quod sufficit ad finem intentum assequendum. Idcirco juxta diversitatem eorum, quæ intendimus, varie satisfactio accipitur. Aliquando enim purgationem, vel ab imposito crimine excusationem significat, juxta illud Ciceronis ad Tib. lib. 6. « Tu me etiam insimulas, nec « satisfactionem meam accipis. » Et Levitici 10: *Cum audisset Moyses, recepit satisfactionem*; id est, excusationem Aaron fratris sui. Et actuum Apostolorum 17. *Et accepta satisfactione* (intellige, purgatione delicti sibi impositi) *a Jasone, et ceteris dimiserunt eos.* Aliquando vero denotat adæquatam interrogationi responsionem, Cicero. Levit. 10. Actuum Apostol. 17.

vel solutionem argumentum enervantem; in quo sensu Epist. 1, Petri dicitur : *Paratí semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis, est, spe, etc.* His tamen acceptionibus relictis, quia ad nostrum non attinent institutum, in ea significatione propius ad rem accedit, in qua ab Asconio usurpatur ; apud quem id est « satisfactio, ac tantum facio, quantum « satis est irato ad vindictam : » hoc est, injuriam illatam recompenso : quamvis juxta Theologorum usum strictius accipiatur pro ea compensatione, qua pro peccatis commissis homo Deo facit satis. Et in hac acceptatione sumpta satisfactio est proprium hujus disputationis subjectum.

D. Petri Epistol. I, c. 3.

Ascon.

Hæc tamen satisfactio, ut tract. 21, disp. 1, dub. 9, explicuimus, est duplex. Alia materialis in operibus virtuosis, quibus fit recompensatio, consistens, uti in jejunio, eleemosyna, oratione, et aliis similibus, quorum quodlibet, et diverso munere gaudet, et proprium objectum respicit. Alia formalis, quæ est actus peculiaris virtutis in quodam determinato, ac expresso actu sita, quo injuriam Deo illatam intendimus formaliter resarcire. Et licet utraque actus virtutis sit, ut ex D. Thom. in præsenti, quæst. 12, art. 1, in corpore videre licet ; ubi postquam statuit : « Quod « aliquis actus dicitur esse actus virtutis « dupliciter : uno modo materialiter : alio « modo dicitur actus aliquis esse actus « virtutis formaliter : concludit : Constat, « quod satisfactio etiam formaliter est ac« tus virtutis. » Ubi per ly *Etiam* formaliter satis innuit, satisfactionem materialiter acceptam rationem actus virtutis obtinere. Ceterum hujusmodi materialis satisfactio nullam virtutem peculiarem sibi vindicat, sed per omnes divagatur, et indifferenter a charitate, Religione, misericordia, abstinentia, et aliis virtutibus elicitur. Satisfactio autem formalis petit elici ab speciali virtute, quæ in nobis dicitur pœnitentia, cujus est actus, quæ quidem pœnitentiæ virtus inter partes justitiæ non subjectivas, sed potentiales communiter recensetur, ut ex citato loco supponimus, et ex D. Thoma in præsenti, art. 2, in corpore, ubi postquam statuit hanc satisfactionem esse actum specialis virtutis, nempe, justitiæ, concludit : « Et « per hoc constat, quod satisfactio, quæ « æqualitatem respectu offensæ præcedentis « in satisfaciente importat, opus justitiæ « est quantum ad illam partem, quæ pœ« nitentia dicitur. »

Duplex assignatur satisfact.

D. Tho.

D. Tho.

3. Ut vero *quid rei* appareat, nota satisfactionem adhuc in prædicto sensu esse multiplicem. Alia, quæ est ex rigorosa justitia, ut satisfactio Christi, quam pro offensis nostris obtulit Patri : hæc quippe justitiæ commutativæ est actus. Alia, quæ vel ex defectu arithmeticæ æqualitatis, vel ex aliis capitibus a perfecta, et rigorosa justitia deficit, ac elicitive a pœnitentiæ virtute provenit, qualis est satisfactio puri hominis. Alia denique, quæ ab utraque præscindit, solummodo importans nudam pro peccatis recompensationem, sive ex rigorosa justitia, sive non. Et hanc ita universaliter acceptam definit D. Thomas hic quæst. 12, art. 2, ad 1, dicens : « Satis« factio est quædam injuriæ illatæ recom« pensatio. » Verum cum idem Angelicus Præceptor art. 3 sequenti in corpore, duplex in satisfactione munus agnoscat ; aliud prout medicinæ instar præterita peccata curat ; alterum prout a futuris præservat ; utrique peculiarem definitionem assignat. Primum sic describit : « Satisfactio est illatæ injuriæ recompen« satio secundum justitiæ æqualitatem ; » ad quam definitionem reducit alteram D. Anselmi, in argumento 5 sibi objectam. Secundum ex Augustino lib. de Eccles. dogmat. cap. 54 : « Satisfactio est, « peccatorum causas excidere, et eorum « suggestionibus aditum non indulgere. »

D. D.

Deinde satisfactione, a rigorosa justitia proveniente, relicta, quia de ea alibi actum est, illa, quæ determinate a rigorosa justitia deficit, de qua in præsenti est sermo, adhuc duplicem dicit respectum : et primarium ad Dei offensam compensandam ; et secundarium ad temporalem pœnam luendam, cujus homo manet reus etiam post ablatam culpam, et offensam dimissam. Imo, et sub utroque tam primario, quam secundario conceptu, ulterius dupliciter accipitur. Tum, ut est præcise actus Pœnitentiæ virtutis, præscindendo ab eo, quod vel a pœnitente spontanee fiat, vel illi tanquam pars integralis sacramenti pœnitentiæ imponatur. Tum, ut determinate est pars sacramenti, et a ministro in confessione pœnitenti injungitur. Satisfactio

tio igitur in hac secunda consideratione ad sequentem disputationem attinet; in prima vero ad præsentem, et ejus *quid rei* inquirimus. Illam autem sic definit Gonet tom. 5, disp. 13, art. 1, num. 4: « Voluntaria sui punitio ad compensandam in« juriam Deo per peccatum illatam, eum« que sic placandum ut temporalem pœnam « remittat. » Quæ definitio, cum proprio genere, ac differentia constet, optima est, ut singula exponendo verba apparebit. Etenim ly *Punitio* ponitur loco generis; per illam quippe convenit satisfactio cum qualibet punitione, vel supplicio applicato reo etiam invito. Additur *voluntaria*, tum ut designetur eam esse actum virtutis, qui in electione consistit: tum ut discernatur a satispassione, qua pœnas, quas quis meretur, patitur non a se ipso inflictas, sed a puniente judice applicatas. Ly *ad compensandam injuriam* distinctionem satisfactionis a restitutione designat, hæc enim ablata bona reddit, illa vero injuriam illatam compensat. Ly *Deo* innuit, satisfactionem ex se ad divinam offensam resarciendam tendere; ac tandem ly *ad eum sic placandum, ut temporalem pœnam remittat*, quasi secundarium satisfactionis ostendit respectum, qui est pœnam luere temporalem pro peccatis debitam, cujus, nisi alias contritionis actus sit ita fervidus, ut eam omnino extinguat, manet homo reus etiam post offensam, et culpam dimissam, illamque luere debet vel ante mortem satisfaciendo, vel in purgatorio satispatiendo. Igitur Angelicus Præceptor de hujusmodi satisfactione disserit in præsenti quæst. 12, art. 2, et alibi. Pro cujus elucidatione, sit

DUBIUM PRIMUM.

Utrum homo de condigno satisfacere valeat pro pœna temporali proprio peccato mortali debita?

4. Diximus in titulo *proprio peccato mortali debita*, quia de satisfactione pœnæ temporalis pro peccato alterius seorsim in sequenti dubio agendum est. Ad utriusque vero decisionem aliqua opus est præmittere, ac prius stabilire reatum ad pœnam temporalem adhuc post culpam dimissam permanere; alias difficultas locum non habebit. Unde

§ I.

Suppositiones aliquæ præmittuntur.

5. Ex dictis igitur tract. 21, quæst. 1, in Comment. et disput. 1, supponendum est primo, lethale peccatum in ratione maculæ, vel etiam demeriti finitum esse; in ratione vero passivæ offensæ infinitum; atque adeo purum hominem, quacumque gratia exornatum, pro hujusmodi offensa ad æqualitatem arithmeticam satisfacere minime posse; cum satisfactio puri hominis, id est, illius, qui personaliter non est Deus, nequeat tanti valoris in esse satisfactionis existere, quanta est gravitas offensæ in esse offensæ. Pro offensa tamen levi ad æqualitatem satisfacere valet, cum hæc adhuc in æstimatione morali intrinsece finita sit. Utrumque ex profeso manet probatum citat. disp. dub. 5, unde solum devolvitur difficultas quoad pœnam ex illo peccato relictam. Suppos. 1.

6. Secundo supponendum est, ad quodlibet lethale peccatum consequi æternam pœnam tam damni, quam sensus. Hæc autem diversimode per justificationem tollitur: in illis namque, qui per Baptismum justificantur, omnino cessat, ita ut nec in temporalem commutetur; in justificatis vero per alia sacramenta, vel per contritionem cum voto sacramenti aliter evenire solet: ablato quippe æternæ pœnæ tam sensus, quam damni reatu, remanet communiter pœna temporalis per satisfactionem extinguenda. Quod adeo verum est, ut decisum sit in Concilio Tridentino sess. 6, cap. 14, illis verbis: « Itemque satisfactio« nem per jejunia, eleemosynas, orationes, « et alia pia spiritualis vitæ exercitia, non « quidem pro pœna æterna, quæ vel sa« cramento, vel sacramenti voto una cum « culpa remittitur, sed pro pœna tempo« rali, quæ ut sacræ litteræ docent, non « tota semper, ut in Baptismo fit, dimit« titur illis, qui gratia Dei, quam accepe« runt, » etc. Et similiter ses. 6, can. 30, inquit: « Si quis post acceptam justifica« tionis gratiam, cuilibet peccatori pœni« tenti ita culpam remitti, et reatum æter« næ pœnæ deleri dixerit, ut nullus rema« neat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, « vel in hoc sæculo, vel in futuro in pur« gatorio, antequam ad Regna Cœlorum Suppos. 2. Conc. Trid.

« aditus patere possit, anathema sit. »

Suppositio 3. 7. Tertio supponendum est ex tractat. 13, disput. 17, dub. 1, num. 15, et seq. reatum pœnæ temporalis in justificato ex duplici capite ortum ducere. Primo ex eo, quod divina justitia, semel quod homo mortaliter peccaverit, ad eum æternaliter puniendum jus acquisivit: et quamvis dum justificatur, ei totam remittat culpam, non totam pœnam ; quin æternam in temporalem commutat, cedensque suo juri quoad illam, jus, ac vim obligandi ad istam conservat. Porro ab hoc jure homo denominatur reus, ac pœna temporali obstrictus, donec integra exhibeatur satisfactio, et totalis fiat remissio. Jus vero divinæ justitiæ non aliquid est ab ea distinctum in esse rei, sed quædam veluti divinæ justitiæ explicatio in munus illud obligandi hominem ad temporalem pœnam ob ejus præcedentem culpam. Secundo, ex alio satis diverso principio provenit. Pro quo nota, in peccato mortali plura inveniri. Primo, aversio a Deo ultimo fine; secundo, conversio ad bonum commutabile ut aversiva, vel prout induit prædictam aversionem ; tertio, eadem conversio ad bonum commutabile ut præcise conversio est, præscindendo ab eo, quod aversiva sit. Igitur ex his rationibus duæ primæ sunt mortaliter peccaminosæ, unde illis æterna pœna debetur : aversioni æterna pœna damni, conversioni vero, ut aversiva est, æterna pœna sensus. Ceterum tertia ratio, conversio nimirum ad bonum commutabile, ut præcise conversio est, quamvis adhuc prout sic sit inordinata, non tamen ex hoc capite ad lethalem culpam pertingit, sed est etiam communis peccato veniali, in quo non absimiliter invenitur inordinata, ac peccaminosa, conversio ad commutabile bonum, non a Deo aversiva, sed tantum diversiva. Quocirca conversio ad commutabile bonum in peccato mortali reperta, et præcise ut conversio est considerata, cum non sit mortaliter peccaminosa, nec ex parte termini infinita, fundat reatum pœnæ temporalis, non vero æternæ.

Objectio. 8. Sed objicies : conversio in mortali peccato reperta, ut præcise conceptum conversionis dicit, non est a se ipsa ut aversiva separabilis, cum nulla intercedat realis distinctio inter has rationes : ergo ablata per justificationem secunda, nequit persistere prima. Sed hoc parum urget : solum enim convincit, utramque rationem inseparabilem fore quoad esse entitativum, ac physicam permanentiam, non vero quoad esse, et durationem moralem, vel per non retractationem. Potest quippe voluntas circa rationes realiter identificatas adeo diversimode versari, ut uni physicam auferat permanentiam, illam retractando, et aliam moraliter conservet, ipsi adhærendo, ut passim accidit, et in præsenti regulariter contingit.

9. Ex quo fit, quod cum tamdiu duret reatus ad pœnam, quamdiu ejus fundamentum ; hoc stante, nequit non ille persistere ; ac illo deficiente, nequit non hic cessare. Ut autem fundamentum, peccatum nempe actuale, quod ante justificationem moraliter perseverabat, omnino auferatur, requiritur, ut quoad totum quod in illo fuit, formaliter, aut virtualiter retractetur : si enim quoad aliquid irretractatum sit, quoad id etiam post justificationem moraliter permanebit. In justificatione vero semper retractatur peccatum actuale præcedens, ex quo ortum duxit habituale, quantum ad id, quod habet aversionis a Deo, et conversionis ad commutabile bonum ut aversivæ, quo pacto ad pœnam æternam tam damni, quam sensus fundabat reatum ; unde per justificationem tollitur reatus quoad utramque eam pœnam. Verum non est necesse, quod retractetur quantum ad conversionem ut conversio est ad bonum commutabile, quo pacto reatus pœnæ temporalis est fundamentum : etenim illa ratio, sic præcisive accepta, cum gratia conjungibilis est, ut in peccatis venialibus liquido constat. Unde adhuc post justificationem moraliter permanere valet, et frequenter contingit, usque dum voluntas per pœnam, ac mortificationem tantum sibi displiceat, et delectationis adimat, quantum per illam conversionem indulserat, eamque omnino retractet ; nisi in ipsa justificatione per maximum contritionis dolorem hoc fieri contingat. Quare perseverante post justificationem conversione ad bonum commutabile, ut conversio præcise est, qualiter ad pœnam temporalem fundat reatum, hunc etiam necessarium est permanere.

10. Quæ omnia 3 part. quæst. 86, art. 4, D. in corpore, præclare his verbis Angelicus Doctor

Doctor explicuit : « Respondeo dicendum, « quod in peccato mortali sunt duo, scili- « cet, aversio ab incommutabili bono, et « conversio ad commutabile bonum inor- « dinata. Ex parte ergo aversionis ab « incommutabili bono consequitur pec- « catum mortale reatus pœnæ æternæ » (tam damni, quam sensus) « ut qui contra « æternum bonum peccavit, in æternum « puniatur. Ex parte etiam conversionis « ad bonum commutabile, in quantum est « inordinata, consequitur peccatum mor- « tale reatus alicujus pœnæ : justum « est enim, ut qui voluntati suæ plus in- « dulsit, quam debuit, contra voluntatem « suam aliquid patiatur. Unde Apoc. 18, « dicitur : Quantum glorificavit se, et in « deliciis fuit, tantum date illi tormen- « tum, et luctum. Quia tamen conversio ad « bonum commutabile » (quasi materiali- ter sumpta intellige, ac ut conversio præ- cise) « est finita, non habet ex hac parte « peccatum, quod debeatur ei pœna æter- « na. Unde si sit inordinata conversio ad « bonum commutabile sine aversione a « Deo, sicut est in peccatis venialibus, non « debetur peccato pœna æterna, sed tem- « poralis. Quando igitur per gratiam re- « mittitur culpa, tollitur aversio animæ a « Deo, unde, et per consequens tollitur « reatus pœnæ æternæ ; potest tamen re- « manere reatus pœnæ temporalis. » Ex quibus manifeste apparet, quod dum An- gelicus Præceptor asserit, æternæ pœnæ reatum consequi ad peccatum mortale, ut aversio est ab incommutabili bono, non tantum loquitur de aversione, verum etiam de conversione ut aversiva, vel in- ductiva aversionis, ut ejus fundamento convincitur : ideo enim æternæ pœnæ rea- tum tribuit aversioni, quia hæc contra æternum bonum militat ; sed conversio ut aversiva etiam eidem æterno bono adver- satur, ab eo tanquam a termino a quo re- cedendo : ergo nomine aversionis etiam conversionem ut aversivam implicuisse sentiendum est. Insuper, dum postea dicit, reatum pœnæ temporalis consequi ad con- versionem ad commutabile bonum, loqui- tur de conversione, ut præcise conversio est : tum, quia hanc asserit finitam esse, ac similem illi, quæ in peccatis venialibus reperitur ; quæ conversioni ut aversivæ minime aptantur. Tum, et præsertim, quia dum per gratiam remittitur culpa, inquit aversionem animæ a Deo tolli, et per con- sequens reatum pœnæ æternæ, permanere tamen reatum temporalis ; sed deficiente aversione a Deo, ac æternæ pœnæ reatu, nequit conversio ut aversiva persistere : hæc enim, et incompossibilis est cum gra- tia, et tam est ab aversione animæ a Deo, quam a pœnæ æternæ reatu inseparabilis : ergo si remissa culpa tollitur aversio a Deo, et remanet reatus temporalis pœnæ, necesse est etiam conversionem, ut præcise conversio est, ad commutabile bonum re- manere, ut illum reatum possit fundare, ac ipse in ea persistere.

Idque amplius innuit Angelicus Præcep- tor ibi in solut. ad 4, dicens : « Quod culpa « mortalis utrumque habet, et aversionem « a Deo, et conversionem ad bonum crea- « tum ; sed sicut in secunda parte habitum « est, aversio a Deo est ibi sicut formale, « conversio autem ad bonum creatum est « ibi sicut materiale. Remoto autem for- « mali cujuscumque rei tollitur species, « sicut remoto rationali tollitur species « humana. Et ideo ex hoc ipso dicitur « culpa mortalis remitti, quod per gratiam « tollitur aversio mentis a Deo simul cum « reatu pœnæ æternæ ; remanet tamen « illud, quod est materiale, scilicet, inor- « dinata conversio ad bonum creatum, « pro qua debetur reatus pœnæ tempora- « lis. » Quæ proculdubio intelligenda ve- niunt, non de conversione ut aversiva a Deo, cui æterna pœna sensus annectitur, sed conversione ut tali, quam quid mate- riale in peccato nuncupavit D. Thomas, eo quod ablata aversione a Deo, remanet conversio quasi materialiter peccaminosa, ac tantum dicens conceptum inordinatæ conversionis, quæ in justo intrinsece fun- dat reatum, et obligationem ad tempora- lem pœnam : nam Apostolo teste ad Rom. 8 : *Nihil damnationis est iis, qui sunt Christo Jesu ;* id est, nihil, quod jus ad æternam pœnam fundet, est in justificatis. Ad Rom. 8.

11. Verum Luthero, Calvino, et aliis similibus, quibus vel levis corporis mace- ratio non placet, etiam doctrina hujus no- tabilis displicet : nequeunt enim conce- dere, culpa per justificationem remissa, temporalis pœnæ reatum deinceps manere solvendum. Quod inde evincere intendunt, quia Christus Dominus pro cunctis homi- Objectio Luther. Calvin.

num peccatis condignam obtulit Patri satisfactionem, qua non solum reatum pœnæ æternæ, sed etiam temporalis exolveret : ergo remissa per justificationem culpa, nulla pœna remanet expianda. Antecedens quoad secundam partem, in qua est dissidium, probant. Primo, nam satisfactio in esse satisfactionis infinita omne debitum, quod extinguibile est, solvit, ac exhaurit, alioquin infinita non esset ; sed pœna temporalis est aliquod debitum extinguibile, et Christi satisfactio in esse satisfactionis ex se infinita moraliter in prudentum æstimatione, quod tract. 21, disp. 1, dub. 6, stabilivimus : ergo per Christi satisfactionem etiam temporalis pœnæ reatus omnino fuit absolutus. Secundo ; quia justificatus pro pœna temporali ex peccato relicta condigne satisfacere potest in virtute Christi, ut Concilium Trid. sess. 14, cap. 8, fatetur : « Neque « vero ita nostra satisfactio hæc, quam « pro peccatis nostris exolvimus, ut non « sit per Christum Jesum. » Ergo si in Christi virtute condigne pœnam temporalem satisfacere possumus, potiori jure potuit et ipse Christus. Dicere autem potuisse, et noluisse, proculdubio esset nimiæ ejus charitati injuriam irrogare. Ergo, et de facto voluit, et temporalem pœnam expiavit, ac nihil nobis solvendum reliquit. Quo ductus principio Lutherus nec purgatorium admisit, ubi animæ pro temporali pœna, in hac vita nondum soluta, vehementer crucientur.

Concil. Trid.

Dispellitur objectio.

Ceterum hos hæreticos ab Ecclesia eliminat, ac anathematis fulmine inurit Concilium Tridentin. loco proxime citato, Canon. 12, et eorum motivis facilis est occursus, distinguendo antecedens : illud concedendo de condignitate satisfactionis Christi in actu primo, et quoad sufficientiam ad extinguendum omne debitum nostrum ; secus vero si intelligatur de satisfactione in actu secundo, et quoad efficaciam extinguente omne debitum sine operibus nostris, mediis quibus voluit Christus de facto, et quoad efficaciam nobis ejus satisfactionem in justificatione extra Baptismum applicari. Itaque esto Christi satisfactio, quam obtulit Patri, utpote infinita in genere moris, et in valore superexcedens omnes etiam graves Dei offensas, quoad sufficientiam sit condigna, ac superabundans solvere omne debitum etiam temporalis pœnæ ; tamen quoad efficaciam hunc effectum minime sortitur independenter ab actibus justificati cooperantibus, quibus positis, et non aliter, voluit Christus reatum ad temporalem pœnam remitti, ut solutum superabundanter relinqueret omne debitum. Cujus volitionis congruentiam designat Concilium Trident. sess. et cap. proxime cit. Tum, quia decebat nos Christi imitari Passionem, juxta illud Petri Epist. 1, cap. 2 : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Tum etiam : quia satisfactio Christi concurrit ad nostram salutem ut causa universalis ; hæc autem influxum causarum particularium minime impedit, sed cum eisdem influit altiori modo, ipsas adjuvans. Quocirca oportuit, Christum in nobis adhuc post justificationem reatum temporalis pœnæ reliquisse, ut illud expiemus modo quo possumus : quippe extra omnem rationem est, quod fidejussor omnia solvat, et debitor quod potest non extinguat.

Ad utramque autem antecedentis probationem, quatenus huic doctrinæ possunt opponi, fere eodem modo dicendum est, satisfactionem Christi in esse satisfactionis infinitam esse, et aptam ad extinguendum omne debitum extinguibile, et quod Christus potuit, et voluit extinguere quoad sufficientiam ; attamen ob rationem assignatam noluit quoad efficaciam, si satisfactionem, quam possumus, non offerimus quod defuit satisfactioni Christi, quodque sui corporis extorsione executioni mandabat Paulus, dum dixit ad Colos. 1 : *Adimpleo ea, quæ desunt Passionum Christi in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Et licet in justificatione per Baptismum ex vi satisfactionis Christi nobis ibi applicatæ, omne debitum extinguatur etiam totius temporalis pœnæ ; in aliis justificationibus non ita accidit, cujus aliam rationem assignat D. Thomas 4, contra Gent. cap. 72 : « Quia conjunctio; « *inquit*, nostri ad Christum in Baptismo « non est secundum operationem nostram « quasi ab interiori : quia nulla res se ipsam generat ; sed a Christo, qui nos re« generavit in spem vivam. Ideoque re« missio peccatorum in Baptismo fit « secundum potestatem ipsius Christi nos sibi

« sibi conjungentis perfecte, et integre, ut « non solum impuritas peccati tollatur, « sed etiam solvatur penitus omnis pœnæ « reatus. » Idem docet 3 part. quæst. 69, art. 2, in corpore. In justificatione vero extra Baptismum Christo conjungimur mediantibus operibus nostris, atque ideo hujusmodi conjunctio, et satisfactionis suæ applicatio ut in plurimum non est ita integra, ac perfecta, ut aliquis temporalis pœnæ reatus non maneat inextinctus, et propria satisfactione exsolvendus. His ergo necessario præmissis, haud difficilis apparet resolutio difficultatis.

§ II.

Vera sententia eligitur, et firmatur.

12. Dicendum est, purum hominem, gratia tamen exornatum, pro temporali pœna, cui post justificationem manet obnoxius, de condigno, et ad æqualitatem arithmeticam satisfacere posse. Hanc sententiam tuentur Cajetanus tom. 2, Opusc. de fide, et operibus, cap. 11 et 12, Gonet tom. 5, disp. 13, art. 2, num. 5, Nugnus in præsenti, quæst. 13, supplem. art. 1. concl. 3, Contempson tom. 9, dissertatione unica, cap. 1, N. Bonæ Spei tract. 5, disp. 14, dub. 4, n. 26, N. Antonius à Spiritu Sancto in direct. Confessorum, tract. 5, disp. 26, sect. 1, num. 1583 et 1584, Suarez disp. 27, sect. 9, Lugo disp. 24, sect. 1, num. 8, Delgadillo de pœnit. cap. 18, dub. 5, num. 19 et dub. 6, num. 25, Dicastillus tract. 8, de pœnit. disp. 3, dub. 2, a num. 18, Dubal de pœnit. disp. 3, cap. 5, num. 340 et 341, Aliique plures.

13. Probatur assertio primo ex Concilio Trid. sess. 14, cap. 8 et 9, et Can. 13, ubi absolute asserit, hominem gratia ornatum satisfacere per opera satisfactoria pro temporali pœna ; qui autem ad æqualitatem omnimodam pœnam non solvit, absolute, et simpliciter non satisfacit, sed tantum cum addito, et secundum quid, quantum ad aliquid, quod debitum non adæquat, sed ex parte creditor condonat : nam satisfacere absolute, est facere quantum satis, et omnino ex se est sufficens ad solutionem debiti. Præterea : nam Concilium ibidem inquit : « Quod omnis glorificatio nostra « in Christo est, in quo satisfacimus, fa- « cientes fructus dignos pœnitentiæ. » Quæ verba sic elucidat Cajetanus Opusc. de commun. et confes. cap. 3, de satisfact. « Fructus enim pœnitentiæ sonat opus pro- « veniens a pœnitentia, ut a radice, seu « arbore. Perspicuun autem est, quod fruc- « tus dignus pœnitentiæ est reparare ea, « quæ omisisse, vel commisisse nos pœni- « tet. Hoc autem vocatur satisfacere pro « peccato, pro quanto in hoc comprehen- « ditur deletio omnium malorum, quæ in « pœnitente remanserunt, quorum unum « est reatus relictæ pro peccato pœnæ. » Unde illud Concilii : « Facientes fructus « dignos pœnitentiæ, » plane significat, quod per gratiam a Christo nobis collatam facere possumus actus satisfactorios, qui et pœnitentiæ virtutis sint effectus, et fructus digni remissione temporalis pœnæ, id est, condigne eam satisfacientes, quatenus per hujusmodi actus, ac pœnalia opera tantum delectationis, et gustus nobis subtrahimus, quantum per peccati indulgentiam accepimus. Cajetan.

Id ipsum D. Gregorius homil. 20, in Matth. cap. 3, docuit ad illa non absimilia verba : « Facite fructus dignos pœnitentiæ ; » ubi hæc habet : « Notandum est, « quod non solum fructus pœnitentiæ, sed « dignos pœnitentiæ admonet esse facien- « dos. Aliud namque est, fructum facere « pœnitentiæ, aliud dignum pœnitentiæ « fructum facere. » Imo explicans, qui sint fructus pœnitentiæ digni, vel dignitate, aut condignitate gaudentes, exemplificat in operibus a D. Thoma assignatis, quibus pœnitentiæ virtus pœnam temporalem per culpam contractam solvit. Unde inquit : « Quisquis illicita nulla commisit, huic « jure conceditur, ut licitis utatur. At si « quis in culpam lapsus est, tanto a se li- « cita debet abscindere, quanto se memi- « nerit illicita perpetrasse... Per hoc ergo, « quod dicitur, facite dignos fructus pœni- « tentiæ, uniuscujusque conscientia conve- « nitur, ut tanto majora acquirat bonorum « operum lucra per pœnitentiam, quanto « graviora sibi intulit damna per culpam. » Quæ omnia æqualitatem indigitant arithmeticam inter opera satisfactoria, et inordinatam delectationem, quam quis habuit per adhæsionem ad bonum commutabile. Cum ergo per hoc omnino retractetur moraliter conversio, ut conversio est, ad bo- D. Gregor.

num commutabile, in qua reatus ad temporalem pœnam innitebatur, liquido infertur, hominem per opera satisfactoria, gratia tamen informata, æqualiter, et quantitative pœnam temporalem solvere posse : nequit enim reatus ad pœnam persistere, conversione ad bonum commutabile prorsus deficiente.

Probatur 2. 14. Probatur secundo ex decretis Pii V, et Gregorii XIII, damnantium hanc propositionem Michaelis Baji, quæ inter damnatas est 77 : « Satisfactiones laboriosæ justificatorum non valent expiare de condigno « pœnam temporalem restantem post culpam condonatam. » Ubi, ut vides, ea propositio damnatur, quæ formaliter nostræ assertioni contradicit. Ex duabus autem contradictoriis una necessario est vera : ergo si justificatum laboriosis satisfactionibus de condigno expiare non valere pœnam temporalem manentem post culpam condonatam, quæ est propositio Michaelis Baji, damnatur a Pontificibus saltem ut falsum ; oppositum, hominem nimirum gratia ornatum de condigno, et ad æqualitatem arithmeticam post justificationem satisfacere posse pœnam temporalem ex culpa relictam, verum est. Quod fundamentum est adeo efficax, ut vel solo satis, superque foret sententiam stabilire.

Propositio damnata.

Probatur 3 rat. 15. Probatur tertio ratione fundamentali : nam ille potest satisfacere de condigno, et ad æqualitatem arithmeticam pro aliquo debito, qui tantum potest solvere, quantum debitum ad sui extinctionem exigit ; sed homo gratia ornatus potest tantam pœnam solvere, quantam pro peccato temporaliter exolvendam debet : ergo potest de condigno, et ad perfectam æqualitatem satisfacere. Consequentia est legitima. Major continet diffinitionem satisfactionis condignæ, et omnino æqualis. Minor autem suadetur ex motivo, quo ducti tract. 21, disp. 1, dub. 5, § 4, stabilivimus cum Joanne a S. Thoma, Godoy, Lorca, Suarez, Vasquez, et aliis, posse purum hominem in gratia constitutum satisfacere de condigno, et ad æqualitatem arithmeticam pro offensa levi Dei ; quin, et quod posset pro offensa gravi, si infinita non esset, firmavimus, § 3. Quod motivum in præsenti viget : nam ex eo ibi probavimus pro offensa levi posse Deo satisfieri, quia est intrinsece finita, ac limitata, et debitum finitum potest per solutionem finitam magis, ac magis auctam diminui, et ad omnimodam æqualitatem extingui ; sed etiam pœna temporalis tam in intensione, quam in duratione est limitata, et finita ; ergo potest ad æqualitatem arithmeticam, et quantitativam per satisfactionem in gratia factam deleri. Minor, et consequentia constant. Major autem continet doctrinam a nobis loco relato stabilitam, nec ab adversariis enervatam ; cum nulla detur radix, ex qua possit repugnantia suboriri, ut debitum finitum non possit per solutionem finitam totaliter absorberi, imo, et superari ; ut aliquando contingit in hac materia, juxta illud Job. 6 : *Utinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, et calamitas, quam patior, in statera, quasi arena maris, hæc gravior appareret.*

Confirmatur primo : nam aliter dicitur homo satisfacere pro offensa Dei gravi, et pœna æterna peccato lethali debita, ac pro pœna temporali post dimissam culpam residua ; sed pro offensa gravi, et æterna pœna potest homo gratia ornatus satisfacere ad æqualitatem geometricam, et proportionalem, ut communiter tenent Authores, et D. Thomas pluribus in locis asserit : ergo pro pœna temporali, quæ post justificationem luenda remanet potest satisfacere de condigno, et ad arithmeticam æqualitatem. Consequentia patet, alias eodem modo satisfaceret pro utraque pœna ; quod est absurdum.

Confirmatur secundo : homo quippe in gratia constitutus potest mereri de condigno vitam æternam per opera procedentia a gratia : ergo similiter per hujusmodi opera poterit de condigno satisfacere pro pœna temporali. Antecedens constat ex communi Theologorum sententia, quam tract. 16, disp. 2, dub. 2, firmavimus. Consequentia vero patet a paritate : nam ideo primum contingit, quia opera a gratia procedentia in esse meriti, et valoris sunt omnino æqualia, saltem in virtute, ac radice, cum vita æterna, cujus semen est ipsa gratia, a qua procedunt in esse præmii formaliter ; sed etiam eadem opera in ratione satisfactionis sunt non tantum æqualia, sed superexcedentia pœnam temporalem pro peccatis debitam, cum hæc sit ordinis inferioris comparative ad æternam vitam : ergo sicut homo illis operibus meretur

meretur de condigno vitam æternam, ita de condigno satisfacere valet pro pœna temporali ex peccato relicta.

16. Est tamen hic advertendum, quod licet satisfactio informata gratia, ab illaque procedens, sit condigna ad temporalem pœnam omnino expiandam, non tamen est ex rigorosa justitia : ad hoc enim, ut ostendimus tract. 21, disp. 1, non sufficit, quod ad arithmeticam, et perfectam æqualitatem sit, et quod tantum a debitore solvatur, quantum creditori debetur ; sed insuper requiritur, quod non fundetur in gratia creditoris, et quod ex bonis creditoris fiat, et ex nullo titulo creditori debitis. Quæ omnia in nostra satisfactione minime reperiuntur, cum in gratia Dei creditoris fundetur, et alias non sit ex bonis propriis, sed a Deo receptis, eique debitis titulo creationis, conservationis, redemptionis, et aliis : ideoque dixit D. Bernardus : « Deus nos onerat, cum exonerat : onerat « enim beneficiis, cum exonerat peccatis.» Unde consequenter dicimus, quod esto satisfactio quoad sufficientiam, et in actu primo sit condigna, ut Deus, illa ab homine grato posita, eum solvat a reatu pœnæ ; non tamen in actu secundo, et quoad efficaciam talis esset, nisi ad eam acceptandam aliquod pactum inter Deum, et hominem interveniret : de facto tamen habet hanc condignitatem actu secundo, et quoad efficaciam ; quia hujusmodi pactum adest, ut ex pluribus scripturæ testimoniis innuit Conc. Trid. sess. 14, cap. 8, sic concludens: « In quo » (id est, in Christo) « satisfaci- « mus facientes dignos fructus pœnitentiæ, « qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur « Patri, et per illum acceptantur a Patre.» Ex quibus clare evincitur, hoc de facto intercedere pactum, et acceptationem ex parte Dei.

§ III.

Argumentis adversariorum fit satis.

17. Oppositam sententiam docuit Michael Bajus lib. de indulgentiis, cap. ultimo ; ubi tenet, satisfactiones laboriosas justificatorum non valere expiare de condigno pœnam temporalem restantem post culpam condonatam, sed tantum se habere tanquam conditiones requisitas, ut satisfactio Christi Domini nobis applicetur. Quod damnarunt, ut supra diximus, Pius V, et Gregorius XIII. Ex Doctoribus autem Catholicis nobis adversari videntur Durandus in 4, dist. 15, quæst. 5, ad 2, et Martinus Ledesma 2, part. 4, quæst. 12, quatenus ait, ex divina benevolentia, et acceptatione opera nostra satisfacere. Similiter Joannes Medina, Cod. de pœnit. cap. 1, de satisfact. qui asserit, nostram satisfactionem gaudere condignitate quæsita, si pœna purgatorii est ejusdem rationis cum pœna hujus vitæ ; si vero alterius sit, non esse condignam ob rationem infra adducendam. Eandem sententiam tueri debent Zumel, Cypullus, et alii, asserentes, hominem justum nequire de condigno, et ad perfectam æqualitatem satisfacere pro offensa peccati venialis, quæ cum finita sit, eadem ratione negare debent, si consequenter loquantur, hominem justificatum posse de condigno pro pœna temporali peccatis debita satisfacere ; nisi offensam venialem infinitam in ratione offensæ velint adstruere, quod jam alibi manet a nobis impugnatum, et a communiori Theologorum schola rejectum. Durand. Martin. Ledesm. Joan. Medin. Zumel, Cyp.

18. Arguitur ergo primo : ut satisfactio sit ad æqualitatem arithmeticam, et de condigno, debet fieri per exhibitionem rei, quæ sit tanta, quantum debitum solvendum, ita ut illud formaliter adæquet ; sed homo adhuc gratia ornatus nequit sibi tantam pœnam assumere, et per modum satisfactionis Deo offerre, quanta est pœna temporalis debita pro peccatis, dimissa culpa, et remissa pœna æterna : ergo nequit satisfacere ad omnimodam æqualitatem, et de condigno pro pœna temporali. Major est certa ; et minor ostenditur : quia pœna temporalis debita pro peccatis est illa, quæ post mortem in purgatorio solvitur ; sed hæc est rationis superioris respectu omnium pœnarum hujus vitæ, per quas homo satisfacit, et longe illas excedit : ergo nequit homo tantam pœnam sibi assumere, et per modum satisfactionis Deo offerre, quanta est temporalis pœna debita pro peccatis. Argum. 1.

Confirmatur, et urgetur : nam qui solvit aliquod debitum per pretium debito minus, non solvit condigne, et ad perfectam æqualitatem : ergo qui satisfacit luendo pœnas, quæ minores sunt illis, pro quibus Confirm.

satisfacere intendit, non satisfacit ad perfectam æqualitatem, et condigne. Tum sic: sed quælibet pœna hujus vitæ, quæ in satisfactionem offertur, est longe minor minima pœna Purgatorii peccatis debita, et pro qua homo intendit satisfacere : ergo nequit pro pœna temporali debita peccatis condigne, et omnino ad æquale satisfacere. Cetera constant, et minor subsumpta ostenditur a D. Thoma 3, part. quæst. 46, art. 6, ad 3, et in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3, ad 2 et dist. 21, art. 1, quæstiunc. 3, q. 1, in corpore, ubi ait : « Quod minima Purgatorii pœna est ma- « jor, quam maxima pœna hujus vitæ. » Quod ibi urgentissima ratione demonstrat.

D. Tho.

Respondetur ad objectionem, concessa majori, negando minorem ; cujus probatio non premit : quia licet pœna purgatorii longe sit major omnibus hujus vitæ, quibus voluntarie toleratis homo solvit, et satisfacit temporalem pœnam peccatis debitam ; inde minime evincitur, non posse tantam assumere, ac Deo offerre, quantam debet : pœna quippe temporalis debita pro peccatis non est determinate, et absolute pœna purgatorii ; sed indeterminate, ac sub disjunctione, vel pœna hujus vitæ, vel pœna purgatorii, imo pœna hujus vitæ debetur quasi absolute, pœna autem purgatorii quasi ex suppositione, quod illam pœnitens in præsenti vita non solvat, ut ait D.Thom. in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 3 in corpore : « Oportet, quod pœnitens « quicumque satisfactionem non implevit « in hac vita, post hanc vitam puniatur, « nisi tanta fuerit contritio, quod totaliter « a pœna purgetur, quod quandoque con- « tingere potest. » Implere autem satisfactionem, est complete satisfacere ; unde, et sentit D. Thomas posse satisfactionem hujus vitæ esse completam, et supponit pœnam hujus vitæ esse debitam absolute, pœnam autem purgatorii solum ex suppositione negligentiæ pœnitentis, qui cum posset hic adæquate satisfacere, omisit. Unde consequenter ad hæc ibi in solutione ad 1, ait : « Luentem purgatorii pœnam « puniri post hanc vitam, quia peccavit, « et quia satisfacere neglexit, quando « potuit. » Quocirca purgatorii cruciatus acriores ac altioris rationis esse, vel non, est ad rem, quia pœna per se primo, et absolute peccatis debita, cujus exæquabilitatem, ac satisfactionem quærimus, non est illa, sed hujus vitæ, quæ proculdubio ad æqualitatem satisfieri queit. Per quod etiam patet ad confirmationem.

Enoda- tur argum.

D. Tho.

19. Sed replicabis : nam vel pœna temporalis pro peccatis debita potest adæquari cum nostra satisfactione, et solutione facta per pœnas hujus vitæ, vel non? Si secundum dixeris : ergo non est condigna hujusmodi satisfactio, siquidem a pœna temporali debita, et solvenda exceditur. Si primum : ergo anima in purgatorio injuste, et ultra condignum punitur, quandoquidem vel minima purgatorii pœna longe major est quacumque etiam maxima vitæ hujus, quam in ratione solutionis cum debito temporalis pœnæ solvendo adæquari dicimus. Hoc autem impium esset asserere de divina justitia, quæ misericordiæ dulcedine solet esse temperata : ergo pœna temporalis peccatis debita non condigne, et ad omnimodam æqualitatem solvitur per hujus vitæ satisfactionem.

Re

Hanc, quam sibi objecerat, replicam diruit D. Thomas in 4 sent. dist. 20, qu. 1, art. 1 quæstiunc. 2 : « Dicendum, quod « justitia assimilatur mensuræ, ut dicit « Philosophus in 5 Ethic. cap. 8. Unde « sicut in diversis terris sunt diversæ « mensuræ rerum venalium, ita, et di- « versæ pœnæ secundum justitiam pro « eisdem culpis inferuntur. Et similiter « pro eadem culpa gravius punitur quis in « purgatorio, quam in hac vita, ratione « alterius fori ; tamen illa aggravatio pro- « portionaliter respondet pœnæ, cujus « homo in hac vita reus erat ; et hoc debet « homo sibi imputare, quia illuc reserva- « vit sibi pœnam pro culpa accipiendam. » Unde licet pœna purgatorii excedat materialiter pœnas satisfactorias hujus vitæ ; tamen in ratione justæ solutionis, pœnæ temporalis debitum non excedit : quia divina justitia habens rationem mensuræ exigit pro condigna satisfactione in purgatorio majorem in esse entis, et acerbiorem pœnam, quam ante mortem, licet utraque æqualis sit in ratione satisfactionis. Quodque patet exemplo. In Hispania vini amphora argenteo uno solvitur, in Indiis viginti argenteis nundinatur : certum est, viginti argenteos unum in quantitate excedere, in ratione tamen justi pretii non excedit, quia utrobique juste solvitur.

Dilu D.

Similia

Similia exempla reperies in scriptura : nam Samaria 4, Reg. 6, v. 25 : *Tandiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cabi stercoris columbarum quinque argenteis.* Idque in illo eventu condignum pretium erat, ac justa solutio ; finita tamen obsidione, vel unum argenteum pretium erat superabundans, quandoquidem cap. 7, v. 18 : *Duo modii hordei statere uno... et modus similæ statere uno* condigne nundinari factum est. Omnium autem ratio ea est, quia in pretiis rerum venalium, idemque est in mensuris, quod se habet de formali, est conformitas ad legem taxantem, vel ad id, quod fert usus temporis, et regionis, aliis, in quibus est excessus, de materiali se habentibus ; unde in ratione pretii ut justi potest dari æqualitas inter pretia, alias materialiter, et in esse entis plurimum se excedentia. Ita proportionabiliter contingere dicimus in condigna solutione pœnæ temporalis debitæ pro peccatis : quippe condigna solutio per satisfactionem in hac vita licet excedatur materialiter a condigna solutione per satispassionem pœnarum purgatorii in alia, tamen utraque solutio est æqualis formaliter in ratione mensuræ, et justæ solutionis, attentis circumstantiis status, et conditionis subjecti in hoc sæculo, et in alio : nam, ut ait D. Thomas, nolens in hac vita satisfacere, sibi debet imputare, quia illuc reservavit sibi pœnam pro culpa accipiendam, ubi minima est major, quam maxima hujus vitæ.

20. Arguitur secundo : nam pœnitens debet exhibere satisfactionem pœna temporali ipsi Deo ; sed Deo non possumus reddere æquale : ergo pro pœna temporali nequit pœnitens æqualem omnino satisfactionem exhibere. Major ex se constat. Minorem autem docet Philosophus lib. 3 Ethic. cap. ult. et D. Thomas in præsenti quæst. 13, art. 1 in corpore, ubi ait : « In « his honoribus, qui sunt ad Parentes, et « Deum, impossibile est æquivalens red- « dere secundum quantitatem. » Ergo impossibile est, pœnitentem Deo satisfactionem reddere æqualem secundum quantitatem pro pœna temporali, cujus remanet reus post culpam dimissam. Unde D. Thomas ibidem non admisit, satisfactionem nostram Deo oblatam esse æqualem secundum quantitatem, et arithmetice, sed tantum secundum proportionalitatem.

Ad argumentum respondetur negando minorem ; ad cujus probationem dicendum est, philosophum, ac D. Thomam loqui de compensatione naturali pro beneficiis a Deo acceptis, et a parentibus, ac Magistris, quibus naturaliter reddere æquivalens minime possumus ; non vero de compensatione viribus gratiæ facta pro pœna temporali ex culpa gravi, vel levi relicta : licet enim naturæ viribus Deo condigne satisfacere non possimus pro hujusmodi temporali pœna, sicut nec pro offensa etiam levi ; nihilominus operibus a gratia dimanantibus condigne, et arithmeticam æqualitatem Deo pro pœna temporali satisfacere valemus, imo, et pro offensa non tantum levi, verum, et gravi in ratione offensæ considerata, si secundum hanc considerationem, ut non pauci dicunt, non est infinita, ut ex professo tract. 21 stabilivimus : quia debitum extinguendum in his casibus non excedit condignitatem actuum, quibus solvitur. Ratio vero, cur D. Thomas loco in objectione relato satisfactioni nostræ Dei oblatæ negat æqualitatem omnimodam, et solum geometricam, ac proportionalem admittit, est quia ibi agit de satisfactione lethalis offensæ Dei in ratione offensæ consideratæ, quo pacto in genere moris intrinsece infinita est, atque adeo respectu illius solum habet satisfactio proportionalitatem quandam, ac congruentiam ; non vero condignitatem, et æqualitatem perfectam, sicut est ea, quam sortitur per ordinem ad levem Dei offensam, et ad pœnam temporalem, cujus reatus dimissa culpa persistit. Dissolvitur.

21. Dices supposito debito rigoroso, solutio illius, creditori facta per æqualem omnino satisfactionem, est actus proprius justitiæ commutativæ, et non virtutis pœnitentiæ : nam virtus pœnitentiæ deficit in solutione debiti a perfecta æqualitate. Dicere, satisfactionem pro temporali pœna non esse actum saltem secundarium virtutis pœnitentiæ, sed justitiæ commutativæ, est contra suppositionem in limine dubii factam : ergo vel inconsequenter procedimus, vel dicere deobligamur, satisfactionem pro pœna temporali non esse condignam, et arithmetice æqualem. Deinde nullius virtutis actus potest attingere id, Replica.

quod non cadit sub ratione *sub qua* propria et essentiali ipsius virtutis : cum ratio *sub qua* in habitibus, et virtutibus se habeat tanquam ratio differentialis ultimo contrahens, ac determinans essentiam ; atque ideo sicut repugnat limites essentiæ transilire, ita, et quod actus a virtute eliciatur, nisi sub ea ratione sub qua propriam speciem sortitur. At ratio sub qua propria, et essentialis pœnitentiæ est inæqualitas in solutione debiti, ideoque deficit a ratione perfectæ justitiæ, et non inter illius partes subjectivas, sed potentiales annumeratur : ergo si satisfactio pro pœna temporali est actus virtutis pœnitentiæ, non potest solvere debitum ad perfectam æqualitatem.

Duplici via dilucidat. Similem replicam diluimus tract. 21, disp. 1, dub. 9, agentes de satisfactione pro offensa levi Dei ; ubi diximus, justitiam commutativam ultra æqualitatem solutionis debiti exigere debitum rigorosum, et simpliciter tale : unde quia offensa levis debitum simpliciter non fundat, sed solum secundum quid, cum tantum secundum quid sit offensa ; ideo illius satisfactio, licet sit omnino æqualis, actus justitiæ commutativæ non est, sed virtutis pœnitentiæ, quæ primario in ratione satisfaciendi respicit offensam Dei gravem, quam inæqualiter solvit, et consequenter per alios actus secundarios se extendit ad æqua-

Primo. lem solutionem pro offensa levi. Et juxta hæc hic responderi posset, quod licet satisfactio pro temporali pœna sit omnino æqualis, et condigna, non tamen actus justitiæ commutativæ ex defectu debiti simpliciter talis : quia debitum temporalem pœnam luendi fundatur in reatu solum secundum quid, in conversione nimirum præscindente ab aversione a Deo, et prout tantum dicit conceptum conversionis ad bonum commutabile, qui conversionis conceptus communis est etiam peccato veniali, quod solum fundat debitum secundum quid, et non simpliciter. Unde ex hoc capite solutio temporalis pœnæ, licet perfecte sit æqualis, deficit a ratione justitiæ commutativæ, et est actus secundarius virtutis pœnitentiæ. Addimus, quod adhuc permittentes, debitum pœnæ temporalis esse rigorosum, pœna, quæ ad satisfactionem assumitur, per se ordinatur ad emendationem vitæ, et majorem retractationem culpæ ; quod est motivum pœnitentiæ, non vero ad resarciendam offensam Deo illatam, quam ad æqualitatem intendit per se resarcire justitia commutativa. Unde pœna voluntarie assumpta in satisfactionem non pertinet per se ad justitiam commutativam, sed potius ad pœnitentiam.

Cæterum secundo respondetur ex disp. 5, dub. 4, num. 135 hujus tract. condignitatem satisfactionis pro pœna temporali solum impedire, satisfactionem esse actum primarium virtutis pœnitentiæ, non vero secundarium. Ratio est : quia virtus solum ab actu primario speciem sortitur, ipsumque attingit per se, non vero ab actu secundario, quem per ordinem ad primarium respicit. Unde virtus pœnitentiæ, quæ imperfecta justitia est, solum habere desiderat inæqualem debiti solutionem in primario actu, a quo speciem sortitur ; non autem inconvenit in actu secundario non specificante condignitatem solutionis debiti reperiri, ut in virtute Religionis videre est. Hæc enim inter partes potentiales justitiæ computatur, et quamvis in actu secundario, qualis est decimarum solutio, servet æqualitatem, teste D. Thoma 2, 2, quæst. 87, non ideo imperfectæ justitiæ rationem amittit, cum alias in actu primario, qui est colere Deum, a prædicta æqualitate deficiat, et solum inæqualiter debitum Deum colendi solvat. Unde quemadmodum Religio quoad speciem imperfectæ justitiæ invariata queit in actu secundario æqualem decimarum solutionem attingere, potest etiam pœnitentiæ virtus justitiæ imperfectæ speciem conservans, et inæqualitatem habere in satisfactione pro offensa gravi Dei, quæ est actus primarius, et in solutione pœnæ temporalis, quæ est actus secundarius, condignitatem sortiri.

Ad augmentum vero difficultatis dicendum est, quod licet quilibet actus habitus, aut virtutis debeat respicere objectum formale ejusdem virtutis, aut habitus ; hoc tamen non ita intelligi debet, ut omnis virtutis actus, etiam secundarius, habeat pro objecto formali immediato objectum formale immediatum virtutis ; sed si actus secundarius est, sufficit illud attingere tanquam causam, et radicem initiative moventem ad attingentiam objecti sub objecto primario contenti. Indeque notavimus

mus tract. 8, de ultimo fine, disp. 1, dub. 4, distinguendam esse duplicem rationem *sub qua* virtutis, et potentiæ; aliam primariam, proximam, et immediatam respectu actus, et objecti primarii; et hæc radicat, et fundat aliam secundariam, sub qua immediate oritur a potentia, seu virtute actus secundarius, et ab hac prædictus actus speciem accipit, non vero a ratione sub qua primaria, quæ est radix illius. Quocirca ratio sub qua proxima, et immediata respectu electionis non est bonitas finis, quæ est ratio sub qua proxima respectu actus intentionis ipsius finis, qui est actus primarius voluntatis, sed utilitas, et conducentia intrinseca mediorum ad finem. Ex quo facile constat, quomodo pœnitentia per ordinem ad terminum primarium habeat pro ratione *sub qua* proxima inæqualitatem solutionis, et per ordinem ad terminum secundarium, qualis est offensa Dei, et pœna temporalis, respiciat solutionem condignam, quin per hoc extrahatur a sua specie, et ratione sub qua primaria, quæ est inæqualitas in solvendo debito primario. Ad hoc enim sufficit, rationem sub qua proximam, et immediatam solutionis condignæ pœnæ temporalis, quæ est actus secundarius pœnitentiæ, attingi ab hac virtute per ordinem ad rationem formalem sub qua actus primarii, tanquam ad causam, ac radicem illius; quod, et non amplius desideratur. Unde sicut Charitas non amittit esse virtutem Theologicam per hoc, quod ejus actus secundarius proximi dilectio immediate terminetur ad proximum, ab eoque ut talis mutuetur speciem, ut loco relato num. 97 stabilivimus; ita non inconvenit, pœnitentiam ex primaria tendentia esse justitiam imperfectam, et habere pro ratione sub qua proxima qualitatem, licet respectu pœnæ temporalis æqualitatem servet, et ejus actus secundarius habeat pro ratione sub qua immediata æqualitatem, a qua prout talis speciem sortiatur.

22. Arguitur tertio: nam opus illud, quod totum aliis titulis alicui debetur, nequit pro quolibet illorum satisfacere condigne, et ad omnimodam æqualitatem; sed omne opus satisfactorium pœnæ temporalis est Deo debitum aliis titulis gratitudinis, Religionis, etc. ergo nequit satisfacere pro tali pœna de condigno, et ad perfectam æqualitatem.

Confirmatur primo: quia si opus sufficiens ad condignam satisfactionem pœnæ ut quatuor applicaretur ad satisfaciendum pro reatu ut octo, non esset respectu illius omnino æquale; visque illius satisfactoria tota exhauriretur per reatum pœnæ ut quatuor, ratione cujus erat debitum: ergo opus omnino debitum ex vi reatus peccati, et simul aliis titulis nequit esse condignum, et æquale ad solvendum reatum pœnæ temporalis. Confirm. 1.

Confirmatur secundo: etenim posita a debitore æquali, et condigna solutione debiti, non potest creditor illam non admittere, et aliam exposcere; sed oblata pœnæ temporalis satisfactione, posset Deus juste, et sine alicujus injuria illam respuere, et aliam exigere; ergo signum est, satisfactionem non esse condigne extinctivam debiti pœnæ temporalis. Confirm. 2.

Respondetur, argumentum solum evincere, satisfactionem pœnæ temporalis non esse ex toto rigore justitiæ, cum fiat operibus aliis titulis Deo debitis; non vero quod supposita gratia, a qua actus nostri dignificantur, æqualis, et condigna esse non possit; sicut opera meritoria, licet aliis titulis sint Deo debita, supposita tamen gratuita collatione gratiæ, merentur de condigno, et ex justitia coronam gloriæ, juxta illud Apostoli: *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddat mihi Dominus in illa die justus judex.* Et ratio est: quia esto omne opus meritorium absolute sit Deo debitum titulo gratitudinis, Religionis, et supremi dominii, sumus quippe illius servi; nihilominus data suppositione Deum nobis gratiam libenter contulisse, etiam nobis confert omnia opera ab hujusmodi gratia procedentia, ac si essent omnino propria, et ipsi nullo titulo debita, ac subinde ut eisdem tanquam bonis propriis, et mereri, et satisfacere possimus ex justitia, si æqualitatem arithmeticam cum præmio, vel cum peccali debito solvendo habuerint. Unde data hypothesi gratuitæ collationis, Deus in illorum actuum acceptatione præscindit ab eo, quod sint, vel non aliis titulis debiti, eosque tantummodo accipit pro illo debito, aut præmio, pro quo a debitore applicantur; cum autem per gratiam ita dignificentur, ut habeant æqualitatem arithmeticam vel cum præmio gloriæ in ratione Satisfi argumento et primæ confirmat.

meriti, vel cum debito reatus pœnæ temporalis in ratione satisfactionis, si solum pro eo extinguendo applicentur, inde est, satisfactionem pœnæ temporalis esse condignam, et ex justitia, licet non rigorosa, cum totum hoc absolute fundetur in creditoris gratia. Sicut aliquis servus proprio labore, ac industria centum aureos lucraretur, eos deberet absolute reddere Domino titulo servitutis, nec illis posset absolute inire cum Domino contractum ipsum ex justitia obligantem, emendo ab illo equum, v. g. aut pretiosam vestem ; ex suppositione tamen quod Dominus servo gratiose illos centum aureos, titulo dominii sibi debitos, donaret, ut eis uteretur tanquam propriis, et alio titulo non debitis, posset servus contractum ex justitia inire cum Domino, non tamen ex justitia rigorosa, cum absolute centum illi aurei sint Domino debiti ratione servitutis. Sic ergo, proportione servata, in præsenti contingit. Per quod etiam prima confirmatio evanescit.

Enodatur 2. Ad secundam dicendum est, quod licet posita a nobis æquali satisfactione pro pœna temporali, adhuc possit Deus absolute illam non acceptare, et aliam satisfactionem exposcere, utendo titulo supremi dominii, quod habet super omnes res, ut de illis prout libuerit disponat; quo pacto potest similiter justum, etiam post plura merita de condigno, æterna beatitudine privare, quin ex hoc colligatur, quod illa merita non fuerint præmio omnino æqualia ; ceterum si Deus consideretur ut justus judex, ligatusque legibus, quas sibimet imposuit, nequit condignam hominis satisfactionem pro pœna temporali illi oblatam insufficientem judicare, et aliam reposcere. Quamvis igitur necessarium sit pactum, quo Deus cedat titulo, et juri supremi dominii, inde tamen non sequitur, quod satisfactio ex se omnino æqualis, ac sufficiens non sit : etenim illud pactum non est gratia supplens ab extrinseco in satisfactione valoris defectum, sed mera conditio, ne illa opera repellantur ab officio satisfaciendi, quod ex se habent ; quod eorum æqualitati minime obest, ut exemplo operum justi, quibus gloriam ex justitia, et de condigno meretur, declarari valet.

DUBIUM II.

Utrum possit aliquis satisfacere de condigno pro pœna temporali peccati alterius?

23. Inquit D. Thomas in præsenti quæst. 13, art. 2, quod satisfactio, vel « pœna « satisfactoria ad duo ordinatur : ad solu- « tionem debiti, et ad medicinam pro pec- « cato vitando. » Id est, ad extinguendum debitum pœnæ temporalis, ex peccato commisso contractum, et ad præcavendam futuram culpam, ejus causas exscindendo. Et quidem si in secundo sensu accipiatur, supponimus unum pro altero satisfacere non valere. Ita sentiunt Nugnus in præsenti, conclus. 1, Gonet disp. 13, art. 5, num. 60, Seraphinus, et alii. Idque hac ratione convincit D. Thomas citato art. « Quia ex jejunio unius caro alterius non « domatur, neque ex actibus unius, alius « bene agere consuevit. » Etenim esto opus satisfactorium unius alteri mereri valeat augmentum gratiæ, qua passiones morigerare, vitiosos habitus reprimere, ac futura peccata præcavere possit ; « hoc » (ait D. Thomas ibi) « est per modum meriti « magis quam per modum satisfactionis. » Unde sola est difficultas de satisfactione in prima consideratione accepta, prout intendit solutionem reatus pœnæ temporalis peccati præteriti tam lethalis, quam venialis. Licet tract. 21, disp. 1, dub. 6, § 4, statuerimus, neminem, saltem secundum præsentem providentiam, satisfacere posse pro peccato veniali alterius quantum ad debitum primarium ob rationem ibi num. 135 assignatam; adhuc tamen inquirendum restat, utrum satisfacere possit pro pœna temporali levis culpæ alterius, quæ est debitum secundarium : quoad hoc enim pari gradiuntur cursu reatus temporalis pœnæ lethalis, ac levis culpæ.

§ I.

Communis sententia statuitur.

24. Dicendum est, justum condigne satisfacere posse pro pœna temporali peccati alterius. Hæc conclusio potest intelligi vel de satisfactione in actu primo, et quoad sufficientiam condigna, vel in actu secundo, et quoad efficaciam. Primo modo intellecta, suppositis

suppositis his, quæ dubio præcedenti statuimus, parum aut nihil difficultatis occurrere potest : ideo enim justus condigne satisfacere valet pro pœna temporali proprio peccato debita, quia tam intensive, quam extensive est finita, et limitata, atque adeo a satisfactione a gratia procedente exæquabilis ; sed hæc ratio limitationis, ac finitudinis etiam in pœna temporali peccati alterius reperitur : ergo in actu primo, et quoad sufficientiam poterit exæquari per satisfactionem ab alio elicitam, ad hujusmodi debitum solvendum applicatum : debitum quippe pœnæ alterius potest non excedere debitum pœnæ peccati proprii. Quod liquido apparet in solutionibus, ac satisfactionibus pecuniariis : quia quantum ad sufficientiam, et condignitatem in actu primo ad exhauriendum debitum centum aureorum, illorum exhibitio eandem vim habet sive fiat a proprio debitore, sive ab alio; cum in utroque casu solvatur tantum pro tanto, et ad æqualitatem arithmeticam, a qua sufficientia, ac condignitas solutionis in actu primo venari debet. Quocirca assertio non solum procedit de satisfactione condigna quoad sufficientiam, sed etiam, et præsertim quoad efficaciam, et in actu secundo extinguente debitum pœnæ temporalis peccati alterius ; ad quod indispensabiliter requiri aliquod pactum vel virtuale, vel formale inter creditorem, et debiti solutorem statuimus tract. 21, disp. 1, dub. 8, et ex professo pro qualitate hujus materiæ præstabimus dubio ultimo præsentis disput.

Quod autem hujusmodi pactum in præsenti casu adsit, patet ; tum ex communi apprehensione fidelium, et generali consensu Doctorum. Tum, quia eisdem rationibus, quibus probatur unum pro alio satisfacere efficaciter posse, convincitur hujusmodi pactum adesse : si enim ad unius pro alio satisfactionem pactum aliquod indispensabile est, id ipsum, quod probat unum pro alio satisfacere valere condigne, et quoad efficaciam, etiam evincit, saltem implicite, alicujus pacti existentiam. Quemadmodum qui probat aliquem actum esse peccaminosum, probat etiam dari aliquam legem : quippe lege deficiente, peccatum impossibile est. Si dixeris : nequit existentia peccati probari, si prius existentia legis non evincitur : per legem enim probatur peccatum : ergo nequit condigna satisfactio unius pro alio probari, existentia pacti prius non probata. Facile respondetur, quod nec peccatum potest probari a priori non probata lege, nec condigna unius pro alio satisfactio, pacto non stabilito ; possunt tamen probari a posteriori, vel ab effectu, vel ab authoritate, pacto ac lege non stabilitis. Maxime, quia pacti existentia etiam constabit ex dicendis num. 26.

Conclusionem igitur in hoc sensu intellectam docet expresse D. Thomas in præsenti dicens : « In quantum ad solutionem « debiti unus potest pro alio satisfacere, « dummodo sit in charitate, et opera ejus « satisfactoria esse possint. » Doctorem Angelicum sequuntur Ferrara 3, contra Gent. Cajetanus in summa, verbo *Satisfactio*, Sotus in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 4, Gonet tom. 5, disp. 13, art. 5, numer. 61, Nugnus in addit. ad 3, part. quæst. 13, art. 2, N. Bonæ Spei tom. 6, tract. 5, disp. ultima, Navarrus tract. de indulgentiis, cap. 13, et 22, Contempson tom. 9, dissert. unica, cap. 1, Covarruvias in cap. *Alma mater*, punct. 1, § 4, num. 7, Suarez, disp. 48, sect. 1, num. 2, Lugo de pœnit. disp. 26, sect. 1, num. 1, et alii plures.

D. Tho. Ferrara, Cajetan. Sotus, Gonet. Nugnus, Bonæ Spei, Navarr. Contem. Covarr. Suarez, Lugo.

25. Probatur primo ex symbolo Apostorum, ubi dicitur : *Credo Sanctorum communionem* : quod sic explicat D. Thomas Opusc. 6 : « Sicut in corpore naturali opera ratio unius membri cedit in bonum totius « corporis, ita in corpore spirituali, scilicet, Ecclesia. Et quia omnes fideles sunt « unum corpus, bonum unius alteri com« municatur. Apost. ad Roman. 12, singuli « autem alter alterius membra. Unde, et inter alia credenda quæ tradiderunt Apostoli, est quod communio bonorum sit in « Ecclesia, et hoc est quod dicitur Sancto« rum communionem. » Et paulo infra explicans qualiter Christi bonum communicatur omnibus Christianis, sicut virtus capitis omnibus membris, hancque communicationem per Ecclesiæ sacramenta fieri, ad pœnitentiæ sacramentum perveniens subdit : « In pœnitentia tria esse debent ; « contritio vel dolor de peccatis cum pro« posito ab ipsis abstinendi, integra con« fessio, ac boni operis satisfactio : » et tandem ex fidei articulo concludit : « Non « solum virtus Passionis Christi commu-

D. Tho. Probatur I ex symb. Apostolor.

« nicatur nobis, sed quidquid boni fecerunt « omnes Sancti communicatur in charitate « existentibus. Sed tamen specialius illi » (id participant) « pro quibus specialius fit « aliquod bonum : nam unus potest satisfa- « cere pro alio. » Ex quibus manifeste apparet, tam verba symboli, quam explicationem Præceptoris Angelici procedere de satisfactione unius pro alio quoad efficaciam, prout sortitur effectum, sicut virtus capitis efficaciter communicatur alteri ejusdem corporis membro vivo, qua metaphora utitur D. Thomas. Cum ergo ex uno capite habeamus, pœnam temporalem peccati alterius non excedere valorem satisfactorii operis, ut constat ex num. præced. et ex alio hujusmodi satisfactionem esse efficacem, et in actu exercito, ut patet ex symbolo fidei, et explicatione Angelici Præceptoris, recte convincitur justum de condigno, et ad arithmeticam quantitatem posse quoad efficaciam satisfacere pro pœna temporali peccati alterius.

Probatur 2. ex illo Pauli ad Galat. cap. 6.

26. Probatur secundo ex illo Pauli ad Galat. cap. 6 : *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi.* Quorum verborum sensum sic ibi eviscerat D. Thomas : « Admonet autem ad mu- « tuam supportationem dicens : Alter alte- « rius onera portate. Et hoc tripliciter : « uno modo, etc. Tertio modo pro pœna « sibi debita satisfaciendo orationibus, et « bonis operibus... Ratio autem admonitio- « nis est adimpletio legis Christi, quæ simi- « liter est charitas... Dicitur autem chari- « tas specialiter lex Christi... quia ipsam « implevit Christus, et exemplum eam « implendi nobis reliquit, nam ipse ex « charitate peccata nostra tulit. Isaiæ 53 : « Vere languores nostros ipse tulit. 1 Pe- « tri 2 : Qui peccata nostra pertulit in cor- « pore suo super lignum... Sic ergo debe- « mus alter alterius onera portare ex « charitate, ut sic impleamus legem Christi. » Unde plura colligere potest. Primo existentiam pacti acceptandi satisfactionem unius pro alio : si enim lex Christi præcipit unum pro alio satisfactionem offerre, necessum est, ut Christus sibi ipsi legem imponat illam satisfactionem acceptandi, alias præciperet opus non consequuturum effectum, vel saltem de quo quisque maneret anceps, an acceptaretur, effectumque nancisceretur, vel non ; quia dubitatio proculdubio quemque detinere posset, ne satisfactionem pro alio offerret, quod de Christi pietate credere nefas est. Secundo, unum fidelem alterius pœnam temporalem ex peccato relictam portare posse, illam expiando oratione, et aliis bonis operibus, quibus ut in plurimum satisfactio fit. Tertio, hanc satisfactionem ex charitate elicitam, semel applicatam, efficaciter effectum consequi, ad instar satisfactionis Christi, quæ eo ipso quod alicui applicetur vel in Baptismo, vel in alio Sacramento, efficaciter solvit reatum pœnæ æternæ, cui ille, pro quo fit satisfactio, erat obnoxius. Igitur cum aliunde pœna temporalis peccati alterius major non sit, ut dictum est, valore satisfactorii operis, habes omnia capita unde unus fidelis pro pœna temporali alterius condigne, et quoad efficaciam satisfacere possit. Quapropter, ut idem suadeat, eodem Apostoli textu utitur D. Thomas 3 contra Gent. cap. 158 : « Ex quo, « *inquit*, accipitur, quod unus pro alio « satisfacere potest, dummodo uterque « in charitate fuerit. Hinc est, quod Apos- « tolus dicit ad Galatas 6 : Alter alterius « onera portate, et sic adimplebitis legem « Christi. »

Ex

27. Respondebis ex Luthero et Wicleph, prædicta Apostoli verba solum esse intelligenda de communicatione temporalium bonorum, non vero spiritualium, quæ sunt dona Dei ; hæc quippe quantumvis plurima, omnia unicuique necessaria sunt, ac illis quilibet ita eget ad solvendum debitum proprium, ut nihil omnino supersit ad extinguendum alienum. Bona vero temporalia, dum superabundant, alteri communicari possunt absque communicantis jactura.

Pra di

Verum hæc Hæreticorum responsio vel ipsis Apostoli verbis demollitur : inquit enim : « Fratres etsi præoccupatus fuerit « homo in aliquo delicto, vos, qui spiritua- « les estis, hujusmodi instruite in spiritu « lenitatis considerans teipsum, ne et tu « tenteris. Alter alterius onera portate, et « sic adimplebitis legem Christi. » Si solum de communicatione bonorum temporalium intelligendus est Paulus, non vero de communicatione spiritualium per satisfactionem pœnæ peccati alterius, ad quid præmisit : « Si præoccupatus fuerit homo « in aliquo delicto, vos qui spirituales

Gal

estis

« estis, etc. » Hæc verba toto cœlo distant a bonis temporalibus; spiritualibus autem, maxime de quibus loquimur, propinquiora esse nequeunt. Deinde, si temporalia bona communicari possunt, cur non spiritualia? Nunquid quia in Symbolo Apostolorum dicitur : *Credo Sanctorum communionem?* Ulterius, si bona temporalia communicari possunt, cum superabundant : ergo et spiritualia : nam etiam possibile est, et quam sæpe in Ecclesia evenit, aliquem in virtute adeo excellere, ut pœna suorummet peccatorum adæquate soluta, adhuc plurima sibi supersint opera bona. Hic ergo saltem pro aliis satisfacere poterit. Præterea, quemque propria bona opera, quibus ipse non eget, alteri communicare, proculdubio non est magna charitas; maxima autem ea est, ut bonis, quibus sibi opus habet, se exuat ad alterius inopiam induendum. Tandem, esto quis non sit bonorum operum ita locuples, absque propria jactura alteri satisfactionem applicare valet : quippe qui ea actione æternæ vitæ meretur augumentum; quod quid majus bonum est, quam temporalis pœnæ reatus, quem illa satisfactione pro se applicata solvere posset.

28. Probatur tertio (per quod etiam amplius impugnatur præcedens evasio) ex 2 Machabæorum, cap. 12, vers. 46, ubi dicitur : *Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.* Insuper ex Concilio Florentino in literis Sanctæ unionis dicente : « Pro « defunctis, ut a pœnis releventur, prosunt « vivorum suffragia, Missarum, scilicet, « sacrificia, orationes, et eleemosynæ, et « alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro « aliis fidelibus fieri consueverunt. » Similiter ex Concilio Trid. sess. 25, in decret. de Purgat. hæc veritas firmatur : « Cum « Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, « ex sacris litteris, et antiqua Patrum tra- « ditione, in Sacris Conciliis, et novissime « in hac œcumenica Synodo docuerit Pur- « gatorium esse, animasque ibi detentas « fidelium suffragiis, potissime vero accep- « tabili alterius sacrificio juvari; præcepit « sancta Synodus, etc. » Ac deinceps paulo: « Curent autem Episcopi, ut fidelium vivo- « rum suffragia, Missarum, scilicet sacri- « ficia, orationes, eleemosynæ, aliaque « pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis « fidelibus defunctis fieri consueverunt « secundum Ecclesiæ instituta, pie, devo- « teque fiant. » In quibus tam scriptura, quam Concilia clarissime loquuntur de operibus satisfactoriis effectum sortientibus solvendi pœnarum purgatorii debitum, a fidelibus in hac vita contractum. Cum autem major ratio non appareat, ut nostra suffragia potius Purgatorii animabus efficaciter prosint ad earum temporalis pœnæ solutionem, quam fidelibus ejusdem pœnæ reis in hac vita degentibus, dummodo eodem charitatis fine adstringantur, ejusdemque mystici corporis sint membra; plane dignoscitur, Concilia, ac scripturam nostram docuisse sententiam. Cum etiam robur præstat Catechismus Romanus jussu Pii V ordinatus, cap. 61, ubi habet : « In « eo summa Dei bonitas, et clementia « maximis laudibus, et gratiarum actioni- « bus prædicanda est ut unus pro alio pos- « sit satisfacere. » Et infra : « Nec vero « cuique dubitandi locus relictus est, qui « in Apostolorum symbolo profitetur sanc- « torum communionem. Catech. Roman.

29. Deinde probatur ratione ex D. Thoma desumpta, quæ ad hanc formam queit reduci. Ideo quisque potest pro pœna temporali peccati proprii condigne, et quoad efficaciam satisfacere, quia potest Deo offerre acceptandum ex vi pacti opus tanti valoris, quanti est pœna solvenda; sed qui pro amico satisfacit, valet similiter Deo offerre acceptandum opus, quod exæquet quantitatem pœnæ, solvendæ peccati alterius : ergo pro illius pœna temporali condigne, et quoad efficaciam satisfacere valet. Consequentia est legitima. Major ex dubio præcedenti constat. Minor vero, in qua poterat esse difficultas, quoad utramque partem probatur. Quoad primam : etenim ideo opus satisfactorium pœnæ proprii peccati a Deo acceptatur, quia est proprium illius, pro quo satisfactio fit; sed « quan- « tum ad pœnæ remissionem actus unius « efficitur alterius, charitate mediante, per « quam omnes unum sumus in Christo, » inquit D. Thomas hic in solut. ad 1. Ergo qui pro alterius pœna temporalis satisfacit : offert Deo opus acceptandum : quippe quod ab uno eliciatur, ex affectione charitatis sit proprium illius, pro quo offertur. Quoad secundam vero suadetur : opus, quod unusquisque offert in satisfactionem pœnæ peccati proprii, potest exæquare Probat. ratione. D. Tho.

quantitatem ejusdem pœnæ ; sed opus, quod in satisfactionem pœnæ peccati alterius offertur, cum ex charitate ardentiori fiat, est altioris valoris, et sortitur efficaciorem vim ad delendam eam pœnam, quam opus satisfactorium pœnæ peccati proprii : ergo qui pro alio satisfacit, valet in satisfactionem offerre opus exæquans quantitatem pœnæ peccati alterius. Minorem
D. Tho. docet D. Thomas in corpore hujus articuli : « Nec oportet, quod major pœna imponatur « ei, qui pro altero satisfacit, quam prin- « cipali imponeretur, ut quidam dicunt, « hac ratione moti, quia pœna propria « magis satisfacit, quam aliena : qua pœna « habet vim maxime satisfaciendi ratione « charitatis, qua homo ipsum sustinet, et « quia major charitas apparet in hoc, quod « aliquis pro altero satisfaciat, quam si ipse « satisfaceret, ideo minor pœna requiri- « tur. »

Confirm. Confirmatur ex eodem Angelico Præceptore hic in argum. *sed contra* : « Charitas « magis potest apud Deum, quam apud « homines ; sed unus potest apud homines « pro alterius amore debitum ejus solvere:
D. Tho. « ergo multo fortius hoc in divino judicio « fieri potest. » Minorem supponit D.Thomas ex his, quæ in humano judicio non semel evenire assuescunt, ubi si aliquis amici debitum solvit, hic immunis ab ejus solutione manet : quippe cum amicus sit alter ego, idem est per amicum ac per seipsum solvere. Unde si æqualem debito solutionem offert, condigne, et quoad efficaciam pro amico satisfacit. Cum ergo charitas apud Deum efficacior sit, ac fidelium corda fortiori vinculo, quam humana amicitia adstringat, juxta illud : « Multitudinis au- « tem credentium erat cor unum, et anima
Act. 4. v. 32. « una. » Act, 4, v. 32, manifeste convincitur, unum pro pœna temporali peccati alterius condigne, et quoad efficaciam satisfacere posse ; cum alias, ut dictum est, adsint omnia alia capita ad hujusmodi satisfactionem petita.

§ II.

Motiva opposita convelluntur.

30. Oppositam sententiam, præter Lutherum, et Wicleph, tuentur aliqui Catholici, quos suppresso nomine referunt, et impugnant Suarez in præsenti disp. 48, sect. 2, n. 4, et Lugo disp. 26, sect. 1, num. 1. Sentiunt enim illi Authores, unum fidelem alteri suffragari non posse per satisfactionem, ac solutionem pœnæ peccati illius, sed tantum a Deo impetrando ejusdem pœnæ remissionem, sive eam Deus immediate ob orationes alterius gratis condonet, sive earundem orationum intuitu auxilia illi elargiatur, quibus ad pœnæ remissionem obtinendam bene operetur. Igitur pro hac sententia.

31. Arguitur primo : quia obligatio satisfaciendi, et subeundi pœnam debitam pro peccato, est ejus, qui peccatum commisit, proprium onus ; sed ad ordinem divinæ justitiæ pertinet, quod unusquisque onus suum portet : ergo nequit unus pro alterius peccati pœna satisfacere. Major liquet ; etenim solum peccatum committens denominatur, et est reus, ita ut nulli alteri non peccati denominatio illa conveniat ; sed reatus, a quo reus dicitur, est debitum, et onus sustinendi pœnam : ergo obligatio satisfaciendi, et pœnam luendi est onus proprium ejus, qui peccatum commisit. Minor vero est expressa D. Pauli ad Galatas 6 : *Unusquisque onus suum portabit.* Cui consonat illud Apocalypsis : *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, et luctum.* Date, ait, illi, id est, non alteri, qui glorificavit se, et in deliciis fuit : ergo juxta præscriptum divinæ justitiæ ille, qui deliquit, et non alius pro eo, debet tormentum, et pœnam subire, secundum illud Ezechielis 18: *Anima, quæ peccaverit, ipsa punietur*, id est, non alia pro ipsa.

Respondetur, quod licet obligatio satisfaciendi, et subeundi pœnam pro suo peccato, sit primario, et absolute proprium onus ejus, qui peccatum commisit ; tamen ex suppositione quod alter ex charitate velit pro illius debito satisfacere, non est ita proprium, ut solum ab ipso debeat tale onus portari, sed potest portari ab alio, qui ratione unionis per charitatem sit moraliter alter ipse, et idem cum illo ; et juxta hunc sensum debent præmissæ distingui, et consequentia negari. Quæ solutio est D. Thomæ in 4 sent. dist. 45, quæst. 7, art. 1, quæstiunc. secundo loco ; ubi cum simile argumentum sibi objecisset, respondet : « Ad secundum dicendum, quod opus, quod

« quod pro alio fit, efficitur ejus, pro quo « fit ; et similiter opus, quod est ejus, qui « mecum est unum, est quodammodo, et « meum. Unde non est contra divinam « justitiam ; sed unus fructum percipit de « operibus factis ab eo, qui est unum se- « cum in charitate, vel ab operibus a se « factis. » Ac tandem concludit : « Hoc « etiam secundum humanam justitiam « contingit, ut satisfactio illius pro alio « accipiatur : » alludens ad id, quod dixit in præsenti quæst. 13, art. 2, in argumento *sed contra*, scilicet, quod « charitas magis « potest apud Deum, quam apud homines.» Si ergo amor apud homines ita facit ex duobus unum, ut unius solutio alterum eximat ab onere solvendi, multo fortius hoc in judicio accidere potest inter fideles, quos charitatis vinculum copulavit.

Nec testimonium Pauli, in minoris probatione allatum, convincit oppositum : illa enim verba : *Unusquisque onus suum portabit* ; minime contrariantur cum aliis ex eodem Apostolo sæpius relatis : *Alter alterius onera portate*. Nam in primo loco est sermo de uniuscujusque onere reddendi Deo rationem suæ vitæ, quod quilibet pro se tantum portabit, sive ad præmium, sive ad cruciatum. In secundo autem procedit de onere Deo satisfaciendi pro debito pœnæ temporalis alterius, vel alio simili, quod onus unus pro alio ex charitate portare valet. Sic D. Augustinus Apostolum exponit libro de consensu Evangelistarum, cap. 30. « Nisi oneris nomen sub diversis « significationibus acceperis, proculdubio « putabis, eundem sibi in loquendo esse « contrarium, et hoc in sua sententia tam « vicinis positis verbis, qui cum paulo ante « diceret : Alter alterius onera portate : « postea dixit : Unusquisque proprium « onus portabit. Sed alia sunt onera parti- « cipandæ infirmitatis, alia reddendæ ra- « tionis Deo de actibus nostris. Illa cum « fratribus sustinenda communicantur ; « hæc propria ab unoquoque portantur. » Cui consonat fidelissimus ejus discipulus D. Thomas, qui exponens eundem Apostoli textum ad Galatas 6, lect. 1, hæc affatur verba : « Unusquisque onus suum por- « tabit ; quod videtur contrarium ei, quod « dixerat : Alter alterius, etc. Sed scien- « dum est, quod ibi loquitur de onere sus- « tinendæ infirmitatis, quod debemus mu- « tuo portare ; hic loquitur de onere red- « dendæ rationis, quod quilibet pro se « portabit, sive sit onus præmii, sive « pœnæ, » etc. Unde juxta utriusqus sancti Doctoris expositionem, quantum ad meritum, condignitatem ad præmium, vel ad cruciatum operis boni, aut mali, unusquisque onus suum portabit in reddenda ratione, juxta illud ejusdem Pauli : *Quæ* D. Paul. *seminaverit homo, hæc et metet*. Sed quantum ad satisfactionem debiti infirmitatis, ac solutionem reatus pœnæ temporalis post culpam dimissam permanentis, alter alterius sibi per charitatem moraliter quasi identificari valet potare onus : nam, ut ait D. Thomas 3, contra gentes, cap. 158: D. Tho. « Quod per amicos facimus, per nos ipsos « facere videmur ; quia amicitia ex duobus « facit unum per affectum, et præcipue « dilectio charitatis, et ideo sicut per se « ipsum, ita, et per alium potest aliquis « satisfacere Deo, præcipue cum necessitas « fuerit : nam, et pœna, quam amicus « propter ipsum patitur, reputat aliquis, « ac si ipse pateretur : et iterum affectio « charitatis in eo, qui pro amico patitur, « facit magis satisfactionem Deo acceptam, « quam si pro se pateretur : hoc enim est « promptæ charitatis ; illud autem est ne- « cessitatis. »

32. Arguitur secundo : quia debitum Argum. 2 subeundi pœnam peccati est personale ; sed personali debito nullus valet satisfacere per alium : ergo nullus potest alterius debitum luendi temporalem pœnam satisfacere. Consequentia liquet. Minor constat ex differentia, quæ inter debitum personale, et reale intercedit : nam debitum reale potest solvi per traditionem alicujus rei a debitore, vel ejus actibus distinctæ : personale vero non nisi per actionem, vel personæ propriæ passionem ; cum igitur unus possit alteri donare rem propriam, ita ut fiat propria illius, cui donatur, non vero actionem propriam, vel passionem, ut ex se patet ; fit inde, nullum alterius debitum personale solvere, bene autem reale. Major vero probatur : nam ille, et non alius, obligatur ad subeundam pœnam, qui est pœna dignus ; sed solus ille, et non alius, qui peccatum commisit, est pœnæ reus, vel pœna dignus, juxta illud David cum Angelum in populum irruentem vidit: *Ego sum, qui peccavi:*

ego inique egi : isti, qui oves sunt, quid fecerunt ? Vertatur, obsecro, manus tua contra me. Ergo obligatio subeundi pœnam est debitum personale ab alio insolubile.

2 Reg. 24 vers. 17.

Confirmatur : nemo fit reus, ac pœna dignus per culpam ab alio commissam : ergo e converso, nemo ab illius pœnæ reatu solvitur per satisfactionem ab alio oblatam. Antecedens est manifestum, et consequentia probatur. Ideo nemo fit reus, ac pœna dignus per culpam ab alio commissam, quia constitutio rei fit per peccatum inficiens, peccatumque neminem inficit præter illum, a quo committitur ; sed satisfactio unius peccati infectionem ab alio non tollit, nec conversionem ut talem ad commutabile bonum, quæ illius pœnæ fundat reatum : ergo nemo per satisfactionem alterius solvitur a reatu pœnæ peccati proprii.

Confirmat.

Ad argumentum respondetur, debitum personale dupliciter accipi. Primo prout ly *personale* stat omnino stricte, et significat solam debitoris personam physice, ac materialiter consideratam. Secundo prout latius accipitur, et importat debitoris personam moraliter acceptam. Igitur si major augmenti ly *debitum personale* sumat stricte, neganda est ; alias Christus non adeo pro mundi peccatis satisfactionem obtulisset, ut a debito temporalem pœnam subeundi liberaremur, cum physice, ac materialiter eadem persona cum debitore non sit. Si vero in secunda acceptione, ac minus stricte procedat, concedi debet ; et in eodem sensu admissa minori concedenda est consequentia intellecta de satisfactione per alium, si alter sit tam physice, quam moraliter, non vero si ille alter est eadem persona identitate morali, ac una, et eadem moraliter computantur, esto physice, ac materialiter sint personæ distinctæ. Unde quemadmodum Christus Dominus esto unam personam physice, ac materialiter cum redemptis non constituat, eos tamen absolvit ab offensa, et pœna æterna, quia tanquam fidejussor, et caput eandem moraliter personam, ac idem cum hominibus in charitate existentibus mysticum corpus efficit ; ita proportione servata, cum omnes non solum unum corpus simus in Christo, sed etiam alter alterius membrum, uno pro alio ex charitate satisfaciente, verificatur quod qui debitum subeundi pœnam contraxit, satisfacit in propria persona moraliter. Itaque debitum personale, prout a reali distinctum, per actionem, vel passionem propriæ personæ solvitur ; siquidem eo ipso quod aliquis ex charitatis affectione propriam actionem, vel passionem in alterius favorem dirigat, fit moraliter propria illius, ita ut per eam tanquam per propriam satisfaciat.

Ad majoris autem probationem, quatenus obesse potest huic doctrinæ, dicendum est, quod licet absolute loquendo solus qui commisit culpam, sit dignus pœna : tamen ex suppositione quod per se ipsum pœnam non luat, et alius, qui per charitatem est idem moraliter cum eo, illam subire velit, jam ac si ipse pecasset, efficitur dignus prædicta pœna : quia quantum ad debitum solvendum reputatur moraliter proprium alterius peccatum, et ipse moraliter est idem, ac ipse reus ; ut constat in Christo Domino, qui in ordine ad nostri debiti solutionem peccata aliena fecit quasi moraliter propria, quæque in se portavit, ut ab eorum reatu nos solveret. Exemplum autem ex 2 Reg. adductum minime convincit oppositum : nam in illo eventu, et peccavit David numerando populum, et ipse populus Israel, ut Expositores consentiunt. Unde tam Rex, quam populus puniti sunt, inquit D. Gregorius lib. 29 *Moralium* cap. 14 : « Vindictam populus David peccante « suscepit. Cur hoc ? Quia secundum meri- « tum plebium disponuntur corda recto- « rum. Justus vero judex peccantis vitium « ex ipsorum animadversione corripuit, « ex quorum causa peccavit ; sed quia ipse « a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ « etiam ipse suscepit. » Quocirca esto David ob charitatis excessum solus pœnam subire voluerit, forte quia caput, et causa delicti extiterit ; omnes tamen peccati participes extitere, atque ideo cuncti pœnam debebant luere. Imo si omnes in culpam prolapsi sunt, et solus David omnium pœnam subire ambiebat, haud leve apparet indicium sensisse, unum pro pœna peccati alterius satisfacere posse.

D. G

Ad confirmationem respondetur, quod licet destructo lethali peccato per gratiæ infusionem maneat homo reus temporalis pœnæ, hujusmodique reatus fundetur in proprio peccato, prout dicit conversionem secundum se ad bonum commutabile, quæ

Dilu

ut

ut auferatur, moraliter retractari debet ; hæc tamen retractatio fieri potest vel per proprium actum satisfactorium, ut medicinalem, vel per consensum, quem præstat, ut alter ejus pœnam assumat, imo, et per actum compassionis, qui in reo oritur ex eo, quod videat amicum insontem, ob ejus dilectionem alienam pœnam tolerantem : nam, ut ait D. Thomas 3, contra gentes, cap. 158: « Pœnam, quam amicus propter « ipsum patitur, reputat aliquis, ac si ipse « pateretur, et sic pœna ei non deest, dum « patiendi amico compatitur, et tanto amplius, quanto ipse est ei causa patiendi.» Unde per hujusmodi pœnæ compassivæ sustinentiam adjunctam satisfactioni amici pro suo debito patientis, potest et illam conversionem ad bonum commutabile secundum se acceptam auferre, et pœnam temporalem, cujus debitum in illa fundabatur, exhaurire.

33. Arguitur tertio : nam si posset aliquis satisfacere pro alio, ita ut oblata satisfactione reus jam non maneat pœna dignus, etiam posset unus per alterius opus sibi ex charitate applicatum fieri dignus gloria ; sed per alterius opus etiam ex charitate elicitum, et applicatum nullus potest effici gloria dignus : ergo similiter nullus per alterius satisfactionem potest effici non dignus pœna, cujus antea extiterat dignus.

Confirmatur, quia si valeret aliquis alterius pœnam temporalem condigne satisfacere, posset etiam mereri de condigno gratiam alteri dandam ; sed secundum præsentem providentiam nullus potest mereri gratiam alteri dandam : ergo nec pœna ab alio debita satisfacere. Major ex paritate liquet : etenim si ex illo articulo fidei : *Sanctorum communionem ;* et ex illo psalmi 118 : *Particeps ego sum omnium timentium te ;* colligitur opera unius satisfactoria prodesse alteri, cur non etiam opera meritoria ? Minor vero probatur ex communi Theologorum placito asserentium, quod licet quis merito de congruo, et per modum impetrationis possit mereri gratiam alteri dandam, quo pacto non infallibiliter sortitur effectum, nec meritum complete, et in actu secundo est tale simpliciter ; tamen nequit aliquis merito de condigno, et infallibiliter ex justitia inferente præmium, mereri gratiam dandam alteri, etiamsi ille in statu peccati non supponatur : etenim respectu gratiæ peccatori dandæ adhuc deest merito justi æqualitas, et condignitas in actu primo, ratione infinitatis offensæ cum peccato connexæ ; ut diximus tract. 16, disp. 6, dub. 2, § 3, num. 36.

Respondetur negando majorem, cujus disparitatis ratio habetur ex Angelico Præceptore in præsenti art. 2, ad 1, ubi ait : « Præmium essentiale » (quod est gloria) « redditur secundum dispositionem homi- « nis : quia secundum capacitatem viden- « tium erit plenitudo visionis divinæ ; et « ideo sicut unus non disponitur per « actum alterius, ita unus alteri non mere- « tur præmium essentiale, nisi meritum « ejus habeat efficaciam infinitam, sicut « Christi... Sed pœna temporalis pro pec- « cato debita post culpæ remissionem non « taxatur secundum dispositionem ejus, « cui debetur : quia quandoque qui est « melior, habet majoris pœnæ reatum, et « ideo quantum ad pœnæ remissionem « unus alteri potest mereri » (id est, pro illo satisfacere, ut superius ex D. Thoma explicuimus) « et actus unius « efficitur alterius mediante charitate. » Disparitas ergo in eo sita est, quod nullus fit dignus gloria nisi per gratiam, quæ adultis confertur propria dispositione mediante : cum ergo nemo ad gratiam se disponat per opus alterius, inde est, nullum adultum per alterius opus meritorium fieri gloria dignum. Ceterum condignitas pœnæ non attenditur penes dispositionem ejus, qui est pœnæ reus, cum ille, qui melius est dispositus per majorem gratiam, possit acerbioris pœnæ esse dignus. Unde operatio unius, quæ nequit disponere alium ad gratiam, per quam fiat dignus gloria, deservire valet ut reddatur non dignus pœna. Enodatur argument. D. Tho.

Ad confirmationem respondetur, inspecta potentia Dei absoluta, non repugnare, aliquem justum posse mereri gratiam alteri non peccatori dandam. At de facto, et secundum præsentem providentiam, nec ita contingit, nec contingere valet, ut loco in argumento relato expendimus. Tum : quia ad meritum de condigno, præter æqualitatem valoris operis meritorii, requiritur aliquod pactum acceptandi illud opus pro gratia ex vi illius alteri conferenda, ut ibi diximus ; quod pactum nec Dispelit. confirmat.

adest ex parte Dei, nec alicubi scripturæ constat. Tum : quia de facto a Deo ordinatum est, ut adultus per proprios actus, a gratia procedentes, gloriam, ejusque augmentum de condigno sibi promereat ; cum quo minime cohæret, simul alteri alia præmia de condigno mereri : quippe ejus meritum per primum præmium adæquatur, ac exhauritur, et non tantam vim habet, ut ad alia valeat se extendere. In nostro vero casu adest pactum saltem implicitum acceptandi satisfactionem unius ex charitate factam pro solutione pœnæ temporalis alterius, ut ex supra dictis patet ; et aliunde cum ejus vis satisfactoria prius non exhauriatur per solutionem pœnæ peccati proprii, quippe quæ in hoc eventu non solvitur, ut ex num. 37 dicendis constabit, valet quam optime se extendere ad solutionem pœnæ peccati alterius.

Argum. 4. 34 Arguitur quarto, et impugnatur præcedens solutio : nam condigna satisfactio unius pro pœna temporali alterius vel est ita efficax, ut infallibiliter effectum sortiatur, et semper a Deo acceptetur, vel interdum admittitur, et aliquando respuitur ? Neutrum potest cum fundamento dici ; ergo nemo condigne, et efficaciter satisfacere valet pro pœna temporali peccati alterius. Minor, quæ difficultatem præsefert, quoad utramque partem ostenditur. Quoad primam quidem, quia omnia sacræ scripturæ testimonia, infallibilem satisfactionis acceptationem suadentia, loquuntur de satisfactione ab eodem, qui peccavit, exhibita. Itaque Tobiæ 12 dicitur : *Eleemosyna a morte liberat, et ipsa est, quæ purgat peccata*, etc. Et Danielis 4 : *Peccata tua eleemosynis redime*. Et Pauli 1, ad Corinth. 11 : *Quod si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* : « id est » (exponit ibi D. Thomas) « si nosmetipsos di- « judicaremus redarguendo, et puniendo « peccata nostra, non utique judicaremur, « id est, non puniremur a Domino, neque « postmodum in futuro, neque etiam in « præsenti. » En quomodo (inquiunt adversarii) quoties Deus promittit satisfactionem acceptare pro remissione pœnæ debitæ, loquitur de satisfactione præstita ab eo, qui peccavit ; de remissione vero per alterius satisfactionem obtinenda nulla reperitur promissio : nullum ergo adest fundamentum ad hujusmodi acceptationem infallibilem stabiliendam. Si vero dilemmatis secunda pars eligatur, plane infertur, quod si Deus satisfactionem unius pro pœna temporali peccati alterius quandoque acceptat, quandoque respuit, omnes, qui in hoc charitatis opere exercentur, quasi in incertum currunt : etenim de acceptatione satisfactionis unius pro temporali pœna peccati alterius certificari minime valent, cum major ratio unam, quam aliam acceptandi non appareat. Quod inconveniens dissidium induceret, fidelesque ab hujusmodi charitatis eximiæ opere amoveret.

Tobiæ 12. Daniel. 4. Apost. 1. ad Cor. D. Tho.

Ad argumentum (quidquid senserint Medin. Cordub. Bonacin. et alii, secundam dilemmatis partem seligentes) respondetur sustinendo primam cum Suar. disp. 48, sect. 3, Palao tr. 24, punct. 1, § 1, n. 8, et alii. Deus quippe semper, ac infallibiliter acceptat unius satisfactionem ex charitate factam pro solutione pœnæ temporalis peccati alterius. Cujus oppositum non suadent testimonia in argumento relata : illa enim, ut consideranti constabit, solum probant, Deum uniuscujusque satisfactionem pro solutione pœnæ proprii peccati acceptare : non tamen negant, unius satisfactionem pro pœna peccati alterius oblatam admittere ; quod necessum erat, ut argumentum aliquid convinceret. Imo Tobiæ testimonium, quamvis eleemosynam purgare peccata dicat, non asserit quod sola propria, sed peccata absolute, id est, sive cujuscumque peculiaria, sive aliena. Nec opus est in omnibus Scripturæ testimoniis hoc inveniri ; sufficit quod in aliquibus, præsertim si juxta Sanctorum Patrum sensum intelligantur. Ex his autem, ac ex aliis Conciliorum, et Scripturæ authoritatibus dubii discursu annotatis, satis constat existentia alicujus pacti saltem impliciti acceptandi unius satisfactionem pro alio. Insuper, quia ut inquit D. Thomas 3, contra Gent. cap. 158 : « Affectio « charitatis in eo, qui pro amico patitur, « facit magis satisfactionem Deo acceptam, « quam si ipse pateretur. » Sed Authores, quibus opposita sententia arridet, concedere non renuunt, satisfactionem, quam quisque in solutionem pœnæ proprii peccati offert, semper ac infallibiliter esse Deo acceptam : ergo idem asserere debent, saltem in via D. Thomæ, de satisfactione

unius pro pœna peccati alterius, cum hæc, juxta S. Doctorem, ex vi charitatis, qua offertur, non solum sit magis acceptabilis, sed magis accepta, quam illa. Id, quod etiam Catechismus Pii V confirmat : « Qui « divina gratia, inquit, præventi sunt, « alterius nomine possunt, quod Deo de- « betur, persolvere. Non vero de hoc cui- « quam fidelium dubitandi locus relictus « est. » Si Deus non semper, sed interdum satisfactionem unius pro pœna peccati alterius acceptaret, locus dubitandi relinqueretur fidelibus de hujusmodi acceptatione. Si ergo non relinquitur, ideo est, quia semper, et infallibiliter illa satisfactio, si fit ut fieri debet, sortitur effectum.

§ III.

Corollaria præcedentis doctrinæ, in quibus incidentes quæstiunculæ deciduntur.

35. Ex hactenus dictis suboriri videntur aliquæ difficultates, huc spectantes, quas attexere, et decidere opus est. Inquires ergo primo, an satisfactio unius pro temporali pœna alterius sit adeo efficax, ut non solum a Deo acceptetur, dum reus impotens est solvere, sed etiam cum per se ipsum satisfacere valet ? Ad quod affirmative respondendum est cum D. Thoma in præsenti : « Nec etiam exigitur quantum « ad solutionem debiti, quod ille, pro quo « fit satisfactio, sit impotens ad satisfacien- « dum : quia etiam si esset potens, alio « satisfaciente pro ipso, ipse a debito im- « munis esset. » Et ratio est : quia supposita æqualitate satisfactionis cum debito pœnæ alterius, si aliquid eam effectum sortiri impediret, maxime non acceptatio Dei, quia satisfactio non offertur a reo, qui per se ipsum solvere potest ; sed nullibi scripturæ, ac Conciliorum in hoc eventu non acceptatio reperitur, cum præallegata testimonia absolute, ac sine limitatione procedant : ergo quamvis reus per se ipsum solvere valeat, si tamen alius ejus pœnam temporalem sustinere vult, satisfactio hæc debitum rescindit, effectumque sortitur. Idque in debitis pecuniariis, aliisque hujusmodi inspicitur : si enim Petrus debitum centum aureorum contraxit, et ejus amicus totidem offerat creditori, ab obligatione extrahitur, licet alias Petrus dives sit, et ex propriis solvere possit. Similiter ergo.

Admonet tamen, et quidem prudentissime, D. Thomas in hac hypothesi, unius pro alio satisfactionem caute vel nemini consulendam : quippe cum satisfactio, ut in dubii limine diximus, medicinæ instar ordinetur ad solvendum debitum peccati commissi, et ad præcautionem futuri, si unus pro alio satisfacit, qui per se ipsum satisfacere potest, hic effectus impediretur: quia ut supra vidimus ex D. Thoma, ex jejunio unius caro alterius non domatur, nec ex actibus unius alius bene agere consuevit; atque ideo impossibilitate solutionis a reo faciendæ non urgente, minime expedit alium illius loco satisfacere, ne reus segnior evadat, peccataque non amoveat. Verba D. Thomæ sunt : « Non est D. Tho. « permittendum, quod aliquis pro alio « pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis « appareat in pœnitente, vel corporalis, « per quem sit impotens ad sustinendum, « vel spiritualis, per quem non sit promp- « tus ad portandam pœnam. » Quibus affinia sunt illa 3, contra gent. c. 158 : « Sicut « per se ipsum, ita, et per alium potest « aliquis satisfacere Deo, præcipue cum « necessitas fuerit. » Ubi, et absolutam docet possibilitatem satisfactionis unius pro pœna temporali peccati alterius, esto hic per se ipsum satisfacere valeat, et incongruentiam hujusmodi satisfactionis ob assignatum motivum.

36. Dices : si aliquis ob furtum, vel Objectio. homicidium commissum, ad flagella, vel mortem sit condemnatus, alterque charitate motus delinquentis supplicium subire velit, ut proximum a cruciatu eripiat, nequit judex prudenter hanc admittere satisfactionem, ita ut delinquentem impunitum relinquat, et insontem plectat : ergo nequit Deus prudenter unius satisfactionem acceptare pro pœna peccati alterius, qui proprium debitum solvere potest. Consequentia a paritate liquet ; antecedens vero probatur ; tum, quia nulla est ratio cur qui immunis est a delicto, non sit etiam a cruciatu. Tum, quia si reus in propria persona non plectitur, maxime si plecti valet ; deinceps cautior fieri, ac in posterum delicta vitare non discet, quod in detrimentum populi esset. Tum, quia populus ægre ferret, ob alterius crimen innocentem puniri.

Duplici via evertitur. Primo.

Huic objectioni (quam apud neminem vidimus, quod optavimus) quis respondere posset primo, negando antecedens. Non enim imprudenter se gereret judex in illius satisfactionis acceptatione : quippe quæ satisfactio cum actus esset excellentissimæ charitatis, illum permittere, ut alium pietatis opera in rei indulgentia exerceat, non imprudentiæ videtur committendum, sed virtuti. Si judicem dixeris ex præcepto teneri pœnas in lege taxatas reo applicare, ut satis communis fert sententia (de quo videri potest N. Andreas tract. de legibus) atque ideo supplicium in hoc eventu reo non applicare, peccatum esse, non pietatis actum. Responderi posset, in prædicto casu nullam culpam intervenire : quia judex legem adimplet, pœnam ab ea taxatam applicans reo moraliter sumpto : amicus enim rei est alter reus, vel rei vicem gerens. Unde si alias lex non explicat, reum puniendum debere esse reum physice sumptum determinate, et non alium, ex hoc capite judex obligationem impleret, et alias actum pietatis eliceret, et locum alteri excellentissimæ charitatis pararet, in ingens exemplum populi, ac imitationem Christi, juxta illud : « Majo- « rem charitatem nemo habet, ut animam « suam ponat quis pro amicis suis. » Et secundum hanc doctrinam antecedentis probationes nihil evincunt. Non prima : etenim ratio, et quidem maxima, cur in illo eventu qui immunis est a delicto, non esset etiam a cruciatu, foret ejusdem charitas, ratione cujus suæ immunitati, ac juri cedens, alterius pœnam subire vult, adinstar innocentis Filii Dei, qui omnium nostrum tormenta pati dignatus est, ut immunes nos faceret; quod excellentissimum fuit Christi opus, ac acceptissimum Patri absque omni imprudentiæ nota. Non secunda : quia delinquens expertus jam ob proprium crimen ad supplicia fuisse damnatum, quodque illa infallibiliter passum fuisse, si alterius charitas non impediret, imo videns amicum ob ejus crimina cruciatum, in posterum cavere disceret. Hæc quippe motiva vel stolidiorem hominem cautum redderent, vel saltem quantum est ex se a delictis amovere exinceps possent. Et quod ita non contingeret, omnino per accidens foret; ea autem, quæ per accidens fiunt, minime vel difficile vitari valent. Unde judex id, quod debuit, fecisse videtur, et populi nocumenta vitasse quantum est ex se. Non denique tertia : quia in præsenti casu innocens non violenter, et inique, sed ultro, ac sponte plectitur. Quocirca populus si ratione ducitur, nullam ad id ægre ferendum haberet, esto alias magnam compassionem acciperet, ac exemplum adultæ virtutis. Quæ omnia dixisse volumus ex suppositione, quod nulla juris lex adsit, oppositum decernens, cui adhærere teneatur judex.

Secundo respondetur, omisso antecedenti, negando consequentiam, cujus multiplex disparitatis ratio assignari potest. Prima : quia judex pactum non habet cum rei amico, ut illam satisfactionem admittere compellatur. Inter Deum autem, ac homines adest pactum saltem implicitum, ut ex supra dictis constat ; unde acceptat unius satisfactionem oblatam pro pœna temporali peccati alterius potentis per se satisfacere. Idque de facto contingere liquet : etenim Purgatorii animæ ibi per se ipsas proprias pœnas solvere possunt ; et tamen nemo Catholicorum diffitebitur, vivorum fidelium satisfactiones, pro illarum pœnis oblatas, effectum consequi, ac a Deo admitti; præsertim, quia de Sacrosancto Missæ Sacrificio negari nequit ad remissionem pœnæ temporalis prodesse tam vivis, quam defunctis, valentibus per se ipsos proprias pœnas solvere, ut ex professo statuimus tract. 23, disp. 13, dub. 5, § 4. Si autem unus satisfacere non posset pro pœna temporali alterius potentis per se satisfacere, nec de Missæ Sacrificio verificaretur, cum eadem ratio urgeat. Secunda : quia judex inferior in lege Superioris dispensare nequit. Unde si lex disponit, judicem punire reum, huic, et non alteri ejus loco supplicium applicare tenetur. Deus autem superior judex his legibus non subjicitur ; atque ideo acceptare potest unius pro alio satisfactionem ; imo si pactum inivit, debet. Tertia : quia judex si innocentem ultro oblatum, et non delinquentem, puniret, inde forte sequeretur, delinquentem ad propria crimina redire, quæ in populi detrimentum redundarent ; judex autem detrimento alterius, et maxime populi cedere non potest, atque ideo nec illam innocentis pro delinquente satisfactionem admittere

tere. Ceterum in acceptatione satisfactionis unius pro pœna temporali peccati alterius, qui per se ipsum satisfacere potest, hujusmodi motiva minime urgent : si enim aliquod detrimentum ex repetitis peccatis oritur, hoc præcise contra Deum judicem militat, qui proprio juri cedere valet, et auxilia infundere, ut a peccatis abstineant.

37. Secundo inquires, utrum qui pro alio satisfacit, simul ac eodem actu pro se satisfaciat ? Ratio dubitandi desumitur ex D. Thoma in præsenti art. 2, argum. 3, ubi sic arguit : « Unus pro alio orando, « etiam sibi meretur : si ergo aliquis pro « alio satisfacere potest, satisfaciendo pro « alio, pro se satisfacit. » Sed debilitatem consequentis probat ibi D. Thomas dicens, quod si ita esset, « ab eo, qui pro altero « satisfacit, non exigeretur alia satisfactio « pro peccatis propriis. » Quod falsum esse supponit, et ex dicendis constabit.

Unde cum Angelico præceptore dicendum est, satisfacientem ad æqualitatem pro debito alterius eodem actu non satisfacere pro se ipso. Et ratio est : quia tota vis satisfactiva prædicti operis exhauritur in extinctione debiti alterius ; quod autem in unius debiti solutione exhauritur, ad alterius solutionem non pertingit : non ergo idem opus satisfactorium utrumque debitum extinguere potest. Quod in solutione debiti pecuniarii videre licet : debens enim quatuor, et totidem solvens, ut debitum extinguat amici, aliis quatuor eget, ut pro debito proprio satisfaciat, licet utriusque creditor idem sit. Unde idem probans D. Thomas, ac disparitatem assignans inter valorem operis meritorii, et satisfactorii, inquit : « In solutione debiti « attenditur quantitas pœnæ ; sed in merito « attenditur charitatis radix ; et ideo ille, « qui ex charitate pro alio meretur saltem « merito congrui, etiam sibi magis merere « tur » (de condigno augmentum gloriæ) « non autem qui pro alio satisfacit, pro « se satisfacit, quia illa quantitas pœnæ « non sufficit ad utrumque peccatum. » Ex quibus resolutionis veritas liquido constat.

Confirmatur : quia nullus debitum proprium solvere potest illo opere satisfactorio, cujus dominium non habet ; sed ex suppositione quod aliquis opus satisfactorium pro alterius debiti solutione exhibeat, jam a proprio dominio ablegat, et illius, pro quo satisfacit, moraliter proprium efficit : ergo nemo potest uno, ac eodem opere satisfactorio simul pro se, ac pro alio satisfacere. Minor probatur : quia exhibitio operis satisfactorii unius pro pœna temporali peccati alterius est quædam virtualis donatio ; sed donatio rem a donante abdicat, et in alterius dominium transfert : ergo qui opus satisfactorium pro alterius debiti solutione exhibet, illud a proprio dominio ablegat, ac illius, pro quo offertur, fit moraliter proprium, ut tanquam per aliquid jam suum satisfacere possit ; atque adeo nemo eodem actu satisfactorio, pro alterius debiti extinctione oblato, simul proprium debitum extinguere valebit.

38. Dices : dum quis pro alio orat, vel a se abdicat, et transfert in eum, pro quo orat, jus ad præmium illius operis meritorii, vel non ? Si secundum dicas : ergo nihil alteri meretur ; quemadmodum qui opus satisfactorium in alium non transfert, pro eo non satisfacit. Si primum : ergo nequit tunc sibi aliquid mereri ; sicut qui opus satisfactorium in dominium illius, pro quo satisfacit, non transfert, nihil pro se satisfacit. Hoc autem est contra D. Thomam, ac Theologorum placitum : ergo alia debet assignari disparitas inter satisfactionem, et meritum. Replica

Respondetur negando suppositum, si fiat sermo de merito simpliciter tali, sive de condigno. Etenim secundum præsentem providentiam nullus valet in alium transferre jus ad præmium suis meritis correspondens, ut diximus tractat. 16, de merito, disp. 6, dub. 2, num. 26. Si vero procedat objectio de merito secundum quid, seu de congruo, quod cum impetratione coincidit ; cum ejus efficacia non fundetur in quantitate, aut valore operis ita meritorii, aut impetratorii, sed in liberalitate præmiantis, aut concedentis id, ad quod obtinendum tendit oratio ; ille, qui pro alio orat, nullum jus transfert, nec transferre potest in illum, pro quo orat, quia nullum habet ad obtinendum postulata. E contra vero accidit in satisfactione : nam offerens Deo ex charitate æqualem satisfactionem pro debito alterius habet jus tam in actu primo, quam in actu secundo ad satisfaciendum Deo pro suo debito pro- Enodatur.

prio, et hoc jus a se abdicat, et transfert in alium, ut satisfactio fiat moraliter propria alterius.

Quæstiunc. 3. 39. Tertio inquires, an ut reus sit immunis a debito luendi pœnam, sufficiat quod aliquis pro illo satisfacere offerat? An insuper requiratur, quod de facto, et cum effectu satisfaciat? Respondetur, non sufficere primum, sed requiri secundum. Ita Lugo in præsenti, illudque Apostoli ad Galatas 6 : *Alter alterius onera portate*, aperte innuit : non enim ex desiderio, ac promissione unius, sed ex portatione oneris, quæ executionem affert, alleviationem alterius Apostolus infert, juxta legem charitatis observatam a Christo Domino, qui non solum voluit, aut promisit, sed de facto pro nobis satisfecit, et usque dum satisfactionem obtulit, animabus Sanctorum Patrum aditus ad gloriam non patuit. Idque etiam convincit communis sensus, et intelligentia fidelium. Nam si sola promissio satisfaciendi pro alio, eum de facto a debito exoneraret, sequeretur quod supposita hujusmodi promissione, si debitor e vita migraret, statim ad superos ascenderet, et cruciatum pœnarum Purgatorii non subiret, etiamsi satisfacere promittens, ex oblivione, impotentia, aut malitia, promissa non adimpleverit; imo, et quod promittens non peccaret ex capite damni illati ob negligentiam, aut voluntariam satisfactionis retardationem. Sed oppositum aperte convincit anxietas in viris timoratis has promissiones adimplendi, et exactio in Judicibus Ecclesiasticis in visitandis testamentis, et eorum executione curanda, aut omissione punienda : ergo juxta Ecclesiæ intelligentiam ille, qui peccavit, a reatu pœnæ debitæ non solvitur de facto, et cum effectu, nisi vel ipse, vel alius pro eo in re satisfaciat.

Resolutio. Lugo.

Quæstiunc. 4. 40. Inquires quarto, an æquali existente pœnæ reatu, debeat majorem subire pœnam, qui pro alio satisfacit, quam qui proprium reatum solvit? Ad quod respondet

Decisio. D. Thomas in præsenti art. 2, in corpore, quod non major, sed potius sufficit minor : « Quia pœna » (inquit) « maxime habet « vim satisfaciendi ratione charitatis, qua « homo ipsam sustinet, et quia major cha- « ritas apparet in hoc, quod aliquis pro « altero satisfaciat, quam si ipse satisface- « ret, ideo minor pœna requiritur in eo, « qui pro alio satisfacit, quam in princi- « pali requireretur. » Et ratione potest ostendi ex eisdem verbis deducta. Nam idem opus satisfactorium, v. g. idem jejunium ex charitate Deo oblatum in solutionem pœnæ alterius, magis satisfacit, quam si in expiationem proprii debiti offeratur : ergo existente æquali pœnæ reatu, non major, sed potius minor pœna requiritur, ut quis alterius debitum extinguat, quam proprium. Antecedens ostenditur : quippe ille actus virtutis pœnitentiæ magis satisfacit apud Deum, qui est illi magis acceptus, ac altioris valoris; sed jejunium, in satisfactionem pœnæ alterius oblatum, est actus pœnitentiæ Deo magis acceptus, ac altioris valoris, quam qui in proprii debiti solutionem exhibetur : ergo. Minor probatur : ille actus est altioris valoris, ac Deo magis acceptus, ubi charitatis imperium magis splendet, ac intensius viget, ut diximus tractat. 16, agentes de imperio charitatis ad meritum requisito; sed charitas fortius emicat, quando jejunium pœnitentiæ imperat in solutionem reatus pœnæ alterius, quam dum in extinctionem proprii debiti jubet : ergo jejunium, in satisfactionem pœnæ alterius oblatum, est Deo altioris valoris, ac magis acceptum, quam in proprii debiti solutionem exhibitum. Consequentia est legitima. Major ex loco cit. patet. Minorem autem docet D. Thomas in verbis supra relatis, et insuper 3, contra Gent. cap. 158, ubi inquit : « Hoc » (id est unius pro alio satisfactio) « est promptæ charitatis, « illud autem est necessitatis. »

DUBIUM III.

Quibus conditionibus satisfactio indigeat?

Plura sunt, de quibus disputari solet, an necessario, et essentialiter ad actum satisfactionis requirantur, utputa, an sit necessaria libertas, ac honestas actus, status gratiæ, et viatoris, ac intentio satisfaciendi? De his omnibus hic agendum est; sed ut claritati, ac distinctioni consulamus, singulas conditiones singulis §§ exponemus.

§ I.

§ I.

Actum liberum requiri ad satisfaciendum stabilitur.

41. Dicendum est primo, actum satisfactorium debere esse liberum, saltem libertate contradictionis. Sic sentiunt communiter Theologi, quin opus sit aliquos in particulari referre. Probaturque primo ex D. Thoma in præsenti quæst. 13, art. 1, ubi antequam stabiliret nostræ satisfactionis possibilitatem, in secundo argumento ita sibi objicit : « Servus, quia totum, quod « habet, Domini est, non potest pro aliquo « debito recompensare ; sed nos servi Dei « sumus : ergo, » etc. Ad quod sic respondet : « Ad secundum dicendum, quod « homo, qui ad imaginem Dei factus est, « aliquid libertatis participat, in quantum « est Dominus suorum actuum per liberum « arbitrium, et ideo ex hoc, quod per liberum arbitrium agit, Deo satisfacere potest : quia quamvis Dei sit, prout a Deo est sibi concessum, tamen libere ei traditum est, ut ejus Dominus sit, quod « servo non comperit. » Ubi possibilitatem nostræ satisfactionis apud Deum ex eo probat, quia « homo aliquid libertatis participat, » et quia « est Dominus suorum « actuum per liberum arbitrium. » Sentit ergo, dominium, ac libertatem requiri, ut actus noster valeat esse satisfactorius : cumque non sit necessaria libertas contrarietatis, ut apparet in Christo pro nobis satisfaciente, in quo hujusmodi libertas non extitit, sequitur libertatem contradictionis desiderari.

42. Secundo probatur ratione. Nullus satisfacere valet, nisi per actum aliquo modo ipsius proprium, et supra quem habeat potestatem, ac dominium ; sed solius actus liberi quis dominium, et potestatem habet : ergo ut actus sit satisfactorius debet esse liber. Consequentia constat. Minorem supponimus ex tract. 10, de voluntario, et involuntario, disp. 2, dub. 1. Eamque docet D. Thomas 1, 2, quæst. 1, art. 1; solum enim per libertatem agens est Dominus sui actus, et supra ipsum habet potestatem, et dominium. Major autem suadetur : nam satisfactio est illa compensatio, qua satisfaciens, ut jus læsum alterius restituat, et æqualitatem per peccatum inductam reducat ad æqualitatem debitam, tollit a se, et transfert in alium id, quo alias uti posset in proprium commodum, ut in satisfactione pecuniaria contingit ; vel est assumptio pœnæ in compensationem illius, quam ex justitia punitiva delicti ab alio sustinere debebat, unde inter satisfacientem, et eum, cui fit satisfactio, hic quasi contractus intervenit, « sustineo, ut par- « cas ; solvo, ut non amplius exigas. » Sed nullus hunc quasi contractum inire valet, nisi per actus, quorum dominio gaudet, ratione cujus eos possit alteri offerre, et in illius potestatem redigere ; sicut nullus compensare valet debitum pecuniarium, nisi illis pecuniis, quarum est Dominus : ergo nullus satisfacere valet, nisi per actum sub proprio dominio existentem, atque ideo liberum.

Confirmatur primo : quia omnis actus satisfactorius est etiam meritorius; sed omnis actus meritorius debet esse liber, saltem libertate contradictionis : ergo omnis actus satisfactorius libertate gaudere debet. Major est D. Thomæ in 4, sentent. dist. 17, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 3, ad 3, ubi ait : « Dicendum, quod pœna illa, « quam animæ in Purgatorio sustinent, « non potest proprie dici satisfactio : quia « satisfactio opus meritorium requirit. » Minorem vero fuse probavimus tract. 16, de merito, disp. 1, dub. 2, § 1, a num. 7. Confir. 1. D. Tho.

Confirmatur secundo : nam omnis actus satisfactorius debet esse bonus moraliter, et honestus, ut infra ostendemus ; sed omnis actus moraliter bonus debet esse liber : ergo omnis actus satisfactorius libertate debet gaudere. Minor, in qua poterat esse difficultas, constat ex dictis tract. 11, de bonit. et malit. disp. 1, dub. 1, ibi enim probavimus ad moralitatem, et consequenter ad bonitatem moralem requiri libertatem. Consequentia autem legitime ex præmissis infertur. Confirm. 2.

43. Sed objicies : Flagella, quibus in præsenti a Deo punimur, sunt satisfactoria; sed hujusmodi flagella non sunt actus liberi, cum ab extrinseco nobis etiam nolentibus, et reluctantibus infligantur : ergo ut opera satisfactoria sint, non requiritur quod libera existant. Cetera constant, et major probatur ; tum ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 9, ubi ait : « Tantam esse divinæ magnificentiæ lar- Objectio. Concil. Trid.

« gitatem, ut non solum pœnis sponte a « nobis pro vindicando peccato susceptis, « aut sacerdotis arbitrio pro mensura de- « licti impositis, sed etiam, quod maxi- « mum amoris argumentum est, tempora- « libus flagellis a Deo inflictis, et a nobis « patienter toleratis, apud Deum Patrem « per Christum Jesum satisfacere vale- D. Tho. « mus. » Tum etiam ex D. Thoma in præsenti, quæst. 15, art. 2, qui id ipsum docet, ac probat in 1 argum. *Sed contra,* Apost. ad Rom. ex illo Pauli ad Romanos 5: *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, id est, a peccato purgationem.*

Nota 1. Pro objectionis solutione, quæ non parum negotii Authoribus facessivit, animadvertendum est primo, libertatem esse duplicem; alia formalis, et intrinseca, quæ in voluntatis actibus reperitur; alia extrinseca, vel extrinsece participata, quæ residet in actibus, uti in jejunio, flagellatione, et similibus, qui intrinsece liberi non sunt, sed tantum extrinsece, ac denominative a libertate in actibus voluntatis intrinsece existente, ut diximus tractat. 11, disp. 6, num. 20, et in fine ejusdem tractat. 20, art. 3, et tractat. 10, disput. 2, dub. 5, et alibi sæpe. Hujusmodi autem extrinseca actus exterioris libertas, licet non addat aliam distinctam, sicut nec bonitatem formalem, supra eam, quæ in voluntatis actibus formaliter intrinsece reperitur, constituit tamen actum externum sufficienti modo liberum, quatenus illum subordinat actui interno voluntatis, ac idem cum illo efficit, ut possit ad meritum, vel demeritum imputari. Actus vero exterior fit idem cum interno voluntatis, ac illi subordinatur, quatenus vel actus voluntatis illum imperat, vel acceptat, ac approbat. Secundo, ut objectionis vires Nota 2. facilius dehiscant, animadvertendum est, quid Concilium dixerit, ex quibus verbis tota difficultas consurgit. Igitur Concilium non asseruit, hominem pro peccatis satisfacere flagellis a Deo inflictis, et *involuntarie toleratis*, quod necessarium erat, ut objectio vim haberet, ac convinceret libertatem non desiderari ad satisfactionem; sed tantum, imo, et quadam reflexione, ait, quod flagellis a Deo inflictis, *et a nobis patienter toleratis* satisfacere valemus. Ex quibus argumentum efficax nequit desumi ad colligendum, quod actus libertas ad satisfactionem non requiritur; quin oppositum, et quidem fortiori consequentia, ex ly *patienter toleratis* licet inferre. Patiens quippe toleratio spontaneitatem, ac libertatem affert: nemo enim patienter tolerat, qui voluntarie, ac libere non sustineat.

Hinc ad argumentum haud admodum difficilis est solutio, distinguendo præmissas: « Flagella, quibus in præsenti a Deo « punimur, sunt satisfactoria, » si libere acceptentur, ac patienter sustineantur, concedenda est major: neganda vero si non acceptentur libere, nec sustineantur patienter. Ad minorem autem eodem modo dicendum est, flagella nobis a Deo inflicta non esse actum intrinsece liberum sustinentis, si considerentur quoad inflictionem, ac eorum esse vel non esse; esse tamen libera sustinenti sumpta quoad acceptari patienter, et æquo animo sustineri; atque ideo neganda est absolute consequentia. Itaque flagellis nobis a Deo inflictis patienter acceptatis, ac toleratis, ipsi satisfacere valemus non solum ratione actus interioris acceptantis, qui est formaliter, ac intrinsece liber, sed etiam ratione actus exterioris ipsius flagellationis patienter toleratæ: quippe qui actus exterior interiori subordinatur, et ab eo aliquid libertatis participat saltem extrinsece, ac denominative ob honestam, et liberam acceptationem ordinatam formaliter, aut virtualiter ad peccatorum debitum extinguendum. Quocirca flagella, quæ nobis Deus infligit in peccatorum vindictam, licet non sint nobis omnino libera saltem ex parte inflictionis, cum etiam nobis reluctantibus ab extrinseco proveniant, ut fuit persecutio David per ejus filium Absalom, ac pestilentia, quam ob ejus peccatum misit Deus in Israel; tamen quoad eorum bonum, vel malum usum, et terminative sunt nobis libera, quia terminant liberam acceptationem patientis, ac idem cum ea efficiunt. Aliundeque sunt satis pœnalia, quod, ut infra dicemus, est ultra hactenus recensita unum ex requisitis ad satisfactionem, ratione cujus pœnalitatis sortiuntur rationem satisfaciendi, distinctam saltem ex hoc capite a ratione satisfactoria, quæ viget in actu interno, ac intrinsece libero acceptationis. Unde si æquali intensione actus interioris existente, duo homines hujusmodi pœnas sustineant, ille magis satisfacit

facit, qui acerbioribus cruciatibus se subjicit, solutionem hanc approbant Victoria in Summa, num. 209, Sylvester verbo *Satisfactio*, q. 9, Nugnus in præsenti quæst. 15, art. 2, in cujus patrocinium adducit SS. PP. Augustinum, Chrysostomum, Gregorium, imo, et Paulum 1, ad Corinth. 3.

Ad primam autem majoris probationem, jam ex supradictis constat, Concilium non asserere, nos Deo satisfacere posse quibuscumque flagellis ab eo nobis inflictis, et quomodocumque toleratis; sed tantum illis, quæ patienter sustinentur; atque ideo libertatem ad satisfactionem requisitam, et supra explicatam non negat, sed potius indicat. Ad secundam ex D. Thoma desumptam, respondetur ex eodem S. Doctore, qui in corpore art. cit. se ipsum explicat, ac nostram solutionem adducit, inquit enim: « Si flagella, quæ pro peccatis a Deo infliguntur, fiant aliquo modo « ipsius pœnitentis, rationem satisfactionis accipiunt; fiunt autem ipsius in « quantum ea acceptat ad purgationem « peccatorum, eis utens patienter. Si autem « omnino eis per impatientiam dissentiat, « tunc non efficiuntur aliquo modo ipsius, « et ideo non habent rationem satisfactionis, sed vindicationis tantum. » Et in responsione ad 1, ait: « Quamvis illa flagella non sint omnino in potestate nostra, tamen quantum ad aliquid sunt, ut « scilicet eis patienter utamur; et sic « homo facit de necessitate virtutem. « Unde, et meritoria, et satisfactoria esse « possunt. »

44. Dices: satisfactio juxta ea, quæ in ejus definitione explicuimus, in eo a satispassione distinguitur, quod hæc importat tolerationem pœnæ ab alio inflictæ; illa vero ab eodem patiente assumptæ; sed flagella, quibus in præsenti a Deo punimur, esto voluntarie acceptentur, et patienter sustineantur, nobis infliguntur ab alio: ergo illis non satisfacimus, sed satispatimur.

Respondetur, satispassionem distingui a satisfactione, quia illa affert tolerationem pœnæ ab extrinseco in vindictam illatæ, non utcumque, sed reo invito; hæc vero tolerationem voluntariam pœnæ sive ab eodem pœnitente assumptæ, sive ab extrinseco illatæ: nam semel quod voluntarie acceptetur, ac sustineatur, per accidens omnino est, quod ab extrinseco accedat, ut patet in eo, qui ex animo Deo pro peccatis satisfaciendi rogat Petrum, ut illum flagellis cædat. Hic enim proculdubio satisfaceret tolerando flagella sibi a Petro extrinsece illata. Si autem ea, quæ Deus nobis infligit, invite ac reluctanter sustineantur, tunc aderit proprie satispassio: quippe quæ invitam cruciatus supportationem requirit. Unde cum in diffinitione satisfactionis dicitur importare voluntariam sui punitionem, ita debet intelligi, ut vel sit punitio sui voluntaria, quia a proprio patiente pœna infligitur, vel quia quæ ab extrinseco accedit, acceptatur: etenim spontanea cruciatus acceptatio voluntaria sui punitio est, saltem acceptative.

§ II.

Honestatem, ac bonitatem moralem requiri ad satisfactionem decernitur.

45. Dicendum est secundo, actum satisfactorium debere esse bonum, ac honestum moraliter. Ita D. Thomas in præsenti quæst. 15, art. 1, Gonet tom. 5, disp. 13, art. 2, § 2, N. Antonius disp. 20, sect. 2, num. 1589, N. Franciscus tract. 10, cap. 10, punct. et num. 1, Suarez disp. 37, sect. 3, num. 2, Lugo disput. 24, sect. 3, Castro Palao tract. 22, disp. unica, punct. 21, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. et num. 2, et communiter Doctores. Idque satis insinuat Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 8, illis verbis: « Accedit ad hæc, quod dum « satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo « Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex « quo omnis nostra sufficientia est, confor- « mes efficimur. » Cum ergo operibus formaliter pravis Christo non efficiamur conformes, manifeste indicat, satisfactoria opera bona, ac honesta moraliter esse debere.

Assertio 2. D. Tho. Gonet, N. Anton. N. Franc. Suarez. Lugo. Castro Palao. Fagund. Concil. Trid.

46. Probatur ratione desumpta ex D. Thoma loco cit. Quoniam ut opus sit satisfactorium debet in Dei honorem cedere; sed quod moraliter non est bonum, honori Dei non consulit: repugnat igitur, actum, qui moraliter non est bonus, esse satisfactorium. Consequentia ex præmissis patet; minor quoque satis ex se liquet: nam actus liber, qui formaliter non est bonus, est

Ratio. D. Tho.

moraliter malus, quia indifferens in individuo repugnat, ut tract. 11, disp. 7, dub. 2, ex D. Thoma firmavimus ; atque ideo opus, quod moraliter non est bonum, nequit cedere in Dei honorem, cum potius ejus Majestatem lædat. Major autem ostenditur ex D. Thoma, art. citato in corpore : « Re« compensatio offensæ, *inquit*, importat adæ« quationem, quam oportet esse ejus, qui « offendit, ad eum, in quem offensa com« missa est. Adæquatio autem in humana « justitia attenditur per abstractionem ab « uno, qui plus habet justo, et additionem « alterius, cui subtractum est aliquid. « Quamvis autem Deo, quantum est ex ejus « parte, nihil subtrahi possit, tamen pec« cator quantum in ipso est, aliquid ei sub« traxit peccando, ut dictum est. Unde « oportet ad hoc quod recompensatio fiat, « quod aliquid subtrabatur a peccante per « satisfactionem, quod in honorem Dei ce« dat. Opus autem bonum ex hoc quod est « hujusmodi, non subtraxit aliquid ab ope« rante, sed magis perficit ipsum. Unde « subtractio non potest fieri per opus bo« num, nisi pœnale sit ; et ideo ad hoc ut « aliquod opus sit satisfactorium, oportet « quod sit bonum, et in honorem Dei sit. »

Confirm. 1. Confirmatur primo : ut opus satisfactorium sit, debet esse Deo acceptabile, et non odibile ; sed Deus detestatur omne opus liberum in individuo exercitum, si moraliter bonum non est : ergo ad satisfactionem requiritur moralis bonitas, ac honestas actus. Major est D. Thomæ ubi supra : « Oportet, *inquit*, quod etsi jam « offensa sit dimissa per præcedentem con« tritionem, opera satisfactoria sint Deo « accepta. » Minor vero probatur : nam sicut Deo placet omne id, ad quod sua causalitate concurrit, ita ipsi displicet omne id, quod non efficit ; sed opus liberum in individuo exercitum, si moraliter bonum non est, a divina virtute non procedit : quippe quæ solum se extendit ad ea formaliter, quæ possunt in Deum reduci tanquam in ultimum finem, et moralitas actus, qui non est formaliter bonus, cum necessario sit inordinata, in Deum tanquam in ultimum finem reduci nequit : ergo omne opus liberum in individuo exercitum, si moraliter bonum non est, Deo est odibile, atque ideo satisfactorium esse non potest.

D. Tho.

Confirmatur secundo. Actus, qui addit novum reatum ad pœnam, nequit esse pro pœna satisfactorius ; sed omnis actus, qui formaliter non est bonus, ac honestus, addit novum pœnæ reatum : ergo ut opus satisfactorium sit, necessario debet habere honestatem, ac bonitatem moralem. Consequentia ex præmissis liquet. Major sumitur ex D. Thoma in præsenti, quæst. 14, art. 1, in corpore, ubi ait : « Sicut nec ho« mini satisfaceret, qui pro alapa ei data « se ei prosterneret, et aliam similem da« ret ; » ita nequit illa actio. antiquum debitum solvere, quæ novam obligationem inducit. Minor autem probatur : omnis actio, quæ honesta, ac formaliter bona non est, est prava formaliter ; omnis actio prava est a Deo punibilis, atque ideo novum pœna reatum contrahens : ergo omnis actus, qui formaliter non est bonus, ac honestus, inducit novæ pœnæ debitum ; unde reatum antiquæ solvere non potest. C. D.

Confirmatur tertio ex D. Thoma in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 3, ad 3, ubi dicit, quod « satisfactio opus mori« torium requirit ; » sed actus meritorius debet esse moraliter bonus, ac honestus : ergo idem de actu satisfactorio sentiendum est. Consequentia ex paritate liquet. Minor ex dictis tractat. 16, disput. 1, dub. 3, ostenditur : ut actus sit meritorius, in Deum tanquam in ultimum finem debet esse referibilis, nedum habitualiter, verum, et actualiter, saltem ratione actuali virtuali ; sed actus, qui moraliter bonus, et honestus non est, habet malitiam moralem saltem levem, quæ nequit ullo modo in Deum referri actualiter, quidquid sit de relatione habituali per gratiam, cum qua compatitur : ergo actus, qui bonitatem, ac honestatem moralem non sortitur, nequit esse meritorius, et consequenter nec satisfactorius. Co. D.

§ III.

Satisfactio viæ, et gratiæ statum exposcit.

47. Dicendum est tertio, ad satisfactionem statum viatoris esse necessarium. Hanc conclusionem tradit D. Thomas in 4, dist. 17, quæst. 2, art. 4, quæstiunc. 3, eamque tuetur Gonet in præsenti disput. 13, art. 2, § 1, num. 14, communiterque Doctores ut As D. Go

ut manifestam supponunt; atque ideo breviter suadetur. Opus satisfactorium est simul meritorium; atqui ad meritum status viæ requiritur: ergo etiam ad satisfactionem. Major est D. Thomæ loco nuper relato ad 3, ubi ait: « Satisfactio opus me- « ritorium requirit. » Minorem vero ex professo probatam relinquimus tract. 16, disp. 1, dub. 4, quo lectorem remittimus, ubi etiam quandiu viæ status duret, deprehendet.

48. Dices: Animæ in Purgatorio existentes satisfaciunt pro peccatorum debitis in hac vita contractis, et nondum solutis; sed status Purgatorii non est status viæ, ut loco proxime citato statuimus: ergo satisfactio statum viatoris non exposcit. Hanc objectionem sic diluit D. Thomas ubi supra ad 3: « Dicendum, quod pœna illa, « quam Animæ in purgatorio sustinent, « non potest proprie dici satisfactio, quia « satisfactio opus meritorium requirit; « sed largo modo dicitur satisfactio debitæ « pœnæ solutio. » Igitur ob defectum status ad satisfactionem petiti, illa toleratio cruciatus amittit rationem satisfactionis proprie, et transit in impropriam, quæ cum satispassione etiam late sumpta coincidit: nam quæ proprie est talis, invitam, ac reluctantem cruciatus sustinentiam affert; quod Purgatorii animabus non convenit.

49. Dicendum est quarto, ad satisfactionem statum gratiæ esse necessarium. Ita D. Thomas hic, quæst. 14. art. 1 et 2, ubi inquit: « Quia in satisfactione oportet, quod « amicitia restituta, etiam justitiæ æquali- « tas restituatur, cujus contrarium amici- « tiam tollit, ut Philosoph. in 9, Ethic. « cap. 4, dicit; æqualitas autem in satis- « factione ad Deum non est secundum « æquivalentiam, sed magis secundum ac- « ceptationem; et ideo oportet etiam si « jam offensa sit dimissa per præcedentem « contritionem, quod opera satisfactoria « sint Deo accepta, quod dat eis charitas, « et ideo sine charitate opera facta non « sunt satisfactoria. » Cum ergo charitas a gratia separari non possit, si satisfactio charitatis statum exigit, etiam gratiæ requirere debet. D. Thomam sequuntur communiter Authores tam ejus scholæ, quam extraneæ; Cajetanus tom. 1 Opuscul. tract. 6, quæst. 2, Sotus in 4, distinct. 19, quæst. 1, art. 4, Alter Sotus lect. ultim. de satisfactione, Victoria num. 201, Ledesma in part. 4, quæst. 3, art. 2 et 3, Suarez in præsenti, disp. 37, sect. 2, n. 3, Vasquez q. 94, art. 1, dub. 4, Lugo disput. 24, sect. 2, num. 24, Castro Palao tractat. 22, disput. unica, punct. 21, § 1, num. 11, Nugnus in addition. ad 3, part. quæst. 14, art. 2, Gonet disput. 13, art. 2, § 1, N. Antonius in direct. confess. disp. 20, tract. 5, de Pœnit. sect. 2, num. 1587, N. Franciscus a Jesu Maria tract. 6, cap. 18, punct. 1, n. 5, et alii plures. Victor. Ledesm. Suarez, Vasquez, Lugo, Castro Palao, Nugnus, Gonet, N. Franc.

50. Probatur ratione ex D. Thoma deducta. Ut actio satisfactoria sit, debet esse sufficiens restituere æqualitatem per peccatum violatam; sed nulla actio existentis extra gratiam ad hujusmodi effectum est sufficiens: ergo satisfactio statum gratiæ requirit. Major ex se patet: nam peccatum, pro quo satisfactio adhibetur, in illa inæqualitate consistit, vel eam inducit. Minor vero probatur: quia actio restituens æqualitatem prædictam non abominabilis, sed Deo acceptabilis esse debet; sed actionem extra gratiam existentis abominatur Deus, illamque non respicit: quippe *Dona iniquorum non probat Altissimus.* Ecclesiast. 34, vers. 23 et *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Proverb. 15, vers. 8. Ergo actio extra gratiam existentis æqualitatem per peccatum violatam restituere nequit: etenim pœnæ hujus vitæ a gratia non valoratæ non habent proportionem, et æquivalentiam cum offensa, nec cum pœna peccatis debita. Dato tamen quod eam haberent, a Deo non probantur, nec accipiuntur, nisi gratia informentur. Unde nullum opus, quod a gratia non provenit, valet esse satisfactorium, et tollere inæqualitatem ex culpa relictam, etiamsi hæc inæqualitas in debito pœnæ temporalis hic solvendo consistat. Probatur ratione. Eccles. 34, vers. 23. Proverb. 15, v. 8.

Confirmatur primo: quia omne obsequium Deo exhibitum debetur ipsi titulo supremi dominii, et Creatoris, cui vel solo titulo nequeunt ex se facere satis: ergo nisi præcedat gratia opera illa valorans, et ratione cujus nobis donentur, ac si essent omnino propria, aliisque titulis non debita, nihil habent unde reatum pœnæ satisfacere possint: ergo ab existente in Dei amicitia fieri debent, ut facta jam quasi propria cum Domino contractum inire, et Confirm. 1.

eum ex justitia, esto non rigorosa, deobligare possimus ad debitum pœnæ temporalis dimittendum. Unde eleemosyna, quæ inter opera satisfactoria est a D. Thoma præcipue recensita, si ab existente extra gratiam, et charitatem fiat, nihil prodest nec ad meritum, nec ad satisfactionem, juxta illud Apostoli 1, ad Corinth, 13 : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Apost. 1, ad Cor. 13.

Confirm. 2. Concil. Trid.

Confirmatur secundo ex Tridentino sess. 14, cap. 8, ubi inquit ; « In Christo vivimus, movemur, et satisfacimus, facientes « fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo « vim habent.» In quibus prius ait nos in Christo vivere, et deinceps mereri, et satisfacere ; sed vivere in Christo est in ejus gratia, ac amicitia existere ; ergo sicut ad meritum prius requiritur vivere in Christo per gratiam, ita ad satisfactionem.

Probatur 2.

51. Probatur secundo. Satisfactio est actus virtutis pœnitentiæ ; sed virtus pœnitentiæ non elicit proprios actus, nisi influente gratia, cujus est proprietas, ac virtus proxime operativa, et in qua sicut in propria natura radicatur : ergo satisfactio ab existente in gratia debet procedere. Major, et consequentia patent. Minor vero, in qua poterat esse difficultas, stabilita manet in hoc tractat. disput. 5, dub. 4, § 1, ubi fuse satis probavimus, pœnitentiam esse virtutem per se infusam, et quoad substantiam supernaturalem, ac proinde principium proximum, medio quo gratia operatur tanquam natura in supernaturali ordine. Insuper tract. 12, in arbore virtutum, § 9, num. 75, ostendimus, pœnitentiam ex conceptu specifico peculiari ratione indispensabilem nexum cum gratia sortiri. Ideo quia per se primo tendit ad auferendum offensam Deo illatam media satisfactione, quem effectum habere nequit, nisi ex amicabili acceptatione in gratia fundata.

Confirmatio.

Confirmatur : quia satisfactio debet esse amicabilis compensatio Deo exhibita pro reatu, vel pœnæ debito : ergo debet fieri per actum ab amico ut amico procedentem. Sed gratia est id, quo homo amicus Dei constituitur saltem radicaliter : ergo satisfactio necessario exigit gratiæ statum.

52. Oppositam nihilominus sententiam propugnavere aliqui, quos suppressis nominibus refert D. Thomas hic quæst. 14, art. 2. « Quidam, *inquit*, dixerunt, quod post- « quam omnia peccata pro præcedentem « contritionem remissa sunt, si aliquis « ante satisfactionem peractam in pecca- « tum decidat, et in peccato existens satis- « faciat, satisfactio talis ei valet, ita quod « si in peccato moreretur, in inferno de « illis peccatis non puniretur. » Quem modum dicendi apud Suarez disp. 37, sect. 1, num. 2, secuti sunt Scotus in 4, dist. 5, art. 4, Major quæst. 1, Gabriel dist. 16, quæst. 2, art. 3, dub. 3, Medina tract. 3, quæst. 5, dub. ultim. Navarrus cap. 1, de Pœnit. dist. 6, num. 47, Durandus dist. 21, quæst. 2. Quorum fundamentum est : quia satisfacere nihil est aliud, quam Deo reddere æquale pro debito pœnæ ; sed pro pœnæ debito potest homo extra gratiam existens Deo reddere æquale, dummodo culpa, pro qua satisfactio fit, sit dimissa : ergo satisfactio gratiæ statum non exigit. Cetera constant, et minor probatur. Pœna temporalis peccatis debita est finita ; sed homo extra gratiam existens tantam pœnam assumere potest sustinendam, ut debitum adæquet ; siquidem ex uno capite pœna debita cum tam in esse entis, quam in duratione finita sit, vires hominis etiam gratia destituti non superat, et ex alio per gratiam non constituitur capax illam sustinendi : ergo potest Deo reddere æquale.

Confirmatur primo : quia dimissa culpa non manet in homine reatus ad pœnam æternam, sed ad temporalem tantum : ergo in quocumque statu sit, pœnæ, cui adstringitur, satisfacere potest. Antecedens ex D. Thomæ Opusc. 6, in expositione orationis Dominicæ, petitione 5 : « Deus, *in-* « *quit*, in contritione dimittit culpam, et « pœna æterna commutatur in tempora- « lem. » Consequentia vero probatur : nam si dimissa culpa, pœna, quæ manet luenda, est determinate temporalis, hæc in quocumque statu luatur, est ejusdem conditionis, nec fit minor per conjunctionem ad gratiam, nec major per conjunctionem ad peccatum denuo commissum : quippe commutatio, quam Deus fecit, pœnæ æternæ in temporalem est absoluta, et non sub conditione, quod peccatum non iteretur ; unde semel commutata in temporalem, hæc nunquam

nunquam, adhuc per accidens, transit iterum in æternam, quantumvis conjungatur cum alio reatu pœnæ æternæ ex culpa denuo repetita contracto : ergo in quocumque statu gratiæ, vel peccati poterit pro hujusmodi pœna Deo satisfieri.

Confirmatur secundo : nam qui ratione delicti pœnam a lege taxatam incurrit, quod illi v. g. abscindatur dextera, si manus abscissionem tolerat, inquit Scotus, etiamsi in Regis gratia non sit, proculdubio satisfacit, ac pœnæ debitum exsolvit : ergo similiter, qui lethali culpa dimissa adstringitur reatui pœnæ temporalis decem annorum, v. g. si illam assumat, ac per totidem annos sustineat, etiam satisfaciet, esto in Dei amicitia, vel statu gratiæ non existat.

53. Respondetur ad argumentum, concessa majori, negando minorem : quia Deo, cui omnia nostra opera aliis capitibus sunt debita, non possumus pro debito pœnæ so vendo reddere æquale absolute, et indepe ndenter ab ejus libera, et amicabili acceptatione, quæ in ejus gratia fundátur ; hac tamen existente in subjecto, amicumque Dei constituente, fit acceptabile illud opus, quod alioqui debitum erat, ipsumque gratia valorat, ac quodammodo proprium efficit, ut pro pœna debita possit esse satisfactorium, et reatum solvendum adæquare. Cum autem omnis operatio hominis existentis in peccato gravi careat gratiæ informatione, et ab illa non procedat, minime potest pro debito pœnæ temporalis satisfacere, nec eam ut solvendam adæquare, etiamsi homo pro solutione hujus debiti pœnam cujuslibet durationis sustinendam assumeret. Unde ad probationem minoris, concessa majori, distinguenda est minor, quæ si intelligatur de pœna tolerata, ac acceptabili a Deo pro debiti solutione, negari debet ; de pœna vero non ita a Deo acceptabili, concedi potest. Licet enim homo gratia destitutus possit pœnam temporalem sustinere æqualem in duratione, ac entitative, et materialiter cum pœna debita, non tamen formaliter ut acceptabilem a Deo pro solutione debiti, et consequenter nec ut debiti solutivam, quod requirebatur, ut esset apud Deum satisfactiva : quia illa pœna ut acceptabilis a Deo pro extinctione debiti contracti ex peccato superat vires hominis gratia non ornati, cum per gratiam constituatur acceptabilis apud Deum pro solutione hujus debiti : nam alias aliis titulis est Deo debita, et ex aliis capitibus potest eam ab homine exi- D. Tho.
gere. Quæ solutio est D. Thomæ in præsenti, art. 2, ad 4, nam cum sibi objecisset, quod « satisfactio consistit in quadam « adæquatione culpæ ad pœnam ; sed talis « adæquatio pœnæ potest etiam fieri in eo, « qui charitatem non habet : ergo, etc. » Sic respondet : « Dicendum, quod non po- « test fieri adæquatio sufficiens, nec secun- « dum divinam acceptationem, nec secun- « dum æquivalentiam ; et ideo ratio illa « non sequitur. »

Ad primam confirmationem dicimus, Enodat. confirm. 1.
quod dimissa culpa gravi, homo solum manet reus pœnæ temporalis, quæ ex conjunctione cum novo peccato lethali non fit major entitative, et moraliter, atque ideo homo existens in peccato potest pœnam entitative æqualem sustinere, ceterum infructuose, et non apud Deum pro debito solvendo acceptabilem. Cum autem pœna satisfactoria debeat esse apud Deum acceptabilis, inde oritur, quod per conjunctionem ad peccatum subsequens fiat per accidens major, non entitative, sed in ratione solubilis, et extinguibilis ob subjecti indispositionem.

Ad secundam confirmationem potest Diruitur 2.
responderi negando antecedens, quod falsum est in rigore loquendo : nam ille, cui in vindictam delicti amputatur manus, punitur quidem, et satispatitur, sed non satisfacit. Aliud namque est, judicem in vindictam delicti delinquentem punire ; et aliud, offensum, ac alapa injuriatum remittere injuriam, vel pœnam debitam, satisfactione delinquentis jam placatum : ad hoc quippe requiritur amicitia, cum satisfactio ut distincta a satispassione non solum intendat media pœna vindicare culpam, sed reintegrare, et conservare amicitiam. « Cum ergo » (ait D. Thomas in præsenti quæst. 14, art. 1, in corpore) « quodlibet peccatum amicitiam charitatis « impediat, quæ est hominis ad Deum, « impossible est, ut homo de uno peccato « satisfaciat, alio retento ; sicut nec ho- « mini satisfaceret, qui pro alapa ei data « se ei prosterneret, et aliam similem « daret. »

§ IV.

Quid sentiendum de intentione ad satisfactionem?

Assertio 5. 54. Dicendum est quinto, etiam requiri ad satisfactionem intentionem satisfaciendi. Hæc conclusio potius supponitur, quam a Ratio. Theologis disputatur. Suadetur tamen primo : quia ad satisfaciendum necessaria est operis exhibitio, quæ satisfactio sit ; sed nullum opus sine intentione formali, aut virtuali satisfaciendi est satisfactio : ergo ad satisfactionem necessaria est intentio satisfaciendi. Consequentia est legitima ; major ex se liquet, et inductione potest ostendi : etenim ad orandum necessaria est operis exhibitio, quæ sit oratio ; ad restituendum positio actus, qui sit restitutio, etc. ergo similiter ad satisfactionem requiritur operis exhibitio, quæ satisfactio sit. Minor vero probatur : quippe Deo satisfacere, est exhibere compensationem debiti ex peccato contracti ; sed opus Deo præstitum sine intentione formali, aut virtuali satisfaciendi non est compensatio debiti contracti ex peccato commisso : ergo ut operis exhibitio sit satisfactio, debet fieri cum intentione formali, aut virtuali satisfaciendi. Hæc minor, in qua est difficultas, ostenditur : nam compensatio debiti per culpam contracti est actus virtutis pœnitentiæ, qui fieri debet ab ipsa virtute sub proprio motivo ; sed motivum pœnitentiæ est satisfacere Deo debitum contractum per peccatum : ergo opus Deo præstitum sine hoc motivo, vel intentione non est compensatio debiti. Si enim fiat ex alio motivo, erit actus alterius virtutis, uti si fiat ex intentione Deum colendi, erit actus religionis ; si ex animo obsequendi pro beneficiis, erit actus gratitudinis, et sic de aliis : ergo vel satisfactio non est pœnitentiæ actus, vel si est, necessario exigit intentionem, ac motivum illius.

Confirm. 1. Confirmatur primo ; nam qui opus satisfactorium exhibet cum intentione non satisfaciendi proprium debitum, sed alienum, hoc, et non illud, solvit : ergo qui opus alias satisfactoriam exhibet sine intentione pro se, vel pro alio satisfaciendi, nullius debitum extinguit. Antecedens sumitur ex D. Tho. D. Thoma in præsenti, quæst. 13, art. 2, ad 2, ubi inquit : « Non autem qui pro « alio satisfacit, pro se satisfacit. » Consequentia autem probatur : etenim ideo ille pro se non satisfacit, quia excludit, vel non habet intentionem proprium debitum extinguendi, sed tantum alterius compensare vult : ergo qui non habet intentionem compensandi proprium, vel alienum, nullius debitum solvit.

Confirmatur secundo : nam qui Psal- Co
mos, Hymnos, Lectiones, et alia, quæ in horis canonicis continentur, perlegeret non animo orandi, sed intentione studendi, minime oraret, nec præceptum recitandi adimpleret : quippe qui rem præceptam non poneret, quæ est lectio ex animo orandi. Ergo qui opus, alias bonum, et honestum, exhibet sine intentione Deo pro peccatis satisfaciendi, neutiquam satisfaceret ; non enim exhibet actum debitum, sed alium distinctum.

55. Diximus *sine intentione formali, aut virtuali* : quia ad satisfactionem non requiritur formalis, ac expressa, sed virtualis, et implicita sufficit. Hæc autem quæ sit, et qualiter a formali, ac habituali distinguatur, explicuimus tractat. 11, disp. 5, dub. 5, et tractat. 22, disput. 7, dub. 2. In præsenti autem materia tunc adest virtualis intentio, dum eliciens opus satisfactorium non excludit positive intentionem formalem satisfaciendi, sed vult lucrari apud Deum omnem fructum, qui ex illo actu provenire valet, esto expresse memor satisfactionis non sit : quippe in hujusmodi generali intentione intentio satisfaciendi implicite continetur. Nota tamen, ad satisfactionem non requiri ponere opus satisfactorium ex motivo, vel intentione adimplendi præceptum satisfaciendi, a Deo, vel confessario injunctum ; sed sufficit exhibere rem præceptam ex motivo tamen satisfaciendi : nam hæc duo satis distincta sunt. Aliud est enim, actum elicere ex motivo obediendi præcepto imperanti satisfactionem ; aliud actum elicere ex motivo satisfaciendi. Primum constituit actum ad obedientiam spectantem, quia fit sub ejus proprio motivo, ac ratione formali sub qua. Secundum constituit actum pœnitentiæ ; quippe motivum, vel intentio satisfactionis est ejus ratio formalis. Et quamvis utraque intentio conjungi valeat in eodem actu ; non tamen ad constituendum satisfactionem requiritur prima, sed vel sola

sola secunda sufficit. Quod colligitur ex D. Thoma 2, 2, quæst. 104, art. 3, ad 2, ubi ait : « Licet actus virtutis cadat sub « præcepto, potest tamen aliquis implere « actum virtutis non attendens ad ratio- « nem præcepti ; » id est præceptum, vel ad obediendum præcepto, ut ex contextu, ac articuli materia patet. Idque exemplis declarari potest : nam qui Deum colit, parentes honorat, sacrum in die festo audit, licet hæc non faciat ex intentione illa præcepta adimplendi, ea adimplet, ut communis fert sententia, et elicit actum Religionis, vel pietatis : ergo similiter dicendum erit de exhibente aliquod opus ex intentione satisfaciendi, quod licet non fiat ex motivo obediendi præcepto, erit tamen satisfactorium.

56. Adversam nihilominus assertioni sententiam tuentur aliqui diversimode opinantes. Ludovicus enim de Gandavo (cui tribuitur hic modus dicendi) tenet, desiderari ad satisfactionem expressam ac formalem intentionem satisfaciendi, et non sufficere virtualem ; idque ex eo probat, quia opus, quod non fit ex intentione formali satisfaciendi, non est actus justitiæ vindicativæ ; sed ut sit satisfactorium, debet esse actus prædictæ virtutis, quum hæc sit, quæ satisfactionem exquirit : ergo ad satisfactionem opus est intentione formali. Majorem probat a similitudine cujuslibet alterius debiti, quod non extinguitur, nisi actui solutionis adsit formalis intentio solvendi debitum. Si quis enim (inquit hic Author) Petro debet decem, et absque animo solvendi totidem ei tribuit, debitum non solvit, sed ut antea adstrictus solutioni manet.

Alii vero extremam arripuere viam, nullius etiam virtualis intentionis necessitatem agnoscentes ; sed sufficere inquiunt, ut opus satisfactorium sit illud exhibere ob alios fines, conditionibus tamen supra assignatis indutum. Ita N. Antonius disput. 20, sect. 2, num. 1593, apud quem etiam Suarez, et Lugo. Et probant : quia ad meritum non requiritur aliqua intentio consequendi præmium, sed sufficit opus exequi præmio dignum, imo eo altiori præmio est dignum, quo liberalius, ac prorsus extra omnem lucri intuitum exhibetur : ergo idem de satisfactione sentiendum est. Consequentiam inde probant, quia sicut meriti valor in æquitate fundatur, ita etiam valor satisfactionis ; sed æquum est, ut qui recte operatur, præmium lucretur, etiamsi operatio præmii intentione non fiat : ergo similiter æquum erit, ut qui sufficienter passus est ad pœnam peccati extinguendam, deinceps non puniatur, etiamsi illa perpessio intentione extinguendi illud debitum facta non fuerit.

57. Verum hæc levia sunt, et facile dispelluntur. Ad primum respondetur negando majorem, ad cujus probationem etiam negatur assumptum : nam ad quodlibet debitum justitiæ vindicativæ, aut commutativæ extinguendum, minime exigitur intentio formalis, ac expressa debitum extinguendi, sed virtualis, et implicita, quam assignavimus, sufficit. Et ad instantiam adductam dicendum est quod si quis absque animi intentione tam formali, quam virtuali solvendi, quod creditori debet, ei tribuit, debitum non extinguit, sed ad solutionem adhuc adstringitur. Ita Nicolaus Baldellus, vir in moralibus satis eruditus, Nicol. Baldel. tom. 1, lib. 5, disp. 25, num. 18, in sui patrocinium adducens legem, *Cum ex pluribus, ff. de solutionibus*, quem sequitur Diana part. 5, tract. 13, resol. 94.

Ad secundum, concesso antecedenti, neganda est consequentia. Cujus disparitas in eo consistit, quod satisfactio est actus proprius virtutis pœnitentiæ, atque ideo ex motivo pœnitentiæ fieri debet, ut ab aliis virtutibus distinctæ ; motivum autem pœnitentiæ est inæqualitatem per peccatum inductam rescindere, et omne debitum ex culpa relictum solvere. Unde satisfactio, si non fit ex hoc motivo, ac intentione, sed ex aliis, non erit actus pœnitentiæ, et consequenter nec satisfactio, sed actus ad aliam virtutem spectans. Meritum vero formaliter sumptum est actus charitatis virtualiter saltem imperantis, ac ordinantis ad Deum ultimum finem actus aliarum virtutum, per quos meritum materiale distenditur. Quocirca cum actus charitatis sit amicabilis Dei amor, et ad distinctionem amoris concupiscentiæ solum Deum propter se ipsum, ac ejus bonum respiciat, non vero propter bonum, quod homini ex hujusmodi amicitia provenire valet ; nil mirum, quod ad meritum intentio præmium lucrandi non requiratur.

§ V.

Corollaria, in quibus nonnullæ expediuntur difficultates.

1 Difficultas. Decidi-tur. 58. Huc usque dictis satis propinqua sunt alia dubiola, quæ ad perfectiorem hujus materiæ intelligentiam attexere, ac decidere oportet. Inquires ergo primo, an ultra assignatas conditiones requiratur, opus esse pœnale, ut satisfactorium sit? Respondetur affirmative cum D. Thoma in præsenti, quæst. 15, art. 1, ubi rem agit, et sententiam hoc satis efficaci ratiocinio convincit : « Respondeo dicendum, quod satisfactio, « ut dictum est, respectum habet ad præte- « ritam offensam, pro qua recompensatio « fit per satisfactionem; et etiam ad futu- « ram culpam, a qua per eam præserva- « mur ; et quantum ad utrumque exigitur, « quod satisfactio per opera pœnalia fiat : « recompensatio enim offensæ importat « adæquationem, quam oportet esse ejus, « qui offendit, ad eum, in quem offensa « commissa est. Adæquatio autem in hu- « mana justitia attenditur per subtractio- « nem ab uno, qui plus habet justo, et « additionem ad alterum, cui subtractum « est aliquid. Quamvis autem Deo, quan- « tum est ex ejus parte, nihil subtrahi « possit; tamen peccator, quantum in ipso « est, aliquid ei subtraxit peccando, ut dic- « tum est. Unde oportet ad hoc quod recom- « pensatio fiat, quod aliquid subtrahatur a « peccante per satisfactionem, quod in « honorem Dei cedat. Opus autem bonum « ex hoc quod est hujusmodi, non subtrahit « aliquid ab operante, sed magis perficit « ipsum. Unde subtractio non potest fieri « per opus bonum, nisi pœnale sit. Et ideo « ad hoc ut aliquod opus sit satisfactorium, « oportet quod sit bonum, et in honorem « Dei, et pœnale, ut per hoc aliquid pecca- « tori subtrahatur. Similiter etiam pœna a « culpa futura præservat, quia non facile « homo ad peccata redit, ex quo pœnam « expertus est ; unde secundum Philoso- « phum, pœnæ medicinæ sunt. » D. Tho- mam sequuntur D. Bonaventura 2, par. art. 1, quæst. 3, ad 4, Durandus quæst. 5, Sylvester verbo *satisfactio*, et alii.

D. Tho. D. Bon. Durand. Sylvest.

Objectio 59. Dices : opus, quod est tanti valoris, ut possit attingere id, quod est plus quam satisfacere, etiam satisfacere valebit : sed quodlibet opus meritorium, esto pœnale non sit, est tanti valoris, ut pertingat ad id, quod est plus quam pœnam peccatis debitam solvere : ergo etiam gaudebit valore ad satisfaciendum. Major nititur communi axiomate : *Qui potest ad magis, potest ad minus.* Minor autem ostenditur : quia plus est augere gratiam, et jus præbere ad gloriam, quam debitum pœnæ solvere; sed quodlibet opus meritorium, esto pœnale non sit, sortitur valorem ad gratiæ augmentum, et ad gloriam adipiscendam : ergo attingere valet id, quod est magis quam satisfacere. Tum etiam : quoniam opus vitæ æternæ meritorium est etiam meritorium ablationis cujuscumque impedimenti ad illius consecutionem ; sed ex impedimentis ad gloriæ assecutionem unum est reatus pœnæ temporalis, qui per satisfactionem solvendus est ; ergo opus meritorium remotionem hujusmodi impedimenti consequitur, ad quod opus est ut satisfactorium sit. Tum denique : quia ex nostra assertione sequitur, opera magis pœnalia esse magis satisfactoria ; sed oppositum passim accidit : ergo, etc. Sequela constat : quippe *ita se habet magis ad magis, sicut simpliciter ad simpliciter ;* unde si ut opus sit simpliciter satisfactorium, requiritur quod sit pœnale, quod fuerit magis pœnale, erit magis satisfactorium. Minor vero suadetur ; etenim opera pietatis, altissimæ contemplationis, ac charitatis ardentissimæ, extra dubium est, esse magis satisfactoria, quam corporalis abstinentia, et carnis maceratio, juxta illud Pauli 1, ad Timoth. 4 : *Exerce te ipsum ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia.* Ubi ait D. Thomas : « Præfert abstinentiæ « pietatem, et accipitur hic utroque modo, « scilicet, pro cultu Dei, et misericordia. » Atque hujusmodi opera non sunt magis, sed minus pœnalia, quam corporalis afflictio, et abstinentia, quum in plurimum mira sint suavitate perfusa, præsertim opera charitatis, de quibus 1 Joannis dicitur : *Charitas pœnam non habet :* ergo major pœnalitas opera satisfactoria non reddit.

Verum hæc parvi momenti sunt. Ad primum enim negatur major; ad cujus probationem dicendum est, illud axioma solum verificari, dum id, quod est magis, et

et id quod est minus, sunt ejusdem rationis, ac ex eodem capite proveniunt; secus vero, si oppositum contingat, ac ex diversis principiis ortum ducant. Quod patet exemplis. Tum, quia peccatum lethale quid majus est, quam veniale; et nihilominus gratia pertingens ad deletionem peccati mortalis nequit se sola independenter ab aliquo actu elicito ab homine, in quo peccatum veniale præexistit, illud delere; ut ostendimus tractat. 15, disp. 2, dub. 8, num. 307. Tum, quia (idque propius ad rem accedit) quid majus est mereri gratiæ augmentum, et ad gloriam consequendam acquirere jus, quam primitias Deo debitas solvere; et tamen qui in gratia constitutus elicit actum charitatis, vel alterius virtutis, esto ad augendam gratiam pertingat, et ad jus acquirendum ad gloriam, minime illo virtutis actu primitias Deo debitas solvit. Quæ ideo ita sunt, quia decimarum solutio, et jus ad gloriam diversæ rationis sunt, ac ex distinctis formis proveniunt, sicut etiam per diversas formas excluduntur peccatum mortale, et veniale. Quocirca licet magis sit gratiam augere, et jus ad gloriam fundare, quam pœnam peccatis debitam solvere, inde minime colligitur, quod actus pertingens ad primum, pertingat etiam ad secundum: quia mereri, ac satisfacere, licet in eodem actu coincidant, et sunt diversæ rationis, et ex satis distinctis motivis, ac principiis oriuntur; cum primum a charitate ex motivo Deo placendi fiat, secundum vero a pœnitentia ex intuitu debitum rescindendi. Unde quam optime valet opus ut meritorium sit, pœnalitate non indigere, et ut satisfactorium sit, illam exposcere.

Ad secundum respondetur, opus meritorium vitæ æternæ mereri etiam ablationem cujuscumque impedimenti ad eam assequendam se tenentis ex parte præmii, vel præmiantis, non vero ex parte merentis, ut diximus tractat. 16, disput. 6, dub. 3, num. 65. Quod manifesta instantia convincitur: quippe non minus impedimentum est ad gloriam assequendam peccatum veniale, quam reatus pœnæ temporalis; sed ille, qui in statu gratiæ elicit aliquem virtutis actum vitæ æternæ meritorium, ex hoc præcise non tollit peccatum veniale: ergo opus vitæ æternæ meritorium non affert secum ablationem cujuscumque impedimenti ad gloriæ assecutionem. Deinde longe majus impedimentum est ad gloriam assequendam peccatum mortale committendum ab eo, qui est in statu gratiæ, quam reatus ad pœnam temporalem illius, qui actu est in eodem gratiæ statu; atqui per actum vitæ æternæ meritorium elicitum ab eo, qui est in statu gratiæ, non meretur reparatio lapsus futuri, nec de potentia absoluta mereri potest, ut loco citato statuimus: ergo ex vi actus meritorii vitæ æternæ non colligitur ablatio impedimenti ad illius assecutionem. Imo ex opposito fieret, per minimum virtutis actum, ab existente in gratia elicitum, tolli omnem reatum ad pœnam temporalem, etiam ex quamplurimis peccatis lethalibus contractum: nam ex uno capite magnus ille reatus ad pœnam temporalem non solum quoad partem pœnæ, sed quoad totam est impedimentum ad gloriæ assecutionem; et ex alio quilibet etiam minimus virtutis actus in statu gratiæ elicitus, cum sit meritorius vitæ æternæ, mereretur etiam, juxta objectionem, ablationem cujuscumque impedimenti ad illam assequendam. Hæc autem veritati esse dissona, experientia ipsa convincit; quandoquidem animæ in purgatorio longo tempore in cruciatibus detinentur, esto dum erant in viæ, ac gratiæ statu, plures vitæ æternæ meritorios elicuerint actus. Quocirca ex eo quod quis mereatur absolute vitam æternam, minime colligitur, saltem ex vi objectionis, quod absolute mereatur remotionem reatus ad pœnam temporalem peccatis debitam. Et ratio est, quia hujusmodi reatus se tenet ex parte merentis, et non ex parte præmii, vel præmiantis, atque ideo Deus non tenetur ex vi actus meritorii illum reatum dimittere, sed tantum dicere: « Dabo tibi gloriam, quam meruisti, si impedimentum, « quod habes ad eam accipiendam abstuleris. » Unde quemadmodum perseverantia in gratia, quæ necessaria omnino est ad gloriæ assecutionem, nequit absolute mereri ex vi actus meritorii vitæ æternæ, quia non se tenet ex parte præmii, ita ob eandem rationem nec remotio reatus pœnæ temporalis. Videantur dicta loco, et numero citatis.

Adde primo, quod licet opus meritorium vitæ æternæ mereri valeat ablationem

reatus pœnæ, hæc tamen ablatio respondebit merito per modum præmii ; atque adeo opus illud, si pœnale non est, non auferet prædictum reatum per modum satisfactionis : quippe ad rationem operis satisfactorii ut talis pœnalitas desideratur. Adde secundo, nullum forte esse opus meritorium, quod ex se aliqualiter laboriosum, ac pœnale non sit: nam ut sit meritorium, debet esse moraliter bonum, ac honestum ; hoc autem nequit absque aliqua pœnalitate exerceri. Quid enim aliquibus delectabilius, quam suavi, ac delicato uti alimento ? Et nihilominus si juxta regulas morum fiat (quod ut sit honestum desideratur) non nisi moderate, et in ordine ad honestum finem fieri debet ; hoc autem exercere sub tali regula, ac moderamine, aliquam affert pœnalitatem, cum coercitivum sit sensitivæ naturæ.

Ad tertium respondetur concedendo sequelam intellectam de operibus, quæ per se, et ex parte operis sunt magis pœnalia, non vero de illis, quæ majorem pœnalitatem afferunt per accidens, et ex parte operantis. Quæ solutio sumitur ex D. Thoma D. Tho. in præsenti, quæst. 15, art. 1, ad 2, ubi ait : « Quod sicut in satisfactione consideratur pœnalitas, ita, et in merito consideratur difficultas. Diminutio autem « difficultatis, quæ est ex parte ipsius « actus, diminuit (ceteris paribus) meritum ; sed diminutio difficultatis, quæ est « ex promptitudine voluntatis, non diminuit meritum, sed auget. Et similiter « diminutio pœnalitatis ex promptitudine « voluntatis, quam facit charitas, non diminuit efficaciam satisfactionis, sed auget. » Similia tradit 1, 2, quæst. 114, art. 4, ad 2. Itaque opera charitatis, pietatis, ac Religionis ex se satis difficilia, si per accidens ob dispositionem, et promptitudinem subjecti fiant suavia, sicut non diminuitur meritum, sed augetur, ita illorum vis satisfactiva crescit. Cui doctrinæ præallegatum Apostoli testimonium minime officit : quippe ut ibi lect. 2, exponit D. Tho. D. Thomas : « Præfert pietatem abstinentiæ, quia hæc, et cetera hujusmodi in « sua natura non sunt bona, sed pœnalia ; « et si homo non peccasset, nihil eorum « fuisset ; sed sunt bona medicinalia, in « quantum comprimunt concupiscentias : « ergo ad istud modicum sunt utilia, quia « tantum ad morbum peccati carnalis, non « spiritualis ; pietas autem ad omnia pec« cata delenda. » Ex quibus quid Apostolus intenderit, liquet.

60. Inquires secundo, an actus cadens sub præcepto valeat esse satisfactorius ? Affirmative respondetur cum Cajetano tom. 1 Opusc. tract. 6, quæst. 1, Soto dist. 19, q. 2, art. 1, Victoria num. 203, Ledesma quæst. 14, art. 1, dub. 5, Gonet disp. 13, art. 2, § 2, num. 21, Nugnus quæst. 15, art. 2, difficult. 2, conclus. 1, Suarez disp. 32, sect. 4, n. 4, N. Franciscus tractat. 6, cap. 10, punct. 3, num. 28, N. Antonius tractat. 5, disput. 20, num. 1591, et alii. Ratione suadetur : nam ille actus est satisfactorius, qui habet omnes conditiones satisfactionis ; sed actus cadens sub præcepto potest habere omnes satisfactionis conditiones : ergo potest esse satisfactorius. Consequentia est legitima ; major ex se liquet ; minor autem probatur : quia præceptum, sub quo cadit actus, non tollit ab actu quod sit liber, alias præceptum adimpleri non posset ; nec quod sit moraliter bonus, cum potius illi bonitatem saltem objectivam tribuat ; nec quod sit pœnalis ; quippe quod pœnalitatem sibi subeundi liberum arbitrium addit ; nec tandem quod a gratia in statu viæ procedat, ac in debiti solutionem ordinari possit, ut ex se constat ; atqui eæ conditiones satisfactionis, quibus positis, ponitur satisfactio : ergo actus cadens sub præcepto omnes satisfactionis conditiones sortiri valet, atque adeo esse satisfactorius. Equidem nemo negare poterit, martyrium, virtutis actum præstantissimum, esse pro temporali pœna satisfactorium, licet alias sub præcepto cadat, ac martyr pro fidei confessione vitam contemnere teneatur.

Confirmatur : nam Christi mors fuit perfectissime satisfactoria pro pœnis, quibus homines erant adstricti ; sed Christi mors fuit debita ex Patris præcepto de morte pro hominum redemptione subeunda : ergo actus cadens sub præcepto satisfactorius esse potest. Consequentia ex præmissis infertur. Major est fide sancita, ut tractat. 21, disp. 1, dub. 6, stabilivimus. Minorem autem etiam fuse probavimus eodem tractat. disput. 27, dub. 4, § 2 ubi statuimus, humanam Christi voluntatem fuisse vero præcepto obligatam ad mortem, non solum

olum absolute, et secundum se, verum tiam quoad omnes circumstantias, quibus le facto executioni mandata fuit.

61. Nec refert, si huic doctrinæ objicias estimonium D. Thomæ in 4, dist. 15, quæst. 1, art. 2, ad 3, ubi oppositum sen- ire videtur, dum inquit : « Quod quamvis « posse suum totum homo debeat, non « tamen ab eo exigitur de necessitate, ut « totum, quod possit, faciat ; quia hoc est « impossibile secundum statum præsentis « vitæ, ut totum posse suum ad aliquid « unum expendat, cum oporteat circa multa « esse solicitum ; sed est quædam mensura « homini adhibita, quæ ab eo requiritur, « scilicet, impletio mandatorum Dei, et « super ea potest aliquid erogare, ut satis- « faciat. » In quibus distinguit opera man- latorum, vel præceptis subjecta, ab operi- us supererogationis, et ex præcepto non ebitis ; ac istis, et non illis, vim satisfa- iendi tribuit, dum ait : « Et super ea potest aliquid erogare, ut satisfaciat. »

Non, inquam, hoc refert : nam tam longe best, ut in illo articulo D. Thomas asser- ioni nostræ contradicat, ut potius faveat. bi enim ostendit, hominem posse Deo bsolute satisfacere ; at cum offensa gravis, uæ est primarium objectum satisfactionis, it infinita, et illi nequeat homo ad æqua- itatem satisfacere, sed solum ad propor- ionem ab eo taxatam, quæ in adimple- ione mandatorum Dei consistit ; « ideo, inquit, sufficit quod homo reddat quod potest, quia amicitia non exigit æquiva- lens, sed quod possibile est. » Et insuper ddit, quod ultra opera mandatorum adim- letiva, quæ primario ad satisfactionem ro offensa exiguntur, « potest aliquid erogare, ut satisfaciat, » ordinando etiam d hujusmodi satisfactionem supererога- ionis actus. Licet enim omnes actus, sive adentes sub præcepto, sive non, Deo titulo reationis debeantur, atque ideo satisfac- orii esse nequeant, tamen Dei gratia sup- osita, illi actus nobis donantur tanquam mnino proprii, ac nullo alio titulo debiti, t a nobis ordinati ad debitum peccati sol- endum satisfacere possimus pro offensa nfinita ad proportionem tantum, pro pœna ero temporali ad æqualitatem omnino- am.

62. Nec iterum obest, si opponas autho- itatem D. Anselmi lib. I, *Cur Deus homo* cap. 20, ubi ait : « Per illa fit satisfactio, « quæ non possent ab homine exigi, si « non peccasset ; » sed opera sub præcepto cadentia possent ab homine exigi, esto non peccasset : ergo actus præceptus nequit esse satisfactorius. Insuper, idem Anselmus ibidem inquit : « Cum reddis aliquid, quod « debes Deo, etiamsi non peccasti, non « debes computare pro debito, quod debes « ex peccato. » Ergo per exhibitionem actus, quem homo, sive peccaverit, sive non, exequi tenetur, non extrahitur ab obligatione solvendi debitum pœnæ ex peccato contractum : ergo actus præceptus est incapax habendi rationem satisfactionis.

Ad primum enim respondetur, Anselmum intelligendum esse de illis operibus, quæ, si homo non peccasset, non possent a Deo exigi jure satisfactionis, vel compensationis pro peccato ; non vero de illis, quæ licet non jure satisfactionis, possent tamen aliis titulis exposci. Nullum autem est creaturæ opus, quod Deo titulo supremi dominii, ac creationis debitum non sit ; atque ideo quod exposci illis titulis non valeat, etiamsi nullum peccatum commissum fuerit. Ceterum jure satisfactionis, si peccatum non præcessit, exigere illa non potest. Unde opera præcepta possunt esse satisfactoria : quia hæc, si homo non peccasset, non possent jure satisfactionis exposci. Vel dicas, Anselmum tam in prima, quam in secunda authoritate solum intendere, satisfactionem regulariter, ac in plurimum fieri debere operibus supererogationis, vel non præceptis ; non vero quod absolute, et simpliciter fieri nequeat actibus sub præcepto cadentibus. Adde, secundam authoritatem solum docere, eundem actum non esse Deo offerendum in duplicis debiti solutionem. Unde si exhibeatur in solutionem debiti colendi Deum, computari non debet in extinctionem reatus pœnæ peccati : quippe vix poterit primo debito facere satis. Ceterum si in secundi debiti solutionem ordinetur, præscindere debet a primo : tunc enim hujusmodi actus reputatus virtute gratiæ tanquam proprius, ac nullo alio titulo debitus, dirigendus est tanquam ad unicum finem in reatus pœnæ temporalis solutionem. Diluitur.

63. Sed urgebis : satisfacere est exhibere æquale debito ; sed non fit debito Replica.

æquale per exhibitionem operis alias ex præcepto debiti : ergo actus præceptus nequit esse pœnæ temporalis satisfactorius. Minor, in qua est difficultas, suadetur : nam duplici debito non fit æquale per unicam, ac simplicem solutionem ; unde si Petrus ratione contractus Joanni aureos viginti debet, et totidem ratione furti eidem facti, nequit viginti exhibendo utrumque debitum solvere ; sed debitum, v. g. jejunandi in quadragesima, ac debitum jejunandi ob peccatum commissum, est duplex debitum : ergo non fit æquale debito per exhibitionem operis alias præcepti : quippe hæc simplex solutio est utrique debito inadæquata.

Confirmatur. Confirmatur : nam si actus præceptus valeret esse satisfactorius, posset pœnitens jejunium sibi in satisfactionem a sacerdote impositum adimplere in die quadragesimali, licet alias ex Ecclesiæ præcepto illa die jejunare teneretur ; hoc autem contradicit communi fidelium praxi, mentique confessariorum opponitur : ergo manifestum est, satisfactionem non posse fieri per jejunium, vel actum alias præceptum.

Enodatur. Respondetur negando minorem, ad cujus probationem diceudum est, satisfactionem ex terminis importare exhibitionem operis debito æqualis, atque ideo juxta æqualitatem satisfactionis debere esse æqualitatem cum debito. Unde satisfactio condigna exigit æqualitatem arithmeticam, et congrua geometricam. Hinc autem tantum deducitur, per unicam, ac simplicem solutionem uno debito adæquatam non posse fieri æquale duplici debito, si utrumque ut tale persistat, et ex illis aliquod a creditore non remittatur, vel solutio pro uno debito facta in remissionem utriusque non acceptetur. Ceterum minime evincitur, quod illa simplex, et unica solutio non sit ad omnimodam æqualitatem, si creditor ex gratiosa liberalitate eam acceptet in utriusque debiti solutionem, vel si unum debitum quasi libenter remittat, et in solutionem alterius eam satisfactionem recipiat; quo pacto se habet Deus, dum misericorditer peccatori gratiam infundit : hac quippe præsupposita, divinæ placuit bonitati, opera alias præcepta, vel debita aliis titulis in extinctionem debiti pœnæ peccati acceptare, ac si nullo alio titulo deberentur. Idque meriti exemplo liquet : etenim actus nostri jure servitii, imo, et jure alicujus præcepti, sunt Deo debiti, atque ideo in rigore justitiæ, et seclusa Dei promissione, nullum præmium promereri poterant ; et nihilominus, quia Deus misericors, ac benignus est, eosdem actus sibi debitos aliis titulis, ac si nullo alio deberentur, in ordine ad præmium acceptat, et pro eisdem gloriam promittit, ut tractat. 16, disput. 1, dub. 3, num. 19, ostendimus. Sic ergo in præsenti casu contingit ; licet actus titulo præcepti sit debitus, acceptatur a Deo in solutionem pœnæ peccati. Nec exemplum in objectione adductum probat oppositum : nam quod Petrus in illo casu per exhibitionem viginti aureorum utrique debito ex contractu, et ex furto ad æqualitatem non satisfaciat, inde oritur, quia creditor nullam regulariter misericordiam erga debitorem exercet, nec solutionem uni debito adæquatam acceptat in satisfactionem utriusque. Si enim hujusmodi gratiosa acceptatio existeret, proculdubio per unicam exhibitionem viginti aureorum creditori ad æqualitatem fieret satis, ac utrumque debitum extingueretur, ut in nostra satisfactione accidit.

Ad confirmationem dicendum est pœnitentem jejunium sibi in satisfactionem a confessario injunctum adimplere posse in die quadragesimali, si confessarius id ita explicuit, vel saltem implicite innuit, ut contingeret dum sacerdos alicui in pœnitentiam injungeret, ut omnibus diebus alicujus determinatæ Hebdomadæ jejunaret, in qua aliqua vigilia incidit : in hoc enim casu per vigiliæ jejunium, alias ab Ecclesia præceptum, pœnitentiam impleret, ac pro peccatis simul satisfaceret, nec alia die extra illam Hebdomadam jejunare teneretur, ut docet N. Andreas tom. 3, tractat. 11, cap. 2, punct. 9, num. 151. Ceterum si sacerdos pœnitenti absolute jejunium præcipit non explicando an intra, vel extra quadragesimam exercendum est, minime pœnitentiam explet per exhibitionem jejunii in die quadragesimali. Cujus ratio est, quia nomine pœnitentiæ semper intelligitur opus supererogationis : quippe cum satisfactio opus pœnale, ac onerosum a sacerdote injunctum requirat, et actus præceptus sit onus alias impositum independenter a confessario ; ideo isti, regulariter loquendo, supererogationis

opera

opera in pœnitentiam injungunt; atque ideo pœnitentiæ nomine supererogationis opus intelligi, ac interpretari debet, nisi aliud de sacerdotis intentione constet. Hinc autem minime colligitur, quod absolute loquendo actus alias præceptus non valeat esse satisfactorius: tum, quia si præceptum de jejunio quadragesimali esse meritorium non tollit, cur esse satisfactorium impediet? Tum, quia ut recte vidit Sotus in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 1, et N. Antonius, Ecclesia quadragesimalia jejunia, vigilias, et quatuor temporum tam in peccatorum satisfactionem instituit, quam in carnis macerationem, ac meritum vitæ æternæ; unde in præfatione accinit: « Qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largiris, ac præmia. » Si ergo ab Ecclesia in hunc finem ordinata sunt, quilibet etiam pro suo libito in eundem finem eadem præcepta jejunia dirigere valebit, atque ideo actibus sub præcepto cadentibus absolute satisfacere.

Unde infertur, quod licet confessarius supererogationis opera in pœnitentiam regulariter injungat, ac debeat; nihilominus justa interveniente causa debilitatis, aut fragilitatis pœnitentis etiam actus præceptos in satisfactionem imponere potest. Ita Sotus loco proxime citatus, Aversa, Suarez, Nugnus, Navarrus, Victoria, Lugo, P. Franciscus, N. Antonius, N. Gabriel, P. Thomas a Jesu in tribun. conscient. pract. 2, cap. 2, et alii. Quocirca si pœnitens jura communia, vel jejunia Ecclesiæ non servat, vel horas canonicas non persolvit, horum executio in satisfactionem præcipi potest, dummodo credatur pœnitens hac ratione facturus. Ad quod non exigentiori motivo indiget sacerdos, quam illud credendum, pœnitentem quamlibet aliam actionem supererogationis in satisfactionem præceptam adimpleturum. Si illum prudenter non credit, quod pœnitens adimplebit actum, ad quem tenetur, et ex Ecclesiæ præcepto, et ex pœnitentia a confessario injuncta, sibi minus persuadere valebit, eundem pœnitentem executurum opus supererogationis, in satisfactionem injunctum, ad quod solum ex sacerdotis præcepto adstringitur. Consultius tamen apparet adhuc in similibus casibus actui præcepto in pœnitentiam injuncto supererogationis quid aliud addere. Quæ omnia confessarii prudentiæ committenda sunt, ut juxta subjectorum circumstantias quod expedientius videbitur, decernat.

64. Inquires tertio, an possit quis pro uno peccato satisfacere, et non pro alio? Ad quod sub distinctione respondendum est. Nam vel utrumque peccatum quoad culpam supponitur jam dimissum, vel non? Si primum, et qui satisfacit est in statu gratiæ, certum est posse pro uno satisfacere, et non pro alio: quippe si satisfactio applicari valet pro pœna peccatis alterius, et non pro debito peccati proprii, etiam applicari valebit in extinctionem unius peccati proprii, et non in extinctionem alterius ejusdem subjecti. Tum etiam, quia si homo potest ad æqualitatem Deo satisfacere pro peccatis, ut dub. 1 hujus disp. dictum est, nullum fundamentum apparet, cur non valeat pro uno peccato ad æqualitatem satisfacere, alio relicto. Unde ita sentit Nugnus hic q. 14, concl. 2. Si vero in secundo sensu accipiatur difficultas, negative respondendum esse jam constat ex dictis. Nam cum satisfactio debeat fieri ab existente in gratia, si utrumque peccatum non supponitur dimissum, nec pro uno seorsim, nec pro utroque simul satisfacere valebit; atque in hoc sensu censendum est, D. Thomam fuisse locutum, dubiumque proposuisse, ac decidisse in præsenti quæst. 14, art. 1, alias quæ tam in argumentis *sed contra*, quam in articuli corpore adducit, difficultati propositæ minime responderent, cum in his omnibus ad gratiam, et charitatem recurrat, sine qua satisfactio exhiberi nequit, ut in ejus verbis cernere licet; inquit enim: « Respondeo dicendum, quod quidam dixerunt, quod potest de uno peccato satisfieri sine alio, ut Magister in littera dicit. Sed hoc non potest esse; cum enim per satisfactionem tolli debeat offensa præcedens, oportet quod talis sit modus satisfactionis, qui competat ad tollendam offensam. Offensæ autem ablatio est amicitiæ restauratio, et ideo si aliquid sit, quod amicitiæ restaurationem impediat, etiam apud homines satisfactio esse non potest. Cum ergo quodlibet peccatum amicitiam charitatis impediat, quæ est hominis ad Deum; impossibile est, ut homo de uno peccato satisfaciat, alio retento. » Quocirca ob ean-

3 difficult.

Nugnus.

D. Tho.

dem rationem asserendum est, illum, cui præcedentia peccata per contritionem fuerunt dimissa, de illis satisfacere non posse, si dum satisfactionem offert, ob subsequens peccatum extra charitatem existit. Ita D. Tho. etiam D. Thomas art. 2 ejusdum q. ubi ait : « Respondeo dicendum, quod quidam « dixerunt, quod postquam omnia peccata « per præcedentem contritionem remissa « sunt, si aliquis ante satisfactionem per- « actam in peccatum decidat, et in peccato « existens satisfaciat, quod satisfactio talis « ei valet, ita quod si in peccato moreretur, « in inferno de illis peccatis non punire- « tur. Sed hoc non potest esse : quia in « satisfactione oportet, quod etiam amici- « tia restituta, justitiæ æqualitas restitua- « tur, cujus contrarium amicitiam tollit, « ut Philosophus in 9 Ethic. dicit. Æqua- « litas autem in satisfactione ad Deum non « est secundum æquivalentiam, sed magis « secundum acceptationem ipsius ; et ideo « oportet, quod etiam, si jam offensa sit « dimissa per præcedentem contritionem, « opera satisfactoria sint Deo accepta, quod « dat eis charitas ; et ideo sine charitate « opera facta non sunt satisfactoria. »

Objectio. 65. Dices : pœnitens extra charitatem existens potest, et quam sæpe de facto adimplet pœnitentiam a confessario injunctam pro peccatis confessis, et jam dimissis : ergo in statu peccati pro jam dimissis fieri valet satisfactio. Antecedens est adeo certum, ut praxi, ac communi Doctorum judicio probatum ; alioqui qui extra charitatem existens pœnitentiam impleret, aliam exhibere teneretur, dum ad gratiam rediret. Consequentia vero suadetur : quia confessarii præceptum pœnitentiam injungentis est de satisfactione exhibenda : si ergo in illo statu adimpleri valet præceptum, etiam satisfactio mandari executioni valebit. Cum ergo satisfactionem exercere sit idem ac satisfacere, plane evincitur, extra charitatem existentem pro peccatis jam dimissis id facere posse.

Diluitur. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, quam inducta probatio non suadet : etenim confessarii præceptum potest considerari dupliciter, et quoad substantiam præcepti, et quoad illius finem. Primo modo solum dicit injunctionem operis tantæ pœnalitatis, quantæ delectationis fuit peccatum commissum ; atque ideo hujusmodi pœnæ injunctio appellari solet pœnitentia, eo quod sit quasi pœnæ tenentia. Ceterum secundo modo acceptum eandem pœnæ injunctionem importat ut ordinatam ad peccatorum causas vitiorum coercitione excidendas, ad pœnæque reatum satisfactione Deo oblata extinguendum. Unde etiam, et res præcepta eodem proportionabiliter modo debet considerari, et quoad substantiam, quo pacto solum dicit injunctam pœnam absolute toleratam, et quoad finem, ac modum, quo sensu secum affert, et assecutionem finium, ad quos præceptum ordinatur, et gratiæ statum ad id omnino requisitum. Igitur ut confessarii præceptum quoad substantiam, et absolute adimpleatur, sufficit pœnitentem rem præceptam simili modo consideratam exhibere sive in statu peccati, sive non ; non vero requiritur, quod illam exerceat in gratiæ statu, nec quod peccatorum causas in re excidat, reatumque extinguat : hæc enim spectant ad modum, et finem tam rei præceptæ, quam præcepti ; et præcepti finis, ut communis sententia fert, sub præcepto non complectitur. Unde quemadmodum Ecclesiæ jejunia extra charitatem expleri valent, quia ad hoc rem præceptam exerceri sufficit ; ita ut confessarii præcepto satisfiat, satis est pœnitentiam in statu peccati exhibere, quin opus sit eam iterare, dum pœnitens ad Dei gratiam redierit. Hinc autem non colligitur, quod re vera tunc satisfaciat, reatumque pœnæ exsolvat, sed quod relate ad hunc finem opus illud prorsus inutile existat, utpote mortuum, ac gratiæ valore destitutum.

66. Inquires quarto, an saltem opus extra charitatem factum, dum postea advenit charitas, fiat satisfactorium ? Etiam negative respondendum est. Ita Sotus in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 5, Nugnus hic q. 14, art. 3, et alii subscribentes D. Thomæ sententiæ in præsenti art. 3, ejusque fundamento suadetur : ideo opera extra charitatem facta satisfaciendi vim non habebant, quia ob gratiæ defectum erant mortua, ab ipsaque non formata ; sed charitate adveniente, gratia non informantur, nec vivificantur : ergo satisfactoria non fiunt. Consequentia legitime ex præmissis deducitur. Major ex supradictis patet. Minor vero, in qua poterat esse difficultas, suadetur, quia gratia solum

solum informat, et vivificat opera ab ipsa procedentia ; eatenus quippe vivificat, quatenus efficit ; sed opera extra charitatem facta nullo modo a gratia postea adveniente fluxerunt : nequit enim effectus procedere saltem in genere causæ efficientis a principio, quod nec adest, nec fuit, sed aderit : ergo per gratiæ adventum opera extra charitatem facta non informantur, nec vitam accipiunt. Utraque hujus syllogismi præmissa, extra probationes insertas, est D. Thomæ in 2 argumento *sed contra* cit. art. unde cum opus ut satisfactorium sit, gratia indigeat, quæ per influxum in ipsum acceptabile reddat, semel quod extra gratiæ statum exerceatur, nequit deinceps satisfaciendi vim accipere.

Confirmatur ad hominem contra oppositæ sententiæ adhærentes, quos suppresso nomine in corpore hujus articuli refert D. Thomas. Nam juxta illorum principia, ut ibi annotat S. Doctor, opera extra charitatem facta nequeunt charitate adveniente fieri meritoria : ergo nec satisfactoria. Suadetur consequentia : ideo per adventum charitatis fieri nequeunt meritoria, quia vim merendi debent habere a charitate influente, et charitas adveniens facere non potest illa opera a se fluxisse ; sed valor satisfaciendi etiam a charitate influente dependet, et hæc in illa non influxit, nec postea adveniens influxisse facere valet : ergo nec satisfactoria reddere.

67. Objicies : D. Thomas in solutione ad 3, admittit in aliquibus operibus, utputa in jejunio, ac eleemosyna, extra charitatem factis, quod charitate postea adveniente sint Deo accepta ; sed quæ sunt Deo accepta, sunt satisfactoria : ergo doctrina tradita universaliter vera non est. Minor, et consequentia liquent. Major autem probatur exhibendo verba Ang. Præceptoris : « Ad « tertium dicendum, quod aliquæ satisfac- « tiones sunt, ex quibus manet aliquis ef- « fectus in satisfacientibus, etiam postquam « actus satisfactionis » (materialis videlicet) « transiit ; sicut ex jejunio manet cor- « poris debilitatio, et ex eleemosynarum « largitione substantiæ diminutio, et sic « de similibus. Et tales satisfactiones in « peccatis factæ non oportet quod iteren- « tur : quia quantum ad hoc, quod de eis « manet per pœnitentiam Deo accepta sunt. « Satisfactiones autem, quæ non relinquunt « aliquem effectum in satisfaciente post- « quam actus transiit, oportet quod iteren- « tur, sicut est de oratione, et similibus. « Actus autem interior, quia totaliter tran- « siit, nullo modo vivificatur, sed oportet « quod iteretur. » Ubi, ut vides, jejunio ac eleemosynæ in peccati statu factis concedit per gratiæ adventum vivificari, et Deo accepta fieri, eo quod aliquem effectum in satisfaciente relinquant, ad distinctionem aliorum actuum, ex quibus nihil manet, dum gratia accedit.

Respondetur ex hoc Præceptoris Angelici testimonio, in cujus intelligentia, ut recte vidit Sotus in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 5, vehementer non pauci allucinantur Thomistæ, minime colligi aliquem actum extra charitatem elicitum fieri charitate adveniente satisfactorium. Etenim D. Thomas distinguens inter satisfactiones extra charitatem elicitas, quarum aliæ, ut jejunium, et eleemosynæ effectum in satisfaciente relinquunt, aliæ vero non, nunquam asseruit aliquam ex illis, etiam quæ effectum relinquit, per gratiam advenientem vivificari, sed tantum dixit, quod : « Quantum « ad hoc, quod de eis manet, per pœniten- « tiam Deo acceptæ sunt. » Hoc non est adstruere, ipsa opera præterita formaliter sumpta deinceps vivificari : sed effectum relictum, et usque ad gratiæ adventum perseverantem, vitam accipere, et fieri satisfactorium. Itaque aliud est, jejunium extra charitatem factum, et aliud corporis debilitas, quæ ex jejunio causata relinquitur, jejunium ergo formaliter sumptum, prout dicit actum jejunandi, in peccati statu exhibitum, non vivificatur, nec vivificari valet, ut satisfactorium sit, a gratia adveniente : quippe quod ab ipsa non informatur ; nam ut jejunium illud formaliter sumptum postea vivificetur, quid conducit effectum reliquisse, si jam nec in se, nec in effectu est formaliter operatio aliqua, quæ in charitate fiat. Ceterum corporis debilitas, vel anxietas ex jejunio relicta, si usque ad gratiæ statum persistit, vim satisfactoriam accipit : quia ab ipsa incipit dignificari, et procedere, saltem quatenus ejus virtute a voluntate acceptatur, et in pœnæ remissionem dirigitur ; imo hoc ita intelligendum est, ut ille effectus solum sit satisfactorius quoad illam partem, aut quasi partem, quæ gratiæ conjungitur, non vero

Diruitur. Sotus.

quoad totum absolute, et quoad id quod præcessit, ut constat in illo actu, qui per aliquam durationem fuit malus moraliter, et postea ob circumstantiarum variationem incipit esse bonus : hic enim non dicitur bonus absolute, et quoad totam durationem, quam in esse materiali entis habuit; sed tantum quoad illam portionem, quam habet ex illo tunc, in quo bonitatem habere incepit. Unde (per quod tacitæ replicæ satisfit) optime D. Thomas addere potuit, satisfactiones relinquentes effectum iterari non oportere : nam cum jejunium ad carnem mortificandam, et eidem debilitatem infligendam ordinetur, si hæc usque ad statum gratiæ persistunt, in quo vim satisfactoriam accipiunt, non est opus actus iteratione, ad distinctionem aliarum satisfactionum nullum effectum relinquentium, quæ si in statu peccati fiant, cum omnino sint infructuosæ, indigent repetitione.

Difficilior. 68. Sed urgebis : nam ex relato D. Thomæ testimonio saltem colligitur, quod si jejunium illud effectum relinquens, et in statu peccati exercitum, a confessario in pœnitentiam fuerit injunctum, possit adveniente charitate tanquam pars sacramenti gratiam ex opere operato causare, ac satisfactorium fieri; sed consequens contradicit tum solutioni traditæ, quippe jam absolute verificatur, opus extra charitatem factum fieri per ejus adventum satisfactorium: tum, et præcipue doctrinæ stabilitæ tract. 22, disp. 4, dub. 6, § 2, ubi statuimus ex D. Thoma, nullum sacramentum characterem non imprimens (quale est pœnitentiæ) cum obice, vel ficte susceptum, gratiam vel alium effectum instrumentaliter causare recedente fictione : ergo solutio tradita nulla est. Consequentia, ac minor quoad primam partem sunt manifestæ ; quoad secundam vero etiam liquet : nam idem judicium fieri debet de toto sacramento, ac de qualibet ejus parte sive essentiali, sive integrali ; atque adeo si totum pœnitentiæ sacramentum ficte susceptum, quia characterem non imprimit, nequit recedente fictione effectum sortiri, nec etiam satisfactio, quæ est pars ejus integralis, illum consequi valebit, ac fieri satisfactoria. Major autem, in qua sistit tota difficultas, probatur. Etenim jejunium illud a confessario tanquam pars sacramenti injunctum, et in statu peccati exercitum, esto characterem non imprimat, relinquit aliquem effectum, debilitatem nimirum corporis, usque ad fictionis remotionem perseverantem ; sed in principiis D. Thomæ a nobis loco proxime citato accurate expensis, sacramentum ficte susceptum, quod aliquem effectum relinquit, recedente fictione causat gratiam, et ejus fructum : ergo cum satisfactio sit sacramenti, et gratiæ fructus, sequitur ex verbis D. Thomæ, quod jejunium effectum relinquens, et extra charitatem exercitum, si a sacerdote in pœnitentiam injunctum fuerit, fiat adveniente gratia, ac remoto obice satisfactorium, quippe quod pars sacramenti est.

Propter hanc objectionem, quæ difficultate non caret, plures Thomistæ in varias abiere sententias, ut apud Nugnum in præsenti, et Sotum loco supra relato videri potest. Ceterum si mens Ang. Præceptoris attente consideretur, omnia tam veritati quam doctrinæ nostræ esse consona dignoscetur. Etenim D. Thomas in hoc articulo, quidquid Cajetano, Nugno, et aliis arriserit, præcise sermonem intexuit de satisfactione secundum se, et prout est actus virtutis pœnitentiæ, et opus hominis ; non vero de satisfactione sacramentali, vel ut est pars sacramenti pœnitentiæ, quo pacto effectum ex opere operato nanciscitur, et est opus Dei. Unde cum in secundo argumento sibi opposuisset paritatem ex sacramento Baptismi, cujus virtus, ac efficacia in ficta receptione impedita incipit recedente fictione effectum sortiri, respondet : « Ad « secundum dicendum, quod Baptismus « imprimit characterum in anima, non « autem satisfactio ; et ideo adveniens cha- « ritas, quæ fictionem tollit, et peccatum, « facit quod Baptismus effectum suum « habeat ; non autem facit hoc de satisfac- « tione. Et præterea Baptismus ex ipso « opere operato justificat, quod non est ho- « minis, sed Dei, et ideo non eodem modo « mortificatur, sicut, et satisfactio, quæ est « opus hominis. » Ubi si loqueretur etiam de satisfactione, quæ pars est sacramenti, incongruenter assereret, eam non esse opus Dei, quod sacramento Baptismi adscribit, cum quælibet sacramenti pars opus Dei sit, causetque subinde ex opere operato gratiam aliquam.

Quocirca respondetur ad replicam negando majorem ad cujus probationem claritatis

claritatis gratia distinguenda est major : « relinquit aliquem effectum » procedentem a jejunio ut reduplicative parte sacramenti pœnitentiæ, illam negamus : procedentem a jejunio in esse entis, vel ut est actus abstinentiæ, aut alterius facultatis, eam concedimus. Et minorem eodem fere modo distinguimus : « sacramentum « ficte susceptum, quod aliquem effectum « relinquit, » correspondentem sacramento ut tali, recedente fictione causat gratiam, ac fructum, concedenda est : neganda vero, si effectus ille non respondeat sacramento, vel ejus parti ut tali, sed tantum eidem in esse materialis entis, vel alterius rationis, quæ per accidens ad rationem sacramenti se habeat ; ac proinde negatur absolute consequentia. Itaque ut sacramentum ficte susceptum, vel ejus pars dicatur absolute persistere virtualiter in suo effectu, atque ideo possit fictione recedente fructuosum fieri, necesse est effectum illum a sacramento ut sacramento, vel ab ejus parte ut tali procedere, alias non dicetur absolute virtualiter in effectu persistere, cum effectus ille ex virtute sacramenti non sit productus, sed aliunde. Jejunium autem a sacerdote in pœnitentiam injunctum, et in statu peccati exercitum, licet debilitatem corporis relinquat, hæc non procedit ab illo ut parte sacramenti, sed ab eo in esse entis, vel secundum aliam considerationem. Unde non infertur, quod recedente fictione fiat ex opere operato fructuosum, et satisfactorium ; ac proinde nunquam verificatur, nec id ex D. Thomæ testimonio colligitur, satisfactionem aliquam, etiam in pœnitentiam injunctam, semel in statu peccati exercitam, per adventum gratiæ reviviscere, vel fieri fructuosam.

Quod vero debilitas ex illo jejunio relicta non sit effectus illius ut reduplicative est pars sacramenti, sed illius ut est actus abstinentiæ, alteriusve facultatis, ex eo manifeste deprehenditur, quia eodem modo relinquitur in jejunante, sive procedat a jejunio in pœnitentiam injuncto, sive voluntarie exercito. Si autem sequeretur ad jejunium, ut reduplicative est pars sacramenti, nunquam procederet ab eo ut exercito voluntarie : quippe effectus nequit nisi a propria causa prodire, ut evidenter constat in charactere ad Baptismi absolutionem subsequuto : hic enim quantumvis quis abluatur, minime imprimitur, nisi ablutio illa sacramentalis sit, ideo quia character non est effectus cujuscumque ablutionis, sed tantum sacramentalis ut talis. Tum etiam liquet : quia prædicta debilitas ex illo jejunio relicta quid naturale est; effectus autem sacramenti, vel ejus partis ut talis ad ordinem supernaturalem attinet, ut in eodem charactere ex Baptismo relicto cernere licet. Unde sicut mundities exterior, quæ relinquitur in capite, vel in alia parte, in qua fit baptismi ablutio, non est effectus Baptismi, vel ejus partis ut sacramentalis, sed solum ablutionis in esse entis, quia non est quid supernaturale, et alias æque bene fit a quacumque ablutione esto non sacramentali. Ita debilitatio carnis relicta ex jejunio in pœnitentiam injuncto, et extra charitatem exercito, non est effectus illius ut reduplicative est pars integralis sacramenti, quod requirebatur ut recedente fictione jejunium illum fructuosum, ac satisfactorium fieret.

Roboratur solutio.

Consonatque hæc doctrina illi, quam tradidimus tract. 22, disp. ac dubio in objectione relatis, præcludentes effugium adversariorum conantium statuere posse pœnitentiæ sacramentum causare gratiam recedente fictione, licet characterem non imprimat, quia virtualiter perseverat in aliquo ejus effectu, in determinatione videlicet voluntatis, qua subjectum sacramenti voluit illud recipere. Ibi enim ex eo hoc effugium evertimus, quia illa determinatio non se tenet ex parte sacramenti ut effectus illius, atque ideo esto utcumque maneat, non sufficit ut sacramentum ficte susceptum in ea virtualiter perseveret, ac recedente fictione fructuosum fieri possit : quippe licet illa determinatio a Deo elevari valeat ad causandum instrumentaliter gratiam, id tamen minime sufficit, ut præteritum sacramentum in gratiam influere dicatur. Similiter ergo dicimus in præsenti; effectus, qui relinquitur ex jejunio extra charitatem exercito, non procedit ab eo ut parte integrali sacramenti, nec ex parte illius se habet ; unde esto jejunium virtualiter perseveret in illo, non perseverat ut pars integralis sacramenti, quod requirebatur, ut gratia accedente posset vivificari, ac reatum pœnæ opere operato removere. Adde, non idem judicium faciendum de qualibet parte sacramenti, ac de toto sacramento.

Unde licet admitteretur, sacramentum pœnitentiæ recedente fictione effectum sortiri, id minime tribuendum foret cuilibet ejus parti etiam integrali, qualis satisfactio est : hæc quippe cum nec sacramentum sit, nec de ejus essentia, sed absque ea sacramentum absolute esse possit, ut homo sine digito, non operatur ad modum sacramenti ex opere operato, sed opere operantis. Itaque esto jejunium in pœnitentiam injunctum, et in statu gratiæ exercitum, sit virtute clavium magis satisfactorium ; si tamen extra charitatem exercetur, non sequitur quod recedente fictione, et gratia accedente reviviscat. Hæc cui placuerint Sotus. Sotum consulat. in 4,dist. 19, quæst. 1, art. 5 ubi hac doctrina utitur, quæ utpote tanti Thomistæ probabilitate non caret, quamvis solutionem supra traditam censeamus præferendam.

DUBIUM IV.

Utrum ad satisfactionem requiratur pactum, vel Dei promissio eam acceptandi ?

Præsens difficultas non procedit circa pactum, quod sit tale formaliter, et expresse, sed circa pactum saltem virtuale, aut implicitum; nec etiam circa satisfactionem de congruo, hanc enim pactum non exposcere extra dubium est ; sed de satisfactione condigna, quæ, ut supra annotavimus, dupliciter accipi valet ; et in actu primo, quo pacto solum dicit æqualem valorem cum debito, ac ceteras conditiones, quas præcedenti dubio assignavimus, ut sit, quantum est ex se, sufficiens ad solvendum : et in actu secundo, prout nimirum ultra prædicta addit jus ut a creditore admittatur ; et de ea in hac ultima consideratione procedit difficultas, quam in coronidem disputationis annectimus, ut supra promisimus, ab illaque, quia non plura concernit, breviter expediemur.

§ 1.

Sententia affirmans statuitur.

Assertio 69. Dicendum est, ad satisfactionem in actu secundo, præbentemque jus ut acceptetur, requiri ex parte Dei pactum, vel promissionem eam acceptandi. Hæc assertio consonat stabilitis tract. 16, disp. 1, dub. 6, et tract. 21, disp. 1, dub. 8, a num. 239, et sequentibus. Eamque a fortiori tueri coguntur omnes Doctores, quos locis citatis retulimus. In præsenti vero illam docet Suarez disp. 84, sect. 3, num. 4, et 9, et sect. 6, et etiam Gonet disp. 13, art. 2, § 4, quatenus asserit, requiri Dei voluntatem, et ordinationem ad satisfactionem, quod aliquod pactum saltem implicitum est. Potestque suaderi primo, ex eo quod satisfactio condigna, et quæ in actu secundo, ac infallibiliter infert effectum, præbet jus contra Deum, ipsumque ad acceptationem adstringit ; atqui Deus solummodo ex libera promissione acceptandi nobis facta potest debitor constitui : ergo hujusmodi promissio, quæ pactum dicitur, requiritur ad satisfactionem. Major, et consequentia constant; minor vero probatur ex Augustino serm. 16, de verbis Apostoli, ubi inquit : « Debitor nobis fac- « tus est Deus non aliquid accipiendo, sed « quod ei placuit promittendo. » Et paucis Aug interjectis concludit : « Illo ergo modo pos- « sumus exigere Dominum nostrum : redde « quod promisisti, quia fecimus quod « jussisti. »

Confirmatur : quia opera satisfactoria Con Christi Domini pro hominum offensis, licet infiniti extiterint valoris, non potuerunt Deum obligare ad acceptationem independenter ab ejus pacto, vel promissione : ergo etiam hujusmodi conditio erit omnino necessaria, ut pœnitentis actus habeant in actu secundo rationem satisfactionis fundantis jus, et obligationem, ut admittatur. Antecedens fuse probatum manet tract. 21, disp. 1, dub. 8. Consequentia vero ex paritate liquet : quippe nimis multum esset puræ creaturæ actibus deferre, quod infinitis Christi operibus non conceditur. Id ipsumque roborari valet ex his, quæ in merito contingunt : etenim licet justorum opera a gratia procedentia sint vitæ æternæ digna, tamen ut illam complete in actu secundo mereantur tanquam ex justitia reddendam, Dei pactum, aut promissionem exigunt, ut loco relato ex tract. 16 statuimus ; et ex Concilio Tridentino sess. 6, Conc Trid cap. 16, colligitur, ubi vita æterna vocatur merces « ex Dei promissione bonis justo- « rum operibus, et meritis reddenda. » Ergo idem dicendum est de satisfactione nostra

nostra, infallibiliter pœnæ temporalis debitum extinguente.

70. Probatur secundo a priori. Qui offert aliquod opus duobus debitis correspondens, et non utrique adæquatum, sed quod in solutione unius exhauritur, nequit creditorem ex justitia compellere ad illud acceptandum in adæquatam solutionem utriusque, ita ut non possit aliam exposcere, nisi creditor ipse se obligare velit ad illam acceptationem ; sed omne opus, quod in satisfactionem pœnæ temporalis Deo exhibere valemus, est ipsi adæquate debitum aliis titulis : ergo nisi ipse libere cedens juri suo velit se obligare ratione alicujus pacti, vel promissionis ad illud in satisfactionem acceptandum, ad id illum cogere non possumus ; atque ideo independenter a pacto explicito, vel implicito, formali, aut virtuali, nequit dari satisfactio condigna, infallibiliter effectum consecutura. Minor, et consequentia constant. Major vero probatur : nam creditor jus habet, cui cedere non tenetur, exigendi illud opus ratione alterius debiti : ergo nemo illum compellere potest, nisi ipse obligationem sibi imponat illud opus acceptandi in utriusque debiti adæquatam solutionem. Unde si servus ex justitia Domino centum aureos deberet, quia ei totidem furatus est, et in Domini obsequium laboraret, ut debitum illud extingueret, non ideo immunis ab illo esset ; cum titulo servitutis omnis ejus labor alias sit Domino debitus. Quocirca si ad libertatem rediret, teneretur deinceps Domino restituere.

§ II.

Motiva contraria eliduntur.

71. Oppositam sententiam docet Vasquez de pœnit. quæst. 94, art. 1, dub. 3, num. 7. Quam ex eo probat, quia vel Deo promissio esset necessaria, ut satisfactio esset condigna, vel ut certo acceptaretur a Deo in remissionem pœnæ temporalis ; sed ad neutrum desideratur : ergo omnino superflua est. Minor quoad utramque partem suadetur ; quoad primam quidem : quia condignitas satisfactionis non provenit ex promissione, sed ex ipso opere in gratia elicito ; sed potest ita fieri, esto nulla adsit promissio : ergo, et satisfactio condigna existere absque promissione. Quoad secundam vero ex prima colligitur : nam qui condignam ex se offert compensationem pro pœna debita, eo ipso redditur dignus ut non puniatur ; sed qui est dignus ut non puniatur, nec debet, nec potest a Deo puniri, alias non digne torqueretur, sed ex mera voluntate Dei, quod dici nequit : ergo esto nulla adsit promissio, cogitur Deus satisfactionem acceptare ; atque ideo certo, et infallibiliter effectum sortitur.

Respondetur negando minorem, cujus probationes non urgent. Ad primam enim respondetur, condignitatem satisfactionis ab utraque ortum ducere, et a gratia tanquam a principio efficienter valorante, et a promissione tanquam a conditione necessario petita *sine qua non*. Quippe opus a gratia procedens, cum sit debitum adæquate titulo creationis, in cujus solutione omnino ejus valor exhauritur, nequit deficiente promissione Dei esse sufficiens ad extinguendum etiam debitum pœnæ peccati. Supposita tamen promissione, qua Deus statuit illud opus acceptare non solum in extinctionem primi debiti, sed etiam secundi, redditur satisfactio condigna ; siquidem, jam opus illud computatur quasi unico tantum titulo debitum, ad cujus solutionem sufficiens est. Unde ad secundam dicendum est, illum, qui offert compensationem pro pœna condignam, fieri non dignum pœna, atque ideo nec debere, nec posse puniri. Ceterum, qui in solutionem pœnæ peccatis debitæ offert opus a gratia procedens sine promissione ex parte Dei illud acceptandi, non exhibet compensationem condignam, quia illud opus est alio titulo adæquate debitum : atque ideo insufficiens ad solvendum etiam aliud debitum culpa contractum. Quocirca, nec fit dignus ut non puniatur, nec Deus amittit jus illum puniendi ; unde si torqueretur, non ex libito Dei, sed ex justitia torqueretur. Adde, quod esto opus in gratiæ statu elicitum, adhuc deficiente Dei promissione, esset condignum ad pœnæ solutionem, hanc condignitatem solum haberet in actu primo, et aptitudinaliter quoad sufficientiam, non vero quoad efficaciam, et in actu secundo extinguentem debitum, et inferentem obligationem creditoris ad satisfactionem acceptandam ; quod est difficultatis

Solutio.

scopus. Unde in illo eventu quamvis dignus ex se fieret, ut non puniretur qui illam satisfactionem offerret; Deus tamen non tenetur acceptationi, nec injuste puniret, si illum torqueret, sed proprio jure uteretur; quemadmodum judex non obligatur acceptare pœnam sibi ipsi a reo impositam, esto condigna sit, sed ea non obstante potest reum torquere aliis cruciatibus a lege impositis; atque ideo illa satisfactio, deficiente Dei promissione eam acceptandi, certo, et infallibiliter non infert pœnæ solutionem.

Argum. 2. 72. Arguitur secundo: nam independenter a pacto potest unus condigne, et in actu secundo pro pœna peccati alterius satisfacere: ergo potiori jure sine hujusmodi pacto debitum proprii peccati extinguere valebit; et consequenter absolute verificabitur, satisfactionem efficacem a D. Tho. pacto non dependere. Antecedens ostenditur: quoniam in doctrina D. Thomæ in hac disputatione sæpius allegata, et in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 1, ratio, ob quam unus pro alio condigne satisfacere potest, est quia ei per charitatem unitur; sed quod duo justi idem fiant per charitatem, a pacto, vel Dei promissione non dependet, sed eis competit ex propriis prædicatis charitatis habentis ex se unire amicos; ergo promissione Dei exclusa, unus pro alio condigne satisfacere potest.

Confirmat. Confirmatur: quia non est minoris efficaciæ nostra satisfactio ad extinctionem debiti pœnæ temporalis ex peccatis contracti, quam eadem peccata ad illud debitum inducendum; sed peccata inducunt debitum pœnæ temporalis independenter a pacto, vel Dei promissione etiam implicita: ergo et satisfactio reatum pœnæ extinguet, esto nulla Dei promissio adsit.

Emodatur argument. Ad argumentum respondetur negando antecedens, ad cujus probationem dicendum est, unionem per charitatem, quam justi habent, esse rationem ob quam unus pro alio efficaciter, et condigne satisfacere possit, supposita Dei promissione acceptandi opus in satisfactionem exhibitum; non autem esse rationem totalem, et absolutam independenter a quocumque alio ad id requisito. Unde quantumvis justi charitatis unione copularentur, si Dei promissio deficeret, satisfactio unius pro alio oblata ad summum solum esset talis quoad sufficientiam, et in actu primo; non autem in actu secundo Deo obligationem inferret ad illius acceptationem. Quocirca unum alterius pœnas luere, ac pro illis satisfacere, non accidit absque omni prorsus Dei supremi judicis dispositione accipientis unius pro alio satisfactionem: etenim si omnis rigor justitiæ observandus foret, ille qui peccatum commisit, puniendus erat, nec ab hujusmodi debito per alterius satisfactionem extrahendus.

Ad confirmationem negatur major: efficacius enim est peccatum ad pœnæ debitum inducendum, quam satisfactio ad illius extinctionem: nam qui peccat, nullum jus acquirit proprie loquendo contra judicem, sed potius illud judici tribuit, ut ipsum puniat, ac pœnas sustinere cogat, ad quod nulla judicis promissio, vel consensus requiritur: sed ipse, qui peccat, sola propria voluntate fit pœnæ obnoxius, quatenus sponte lædit bonum divinum, in eo inferens inæqualitatem, ad ejusque reparationem per cruciatus sustinentiam se obligans. Qui vero per satisfactionem debitum pœnæ extinguit, et acquirit jus contra Deum ut pœnam remittat, et ab eo tollit jus exigendi debiti solutionem, quod independenter a Dei promissione fieri nequit. Etenim omnis obligatio oritur vel ex acceptis, vel ex promissis; Deus autem, cum sit summum bonum, ex acceptis obligari nequit, atque ideo si in vi satisfactionis obligatur ad pœnam remittendam, et ad aliam satisfactionem non exposcendam, indispensabilis est ejus promissio acceptandi illud opus in pœnæ debiti solutionem, præsertim cum aliis titulis sit debitum.

73. Arguitur tertio: nam qui offert satisfactionem debito æqualem, et condignam, independenter a pacto vel promissione creditoris illum compellit eam admittere, et debitum in actu secundo extinguit; sed homo potest exhibere Deo satisfactionem condignam, et æqualem debito pœnæ temporalis: ergo independenter ab ejus pacto efficaciter satisfacere potest. Consequentia legitime deducitur ex præmissis. Major ex eo liquet, quod si Petrus debitum quatuor aureorum contraxit, et totidem reddat creditori, debitum extinguit, et creditorem satisfactionem oblatam admittere compel-

lit

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

lit. Minor autem probatur : actus ferventissimæ contritionis est satisfactio condigna, et æqualis debito pœnæ temporalis contracto ex minimo peccato veniali ; sed potest Deo offerri ferventissimus contritionis actus in solutionem illius debiti : ergo. Nec refert si dicas, illum actum esse inadæquatam solutionem debito peccati venialis ; nam cum alias sit debitus adæquate titulo creationis, et in hujus debiti extinctionem adæquate exhauriatur, si non adest Dei promissio illum etiam acceptandi in solutionem pœnæ peccate veniali debitæ, ad id non pertingit. Nam contra est ; quia actus contritionis non est debitus titulo creationis, sed unice titulo peccati : ergo si prout comparatur huic posteriori titulo debitum adæquat, illud seclusa Dei promissione extinguit. Suadetur antecedens : quia si homo non peccasset, non teneretur titulo creationis actum contritionis elicere: hic enim cum sit dolor de peccatis, si ista non præcesserunt, impossibilis est, et ad impossibile nemo tenetur; et tamen esto homo non peccasset, idem creationis debitum, quod nunc habet, contraxisset, quippe quod non variatur per subsequens peccatum, nec majus vel minus debitum fit : ergo illa contritio titulo creationis non est debita.

Respondetur negando minorem ; ad cujus probationem dicendum est, solutionem inter arguendum datam esse optimam, et sustinendam ; quæ minime labefactatur superaddita impugnatione. Nam aliud est, actum contritionis non esse Deo debitum titulo creationis hominis, aliud quod non sit debitus titulo creationis, vel productionis ipsius contritionis. Unde si homo non peccasset, non teneretur absolute creationis titulo de peccatis dolere : hoc enim impossibile est, ut recte convincit objectio, ipsis non existentibus. Ceterum semel quod peccata commiserit, satisfactionem offerre tenetur. Hæc autem si actu contritionis exhibetur, independenter a pacto non adæquat debitum ex peccatis etiam venialibus contractum, quantumvis contritio ferventissima sit, ac peccata minima fuerint. Et ratio est : quia hujusmodi contritio, semel quod eliciatur, quoad totum quod habet Deo debetur titulo productionis non hominis, sed ipsius contritionis ; ad eam namque tanquam primum principium, et causa rerum influxum præbuit : atque ideo sibi tota titulo primi principii debetur, imo et titulo gratitudinis, siquidem virtutem ad eam eliciendam homini præstitit. Unde nisi adsit aliqua Dei promissio illam etiam acceptandi in extinctionem debiti pœnæ peccati, ad hoc æqualitatem non habet, nec hujusmodi debitum extinguit, sed in aliorum solutione omnis ejus valor exhauritur. Alia argumenta, quæ hic opponi possent, jam alibi enervata manent locis ex tract. 21 et 16 supra relatis ; ideoque non est cur in eorum enodatione amplius immoremur.

DISPUTATIO XI.

De satisfactione sacramentali.

1. Cognitioni satisfactionis secundum se, et prout est actus virtutis, succedit consideratio illius ut ad pœnitentiæ sacramentum spectat, et quatenus exercetur ut a sacerdote in confessione injuncta, quo pacto satisfactio sacramentalis nuncupatur. Qualiter autem secundum hanc considerationem ad sacramentum attineat, utrum, nimirum, sit illius pars essentialis, an integralis, et quomodo ? Supra explicuimus in prima parte hujus tract. disp. I, dub. 2, § 7, a num. 115, et sequentibus, et ad calcem art. 2, quæst. 90, ex ibi enim dictis constat, satisfactionem tripliciter posse considerari. Primo ut executa ; et in re posita. Secundo ut in voto expresso, quo pacto dicit animum positivum adimplendi id, quod a sacerdote injungitur. Tertio, radicaliter, et exactive, sed in voto implicito, quod nihil est aliud quam ipsa confessio ex se quasi radicans, et exigens satisfactionem. Igitur primo, ac secundo modo considerata, solum rationem partis integralis obtinet, non vero essentialis. Tum, quia satisfactio ut exercita supponit sacramentum quoad essentialia constitutum. Tum, quia satisfactio ut in voto expresso non semper adest in sacramento, ut apparet dum moribundo sensibus destituto sub conditione impertitur : in hoc enim eventu sine satisfactione in voto expresso non raro invenitur sacramentum, quod fieri non posset, si illius pars essentialis esset. Posteriori autem modo accepta non

incongruit essentialem partem nuncupari; quemadmodum risibilitas radicalis de essentia hominis dicitur. Quæ omnia, quia ibi fusius expensa, hic amplius non exponuntur.

Verum ut sacramentalis satisfactionis, de qua in præsentiarum est sermo, quidditas innotescat, oportet definitionem satisfactionis secundum se, et prout est actus virtutis, in limine præcedentis disputationis explicatam, huc adducere : ex illa enim, et ex aliqua superaddita particula explicante id, in quo non sacramentalis a sacramentali satisfactione differt, hujus adæquata definitio consurget, quæ ita

Definitio satisfactionis sacramentalis

est : « Voluntaria sui punitio ad compensandam injuriam Deo per peccatum illatam, eumque sic placandum, ut temporalem pœnam remittat, juxta sacerdotis sententiam in pœnitentiæ sacramento. »

Singulæ hujus definitionis particulæ usque ad ly *pœnam remittat* inclusive, explicatæ loco citato manent, et uniuscujusque sensus expositus. Omnes tamen simul sumptæ loco generis in præsenti collocantur : quippe in omnibus illis convenit satisfactio sacramentalis cum non sacramentali. Ly autem *juxta sacerdotis sententiam in pœnitentiæ sacramento* vicem differentiæ gerit : satisfactio namque sacramentalis ab ea, quæ solum est actus virtutis, in eo differt, quod hæc ad arbitrium pœnitentis extra sacramentum assumitur ; illa vero, licet a pœnitente acceptari debeat, non ab eo imponitur, sed illius taxatio fit ex arbitrio, et authoritate sacerdotis, in pœnitentiæ foro judicis munere fungentis, ut plane asserit Concilium Tridentinum sess. 14, cap. 8,

Conc. Trid.

his verbis : « Debent ergo sacerdotes Domini quantum spiritus, et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, et pœnitentium facultate, salutares, et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, et infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, et castigationem : nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, et credunt, et docent. » Ubi Concilium, et id quod nuper diximus circa ultimas definitionis particulas, adstruit, et obiter sacerdotes in imponendis satisfactionibus instruit. Hæc autem sacramentalis satisfactionis definitio sic explicata cum illis coincidit, quas communiter Theologi efformant ex Conciliis Tridentino citata sess. et Florentino in litteris sanctæ unionis. Videantur N. Franciscus in præsenti, cap. 10, punct. 1, N. Antonius disp. 21, sect. 1, Sotus in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 1, Nugnus in addit. ad 3, part. quæst. 12, art. 3, et Seraphinus ibidem. Prægognita igitur sacramentalis satisfactionis natura, primo disputandum assurgit

DUBIUM I.

Utrum confessarius possit, ac debeat pœnitenti satisfactionem imponere ?

Cum pœnitentiæ sacramentum a Christo Domino sit institutum tanquam quoddam spirituale judicium, in quo commissa peccata puniuntur, et ad futura præcavenda remedia adhibentur, in eo pœnitens tanquam infirmus curandus, ac reus puniendus ante tribunal sistitur, sacerdos autem, et judicis sententiam ferentis, et medici remedia applicantis munere fungitur. Unde cum satisfactio sit medicina a sacerdote pœnitenti applicanda, et supplicium ad ejus peccatum puniendum ; videndum est qua potestate gaudeat sacerdos, et qua adstringatur obligatione ad satisfactionis designationem. Quæ difficultas, cum plures contineat partes, quoad omnes diversis assertionibus decidenda est.

§ I.

Duplex assertio proponitur.

2. Dicendum est primo, sacerdotem posse pœnitenti satisfactionem imponere. Hæc conclusio ex secunda statim subjicienda colligitur : nam si sacerdos obligationem subit satisfactionem imponendi, illam injungere valebit ; nemo enim ad id, quod non potest, tenetur. Constatque similiter ex perpetuo Ecclesiæ usu pœnitentias injungentis, et ex Patribus, ac Conciliis. Ex

Patribus

Patribus quidem, quia ita censent Augustinus de vera, et falsa pœnitentia cap. 10, Leo Pap. epistol. 89, cap. 2, Cyprianus lib. 1, epist. 3. Ex Conciliis autem, quia id satis aperte ostendunt Tridentinum sess. 14, cap. 8, Moguntinum 1, cap. 23, Cabilonense 2, cap. 45. Et inferunt ex cap. *utriusque* de pœnit.et remis. Eamque docet Suarez in præsenti, disp. 38, sect. 1, Gratianus dist. 50, Marianus, Victor, et alii ; estque communi Doctorum calculo recepta.

Suadetur ratione primo : nam in quolibet legitimo tribunali superior, qui judicis munus exercet, gaudet potestate non solum directiva, sed etiam coercitiva, ut reum pro qualitate delicti puniat; sed pœnitentiæ sacramentum est quoddam spirituale tribunal, in quo sacerdos judicis munere fungitur : ergo ibi authoritatem coercitivam obtinet. Tum sic ; sed hujusmodi coercitiva potestas nullo aptiori modo exercetur, quam per injunctionem alicujus pœnalitatis pœnitenti factam, ut pœnæ temporalis reatum solvat; « Neque enim » (inquit Concilium Trident. sess. 14,cap.8.) « securior ulla via unquam existimata fuit « ad amovendum imminentem a Domino « pœnam, quam ut hæc pœnitentiæ opera « homines cum vero animi dolore frequen- « tent. » Ergo sacerdos potest pœnitenti satisfactionem injungere. Major, ex qua reliqua pendent, ex eo constat, quod potestas tantum directiva sine coactiva authoritate non sufficit ad delicta punienda, atque ideo licet alias ad præcavenda futura crimina satis esset, in ordine tamen ad judicium ferendum, et peccatum jam commissum vindicandum superflua omnino subsisteret. Quod evidentius patet ex ejusdem Concilii authoritate numero præcedenti relata : ibi enim de injungendis satisfactionibus agens inquit : « Claves « sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, « sed, et ad ligandum concessas antiqui « Patres, et credunt, et docent. » Claves enim sacerdotum illorum potestas est : si ergo ligare est satisfactionem imponere, et ad ligandum illis commissæ sunt claves, potestatem habent satisfactionem imponendi.

Confirmatur : quia pœnitentiæ sacramentum non solum fuit institutum in vindictam peccatorum, sed etiam in animarum medelam : ergo sacerdoti in hujus sacramenti foro non solum commissum est munus judicis sententiam ferentis, sed etiam medici spiritualis opportuna medicamenta decernentis. Atqui nulla ad hujusmodi effectum aptiora, quam pœnalia opera delectationibus criminum contrariantia : ergo sacerdos authoritate medici illa pœnitenti in satisfactionem injungere valet. Subsumpta minor liquet tum ex Philosopho 2 *Ethic.* ubi inquit, quod : « Peccatorum medicinæ sunt pœnæ.» Tum ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 8, ubi ait : «Proculdubio enim magnopere a « peccato revocant, et quasi fræno quodam « coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautio- « resque, et vigilantiores in futurum pœ- « nitentes efficiunt, medentur quoque pec- « catorum reliquiis, et vitiosos habitus « male vivendo comparatos contrariis vir- « tutum actionibus tollunt. » Quæ ex statim dicendis amplius constabunt. Philos. Concil. Trid.

Assertio 2

3. Dicendum est secundo, sacerdotem per se loquendo teneri pœnitenti satisfactionem imponere. Quoad hanc conclusionem inter Authores parum dissidii est. Eamque tuentur Petrus de Soto de satisfact. lect. 2, Cajetanus in summ. verb. *Satisfactio*, Candidus disquisit. 24, art. 31, Gonet hic disp. 13, art. 3, num. 45,Nugnus hic quæst. 14, art. 2, Labat. tom. 7, tract. 3, dub. 5, § 1, N. Franciscus tract. 16, cap. 10, punct. 1, num. 15, N. Antonius tract. 5, disp. 21, sect. 2, num. 1604, Dicastillus disp. 14, num. 12, Suarez disp. 38, sect.3, Lugo disp. 25, sect. 4, num. 49, Granados tom. 5, tract. 12, Palaus tom. 4, tract. 23, punct. 21, § 2, num. 6, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 3, num. 8, Joannes Sanct. disp. 5, num. 17, et alii. Petrus Soto. Cajet. Candid. Gonet. Nugnus, Labat. N. Franc. N. Anton. Dicast. Suarez, Lugo. Granad. Palao, Fagund. Joan. Sanct. Ratio. ex Trid.

Suadetur primo ex Tridentino sess. 14, cap. 8 : « Debent ergo sacerdotes Domini, « quantum spiritus, et prudentia suggesse- « rit, pro qualitate criminum, et pœniten- « tium facultate, salutares, et convenien- « tes satisfactiones injungere. » Quæ verba liquido ostendunt sacerdotis obligationem in injungendis satisfactionibus : nam ly *debent* præceptum importat. Idque ex eodem Concilio in verbis immediate sequentibus fulciri valet, quippe inquit : « Ne si « forte peccatis conniveant, et indulgentius « cum pœnitentibus agant, levissima quæ- « dam opera pro gravissimis delictis injun- « gendo, alienorum peccatorum participes

« efficiantur. » Hæc autem verificari minime valent, si sacerdotes nulla adstringuntur obligatione pœnitentias imponendi. Nam sacerdotes fieri participes criminum pœnitentium, si satisfactiones non injungunt, nihil est aliud quam ratione hujus omissionis in peccatum incidere ; sed nemo in peccatum incidit, qui obligationem non frangit : ergo Concilii verba sustineri non valent, si confessarii satisfactiones imponere pœnitentibus non obligantur.

Confirmatur ex eodem Concilio sess. cit. ubi hujusmodi sacerdotis obligationem explicans, et satisfactionis injunctionem commendans, subdit : « Sane, et divinæ « justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab « eo in gratiam recipiatur, qui ante Bap- « tismum per ignorantiam deliquerint, « aliter vero qui semel a peccati, et Dæmo- « nis servitute liberati, scientes templum « Dei violare non formidaverint. Et divi- « nam clementiam decet, ne ita nobis abs- « que ulla satisfactione peccata dimittan- « tur, ut occasione accepta, peccata leviora « putantes, velut injurii, et contumeliosi « Spiritui Sancto, in graviora labamur, « thesaurizantes nobis iram in die iræ. » Si autem divina justitia exposcit, et divinam clementiam decet, pœnitentibus satisfactiones præfigere : ergo sacerdotes, qui Dei ministri sunt, ejusque vicem in hoc sacramento gerunt, divinæ justitiæ, ac clementiæ se conformare tenentur, atque ideo hujusmodi satisfactiones imponere.

Confirmat. Concil. Trid.

4. Deinde probatur ratione : nam sacerdos, sacramenti pœnitentiæ minister, tenetur illud integre, et perfecte conficere ; atqui si satisfactionem non injungit, perfectum ac integrum sacramentum non conficit : ergo audita confessione tenetur satisfactionem imponere. Consequentia est legitima. Major ex se liquet : etenim Religionis virtus exigit, ut hoc ipso quod sacramentum efficiatur, cum integritate, ac debita perfectione fiat ; quemadmodum, et ipsa natura exposcit, ut ens naturale, quod producitur, cum partibus integralibus producatur. Minor autem ostenditur : quia satisfactio, ut in limine disputationis prænotavimus, est pars integralis hujus sacramenti ; sed absque parte integrali nulla res perfecta existit ; perfectum enim cum bono coincidit, et bonum ex integra causa coalescit : ergo si sacerdos satisfactionem pœnitenti non injungit, perfectum ac integrum non conficit sacramentum, sed incompletum, ac mutilum relinquit, ut se haberet homo sine manu, aut digitis.

Probatur ratione.

Confirmatur : quia judex in qualibet causa tenetur reum punire, et pro qualitate criminis pœnas injungere ; sed sacerdos in pœnitentiæ sacramento munere judicis fungitur : ergo juxta culparum exigentiam tenetur satisfactiones præscribere. Minor, et consequentia patent. Major autem ex eo liquet, quod punire est munus judicis ex præcepto justitiæ vindicativæ, ut explicuimus in fine tract. 12, in arbore virtutum, § 10, num. 84 et deinceps. Ad hæc : Medicus adstringitur ex propriæ facultatis vice remedia morbo proportionata applicare ; sed sacerdos, ut supra dictum est, non solum est minister hujus sacramenti, et judex in conscientiæ foro, sed etiam medicum agit : ergo cum pœnæ satisfactoriæ sint peccatorum medicinæ, pœnitentibus eas injungere adstringitur. Unde illi hæc obligatio ex triplici capite provenit, ex munere nimirum medici, judicis, ac ministri : qua minister, integrum debet conficere sacramentum ; qua judex, reum punire ; et qua medicus, remedia injungere. Quæ omnia per satisfactionis impositionem explentur.

5. Diximus in conclusione, *per se loquendo* sacerdotem teneri ad injungendam satisfactionem : *per accidens* namque ab hujusmodi obligatione extrahi contingit, uti est casus dum pœnitens sensibus destitutus est physice impotens percipiendi pœnitentiæ injunctionem, et consequenter eam implendi : tunc enim, ut communiter sentiunt Doctores, cum pœnitens hujus sacramenti quoad essentialia capax existat, necessitasque urgeat, et aliunde ratione impotentiæ physicæ cum omnimoda integritate illud recipere nequeat, adest causa sufficiens, quæ sacramenti administrationem absque satisfactionis impositione licitam reddat. Hanc tamen excusationem ita aliqui explicant, quod si pœnitens non est omnino sensibus destitutus, eundem sacerdos adstringitur admonere, qua pœnitentia pro criminum qualitate debebat gravari, imo, et illum cogere ad eam adimplendam, si forsan ex mortis periculo evadat. Ceterum limitationi huic quoad omnia minime

nime acquiescimus : nam si infirmus adeo non est sensibus destitutus, ut illam admonitionem percipere valeat, non est cur absque omni prorsus satisfactione imposita absolvendus sit : debet enim sacerdos in illo eventu absolute aliquam saltem levissimam injungere pœnitentiam, uti recitationem salutationis Angelicæ, vel dulcissimi nominis Jesu invocationem, quæ si non ore, saltem corde fiat, ut modo quo possibile sit, sacramentum perficiat. Si vero periculum evadendi spem tribuat, jam non erit impossibilis satisfactio futura, atque ideo nec de præsenti aderit causa, ut nunc non injungatur acceptanda pro tunc deinceps adimplenda, ut habetur in jure cap. *Ab infirmis* 29, quæst. 7, ubi dicitur ; « A quo periculo si divinitus ereptus con- « valuerit, impositum sibi a sacerdote pœ- « nitentiæ modum diligenter observet. »

6. Sunt autem alii casus hic examinandi, in quibus Authores contendunt sacerdotem a satisfactionibus imponendis per accidens excusari . Primus est Cajetani tom . 1 Opusc. quæst. 2, art. 2, Navarri cap. 26. num. 20, Suarii disp. 38, sect. 3, num. 4, asserentium, sacerdotem, qui prudenter judicat, pœnitentem jam integre pro pœna temporali, dimissa culpa, ante confessionem satisfecisse, et cum ex circumstantiis agnoscit illius contritionem satis intensam, excusari per accidens a satisfactionis injunctione. Opposita tamen sententia sustinenda est cum Gonet hic disp. 13, art. 3, § 3, num. 45 in fine, Bonacina, Granado, Trullench, Leandro, Frias, Ricardo disp. 18, art. 2, quæst. 2, ad 1 et aliis. Etenim ex nullo principio moraliter loquendo (seclusa divina revelatione) sacerdoti constare valet, pœnitentem integre, et omnino pro pœna peccatis debita satisfecisse, ita ut nec unius orationis Dominicæ recitatione gravari debeat. Unde hic eventus utpote non practicus, sed metaphysicus, admittendus non est; imo non incongrue addit Mediavilla, quod licet sacerdoti ob sibi factam revelationem constaret, pœnitentem jam adæquate satisfecisse, adhuc aliquam saltem levissimam pœnitentiam teneretur injungere, tum ut sacramentum integrum redderet, tum ut precautionem ad futurum peccatum apponeret, in quo satisfactio aliquem effectum nancisceretur. Idque nobis non displicet.

7. Secundus casus est ille, in quo sacerdos probabiliter judicat pœnitentem nullam admissurum, vel executurum satisfactionem; in quo eventu sacerdotem sine aliqua imposita satisfactione posse absolvere pœnitentem aliqui autumant, et rationem assignant : quia cum ibi cesset finis impositionis, etiam cessare debet obligatio sacerdotis. Ita Henriquez lib. 2 de pœnit. cap. 20, Frias in summa fol. 21, Villalobos tract. 9, disp. 78, num. 4 et Lublin verb. *Satisfactio*, num. 1.Ceterum nec in hujusmodi eventu sacerdotem ab obligatione injungendi pœnitentiam extrahi, sentiendum est cum Nugno tom. 2 in 3 part. quæst. 18, art. 3, difficult. 2. Cui etiam subscribunt Palaus, Bonacina, Lugo, Granados, Fagundez, N. Franciscus tract. 6, cap. 10, punct. 2 et alii. Cujus multiplex ratio assignari potest Tum : quia ansa ad deteriora crimina pœnitenti tribueretur, si tantum quia satisfactionem excipere renuit, sacerdos nulla adhibita punitione eum absolvit, ac omne, quod illi arridet, permittit. Tum : quia hic Concilii ratio maxime urget, sacerdotem, nimirum, pœnitentium criminibus annuentem, illorum participem fieri : pœnitentem enim satisfactionem admittere nolle, irrationabilis excusatio est, ut injunctionis pœnitentiæ omissionem licitam reddat. Tum denique: quia sacerdos tenetur sacramentum non relinquere imperfectum, ac truncum. Ratio autem, quam oppositæ sententiæ adhærentes assignant, nullius momenti est : etenim satisfactionis impositio ordinatur ad sacramenti integritatem, ad commissi criminis punitionem, et ad precautionem futuri; qui quidem fines in prædicto eventu non cessant. Imo dicendum est, quod si pœnitens nullam vult admittere, vel implere satisfactionem, ficte ad sacramentum accedit, ac illud absque congrua dispositione reciperet. Unde sacerdos rei conscius sacrilego absolutionem præstaret.

8. Tertius casus est, dum scrupulosus semel absolutus, iterum atque iterum incunctanter sacerdotem adit, ut absolvatur. Tunc enim posse sacerdotem eum absolvere absque nova satisfactionis impositione, dummodo pœnitentiam in prima confessione injunctam applicet peccatis in secunda denuo confessis, sentiunt Henriquez lib. 5 de pœnit. cap. 20, num. 6, Bonacina disp.

5, q. 5, sect. 3, punct. 3, num. 3 et alii. Quorum fundamentum est, quoniam opus alias ex præcepto debitum potest in satisfactionem injungi : ergo, et satisfactio in prima confessione imposita poterit in secunda applicari. Verum etiam hic casus rejiciendus est : nam vel scrupulosus in secunda confessione novum prodit peccatum, vel antiquum jam confessum ? Si primum ; extra dubium est sacerdotem teneri novam satisfactionem injungere. Si secundum ; non debet sacerdos pœnitentem absolvere, sed consultius erit, ut scrupulos rescindat, inabsolutum dimittere. Si autem pœnitentis precibus annuens iterum illum absolvit, novam tenetur imponere satisfactionem : etenim vel illa, quam in prima confessione pœnitenti injunxit, est jam executioni mandata, vel non ? Si primum ; aliam distinctam injungere debet ; tum ne sacramentum imperfectum relinquat ; tum, quia satisfactio non est opus factum, sed faciendum, alias magni cruciatus jam perpessi valerent pro culpis denuo confessis in pœnitentiam injungi. Si secundum : etiam novam tenetur addere pœnitentiam : nam esto culpa, quæ in secunda confessione proditur, sit eadem, quæ in prima ; tamen adest novum sacramentum, quod distinctam pœnitentiam exigit : eadem quippe satisfactio nequit esse pars integralis duplicis sacramenti, quemadmodum nec idem digitus duplicem hominem integrare valet. Maxime : quia sæpissime accidit, præsertim in viris timoratæ conscientiæ, sola peccata jam pluries confessa iterum confiteri, et nihilominus nova satisfactio adhibetur. Fundamentum autem adversariorum nullius momenti est, nam licet verum sit, opus alias præceptum in satisfactionem injungi posse, hoc ita intelligendum est, ut præceptum, ac debitum non sit ex eodem satisfaciendi titulo, sed ex distincto ; quod ideo est, quia dum opus alias est debitum ex præcepto divino, vel Ecclesiastico, a Deo nobis liberaliter condonatur, ut quasi nullo alio titulo debitum, illud in solutionem reatus pœnæ temporalis offerre possimus. Dum vero ex eodem titulo satisfaciendi est debitum, ita non accidit. Unde huic placito adhærent Palaus punct. 11, § 2, num. 10, Candidus disquisit. 24, art. 31, dub. 3, N. Franciscus ubi supra, et alii.

9. Tandem posse sacerdotem nulla injuncta satisfactione absolvere pœnitentem tempore jubilæi, plenariæve indulgentiæ, docent Sa verbo *Satisfactio*, num. 2, Vivaldus, Lublin, et alii. Nam cum ex jubilæo plena concedatur peccatorum remissio, etiam quoad pœnæ reatum, superflua censetur quælibet satisfactionis injunctio. Sed hanc excusationem minime admittendam censemus ; tum ob rationem sæpius allatam, sacerdotem, nimirum, teneri integritati, ac perfectioni sacramenti consulere. Tum etiam : quia frequenter accidit animo jubilæum lucrandi pœnitentem sacerdotem adire, ac deinceps post emissam confessionem vel voluntatem invertere, vel a lucranda indulgentia impediri, quia media a Pontifice præscripta debito modo non exhibet. Tum denique : quia sacerdos non tantum judicis, sed et medici munus obtinet, ad quem remedia criminum morbis medendis præscribere attinet ; atque ideo cum ex jubilæi assecutione animæ vulnera, saltem quoad futura crimina præcavenda, non censeantur satis curata, eam satisfactionem debet injungere, quam fini huic aptiorem judicaverit ; de quo infra sermo redibit.

Ex quibus liquido constat, sacerdotem per se teneri semper pœnitentiam injungere, et solum per accidens ab hujusmodi obligatione extrahi, dum pœnitens sensibus destitutus eam percipere, ac exequi non valet ; in aliis autem eventibus debet aliquam, saltem levissimam, imponere, ob rationes hucusque assignatas. Hic autem animadvertendum est, quod licet opera in pœnitentiam a sacerdote injungenda valeant esse ex præcepto debita, ut præcedenti disputatione docuimus ; regulariter tamen, ut pœnitentes novam pœnalitatem experti a criminibus resipiscant, supererogationis opera imponenda sunt, inter quæ jejunium, oratio, ac eleemosyna principaliora esse debent, ut recte admonet D. Thomas D. in præsent. q. 15, art. 3. Nam satisfactio ut medicinalis ad peccatorum causas excidendas ordinatur ; peccatorum autem causa est triplex, juxta illud Joannis 2, numer. 26 : *Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ.* Unde cum jejunium carnis concupiscentiam, eleemosyna oculorum sitim, oratio vitæ superbiam excidat

Joa 2

excidat, ad hæc tria satisfactiones reducendæ sunt.

§ II.

Duplex alia assertio statuitur, et qualiter teneatur satisfactionem injungere sacerdos, declaratur.

Ex hactenus, § præcedenti dictis solum constat, teneri sacerdotem per se loquendo aliquam pœnitenti injungere satisfactionem, non vero quanta sit hujusmodi obligatio, an nimirum gravis, vel levis ; circa quam difficultatem non parum Authores dissident. Pro ejus tamen resolutione animadvertere opus est, confessionem constare posse vel ex solis venialibus, aut etiam mortalibus jam rite confessis, vel ex lethalibus nondum confessioni subjectis. Igitur cum pœnitentia sit culpis proportionanda, tenetur sacerdos pro mortalibus non antea confessis gravem satisfactionem injungere; pro venialibus vero, ac mortalibus jam confessis levem tantum imponere. Quibus suppositis,

Tertio 10. Dicendum est tertio, prædictam sacerdotis obligationem secundum se, vel ex genere suo esse gravem. Ita N. Franciscus in præsenti, cap. 10, punct. 2, num. 17, Suarez disp. 38, sect. 3, num. 1, Lugo disp. 25, sect. 4, num. 49, Ochagavia tract. ultim. de Pœnit. Suadeturque ratione : nam lex, aut præceptum in materia Religionis, charitatis, justitiæ, aut aliarum virtutum ad bonum animarum graviter conducentium, per se loquendo obligat sub mortali, nisi aliud constet de intentione Legislatoris ; sed hujusmodi est lex, aut præceptum sacerdotem adstringens, ut pœnitentiam injungat ; ergo per se illum obligat sub culpa lethali. Consequentia est legitima. Majorem stabilivimus cum communi Doctorum placito tract. 13, disput. 19, dub. 1, § 1. Minor vero ex supra dictis ostenditur : etenim quod sacerdos pœnitentiam debeat injungere, provenit tum ex virtute Religionis præcipientis reverentiam, integritatem, ac sacramenti perfectionem; tum ex justitia vindicativa, ratione cujus sacerdos tanquam judex tenetur reum punire ; tum denique ex munere spiritualis medici, qui adstringitur sive ex charitate, sive ex illa virtute, contra quam est periculum futuri peccati pœnitentis, illi medicamenta præscribere ; atqui hujusmodi virtutes graviter ex genere suo conducunt, et ad bonum sacramenti pœnitentiæ, et ad animarum salutem : ergo lex, vel præceptum, quod sacerdotem adstringit ad satisfactionem injungendam, oritur ex principio ad animarum salutem ex genere suo graviter conducente.

Ex quibus manifeste deducitur, non esse liberum confessariis, gravem pro levibus, aut levem pro gravibus peccatis pœnitentiam injungere ; sed peccare mortaliter, si proportionatam, ac unicuique peccato debitam non assignent. Tum : quia ita colligitur ex verbis Concilii supra relatis : « Debent ergo sacerdotes pro qualitate cri- « minum, et pœnitentium facultate, salu- « tares, et convenientes satisfactiones injun- « gere, ne levissima quædam opera pro « gravissimis delictis injungendo, alieno- « rum peccatorum participes efficiantur. » Concil. Trid.

Tum etiam : quia judex, dum reum punit, debet servare æquitatem ; hanc autem non servat, qui gravia crimina leviter, vel leve peccatum graviter punit : ergo ut æquitatem judicii servet, debet satisfactionem imponere culpis proportionatam. Videndum tamen restat, an hujusmodi obligatio ob materiæ parvitatem, vel aliunde levis esse possit, atque ideo solum ad culpam venialem sacerdotem adstringetur ? Itaque

11. Dicendum est quarto, sacerdotis obligationem imponendi levem pœnitentiam ob peccata venialia, vel ob mortalia jam confessa, levem tantum esse, atque ideo ejus voluntariam omissionem (præciso contemptu) terminos peccati venialis non transilire. Ita probabiliter N. Franciscus in præsenti, punct. 2, num, 19, Lugo disp. 25, sect. 4, num. 49, N. Antonius disp. 21, sect. 2, num. 1604, Diana part. 6, resolut. 44, Aversa quæst. 13, sect. 2, Ochagavia quæst. 8, num. 7, Stephanus a S. Paulo num. 172, Dicastillo dubit. 2, num. 12, et alii plures, satisque colligitur ex Tridentino, authoritate supra num. 3 relata. Franc. N. Anton. Lugo, Diana, Aversa, Ochagav. Dicast Stephan.

Probatur assertio ratione : nam lex religionis, aut Justitiæ, etiamsi ex genere suo sub mortali adstringat, tamen in materia levi solum levem obligationem inducit ; atqui impositio pœnitentiæ ob peccata venialia, vel ob mortalia jam con- Ratio.

fessa, est materia levis : ergo sacerdos ad hujusmodi pœnitentiæ impositionem solum leviter obligatur. Consequentia liquet ; major est communis sententia Doctorum in materia de legibus ; unde licet votum, quod ex Religionis virtute obligat, ex genere suo sub mortali adstringat, nihilominus ob materiæ parvitatem solum levem obligationem inducit, ut patet in voto salutationem Angelicam recitandi, cujus omissio veniale tantum peccatum est, ut recte docet N. Andreas tract. 11, cap. 2, § 2, et tract, 17, capit. 1, punct.6, § 2, num.113.Minor vero suadetur : tum, quia pœnitentiæ impositio regulari debet per culpam, ob quam pœnitentia injungenda est ; sed peccata venialia, aut etiam mortalia jam sæpius confessa, sunt materia levis in ordine ad pœnam, quam ipsis imponendam exigunt : ergo, et illius impositio. Tum etiam ; nam pœnitentiæ injunctio ob peccata venialia, vel mortalia jam confessa, ad tria dirigitur, nempe, ad debitam sacramenti integritatem, justam criminis punitionem, et animæ congruentem salutem ; sed ad nullum ex his graviter conducit, quum absque levis ægritudinis medicamento animæ salus simpliciter obtineatur, et sine levis delicti punitione, vel gravis jam sufficienter puniti, substantialis judicii rectitudo subsistat, ac tandem sine levi parte integrali substantialiter maneat integra sacramenti materia, quemadmodum defectus in dente, quia levis, substantialem hominis integritatem non tollit, licet alias defectus brachii, vel manus, quia reputatur gravis, id efficiat : ergo levis pœnitentiæ impositio in confessione venialium, vel mortalium vitæ ante actæ, levis materia est : hæc quippe ex fine, ad quem dirigitur, regulatur.

Confirm. 1. Confirmatur primo : nam judex civilis lethaliter non delinquit, si leve delictum non punit ; nec medicus corporis, si languori tenuissimo medicamentum non exhibet ; nec culpæ gravis reatum contrahit minister, qui in re parvi momenti proprio muneri non satisfacit ; sed ita se habet sacerdos pœnitentiam non injungens ob venialia crimina, aut mortalia sæpius jam confessa, et punita : ergo ad hujusmodi satisfactionem imponendam sub lethali culpa non adstringitur. Confirmatur secundo : nam pœnitentes, qui levem satisfactionem, ob peccata venialia impositam, omittunt, in omnium fere sententia non graviter peccant, nisi ex contemptu omittant : ergo nec sacerdos sub mortali adstringitur illius impositioni. Antecedens ex dicendis dub. seq. constabit. Consequentia vero ex paritate liquet : quippe eadem sequuntur inconvenientia ex omissione exequendi satisfactionem, ac ex omissione illam injungendi.

§ III.

Sententia ultimæ assertioni contraria, refertur.

12. Adversus primas tres assertiones nullum alicujus ponderis vidimus argumentum; adversus ultimam vero sentiunt Castro Palao tract. 23, disp. unica, punct. 21, § 2, num.6, Joannes Sancte in selectis, disp. 15, num. 14 et 17, N. Gabriel a S. Vincentio disp. 12, quæst. 3,Reginaldus in praxi, tom. 1, lib. 7, num. 12. Quorum fundamentum est : quia sacerdos ut sacramenti minister sub culpa lethali adstringitur, quantum est ex se, illud debita integritate perficere ; atqui si pœnitentiam in confessione venialium, aut mortalium vitæ ante actæ non injungit, sacramentum incompletum,ac sine debita integritate relinquit : ergo non levem, sed gravem frangit obligationem. Majorem adversarii supponunt ex intrinsecis spectantibus ad munus hujus sacramenti, et alterius cujuslibet. Minor vero probatur : nam satisfactio est pars integralis sacramenti pœnitentiæ ; sed quodlibet compositum debita parte integrali fraudatum manet imperfectum : ergo si sacerdos in confessione venialium pœnitentiam non injungit, sacramentum imperfectum relinquit.

Pala Joan. S N Gab Regi Arg

Confirmatur primo : etenim res exigua, sine qua finis magni momenti obtineri non valet, quamvis absolute in se levis sit, tamen ut ad hujusmodi finem conducit, reputatur gravis ; sed integritas sacramenti, ad quam ordinatur pœnitentiæ impositio, res magni momenti est : ergo licet injunctio levis pœnitentiæ ob peccata venialia, vel mortalia jam confessa in se levis sit, nihilominus ut ad sacramenti integritatem conducens gravis reputari debet, subindeque sacerdotem sub lethali adstringere. Majorem, quam non negamus, aliquibus instantiis suadere nititur Sanctius.

Cor

Primo

Primo, quia aquæ guttam diglutire, in re quid modicum est; et tamen illa diglutio ante Eucharisticam sumptionem est quid gravissimum, eo quod violatur naturale jejunium, ob reverentiam tanti sacramenti indictum. Secundo, quia rem spiritualem vendere etiam in exiguo pretio, esto in se quid modicum sit, grave peccatum est: ergo. Minor autem ostenditur: nam si sacramenti pœnitentiæ integritas magni momenti non esset, sacerdos in confessione mortalium gravem pœnitentiam non injungens, graviter non delinqueret; sed oppositum statuimus supra num. 10. Ergo. Probatur sequela: quippe sacramentum, in quo sola venialia confitentur, non minus imperfectum manet sine injunctione pœnitentiæ levis, quam illud, in quo mortalia deteguntur absque injunctione pœnitentiæ gravis, cum ab utroque tota illius pars integralis præscindatur, sed in priori eventu sacerdos pœnitentiæ injunctionem omittens, graviter non delinquit: ergo nec in posteriori.

Confirmatur secundo, et urgetur: nam vel sacramento gravis irrogatur injuria, dum ejus pars integralis non apponitur, vel tantum levis? Si primum: ergo graviter delinquit sacerdos in confessione venialium nullam pœnitentiam injungens; siquidem sacramentum sine parte integrali conficitur. Si secundum: ergo in mortalium confessione sacerdos pœnitentiæ injunctionem omittens, gravem obligationem non frangit. Cum ergo hoc ultimum admittendum non sit, primum asserendum est.

13. Respondetur ad argumentum, concessa majori, distinguendo minorem, quæ si intelligatur de sacramento imperfecto *in re parvi ponderis*, concedenda est; neganda vero *in re magni momenti*. Ad cujus probationem quatenus solutioni huic officere valet, fere eodem modo distinguenda est minor, quam concedimus intellectam de imperfectione sacramenti *juxta mensurum illius partis integralis*, qua fraudatur; secus vero *sine proportione ad illam mensuram*. Licet enim sacerdos sacramentum perfectum, ac integrum conficere teneatur, non tamen semper, ac in omni eventu ad id sub lethali obligatione adstringitur, sed graviter, aut leviter juxta quantitatem partis integralis, quam debet imponere. Unde si hæc gravis, aut magni momenti fuerit, uti est illa, quæ injungi debet pœnitenti, dum peccata mortalia nunquam concessa clavibus subjiciuntur, graviter delinquit sacerdos eam non iujungendo, quia per abscissionem partis integrantis magni ponderis, sacramentum notabiliter deturpat, illique gravem injuriam irrogat. Verum si oppositum contingit, et pars integralis abscissa parvi momenti est, ut accidit in pœnitentia levibus, vel etiam mortalibus jam confessis, ac punitis respondenti, sacerdos venialiter tantum delinquit, quippe illius partis defectus levem tantummodo sacramenti imperfectionem arguit, ac illi injuriam tenuissimam infert.

Idque exemplo satis congruenti declarari valet. Etenim votum ex genere suo, cum ex religionis virtute vim adstringendi obtineat, gravem obligationem inducit. Quocirca qui rem magni ponderis promisit, uti jejunium, vel quid simile, si omnino id omittit, lethalis culpæ reatum contrahit. Ceterum si de re tenui votum fiat, recitandi, v. g. salutationem Angelicam, illius omissio terminos peccati venialis non excedit, quia promissis non stare in re adeo parvi ponderis, tantum est levem Deo irreverentiam inferre, ut docent N. Andreas tract. 17. cap. 1, punct. 4, § 2, num. 113, Soto lib. 7, quæst 2, art. 1, Prado cap. 31, quæstiunc. 4, § 3, num. 31, Aragon 2, 2, quæst. 88, art. 3, Raphael de la Torre ibi art. 5, dist. 5, Joannes a S. Thoma ibi art. 8, num. 5, Suarez lib. 5, cap. 8, num. 9, Sanchez lib. 4, cop. 12, Bonacina punct. 5, § 4, num. 8, Palaus tom. 3, tract. 15, disp. 1, punct. 11, nu. 6. Non absimiliter ergo, quamvis sacerdotis præceptum injungendi satisfactionem ex genere suo sub lethali adstringat; potest tamen levem committere culpam ob materiæ parvitatem, dum ob venialia, vel mortalia jam clavibus subjecta, nullam pœnitentiam injungit: tunc quippe minimam partem integralem a sacramento removet.

N. Andr. Soto. Prado. Aragon. Raphael. Joan. a S. Tho. Suarez. Sanchez. Bonacin. Palaus.

Ad primam confirmationem fatemur quidem, rem exiguam, sine qua finis magni momenti obtineri non valet, fieri gravem ratione finis, ad quem dirigitur; atque ideo illam omittere, culpam lethalem esse; ut liquet in aquæ gutta vino consecrando immiscenda, quæ physice quid modicissi-

Diluitur confirmatio 1.

mum est, et tamen in ordine ad finem, quem respicit, et in ratione signi, ac sacræ cæremoniæ est res adeo gravis, ut ejus voluntaria omissio nequeat non grave peccatum esse, ut tract. 23, dip. 4, dub. 3, § 1, num. 47 ponderavimus. Id quod etiam evenire in exemplis a Sanctio in confirmatione allatis minime diffitemur : nam exiguitas pretii accepti pro re spirituali magnam illi irrogat injuriam, siquidem eam ostendit reputari æstimatione dignam. Et aquæ guttam, vel minimam cibi partem accipere ante Eucharistiæ sumptionem, esto in se quid leve sit : nihilominus ratione finis, in quem collimat, reverentiæ nimirum tanti sacramenti, magni ponderis efficitur. Unde jejunii naturalis violatio etiam per rei exiguæ sumptionem ante Eucharistiam lethalem culpam inducit. Ceterum oppositum contingit, dum res in se est parvi momenti, et alias ad finem non magni dirigitur : tunc enim nullum adest caput, ex quo gravitatem induere valeat ; et ita in casu, de quo in præsenti accidit. Nam satisfactio ob peccata venialia, vel ob mortalia jam confessa injungenda in se res exiguæ entitatis est, ut adversarii concedunt, et alias non in finem magni momenti tendit : quia licet dirigatur ad sacramenti pœnitentiæ integritatem, hæc tamen latitudinem admittit, utpote quæ coalescit ex partibus principaliter, et quasi simpliciter integrantibus, et ex partibus minimis, et secundum quid perficientibus ; ut in integritate hominis videre est : hæc enim consurgit ex capite, brachio, pede, et aliis, quæ principaliter illum componunt, et ex capillis, dentibus, ac digitorum extremitatibus, quæ solum rationem partis secundum quid sortiuntur, et non ita notabiliter hominem adintegrant. Igitur satisfactio ob peccata venialia, vel ob mortalia clavibus jam subjecta, dirigitur ad sacramenti integritatem, quæ est talis secundum quid, atque ideo non in finem magni ponderis, sed exigui : quemadmodum unguis aliquis, vel digiti extremitas hominis integritatem simpliciter substantialem non respicit.

Applicatur solutio. Quocirca juxta hanc doctrinam concedenda est major confirmationis, et minor absolute neganda, vel saltem distinguenda; quæ si intelligatur de integritate sacramenti *ex genere suo, aut simpliciter tali*, vel de ea, ad quam ordinatur pœnitentiæ impositio ob peccata mortalia nunquam confessa, concedi debet ; negari vero, si procedat de integritate sacramenti *in omni eventu*, vel de illa, quæ solum est talis *secundum quid*. Et ad minoris probationem neganda est sequela quæ inducta probatione non suadetur : quippe sacramentum, in quo peccata lethalia antea non confessa clavibus subjiciuntur, imperfectius manet sine pœnitentia gravi injuncta, quam illud, in quo deteguntur venialia, sine pœnitentia levi imposita; nam cum pœnitentia peccatis lethalibus nunquam confessis debita sit gravis, atque adeo pars integralis sacramenti magni ponderis, illudque notabiliter perficiens, et quasi simpliciter integrans, illam pœnitenti non injungere, est sacramentum deturpare, ac subinde lethaliter delinquere. Pœnitentia vero ob levia peccata applicanda, est res satis exigua, a qua perfectio, ac integritas sacramenti solum dependet secundum quid ; unde illius non injunctio veniale tantum peccatum est, quia sacramentum tantummodo relinquitur non integrum in re levissima : quemadmodum unius dentis defectus gravem ab homine integritatem non removet.

Ad secundam confirmationem respondetur, per quamlibei partis integralis sacramenti abscissionem aliquam illi irrogari injuriam, sicut per quamlibet honoris, aut famæ denigrationem aliquam injustitiam induci ; ceterum sicut hujus injustitiæ quantitas per quantitatem denigrati honoris mensuratur, ita quantitas injuriæ sacramento illatæ per quantitatem partis integralis abscissæ. Unde quemadmodum injustitia est levis, si honor leviter denigratur, et gravis si graviter, aut in re magni momenti aufertur ; ita injuria, quæ sacramento fit, est gravis, dum pars integralis abscissa est magni ponderis, et levis, dum est exiguæ entitatis. Disp. tur

DUBIUM II.

Utrum sacerdos valeat cogere pœnitentem ad acceptandam, et exequendam pœnitentiam.

Alii aliter difficultatem præsentem proponere solent, an nimirum teneatur pœnitens acceptare et exequi pœnitentiam ? Sed idem sensus utroque titulo retinetur

retinetur : num cum sacerdotem cogere pœnitentem, et pœnitentem cogi correlativa sint, vel utrumque, vel nullum verum est. Quamvis autem quid dicendum sit jam satis appareat ex dubio præcedenti dictis ; ob diversos tamen opinandi modos, quibus Authores in hac difficultate procedunt, eam sigillatim discutere congruum reputavimus.

§ I.

Vera sententia ac primum ejus fundamentum.

14. Dicendum est, posse sacerdotem cogere pœnitentem ad satisfactionem acceptandam et exequendam. Hæc assertio est adeo certa, ut Suarius statim referendus senserit absque temeritatis nota negari non posse. Imo Vasquez eam a Tridentino, ac Florentino definitam judicat. Victoria esse de fide asserit. Alii vero ut Nugnus, Lugo, et Henriquez oppositam saltem periculosam, ac prorsus improbabilem reputant. Nostram autem docet D. Thomas in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 3. Cui subscribunt ejus discipuli Nugnus tom. 2, in 3 part. quæst. 15, art. 1 et in præsenti, quæst. 13, art. 2, diffic. 2, concl. 1, Dominicus Soto dist. 20, quæst. 2, art. 2, Petrus Soto lect. 2, de satisfact. Labat tract. 3, de Pœnit. disp. 2, dub. 5, § 1, concl. 2, D. Antoninus 3 part. tit. 18, cap. et § 19, Magister dist. 16 et 18, Bonet disp. 13, art. 3, § 3 num, 46, Riardus in 4, dist. 11, art. 1, quæst. 5, Paludanus dist. 20, quæst. 2, num. 5, Durandus dist. 20, quæst. 1 et 2, et dist. 17, art. 8, N. Franciscus cap. 10, punct. 4, nunc. 52, N. Antonius disp. 21, sect. 3, num. 1621, N. Philippus dist. 13, dub. 4, D. Gabriel disp. 12, quæst. 4, Victoria num. 209, Suarez disp. 38, sect. 7, num. 2, Vasquez quæst. 94, art. 2, disp. 1, num. 5, Lugo disp. 25, sect. 5, num. 68, Palaus tract. 23, punct. 21, § 4, Diana part. 1, tract. 1, Miscel. resol. 25, Dicastillo disp. 4, dub. 2, num. 26, Coninchus disp. 10, dub. 9, Ochagavia tract. ultimo, quæst. 8, Joffensis art. 5, contra Lutherum, Alens 4 part. quæst. 24, memb. 4, art. 5, Major quæst. 1 et dist. 17, quæst. 2, Lessma 2, part. 4, quæst. 20, art. 3, Comus Select. illa de pœnit. 5, part. Turrianus de pœnit. 35, dub. 2, Trullench. lib. 4, cap. 8, dub. 4, et alii plures, estque communis Theologorum.

Fundamentum ab auctoritate Concilii.

Suadeturque primo ex Tridentino sess. 14, cap. 8, ubi postquam sacerdotis potestatem, et obligationem injungendi pœnitentiam statuit, vim ac efficaciam ejusdem potestatis explicans, subjungit : « Habeant « autem » (sacerdotes) « præ oculis, ut sa- « tisfactio, quam imponunt, non sit tan- « tum ad novæ vitæ custodiam, et infirmi- « tatis medicamentum, sed etiam ad præ- « teritorum peccatorum vindictam, et « castigationem. Nam claves sacerdotum « non ad solvendum dumtaxat, sed, et ad « ligandum concessas etiam antiqui Patres, « et credunt, et docent. » Id quod ulterius confirmans Canone 15 ejusdem sessionis anathematis fulmine inurit oppositum asserentes : « Si quis dixerit, claves Eccle- « siæ esse datas tantum ad solvendum, « non etiam ad ligandum, et propterea « sacerdotes dum imponant pœnas confi- « tentibus, agere contra finem clavium... « anathema sit. » Ex quibus hic discursus efformari valet. Clavium potestas, pœnitentiæ ministris concessa, non solum ad reum solvendum se extendit, sed etiam ad ligandum ; atqui potestas ligandi est potestas coercendi, ac inferendi vim : ergo sacerdotes hujusmodi potestate gaudent, ut pœnitentes ad satisfactionis acceptationem, et executionem cogere possint. Consequentia legitime ex præmissis deducitur, et major in Concilii verbis continetur. Minor vero ex eo liquet quod ligare nihil est aliud quam obligare, et obligare idem quod coercere, aut cogere.

Responsio adversariorum.

15. Mirum est, quot evasiones excogitarint adversarii, ut hujus solidissimi fundamenti vim effugiant. Nec omnes recensebimus, sed eas tantummodo, quæ ut principaliores habentur. Respondent ergo primo nonnulli apud Dianam coordinatum tom. 1, tract. 6, resol. 2, num. 2, potestatem ligandi ad pœnam esse ejusdem conditionis cum potestate solvendi a culpa. Unde ex vi Concilii solum infertur, quod quemadmodum sacerdos non valet absolvere a culpa nisi volentem solvi ; ita nec ligare ad pœnam, nisi volentem ligari; atque ideo nec sacerdos potest absolute ligare pœnitentem, nec hic tenetur pœnitentiam admittere.

Retorquetur

Verum hoc effugium haud arduum erit

præcludi ex his, quæ disp. 3, dub. 1, § 1, satis expensa relinquimus. Ibi enim ex generali Theologorum sententia statutum manet, confessionem sacramentalem sub præcepto divino cadere, ac subinde omnes in peccato existentes teneri sacerdotem adire, ac sacramentali judicio se subdere. Quo supposito, responsio data sic efficaciter retorquetur. Sacerdos potest ligare ad pœnam, sicut absolvere a culpa ; sed ex potestate absolvendi a culpa tenentur in peccato existentes absolutionem sacerdotis accipere : ergo, et ex potestate ligandi acceptare pœnitentiam, et consequentur valet sacerdos ad id pœnitentes cogere. Consequentia est legitima, et major ipsissima adversariorum doctrina. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam quicumque peccatum commisit, tenetur pœnitentiam agere, ac Deo reconciliari, juxta illud : *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis ;* atqui in lege gratiæ nemo potest Deo reconciliari sine absolutione a sacerdote præstanda : ergo ex potestate absolvendi a culpa, a Christo Domino tradita sacerdotibus, tenentur pœnitentes absolutionem accipere. Major est adeo certa, ut nec ab Hæreticis negetur, ut loco proxime relato adnotavimus, eamque evidenter ostendimus in priori hujus tract. parte, disp. 5, dub. 1. Minor vero ex eo liquet, quod absolutio est unicum remedium, quod habet qui post Baptismum lapsus est : quamvis enim peccator valeat Deo reconciliari per contritionem, non tamen independenter a confessione. et absolutione : quippe omnis vera contritio includit votum confitendi, ac subjiciendi peccata sententiæ, et absolutioni sacerdotis, atque adeo obligationem id exequendi non tollit, quin ubi ita non facit, dum potest, et debet, iterum culpæ alligatur. Consequentia autem est evidens : nam si peccator Deo reconciliari tenetur, et aliunde nulla est alia reconciliationis via præter absolutionem, necessum erit ad hujus acceptationem teneri.

Luc. 3.

Major impugnatio.

Urgetur hæc impugnatio : nam Christus Dominus non solum tradidit sacerdotibus potestatem absolvendi, sed etiam ex ipsa pœnitentibus obligationem imposuit, ut absolutioni se subjicerent : ergo similiter non solum contulit sacerdotibus potestatem ligandi ad pœnitentiam, se etiam obligationem intulit pœnitentibus, ut se subderent pœnitentiæ. Consequentiam adversarii admittere coguntur, quandoquidem eodem modo discurrunt de potestate ligandi, ac de authoritate absolvendi. Antecedens autem suadetur : nam illa verba Christi Domini : *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt :* quibus potestatem absolvendi tradidit sacerdotibus, intelligenda sunt in eo sensu, in quo universalis Ecclesia ea intellexit, et intelligit de potestate absolvendi tradita sacerdotibus cum obligatione pœnitentium submittendi se absolutioni sacerdotis : ergo. Consequentia liquet. Major est Concilii Tridentini sess. 14, Can. 5, ubi oppositum asserentes anathematis fulmine adurit. Minor autem ex eodem Concilio, et sess. cap. 5, probatur ; ibi enim inquit : « Ex institutione sacra- « menti pœnitentiæ jam explicata universa « Ecclesia semper intellexit, institutam « esse a Domino integram peccatorum con- « fessionem, et omnibus post Baptismum « lapsis jure divino necessariam existere. » Peccatorum autem confessio, quam jure divino necessariam docet, ad absolutionem accipiendam fit : ergo etiam ex jure divino tenetur in peccato existens absolutioni se submittere ; alias cessante fine, præceptum, et obligatio confitendi cessaret, vel nullum esset. Videantur quæ supra docuimus disp. 8, dub 1, nu. 6, et Lugo in præsenti, disp. 25, sect. 5, ubi hanc adversariorum evasionem aliis viis non contemnendis in eosdem retundit.

Itaque aliud est (ut ita omnino responsio corruat) sacerdotem licite, aut etiam valide, non posse potentia consequenti, et in actu secundo absolvere nolentem se sacerdoti, et absolutioni subjicere ; aliud vero ex potestate absolvendi in sacerdote residente non teneri existentem in peccato absolutionem acceptare, imo, et quærere : hæc enim satis distincta sunt. Primum quidem verum est : quippe cum absolutio, ut licite, ac valide impendatur, pendeat ex dispositione, et actibus pœnitentis, his deficientibus, ut in illo eventu deficiunt, nequit sacerdos licite, aut valide absolvere ; alioquin si id efficeret, sacrilege procederet, cum nulli materiæ sacramenti formam infunderet. Secundum antem est omnino falsum, imo, et fidei minime consonum ; cum ex præcepto divino in peccato existens

existens adstringatur sacramentali confessioni, ac subinde sententiæ, et absolutioni sacerdotis, ut ex supra dictis patet. Quocirca ex vi hujus solum deducere possunt sententiæ oppositæ patroni, quod quemadmodum sacerdos nequit licite aut valide absolvere in actu secundo nolentem absolvi, ita nec pœnitentiam injungere nolenti eam acceptare ; non autem quod pœnitens non teneatur acceptationi, sicut etiam in peccato existens adstringitur absolutioni ; vel, quod in idem redit, minime colligitur, sacerdotis potestatem ligandi ex se non inducere obligationem, ut pœnitentia acceptetur, sicut absolvendi potestas eam ex se infert, ut peccator velit se absolutioni subjicere.

16. Nec iterum alicujus momenti erit Navarri responsio in Manual. cap. 26, num. 20, in fine, dicentis, Concilii verba ita esse intelligenda, ut ly *ad ligandum* sit idem ac *ad arbitrandum* justam pœnam, ne sacerdotes minorem, vel majorem, quam par est, imponant ; non vero quod ly *ad ligandum* importet potestatem sacerdotis, ut pœnitentes compellere possit ad acceptandam, et exequendam satisfactionem. Unde ex vi hujus solum habetur, confessarium posse, ac debere assignare quantitatem pœnæ, quæ unicuique peccato correspondet, ejus acceptationem pœnitentis arbitrio relinquendo.

Hæc namque responsio minime satisfacit, et multipliciter rejicitur. Tum : quia communis apprehensio, ac intelligentia fidelium non est, sacerdotem in vi illius particulæ *ad ligandum* solum habere potestatem taxandi, vel designandi quanta peccatis confessis pœna debeatur, illius executionem, vel omissionem voluntati pœnitentis committendo, sed authoritatem sortiri eam præcipiendi, ac obligandi ad ejus executionem ; alias pœnitentes de satisfactione injuncta, et executioni non mandata, tanquam de omissione rei præceptæ non se accusarent, nec id sacerdotes inquirere tenerentur, cujus oppositum Ecclesiæ praxis convincit. Tum etiam : quia justam pœnam arbitrari in sensu citati Authoris æque bene fieri potest tam extra, quam intra confessionem ; et nihilominus extra confessionem non dicitur, sacerdotem ligare posse pœnitentem. Tum deinde: quoniam Concilium in eodem sensu asserit, sacerdotem habere potestatem ligandi, ac potestatem solvendi ; sed hanc habet in rigoroso sensu, siquidem a pœnitente tollit ligamen, quo vere irretitus erat ad pœnam æternam : ergo, et illam ut eundem pœnitentem vere, et stricte cogere, ac ligare possit ad satisfactionem.

Impugnatio confirmatur.

Confirmatur primo impugnatio : quippe Concilium non tantum asserit, sacerdotem habere potestatem ligandi pœnitentem ad pœnam in satisfactionem injunctam, sed pœnitenti debere injungere hujusmodi pœnam : ergo sacerdos non solum potestatem habet taxandi, vel designandi pœnam criminibus respondentem, sed etiam stricte ligandi, et cogendi reum ad illius acceptationem. Consequentia suadetur : nam judex civilis non teneretur reum punire, si hunc ad supplicium adstringere non posset : ergo nec sacerdos tenetur pœnitentiam injungere, si pœnitentem ad pœnæ acceptationem cogere non valet : nequeunt enim cohærere puniendi obligatio, et carentia potestatis coercendi reum.

Confutatur amplius.

Confirmatur secundo : nam dum Concilium inquit, claves sacerdotum illis concessas fuisse *ad ligandum*, peculiarem aliquam potestatem, quam antea non habebant, fatetur ex vi clavium sacerdotibus fuisse commissam ; atqui potestas ligandi in sensu, in quo Navarrus Concilium accipit, jam erat unicuique pro priori ad clavium, a sacerdote receptionem : ergo potestas ligandi, quam Concilium asserit sacerdotibus commissam, non est potestas prout abillo Authore explicatur. Minor ostenditur: nam quilibet independenter a sacerdotii clavibus potest taxare, ac designare quantitatem pœnæ, quæ unicuique peccato correspondet ; sed hæc est potestas ligandi, quam citatus Author inquit sacerdotibus commissam : ergo.

Urgetur.

Ulterius urgetur : quia sacerdotem posse pœnitentiam designare, ac taxare, illius acceptationem voluntati pœnitentis relinquendo, nullo modo potestas ligandi dici potest : ergo ly potestas *ad ligandum* aliter accipiendum est. Suadetur antecedens : Tum, quia prædicto modo pœnitentiam imponere, est illam per modum consilii injungere ; sed consilium neminem ligat : ergo. Tum etiam : nam Pontifex indulgentias concedens Ecclesiam visitantibus non dicitur aliquem ligare, eo quod obligatio-

nem non inducit, sed ad uniuscujusque placitum Ecclesiæ visitationem relinquit ergo pœnitentiam injungere, et ad arbitrium, ac libertatem pœnitentis relinquere, nullo modo ligare dici poterit. Quocirca vel concedendum est, Concilium, imo, et Evangelium, impropriissime fuisse locutum, dum asserit sacerdotes habere authoritatem ligandi pœnitentes, quod dici nequit ; vel asserendum, sacerdotes posse stricte ligare, et coercere, ut pœnitentia injuncta acceptetur.

Præcedentium confirmatio.

17. Quæ omnia roborari possunt, simul, et assertio fulciri, ex eodem Concilio in verbis immediate antecedentibus. Ibi enim inquit, sacerdotes levissima opera ob gravia delicta injungentes, peccatorum pœnitentium participes fieri ; atqui si sacerdotes non possent pœnitentes cogere ad pœnitentiæ injunctæ acceptationem, esto tenuissimam pœnitentiam ob gravia delicta inungerent, alienorum criminum participes minime efficerentur : ergo, et potestatem stricte ligandi habent ad pœnitentiam, et pœnitentes obligationem eam acceptandi. Minor, in qua est difficultas, ostenditur : quia si sacerdotes ad pœnitentiæ acceptationem non possent cogere pœnitentes, necessarium esset, ut pœnitentia injungeretur ad pœnitentis arbitrium : ergo si hic ob gravia delicta solum levissima opera acceptare vult, hæc necessario sunt injungenda : ergo sacerdotes ita procedentes minime efficerentur peccatorum participes. Patet ultima consequentia : quippe impossibile est, aliquem delinquere in illa actione, quam necessario exhibet, et cujus oppositum efficere non valet. Imo, esto nullam, adhuc levissimam, imponeret, ipsis ad culpam non imputaretur : nam si pœnitentes ob gravia delicta gravem pœnitentiam acceptare non tenentur, nec etiam levem in adversariorum sententia : ergo si nullam acceptare voluerint, nullam possunt sacerdotes injungere : ergo nec delinquere nullam injungendo ob gravia delicta. Hæc autem, et satis absurda sunt, et Concilii verbis minime consona.

Adde primo (tacitam solutionem præoccupamus) Tridentinum non asserere, sacerdotes alienorum criminum participes fieri *taxando*, *vel assignando* levissima opera ob gravia delicta, sed *injungendo*. Ly autem injungere non idem ac taxare, vel designare significat, sed vim obligationem inferendi, ac stricte ligandi importat. Adde secundo, Concilium citat. sess. et cap. totum esse in commendando sacerdotibus integerrimam sedulitatem in pœnitentiarum injunctione delictis correspondentium. Ex quo plane convincitur supponere sacerdotem habere potestatem non solum assignandi, sed præcipiendi pœnitentiam ; allias supervacanea foret adeo magna illius sollicitudinis commendatio. Quid namque referret, sacerdotem vigilanti solicitudine pœnam taxare. si pœnitens eam non teneretur admittere, nec ad id sacerdos pœnitentem valeret cogere ? Adde tandem, Concilium Salegustadiense cap. 8 dixisse : « Quia aliqui tanta mentis « suæ falluntur stultitia. ut in aliquo capi- « tali crimine culpati pœnitentiam a sa- « cerdotibus suis accipere nolint, in hoc « maxime confisi, ut Romam euntibus « Apostolicus omnia dimittat peccata ; « Sancto visum est Concilio, ut talis indul- « gentia illis non prosit, sed prius juxta « modum delicti pœnitentiam sibi datam « a suis sacerdotibus adimpleant. » Si autem pœnitentes opera in satisfactionem a sacerdotibus injuncta non tenerentur accipere, Concilium adversus acceptare nolentes minime adeo ingenti severitate procederet.

§ II.

Alia ejusdem sententiæ fundamenta expenduntur.

18. Secundo suadetur assertio ex cap. *Omnis utriusque sexus* de pœnit. et remis. ubi cum Pontifex fidelibus cunctis obligationem imponat, ut postquam ad annos discretionis pervenerint, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteantur proprio sacerdoti, subjungit Innocentius : « Et injunctam sibi pœnitentiam « propriis viribus studeat » (unusquisque) « adimplere, suscipiens reverenter ad mi- « nus in Pascha Eucharistiæ sacramen- « tum. » Atqui juxta unanimem Ecclesiæ consensum in his verbis continetur præceptum obligans omnes utriusque sexus fideles ad annuam confessionem, et Paschalem communionem : ergo etiam ibi datur præceptum adstringens pœnitentes ad acceptandam

ceptandam, et adimplendam satisfactionem a confessariis injunctam : ergo ad id possunt sacerdotes cogere pœnitentes. Prima consequentia ex antecedenti patet : eodem namque tenore verborum loquitur Pontifex de confessione annuali, Paschalique communione, quo de adimpletione pœnitentiæ. Secunda vero etiam liquet ; tum quia pœnitentem obligari a sacerdote, et sacerdotem obligare pœnitentem ad pœnitentiæ exhibitionem, et acceptationem, correlativa sunt. Tum, quia obligatio acceptandi in pœnitente, et potestas illum cogendi in sacerdote ex eodem capite ortum ducunt.

Confirmatur primo, ex textu in cap. *Statuimus* de maledic. ubi renuentibus publicam pœnitentiam impositam acceptare, et exequi : « Ecclesiæ interdicatur « ingressus, et in obitu Ecclesiastica careat « sepultura ; » statuit Pontifex. Hæc autem pœna adeo gravissima, ut improportionata non sit, necesse est in reo supponere obligationem per se gravem acceptandi, ac exhibendi publicam pœnitentiam, ac subinde facultatem in judice coercendi reum ad illius acceptationem : ergo cum eadem ratio sit de pœnitentia secreta, et sacramentali, fit inde quod sicut in foro externo, ita in interno, ac sacramentali valet pœnitens adstringi acceptationi pœnitentiæ injunctæ.

Confirmatur secundo ex cap. *Multiplex* de pœnit. dist. 1, ubi Leo primus sic ait : « Mediator enim Dei, et hominum Homo « Jesu Christus hanc præpositis Ecclesiæ « tradidit potestatem, ut et confitentibus « pœnitentiæ satisfactionem darent, et « eadem salubri satisfactione purgatos ad « communionem sacramentorum per ja- « nuam reconciliationis admitterent. » Quæ ita explicat Glossa : « Non quod ipsi- « met sibi ipsis injungant pœnitentiam, « quia si ita intelligatur, pro nihilo essent « sacerdotibus claves Ecclesiæ. » Hæc autem ratio respectu acceptationis pœnitentiæ militat eodem modo. Quid enim proderit, vel ad quid deserviet posse sacerdotem injungere satisfactionem, si ad illius acceptationem non valet cogere pœnitentem ? Proculdubio foret supervacanea potestas : etenim si pœnitenti satisfactionem acceptare non placet, illius impositio a sacerdote facta finem aliquem non assequetur. Dicendum igitur est, posse sacerdotem coercere pœnitentem, ut satisfactionem acceptet, et exequatur.

Id ipsumque roborari potest ex B. Rhenano asserente, antiquam Synodum reperisse, ubi, et presbyteris jubetur pœnitentiam secundum Canones injungere, et pœnitentibus diligenter observare quidquid illis a sacerdotibus fuerit institutum, non secus ac si ab omnipotentis Dei ore esset prolatum. Quibus consonat tum Augustinus libr. de pœnit. et habetur in cap. *Consideret* de pœnit. dist. 15, § *In his omnibus* ubi inquit : « Ponat se omnino in potes- « tate judicis in judicio sacerdotis nihil « sibi reservans sui, et omnia eo jubente « paratus sit facere pro reparanda animæ « vita. » Tum etiam D. Gregorius lib. 3, in 1 Reg. cap. 7, dicens : « Afflictio pœni- « tentiæ idonea est ad delenda peccata, « cum sacerdotis judicio fuerit imperata. » Ly enim *eo jubente*, ac ly *imperata* authoritatem adstringendi important. Confirm. 3. B. Rhen. D. Aug. D. Greg

19. Deinde suadetur assertio ratione, quam Nugnus censet demonstrativam. Quia tam pœnitens, quam sacerdos tenentur sacramentum integrum facere ; sed absque pœnitentiæ acceptatione sacramentum nequit fieri integrum : ergo sicut sacerdos tenetur pœnitentiam injungere, ita, et ob idem motivum obligatur pœnitens eam acceptare, ac exequi. Consequentia est evidens. Minor ex se liquet : quippe esto sacerdos pœnitentiam injungat, si pœnitentis acceptatio deficit, impossibile est satisfactionem existere, per quam sacramentum fit integrum. Major autem, in qua poterat esse difficultas, ostenditur : nam virtus Religionis præcipit integritatem sacramenti : ergo omnes eos debet adstringere, ut sacramentum integrum fiat, a quibus tanquam a concurrentibus ad sacramentum ejus integritas pendet ; sed hæc æque pendet a pœnitente, ac a sacerdote tanquam ab influentibus : ergo uterque tenetur hujusmodi integritati consulere. Minor subsumpta patet quoad utramque partem : nam sicut sacerdos concurrit ad sacramentum ut minister, et conferens formam, ita pœnitens ut exhibens materiam ; et quemadmodum sacramenti integritas pendet a sacerdote, quia si pœnitentiam non injungit, nequit existere satisfactio ; ita etiam, imo, et majorem dependentiam dicit a pœnitente, Fundam. a ratione.

utpote a quo satisfactio, et acceptanda, et exequenda est.

Confirm. 1. Confirmatur primo : nam de ratione recti judicii in quolibet foro est, et quod judex reum coercere valeat ad pœnam subeundam, et quod reus teneatur parere competenti judici ; sed pœnitens in tribunali sacramenti, quod legitimum est, se habet tanquam reus, et sacerdos judicis competentis munere fungitur : ergo hic illum cogere potest ad pœnitentiæ acceptationem, et ille huic parere adstringitur. Consequentia est legitima. Major est D. Thomæ in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 1, ad D. Tho. 3, ubi ait : « Judicium dici non potest, nisi « vim coercitivam habeat. » Minor vero ex sacramenti hujus natura liquet : quippe quod in modum judicii institutum est.

Confirm. 2. Confirmatur, et explicatur secundo : quoniam sacerdos in foro pœnitentiæ habet potestatem puniendi pœnitentis delicta; atqui judex potens punire reum, illum pœnæ adstringere valet : ergo. Minor ex ipsis terminis constat : nequit enim intelligi, reum esse liberum in pœnæ acceptatione, ac judicem esse potentem illum punire, cum puniendi authoritas ea dicatur, quæ contra delinquentis arbitrium procedere valet. Major autem, in qua poterat esse difficultas, ex verbis Tridentini supra relatis colligitur, in quibus sacerdotibus præcipit : « Ut satisfactio, quam imponunt, « non sit tantum ad novæ vitæ custodiam, « et infirmitatis medicamentum, sed etiam « ad præteritorum vindictam, et castiga- « tionem. » Hoc autem præceptum nullum esset, si sacerdotes authoritatem puniendi, ac castigandi pœnitentium crimina non haberent.

Confirm. 3. Confirmatur, et urgetur tertio : quia sacerdos in foro conscientiæ non se habet ut judex arbiter, potestatem judicialem a pœnitentibus accipens, sed tanquam judex a Christo Domino constitutus, ut ejus vicem gerat, ac authoritatem obtineat, juxta illud Joan. 20: *Accipite Spiritum Sanctum.* Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ergo peccata remitti, aut retineri, solvi, aut ligari, tam quoad culpam, quam quoad pœnam, non ex pœnitentium voluntate, sed ex solius sacerdotis arbitrio pendet. Ergo sacerdos potest cogere pœnitentes, et hi tenentur illi obedire in ordine ad satisfactionis acceptationem. Patet utraque consequentia. Prima quidem ex antecedenti : quippe peccatorum remissio, aut retentio, absolutio, aut ligatio solum potest pendere vel ab eo, qui ad hujusmodi habet potestatem, vel ab eo, qui illam tribuit ; unde cum pœnitentes ut tales nec eam habeant, nec sacerdoti tribuant, necessum est ut independenter ab eorum placito peccata ligentur, aut solvantur. Secunda vero ex prima : quia si sacerdos loco Christi constituitur, quemadmodum Christus cogere potest pœnitentes, ut satisfactionem accipiant, ita sacerdos ; et quemadmodum pœnitentes tenentur obedire Christo, si id in propria persona eis præciperet, ita, et sacerdoti ejus munere fungenti. Quod docuit egregie D. Thomas in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 3, quæstiunc. 3, illis verbis : « Ad « tertiam quæstionem dicendum, quod « operatio sacerdotis in usu clavium est « conformis Dei operationi, cujus minister « est. Deus autem habet operationem in « culpam, et in pœnam ; sed in culpam ad « solvendum quidem directe ; ad ligandum « autem indirecte, in quantum obdurare « dicitur, et dum gratiam non largitur. « Sed in pœnam habet operationem di- « recte quantum ad utrumque, quia et « pœnam parcit, et pœnam infligit. Simili- « ter ergo sacerdos in pœnam habet ligan- « di, et solvendi : solvit enim a pœna, « quam dimittit, sed ligat ad pœnam, quæ « removet. « Similia tradit Magister sen- Mag. sen. tent. eadem dist. 18, ubi ait : « Ligant quo- D. « que sacerdotes, dum satisfactionem pœ- « nitentiæ confitentibus imponunt. » Nec dissonat D. Augustinus, dum apud eundem Magistrum inquit : « Quibus remittunt » (Sacerdotes) « remittit Deus... opus enim « justitiæ exercent in peccatores, cum eos « justa pœna ligant. » Quæ verba evidenter ostendunt, sacerdotes coercitivam obtinere authoritatem, ut pœnitens cogant injunctam satisfactionem acceptare.

§ III.

Recensentur oppositæ sententiæ, et eorum motiva evertuntur.

20. Prima sententia nobis opposita asserit, pœnitentem non teneri satisfactionem injunctam acceptare, nec acceptatam implere

plere, saltem sub gravi culpa, secluso contemptu. Ita Cajetan. tom. 1 Opusc. tract. 6, quæst. 2, ad 2, cui subscribunt Vega 3, part. respons. casu 3, vers. *Ex parte*, Rebellus lib. 3, de Miracul. B. Virg. dub. 7, Zenedo ad Decret. collect. 4, n. 2, Reginaldus dub. 7, num. 15. Et probabilem reputant Sa verb. *Satisfactio*, num. 4, et Villalobos de Pœnit. tractat. 4, difficult. 38, num. 2 et 4. Secunda docet, pœnitentem non obligari ad satisfactionis acceptationem; addit tamen, quod si eam acceptat, adstringitur executioni, in quo a præcedenti differt. Sed ut Soto, Vasquez, et alii adnotarunt, non adeo consequenter procedit : omnia quippe, quæ obligationem executionis pœnitentiæ evincunt, a fortiori obligationem acceptationis ostendunt : non enim in acceptatione votum aliquod, vel pactum exequendi intercedit, ex quo pœnitens executioni adstringatur. Quocirca unum sine alio propugnari nequit. Quidquid tamen de his, hæc sententia placuit Scoto in 4, dist. 19, quæst. 1. Cui adhærent Gabriel dist. 16, quæst. 2, art. 3, dub. 4 et dist. 18, quæst 1, art. 3, Joannes Medina, Cod. de confes. quæst. *de Pœnitentia injuncta acceptanda*. Navarrus in summa, cap. 26, num. 20, Sylvester, verbo *Confessio* 1, qu. 25. Utriusque autem sententiæ argumenta conjungenda duximus, vel quia eadem sunt, vel quia in idem tendunt.

Arguitur ergo primo : nullum est, caput, ex quo suboriri possit obligatio acceptandi, ac exequendi pœnitentiam : ergo nec pœnitens ad id tenetur, nec sacerdos illum cogere valet. Suadetur antecedens : nam tria sunt tantum principia, ex quibus hujusmodi obligatio colligi posset ; primum, quia pœnitentia præcipitur a sacerdote tanquam a Christi ministro, ac legitimo judice, cui ideo pœnitens obedire tenetur ; secundum, quia pœnitens habet reatum pœnæ ex peccato contractæ, quam ex virtute pœnitentiæ solvere debet ; tertium, quia satisfactio est pars integralis sacramenti, quod cum debita perfectione fieri præcipitur a Religionis virtute. Sed nullum ex his capitibus infert in pœnitente obligationem acceptandi pœnitentiam : ergo. Probatur minor quoad omnes partes ; quoad primam quidem : nam præceptum de re non simpliciter, sed tantum secundum quid conducente ad vitam æternam, vel finem ultimum, non infert obligationem saltem gravem ; atqui pœnitentia a sacerdote præcepta simpliciter non conducit ad finem æternæ salutis, quippe quæ solum ordinatur ad solutionem pœnæ temporalis, cujus omissio nec dilectionem Dei, nec ipsius pœnitentis, aut proximi graviter lædit : ergo. Quoad secundam autem ex eo constat, quod licet pœnitentiæ virtus inducat obligationem solutionis pœnæ debitæ, non tamen obligat ad statim solvendum : nam quod solutio in præsenti, vel in Purgatorio fiat, parum interesse videtur. Quoad tertiam vero, in qua major poterat esse difficultas, ostenditur : nam Ecclesia aliquando utitur sacramento pœnitentiæ absque satisfactionis injunctione, ut patet in pœnitente sensibus destituto, cui, ut supra diximus, absolutio impenditur, esto satisfactio injungi nequeat : ergo satisfactio non est de necessitate sacramenti; et consequenter nec ex illius integritate pœnitens obligabitur acceptare, aut exequi satisfactionem.

Ad hoc argumentum, quo utitur Cajetanus, respondetur, pœnitentis obligationem acceptandi satisfactionem ortum duxisse ex voluntate Christi Domini, qui illam intulit pœnitentibus : quippe cum propriam authoritatem ligandi, vel obligandi ad pœnam commiserit sacerdotibus, ut ea, quæ pro firmanda assertione adduximus, satis evincunt, necessum est ut ex consequendi pœnitentes coegerit illis parere. Motiva autem, sub quibus ad id tenentur, et ex quibus an hæc obligatio gravis, aut levis sit cognoscenda, haud difficile deprehenduntur. Nam cum Concilium Florentinum statuat, satisfactionem esse partem integralem sacramenti pœnitentiæ, censendum est pœnitentes obligari ad pœnitentiæ acceptationem, et executionem ex motivo Religionis, quæ sacramenti perfectionem, ac debitam reverentiam intendit. Deinde cum ex Concilio Tridentino habetur, sacerdotes injuncturos pœnitentiam, et in peccati commissi vindictam, et in futuri præcautionem, manifeste deducitur pœnitentem etiam teneri illius acceptationi, et executioni, tum ex motivo illius virtutis, contra quam imminet periculum peccati futuri, tum ex motivo virtutis pœnitentiæ, quæ saltem secundario pœnam temporalem vere intendit, et quodammodo vindictam

Solutio.

do ipso pœnitente sumere, ac vindicativam justitiam exercere, ut prima parte hujus tract. disp. 5, dub. 4, § 4, num. 145, diximus. Quocirca esto sacerdos utpote judex teneatur ex justitia vindicativa satisfactionem injungere, non tenetur pœnitens eam acceptare nisi ex virtute pœnitentiæ : hæc enim in pœnitente respondet illi in sacer-
Nugnus. dote. Insuper, ut recte vidit Nugnus in præsenti, quæst. 13, art. 2, difficult. 3, in solut. ad 1 cum unusquisque ex charitate ad se ipsum teneatur in re gravissima proprio bono consulere, et alias pœna Purgatorii sit acerbissima, quæ autem in satisfactionem injungitur, quantumvis maxima, comparatione illius admodum exigua, etiam ex motivo charitatis erga se ipsum adstringitur pœnitens acceptationi pœnitentiæ injunctæ. Hæ autem virtutes omnes ex genere suo inducunt gravem obligationem, ut perspicue docuimus loco nuper relato ex tract. 13, disp. 19, dub. 1, num. 29. De quo etiam videri potest N. Andreas tract. 11, cap. 2, § 2, num. 23.

Applicatur. Ex quibus ad formam argumenti negandum est antecedens, et ad illius probationem etiam negatur minor, cujus partes inductis probationibus non suadentur. Non prima : quia pœnitentia injuncta si gravis est, ut in præsenti supponi debet, non secundum quid, sed simpliciter ad finem ultimum refert : hic enim nequit simpliciter haberi sine debito ordine voluntatis creatæ ad Deum ; ad hunc autem ordinem non solum spectat dilectio Dei super omnia, sed etiam omnia illa, per quæ voluntas Deo subjicitur, et prædicta dilectio immediate fovetur, ut est reverentia Deo, et sacramentis debita, quæ simpliciter violatur per omissionem partis integralis sacramenti, vel per non acceptationem illius. Quocirca esto pœnitentia injuncta tendat ad solutionem reatus pœnæ temporalis, cum alias sit perfectio sacramenti, illius omissio graviter lædit, saltem indirecte, aut radicaliter, charitatem ipsius pœnitentis, et Dei dilectionem, quæ nequit salva consistere independenter a reverentia sibi, et sacramentis debita. Non etiam secunda, tum : quia licet pœnitentia secundum se, et absolute non obliget ad promptam solutionem pœnæ, sicut nec etiam ad promptam contritionem, vel confessionem, nihilominus quemadmodum supposito præcepto annuæ confessionis obligat ad hujus annualem exhibitionem, et consequenter ad annualem contritionem, vel attritionem, quæ est pars sacramenti, ita etiam supposito sacerdotis præcepto satisfactionis injunctæ, obligat pœnitentes ad reatum pœnæ temporalis statim solvendum. Tum etiam : quippe vel permisso quod absolute, et secundum se parum referat, reatum pœnæ temporalis in præsenti aut in purgatorio extingui; nihilominus ex suppositione quod quis accedat ad sacramentum, cujus est pars integralis satisfactio, retardatio solutionis usque ad purgatorium cedit graviter, aut leviter in hujus sacramenti præjudicium juxta qualitatem omissionis pœnitentiæ injunctæ pro gravi, aut levi peccato, cum illud relinquat non integrum, et alias nunquam perficiendum, siquidem satispassio purgatorii non est pars integralis sacramenti. Non denique tertia : nam licet per accidens, et in casu urgentis necessitatis possit fieri sacramentum absque ejus parte integrali, ut in eventu objectionis accidit, hinc minime deducendum est, posse pœnitentem absolute satisfactionem injunctam nec acceptare, nec exequi, atque ideo sacramentum non integrum relinquere, ut evidenti instantia convincitur. Etenim, ut disp. 8, dub. 7, § 1 cum generali Theologorum sententia docuimus, potest per accidens sacramentum fieri, et absolutio impendi absque integritate materiali confessionis, vel quod in idem redit, absque omnium peccatorum manifestatione : ergo absolute valebit pœnitens, ubi sibi placuerit, confessione dimidiare, et aliqua peccata detegere, et alia occludere ? Proculdubio Cajetanus, cujus argumentum diluimus, hanc consequentiam rejiciet, quum oppositum ex Tridentino sess. 14, cap. 5, constet. Cujus ratio est : quia ex eo, quod aliquid per accidens fiat, non recte trahitur consequentia ad hoc ut per se, et absolute fieri possit. Similiter ergo, dum pœnitens satisfactionem injunctam acceptare, et exequi valet, ab his extrahi non licet, ne sacramentum imperfectum relinquat.

21. Verum ex tradita solutione insurgit Re objectio, quæ eam vel difficilem reddere, vel obnubilare videtur. Nam juxta principia tradita tract. 13, disp. 8, dub. 2, § 1, num. 28, eo ipso, quod lex præcipiat aliquem

quem actum ex motivo alicujus virtutis, facit illum actum materiam necessariam ipsius virtutis, ac subinde ut ejus omissio sit peccatum contra talem virtutem ; atqui pœnitens tenetur satisfactionem acceptare ex motivis Religionis, charitatis, pœnitentiæ, et illius virtutis, contra quam imminet periculum peccati futuri, ut dictum est: ergo illius omissio, vel non acceptatio erit multiplex peccatum specie diversum. Consequentia liquet : quippe peccata multiplicantur specie ad multiplicationem motivorum, sub quibus prohibentur. Hoc autem asserere est satis absurdum : nemo enim hucusque censuit tot peccata commisisse, dum satisfactionem omisit, nec id aliquis unquam docuit : ergo doctrina tradita nulla est.

Ad hanc objectionem respondetur, similem in adversario retorquendo : nam obligatio pœnitendi absolute non solum provenit peccatori ex motivo pœnitentiæ virtutis, sed etiam ex motivis charitatis ad Deum, et charitatis, ac misericordiæ ad se ipsum, ut expendimus in priori hujus tract. parte, disp. 5, dub. 6, § 8 et tamen qui urgente præcepto pœnitendi illud non adimplet, non multiplex peccatum committit, sed unum : ergo ex quo obligatio acceptandi, et exequendi pœnitentiam ex tot illis motivis oriatur, non deducitur ejus omissionem multiplex peccatum esse. Et plane si ita eveniret, ut objectio intendebat, nullum esset peccatum, in quo multæ malitiæ specie non invenirentur, nimirum, et contra charitatem ad Deum, et contra justitiam, ac obedientiam ipsius, ut loco proxime relato a num. 255, et tract. 21, disput. 1, dub. 1, § 2, num. 11 arguebamus. Quam ergo solutionem huic instantiæ adversarii adhibuerint, eandem poterunt objectioni nobis oppositæ applicare. Pro omnibus autem dicendum est, omittentem satisfactionem injunctam, vel eam acceptare nolentem duplex peccatum specie diversum committere, aliud contra virtutem pœnitentiæ, ut diximus tract. 13, disp. 8, dub. 2, § 1, num. 29, quia ejus actum præceptum omittit; aliud sacrilegii contra religionem, quia sacramentum debita sibi integritate, ac perfectione fraudat. Exemplum adest in eo, qui ut adimpleat præceptum annuæ confessionis accedit ad sacerdotem, et sua peccata ei manifestat, aliquod subticendo : hic enim esto adstringatur confessioni ex motivo charitatis ad se ipsum, ratione cujus tenetur proprio bono consulere, atque ideo a miserabili statu peccati, ac diaboli servitute exire ; et insuper ex motivo misericordiæ ad se ipsum, et illius virtutis, contra quam imminet periculum peccati futuri, ut ex se patet ; nihilominus solum duplex peccatum committit, videlicet, contra religionem, ac pœnitentiam. Primum ob defectum integritatis materialis, qua sacramentum privat, omnia peccata non manifestando. Secundum, quia per confessionem scienter sacrilegam non impletur Ecclesiæ præceptum, ex motivo virtutis pœnitentiæ impositum, ut ex supra dictis disp. 8, dub. 2, § 2, num. 58 patet.

Ratio autem cur in utroque eventu peccatum illud sit contra religionem, ac pœnitentiam, non vero contra charitatem, aliasque virtutes, ex quibus obligatio insurgit, est duplex : primam assignavimus loco cit. ex tract. 21, quia nimirum violatio harum virtutum, et similium est quædam circumstantia generalis in omni peccato inventa, atque ideo illi specialem malitiam non tribuit : ad hoc enim opus erat ut essent illæ circumstantiæ per se volitæ ex parte objecti, ut si quis frangat præceptum, ne Deo præstet obedientiam, sive ut ipsimet pœnitenti, aut Deo damnum inferat, vel irroget injuriam. Secundam dedimus loco in objectione relato ad calcem num. 28 et amplius expensam in priori parte hujus tract. disp. 5, dub. 6, a num. 255 et sequent. In eoque sita est, quod peccata non multiplicantur specie penes motiva adhuc intrinseca, et operis, nisi quando immediate, et proxime procedunt contra illa motiva : si enim solum mediate, et indirecte contra ea versentur, peculiarem malitiæ speciem non accipiunt. Omissio igitur satisfactionis, vel ejus non acceptatio versatur inmediate contra motiva pœnitentiæ, et religionis, contra motiva vero charitatis, et aliarum virtutum solum indirecte, et remote : quippe eo modo omissio actus præcepti versatur penes motiva virtutum, quo ipsæ virtutes concurrunt ad illum actum : charitas autem, et illa virtus, contra quam imminet periculum peccati futuri, solum concurrunt ad satisfactionem radicaliter, et remote, illam

videlicet imperando, ut ea mediante finem proprium ipsarum assequantur. Religio vero, ac pœnitentiam immediate influunt in satisfactionem : hæc enim, et est actus proprius pœnitentiæ, per quem nullo alio mediante intendit, et assequitur solutionem debiti, quod est ejus motivum; et etiam religionis, quia satisfactio est pars integralis sacramenti, per quam immediate, et intransitive perficitur, ac reverentia ipsi debita exhibetur, quod ad religionem attinet. Quocirca satisfactionis omissio immediate, et directe contra harum virtutum motiva militat, atque ideo malitiæ species ipsis oppositas vindicat. Recolantur quæ loco immediate relato diximus, ubi similem objectionem diluimus, et solutionem hanc fusius expendimus. Notandum tamen, in satisfactionis omissione unum tantum peccatum impœnitentiæ formalis ut in plurimum inveniri : quia pœnitentes satisfactionem esse partem integralem sacramenti ignorant, atque ideo nullam illi injuriam irrogare apprehendunt, dum satisfactionem omittunt.

Argum. 2. 22. Arguitur secundo : nam sacerdos tenetur absolvere accedentem recte dispositum ad sacramentum ; sed qui vult absolvi a culpa, et non vult pœnitentiam acceptare, valet esse recte dispositus : ergo huic tenetur sacerdos absolutionem impendere ; atque ideo illum cogere ad pœnitentiæ acceptationem non potest. Minor ostenditur : ille accedit recte dispositus ad sacramentum, qui est contritus, et cum animo solvendi pœnam debitam ; sed qui vult absolvi a culpa, et non acceptare pœnitentiam, valet esse contritus, et cum animo luendi in purgatorio pœnam debitam : ergo censendus est recte dispositus, et absolutione dignus.

Confirm. 1. Confirmatur primo : quia reatus pœnæ temporalis post dimissam culpam non obligat ad ejusdem pœnæ solutionem in præsenti vita determinate, sed disjunctive, vel in hac vita, vel in futura : ergo pœnitens ratione prædicti reatus non tenetur ad acceptandam, et explendam pœnitentiam a sacerdote injunctam, sed eam potest in purgatorium remittere, ut ubi reatum solvat. Antecedens videtur certum : quippe ex opposito fieret, illum, qui in præsenti non solvit, nunquam per purgatorii cruciatus a tali reatu manere solutum. Consequentia vero probatur : nam qui obligatione disjunctiva gravatur, per cujuslibet extremæ disjunctionis solutionem immunis evadit a debito : ergo qui acceptat pœnam in purgatorio solvendam, nec tenetur pœnitentiam a sacerdote injunctam acceptare ; nec in hac vita sustinere.

Confirmatur secundo : etenim sacerdos habet potestatem absolvendi a culpa, et ligandi ad pœnam : ergo pœnitens poterit se subdere judicio sacramentali quoad primum, et non quoad secundum. Patet consequentia, tum : quia reus, cui a judice superiori datur optio, ut in acceptatione pœnæ promeritæ se subjiciat ipsi, vel judici inferiori, potest quodlibet eligere ; sed hujusmodi optio datur pœnitenti : ergo. Tum, quia nulla apparet ratio, cur ita fieri non possit. Tum denique, et præsertim : quia sacerdos est judex arbiter ; judici autem arbitro liberum est unicuique se subdere, ejusque sententiæ stare : ergo quemadmodum pœnitens libere se subjicit absolutioni, et potest eam non acceptare citra culpam : ita eidem liberum erit pœnitentiæ se subdere, vel non.

Respondetur ad argumentum negando minorem, cujus probatio non urget : nam quamvis absolute verum sit, neminem teneri ad pœnam temporalem luendam in hac vita, sed libere posse eam in purgatorium remittere ; nihilominus ex suppositione institutionis sacramenti pœnitentiæ per modum judicii, et quod quis ad illud accedat jam illi non licet ; tum, quia ad judicii complementum, et judicis potestatem spectat, reum puniri, ac satisfactionem impositam acceptare, et exequi : est enim pars integralis sacramenti, cujus omissio ob Religionis præceptum illicita redditur. Tum : quia pœna, quam accedens ad sacramenti tribunal sustinere debet pro peccatis, est illa, quam in hac vita luendam sacerdos ut judex, ac Dei vicem gerens prudenter injungit ; unde implicat, pœnitentem esse paratum ad pœnam debitam sustinendam, et nolle acceptare satisfactionem injunctam, licet alias purgatorii cruciatus luere velit, indeque censeri non debet cum recta dispositione ad sacramentum accedere. Adde, satisfactionem, ut sæpe dictum est, injungi pœnitentibus in vindictam præteriti peccati, et ad præcavendum futurum. Id autem, quod ad castigationem

gationem attinet, non libero delinquentis arbitrio committitur, sed ex sola judicis electione determinatur. Medicamentum item ad præservationem futuri peccati locum non habet in purgatorio.

Ad primam confirmationem dicendum est, reatum pœnæ temporalis absolute, et extra sacramentum solum obligare ad solutionem vel in præsenti, vel in futuro sæculo. Ceterum ex suppositione quod quis ad sacramentum accedat, ex vi hujus jam non disjunctiva, sed determinata gravatur obligatione acceptandi, ac exequendi satisfactionem ; hæc enim est pars integralis, cujus non appositio in sacramenti deformitatem, ac imperfectionem redundat. Unde aliud est, quod ex vi reatus pœnæ temporalis homo non adstringatur ad solutionem illius debiti in hac vita ; aliud, quod ad id non teneatur ex vi sacramenti, ac præcepti sacerdotis, qui potestatem præcipiendi satisfactionem sortitur.

Ad secundam confirmationem neganda est consequentia : nam sacerdotis judiciaria potestas ad solvendum, et ad ligandum non est duplex, et separabilis, sed una, et indivisibilis pertinens ad integritatem sacramentalis judicii. Idcirco pœnitens si vult absolvi a culpa, et quoad hoc sacerdoti se subjicere, nequit a sententiæ punitivæ acceptatione aufugere : sicut enim nequit pœnitens peccata sacramentaliter prodere uni sacerdoti, et alium adire ut ab eo absolvatur, quia eadem facultate, qua sacerdos peccata audivit, debet pœnitens absolvi ; ita etiam nequit a sacerdote absolutionem exposcere, et nolle ab eo pro peccatis pœna debita puniri. Unde patet ad primam consequentiæ probationem : nulla quippe optio datur pœnitenti declinandi sacerdotis sententiam, et adeundi Deum ut ab eo puniatur in purgatorio ; alias illa verba Christi Domini ad Petrum: *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis*, absolute non verificarentur ; quandoquidem si sacerdos ligaret pœnam injungendo, et pœnitens valeret a ligamine solvi eam non acceptando, non ligatus, sed in cœlis maneret coram Deo solutus : quod ly *Quodcumque ligaveris* repugnat. Hæc enim verba distributive accipienda sunt, et juxta legitimum sensum idem dicunt ac hæc : « Omnis homo, quem « ad pœnitentiam ligaveris, erit coram Deo « ligatus, vel obligatus ad ejus exhibitio- « nem : » quod cum optione prædicta incompossibile est. Ad secundam constat tam ex adductis ad assertionem evincendam, quam ex argumentorum solutionibus, plures rationes adesse cur ita fieri non possit, quæque omnes in naturam sacramenti pœnitentiæ reducuntur, quippe quod ad modum integri judicii institutum est. Semel autem ac aliquis judicio se subdat, jam ex ejus voluntate non pendet sententiam judicis declinare, et pœnitentiam injunctam demittere : est enim pars integralis sacramentalis judicii, quod cum debita sibi perfectione fieri debet. Ex quibus etiam liquet ad tertiam : ex suppositione namque quod quis judicis arbitrio se subdat, illius sententiæ parere adstringitur. Nec novum, aut inauditum est, ex actione libera assurgere obligationem ad aliud, quod ex ipsa consequitur ; sacerdos v. g. non cogitur singulis diebus sacrificium celebrare ; ex hypothesi autem, quod ita facere velit, sacrificium usque ad consecrationem tantum celebrare nequit, sed integrum, ac perfectum absolvere tenetur. Item, qui in die Assumptionis B. Virginis confessionem facere statuit, ad quod ex præcepto non obligatur, nequit aliqua peccata sacramentali judicio subdere, et alia celare, sed omnia, quæ in conscientia habet, tenetur pandere sacerdoti ob integritatem materialem confessionis, quam dimidiare non potest. Similia passim occurrent exempla. Unde esto ex pœnitentis arbitrio pendeat sacerdoti se subjicere ut absolvatur, non tamen pœnitentiam respuere, vel acceptare. Eo vel maxime, quod ut num. 15 explicuimus, sacramentale judicium non est ita liberum unicuique, ut possit nullum adire sacerdotem ut absolvatur, sed eo ipso quod lethale peccatum in conscientiam habeat, tenetur ad aliquem accedere tanquam ad legitimum judicem, cujus sententiæ tam circa absolutionem, quam satisfactionem ut reus stare adstringitur.

23. Arguitur tertio : quia si sacerdos posset obligare pœnitentem ad satisfactionem acceptandam, posset illum obligare ad quamcumque ; consequens est falsum : ergo, et id ex quo sequitur. Major ostenditur : nam sacerdos posset obligare pœnitentem ad acceptationem satisfactionis condignæ ; sed quæcumque pœnitentia etiam Argum. 3.

maxima adhuc non censetur condigna : ergo. Hæc minor, in qua poterat esse difficultas, ex eo constat, quod condignitas pœnitentiæ vel regulanda est penes gravitatem peccati confessi, vel penes reatum pœnæ in purgatorio luendæ? Ex primo capite certum est non solum peccatum lethale, sed etiam veniale excedere gravissimam pœnam temporalem hujus vitæ, cum sit majus malum. Ex secundo vero id ipsum ex supra dictis cum D. Thoma liquet: nam quælibet adhuc levissima pœna purgatorii excedit hujus vitæ acerbiorem. Ergo quæcumque pœna injungatur in satisfactionem, potest major imponi, ita ut condignitatem non excedat. Dicere autem, pœnitentem teneri ad acceptandam quamcumque, absurdissimum est; cum ejus exhibitio sit moraliter impossibilis.

Confirmatur, et urgetur. Nam vel qui gravissima, et fere innumera crimina confessus est, tenetur condignam, et æqualem criminibus pœnitentiam admittere, vel non? Primum dici nequit, quippe quod rigidissimum foret, imo impossibile, cum ad sustinendam pœnitentiam gravitati tot criminum correspondentem nequeant moraliter loquendo humanæ vires sufficere. Si dicatur secundum : ergo ad nullius pœnitentiæ etiam partialis acceptationem tenebitur. Patet consequentia, eadem namque est ratio utriusque : nam quemadmodum est justa sententia, dum imponitur non tota pœna, quæ peccatis respondet, ita dum æqualis, et condigna injungitur : ergo si huic justæ sententiæ stare non cogitur, nec etiam illi. Præsertim, quia ex praxi constat, sacerdotes timoratæ conscientiæ absolvere pœnitentes nolentes acceptare totam pœnitentiam, sed partem, vel nullam. Unde Navarrus, hujus sententiæ patronus, et vir alias eruditionis non contemnendæ, loco supra relato inquit : «Video « in urbe, et in orbe receptum, ne cuiquam « denegetur absolutio, eo solo quod nolit « acceptare pœnitentiam injunctam. »

Confirmat.

Navarr.

Respondetur ad argumentum negando majorem : quia nec sacerdos imponere, nec pœnitens acceptare tenetur illam pœnitentiam, quæ rationabilis, et proportionata non sit, juxta regulas æquitatis, et prudentiæ, inspectis omnibus circumstantiis tam gravitatis peccatorum, pro quibus injungitur, quam status pœnitentis in spiritualibus, et corporalibus, ut dubio præcedenti innuimus. In dubio autem de excessu pœnitentiæ injunctæ, standum est pro sacerdote eam imponente, eo quod impositio sit certa, et executio dubia. Ad majoris probationem neganda est minor, vel saltem explicanda : nam condignitas pœnitentiæ potest sumi vel solum per ordinem ad peccatum confessum, vel per respectum ad reatum pœnæ temporalis culpa contractum, et ad fragilitatem, ac dispositionem pœnitentis, cui etiam consulendum est. Igitur si priori modo consideretur, quæcumque pœnitentia etiam maxima est condigna cuilibet peccato confesso etiam levi : quippe cum peccatum sit malum culpæ, atque ideo malum Dei saltem in affectu, pœnitentia autem malum pœnæ, atque ideo malum creaturæ, quodlibet peccatum etiam leve absolute, et ex sua linea excedit quamcumque pœnitentiam injunctam. Ceterum si posteriori modo accipiatur, ut accipi debet, illa pœnitentia dicitur condigna, et justa, quæ potest sustineri a pœnitente, et correspondet reatui pœnæ temporalis per culpam confessam contracto. Unde cum ad peccatum leve levis pœnæ reatus sequatur, et ad grave gravis, si ob peccatum leve gravis pœnitentia injungatur, hæc non est censenda condigna, sed injusta, atque ideo ad illius acceptationem pœnitens non tenebitur. Idemque dicendum est, si ob aliquod peccatum grave injungatur pœnitentia adeo magna, et improportionata, ut non reatui pœnæ temporalis unius peccati, sed plurimorum respondeat. Si autem peccata confessa sint plurima, et gravissima, et alias pœnitens magnæ fragilitatis, illa pœnitentia erit condigna, et justa saltem per accidens, quæ licet reatum pœnæ temporalis non adæquet, pœnitentis viribus proportionatur, juxta benignum Ecclesiæ Romanæ usum, quæ pœnitentiam consuevit injungere mitiorem, quam illa, quæ per se injungenda erat, ut pœnitentes foveat, ad sacramenta alliciat, et salutis potius, quam interitus, tribuat occasionem. Quod autem minima purgatorii pœna excedat acerbiorem hujus vitæ, nihil refert : nam pœnitentiæ condignitas non per respectum ad pœnam determinate in purgatorio luendam attenditur, sed penes reatum pœnæ temporalis a Deo taxatum pro criminum qualitate, et solvendum vel in præsenti

senti vita juxta taxationem hujus fori, vel in purgatorio juxta taxationem ibi correspondentem, ex suppositione quod hic non solvatur. Unde si pœnitentia imposita, quæ prudenter censetur justa ad extinguendum totum pœnæ temporalis reatum non pertingat, ut contingit dum pœnitenti fragili pœnitentia levis injungitur ob gravissima crimina, hoc minime officit, quominus deinceps in purgatorio reatus ille quoad illam partem, quæ nondum soluta erat, usque ad novissimum quadrantem solvatur, juxta ea, quæ præcedenti disp. num. 10, dicta sunt.

24. Ad confirmationem respondetur, eum, qui gravissima crimina confessus est, teneri condignam, et æqualem criminibus pœnitentiam acceptare, sumpta condignitate, et æqualitate respective ad crimina, et ad pœnitentis dispositionem, et fragilitatem, ut nuper explicatum est. Unde non concluditur, quod licet pœnitens non teneatur acceptare in hoc eventu omnem pœnitentiam, quæ illis criminibus absolute inspectis correspondet, non teneatur ad illam pœnitentiæ partem, quam juxta proprias vires sustinere potest : hæc enim attentis omnibus jam est justa, et condigna, atque ideo sacerdos habet jus ad eam injungendam. Ad augmentum autem difficultatis dicendum est, aliud esse sacerdotes timoratæ conscientiæ absolute, ac sine aliqua limitatione absolvere pœnitentes, qui nullam volunt, esto alias possint totam, quam debent, eo quod vires suppetant, pœnitentiam acceptare ; aliud quod discretione utentes alliciant hujusmodi pœnitentes ad leviorem saltem acceptandam, ut eorum saluti potius quam desperationi consulant. Primum est omnino falsum, nec id sacerdotes timoratæ conscientiæ efficiunt, aut efficere possunt ; quin si ita se haberent, non timoratæ, sed infectæ vel laxæ conscientiæ reputandi sunt : quippe pœnitentes omnem prorsus, etiam levissimam, satisfactionem abjicere, ad nullamque velle se subdere, perspicuum est signum, ac satis notum, eosdem nec contritos, ned congrue dispositos ad sacramentum accedere, atque ideo absolutione indigni censeri debent. Unde si in hoc primo sensu Navarri verba procedant, palam excessiva videntur, rationique non admodum affinia : tum quia ut recte vidit Suarez in præsenti, sect. 7, num. 4, hic casus moraliter loquendo vel nunquam, vel vix unquam continget : nemo enim adeo duræ cervicis existet, ut nec sacerdotis blanditiis ad aliquam mitiorem, vel levem pœnitentiam acceptandam reducatur. Quocirca nec in orbe videre potuit illam doctrinam ad tam communem, et frequentem praxim reductam, ut ejus verba indicant. Tum : quia etiam permisso, rem hanc sæpe evenire potuisse, haud facile ad ejus notitiam valuit accedere quid in his eventibus fecerint singuli sacerdotes urbis, et longe minus totius orbis. Unde cum hic Author non infimæ notæ sit, in saniori sensu statim explicando intelligendus.

Secundum autem est verissimum, et rationi consonum : nam, ut inquit D. Thomas in præsenti, quæst. 18, art. 3, in 2, argum. *sed contra* : « Potestas clavium est potes- « tas rationalis, cum habeat discretionem « adjunctam. » Ad hanc autem attinet, pœnitentis dispositionem perpendere, resque ita disponere, ut illius animæ salus, potius quam deterior infirmitas sequatur. Unde si pœnitentes congruam satisfactionem acceptare renuunt, curandum est sacerdotibus (idque efficiunt timoratæ conscientiæ) aptiori modo, quo possint, eos allicere ad mitiorem, vel aliquam respective levem admittendam, ne si totam, quæ justa erat, conentur infligere, et aliter non absolvere, pœnitentes acerbiate satisfactionis gravatos in desperationem adducant. Hinc que provenit, rarissime, vel nunquam nolenti pœnitentiam acceptare, absolutionem fuisse denegatam (quod, et non aliud, intendisse Navarrum credimus) semper enim pœnitentes studio, ac sacerdotis benignitate moti alicui pœnitentiæ assentiuntur. Nec inde inferendum est ; sacerdotes ita procedentes delinquere, eo quod satisfactionem criminibus correspondeutem non injungant : nam in hujusmodi eventu ob occurrentes circumstantias excusantur ; et consultius est, aliquam pœnam in purgatorio luendam relinquere, quam totam hic injungere, vel pœnitentem inabsolutum dimittendo majori periculo exponere. Quod perspicue docet, et aptissimo exemplo suadet D. Thomas quæst. citat. art. 4, in corpore : « Sicut ergo, *inquit*, medicus ali- « quando prudenter non dat medicinam ita « efficacem, quæ ad morbi curationem suf- « ficiat, ne propter debilitatem naturæ ma-

D. Tho.

D. Tho.

« jus periculum oriatur ; ita sacerdos di-
« vino instinctu motus non semper totam
« pœnam, quæ uni peccato debetur, injun-
« git, ne infirmus aliquis ex magnitudine
« pœnæ desperet, et a pœnitentia totaliter
« recedat. »

§ IV.

Quæstiunculæ huc spectantes expediuntur.

25. Quamvis ex dictis constet, posse sacerdotem cogere pœnitentem, hunc que habere obligationem ex genere suo gravem ad injunctæ satisfactionis acceptationem ; non tamen liquido apparet, quando in individuo hujusmodi obligatio sit gravis, quando vero levis. Dissident enim Authores in assignando principio, unde obligationis quantitas dimetiatur ; quidam asserentes, quod ex gravitate, vel parvitate peccati, pro quo pœnitentia injungitur ; alii autem, quod ex magnitudine, vel levitate ipsius pœnitentiæ injunctæ. Omnes tamen conveniunt in eo, quod si pœnitentia est gravis, et aliunde ob peccata gravia nunquam confessa imposita, pœnitens gravi obligatione adstringatur ad eam acceptandam, et exequendam, nisi aliud sacerdos expresserit. Et ratio est perspicua : nam in hoc eventu tam materia præcepta, quam peccata, ob quæ præcipitur, sunt quid grave. Unde difficultas devolvitur ad alios casus particulares, quibus non aptiori modo occurrere possumus, quam singulis interrogationibus respondendo.

Quæstiunc. I. Inquires ergo primo, an dum levis pœnitentia injungitur ob venialia, vel mortalia jam confessa, graviter obligetur pœnitens illius acceptationi, et executioni ?

Resolvitur. Respondetur negative : censemus namque, obligationis quantitatem regulari debere penes materiam præceptam, quæ cum in se levis sit, nequit major obligatio confugere. Hæc resolutio consonat illi, quam dub. præced. num. 11, statuimus, et ex ibi adductis convincitur, quin opus sit ad eam suadendam nova fundamenta aperire : si enim sacerdos ad levem pœnitentiam injungendam non tenetur, nec ad eandem acceptandam obligatur pœnitens : militat quippe eadem ratio, ut consideranti constabit. Unde consequenter, et ob idem motivum, dicendum est, quod si semel pœnitentia in se est levis, ut recitatio, v. g. unius Psalmi *Miserere*, etiamsi ob peccata lethalia nunquam confessa justis de causis injungatur, non inducit gravem obligationem, sed tantum levem ; atque ideo illam omittere, vel non acceptare, intra limites culpæ venialis existere, sicuti dum omittitur aliqua levis pars pœnitentiæ gravis. Ita Palaus tract. 23, disp. unica, punct. 21, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 15, num. 7, N. Franciscus tract. 6, cap. 10, punct. 5, num 61, referens Coninchum, Lugonem, Bonacinam, Aversam, et alios.

26. Oppositum tamen modum dicendi conatur suadere Nugnus in præsenti, quæst. 13, conclus. 4, quem sequuntur Joannes Sanctius in select. disp. 15, num. 14, N. Gabriel disp. 12, quæst. 4, N. Philippus a Sanctissima Trinitate, et alii. Quorum fundamentum est, quod sacramentum relinquere non integrum, est res gravissima. illique magnam irrogare injuriam : ergo etiam si pœnitentia in se levis sit, ejus omissio erit peccatum lethale. Idque confirmat Nugnus pluribus exemplis, in quibus eadem ratio ac in præsenti urget. Si quis enim rem levissimam falso assertive juret, graviter delinquit ; et idem contingit in juramento promissorio, uti si quis sine intentione adimplendi promittat se unum *Pater noster* recitaturum. Item moraliter peccat qui omittit illa verba, quæ in consecratione calicis tantum pertinent ad integritatem formæ sacramenti, et non ad ejus essentiam : et etiam qui in consecratione panis omittit particulam *enim*. Tandem, aquæ guttam calici consecrando non infundere, ac in Canone Missæ dimidiam partem sanctorum, qui ibi nominantur, relinquere, grave peccatum est, licet in se materia satis exigua sit, et minor, quam unum *Pater Noster*. Ergo a fortiori pœnitentiam levem omittere, culpa lethalis erit, cum sit de integritate sacramenti.

Verum tamen hæc motiva inefficacia sunt, ut a doctrina proposita recedamus. Et plane si argumentum convinceret, etiam probaret omissionem alicujus partis levis pœnitentiæ gravis esse lethalem culpam ; hoc autem non suadet, ut Nugnus concedit : ergo nec id, quod intendit. Nec alicujus momenti est ejusdem Authoris responsio, dicentis hujus materiæ gravitatem desumi ex necessitate ad integrandum sacramentum

tum ; quare cum pœnitentia levis ad hoc necessaria sit, non autem pars levis alicujus pœnitentiæ gravis, quia in hoc eventu per alias partes pœnitentiæ gravis integratur sacramentum ; ideo in primo casu adest gravis culpa, et non in secundo. Non itaque refert hæc evasio, sed efficaciter rejicitur. Tum : quia pœnitentia levis nequit esse magis necessaria ad integrandum sacramentum, quam pars levis pœnitentiæ gravis ; sed hæc non est adeo necessaria, ut ejus omissio mortale peccatum inducat : ergo nec omissio illius. Major probatur : nam ideo non est necessaria simpliciter, sed solum secundum quid, ad integrandum sacramentum pars levis pœnitentiæ gravis, quia hæc in se est quid exiguum, et solum exigue, ut in se est, potest sacramentum integrare ; sed pœnitentia levis etiam est in se quid exiguum : ergo nequit esse magis necessaria. Tum etiam quia omissio pœnitentiæ levis non majorem integritatem tollit a sacramento, quam omissio partis levis pœnitentiæ gravis : ergo utraque pœnitentia eodem modo ad integrandum necessaria est. Quod enim omissio pœnitentiæ levis tollat a sacramento omnimodam integritatem, non autem omissio partis levis pœnitentiæ gravis, nihil refert : nam illa omnimoda integritas, quam prima omissio tollit, non est major, sed multoties minor, quam ea, quæ per secundam removetur.

Tum denique : nam integritas sacramenti, ob quam necessaria est pœnitentia, vel consistit in indivisibili, vel non ? Primum dici nequit, alias qui pœnitentiam levissimam acceptaret, et exhiberet, non teneretur ex vi integritatis sacramenti ad acceptandam, et exhibendam gravem juxta qualitatem peccatorum : quippe per quamlibet pœnitentiam etiam levissimam maneret sacramentum simpliciter, et indivisibiliter integrum. Secundum autem traditam impugnationem confirmat : nam si integritas admittit latitudinem, hæc necessario regulanda erit penes pœnitentiam injunctam ; atque ideo si pœnitentia fuerit magna etiam quoad partes, uti si injungantur quatuor jejunia, etiam integritas sacramenti erit hujusmodi, et quodlibet ex illis jejuniis erit pars magna integralis, cujus omissio graviter deturpabit sacramentum ; et e converso si pœnitentia fuerit omnino levis, vel illius aliqua pars gravis, et alia levis, eodem modo pendebit ab illis integritas sacramenti. Unde omissio pœnitentiæ omnino levis, vel alicujus partis levis erit peccatum leve, grave autem si pars omissa fuerit magni ponderis. Quocirca hanc opinionem inconsequenter procedere liquet.

27. Ad illius vero fundamentum dicendum est sacramentum relinquere non integrum, esse rem gravissimam magnamque illi irrogari injuriam, dum integritas, qua privatur, est ejusdem qualitatis, et magnitudinis ; secus vero dum est levis, uti est illa, qua privatur ob omissionem pœnitentiæ exiguæ, quæ ob peccata venialia, vel mortalia sæpius confessa solet injungi : tunc enim solum fit sacramento levis irreverentia, ut a simili constat in voto obligante ex motivo religionis, sicut integritas sacramenti. Etenim si materia voti est levis, ut recitatio salutationis Angelicæ, ejus omissio solum tenuem irreverentiam in votum, et levem culpam inducit, ut cum graviori Doctorum consensu docet N. Andreas tract. 17, c. 1, punct. 4, num. 105. Exempla autem, quibus Nugnus suam conatur suadere sententiam, non satis eam evincunt. Non duo priora de juramento falso assertorio, et promissorio rei levis sine intentione adimplendi : nam ideo qui ita jurat, graviter delinquit, quia Deum affert in testem rei falsæ ; Deo autem summe veraci non minus repugnat ab intrinseco falsum testificari in re levissima, quam in re gravi ; imo quanto res levior, injuria illi irrogata censetur major, ut in humanis principibus cernitur : majorem quippe injuriam regi factam apprehendimus, dum in rei exiguæ, et parvi momenti falsum testem adducimus, quam in alterius ponderis. Non etiam tertium : nam omnia verba consecrationis calicis non solum ad integritatem, sed ad essentiam formæ consecrativæ calicis pertinent, saltem ut implicita in aliis, juxta stabilita tract. 23, disp. 9, dub. 3, § 2, atque ideo mirum non est, quod si omittantur aliqua tam quoad explicitum, quam quoad implicitum, gravis culpa adsit ; imo si aliqua omittantur ut expressa, etiamsi in aliis maneant implicita, lethale peccatum erit, tum quia adest præceptum Ecclesiæ in Missali Romano proferendi omnia illa verba

Solvitur.

integre, et expresse, ut loco citato nu. 33 diximus : tum, quia admodum referunt ad complendam significationem eorum verborum, quæ sunt de essentia, atque ideo in eorum ablatione fit mutatio notabilis formæ, quod nemini licet, præsertim in sacramento Eucharistiæ, quod omnium præstantissimum est ; alias quisque posset sacramentorum formas invertere.

Non item quartum : nam in omissione particulæ *enim* satis probabile est, solam venialem culpam intervenire præciso contemptu, ac scandalo, ut statuimus tract.22, disp. 2, dub. 5, num. 83 et tract. 23, disp. 9, dub. 2, num. 12. Adde, quod licet ejus omissio grave peccatum esse concedatur, hoc ideo est, quia ly *enim* summe conducit ad exprimendum sensum verborum formæ consecrativæ : denotat enim ibi esse Corpus Christi verum, et reale, et non præcise methaphoricum, ut nonnulli hæretici voluerunt. Posteriora denique exempla etiam nihil evincunt : quoniam esto omittere dimidiam partem Sanctorum, qui in Canone recitantur, sit culpa gravis, eo quod in illorum appositione adsit speciale mysterium, et censeatur materia gravis; tamen omittere duo, vel tria ex illis nominibus, leve tantum peccatum est, atque ideo materiæ parvitatem non excludit, ut videre est apud N. Franciscum tract. 5, c. 4, punct. 4, n. 118. Guttam vero aquæ calici consecrando non infundere, lethale peccatum est, quia licet physice quid modicissimum sit, in ratione signi, ac sacræ cæremoniæ, tot, et adeo graves causas importat, ut sit res magni ponderis, ut ex Patrum doctrina, et Conciliorum decretis liquet, præsertim ex Concilio Triburiensi cap. 9, et Tridentino sess. 22, cap. 7 et aliis, quæ retulimus tract. 23, disp.4, dub. 3, ubi etiam significationes, quas illa aquæ mixtio affert, cum D. Thoma adnotavimus. Hæc autem motiva minime in præsenti casu urgent, ut consideranti constabit: omissio namque levis pœnitentiæ, cum ex omni capite exigua sit, nequit grave peccatum afferre.

Quæstiunc. 2. Resolutio.

28. Inquires secundo, an dum sacerdos gravem injungit pœnitentiam pro venialibus, aut mortalibus jam confessis, teneatur pœnitens sub lethali illius acceptationi, et executioni ? Respondetur affirmative, si sacerdos justis de causis eam pœnitentiam injungit, et aliunde nihil aliud exprimit. Ita Henriquez lib. 5, de sacram. cap. 20, num. 3, Nugnus ubi supra, art. 2, diffic. 2, conclus. 4, Coninchus dub. 9, num. 81, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 3, num. 13, Lugo disp. 25, sect. 5, Bonacina disp. 5, sect. 3, punct. 4, N. Franciscus tract. 6, cap. 10, punct. 4, num. 62, N. Gabriel disp. 6, quæst. 4, N. Philippus disp. 13, dub. 4, Zerola in praxi, cap.21, quæst. 8, et quæst. 39, ejusdem cap. Philippus a Cruce in Thesaur. Eccles. tract. 1, § 4, num. 3, Syrus de Pœnit. cap. 36, num. 8, Valentia tom. 4. disp. 7, quæst. 14, punct. 4, Leander disp. 9, quæst. 60, Candidus disquis. 34, art. 30, dub. 7 et alii. Ratio autem constat ex dictis, quia videlicet hujus obligationis gravitas, vel levitas non ex causa motiva sed ex materia præcepta, et pœnitentia rationabiliter injuncta regulanda est. Eo vel maxime quia obligatio acceptandi pœnitentiam ex genere suo est gravis : ergo cum alias materia rationabiliter præcepta sit gravis, non est unde pœnitens a gravi obligatione extrahatur.

Diximus *justis de causis*, quas non dubitant Authores posse aliquando intervenire, ut gravis injungatur pœnitentia pro levibus, aut lethalibus jam confessis, sicut econtra ut levis pro gravibus nondum confessis imponatur. Primum contingit, dum id sacerdos expediens judicat ad præcavendum viri Religiosi frequentem relapsum in aliqua venialia, vel ad abscindendam mortalium consuetudinem ab eo, qui in præcedenti confessione illa peccata, et consuetudinem exposuit, et in sequenti magnam ad eadem peccata propensionem explicat, ac de illis iterum vult absolvi ; in quo eventu valet sacerdos gravem pœnitentiam injungere, servatis prudentiæ regulis. Secundum etiam non semel accidit, tum ob pœnitentis debilitatem naturalem, aut moralem ; tum ob contritionis exuberantiam ; in quibus, et similibus casibus potest sacerdos mitiorem injungere pœnitentiam. Diximus etiam, *et aliunde nihil aliud exprimit* : nam utrum sacerdos possit pœnitentiam gravem sub levi obligatione, vel levem sub gravi injungere, alia difficultas est, Cursu Salmanticensi Morali tract. 11, satis discussa. Quoad id vero, quod ad præsens attinet, insinuare sufficiat, quod si materia est

levis

levis tam in se, quam in ordine ad finem præcepti, sub veniali tantum affert obligationem ; si vero tam pœnitentia quam materia, ob quam imponitur, sint quid grave, et alias justa interveniat causa moderandi rigorem, et leviorem imponendi satisfactionem, poterit sacerdos gravem pœnitentiam injungere sub obligatione levi ; quod tamen exprimere debet, alioqui supposita gravitate pœnitentiæ prudenter injunctæ, et potestate legitima ligandi, qua gaudet sacerdos, semper credendum est adstringere sub mortali.

29. Nec desunt Authores, quibus opposita sententia arrideat, asserentes omissionem pœnitentiæ gravis injunctæ pro venialibus, aut mortalibus jam confessis non excedere venialem culpam : durum enim illis videtur gravem obligationem satisfaciendi posse consurgere ex culpa levi, aut lethali jam dimissa. Hi sunt Suarez disp. 38, sect. 7, num. 4, Granados tract. 12, disp. 6, num. 8, Laymn de sacram. pœnit. cap. 15, num. 7, Diana part. 3, tract. 4, resol. 102 et 136, Stephanus a S. Paulo num. 175 et Aversa quæst. 13, sect. 6. Quæ sententia potest suaderi ex eo, quod obligatio satisfaciendi nequit esse major, quam obligatio vitandi peccata, pro quibus satisfactio imponitur ; sed obligatio vitandi venialia solum sub veniali ligat: ergo, et obligatio pro illis satisfaciendi. Minor, et consequentia liquent. Major autem ostenditur : nam obligatio satisfaciendi est effectus relictus ex peccatis, pro quibus satisfactio exposcitur ; sed nullus effectus superare potest virtutem suæ causæ : ergo obligatio satisfaciendi nequit esse major, quam obligatio vitandi peccata, ob quæ satisfactio injungitur.

Confirmatur primo : quoniam obligatio satisfaciendi pro peccatis est ejusdem conditionis, ac obligatio confitendi eadem peccata ; atqui pœnitens non adstringitur sub lethali ad confitendum venialia, aut mortalia jam rite confessa : ergo nec sub lethali obligatur ad satisfactionem pro illis adimplendam. Major, quæ sola difficultatem præsefert, suadetur : nam obligatio exhibendi satisfactionem oritur a confessione : quippe si pœnitens illa peccata venialia, aut mortalia jam confessa confessioni non subjiceret, minime posset a sacerdote compelli ad satisfactionem pro eisdem exhibendam : ergo hæc obligatio ex illa regulanda est, atque ideo est ejusdem qualitatis. Confirmatur secundo : nam reus, qui semel pro crimine punitus est, et satisfactionem justam exhibuit, nequit a judice graviter obligari, ut iterum satisfaciat, et aliam pœnam sustineat ; sed qui gravia jam rite confessus est, et injunctam exhibuit pœnitentiam, se habet ut reus, qui pro crimine satisfecit, et punitionem justam sustinuit : ergo nequit graviter obligari a sacerdote, ut pro culpis jam rite confessis, et punitis iteratam pœnitentiam, subeat. Maxime quia inde fieret, pœnitentem, qui peccata venialia, aut mortalia jam punita iterum confitetur, esse deterioris conditionis, quam qui semel sua peccata clavibus Ecclesiæ subjicit, cum ille duplicatam punitionem subire sub mortali cogeretur ; hic autem unam tantum. Confirm. 2

Sed hæc, quibus ista fidit sententia, parum premunt et facile dehiscent animadvertendo triplicem dari in peccatore obligationem. Prima est vitandi peccata. Secunda fatendi coram sacerdote culpas commissas. Tertia acceptandi, et exequendi pœnitentiam pro eis injunctam. Quæ obligationes quamvis inter se connexionem, et ordinem dicant, non tamen semper in quantitate, et qualitate adæquationem servant : etenim obligatio vitandi venialia per se semper est levis ; obligatio autem eadem fatendi non adest aliqua ; ex suppositione tamen quod clavibus subjiciantur, certum est apud omnes dari aliquam obligationem saltem levem acceptandi pœnitentiam pro illis injunctam. Deinde obligatio vitandi mortalia semper est gravis, et nihilominus semel confessa, nulla urget obligatio eadem iterum confitendi. Sicut ergo cum gravi, aut levi obligatione vitandi peccata, nulla stat obligatio ea fatendi, et cum nulla obligatione fatendi, aliqua obligatio pœnitentiam acceptandi ex suppositione quod peccata semel confessa iterum clavibus subjiciantur ; ita cum levi obligatione vitandi peccata, et cum nulla fatendi ea, optime potest dari gravis obligatio satisfaciendi pro eisdem, si subjiciantur confessioni. Nec durum reputandum est, pœnitentem gravi obligatione adstringi ad acceptandam gravem pœnitentiam pro venialibus, aut lethalibus jam confessis, si hæc iterum ad majorem conscientiæ secu- Animadversio.

ritatem, ac uberiorem fructum capiendum confiteantur. Supponimus namque causas adesse juxta præscriptum prudentiæ, ut sacerdos illam pœnitentiam injungat : si enim errante clave ob sacerdotis imprudentiam talis satisfactio imponatur, nullam dari in pœnitente obligationem gravem, aut levem eam acceptandi quoad id, in quo excedit, extra dubium est, et ex supra dictis patet num. 23.

Solutio argumenti. 30. Unde ad objectionem respondetur negando majorem, ad cujus probationem omissis præmissis negatur consequentia ex illis minime deducta. Etenim obligatio satisfaciendi, quæ cum reatu ex peccatis relicto coincidit, et effectus moralis, aut physicus peccati appellatur juxta diversitatem modorum explicandi radicem prædicti reatus, non oritur ex obligatione vitandi peccata, nec illi commensuratur; alias cum semper sit gravis obligatio vitandi peccata mortalia, graviter obligaretur pœnitens ad satisfactionem levem, quæ pro mortalibus jam confessis solet injungi, quod Authores hujus sententiæ non concedunt. Oritur ergo prædicta obligatio satisfaciendi ex peccato, et commensuranda est demeritis ipsius peccati, et damnis, quæ intulit, et in posterum minatur. Plura autem peccata venialia licet non afferant æternam pœnam damni aut sensus ; nihilominus ob continuam repertionem augent reatum pœnæ temporalis, qui adeo potest crescere, ut pœna satisfactoria illi correspondens sit gravis atque ideo fundet gravem obligationem satisfaciendi accedente præcepto sacerdotis, cui illa peccata confessa sunt. Aliunde, quamvis plura peccata venialia unum mortale non efficiant; tamen ad illud disponunt, ut inquit D. Thomas I, 3, quæst. 88, art. 3, et illud sæpe inferunt, ut constat ex illo : « Qui spernit modica, paulatim decidet. » Ulterius, esto venialia viro Religioso (de quo præcipue procedit quæstio) viam perfectionis, ad quam tendit, et debet, omnino non impediant; nihilominus dum continuantur, et in consuetudinem ducuntur, multum retardant, spiritualemque animæ profectum haud parum detinent. Quocirca cum satisfactio sacramentalis sit punitio, et medicina : et ex capite quo est punitio oriatur, et mensuretur ex reatu pœnæ temporalis contracto, qui in casu præsenti est adeo magnus, ut dictum est; et ex capite quo est medicina, oriatur ac mensuretur ex damno, vel infirmitate, quam plura illa peccata venialia repetita, et quasi in consuetudinem ducta intulerunt, et minantur, quæ quidem infirmitas, et damnum levia non sunt ut etiam explicatum manet, palam convincitur adesse principium, ex quo consurgat illa gravis obligatio pœnitentis acceptandi, ac exequendi gravem pœnitentiam ob venialia in casu quæstionis, atque ideo potest esse major obligatio satisfaciendi, quam obligatio vitandi peccata absolute, ob quæ satisfactio exposcitur. Quod autem obligatio satisfaciendi sit effectus relictus ex illis peccatis venialibus, nihil obest : nam licet non sufficiant plura venialia efficere unum mortale, habent tamen virtutem contrahendi magnum pœnæ temporalis, ac subinde fundandi gravem obligationem satisfaciendi, quæ virtutem suæ causæ in quantum talis non excedit.

D. Tho. Eccles. 19.

Ad primam confirmationem similiter Dineganda est major, alias nulla daretur co obligatio acceptandi, aut exequendi injunctam pœnitentiam ob venialia, aut mortalia jam rite confessa, cum nulla adsit obligatio illa confitendi. Ad majoris probationem dicendum est, obligationem satisfaciendi *absolute* non ducere ortum a confessione, sed aliunde, ut constat ex dictis disp. præcedenti ; obligationem tamen satisfaciendi *sacramentaliter*, vel apponendi sacramentalem satisfactionem oriri a confessione non tanquam ex causa inadæquata, vel tanquam a conditione, quod, videlicet; pœnitens peccata clavibus subjiciat : si enim nollet ea subjicere, nequiret a sacerdote adstringi ad exhibitionem hujus determinatæ satisfactionis, quæ est pars sacramenti; licet alioqui non evaderet obligationem solvendi pœnam debitam in hac vita, vel in futura. Unde liquet, obligationem satisfaciendi adhuc sacramentaliter pro venialibus, aut mortalibus jam confessis non esse præcise regulandam penes obligationem confitendi illa peccata, sed ex aliis capitibus nuper explicatis, atque ideo posse interdum illam excedere ob justas causas prudenter a sacerdote inspectas, quibus motus potest gravem pœnitentiam sub gravi obligatione pœnitenti injungere ob peccata, quorum confessio vel leviter, vel nullo modo obligat.

Ad

Ad secundam respondetur, pœnitentem non in omnibus fore parificandum reo exterioris fori, et aliis prætermissis, in eo ab illo differt, quod tam reus, quam judex fori exterioris certo scire possunt qualitatem, et quantitatem pœnæ, qua ipse reus pro delicto commisso puniri debet, et quando illum reatum pœnæ adæquate solvit, ita ut nil amplius secundum jura possit exposci. At vero quantitatem pœnæ temporalis, quæ pro peccatis dimissis subeunda est, nec sacerdos ut judex, nec pœnitens ut reus fori pœnitentialis certo valent agnoscere, et consequenter nec certificari an reatus pœnæ debitæ fuerit adæquate solutus, etiam postquam pœnitens exhibuit totam illam satisfactionem, quam sacerdos illi prudenter imposuit in hoc sacramentali judicio, vi cujus ad nihil aliud teneretur. Quin potius cum pœnitentia injuncta nunquam vel fere nunquam sit tanta, ut totum pœnæ temporalis reatum, præsertim ex culpis lethalibus contractum adæquate solvat; ideo ex suppositione quod pœnitens voluntarie pro majori conscientiæ securitate, et ampliori satisfactione reatus velit sua peccata iterum sacramentali judicio submittere, nequit non simul velle quidquid ad integritatem, ac rectitudinem illius judicii desideratur; et consequenter subire pœnam denuo indigendam juxta prudens sacerdotis arbitrium sub onere gravis, vel levis peccati relate ad quantitatem, et qualitatem satisfactionis injunctæ. Eo præsertim quod hæc in casu confirmationis, cui occurrimus, injungitur tanquam medicina ex motivo præcavendi futura peccata, quæ imminent, et abscindendi consuetudinem, ac vehementem propensionem ad ea, quibus si remedium non adhibetur, quasi infallibiliter sequentur. Hoc autem motivum est satis efficax, ut ex eo consurgat obligatio acceptandi gravem pœnitentiam injunctam.

Nec ob id evadit deterioris conditionis, sed utilioris, qui eadem peccata sæpius confitetur, quam qui semel tantum: nam ille uberius in hac vita satifacit pro peccatis, tum percipiendo fructum tam ex opere operato ex vi sacramenti, quam ex opere operantis; tum etiam quia per satisfactorium opus meretur, et augmentum gratiæ, et ampliorem gloriam; quod ita non accidit in purgatorio, ubi, et acerbiores sunt pœnæ, si quæ in hac vita debetur, illuc sustinenda remittitur. Et quamvis qui peccata levia non confitetur, et lethalia jam confessa iterum non subjicit clavibus, sit liber a gravamine implendi pœnitentiam a sacerdote injungendam; non tamen immunis evadit a satisfactione extrasacramentali, quæ ex opere operato solutiva pœnæ non est, nec ita adæquate ut sacramentalis debitum solet extinguere; unde periculo acriores cruciatus in alia vita luendi se exponit.

Quæstiunc. 3.

31. Inquires tertio, an possit pœnitens ante absolutionem sacerdotis, cum quo confessionem inchoaverat, ejus declinare sententiam, et alium adire, qui benigniorem pœnitentiam injungat? Ad hujus difficultatis resolutionem supponendum est, sacerdotem, ad quem pœnitens recurrere vult, esse prudentem, timoratum, sufficientique scientia præditum, ita ut censeatur juxta regulas æquitatis judicaturum: nam si ad alium vellet accedere, quem suo numere abusurum speraret, omnes consentiunt graviter delinquere. Igitur in prima consideratione loquendo, vel pœnitens ex legitima, rationabilique causa procedit? Vel ex ignavia, aut levitate animi, ne videlicet graviorem cogatur sustinere pœnam, etiam intra limites æquitatis taxatam? In primo eventu communis Doctorum sententia affirmat, id licere pœnitenti. In secundo autem dicendum est, non esse licitum. Cujus ratio est: quia sine rationabili causa sacramentum inchoatum relinquere, nequit non aliquam indecentiam, et sacramenti irreverentiam redolere, atque ideo nequit non aliquod peccatum esse contra Religionem. Ceterum, cum pœnitentiæ sacramentum in peccatorum medicinam, et commodum sit institutum, de Christi benignitate præsumendum est, noluisse sub lethali obligatione gravare pœnitentem, ut confessionem cum uno sacerdote inchoatam cum eodem perficeret: sic namque hujus sacramenti usus, alias ex se difficilis, suavior redditur, pœnitentesque libentius culpas detegunt, ac pœnitentias acceptant. Unde solum venialiter peccare pœnitentem, qui absque legitima causa inceptam confessionem relinquit, et alium prudentem sacerdotem adit, ut mitiorem pœnitentiam injungat, sentiunt Lugo disp. 25, sect. 5, num. 77, Suarez disp.

Resolutio.

Lugo, Suarez

N. Francis. Palaus, Coninc. Aversa. 38, sect. 7, num. 4, N. Franciscus in præsenti, cap. 10, punct. 4, num. 59, Palaus tract. 23, disp. unica, punct. 21, § 4, num. 7, Coninchus dub. 9, num. 8, Aversa quæst. 13, sect. 5, et alii.

Objectio. Nec obest, si objicias, prædictam actionem adeundi alium sacerdotem esse virtualem contemptum confessarii derelicti; hoc autem videtur illi graviter injuriosum : ergo saltem ex hoc capite culpa lethalis erit. Tum etiam : quia in quolibet judicio rectus ordo exigit, ut causa semel incepta coram aliquo judice, coram ipso finiatur : licet enim liberum sit aliquando reo hunc vel illum judicem eligere; facta tamen judicis electione, illicitum est illi judicem declinare, et alteri se judicandum submittere, teneturque reus primi judicis stare sententiæ sub gravi obligatione, si materia gravis fuerit : ergo idem sentiendum est in præsenti. Non itaque refert; Dispellitur. non quidem primum : nam confessarium derelinquere, non est eum contemnere; sed pœnitentem jure suo uti; ex eo autem, quod aliquis libertate sibi concessa, ac jure proprio utatur, nemini injuriam irrogat; nisi alias verbis, vel actionibus contemptum exprimentibus pœnitens id efficeret; his vero deficientibus, ex actione præcise adeundi alium sacerdotem, esto aliqua offensa contra primum resultaret, venialis culpæ metas non transiliret. Non etiam secundum : quia licet in foro exteriori liberum reo non sit, postquam judici competenti se submisit, retrocedere, et alium æqualem adire; id in foro pœnitentiæ licere, saltem extra gravem culpam, unanimiter Theologi asserunt ob libertatem, quam suavior hujus sacramenti usus exposcit.

Quæstiunc. 4. 32. Inquires quarto, quando pœnitentia sit injungenda? Respondetur cum D. Antonino 3 part. tit. 17, cap. 20, § 1, Navarro Decisio. D. Anton. Navarr. Suarez. de pœnit. disp. 6, cap. 1, num. 35, Suario disp. 38, sect. 3, num. 5, posse pœnitentiam imponi ante, vel post absolutionem ad sacerdotis arbitrium : quippe cum satisfactio immediate post absolutionem imposita censeatur moraliter aliis partibus sacramenti conjungi, et aliunde non sit pars materialis sacramenti, supra quam debet absolutio cadere, potest ante, vel post eam imponi. Præsertim si sacerdos videat pœnitentem recte dispositum, et pœnitentiam, quam meretur, libentissime acceptaturum. Nihilominus dicendum est aptius, et melius pœnitentiam ante absolutionem esse injungendam. Ita Angelus verbo *Confessio* 5, num. 2, Leander disp. 9, quæst. 52, Sylvester verbo *Confessio* 4, § 1, Suarez ubi supra num. 5, N. Franciscus cap. 10, punct. 3, num. 42, referens Coninchum, Bonacinam, Layman, Palaum, Granados, Dianam, et alios. Rationesque plures hujusmodi congruentiam suadent. Tum : quia hoc ex usu, ac communi Ecclesiæ praxi constat. Unde SS. D. N. Alexander VIII, decreto anno 1690 edito damnavit has propositiones, quæ inter alias damnatas sunt 17 : « Per illam praxim « mox absolvendi ordo pœnitentiæ est « inversus. » Et 18: « Consuetudo moderna « quoad administrationem sacramenti pœ« nitentiæ, etiamsi eam plurimorum homi« num sustentet authoritas, et multi tem« poris diuturnitas confirmet, nihilominus « ab Ecclesia non habetur pro usu, sed « abusu. » Tum etiam : quia ex acceptatione pœnitentiæ ante absolutionem injunctæ, melius agnoscet sacerdos, an pœnitens apte dispositus ad sacramentum accedat, atque ideo an sit vel non absolutione dignus. Tum deinde, ut omnes partes materiales hujus sacramenti subjiciantur absolutioni tanquam parti formali. Tum denique, ut rectus judicii ordo aptius servetur, si pœnitens prius spondeat exequendam pœnitentiam, quam absolutionem accipiat.

33. Inquires quinto, qualis pœnitentia debeat imponi? Quid ad hanc interrogationem sit respondendum, jam majori ex parte constat ex dictis disp. præced. ubi quas conditiones debeat habere opus satisfactorium statuimus, et ex dictis hac disputatione num. 9, in fine, ubi jejunia, orationes vocales, ac eleemosynas regulariter esse in satisfactionem injungenda innuimus. Ulterius dicendum est, quod licet regulariter opus externum in pœnitentiam imponendum sit, præsertim rudioribus, qui id facilius intelligunt, ac exequuntur; interdum tamen expedit inspecto pœnitentis statu aliquos actus internos, et mentales ipsi injungere, uti aliquam piam meditationem Passionis Christi Domini, mortis imminentis, ac infallibiliter accessuræ, horribilis judicii Dei, quod nemo effugere

effugere valet, intolerabilium inferni cruciatuum, et similium, quorum meditatio non raro fortius passionum impetum abscindit, ac peccata removet, quam aliud quodcumque pœnitentiæ genus. Nec refert, Alensem part. 4, quæst. 84, membr. 2, art. 1, Almainum, et alios sensisse, actus internos, qua tales, non posse in pœnitentiam injungi. Ad hoc quippe sufficit ipsos per accidens fieri sensibiles, quatenus exterius imponuntur, et acceptantur; alioquin nulla Religio orationem mentalem subditis præcipere posset, cujus oppositum ex satis laudabili fere omnium Religionum praxi liquet. Unde ita sentiunt Lugo disp. 26, sect. 4, Diana 4 part. tract. 4, resolut. 22, N. Antonius, N. Gabriel, N. Franciscus ubi supra, punct. 3, num. 27, referens Suarium, Coninchum, Reginaldum, Pontium, Aversam, et alios.

34. Item potest in pœnitentiam injungi confessionis, et communionis frequentia, si id confessario visum fuerit: sunt enim hujusmodi opera maxime Deo grata, et ad pravos habitus hebetandos, peccatorumque reincidentiam eliminandam efficacissima. Idque communis Doctorum sententia docet, frequensque Ecclesiæ usus tenet. Similiter etiam e converso potest sacerdos in pœnitentiam præcipere abstinentiam a frequenti communione, dum sibi expediens ob urgentia motiva videtur, uti si deprehenderet Eucharistiam indignissime tractari, pœnitentemque sæpe in hebdomada communicantem ad sacramentum sine debita reverentia, ac vitiis, criminibusque onustum accedere. Ita Diana 11, part. tract. 7 Miscell. resolut. 15, ubi oppositum, inquit, non esse admittendum, utpote contra communem opinionem Doctorum, et contra praxim Ecclesiæ, et usum omnium confessariorum. Idem sentit Laurentius a Ponte in cap. 2 Matth. annot. moral. 46, num. 28, ubi hæc habet: « Ex qua doctrina « elicitur falsitas illius, quam in Ecclesia Dei introducere præsumpsit quidam « Joannes Sanctius in selectis suis disputationibus, affirmans in receptione Sanctissimi Sacramenti Eucharistiæ non solum non debere pœnitentem stare, neque « obedire confessario præcipienti abstinentiam a sacramenti sumptione, imo quod « pœnitens melius aget si non obediat. « Quam doctrinam (si tale meretur nomen) « uti novam, et in Ecclesia Dei nunquam « auditam, et contra communem sensum « Patrum, et magisterii spiritualis praxim, « reputo falsam, et periculis plenam. » Recolantur quæ expendimus tract. 23, disp. 7, ubi explicantes decretum SS. D. N. Innocentii XI hæc, et plura ad communionem spectantia adduximus. Potest etiam confessarius pœnitentem cogere, ut Confirmationis, et Extremæ-Unctionis sacramenta recipiat, si in extremis sit constitutus, ut docent Palaus, Fagundez, et N. Antonius. Ad susceptionem ordinis sacri, habitus Religionis, vel sacramenti Matrimonii, nequit pœnitens, nisi alias obligationem contraxerit, a confessario adstringi ob maximam libertatem ad hujusmodi requisitam. Ita Navarrus, N. Antonius, Palaus, tract. 23, disp. unica, qu. 20, n. 7, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 5, n. 4, Layman tract. 6, cap. 5. Possunt tamen pœnitentibus suaderi, si expedit.

Palaus. Fagund. N. Anton. Navarr. Layman.

35. Similiter etiam possunt in pœnitentiam injungi orationes pro defunctis recitandæ, aliaque bona opera pro eisdem facienda, ut contra Joannem Sanctium docent Lugo disp. 25, num. 82, Palaus tract. 23, disp. unica, punct. 20, § 2, num. 5, Hurtado disp. 14, difficul. 6, N. Antonius num. 1620, N. Gabriel de pœnitent. disp. 22, quæst. 3. Quibus adhærent Busembaum, Leander, Aversa, et Turrianus. Idque firmat communis praxis confessariorum injungentium pœnitentibus officia defunctorum pro eis recitanda, ac Missas audiendas, vel celebrandas. Imo in Catechismo Romano, tract. de sacram. pœnitent. in fine, hoc pœnitentiæ genus satis commendatur tanquam spiritualis eleemosyna, ex qua oritur ipsas Purgatorii animas pro suffragatoribus interpellare, illisque Dei dona, ac auxilia consequi. Nec alicujus momenti erit dicere, satisfactionem esse ordinatam ad delendum reatum pœnæ temporalis pœnitentis; atque ideo nullum effectum in pœnitente consecuturam si pro defunctis applicetur, vel e converso si effectum in pœnitente sortitur, nullum habiturum in defunctis. Nam satisfactio sacramentalis duplicem habet effectum remissionis pœnæ temporalis, ut ex dicendis patebit. Alter correspondens illi ex opere operato, qui nequit pro defunctis applicari: applicatur namque a sacerdote

Lugo, Hurtad. N. Anton. Gabrie, Busemb. Leand. Aversa.

Evasio præcluditur.

in commodum pœnitentis. Alter vero ex opere operantis, qui potest aliis applicari ad libitum pœnitentis. Nec iterum refert, si dicas fructum remissionis pœnæ temporalis ex opere operato, provenientem a Missæ sacrificio, prodesse defunctis, ac pro illis applicari posse, ut statuimus tract. 23, disp. 13, dub. 5, § 4. Ergo si confessarius injungat in pœnitentiam alicui sacerdoti ut Missam celebret pro defunctis, hic omnino a solutione proprii reatus fraudabitur. Respondetur namque, in hujusmodi eventu duplicem effectum remittendi pœnam temporalem utrumque ex opere operato habere illud sacrificium. Primus illi respondet ut sacrificio, et hic prodest defunctis, sicut etiam effectus ex opere operantis. Secundus vero respondet sacrificio ut parti integrali sacramenti pœnitentiæ, et hic effectus nequit a celebrante applicari pro defunctis, quia jam est applicatus a confessario in utilitatem celebrantis ; unde quemadmodum opera meritoria ut talia aliis non prosunt, ita satisfactiones sacramentales ut tales, proportione servata.

Alteri satisfit.

36. Ulterius potest etiam justis de causis imponi in satisfactionem opus alias ex præcepto debitum, ut Missæ auditio in die festo, vel quadragesimale jejunium, et similia, ut præcedenti disputatione cum non infima Doctorum parte firmavimus. Si autem sacerdos jejunium, vel quid simile absolute præcipit, et aliud non exprimit, intelligendus est de opere supererogationis, et alias non debito. Unde si sacerdos pœnitenti jubeat unum sacrum singulis hebdomadibus audire, intelligi debet de eo, ad quem ex præcepto, aut voto non adstringitur : non enim pœnitentiam impleret audiendo sacrum in aliquo die festivo intra eam hebdomadam incidente. Ceterum si audire sacrum singulis diebus mensis præciperet, censendus est duplicem in diebus festivis non præcepisse, ita ut uno satisfaciat Ecclesiæ præcepto, alio pœnitentiæ injunctæ, sed uno utrique præcepto, ut sentiunt Sanchez in summa lib. 1, cap. 14, num. 6, Diana 3 part. tract. 6, resol. 86, Palaus tom. 1, tract. 3, punct. 1, disp. 19, num. 4, Bonacina, Leander, et alii. Circa quantitatem vero pœnitentiæ injungendæ certa regula assignari nequit, sed hoc prudenti sacerdotis judicio relinquitur, qui ad gravitatem, vel levitatem culpæ, ad pœnitentis statum, ac vires debet attendere, ut juxta æquitatem, ac discretionis præscriptum unicuique proportionatam taxare valeat satisfactionem.

Sanchez, Diana, Palaus, Bonacin. Leand.

37. Tandem inquires, an satisfactio semper sit injungenda præceptive, an vero possit interdum ad arbitrium pœnitentis relinqui ? Suarez disp. 38, sect. 3, concl. 2, sentit enim posse sacerdotem sub consilio pœnitentiam imponere, si pœnitens velit eam assumere : quod non probat. Inquit tamen colligi hanc sententiam ex D. Thoma quodlib. 3, art. 28. Sed quam longe absit Angelicus Doctor ab hujusmodi placito, constabit ex statim dicendis, ejus verba a Suario citata exhibendo. Itaque dicendum est, satisfactionem semper, saltem quoad aliquam partem, esse præceptive injungendam, nunquam totam arbitrio pœnitentis relinquendam. Ita Nugnus in præsenti, quæst 13, art.., Vasquez, Turianus, Sylvius, Granados de Pœnitent. tract. 12, disp. 4, num. 4, et alii plures. Ratio est : quia sacerdos tenetur quantum est ex se integrum facere sacramentum ; atqui pœnitentiam relinquere omnino ad pœnitentis arbitrium, est sacramentum quantum est ex parte sacerdotis imperfectum relinquere : ergo nequit pœnitentia injungi mere consiliative, et ad libitum pœnitentis. Minor patet : nam sacerdotem committere pœnitentiam arbitrio pœnitentis idem est ac dicere: «Quomodocumque « feceris, sive exhibeas, sive non exhibeas « satisfactionem, ratum habeo. » Ergo quantum est ex se annuit utrique extremo, et exhibitioni satisfactionis, per quam sacramentum integratur, et non exhibitioni, qua sacramentum imperfectum relinquitur ; et consequenter quantum est ex se non magis de integritate, quam de non integritate sacramenti curat.

Sed veniamus ad Angelicum Præceptorem, quem Suarius inquit suam docere sententiam, et videamus an illi faveat, Verba D. Thomæ sunt hæc : « Est ergo di- « cendum, quoad sicut potest sacerdos in- « jungere satisfactionem pœnitenti ex ar- « bitrio alieno, ita ex arbitrio ipsius pœni- « tentis, sicut si dicat : Facias hoc, si potes: « et si non potes, facias hoc. » Hæc verba toto cœlo distant ab illo modo dicendi, quo author

author ille se explicat : non enim inquit, *Facias hoc, si velis*, quod est consilium præbere, et satisfactionem absoluto pœnitentis arbitrio relinquere, sed ait : *Facias hoc, si potes, et si non potes, facias hoc.* In quibus licet ly primum *facias hoc, si potes* arbitrio pœnitentis relinquatur ; tamen ly secundum *facias hoc* ex suppositione quod primum non fiat, non ad arbitrium pœnitentis relinquitur, sed absolute,et præceptive injungitur. Deinde li *si potes* non est idem ac *si vis :* hoc enim ad libertatem accipientis refertur, et importat spontaneitatem acceptandi, vel non acceptandi, exhibendi,aut non exhibendi satisfactionem, prout sibi placuerit; illum autem refertur ad potentiam physicam, vel moralem,importatque obligationem exhibendi pœnitentiam, si potentia adsit : quippe ly *facias hoc, si potes,*est præceptum conditionatum, quod quidem purificata conditione redditur absolutum. Tandem licet in illis verbis innuat Angelic. Doctor, pœnitentiam posse relinqui ad pœnitentis arbitrium,non dicit quod absolute relinquenda est, sed disjunctive, ita ut faciat hoc, vel illud : quamvis autem dum aliquid disjunctive præcipitur, possit pœnitens uno ex extremis omittere, non tamen utrumque quia optio sibi data non est ad utrumque simul omittendum, sed ad aliquod ex illis eligendum, quo semel electo, illius exhibitioni adstringitur. Si enim Ecclesia præciperet jejunare in vigilia Virginis si id fieri posset, si vero non posset, recitare officium parvum, neguit in dubium verti unum ex his extremis sub obligatione comprehendi ; atque ideo illa verba non esse mere consiliativa, sed præceptiva. Maneat ergo D. Thomam non Suarii, sed nostram docuisse sententiam.

38. Diximus in assertione, *saltem quoad aliquam partem* : quia posse sacerdotem taliter pœnitentiam injungere, ut aliquam illius partem pœnitentis arbitrio relinquat, non negamus. Ex hoc enim non sequitur, sacerdotem quantum est ex se sacramenti integritati non consulere, cum jam interrum maneat alia parte pœnitentiæ absolute præcepta. Quocirca poterit etiam sacerdos, esto nullam determinate, plures ab tali disjunctione præcipere, ut aliqua executioni mandetur, ut si dicat, talem eemosynam elargiaris, vel Missam audias, vel rosarium recites. Insuper, dummodo aliquam absolute præcipiat, etiam expediet ad futura peccata præcavenda, pravamque coercendam consuetudinem , aliquam injungere pœnitentiam sub conditione exhibendam, uti si dicat ; quoties juraveris, toties Angelicam salutationem recites. Ita Suarez de Religione tom. 2,lib. 3, cap. 8, Diana disp. 9, de pœnitent. quæst. 5, sect. 3, qunct. 2, num. 26, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 15,nu. 11,et alii. Similiter potest etiam in pœnitentiam injungi simul cum aliquo opere determinato aliquid aliud indeterminatum dicendo : « Quidquid boni feceris, aut mali sustinue- « ris usque ad aliam confessionem, tibi in « satisfactionem applico ;» ut recte sentiunt Petrus Soto de satisfact. lect. 2, Paludanus dist. 20, quæst 2, art. 2, Navarrus cap. de pœnit. disp. 6, num. 42, Fugandez præcept. 2, lib. 9, cap. 5, num. 11, Diana part. 3, tract. 4, resol. 82, Candidus disquisit. 24, art. 31, quæst. 14, Leander disp. 9, quæst. 25. N. Franciscus cap. 10, punct. 3, num. 35, Bonacina, Suarez, et alii. Idemque expresse docet D. Thomas quodlib. 3, art. 28, cujus sententia, licet Vasquio non videatur vera, sufficit esse tanti Doctoris, ut nobis placeat. Nec Vasquii motivum oppositum evincit : inquit enim qu. 94, art. 2, num. 1, num. 10, illa opera non posse esse satisfactoria in vi clavium,quia claves solum tribuunt vim satisfaciendi illis operibus, quæ fiunt ut præcepta. Hoc namque nihil suadet : quia ut fiant satisfactoria sufficit ut a sacerdote applicentur, ut patet dum pœnitentia sub disjunctione indicitur. Si enim alicui dicatur, jejuna vel recita rosarium, nemo negabit quod si jejunium exhibeatur, est satisfactorium in vi clavium ; et tamen ad illud jejunium non tenebatur, pœnitens ex præcepto, sed voluntarie poterat illud omittere, et rosarium recitare.

Suarez, Diana, Layman. Petrus, Soto, Palud. Navarr. Fagund. Diana. Candid. Leand. N. Fran. Bonac. Suarez.

Hic autem minime omittenda censuimus verba Angelici Præceptoris ex loco proxime relato, in quibus, et propriam sententiam docet, et confessarios prudentissime admonet qualiter in pœnitentiis injungendis se habere debeant,ut a scrupulis, et anxietatibus liberentur, dum aliquando mitiorem injungunt pœnitentiam. Itaque inquit : « Videtur autem satis con- « veniens, quod sacerdos non oneret pœ-

Nota.

D. Tho.

« nitentem gravi pondere satisfactionis : « quia sicut parvus ignis a multis lignis « suppositis de facili extinguitur, ita pos- « set contingere, quod parvus affectus « contritionis in pœnitente nuper excita- « tus propter grave onus satisfactionis ex- « tingueretur, peccatore totaliter despe- « rante. Unde melius est, quod sacerdos « pœnitenti indicet quanta pœnitentia esset « sibi pro peccatis injungenda, et injungat « sibi nihilominus aliquid, quod pœnitens « totaliter ferat, ex cujus impletione assue- « fiat ut majora impleat, quam etiam « sacerdos sibi injungere non attentasset ; « et hæc, quæ præter injunctionem expres- « sam facit, accipiunt majorem vim expia- « tionis culpæ præteritæ ex illa generali « injunctione, qua sacerdos dicit : Quid- « quid boni feceris sit tibi in remissionem « peccatorum. Unde laudabiliter consue- « vit hoc a multis sacerdotibus dici, licet « non habeant majorem vim ad præben- « dum remedium contra culpam futu- « ram. Et quantum ad hoc talis satisfactio « est sacramentalis, in quantum virtute « clavium est culpæ commissæ expia- « tiva. » Addit insuper D. Thomas, quod si pœnitentia determinate injuncta, et illa, quæ indeterminate imponitur, non adæquent reatum pœnæ temporalis ex peccatis contractum a pœnitente, manebit pœnitens sub obligatione solvendi adæquate in hac vita, vel in futura, quod minus damnum erit, quam pœnitentem majori periculo exponere : « Unde si contingat « (*inquit*) quod sacerdos mitiorem satisfac- « tionem imponat pœnitenti, quam sit illa « ad quam obligatur ex quantitate sui « peccati, subtracto eo quod remittitur vir- « tute clavium, et contritionis præceden- « tis, nihilominus pœnitens ad aliquid « ulterius obligatur, quod si in hac vita « non perficiat, in purgatorio exolvet. »

DUBIUM III.

In quo statu, ac tempore, et a qua persona debeat pœnitentia adimpleri ?

Plura sub uno titulo comprehendimus, tum quia omnia ad pœnitentis obligationem attinent ; tum, et præsertim, quia non sunt adeo difficilia, ut diffusam exigant investigationem. L *in quo statu* intrinsecam dispositionem pœnitentis importat, et est idem ac quærere an teneatur pœnitentiam implere dum est in gratia? An vero satisfaciat præcepto confessoris illam exhibens in statu peccati ? Licet enim disp. præced. dub. 3, § 3, conclus. 4, statuerimus, statum gratiæ esse necessarium ad satisfactionem, ibi solum loquuti fuimus de satisfactione ut effectum remissionis pœnæ consecutura non vero de ea respective ad præceptum sacerdotis illam injungentis, quo pacto in præsenti fit sermo. Ly *in quo tempore* ad circumstantiam omnino extrinsecam refertur. Ac tandem *a qua persona* inquirit, an pœnitens teneatur per se ipsum satisfactionem executioni mandare ; an possit saltem aliquando per substitutum? Claritati tamen consulentes, ut consuevimus, singula seorsim decidemus.

§ I.

Quid de statu, in quo pœnitentia adimplenda sit ?

39. Dicendum est primo, pœnitentem satisfacere præcepto confessarii, esto pœnitentiam injunctam exhibeat in statu peccati ; atque ideo non teneri, cum redierit ad gratiam, illam iterum executioni mandare. Ita Nugnus in addit. ad 3 part. quæst. 3, art. 3, difficult. 2, Cajetanus, Sotus, Palacius, Sylvester, Suarez, Lugo, Paludanus, Henriquez, quos refert, et sequitur Dicastillo dub. 10, num. 160, Diana part. 4, tract. 4, resol. 24, N. Gabriel disp. 12, quæst. 2, Palaus et N. Franciscus in præsenti, cap. 10, punct. 5, num. 69. Ratio est, quia ad adimpletionem præcepti sufficit ponere rem præceptam quoad substantiam, quamvis finis, ad quem præcipitur non obtineatur, ut in aliis præceptis communiter cernitur ; sed status gratiæ solum est quædam dispositio pœnitentis requisita ad consecutionem finis remissionis pœnæ temporalis per satisfactionem : ergo esto pœnitentia exhibeatur in statu peccati, fit satis præcepto confessarii. Patet consequentia : nam sicut finis non cadit sub præcepto, nec confessarii ad id intendunt cogere pœnitentes ; ita nec ad dispositionem, vel modum requisitum ad consecutionem ejusdem finis.

40. Sed

40. Sed inquires, an sit peccatum aliquod pœnitentiam exhibere extra statum gratiæ? Respondetur, esse quidem peccatum, non tamen lethale, sed tantum veniale. Ita N. Gabriel a S. Vincentio disp. 12, quæst. 1, Busembaum lib. 6, tract. 4, cap. 1, dub. 4, Layman, Fagundez, Henriquez, quos adducit, et sequitur Palaus tract. 23, disp. unica, punct. 21, num. 17, Suarez disp. 38, sect. 8, num. 7, Nugnus ubi supra, et alii. Prima resolutionis pars ex praxi communi constat : non enim pœnitentes existimant graviter delinquere, dum satisfactionem injunctam in statu peccati exequuntur, nec de hujusmodi actione in confessione se accusant. Tum etiam et præsertim, quia licet peccatum lethale sit apponere obicem gratiæ, quæ sacramento principaliter correspondet ex opere operato, et ex ipsius sacramenti virtute producitur ; non tamen grave peccatum est opponere obicem gratiæ minus principaliter sacramentum attingenti; hæc enim respectu illius minima est ; sed gratia, quæ in executione satisfactionis confertur, est hujusmodi, quippe quæ cum non sit gratia sanctificans, nec sacramento, nec ejus partibus essentialibus principaliter correspondet, sed tantum parti integrali : ergo non est injuria gravis sacramenti, nec culpa lethalis satisfactionem exequi extra statum gratiæ. Secunda vero pars facile suadetur : nam satisfactio est pars sacramenti, esto minus principalis : ergo illius exhibitio extra statum gratiæ est aliqua indigna sacramenti tractatio, atque ideo aliqua levis culpa. Tum etiam : quia est apponere obicem effectui sacramenti.

41. Oppositum tamen dicendi modum, nullum videlicet committi peccatum etiam veniale, dum satisfactio exhibetur in statu peccati, amplectuntur Lugo disp. 25, sect. 3, Dicastillus dub. 10, num. 160, Aversa quæst. 13, Stephanus, N. Antonius, quibus etiam adhærere videtur N. Franciscus cap. 10, punct. 5, num. 70. Quorum fundamentum est, quod opponere obicem soli remissioni pœnæ temporalis, nullam arguit etiam venialem culpam; sed per satisfactionem nulla alia gratia præter remissionem pœnæ temporalis inducitur : ergo nunc effectum impedire adimplendo pœnitentiam in statu peccati, nulla culpa adhuc venialis est ; præsertim cum hic effectus obtineatur postea recedente fictione. Tum etiam, quia inde sequeretur, pœnitentem delinquere peccato commissionis exhibendo pœnitentiam in statu peccati, et peccato omissionis illam non exhibendo in eodem statu ; quod satis absurdum apparet, nemo enim tenetur ad actionem peccaminosam. Imo pœnitens, qui in peccato lethali existens nondum pœnitentiam implevit, teneretur prius se justificare, ac deinceps pœnitentiam implere ; quod communi usu non videtur receptum.

Respondetur ad primum negando minorem : per satisfactionem quippe sacramentalem non solum remissio pœnæ temporalis indicitur ex opere operato, sed etiam alia gratia infra explicanda, cui sacramentali effectui obicem ponere nequit non esse aliqua culpa saltem levis, cum indigna sacramenti tractatio sit. Nec difficultatis augmentum suadet oppositum : falsum enim est, effectum remissionis, pœnæ temporalis ob peccati obicem impeditum deinceps obtineri fictione recedente, ut sæpius in hoc Cursu firmavimus, saltem ex indentitate rationis per ordinem ad productionem gratiæ ex vi hujus sacramenti recedente fictione, de quo infra iterum redibit sermo. Ad secundum respondetur admittendo sequelam : quamvis enim pœnitens venialiter peccet peccato commissionis adimplendo pœnitentiam in illo statu reduplicative accepto, potest etiam peccare peccato omissionis gravi, aut levi juxta qualitatem satisfactionis injunctæ, illam non exhibendo in illo statu, non reduplicative, sed specificative considerato. Non enim omissive delinquit, quia non adimplet in statu peccati, sed quia non adimplet pœnitentiam, ad quam intra certum ac determinatum tempus adstringitur, quidquid sit quod per accidens ipse se libere constituerit in tali statu, in quo nequit nisi indigne pœnitentiam executioni mandare. Unde ex suppositione quod digne pœnitentiam implere velit, debet prius saltem sub levi obligatione se justificare. Idque aptissimo exemplo patet : si quis namque tempore Paschatis, in quo Ecclesiæ præceptum sumendi Eucharistiam urget, constitutus sit in peccato lethali, proculdubio peccato commissionis delinquit in illo statu communicans, et peccato omissionis non communicans, non

Diruitur.

quia omittit Eucharistiam sumere in illo statu accepto reduplicative, sed materialiter, et specificative, quia videlicet omittit illam sumere ut debitam ex præcepto intra illud tempus, respectu cujus per accidens se habet, quod homo in peccati statu se constituerit. Quocirca tenetur sub gravi se justificare, ut Eucharistiam digne sumere, et Ecclesiæ præceptum adimplere possit. Idem ergo proportione servata in præsenti eventu dicendum est.

§ II.

Quid de tempore adimplendi pœnitentiam ?

Circa tempus, in quo pœnitentia adimplenda est, communiter conveniunt Authores, pœnitentem teneri exequi pœnitentiam tempore a sacerdote destinato ; si vero tempus non præscripsit, teneri illam executioni mandare cum primum commode possit : tum quia id exigit finis pœnitentiæ: tum quia ita interpretanda est intentio sacerdotis. Utrumque vero obligat sub gravi, aut levi commensurate ad quantitatem pœnitentiæ injunctæ, et ad circumstantias, ob quas imponitur. Ceterum quia ly *cum primum commode possit* non metaphysice, sed moraliter accipiendum sit, mirum est quantum Authores dissideant in assignando latitudinem, aut angustiam, quam admittit, ut inde determinent quando mortalis, aut venialis sit executionis pœnitentiæ dilatio: nec enim desunt qui sentiant, pœnitentiæ dilationem per unum annum, culpam adhuc venialem non esse. Unde

Assertio. 42. Dicendum est secundo, pœnitentem, qui supposita gravitate materiæ satisfactionis adimpletionem per annum differt, graviter delinquere. Ita Dicastillo disp. 44, dub. 4, num. 65, Aversa quæst. 13, sect. 6, Tamburinus Opusc. de confession. lib. 4, § 2, cap. 2, Stephanus a S. Paulo num. 179, N. Franciscus cap. 10, punct. 5, num. 64, N. Bonæ Spei disp. ultim. de pœnitent. num. 59, et alii plures. Ratio hujus est, quia satisfactio adhuc ut executioni mandata est pars integralis sacramenti pœnitentiæ; sed inter partes cujuslibet totius debet dari unio, et simultas juxta ipsius naturam, et conditionem : ergo inter satisfactionem ut executam, et reliquas partes sacramenti pœnitentiæ debet intercedere simultas, et unio saltem moralis. Tunc sic ; sed satisfactio, quæ per annum differtur, non censetur moraliter uniri reliquis partibus sacramenti : ergo illam ita differre, peccatum letale erit supposita gravitate materiæ ; idem enim judicium fieri debet de illo, qui ita satisfactionem differt, ac de eo, qui illam omnino omittit, uterque namque sacramentum incompletum relinquit.

Dicast. Aversa, Tambur. Stephanus a S. Paulo, N. Fran. N. Bonæ Spei.

Ratio assertionis.

Confirmatur ex peculiari natura hujus sacramenti, quod non solum ordinatur ad punienda peccata commissa tanquam judicium vindicativum, sed etiam tanquam medicinale ad præcavendum futura crimina media pœnitentia injuncta; sed hujusmodi finis frustraretur per adeo magnam pœnitentiæ dilationem : ergo hæc nimia censeri debet, et sacramentalis judicii graviter læsiva. Præsertim, quia pœnitentiam differre per unum annum, gravis sacerdoti inobedientia reputanda est, de quo prudenter judicari nequit noluisse pœnitentem cogere ad satisfactionis exhibitionem usque ad annum, cum hæc dilatio nec integritati sacramenti, nec spirituali pœnitentis saluti consulat, sed potius officiat.

43. Contraria nihilominus sententia arridet Dianæ part. 7, tract. 15, resolut. 53, ad finem versic. *Hoc unum addam.* Nec non part. 5, tract. 5, resolut. 15, et part. 10, tract. 12, resol. 52, Leandro disp. 9, de sacrament. quæst. 89, Fernandez in instruct. confes. 1 part. document. 4, n. 5, et document. 7, § 2, num. 2, Joanni Henriq. in compendio casuum moral. cap. 42. Qui docent, pœnitentem absque ullo prorsus peccato posse satisfactionis adimpletionem per annum differre, dum sacerdos nullum designat tempus. Imo addit Leander ita sensisse sapientissimos Magistros in Salmanticensi Academia de hac re consultos. Fundamentum vero hujus sententiæ desumitur ex cap. *Omnis utriusque sexus*, ubi dicit, quod unusquisque peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere. Ubi utrumque eodem verborum tenore præcipit Pontifex, peccatorum videlicet confessionem, et pœnitentiæ injunctæ exhibitionem ; atqui ad confessionis executionem unius anni tempus indulget : ergo et idem tempus præscribit ad pœnitentiæ

tentiæ adimpletionem. Urgetur, et explicatur : etenim nullus adstringitur confiteri statim ac peccatum commisit, sed potest per integrum annum confessionem omittere : ergo similiter nemo obligabitur pœnitentiam executioni mandare statim ac illi injungitur, sed per totum annum eam licite differre valebit.

Hoc autem motivum parum urget : nam textus ille annualem præcipiens confessionem solum applicat latitudinem unius anni ad actum confessionis, totum illud tempus indulgens, ita ut ultra differri nequeat, non vero ad executionem pœnitentiæ : hæc enim eo ipso quod confessio sive voluntarie, sive ex præcepto fiat, necessario cum primum possit apponenda est, ne sacramentum mutilum relinquatur, sed cum omnibus suis partibus, tam essentialibus, quam integralibus debito tempore appositis, et moraliter unitis, ut unum judicium perfectum, et completum integrare valeant. Quod minime contingeret, si facta confessione, et prolata sententia, sine rationabili causa per id tempus pœnitentiæ exhibitio detineretur. Ex quibus ad difficultatis augmentum concesso antecedenti negatur consequentia : latum quippe intercedit discrimen inter obligationem confitendi peccatum commissum, et adimplendi pœnitentiam post peccatum confessum. Judicium enim sacramentale non incipit a perpetratione peccati, nec hujusmodi perpetratio est illius pars integralis, quæ exigat aliquam moralem unionem cum reliquis sacramenti partibus. Satisfactio vero adhuc ut executa est pars integralis sacramentalis judicii jam confessione incepti, atque ideo exposcit moralem continuationem, et unionem cum ceteris partibus sacramenti. Unde nil mirum, Pontificem non urgere delinquentem, ut cum primum possit accedat ad confessionem, quia inde nullum detrimentum subit confessionis integritas ; licet alias pœnitens, si peccata Ecclesiæ clavibus jam subjecit, adstringatur ob oppositam rationem pœnitentiam non differre, sed cum primum possit executioni mandare.

Si autem inquiras primo, per quod tempus differri valeat pœnitentiæ executio absque lethali, aut etiam veniali culpa ? Respondetur, moraliter impossibile esse circa id generalem ac firmam regulam statuere, quum rei hujus prudens judicium pendeat ex individualibus circumstantiis pœnitentis, confessarii, finis ab eo intenti, quantitatis, ac qualitatis pœnitentiæ injunctæ temporis, loci, occupationis, aut muneris pœnitentium. Quibus tamen inspectis haud difficile erit a quolibet mediocriter litterato, ac experto id in particulari, dum res occurrit, determinare. Illud autem certum putamus, quod si dilatio non ex rationabili causa, sed ex ignavia, aut alia parum utili occupatione procedat, etiamsi per modicum tempus sit, nequit non esse culpa venialis. Non tamen censemus ut Ochagavia opinatus est, reum culpæ mortalis illum, qui usque ad tertium, vel quartum diem differret pœnitentiam, maxime si ex rationabili causa id faceret. Ita Hurtado de pœnit. disp. 14, diffic. 1, Joannes Sanctius in select. disp. 13, nu. 9, Palaus tract. 23, disp. unic. punct. 21, § 4, n. 12, N. Gabriel de Pœnit. disp. 12, quæst. 4, N. Franciscus c. 10, punct. 5, n. 64. Idem cum eisdem Authoribus judicium facimus de eo, qui occasione solemnitatis, aut Jubilæi imminentis differret, aut anticiparet per sex, aut octo dies confessionem, ad quam singulis mensibus tenetur ex præcepto sacerdotis, ne bis intra octo dies confiteri cogatur. Hurtad. Sanctius. Palaus. N. Gabr. N. Fran.

44. Inquires secundo, an dum sacerdos tempus vel locum adimplendæ pœnitentiæ designat, ita in indivisibili consistat, ut etiam modica dilatio ultra diem præfixum sit, supposita gravitate materiæ, lethaliter peccaminosa ? Respondetur, quod si prædicta designatio fiat ratione alicujus Jubilæi, vel Indulgentiæ, quæ tunc, et ibi, non autem alibi postea lucratur, non sine culpa gravi hujusmodi circumstantiæ omittentur, eo quod rationem substantiæ induant, utpote quæ ad finem injunctæ satisfactioni graviter referunt. Idem sentiendum est, si dies vel locus determinentur ob specialem cultum Sancti, loci, vel festivitatis diei assignatæ. Si vero sacerdos non aliud intendat nisi pœnitentis negligentiam adimplendi satisfactionem amputare, id suam admittet latitudinem majorem, vel minorem juxta prudentis arbitrium, ita ut non statim quælibet harum circumstantiarum transgressio gravis censeatur. Quod etiam asserimus de pœnitentia medicinali, cujus omissio vel dilatio detinere valeat graviter, aut leviter finem intentum futura Quæstiunc. 2. Resolvitur.

peccata præcavendi. Omnium autem ratio est major, vel minor conducentia ad finem satisfactionis injunctæ. Pro specialibus vero eventibus videantur Summistæ, et Morales Theologi, præcipue N. Antonius tract. 5, disp. 21, a num. 1624.

Quæstiunc. 3.

45. Inquires tertio, an elapso culpabiliter, vel inculpabiliter termino designato, cesset obligatio adimplendi pœnitentiam,

Decidi-tur.

ut contingit in eo, qui præceptum Ecclesiæ frangens in Dominica sacrum non audit, qui alia die illum audire non cogitur? Respondetur, standum esse sacerdotis intentioni, quæ venari debet vel ex ejus declaratione, si commode haberi potest, vel ex aliis circumstantiis, dum ad eundum facilis non est recursus. Ex quibus si prudens judicium formari valet sacerdotem diem vel locum assignasse ad finiendam obligationem, hanc cessare præscripto tempore elapso censemus. Si vero prudens efformetur judicium, sacerdotem diem illum præscripsisse, ut pœnitentem acueret ad citius satisfactionem exhibendam, et ne ulterius eam differret, putandum est hujusmodi obligationem ulterius urgere usque dum expleatur. Quid autem dicendum, si de sacerdotis intentione nequit pœnitens certificari, nec de aliquo ex extremis prudens aut probabile formare judicium, et aliunde jejunium, v. g. impositum est proxima die veneris in memoriam Passionis Domini, vel in vigilia B. Virginis ob ejus venerationem? In hoc eventu obligationem finiri, aliaque die pœnitentem je-

Sententia. Henriq. Granad. Leand. Diana,

junare non teneri, docent Henriquez lib. 5 summæ cap. 2, Fagundez præcept. 2, cap. 9, num. 5, Granados, Diana, Leander apud N. Franciscum ubi supra num. 67. Quorum fundamentum est jejunium illis in diebus explendum in peculiarem Christi, ac B. Virginis cultum cedere; hunc autem finem non respicit, nec assequitur, si alia die exhibeatur. Unde cessare inquiunt obligationem, et præcepti materiam, quemadmodum deficeret si ex voto obligatio illa die jejunanti consurgeret.

Rejici-tur.

Hanc tamen sententiam omnino falsam, oppositamque sustinendam censemus, ob satis notam disparitatem intervenientem inter jejenium in pœnitentiam injunctum, et jejunium vel ex præcepto vel ex voto debitum, quo exemplo Doctores illi se contegunt. Etenim vovens jejunium, aut Legislator illud præcipiens illis diebus determinatis non alium finem intendunt quam cultum Christi Domini, vel B. Virginis; unde hujusmodi fine cessante, obligationem ultra non progredi necesse est. Confessarius vero dum illis diebus jejunium præcipit, licet etiam cultum illum intendat, non tamen tanquam finem unicum, et adæquatum, sed ad summum tanquam partialem, et medium ulterius ordinatum ad satisfaciendum pro peccatis præteritis, et præservandum a futuris. Quocirca esto in jejunio obligante ex voto, aut ex Ecclesiæ præcepto deficiat obligatio elapso tempore præfixo, quia finis ultimate intentus redditur inassequibilis, non in jejunio obligante ex sacerdotis præcepto, quia finis præcipuus satisfaciendi, et præcavendi adhuc subsistit, et obtineri valet. Ita Palaus disp. unica, punct. 21, § 4, num. 13, Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. 4, num. 5, Suarez disp. 38, sect. 7, num. 6, Coninchus disp. 10, dub. 9, num. 84, et 85, N. Franciscus ubi supra nu. 67. Addit autem Palaus, quod nobis non displicet, illa die jejunium omittere animo transferendi in sequentem, ob materiæ parvitatem venialem culpam non excedere. Consequenterque dicendum est, pœnitentem, qui ex sacerdotis præcepto duplici sequenti feria sexta jejunare tenetur, et hujus circumstantiæ oblitus illis diebus jejunium omisit, teneri aliis duabus sextis feriis jejunare, eo quod confessarius principaliter intendit satisfactionem, secundaria autem aut minus principaliter diem præscribit, ne pœnitentia differatur. Ita Lugo, Dicastillo, et alii.

46. Non tamen subscribimus Bonacinæ, Palao, Conincho, quibus N. Franciscus adhæret, in exceptione quam doctrinæ traditæ apponunt. Docent enim, quod si pœnitentia injuncta per longum tempus distribuitur, uti accidit dum præcipitur jejunare singulis anni hebdomadibus, non teneri pœnitentem eam deinceps adimplere, si illam diebus statutis omisit; quia, inquiunt, intentio confessarii est, ut simul cum tempore designato obligatio jejunandi pereat; alioquin si obligatio jejunii omissi cum alia, quæ persistit, conjungeretur, nimium pœnitentem gravaret. Hoc enim ita absolute prolatum nobis minime arridet: nam si ex malitia, aut ignavia pœnitens jejunare

jejunare omisit, cur ex suo delicto commodum reportabit? Vel quæ illi gravior sarcina imponitur ultra illam, quam portare debebat, et noluit? Unde hæc exceptio ad saniorem sensum reducenda est, ita ut sacerdotis intentio modo possibili attendatur, quæ proculdubio non est liberandi omnino pœnitentem ab obligatione jejunandi, dum ex malitia aut ignavia jejunia omisit. Itaquè illa sententia intelligi debet ubi compensatio pœnitentiæ omissæ absque intolerabili pœnitentis gravamine fieri nequit; quod raro aut nunquam continget. Etenim si confessarius jejunium semel in hebdomada, vel in mense per integrum annum injunxit, et pœnitens ob malitiam, aut impotentiam, vel oblivionem pluribus diebus omisit, non utique intolerabile erit omissam pœnitentiam supplere, ac aliis diebus æquivalentibus jejunare.

47. Si tandem inquiras, an quando pœnitens operis substantiam adimplet, ac ejus circumstantiam voluntarie omittit, censendus sit reus culpæ mortalis, aut venialis? Sub disjunctione respondetur: nam vel circumstantia est levis, et parum ad finem satisfactionis conducens, vel gravis, multumque ad prædictum finem referens? Si primum, levis culpæ terminum non excedet. Si secundum, reatum lethalis peccati inducet, supposita gravitate materiæ: tunc enim illa circumstantia in substantiam operis transit; unde sicut qui operis substantiam omittit, graviter delinquit, ita qui illam circumstantiam non opponit. Et nisi oppositum constet, censendum est sacerdotem eam pœnitenti injunxisse, quia cognovit illi non minus pœnalitatis afferre, quam substantia alterius. Ita Stephanus a S. Paulo, N. Antonius num. 1626, N. Gabriel disp. 12, quæst. 4, Lugo disp. 25, num. 9. Quocirca si sacerdos alicui septem Psalmos pœnitentiales flexis genibus recitare præciperet, quia circumstantiam genuflectendi ob dissuetudinem pœnitentis illi non minus afflictivam judicat, quam ipsam recitationem, proculdubio omissio illius circumstantiæ gravem culpam constitueret. Oppositum autem contingeret, si pœnitens vir timoratus, genuflectereque assuetus foret, ratione cujus hujusmodi genuflexio facilis redditur. Quod si pœnitens fiat impotens ad circumstantiam, tenebitur ad substantiam, vel e converso.

§ III.

Quid de persona, a qua pœnitentia adimplenda est?

Sæpius tam in hac, quam in præcedenti disputatione diximus cum D. Thoma, satisfactionem ordinari, et ad solutionem reatus pœnæ temporalis contracti ex peccato commisso, et ad præcavendum futurum et secundum hanc ultimam considerationem extra dubium est, neminem posse alterius pœnitentiam medicinalem implere; unde difficultas devolvitur ad satisfactionem ut præcise debiti solutivam. Supposito autem ex dictis dub. 2 præced. disp. quemlibet posse alterius satisfactionem pure pœnalem, extrasacramentalem explere, inquirendum restat an idem de sacramentali dicendum sit, circa quod non parum Authores dissident. Igitur,

Assertio 3.

48. Dicendum est tertio, pœnitentem non posse ex proprio arbitrio satisfactionem sibi a confessario injunctam adimplere per substitutum, sed eam teneri exequi per se ipsum. Hæc assertio est adeo certa, ut oppositam damnaverit SS. D. N. Alexander VIII, cujus decretum inter alias propositiones damnatas continet hanc, quæ est 15: « Pœnitens propria authoritate « substituere sibi alium potest, qui loco « ipsius pœnitentiam adimpleat. » Unde nostram sententiam docent D. Bonaventura in 4, dist. 20, art. 1, quæst. 1 et 2, Durandus quæst. 2, Argent. quæst. 1, art. 2, Ricardus art. 1, quæst. 3, Gabriel dist. 19, quæst. 2, art. 3, dub. ultim. Alensis part. 4, quæst. 24, membr. 4, art. 4. Medina, Cod. de confes. cap. de pœnitent. impleta, Cajetanus in summ. verb. *Satisfactio*, cap. 2, Gonet disp. 13, art. 5, conclus. 3, num. 65, D. Antonius 3 part. tit. 14, cap. 20, § 1, Sotus dist. 19, quæst. 2, art. 4, Ledesma quæst. 14, art. 4, N. Franciscus cap. 10, punct. 4, num. 63, Suarez disp. 38, sect. 9, num. 1, plures referens, eamque omnes post adductam declarationem tueri coguntur.

Propositio damnata.

D. Bonav. D. Ant. Durand. Argent. Ricard. Gabriel, Alensis, Medin. Cajetan. Sotus, Gonet, Ledesm. N. Fran. Suarez.

Probatur igitur assertio. Pœnitens ex præcepto sacerdotis tenetur exhibere satisfactionem, quæ sit pars integralis sacramenti pœnitentiæ; sed satisfactio executa per substitutum ex mero arbitrio pœnitentis, et non sacerdotis non est pars

Ratio assertionis.

integralis sacramenti : ergo nequit ex proprio arbitrio satisfactionem sibi injunctam adimplere per alium. Consequentia est legitima. Major constat ex Tridentino sess. 14, cap. 3, ubi satisfactionem sacramentalem esse sacramenti integralem partem docet. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, suadetur. Nam satisfactio sacramentalis est quid elevatum virtute clavium ad esse sacramentale ; atqui satisfactio executa per substitutum ex mero arbitrio pœnitentis, et non sacerdotis non est quid elevatum ad esse sacramentale virtute clavium : ergo satisfactio ex pœnitentis voluntate, et non sacerdotis exhibita per substitutum non est sacramentalis. Hæc minor ex eo liquet, quod virtus clavium non residet in pœnitente ut tali, nec in substituto, sed solum in confessario ; unde si ab eo utpote a ministro sacramenti ea pœnitentia non elevatur, nequit ex arbitrio pœnitentis vel substituti aliqualiter elevari, ita ut sacramenti pars esse possit.

Confirmatio. Confirmatur : quia obligatio pœnitentis adimplendi pœnitentiam oritur ex præcepto sacerdotis : sed pœnitens nequit huic obligationi satisfacere pœnitentiam exhibendo per substitutum : ergo. Probatur minor : nam sacerdos, nisi aliud expresserit, præcipit ut pœnitens per se ipsum pœnitentiam exequatur, non vero per substitutum : ergo si per hunc exequatur ex mero pœnitentis arbitrio, non fit satis præcepto sacerdotis. Alioquin ille, qui Ecclesiæ præcepto adstringitur sacrum in die festo audire, vel in Quadragesima jejunare præcepto satisfaceret hujusmodi opera exequendo per substitutum proprio arbitrio designatum. Quo nihil absurdius. Quocirca, Suarez. ut optime vidit Suarez loco citato, quotiescumque sacerdos nihil explicat, sed absolute in satisfactionem injungit ut hoc vel illud opus fiat, personalem inducit obligationem omnino per pœnitentem, et nullatenus per alium adimplendam : hæc enim est rationabilis intentio sacerdotis, et aliud prudenter existimari nequit.

Objectio 49. Oppones tamen : eleemosyna per ministrum facta sufficienter fit ejus, cujus nomine impenditur, ut ipse adimpleat præceptum eam elargiendi : ergo pœnitens, cui imponitur pœnitentia dandi eleemosynam, et alium substituit, qui loco ipsius eam exhibeat, satisfaciet huic obligationi. Consequenterque idem de aliis operibus in pœnitentiam injunctis dicendum erit. Respondetur concesso antecedenti negando consequentiam, si ille alius, qui substituit, sit vere, et proprie substitutus, qui ex propriis bonis eleemosynam elargiatur : etenim eleemosynam impendens ex bonis propriis per manum ministri utitur illo tanquam mero instrumento, ipse autem se habet ut causa principalis illius actus. Qui vero per substitutum eam impendit, cum non ex bonis propriis mandatis, sed ex ipsius substituti eleemosynam faciat, ipsum substitutum causam principalem constituit, atque ideo actus ille non est actus proprius ipsius pœnitentis, quod opus erat ut pars sacramenti esse posset, et sacerdotis præcepto satisfaceret. Unde etiam secunda consequentia est neganda, utpote quæ ex prima non deducitur.

50. Dicendum est quarto, pœnitentem ex sacerdotis voluntate posse pœnitentiam ut peccati commissi punitivam adimplere per alium. Assertio hæc est expressa Ang. Præceptoris in art. 2 hujus quæst. 13, supplem. ubi inquirit : « Utrum pœnam « satisfactoriam possit unus pro alio ex- « plere? » Cui respondet affirmative loquens de satisfactione quantum ad debiti solutionem. Nec id solum asserit de satisfactione secundum se, ut sinistre Lugo existimat, sed etiam de sacramentali, ut evidenter constabit legenti Ang. Præceptorem in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 2. qu. 3, ex qua hic articulus transcriptus est : ibi enim hæc habet : « Hinc quinque quæ- « runtur. Primo, » etc. « Secundo de pœna, « quam sacerdos ad satisfaciendum im- « ponit. » Et in corpore articuli inquit ; « Nec oportet, quod major pœna impona- « tur ei, » qui pro altero satisfacit, quam principali imponeretur. Unde omnes Thomistæ hanc sententiam debent amplecti. Eamque tuentur Cajetanus in summ. verb. *Satisfactio*, num. 2, Sotus dist. 19, quæst. 2, art. 4, vers. *Dubium hic autem*. Nugnus ad nuper cit. D. Thomæ art. Gonet disp. 13, art, 5, num. 64, Granados tract. 12, disp. 7, num. 2, Suarez disp. 38, sect. 9, num. 2 et 3, Sylvester verb. *Satisfactio*, qu. 3, N. Thomas a Jesu in tribunal. conscient. dub. 6 et 7, Philippus a Cruce in Thesauro Ecclesiæ, tract 1, §°1, num. 4, Henriquez lib. 5

lib. 5, cap. 21, Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. 4, num. 11, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 4. Quibus adhærent Lublin, Leander, Diana, et alii plures, quos refert, licet non sequatur, Vasquez infra pro opposita sententia citandus.

Probatur ratione : nam ut pœnitens satisfactionem adimpleat, sufficit quod exhibeat opus juxta voluntatem præcipientis; atqui opus exhibitum a pœnitente per substitutum ex arbitrio sacerdotis fit juxta voluntatem præcipientis, ut per se patet : ergo pœnitentia injuncta adimpleri potest per substitutum ex sacerdotis arbitrio. Idque confirmari potest ex eo quod pœnitentia executa per substitutum pœnitentis ex voluntate confessarii est satisfactio sacramentalis ; sed pœnitens adimplet sacerdotis præceptum exhibendo satisfactionem sacramentalem : ergo potest pœnitens ex voluntate sacerdotis pœnitentiam ut peccati commissi punitivam per alium exequi. Major suadetur : quia ut satisfactio sit sacramentalis, nihil aliud exposcit nisi quod sit opus alias moraliter bonum et proprium pœnitentis, et aliunde elevatum virtute clavium ad esse sacramentale per modum partis integrantis : atqui pœnitentia executa per substitutum ex arbitrio confessarii est opus moraliter bonum, ut supponitur, et insuper proprium pœnitentis non physice, sed moraliter ratione unionis charitatis, ut præcedenti disp. dictum est, et tandem elevatum ad esse sacramentale per modum partis integrantis, quandoquidem eo ipso quod ex voluntate sacerdotis fiat, hic virtute clavium illud elevat ad esse partem sacramenti : ergo est satisfactio sacramentalis, ad quam pœnitens cogitur exhibendam.

Nota tamen, quod licet hæc ita sint, et unus alterius pœnitentiam modo dicto adimplere possit, etiamsi ille, pro quo satisfactio fit, sit potens satisfacere : « Non tamen, » inquit Div. Thomas loco citato, « est permittendum, quod aliquis pro alio pœnitentiam agat, nisi defectus aliquis appareat in pœnitente vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendum, vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pœnam. » Unde non recte procedet sacerdos, qui pœnitentiam adhuc punitivam peccati commissi pœnitenti non impedito inungat ut implendam per alium, tum ob rationem dictam, tum quia nec id est in Ecclesia adeo usitatum, nec admodum expediens ad finem satisfactionis saltem ut medicinalis.

51. Oppositam ultimæ assertioni sententiam tuentur Vasquez quæst. 94, artic. 2, dub. 1, num. 11, Ledesma 2 part. quæst. 14, art. 4, Coninchus disp. 10, dub. 8, num. 66, Lugo disput. 25, sect. 5, num. 82. Motivum autem, quo ducuntur, illud est : quia juxta Tridentinum satisfactio sacramentalis est actus pœnitentis ; sed jejunium, v. g. per substitutum exhibitum, esto ex voluntate sacerdotis fiat, actus pœnitentis non est : ergo nequit esse satisfactio sacramentalis, atque ideo nec sufficiens ad explendam pœnitentis obligationem. Nec refert dicere : tale jejunium fieri proprium pœnitentis, quatenus fit ex motione, et petitione ipsius. Nam inde sequeretur, solam illam motionem, aut petitionem pœnitentis esse satisfactionem sacramentalem, non vero jejunium a substituto exhibitum. Sequela ostenditur : etenim in illo jejunio duplicem bonitatem possumus considerare, unam quam habet a voluntate ipsius jejunantis, aliam, quam sortitur ex voluntate pœnitentis, quatenus ad hujus petitionem fit. Igitur juxta primam considerationem, cum solum sit actus proprius jejunantis, nequit esse satisfactio sacramentalis, quæ necessario est actus pœnitentis ; juxta secundam vero erit quidem jejunium illud pœnitentis proprium, sed non aliter ac jejunium equi ex voluntate, et motione pœnitentis executum, quod incapax est ut in pœnitentiam injungatur.

Sententia opposita. Vasquez, Ledesma, Coninch. Lugo.

Fundamentum.

Confirmatur : nam satisfactio sacramentalis debet fieri ex præcepto confessarii ; sed confessarius nequit præcipere substituto, ut pro pœnitente jejunet : ergo unus pro alio sacramentaliter satisfacere non potest adhuc ex arbitrio sacerdotis. Minor suadetur : quoniam sacerdos ut judex in causa vindicativa solum valet punire reum, non vero innocentem, atque ideo soli illi, et non huic præcipere ut pœnitentiam subeat, sed substitutus jejunans non est reus, sed solus pœnitens : ergo sacerdos nequit præcipere substituto pœnitentiam, ac subinde cum sola illa, quæ fit ex sacerdotis præcepto, sit sacramentalis satisfactio, hæc non valebit per alium a pœnitente exhi-

Confirmatio.

beri. Unde solum concluditur posse sacerdotem præcipere pœnitenti ut roget substitutum jejunare loco ipsius, atque ideo quod illa petitio pœnitentis utpote facta ex præcepto confessarii sit satisfactio sacramentalis, non vero jejunium substituti.

Solvitur argumentum.

Sed hoc fundamentum haud difficile enervatur. Respondetur enim, omissis aliorum solutionibus, negando minorem : jejunium quippe a substituto executum, licet physice sit actus proprius ipsius, moraliter tamen, et ratione charitatis, qua fideles uniuntur in Christo, etiam actus proprius pœnitentis ; quod sufficit ut possit esse pars integralis sacramenti a pœnitente suscepti, supposita elevatione illius actus facta a sacerdote virtute clavium, dum substituto illam pœnitentiam injunxit. Quocirca cum amicorum omnia sint communia, et amicus sit alter ergo, potest sacerdos elevare ad rationem satisfactionis sacramentalis non solum actum illum pœnitentis, quo movet, et rogat substitutum ut jejunet, sed etiam ipsum jejunium, quod pœnitenti ex opere operato proderit. Hanc autem moralem communicationem a charitate vel amicitia provenientem non posse inter pœnitentem, et ejus equum reperiri, notum est.

Dilnitur confirmatio.

Ad confirmationem etiam negatur minor, cujus probatio non urget : quamvis enim sacerdos absolute, et per se loquendo soli pœnitenti præcipere possit pœnitentiam subire ; tamen ex suppositione quod alter ex charitate velit se pro pœnitente obligare, ei sacerdos pœnitentiam injungere potest : tunc enim vicem rei gerit, et quoad hoc idem moraliter cum pœnitente reputatur: atque ideo tam actio procurandi jejunium, quam jejunium ipsum, ex sacerdotis præcepto factum, rationem partis sacramentalis sortitur. Aliter autem contingeret, si sacerdos non intendisset injungere in satisfactionem jejunium alterius, sed tantum pœnitentis petitionem, quod proculdubio facere potest : tunc enim sola hæc satisfactoria sacramentaliter esset, et obligationem implendi pœnitentiam expleret ; licet aliunde actus jejunandi non sequeretur ; sequuto vero jejunio, satisfactorium foret pro pœnitente non ex opere operato, sed operantis.

DUBIUM IV.

A quo, et an extra confessionem possit fieri pœnitentis commutatio ?

Tituli difficultas plures suo ordine decidendas involvit. Prius tamen notandum, commutationem ab interpretatione in eo distingui, quod illa sit actus potestatis, non vero hæc, sed prudentiæ, vel doctrinæ. Unde interpretatio a quocumque illius qualitatis fieri potest, imo non semel ab eodem pœnitente, si prudens ac litteratus sit, ut si rationabiliter deprehenderet clavem errasse, injustamque pœnitentiam imposuisse, vel a principio justam, et deinceps pœnitentem factum fuisse impotentem ad illius adimpletionem ob aliquam causam denuo subortam, quæ illum excuset : tunc enim interpretari potest ad illam pœnitentiam non teneri, quippe dum materia præcepta redditur impossibilis, obligationem perire necesse est. Commutatio igitur circa persistentem obligationem versatur, et in præsenti sumitur pro impositione unius pœnitentiæ loco alterius injunctæ, cujus obligatio aufertur ; quo sensu loquutus est Divus Thomas 2, 2, quæst. 84, artic. 10, dum ait : « Si pro hoc quod ser« vandum erat, aliquid aliud imponatur, « dicitur commutatio. » Plures tamen sunt, de quibus dubitari potest an pœnitentiam commutare valeant, uti sunt ipse pœnitens, sacerdos, qui confessionem audivit, vel alter æqualis, aut tandem superior, vel inferior. De quibus omnibus agendum est.

§ I.

Duplex assertio statuitur.

52. Dicendum est primo, pœnitentem non posse pœnitentiam commutare nec in æquale, nec in melius. Ita Lugo disput. 25, num. 95, Candidus disq. 24, artic. 32, dub. 5, N. Gabriel quæst. 5, N. Antonius num. 1629, Stephanus a Sancto Paulo num. 183, N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 76, Luysius, Turrianus, Dicastillus disput. 14, dub. 8, num. 134, cum aliis, Bonacina disput. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. 3, numer. 12, Sanchez, Ochagavia, Coninchus, Henriquez, Reginaldus apud Palaum tractat. 23, disp. unica, punct. 21, § Ultimo, num. 1(

10, estque communis Doctorum. Rationeque suadetur: nam satisfactionis sacramentalis commutatio est actus jurisdictionis in foro sacramentalis judicii; sed pœnitens nequit in se ipsum actionem sacramentalis jurisdictionis exercere, non enim habet munus, aut judicis authoritatem: ergo nequit pœnitentiam sibi injunctam a sacerdote propria authoritate commutare in æquale, nec in melius. Tum etiam: quia præceptum adimplendi pœnitentiam injunctam provenit a voluntate, et jurisdictione sacerdotis independenter a voluntate pœnitentis: ergo hic non satisfacit illi præcepto exhibendo aliam pœnitentiam, in quam commutavit propria authoritate eam, quæ sibi injuncta erat. Consequentia liquet; alias Ecclesiæ præcepto faceret satis qui ad jejunium adstrictus illud omitteret, et aliud opus ex propria authoritate exhiberet, vel qui ad officium divinum obligatus illud in jejunium commutaret; quod nemo concedet.

53. Dicendum est secundo, sacerdotem, qui pœnitentiam injunxit, illam posse commutare intra confessionem, non tamen extra. Hæc conclusio duplicem continet partem. Prima est adeo certa, ut potius a Doctoribus supponatur, quam probetur; et merito: nam si authoritas commutandi pœnitentiam existit, in nullo alio potiori jure inveniri poterit, quam in ipso judice, qui sententiam tulit. Unde tota difficultas reducitur ad secundam, quam etiam ut veram docent communiter Theologi. Conet disp. 13, art. 4, num. 54, Nugnus in præsenti, Sylvester verbo *Confessio* 1, quæst. 27, Rosella eodem verbo 2, num. 11, Suarez disp. 38, sect. 10, n. 48, Vasquez qu. 94, artic. 2, dub. 3, num. 7, Palaus ubi supra num. 9, Coninchus disp. 10, dub. 12, num. 100, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 4, num. 15, Hurtado disp. 14, difficult. 10, Bonacina disp. 5, qu. 4, sect. 3, punct. 4, num. 7, Granados disp. 8, num. 1, et 6, Lugo disp. 25, Layman lib. 5, tract. 4, cap. 15, Diana 2 part. tract. 15, resol. 53, et part. 9, tract. 9, resol. 24, et alii plures.

Fundamentum vero, illudque non infirmum hujus assertionis est, quia sacerdos tenetur injungere satisfactionem, quæ sacramentalis sit; atqui satisfactio illa, in quam extra confessionem commutat, quam intra confessionem imposuit, sacramentalis non est: ergo sacerdos nequit extra confessionem pœnitentiam commutare. Consequentia ex præmissis deducitur. Major ex eo patet, tum quia illa satisfactio debet esse pars sacramenti; tum quia ad hoc injungitur, ut ex opere operato pœnæ temporalis reatum solvat, quod nisi per satisfactionem sacramentalem fieri nequit. Minor autem, quæ difficultatem præsefert, ostenditur: nam satisfactio nequit esse sacramentalis, nisi imponatur a sacerdote ut ministro sacramenti, et utente potestate clavium per quam elevetur ad esse sacramentale; atqui sacerdos extra confessionem non se habet ut minister sacramenti, nec potestate clavium utitur, utpote qui sacramentum non conficit: ergo pœnitentia illa, in quam extra confessionem commutat aliam injunctam in confessione, sacramentalis non est.

Confirmatur primo: quia commutatio pœnitentiæ est actus judicialis: ergo debet fieri a judice ut tali, et suo munere fungente. Atqui nullus confessarius extra confessionem se gerit ut judex: ergo a nullo confessario extra confessionem valet fieri pœnitentiæ commutatio. Primum antecedens constat: quia illius est pœnam pro delictis taxare, cujus est de eisdem delictis judicium ferre; unde sicut est actus judicialis ferre de delictis judicium, ita etiam pœnam pro delictis imponere; sed qui pœnitentiam commutat, pœnam pro delictis injungit: ergo commutatio unius pœnitentiæ in aliam est actus judicialis. Minor autem subsumpta suadetur: nam confessarius non se gerit ut pœnitentis judex, nisi dum gerit vices Christi; sed solum in confessione, non vero extra illam, ita se gerit: ergo extra confessionem non agit ut judex, sed extrajudicialiter, sicut judex fori externi dum extra tribunal operatur. Confirm. 1.

Confirmatur secundo: nam ejusdem facultatis est pœnitentiam commutare, et eam injungere: ergo quando confessarius eam imponere nequit, nec illam commutare valet. Tum sic: sed extra confessionem non potest pœnitentiam injungere: ergo nec illam commutare. Antecedens primum constat: nam ipsam commutare pœnitentiam, est illam imponere; non enim commutatur prima, nisi loco illius injungendo secundam. Minor autem sub- Confirm. 2.

sumpta probatur : quia potestas, qua confessarius pœnitentiam imponit, est potestas clavium, qua constituitur in ratione judicis fori pœnitentialis ad ligandum, et solvendum : sed hac nequit uti extra confessionem, sed solum intra illam : ergo.

Nota. Hæc tamen ita intelligenda sunt, ut confessarius pœnitentiam in confessione injunctam commutare possit etiam post absolutionem exhibitam, si statim id fiat, antequam pœnitens ab ipso discedat ; ut optime cum aliis docet N. Franciscus in præsenti, num. 75. Et ratio est : quia tunc adhuc moraliter existimatur idem perseverare judicium : ea enim, quæ incontinenti fiunt, moraliter adesse videntur, ex leg. *Legem*, Cod. *de peccatis*, et cap. *Præterea, de testibus cogendis*. Absolute tamen melius est illam ante absolutionem commutare, ne pœnitens accepta jam absolutione pœnitentiam respuat ; ut cum Suario, Coninch, Sylvestro, et Navarr. docet Bonacina disp. 5, q. 5, sect. 3, punct. 3, num. 7, et Dicastill. num. 129.

Quæstiuncula incidens. 54. Sed quid dicendum, si jam a confessario discesserit pœnitens, et post modicum tempus pœnitentiæ commutationem exigat; censebitur ne perseverare idem moraliter judicium per ordinem ad talem effectum, ita ut possit confessarius ex vi illius confessionis pœnitentiam commutare? Circa hoc autem non parum dissident Authores, Coninchus enim disp. 10, dub. 12, num. 102, cum Layman lib. 5 summæ asserit, tale judicium esse moraliter idem per unum diem. Sotus in 4, dist. 20, quæst. 2, art. 3, et Vivaldus de satisfactione, num. 31, ad duplicem diem se extendunt. Diana part. 9, tract. 6, resol. 56, cum Aversa de sacram. pœnit. quæst. 13, sect. 8, id usque ad hebdomadam protrahit. Denique Lugo disp. 25, num. 111, quem sequi videntur N. Antonius sect. 4, n. 1632, et Machado tom. 1, lib. 3, cap. 1, docum. 11, num. 1, absolute docet, posse confessarium talem commutationem facere, etiam per longum tempus, si in confuso saltem recordetur peccatorum, vel status pœnitentis. Ceterum his sententiis minime acquiescimus, sed oppositum existimamus cum Dicastillo, et Castro Palao in præsenti, et N. Francisco a Jesu Maria tract. 6, cap. 10, punct. 6, num. 75. Si enim pœnitens a præsentia confessarii jam discessit, sacerdos complete suo functus es munere, jamque judicium illud tam quoad essentialia, quam quoad integralia comple vit, nec ultra moraliter perseverat; alioqu si moraliter etiam per unum diem persisteret, posset confessarius, quando pœnitens postea rediret, cum eo loqui de peccatis in præcedenti confessione auditis sin pœnitentis licentia absque violatione si gilli, ut potest, dum eadem moraliter perseverat confessio ; cujus oppositum statui mus agentes de sigillo. Et quidem Authores illi nullum rationabile afferunt fundamentum, ut ad oppositum convincamur

Quorundam sententiæ. Coninch. Sotus, Vivald.

Resolutio.

55. Constat ex dictis, posse confessarium pœnitentiam a se injunctam in aliam com mutare intra confessionem, non ver extra. Sed inquires, an ad prædictam com mutationem faciendam vel ab eodem con fessario, vel ab alio, qui possit illan efficere, opus sit eadem peccata, ob qua fuit injuncta pœnitentia, repetere sacerdot commutationem facienti? Negative res pondet Marchantius in tribun. sacram tom. 1, tract. 4, tit. 7, quæst. 6, asserens sufficere pœnitenti, declarata pœnitenti prius imposita, allegare rationes, ob qua ea pœnitentia sibi nimis gravis, et afflic tiva existat, et quare illius exigit commu tationem. Ita etiam sentit Diana tom. 9 resol. 57, qui etiam absolute docet, poss confessarios non audita priori confession eorundem peccatorum pœnitentias com mutare, part. 2, tract. 15, resol. 53, qua tuordecim Authores in proprium patroci nium adducens. Idemque asserit Bonacin disp. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. 3, num 8, et cum Granado, et aliis Leander disp 9, q. 100. Quam sententiam reputant i praxi probabilem Busembaum lib. 6, tract 4, cap. 1, dub. 4, de satisfactione, Layma tract. 6, cap. 15, quæst. 4, num. 16, et Lug disp. 25, num. 109. Præsertim si secun dus confessarius ex confessione aliorur peccatorum, ex statu pœnitentis, et illiu narratione aliquam saltem confusam noti tiam accipiat, quod plus minusve eade fere peccata in priori confessione fueri confessus? et ita etiam limitat Fagunde de præcept. Eccles. præcept. 2, lib, 9, cap 4, num. 22. Et quidem hanc sententiar ab extrinseco esse probabilem ob tot Docto rum authoritatem, inficiari non possumus Probabilitas autem intrinseca, seu ratio

qu

qua ad ita sentiendum movetur, est : quia in hac commutatione non agitur de peccato, ob quod pœnitentia fuit injuncta, vel de justitia, qua est imposita ; sed de difficultate, minori opportunitate, vel impossibilitate pœnitentis ad illam implendam, ob quam juste valet commutari.

56. Sed hæc ratio nobis parum nervosa, ac subsistens videtur : quia licet in illa commutatione non agatur directe de peccatis confessis, agitur tamen de illis reflexe, et per connexionem; cum pœna imposita connectatur cum culpa confessa, utpote cum causa, ob quam juste fuit imposita, quam necesse est confessario ut judici simul cum difficultare pœnitentis innotescere, ut pœnitentiam commutare valeat. Quare oppositum probabilius censemus, debereque sacerdotem agnoscere, et judicare intra confessionem eadem peccata, saltem præcipua, ob quæ fuit imposita pœnitentia, ad illius præstandam commutationem, sive commutatio fiat ab eodem confessario, sive ab alio. Ita Suarius, Coninchus, Layman, Sotus in 4, dist. 20, quæst. 2, art. 3, in fine, Sylvester verbo *Confessio* 3; quæst. 27, Vasquez, Reginaldus, Fagundez, Molfesius, quos refert, et sequitur Lugo disp. 25, num. 107, N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 79, Palaus tract. 1 disp. citat. § Ultim. nu. 13. Et ratio est : quia ideo valet confessarius mutare pœnitentiam ab alio injunctam juste, et clave non errante, quatenus potest ut judex eandem causam agnoscere, et judicare ; at si peccata, ob quæ fuit pœnitentia juste imposita, sacerdoti in confessione non manifestentur, nequit illa judicare : ergo nequit peccatis non cognitis commutare pœnitentiam. Maxime cum imprudenter ageret confessarius, si ablata priori pœnitentia aliam subrogaret ignorans peccata, in quorum vindictam, et præcautionem futurorum subroganda est, cum non posset proportionaliter ad illorum gravitatem aliam pœnitentiam injungere. Animadvertendum tamen est, liberum esse pœnitenti, acta legitima pœnitentiæ commutatione, agere quam maluerit adimplendam, prius videlicet injunctam, vel secundam, in quam commutatio facta est : commutatio namque fit in pœnitentis favorem ; pœnitens autem libere potest proprio favori renunciare, ac juri. Ita sentiunt Dicastillus, Suarius, Bonacina, Reginaldus, Lessius, et alii.

§ II.

Aliis assertionibus absolvitur difficultas.

57. Dicendum est tertio, inter confessarios æquales posse unum iterata confessione pœnitentiam ab alio injunctam commutare. Ita sentiunt Gonet disput. 13, artic. 3, num. 52, N. Bonæ Spei num. 70, N. Stephanus num. 182, N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 71, N. Antonius disput. 21, sect. 4, num. 1633, Suarez disput. 38, sect. 10, num. 5, Lugo disput. 25, num. 101, Bonacina disput. 5, sect. 3, punct. 3, num. 1, Dicastillo disput. 4, dub. 8, num. 117, Navarrus cap. 26, num. 22, Diana part. 2, tractact. 15, resol. 53, et part. 3, tractat. 4, resol. 53, et part. 9, tractat. 9, resolut. 54, Martinus Ledesma 2, part. 4, quæst. 20, et alii. Suadeturque ratione : nam secundus confessarius æquali gaudens potestate cum primo omne id valet efficere, quod primus facere potuit ; sed primus potuit pœnitentiam in priori confessione injunctam in posteriori commutare : ergo secundus confessarius ei in potestate æqualis idem facere potest. Major est apud omnes nota, et ex ipsis terminis manifesta. Minorem autem supponimus ex jam dictis. Consequentia vero satis clare ex ipsis deducitur : nam ideo primus talem commutationem efficere valet, quia pœnitens potest peccata judicata ad ejus tribunal judicanda iterum deferre, et stare sententiæ posterioris judicii ; sed etiam valet ea iterum judicanda afferre ad tribunal alterius æquali potestate gaudentis : igitur secundus confessarius, quando est alteri æqualis in potestate, potest pœnitentiam ab eo impositam commutare. Idemque a fortiori dicendum est de confessario superiore, ut ex se liquet, dummodo commutatio intra confessionem fiat. Videatur Suarez loco citato, ubi propositam assertionem ulterius confirmat, et extensionem ad superiorem factam, docet, ac explicat.

Assertio — Gonet. N Bonæ Spei. N. Steph. N. Fran. N Anton. Suar. Lugo. Bonacin. Dicast. Navar. Diana. Martin. Ledesm.

Assertio extenditur ad superiores

58. Major autem est difficultas circa sacerdotem inferiorem, an possit mutare pœnitentiam, quam superior injunxit? Quo in eventu sub disjunctione loquendum est : nam vel pœnitentia fuit a superiore impo-

sita ob peccata non reservata, vel ob sibi reservata. Si primum, certum, et commune est apud Authores posse confessarium alias inferiorem pœnitentiam injunctam a superiore commutare, eadem audiendo, et judicando peccata, quippe Christus Dominus ita hoc instituit sacramentum, ut de peccatis, a quibus reus fuit judicatus, et absolutus, possit iterum judicari, et absolvi; posito autem novo judicio, quilibet confessarius habet potestatem ab eis absolvendi, eaque puniendi, non ob superioritatem in confessarium, sed in pœnitentem; cumque hic cogi non possit duplicem pro eisdem peccatis satisfactionem exequi, nec duplicem pœnam subire, inde est posse pœnitentem secundæ sententiæ stare, omissa priori a superiore imposita. Ita sentiunt Gonet, N. Bonæ Spei, Stephanus, Suarez, Lugo, Sylvester, Fagundez, Filliucius, Vasquez, Bonacina, Dicastillus, Layman, Palaus, et alii. Si vero sermo fiat de commutatione pœnitentiæ injunctæ a superiore ob peccata sibi reservata, circa quod non parum est dissidii inter Authores

Gonet, N. Bonæ Spei Suarez, Lugo, Sylvest. et alii.

Assertio 4.

59. Dicendum est quarto, adhuc in tali casu posse confessarium inferiorem pœnitentiam a superiore injunctam iterata confessione commutare. Ita Palaus disp. unica, punct. 21, § Ultimo, num. 7, Bonacina disp. 5, q. 5, sect. 3, punct. 3, num. 6, Vasquez quæst. 94, artic, 2, dub. 3, num. 9, Dicastillus disput. 14, dub. 8, num. 120, Chrystophorus a S. Joseph dub. 8, num. 5, Sylvester verbo *Confessio* 2, quæst. 27, num. 31, Diana 2, part. tractat. 15, resolut. 53, Leander disput. 9, quæst. 98, N. Gabriel disput. 12, quæst. 5, N. Antonius sect. 4, n. 1634. Quibus adhærent Henriquez, Emmanuel Sa, Zerola, Candidus, et etiam in hanc partem videtur inclinari N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 73. Fundamentum est, quia confessarius inferior potest commutare pœnitentiam a superiore injunctam pro peccatis non reservatis, ut ex proxime dictis patet, idque plures, vel omnes oppositi Authores fatentur : ergo idem efficere poterit dum pœnitentia injuncta fuit pro reservatis. Consequentia suadetur : nam ideo potest illud primum, quia valet a non reservatis iterum sibi confessis absolvere, et pœnam pro eis satisfactoriam juridice in hoc tribunali determinare; sed supposita prior confessione reservatorum, et absolutio præstita a superiore, valet sacerdos inferior illa iterum judicare, et pœnitentem ab eis absolvere : ergo. Minor suadetur nam peccata reservata semel apud legitimum superiorem rite confessa, absoluta neque obtenta, jam non manent reservata juxta commune Doctorum placitum, ali pœnitenti nunquam liceret de eis, sicut de aliis anteactæ vitæ peccatis, sacerdoti inferiori se accusare : ergo potest confessarius inferior de illis sicut de aliis non reservatis absolvere iterata eorum confessione, et consequenter pro eisdem pœnitentiam injungere, illam subrogando loco prioris a superiore impositæ; tum etiam quia alias hoc iteratum judicium non foret pœnitenti favorabile, sed potius onerosum cum duplicem pœnam satisfactoriam cogeretur subire. Tum denique : nam accessorium sequitur naturam sui principalis, quod est satis vulgaris, et trita regula juris atqui absolutio e culpa, quæ est quid principale, jam in prædicto eventu reservata non persistit : ergo nec satisfactionis injuncta quæ quid accessorium est; atque ideo inferior poterit novam satisfactionem imponere, et eam loco prioris subrogare : hujusmodi enim eventu jam omnes confessarii sunt æquales. Quocirca non solum quilibet illorum poterit pœnitentiam alio injunctam commutare in æqualem verum etiam in mitiorem, et minus molestam, si prudenter judicaverit ita bonum animæ pœnitentis expedire.

Palaus, Bonacin. Vasquez. Dicastil. Sylvest. Diana, Leander. N. Gabr. N. Anton. Henriq. Sa, Zer.

Ratio asserionis.

§ III.

Sententiæ prioribus assertionibus oppos referuntur.

60. Adversam primæ conclusioni se tentiam, asserentem posse pœnitentem pria authoritate satisfactionem sibi injun tam in æquale, aut in melius commuta tuentur Portel in addit. ad dub. regul verbo *Penitentiæ Sacrament.* numer. Diana part. 2, resolut. 53, tractat. 15, V lalobos tractat. 9, diffic. 97, num. 1. P qua arguitur primo a paritate commutati nis voti. Etenim qui votum emisit, si a thoritate propria loco rei promissæ alia æqualem, vel meliorem subrogaverit, lib

eva

vadit ab obligatione illius ad quam adsictus erat ex voto, atque ideo illud proria authoritate commutare valet : ergo lem est dicendum de pœnitentiæ commutione. Antecedens supponitur ex comuni Theologorum placito in tractatu de oto, pluresque illius patronos refert N. ndreas a Matre Dei tractat. 17, cap. 3, unct. 14, num. 132, et 133. Consequentia utem ostenditur : nam sicut pœnitens enetur exequi pœnitentiam injunctam ex præcepto ministri, ita vovens adstringitur dimplere rem promissam ex lege naturæ, t præcepto Religionis ; et tamen qui proria authoritate subrogat loco rei promissæ liam æqualis, aut melioris bonitatis, ab bligatione prima ex voto contracta reddiur immunis : ergo etiam qui propria auoritate pœnitentiam sibi injunctam commutat.

Ad hoc argumentum potest responderi rimo negando antecedens : nec enim ejus eritas, quam aliqui Authores supponunt, st adeo recepta, et inconcussa, ut plurius difficultatibus non sit obnoxia ; præertim quia nec id approbare videtur D. homas 2, 2, quæst. 88, art. 10 et 12, et in , dist. 38, quæst. 1, art. 4, quæstiunc. 1, bi superioris authoritatem requirit ad oti commutationem, sicut et dispensatioem, nisi votum unum in alio includatur nquam particulare in universali. Secundo respondetur permisso antecedenti egando consequentiam. Satis enim nota t ratio disparitatis : nam opus ratione oti exhibendum nec est sacramenti pars, ec elevatione clavium indiget, sicut sasfactio a confessario imposita in sacraento. Unde licet vovens possit suæ obliationi satisfacere, si aliud opus æque, el magis gratum Deo exhibeat ; minime men pœnitens, nisi per opus satisfactoum sacramentale, et virtute clavium evatum ad satisfaciendum ; quod non rtitur per propriam pœnitentis, aut alteus determinationem, sed solum per taxaonem ministri sacramenti, ut talis opentis. Quibus addendum est illum, qui otum emisit, sibi ipsi legem imposuisse, obligationem, atque ideo nil mirum od ipse possit votum, et obligationem in id melius commutare. Pœnitens vero on adstringitur obligationi injunctæ a se so, sed ab alio Legislatore, nimirum, a sacerdote. Unde cum inferior non habens jurisdictionem nequeat præceptum superioris commutare, ideo pœnitens non potest propria authoritate subrogare aliquod opus loco pœnitentiæ sibi a sacerdote injunctæ.

61. Dices hujusmodi requisita minime desiderari in opere, quod loco pœnitentiæ injuncta subrogatur ; sufficit enim, ut pœnitens liber evadat ab obligatione adimplendi pœnitentiam injunctam, quod loco istius aliam propria authoritate subroget, quæ æqualem vel majorem bonitatem importet, licet alias non sit sacramentalis. Id quod ad hominem contra plures nostræ sententiæ patronos evincitur : quippe qui nonnulli docent per jubilæi, aut indulgentiarum lucrationem posse pœnitentem ab onere exequendi satisfactionem ut præcise debiti solutivam extrahi ; atqui opus illud, pro indulgentia lucranda exhibetur, sacramentale, aut virtute clavium elevatum sæpe non est : ergo etsi opus a pœnitente propria authoritate subrogatum loco injunctæ satisfactionis non sit sacramentale sufficiet ad sacerdotis præceptum adimplendum. Replica.

Respondetur omissis præmissis negando consequentiam. Aliud quippe est, quod operis executio pro lucrando jubilæo, vel indulgentia sit ablatio pœnæ debitæ, in quam satisfactio tanquam in finem tendit ; aliud vero quod sit commutatio pœnitentiæ injunctæ, vel pœnitentiæ adimpletio per commutationem. Primum non negamus, atque ideo opus a Pontifice designatum ad jubilæum lucrandum semel ac exhibeatur cum conditionibus a Pontifice exactis, tollit debitum pœnæ temporalis, quo ablato cessat obligatio adimplendi pœnitentiam : ablato namque fine satisfactionis, in quem hæc tendit, ob quem fuit injuncta, necesse est obligationem satisfaciendi perire, ut contingit in aliis præceptis, et legibus, quorum finibus totalibus deficientibus, materiæ præceptæ deficiunt. Secundum vero nec docent illi Authores, nec admittere possumus ; commutatio namque pœnitentiæ est actus fungentis munere judicis sacramentalis, sicut illius injunctio ; Pontifex autem dum extra sacramentum aliquod opus designat ad jubilæum lucrandum, non procedit ut judex in foro sacramenti, ac proinde illa operis designatio commutatio Præeditur.

pœnitentiæ non est, nec ejusdem operis exhibitio est impletio præcepti a sacerdote in foro pœnitentiæ injuncti. Ex quibus solum deducitur posse pœnitentem propria authoritate exhibere aliquod opus, quod sacramentale non sit, nec satisfactorium ex opere operato, sed solum ex opere operantis ; non tamen quod possit pœnitentiam sibi injunctam proprie in illud, vel aliud opus commutare, et sacerdotis præceptum adimplere, quod est difficultatis scopus : nam commutatio est substitutio unius obligationis loco alterius ab habente authoritatem ; pœnitens autem cum judex in foro sacramenti non sit, sicut non potest ipsi pœnitentiam sacramentalem imponere, ita nec eandem commutare, quia uterque actus est facultatis. Et cum aliunde pœnitens teneatur ex præcepto sacerdotis exhibere pœnitentiam sacramentalem, et opus propria authoritate electum sacramentale non sit, nequit hujus exhibitione illi præcepto satisfacere. Utrum autem valeat pœnitens operibus satisfactoriis ex opere operantis proprio arbitrio assumptis tollere reatum pœnæ temporalis, in quem solvendum tendit pœnitentia a sacerdote injuncta, atque ideo ablato illo fine præcepti, ab hujus obligatione se extrahere, quemadmodum de indulgentia, aut jubilæo diximus ? Alia difficultas est, ad quam ex dicendis dubio sequenti, num.82,constabit.

Argum. 2. 62. Arguitur secundo : nam per illam satisfactionem impletur pœnitentia injuncta, per quam melius, vel æque bene redditur assequibilis finis a confessario intentus in pœnitentiæ impositione ; sed per satisfactionem æqualem, aut meliorem, a pœnitente propria authoritate loco alterius subrogatam, melius aut æque bene finis confessarii obtinetur : ergo per hujusmodi commutationem propria authoritate factam impletur injuncta pœnitentia. Major videtur certa : nam medium non eligitur propter se,sed propter finem obtinendum.Minor autem suadetur : quia finis a confessario intentus est spiritualis utilitas pœnitentis; sed æqualem, aut majorem utilitatem potest consequi pœnitens per satisfactionem æqualem,vel meliorem propria authoritate loco prioris subrogatam : ergo ex vi hujus æque bene aut melius finem intentum a confessario in pœnitentiæ impositione assequitur.

Confirmatur primo : nam si sacerdo injungenti pro pœnitentia recitare Psa mum *Miserere* pœnitens diceret, se ve loco illius subrogare jejunium unius di proculdubio confessarius consentiret, idq illi concederet ; ergo saltem ex hac pr sumpta voluntate, et tacito sacerdotis co sensu poterit pœnitens pœnitentiam si injunctam commutare.

Confirmatur secundo : nam casu q pœnitens satisfactionis impositæ non rec detur, et non sit ad confessarium recursu potest loco illius aliam satisfactionem cu pis proportionatam præstare ex propr arbitrio ; sed hoc est propria authorita pœnitentiam commutare : ergo. Major a mittitur a Nugno in præsenti, quæst. I art. 4, dub. ult. Minor vero suadetur eo, quod oblivio, aut recordatio pœnite tiæ injunctæ non tribuit operi loco illi subrogato, quod sit satisfactorium, sed s lum intrinseca libertas, honestas, et pœn litas : ergo si opus his vestitum conditi nibus, et in casu oblivionis subrogatum pœnitente, adimpletivum est pœnitenti injunctæ, etiam erit adimpletivum in ca quo pœnitens recordetur, et consequent in quolibet.

Ad argumentum respondetur negan majorem : etenim sacerdotis præceptu non urget ad assecutionem finis, sed medium præscriptum, vel ad opus injun tum ad illius assecutionem. Unde opere pœnitentiam injuncto non posito, licet ali mediis melius valeat finem a sacerdo intentum obtinere, illius præcepto no satisfacit ; alioqui solum adimpleret pra ceptum, qui finem assequeretur, et e co verso præcepto non satisfaceret, qui fine non obtineret, esto alias pœnitentiam si injunctam executioni mandaret. Quocir qui in peccato mortali existens Missam si injunctam audiret, aut jejunium sibi pra ceptum exhiberet,non impleret præceptu sacerdotis, cum finis solvendi reatum pœn debitæ non assequatur, eo quod illa ope extra statum gratiæ exercita satisfactor non sunt. Oppositum autem hujus cons quentis est communis Doctorum sententi Id ipsumque ulterius manifesta instant demonstratur in præcepto Ecclesiastici j junii, quo intendit Ecclesia carnem mac rare, vitia comprimere, mentemque Deum elevare, juxta illud quadragesima

Præfa

æfatii : *Deus, qui corporali jejunio vitia mprimis*, etc. Et nihilominus esto æque ne illum finem quis assequatur si aspero duatur cilicio, quotidieque usque ad uentationem flagella sustineat, minime i præcepto satisfaciet, si hæc faciens je- nium præceptum omittit. Et quidem si erum foret unicuique opus aut medium æceptum ad assecutionem alicujus finis linquere, aliud eligendo, quo æque bene, t melius prædictus finis obtineretur, non gustus pateret aditus ad cujuscumque is, aut præcepti vulnerationem : unus- isque enim pro suo libito rem sibi præ- ptam in aliam, quæ sibi magis arrideret, mmutaret, et onus sibi impositum dimit- ret. Ad probationem autem majoris di- ndum est, quod licet opus præcipiatur opter finem, non præcipitur assecutio is, sed executio operis, atque ideo hoc hibito præceptum adimpletur, esto alias is non assequatur ; non vero e contra.

Ad primam confirmationem respondetur, de minime deduci posse pœnitentem thoritate propria pœnitentiam sibi in- nctam commutare, de quo est præsens æstio : sed solum quod id valeat efficere thoritate confessarii, vel de ejus volun- e tacita, aut præsumpta. Nota tamen, du- iciter posse pœnitentem præsumere illam nfessoris voluntatem ; vel attendendo ad m, quam formaliter, aut virtualiter ha- it, dum munere confessoris fungebatur ysice, aut moraliter agens intra sacra- entum ; vel ad illam, quam finito jam illo dicio habere præsumitur. In posteriori entu non pœnitentis, nec ipsius confes- rii authoritate fieri potest talis commu- io extra sacramentum, cum jam functus suo officio. In priori vero distinguen- m est : nam vel pœnitens præsumit ionabili fundamento illam voluntatem itisse actu saltem virtualiter in confes- io tempore legitimo ; vel solum præ- nit, quod talem voluntatem haberet, ut confessario proponeretur, assentiret? hoc ultimum, non sufficit : quia nequit ri commutatio ex voluntate tantum præ- pta confessarii, quam haberet, sed m actu habuit tempore confessionis. Si mum ; nihil evincit, cum commutatio non fiat propria authoritate pœniten- i sed ex virtuali voluntate confessarii.

Ad secundam confirmationem, præter- missa majori, negatur minor : nam modus satisfaciendi in majori descriptus in casu pœnitentiæ oblitæ, non est illius commutatio, ita ut opus loco illius subrogatum valeat esse pars integralis sacramenti, aut ex opere operato, et virtute clavium reatum pœnæ exsolvat, sed solum ex opere operantis, et juxta valorem, quo gauderet ex propria honestate independenter a sacramento. Quod vero in illo eventu sacramentum non integrum integritate materiali relinquatur, minime pœnitenti imputabitur, si inculpabiliter pœnitentiæ injunctæ fuit oblitus, et ad confessarium jam non sit aditus.

63. Sententiam secundæ nostræ assertioni oppositam tuentur Diana 2 part. tractat. 15, et Miscel. 1, resolut. 53, Toledo in summa, lib. 3, cap. 11, num. 5, Navarrus in Manuali, cap. 26, num. 22, Henriquez in summa, lib. de pœnit. cap. 22, num. 15, Raphael de Cœsare in consil. animæ, dialog. 8, cap. 26, Portel in addit. ad dub. regul. verbo *Pœnit. sacram.* num. 8, Emmanuel Sa, verbo *Satisfactio*, num. 5, Rodriguez in summa, tom. 1, cap. 56, conclus. 7, num. 8, Villalobos part. 1, tract. 9, dubit. 79, num. 5, Joannes a Cruce in Directorio conscientiæ, 2. part. de pœnit. quæst. 4, dub. 4, concl. 2. Quibus adhærent Antonius Fernandez, Vivaldus, Sylvius, Chapeavilla, Valentia, et alii. Qui omnes in eo conveniunt, quod pœnitentiæ commutatio fieri valet ab eodem, vel ab alio confessario extra confessionem, licet in assignandis requisitis ad hujusmodi commutationem discriminentur. Aliqui enim exigunt narrationem extra sacramentalem peccatorum, maxime eorum quæ statum ostendunt pœnitentis ; ita Valentia, Chapeavilla, et Navarrus. Rodriguez vero nec id desiderari docet, sed solum notitiam causæ ad commutandam pœnitentiam requisitæ. Quidquid tamen de his.

Sententia secundæ conclusioni opposita. Diana, Toledo, Navar. Henriq. Raphael, Portel, Sa, Rodrig. Villalob. Joan. a Cruce, Fernan. Vivald. Sylvius, Chapeavilla. Valentia.

Arguitur primo : quia sacramentale judicium est quoddam suave jugum in favorem pœnitentium a Christo Domino ordinatum ; sed tale non esset, si ad pœnitentiæ commutationem iterata confessio requireretur : ergo hæc necessaria non est ad pœnitentiæ commutationem. Minor suadetur : nam semel ad confitendum accedere ita aliquibus onerosum est, ut Concilio Tridentino attestante, intolerabile, et car-

I Objectio

nificina conscientiæ eis (quamvis immerito) visum fuerit ; unde ut hujusmodi gravamen tolerabilius reddatur, nullus ad iterandam eorundem peccatorum confessionem adstringitur, nisi de prioris nullitate sibi sit conscius : durissimum igitur erit pro pœnitentia commutanda iteratam confessionem exposcere.

Confirm. 1. Confirmatur primo: nam potestas, qua gaudent sacerdotes ad commutationem pœnitentiæ faciendam, illis conceditur in remedium difficultatis, quam in pœnitentiæ executione pœnitentes interdum experiuntur; atqui si ad illam commutationem iterata eorundem peccatorum confessio requireretur, in remedium talis difficultatis non esset : ergo. Minor probatur : nam id, quod est acerbius, et difficilius, non est remedium difficultatis, pro qua auferenda exhibetur ; sed non semel pœnitentibus durius, et difficilius est, iterum peccata præcipue ignominiosa sacerdoti prodere, quam primam pœnitentiam esto difficilem executioni mandare; ergo illa sacerdotis potestas in remedium prædictæ difficultatis non esset, si iterata confessio exposceretur.

Confirm. 2. Confirmatur secundo : quia ad id desideraretur iterata confessio, ut sacerdos rectum judicium de quantitate, et qualitate pœnitentiæ loco prioris subrogandæ efformaret; sed ad hujusmodi judicium in eodem confessore, qui primam pœnitentiam injunxit, sufficit peccatorum notitia in prima confessione præhabita : in alio vero satis erit aliqua extrasacramentalis peccatorum narratio : ergo non est necessaria ad commutationem pœnitentiæ nova sacramentalis confessio; imo solum esse necessarium, pœnitentem detegere confessario extra confessionem sibi injunctam, pro qua commutationem expostulat, asserit Martinus a S. Joseph in mem. confes. tom. 1, lib. 1, tract. 27, de pœnitent. num. 20.

Confir. 3. Confirmatur tertio : etenim in pœnitentiæ commutatione non agitur de peccato, ob quod fuit injuncta pœnitentia, nec de justitia, qua fuit imposita ; sed de difficultate, minori opportunitate, aut pœnitentis impossibilitate ad eam adimplendam, ratione cujus juste potest commutari; sed ad hoc peccatorum notitia necessaria non est, ut ex se patet ; ergo extra confessionem pœnitentiæ commutatio fieri valet. Major suadetur: nam in pœnitentiæ commutatione solum agendum est de his, q per se debent attendi, ut prædicta comm tatio recte fiat ; sed ut hæc recte fiat, sol per se debent attendi proportio pœniten subrogandæ loco prioris, et causa comm tandi, ut in aliis commutationibus cern licet : ergo hic non de peccato agitur, de difficultate, impossibilitate, vel min opportunitate pœnitentis ad pœniten executionem.

64. Ad argumentum respondetur negan minorem, ad cujus probationem fatem quidem quamplures non modicam, ingentem experiri difficultatem in pec torum manifestatione ; atque ideo stud dum fore sacerdotibus, ut pœnitentiæ cramentum, ex se aliqualiter onerosu quoad usque fas sit, suavius ac tolerabil reddatur. Non tamen favoris est pœnit tibus deferendum, ut sacramentum nino deficiat, vel ejus integritas corru id quod in præsenti eveniret ; nam pœnitentia extra sacramentum commu sacramentalis non sit, sacramentum parte integrali relinqueretur. Aliu etiam componi nequit cum natura h sacramenti ad instar judicii instituti, q judex per notitiam extrajudicialem pr rat, aut immutet sententiam a se ve alio judice juridice prolatam.

Ad primam confirmationem simil concessa majori, negatur minor ; c probatio non urget : licet enim aliqua difficilius appareat ex se iterare confes nem, quam primam pœnitentiam ac plere; ex suppositione tamen quod pœni renuens hoc secundum eligat primum gnum est, quod practice hic, et nunc diffic existimat primam pœnitentiam adimp et casu quo velit uti commutationis re dio, tenetur illam acerbitatem, et diffic tem iterandi confessionem subire, sine hujusmodi circumstantia commu illa, utpote a non judice facta, nulla si modum quo pœnitens, qui remedium lutionis a turpissimis peccatis quærit gitur difficultatem, et acerbitatem, qua prima confessione sentit, deglutire; absolutionis remedium non obtinebit

Ad secundam confirmationem dicer est, quod illa iterata confessio, quam r sariam fore arbitramur, non eo pr tendit, ut secundus confessarius not primæ pœnitentiæ acquirat, et rectu

d

dicium de quantitate, et qualitate alterius subrogandæ efformet; sed ut actus commutationis judicialis, et sacramentalis existat; quod nequit sortiri nisi intra sacramentum, et a sacerdote ut ministro ac judice procedens. Unde neganda est major, quæ ab adversariis non probatur.

Ad tertiam neganda est major : nam in licita pœnitentiæ commutatione, imo, et valida, de utroque agitur, et de peccato, quod iterum ad tribunal sacramentale judicandum adducitur, et de causis, quibus pœnitentiæ primæ commutatio justa, et rationabilis redditur. Ad probationem autem majoris respondetur duplex distinguendo commutationis genus; aliud a dominio rei commutandæ ortum ducens; aliud vero a potestate jurisdictionis procedens. In primo genere commutationis supponitur rei commutandæ dominium, et ad quantitatem, et causam attenditur, ut rationabiliter commutatio fiat. In secundo autem genere, cum fieri nequeat commutatio nisi ab habente jurisdictionem, et per actum judicialem, minime potest talis commutatio subsistere sine cognitione juridica causæ iterum judicandæ, et delicti per novam pœnitentiam puniendi, quæ omnia extra confessionem fieri non valent, nec intra confessionem, si solum de peccatis præsentibus pœnitens notitiam præbuerit, non vero de præteritis, ob quæ fuit imposita prima pœnitentia; cum ad commutationem novum requiratur eorundem peccatorum judicium, et iterata ejusdem causæ cognitio.

§ VI.

Sententiæ reliquis assertionibus adversæ proponuntur.

65. Adversus tertiam conclusionem sentiunt Sotus in 4, dist. 20, quæstione 2, artic. 3, cujus sententia videtur probabilior Nugno in præsenti, quæst. 13, supplem. art. 2, dub. ultim. pro qua refert Victoriam in summa, num. 323. Quibus adhærent Ledesma tom. 1, de sacrament. pœnitent. cap. 23, concl. 8, Vasquez q. 94, art. 2, dub. 3, num. 8, Sanctius in selectis, disp. 14, num. 19, Vega in speculo curat. tom. 1, cap. 11, num. 412, Ludovicus de S. Juan quæst. 7, art. 2, dub. 2, asserentes pœnitentiam a confessario impositam posse a superiore commutari, non vero ab æquali, et multo minus ab inferiore. Quæ sententia probatur primo : quia par in parem non habet imperium : ergo sacerdos nequit pœnitentiam injunctam ab alio sibi æquali commutare. Antecedens constat ex textu in cap. *Placuit*, de pœnit. dist. 6, ubi cavetur, ne ullus sacerdos commissum alteri pœnitentem ad pœnitentiam suscipiat, nisi de illius consensu, vel pro ignorantia illius prioris. Nam licet ibi de pœnitentia publica sermo habeatur; eadem tamen ratio, inquit Sotus, de privata, et occulta censetur. Quod principium est adeo apud jurisperitos firmatum, ut in aliis judiciis fori externi judex sententiam ab alio æquali datam nullo modo immutare præsumat. Consequentia autem liquet tum ex antecedenti, tum ex paritate judicis fori exterioris. 1 Objectio

Confirmatur primo : nam in prima confessione, ut supponimus, fuit illi confessario commissa causa pœnitentis, et pœnitens ab eo remissionem culpæ fuit adeptus : ergo tenetur illi obedire in adimpletione pœnitentiæ ab eo injunctæ, ita ut aliam exequendo, ejus præcepto non satisfaciat. Consequentia liquet : nam qui sentit commodum, debet sentire incommodum : neque enim illud beneficium recipere valet liberum ab hujusmodi pensione. Confirm. 1.

Confirmatur secundo : etenim vel primus confessarius in pœnitentiæ impositione juste, et prudenter se gessit, et secundum æquitatem sententiam tulit, vel non ? Si secundum, non indiget pœnitens commutatione, sed ad summum declaratione erroris, ut a pœnitentiæ adimpletione sit immunis. Si primum, nequit secundus confessarius æqualis potestatis citra injuriam primo irrogatam ejus sententiam immutare. Ergo. Confirm. 2.

66. Respondetur ad argumentum, omisso antecedenti negando consequentiam : non enim desideratur imperium paris in parem, ut illa commutatio fieri possit, sed solum quod sacramentale judicium pro majori pœnitentis levamine sit iterabile. Unde secundus confessarius pœnitentiam commutans, nullam in primum exercet jurisdictionem, sed solum in pœnitentem, cui liberum est se coram illo judicandum, et puniendum iterum præsentare, minime Diluitur objectio.

obstante præcedenti judicio. Et cum aliunde pro unica culpa non debeat duplicem subire pœnam, fit per impositionem secundæ immunis a prima. Rei autem fori exterioris his favoribus non gaudent, cum in eorum causis semel judicatis non sit recursus ad iterandum judicium coram alio judice æquali, sed tantum coram superiore. Ex quibus patet disparitas consequentis. Id autem, quod ex c. *Placuit* additur, minime urget; cum ibi solum fiat sermo de pœnitentia publica, in cujus impositione tam primus confessarius, quam secundus non se habeant tanquam absoluti judices in foro interno pœnitentiam injungentes independenter a pœnitentis consensu, sed e converso dependenter ab hujus libera taxatione pœnitentiam injungant. Unde ly *Nisi de illius consensu* in textu appositum non ad priorem sacerdotem, sed ad pœnitentem refertur. Oppositum autem contingit, dum pœnitentia in confessione injuncta est secreta, ac privata : tunc enim, cum secundus sacerdos sit absolutus judex in foro pœnitentiæ, eo ipso quod pœnitens eadem peccata iterum sibi ut judici manifestet, potest ob jurisdictionem, et superioritatem in pœnitentem antiquam immutare satisfactionem.

Solvitur Confirm. 1. Ad primam confirmationem dicimus, quod licet pœnitens teneatur primo confessario obedire in pœnitentiæ executione, quando ad secundum judicium non accedit; tamen iterato judicio coram alio sacerdote, non adstringitur parere primo, sed potest stare sententiæ secundi commutantis pœnitentiam injunctam. Neque ex illo principio : *Qui sentit commodum*, etc., aliquid evincitur : nam etiam si pœnitentia commutetur, verificatur quod qui sentit commodum prioris absolutionis, sentit incommodum illius, pœnam nimirum in prima confessione injunctam : hæc enim non omnino tollitur in secunda, sed commutatur in aliam, atque ideo peccata semper puniuntur. Quod autem id fiat a primo vel a secundo sacerdote, omnino de materiali se habet respective ad justitiam punitivam, et solutionem reatus : quippe cum pœnitentia non debeat absolutioni correspondere, sed culpæ, non sequitur quod si duplex est absolutio, duplex etiam pœnitentia injungenda sit, sed unica, et simplex, quæ simplici culpæ reatui æquetur.

Ad secundam confirmationem respond
tur, secundum sacerdotem pœnitentia
commutantem nullam priori irrogare in
juriam, etiamsi prior prudenter se gess
rit, et juxta regulas æquitatis in pœniter
tiæ injunctione. Nam eo ipso quod tribu
nal sacramentale iterabile sit, et uterqu
sacerdos legitimus judex, prior nullum ju
habet, ut sententia ab eo prolata non im
mutetur. Pœnitens quippe valet se iteru
tradere judicandum cuicumque voluerit,
æqualem habeat jurisdictionem; quocir
posterior sacerdos non prioris sententia
revocat, sed propriam super eandem ca
sam profert. Cum igitur pœnitenti liberu
sit, quam maluerit exequendam eliger
nulla irrogatur injuria priori sacerdot
Nec in hujusmodi commutatione, vel s
cunda injunctione pœnitentiæ aliqua inte
venit appellatio a priori sententia ad su
perius tribunal, cum omnes hujus sacra
menti ministri quoad rem sint æquales
nec primus sacerdos ex anticipatione ju
dicii aliquam acquisivit jurisdictionem
secundo invincibilem; sed pœnitens pote
uti jure suo, ac sæpius judicari, si velit.

67. Arguitur secundo : nam in even
commutationis duo judicia pœnitential
fori, duoque sacramenta perficienda, et in
tegranda occurrunt. Inquirimus ergo, cuj
sacramenti, et judicii est integralis pe
fectio illa pœnitentia, quæ per commuta
tionem subrogatur? Prioris, aut posteri
ris, vel utriusque? Non prioris : quia i
prima confessione non fuit imposita. No
utriusque : quia integritas cujuslibet ex
git in solidum adæquate omnem illa
satisfactionem, unde utrumque nequit int
grare. Si autem solius posterioris s
integralis perfectio : ergo primum sacr
mentum absque debita integritate relinqu
tur. Non igitur hujusmodi commutat
fieri potest.

Confirmatur : etenim in prima confes
sione servanda est forma, et natura jud
cii; sed hæc minime servaretur, si secun
dus sacerdos prioris sententiam muta
posset, ita ut pœnitens illi stare non tene
retur : ergo prædicta commutatio fie
nequit ab alio æquali sacerdote. Min
suadetur : nam de natura judicii est indu
cere obligationem subeundi pœnam a
culpæ mensuram, et quod nullus nisi ju
dex superior possit sententiam a legitim
judi

dice prolatam mutare, aut ejus obliga-
ɔnem tollere : executio namque senten-
æ pertinet ad perfectionem cujuslibet
dicii : ergo.

Ad argumentum respondetur, plus
ıam par est evincere : probat enim illi-
ɛam esse omnem pœnitentiæ commuta-
ɔnem etiamsi a superiore fiat, imo, et ab
dem sacerdote, qui in prima confessione
enitentiam injunxit : nam cum facta
mmutatione prima pœnitentia non obli-
t, et aliunde pœnitentia subrogata solum
secunda confessione injungatur tan-
ıam illius pars, nequit non primum sa-
ɑmentum manere incompletum, ac trun-
m. Quidquid ergo illi Authores huic ins-
ntiæ dixerint, difficultati nobis objectæ
ɔplicare poterunt. Et quidem argumen-
m non adeo insuperabilem difficultatem
lducit, ut plurimis viis infringi nequeat.
ɔsset enim quis non improbabiliter res-
ɔndere, primum sacramentum manere
rmaliter integrum, secundum autem tam
rmaliter, quam materialiter ; id quod
ɪfficit, et nihil amplius exposcitur. Satis-
ctio formalis consistit in sacramentali
ınitione delicti, et solutione reatus ab eo
ıducti, per quamcumque pœnæ toleratio-
ɛm fiat. Materialis vero in eo sita est,
ıod prædicta punitio, vel reatus solutio
ɛterminate fiat per pœnitentiam illam,
ıam sacerdos in confessione injunxit, et
on per aliam. Igitur cum delictum in pri-
ıa confessione judicatum puniatur per
ɛnitentiam in secunda confessione loco
rioris designatam, fit quod primum sacra-
ɛntum relinquatur formaliter integrum,
ɛet non materialiter : ad hoc enim opus
ɑt, ut exhiberetur illa determinata pœ-
itentia, quæ in prima confessione in-
ɪcta fuit. Deinde secundum sacramentum
ıanet etiam formaliter, et materialiter
ntegrum ; tum quia pœnitentia in eo in-
ıncta mandatur executioni ; tum quia de-
ctum in eodem sacramento judicatum
unitur, reatusque culpæ solvitur. Quocirca
ademmet pœnitentia, quæ per commuta-
ɔnem loco prioris subrogatur, est satis-
ıctio formalis utriusque sacramenti, eo
ıod delictum in utroque judicio punitum
st idem. Quod explicari posset exemplo
onfessionis, in qua Theologi duplicem dis-
nguunt integritatem, materialem videli-
et, et formalem. Sicut enim stare potest
peccatorum confessio formaliter integra,
et non materialiter, ut contingit dum nul-
lum peccatum, quod prodere debemus,
omittimus, ea autem, quæ manifestari non
debent, silentio premimus ; ita propor-
tione servata stare potest sacramentum in-
tegrum integritate formali satisfactionis,
quæ semper salvatur, sive solutio reatus
pœnæ, vel delicti confessi punitio fiat per
primam pœnitentiam, sive per æquivalen-
tem loco illius ex vi commutationis subro-
gatam ; licet alias sacramentum integrum
integritate materiali satisfactionis non sit :
hanc enim materialem integritatem defi-
cere, nullum est inconveniens, dummodo
formalis persistat, ut ex adducto confes-
sionis exemplo constat, quæ non semel est
integra formaliter tantum. Ceterum quia
non ita exploratum est, an eadem pœni-
tentia possit esse pars formalis duplicis
sacramenti ; ideo :

68. Secundo, et melius respondetur, quod 2
in eventu commutationis, pœnitentia loco Solutio.
prioris subrogata pertinet per modum par-
tis integralis ad secundum sacramentum,
in quo injungitur, non vero ad primum.
Ex quo solum infertur, primum sacra-
mentum manere non integrum negative,
id est, sine integritate sibi non debita, non
secus ac lapis dicitur irrationalis negative,
eo quod rationalitas a lapide non exposci-
tur. Ratio autem cur in eventu commuta-
tionis priori sacramento illa integritas non
debeatur, est quia pœnitens bis puniri pro
eodem peccato non debet ; per commuta-
tionem autem pœnitentiæ in secundo judi-
cio factam peccatum ad mensuram puni-
tur. Quocirca licet ante commutationem pri-
ma pœnitentia deberetur sacramento ; facta
tamen commutatione, jam illi indebita
redditur, cum sacramentum illam non
exposcat : sufficit enim peccatum puniri,
pœnæque reatum extingui per secundam
loco prioris subrogatam. Unde quemadmo-
dum si sacerdos certo per revelationem
sciret tempore absolutionis, pœnitentem
pro peccatis tunc sibi confessis plene satis-
fecisse, posset in sententia satis probabili
nullam pœnitentiam injungere saltem ut
solutivam pœnæ, quippe cum debitum sit
extinctum, sacramentum non exposcit
satisfactionem ; ita in præsenti, cum per
commutationem pœnitentiæ, et peccatum
puniatur, et debitum extinguatur, deficit,

et obligatio prioris satisfactionis, et illius exigentia, quæ in primo sacramento aderat ante commutationem.

Solvitur confirmatio. Ad confirmationem negatur minor, cujus probatio non urget : nam de natura judicii solum est, quod reus de crimine convictus pœnam luat juxta sententiam legitimi judicis illius fori, ubi judicium exercetur. Quocirca si judicium iterabile non est, reum ad primi judicis sententiam adstringet, ut in foro exteriori contingit, in quo sententia semel a judice competenti prolata, non adest recursus ad alium judicem æqualem, sed solum ad superiorem. Si vero judicium iterabile sit etiam coram alio judice æquali in potestate, ac jurisdictione, uti sacramentale est, reo optionem, ac libertatem relinquit eligendi sententiam primam, aut secundam, quam maluerit adimplendam. Quod sufficit, ut utrumque judicium integritate sibi debita perficiatur ; secundum quidem, in quo commutatio fit, quia sententia in eo lata mandatur executioni ; primum vero, quia de formali solum exposcit, ut pœnitens juxta legitimam sententiam reatum solvat, ac debitum extinguat, executionem autem primæ sententiæ solum exigit, dum debitum per subrogationem æquivalentis extingui nequit. Unde prioris sacramenti minister quasi sub hac conditione pœnitentiam injungit, si hujusmodi causa iterum non judicetur, aliaque sententia non proferatur.

Sententia quartæ assertioni opposita. 69. Adversus quartam conclusionem, in qua sacerdotem inferiorem posse commutare pœnitentiam pro reservatis a superiore injunctam statuimus, pugnant præter omnes Authores, quos pro sententia præcedenti retulimus, Suarez disp. 38, sect. 10, num. 4, Coninchus disp. 10, dub. 12, num. 100, Valentia disp. 7, quæst. 14, punct. 4, Gonet disp. 13, art. 4, num. 56, Fagundez præcept. 2, lib. 9, cap. 4, num. 18, N. Bonæ Spei num. 37, Granados disp. 8, num. 4, Rodriguez in summa 1, part. cap. 56, num. 8. Quibus adhærent Aversa, Reginaldus, et alii. Quorum primum fundamentum est, quod sacerdos inferior non habet potestatem absolvendi a reservatis : ergo nec commutandi pœnitentiam pro eisdem a superiore injunctam. Antecedens liquet, et consequentia suadetur : nam commutatio fieri nequit nisi per injunctionem unius pœnitentiæ loco alterius ; atq sacerdos nequit injungere pœnitentia nisi solum pro illis peccatis, a quibus val absolvere : ergo si inferior a reservatis nc valet absolvere, nec etiam pœnitentia pro illis injunctam commutare. Tu etiam, quia potestas injungendi pœnite tiam vel ortum ducit ex potestate abso vendi, vel ab ea non distinguitur : pote tas quippe ligandi, et absolvendi una indivisibilis est : ergo nequit potestas l gandi, vel injungendi pœnitentiam ad an plius se extendere, quam facultas abso vendi ; atque ideo si sacerdos inferi caret potestate absolvendi a reservatis, f cultate injungendi pœnitentiam pro eisde non gaudebit.

Suarez, Coninch. Valentia, Gonet, Fagund. N. Bonæ. Spei, Granad. Rodrig.

Argum. 1.

Confirmatur primo : quia inferior n quit mutare sententiam latam a superio ut superior est ; sed pœnitentia pro rese vatis injuncta est sententia lata a superio ut tali : ergo nequit inferior sacerd illam commutare. Major ex terminis pat in eo quippe superioritas, et inferiorit splendet, quod inferior in superioris talis sententiam vim non habeat. Min autem suadetur : nam eatenus superi sententiam illius pœnitentiæ profert, qu tenus potest de illis reservatis judicar sed de illis judicat ut superior, et quater ei ut tali sunt reservata, et ceteris inte dicta : ergo pœnitentia pro reservatis i juncta est sententia, quæ profertur a su riore ut superiore.

Confirmatur secundo ex cap. *Accede* dist. 50, et ex cap. *Tempora* 16, quæst. 9 et cap. *Latorem* 33, quæst. 2, ubi Ponti ad immutandam pœnitentiam, quam i imposuit, specialem concedit Episcopo cultatem sub quibusdam limitationibus, conditionibus : ergo plane deducitur, minime licere jure ordinario alteri sac doti inferiori, nisi tantum prout a su riore intelligitur concessum.

70. Ad argumentum respondetur gando consequentiam, ad cujus probat nem dicendum est, solum evincere sac dotem inferiorem pœnitentiam injung non posse pro reservatis, dum talia su secus vero dum reservationi non su ciuntur. Peccata autem reservata se coram superiori confessa jam reserva nem amittunt, et subjicibilia judicio cu cumque sacerdotis inferioris relinquun

non aliter, ac alia, quæ nunquam reservationi subjecta fuerunt. Unde sacerdos, qui alias erat inferior respective ad primam illorum absolutionem, ac pœnitentiam, fit æqualis superiori per ordinem ad secundam. Quocirca si in virtute hujus facultatis pœnitentem ab eisdem peccatis in secundo judicio absolverit, illique pœnitentiam injunxerit, cum hic duplicem pro eadem culpa subire pœnam non adstringatur, evanescet obligatio adimplendi primam a superiore injunctam. Nec obest, potestatem ligandi, et absolvendi esse eandem, ac indivisibilem, illamque ad amplius quam istam non se extendere: eadem quippe potestate, qua sacerdos inferior absolvit in secundo judicio a peccatis non reservatis, injungit pœnitentiam, in quam commutat injunctam a superiore. Nec id fit per actum jurisdictionis in superiorem (ut adversarii existimant), sed in pœnitentem, quem in confessione iterata judicat tanquam reum sibi subjectum.

Ad primam confirmationem respondetur, sacerdotem inferiorem non posse sententiam a superiore ut tali latam mutare directe, et per jurisdictionem in superiorem ; posse tamen indirecte, et per jurisdictionem in pœnitentem ; si hujus causa coram inferiore iteretur. Etenim cum peccata jam superiori confessa reservata non persistant, valent ad inferioris tribunal iterum judicanda adduci ; hic autem legitima potestate utens, ac propriam proferendo sententiam injungit satisfactionem, qua posita cessat obligatio adimplendi injunctam a superiore, non quia inferior superioris præceptum abrogat, sed quia conditionem apponit, qua illud præceptum non obligat ; atque ideo per actionem directam in pœnitentem tollit indirecte sententiam superioris : pœnitens quippe ad duplicem sententiam non tenetur.

Ad secundam confirmationem dicendum est, Pontificem in præallegatis textibus minime sermonem intexere de judicio sacramentali, aut de pœnitentia ab eodem Pontifice injuncta in foro sacramenti, sed tantum de imposita pœnitentia in foro exteriori, a quo ad interius, et sacramentale nulla paritas currit, ut recte observat Palaus punct. 21, § ultim. num. 7. Nec verbum aliquod in prædictis authoritatibus invenitur oppositum evincens.

71. Arguitur secundo : nam si sacerdos inferior valeret commutare pœnitentiam injunctam a superiore pro reservatis, finis reservationis penitus frustraretur ; hoc admittendum non est : ergo nec id, ex quo sequitur. Suadetur major : quia ideo peccata reservantur, ut pœnitentes timore ingentis pœnitentiæ a superioribus taxandæ perculsi, a criminibus resipiscant ; atqui si sacerdos inferior illam pœnitentiam commutare potest, pœnitentes illo timore peccata non deserent, quandoquidem statim ac absolutionem a superiore accipiunt, possunt accedere ad inferiorem, ut pœnitentiam commutet, vel minuat : ergo juxta hunc opinandi modum finis reservationis periit. Idque urgetur exemplo, quod (ut Suarius inquit) totam sententiam confirmat : nam licet simplex sacerdos possit absolvere a peccatis lethalibus jam confessis, sicut etiam a venialibus : non tamen pœnitentiam pro eisdem a legitimo sacerdote injunctam commutare, ut inconcussum est apud omnes : ergo etiam si sacerdos inferior valeat absolvere a reservatis jam coram superiore confessis, non tamen pœnitentiam ab illo injunctam commutare. Eo vel maxime, quia injunctio pœnitentiæ quid accessorium est ad absolutionem ; atque ideo, cum sacerdos inferior potestatem non habuerit respectu primæ absolutionis reservatorum, nequit etiam illam habere respectu primæ pœnitentiæ : utraque namque reservationi subjacet. Argum. 2. Confirmat.

Ad argumentum respondetur negando majorem, ad cujus probationem dicendum est, illum non esse adæquatum finem reservationis, sed ob alios eosque principaliores reservationem fuisse introductam. Tum, ut peccatores a criminibus gravioribus arceantur, scientes ea esse superioribus reservata, absolutionemque non adeo faciliter assecuturos. Tum etiam, ut accedentes ad superiores altiori doctrina, prudentia, ac authoritate pollentes, acriores reprehensiones, consiliaque salubriora recipiant. Quæ omnia in prima confessione assequuntur, quamvis deinceps ab onere pœnitentiæ per commutationem ab inferiori sacerdote factam, aliqualiter liberentur. Nec Tridentinum sect. 14, cap. 7, et Can. 11, ubi de casuum reservatione agit, motivi in objectione propositi peculiarem fecit mentionem, ut ea percurrenti constabit. Argument. diruitur.

Rejicitur confirmat. Ad confirmationem respondetur negando antecedens; nam si simplex sacerdos potest a lethalibus jam rite confessis absolvere, etiam illi concedendum est posse pro eisdem pœnitentiam injungere, atque ideo primo impositam commutare, si præditus sit sufficienti scientia, ac prudentia, qua valeat de causis discernere ac de qualitate injungendæ pœnitentiæ judicium facere. Et quamvis Suarii tempore oppositum esset commune placitum, jam tamen sacerdotem simplicem posse pro mortalibus rite confessis injungere, aut commutare pœnitentiam docent plures ; et non contemnendi Authores Dicastillo in præsenti, tract. 8, disp. 14, dub. 8, num. 125, Diana part. 3, resolut. 53, tract. 4, Joannes Sanctius in select. disp. 14, num. 13. Id ipsum omnes nostræ sententiæ patroni asserere tenentur, si consequenter loquantur. Ad augmentum difficultatis jam constat ex dictis, sacerdotem inferiorem non habere potestatem in primam pœnitentiam, sicut nec in primam absolutionem a reservatis ; habere tamen potestatem ad injunctionem secundæ, qua obligatio primæ indirecte deficit.

Animadversio. Nota tamen, quod licet ex decreto Sacræ Congregationis a SS. D. N. Innocentio XI approbato die XII Februarii, anno Domini 1679, omnibus indicatur Ordinariis ; « Ne « confessiones de venialibus » (idemque omnino est de mortalibus rite confessis) « fieri permittant apud simplices sacerdo- « tes ; » non tamen ex vi hujus decreti prædictæ confessiones annullantur, sed tantum earum usus prohibetur. Ceterum quia hujusmodi præceptum obligat sub mortali, ut ex dicendis sequenti disp. constabit, si pœnitens rei conscius ad simplicem confessorem accederet pro venialium absolutione, proculdubio graviter delinqueret, et sacrilegam, ac nullam faceret confessionem. Quocirca cum simplex sacerdos pœnitentem ita indispositum nec licite, nec valide posset absolvere, etiam pœnitentiam pro mortalibus jam rite confessis injunctam commutare non posset.

DUBIUM V.

Quænam causæ pœnitentem excusent a pœnitentiæ juste impositæ adimpletione ?

Consulto additur in titulo ly *juste impositæ :* pœnitentia quippe superexcedens peccatorum gravitatem, non obligat quoad id, in quo debitam proportionem superat, ut communiter docent Authores. Similiter receptum est, pœnitentem non teneri ad pœnitentiam in confessione invalida injunctam. Tum, quia solum tenetur ad sententiam latam a sacerdote ut judice, ac potestate ministri utente; in actibus autem nullitate affectis sacerdos non procedit ut judex. Tum etiam, quia ex opposito fieret, pœnitentem obligari ad duplicem pro eisdem peccatis sustinendam punitionem, cum teneatur eadem peccata iterum confiteri, novamque pœnam subire. Quocirca devolvitur difficultas ad pœnitentiam justam, ac in confessione valida assignatam. Plures autem sunt causæ, de quibus dubitari potest, an sufficiant, ut pœnitens ab illo onere immunis evadat, quæ singillatim examinandæ sunt.

§ I.

Duplex assertio quæstioni ex parte respondens.

72. Dicendum est primo, per supervenientem impotentiam physicam, aut moralem pœnitentem excusari ab injuncta satisfactione. Ita communiter Doctores, quos supervacaneum esset referre. Suadeturque assertio ex illo satis vulgari proloquio, ad impossibile nemo tenetur : ergo dum quis est impotens absolute, et physice ratione infirmitatis, vel alterius hujusmodi impedimenti ad opus a sacerdote injunctum, deobligatur ad illius exhibitionem, dum impotentia durat. Cessante vero infirmitate, aut alia simili excusatione, cum jam impotentia absit, obligatio redit, nisi in eventu, in quo sacerdos præscripserit tempus ad finiendam obligationem : tunc quippe designato tempore elapso, obligatio non reviviscit. Idemque omnino dicendum est de morali impotentia superveniente, uti cum opus injunctum executioni mandari nequit nisi cum difficultate admodum ingentiori

ingentiori, quam illa, quæ a sacerdote prævideri potuit; qualis foret elargitio eleemosynæ in magna quantitate injuncta in pœnitentiam diviti, qui postea in extremam, aut gravem necessitatem deveniret. In hoc enim, et similibus eventibus, quemadmodum votum, aut lex humana positiva non obligat, ita nec sacerdotis præceptum, quippe cujus prudens intentio non se debet extendere ad casum, quem si præviderit, non nisi irrationabiliter similem pœnitentiam imponeret.

Hæc autem moralis impotentia pœnitentem deobligans etiam adest, dum opus injungitur a sacerdote ut quid licitum, et re vera est illicitum; vel quamvis dum imponitur, sit licitum, deinceps ratione prohibitionis supervenientis illicitum sit. Idque extendendum censemus ad opus non solum prohibitum sub reatu culpæ, sed etiam sub reatu solius pœnæ taxatæ per legem, ut sunt plura, quæ in sacris Religionibus inveniuntur. Cujus ratio est: tum quia id solum moraliter possumus, quod de jure possumus. Tum, quia rationabilis sacerdotis voluntas nequit se extendere ad inducendam obligationem, ex qua violatio legum, aut constitutionum sequatur. Tenebitur tamen pœnitens tempore injunctionis pœnitentiæ sacerdotem rei conscium facere, ut opus aliud injungat. Si vero ob inadvertentiam omiserit, posteaque ad sacerdotem recursus non adsit, immunis erit ab executione injuncti operis quoad id, in quo legis transgressivum est.

73. Verum cum etiam ad impotentiam moralem pœnitentiæ oblivio reducatur; quæres an qui culpabiliter, vel inculpabiliter pœnitentiæ obliviscitur, absolute censeatur moraliter impotens ad ejus exhibitionem? Cui dubiolo sub distinctione respondendum est; et quidem si pœnitens judicat, sacerdotem pœnitentiæ esse memorem, illumque adire potest, ad eum accedere tenetur, ac inquirere quam sibi pœnitentiam imposuerit. Tum, quia unusquisque tenetur amovere id, quod præcepti executionem impedit; sed pœnitentiæ oblivio impedit executionem præcepti sacerdotis; ergo pœnitens tenetur, si commode valet, illum adire, ut injunctam pœnitentiam ostendat. Tum etiam: nam dum superioris præceptum legitime promulgatum est, tenetur subditus, si potest, de præcepto aut lege inquirere; quam si omittat inquisitionem, ejus ignorantia crassa aut affectata censetur, quæque legi, aut præcepto subditum inculpabilem minime reddit. Unde ita sentiunt Cajetanus in summa, verbo *Confessio*, Sotus dist. 20, quæst. 2, art. 3, Medina de Pœnit. tract. 2, quæst. 44, Bonacina disp. 5. qu. 5, sect. 3, punct. 3, num. 10, Palaus disp. unica, punct. 21, § ultim. num. 18, Coninchus disp. 10, dub. 9, num. 86, Diana part. 4, tract. 4, resol. 141, Stephanus a S. Paulo num. 176, N. Antonius disp. 21, num. 1625, N. Franciscus cap. 10, punct. 7, num. 38. Cajet. Sotus, Medin. Bonacin. Palaus, Coninc. Diana, Stephan. N. Anton. N. Francis.

74. Si vero pœnitens censet sacerdotem injunctæ pœnitentiæ immemorem, vel ad eundem recursus non adsit; teneri pœnitentem præcipua saltem peccata, ob quæ pœnitentia fuit injuncta, alicui sacerdoti in confessione prodere, pœnitentiæque commutationem exposcere, ut prioris sacramenti integritati consulatur, docent Bonac. ubi supra, num. 9, Ricardus in 4, dist. 15, art. 2, quæst. 8, ad 4, Paludanus dist. 17, q. 5, art. 3, D. Antonius 3, part. tit. 14, c. 19, § 19, Sylvester verbo *Confessio* I, quæst. 3 et 25, Angelus eodem verbo, num. 13. Oppositam tamen sententiam probabiliorem, ac præferendam existimamus. Tum, quia nemo ex præcepto divino, aut humano tenetur iterum confiteri illa peccata, a quibus semel licite, et valide absolutus est; sed prima confessio, in qua oblita pœnitentia est injuncta, valida fuit: non enim valor sacramenti a pœnitentia deinceps exhibenda pendebat: ergo qui oblitus est pœnitentiæ, non adstringitur alteri confessioni eorundem peccatorum. Tum etiam, quia pœnitens non tenetur ad integrandum sacramentum nisi per satisfactionem in eodem sacramento a sacerdote designatam; sed hæc jam est omnino impossibilis, cum a memoria tam pœnitentis quam sacerdotis exciderit: ergo. Major constat: nam alias sequeretur, illum, qui in articulo mortis a magnis criminibus absolvitur sine aliqua injuncta satisfactione, quia illam percipere non potest, teneri deinceps, si mortis periculum evaserit, alium sacerdotem adire, ac eadem crimina iterum prodere, ut pœnitentiam injungat, qua primum sacramentum integrum reddat; quod nemo docuit. Sequeretur

Sententia 1.

D. Anton. Palud. Bonacin. Sylvest. Angelus.

Secunda probabilior.

deinde, illum, cui indirecte irritatur a domino, vel marito pœnitentia injuncta. teneri confessionem alteri vel eidem sacerdoti repetere, ut aliam injungat pœnitentiam, quam possit mandare executioni ad integrandum primum sacramentum ; quod similiter durum vel absurdum est.

Tum denique : quia integratio primi sacramenti, in quo injuncta fuit pœnitentia oblita, jam est impossibilis : ergo ex hoc capite non tenetur pœnitens eadem peccata iterum confiteri, ut sacerdos illam pœnitentiam injungat. Probatur antecedens : nam pœnitentia, quæ injungitur in secundo sacramento est hujus pars integralis ; sed eadem pœnitentia nequit esse pars integralis duplicis sacramenti, sicut nec eadem manus potest esse pars integralis duorum hominum : ergo per novam pœnitentiam injunctam in secunda confessione, cum sit hujus pars, nequit integrari primum sacramentum ; ac subinde cum prima pœnitentia oblita fuerit, integritas primi sacramenti omnino irreparabilis est. Per quod patet ad motivum adversariorum. Unde hanc sententiam tuentur Soto in 4, dist. 20, qu. 2, art. 2, in solut. ad 3, Major dist. 17, qu. 3, dub. ultim, Petrus Soto lect. 2, de satisfact. Vasq. quæst. 94, art. 2, dub. 4, Suarez, Layman, Coninchus, quos citat et sequitur Palaus ubi supra, num. 19, Diana resol. 241, Lugo disp. 55, n. 87, N. Franciscus cap. 10, punct, 6, n. 83, N. Antonius ubi supra, Leander disp. 9, quæst. 93, Victoriam, Vivaldum, Candidum ; pluresque alios referens. Ex quibus liquet, illum, qui pœnitentiæ obliviscitur, solum teneri ad confitendum peccatum negligentiæ, ob quam pœnitentia injuncta oblivioni data est. Consultum tamen esse docent hujus sententiæ patroni, ut ille, qui pœnitentiæ obliviscitur, in proxima confessione petat illam pœnitentiam sibi a sacerdote designari, quæ pro gravibus injungi solet, ut debitum contractum extinguat.

Uterq. Sotus, Major. Suarez. Vasquez, Laym. Coninch. Palaus, Diana, Lugo, N. Anton. Leand. Victor. Vivald. Candid.

Alia quæstiuncula. Decisio.

75. Si ulterius inquiras, an impotens ad totam teneatur ad partem pœnitentiæ, quam exhibere potest. Respondetur, quod si pœnitentia est indivisibilis, uti est jejunium, de cujus essentia est unica comestio, non tenetur ad partem, aut quasi partem, qui ad totum est impotens. Quocirca qui a mane usque ad meridiem jejunare potest, non tamen a meridie, et deinceps, non te netur a primo mane abstinentiam observa re. Si vero divisibilis sit, ut sunt plur jejunia, qui non potest ad totum tenetu ad partem ; unde cui injungitur in pœni tentiam jejunare per hebdomadam, cunctis diebus jejunium observare nequi tenetur jejunare illa die, in qua potest. It communiter Theologi, quos adducu Sanchez lib. 1, c. 19, in Decal. n. 7, Sanctius in select. disp. 15.

76. Dicendum est secundo, pœnitente excusari a pœnitentiæ adimpletione pe irritationem indirectam ac impropriam non vero per propriam ac directam. Ex plicatur assertio. Irritatio, quæ consistit annullatione obligationis facta ab haben potestatem dominativam, est duplex, cum generali Doctorum consensu rec docet N. Andreas tract. 17, cap. 3, punc 3. Prima dicitur propria, et directa, quod fiat ab habente dominium in perso nam alterius, et in illius operationes, qu ab ejus consensu omnino dependent. Se cunda dicitur indirecta, et impropria, qui fit ab habente dominium in aliquam rem cum qua incompatibilis est exhibitio oper vel in pœnitentiam injuncti, vel in vot promissi. Quæ in eo differunt, quod pe priorem irritationem omnino extinguitu obligatio, et ulterius non reviviscit ; pe posteriorem vero non prorsus extinguitur sed quasi ad tempus suspenditur, et poste voluntate irritantis deficiente pullulat viresque assumit. Et in hoc sensu in tellecta,

Suadetur assertio quoad primam par tem. Nam pœnitens non tenetur ad illam pœnitentiam, cujus exhibitio est illicita sed exhibitio pœnitentiæ indirecte, ac im proprie irritatæ illicita est: ergo pœniten excusatur ab adimpletione pœnitentiæ pe irritationem impropriam. Consequenti liquet ; major etiam constat ex dictis nun 72, nemo enim tenetur ad actionem pra vam. Minor vero probatur ; actio, qu cedit in præjudicium alterius, est illicita sed exhibitio pœnitentiæ irritatæ ind recte, et improprie cedit in præjudiciu irritantis : ergo illicita est. Minor oste ditur : nam si alicui Religioso, filio fam lias, servo, aut mulieri uxoratæ peregr nationes, frequentes Ecclesiarum visitati nes, aut repetita jejunia in pœnitentia injungant

injungantur, proculdubio horum exhibitio, Prælato, Domino, Marito, aut Patrefamilias renuentibus, illis præjudicium induceret, quatenus tales pœnitentes ineptos redderet ad plura exercitia spectantia ad regularem observantiam, domus gubernationem, vel Domini utilitatem, ad quæ omnia jus habent ratione potestatis dominativæ. Quocirca eo ipso quod possit indirecte irritare pœnitentiam, pœnitens illius executioni non adstringitur. Ita Leander disputat. 9, quæst. 84, Aversa quæst. 13, sect. 6, N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 82, Palaus disp. unica, punct. 21, § ultimo, num. 17, Sanctius in select. disp. 15, n. 8, et sequent.

Quoad secundam vero partem suadetur: quoniam pœnitens nequit deobligari ab exhibitione pœnitentiæ per irritationem impossibilem; sed irritatio pœnitentiæ directa, et propria impossibilis est: ergo. Minor, in qua est difficultas, ostenditur: directa irritatio pœnitentiæ solum potest fieri ab habente potestatem supra pœnitentem circa rem, quæ injungitur in pœnitentiam, et prout sacramenti integritatem spectantem; sed nemo habet hujusmodi potestatem præter Christum Dominum, et sacerdotem ejus vices in sacramento gerentem: ergo prædicta irritatio impossibilis est respectu alterius cujuscumque: atque ideo nec etiam a Summo Pontifice extra sacramentum potest pœnitentiæ obligatio directe, et omnino extingui.

77. Idemque dicendum censemus de dispensatione proprie tali. Cujus ratio est: quoniam nullus inferior dispensare potest in superioris lege; sed pœnitentiæ executio debetur ex lege superioris, nimirum, Christi Domini statuentis, pœnitentem teneri executioni mandare legitimam sententiam latam a sacerdote in tribunali sacramenti: ergo obligatio exhibendi injunctam pœnitentiam evacuari nequit per dispensationem rigorosam, aut proprie talem.

Nec refert si dicas, quemlibet in præcepto a se imposito dispensare posse: sed sacerdos imposuit pœnitenti præceptum exhibendi injunctam pœnitentiam: ergo idem sacerdos poterit adhibere hujusmodi dispensationem, eaque mediante pœnitens extrahi ab obligatione exequendi pœnitentiam. Non enim refert: duplex quippe in præsenti adest præceptum, vel saltem unicum cum duplici virtualitate, aut quadam modificatione. Primo namque respicit, ac præcipit sacramenti integritatem absolute, quo pacto ortum ducit a solo Christi Domino sacramentorum institutore; atque ita acceptum a nullo inferiore dispensari valet. Secundo respicit, ac designat materiam determinatam, per quam sacramentum integrandum est; quæ designatio est quasi quædam modificatio præcepti Christi Domini, et secundum hanc considerationem provenit a sacerdote vice Dei injungenti in pœnitentiam hanc vel illam materiam determinatam. Poterit igitur sacerdos hoc aut illud opus satisfactorium determinare, unumque interdum commutare pro alio, dum in sacramento Christi munere fungitur; nimine vero dispensare in pœnitentia, ita ut eam omnino tollat, et sacramentum non integrum relinquat.

§ II.

Aliæ assertiones pro perfecta dubii resolutione.

Sæpius diximus, satisfactionem duplicem sortiri effectum, vel ad duplicem finem ordinari, et ad solutionem reatus contracti, quo pacto punitiva dicitur, et ad effrænandas passiones, qua ratione præservat a futuris criminibus, et nuncupatur medicinalis; ac item sub utroque conceptu a sacerdotibus injungendam fore pœnitentibus juxta Tridentinum sess. 14, cap. 8. Hinc autem non parum dissidii oritur inter Authores, an per indulgentias plenarias, vel partiales pœnitens liberari valeat ab onere adimplendi pœnitentiam tam ut punitivam, quam ut medicinalem, vel saltem secundum aliquam rationem; servata tamen proportione ad lucratam indulgentiam, ita ut si fuerit plenaria, omnino liberetur, partialiter vero si sit partialis? Et quidem non desunt qui utrumque affirment, sicut nec alii qui utrumque negent. Alii vero media via incedunt, asserentes per indulgentias posse pœnitentem extrahi ab adimpletione pœnitentiæ ut punitivæ, non autem ut medicinalis. Quod sentiamus, ex sequentibus patebit.

78. Dicendum est tertio per jubilæi, aut indulgentiarum lucrationem pœnitentem Assertio. 3.

D. Tho. Cajet. Sotus. Nugnus, N. Francis. N. Anton. Sanchez. Suarez. Bonacin. Diana. Mendo. Dicast. Reginal.

excusari posse a pœnitentia executioni mandanda ut præcise punitiva, et solutiva reatus. Ita Cajetanus de indulg. quæst. 4, in solut. ad 4, Sotus in 4, dist. 19, quæst. 2, art. 4, Nugnus in præsenti, q. 13, art. 2, N. Franciscus cap. 10, punct. 6, num. 84, N. Antonius disp. 21, sect. 4, num. 1631, Sanchez in summ. lib. 1, cap. 14, num. 8, Suarez disp. 38, sect. 10,num. 10, Bonacina disp. 5, quæst. 5, sect. 8, punct. 4, num. 7, et 9, Diana part. 3, tract. 4, resol. 106,Mendo in Bullam Cruciat. disp. 6, num. 6, cap. 6, num, 69, Reginaldus lib. 7, n. 121, Dicastillo disp. 14, dub. 8, num. 110, et alii plures. Estque expressa Ang. Præceptoris in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 3. quæstiunc. 1, et in supplem. qu. 25, art. 1, in corpore, ubi ait : « Respondeo « dicendum, quod ab omnibus conceditur, « indulgentias aliquid valere. Sed quidam « dicunt, quod non valent ad absolvendum « a reatu pœnæ, quam quis in purgatorio « secundum judicium Dei meretur. Sed « hæc opinio non videtur vera.» Paucisque interpositis, subdit : « Et ideo aliter di- « cendum est, quod valent, et quantum ad « forum Ecclesiæ, et quantum ad judicium « Dei ad remissionem pœnæ residuæ post « contritionem, et absolutionem, et con- « fessionem, sive sit injuncta, sive non. »

Ex quibus suadetur assertio sequenti discursu : obligatio adimplendi pœnitentiam ut punitivam oritur ex reatu contracto per culpam confessioni subjectam : ergo dum nullius pœnæ reatus persistit, nulla adest obligatio pœnitentiam adimplendi ; atqui lucrata indulgentia plenaria, nullius pœnæ reatus existit, partialique lucrata solum adest partialis reatus : ergo pœnitens deobligatur a pœnitentia exhibenda vel in totum, vel in partem respective ad indulgentiam lucratam. Minor subsumpta, quæ difficultatem præsefert, ostenditur : nam soluto reatu vel in totum, vel in partem, jam non permanet talis reatus ; sed per lucratam indulgentiam solvitur pœnæ reatus, quia, ut inquit D. Thomas : « Valent indulgentiæ ad remis- « sionem pœnæ residuæ post contritionem, « et absolutionem, sive sit injuncta, sive « non. » Ergo post lucrationem indulgentiæ reatus non durat, atque ideo nec obligatio adimplendi pœnitentiam.

Confirm. 1.

Confirmatur primo : nam cessante fine præcepti, cessat obligatio rei præcepta sed pœnitentia ut punitiva unice ordinat ad solutionem reatus contracti per culpa ergo ablato hujusmodi reatu per indulge tiam, deficit obligatio mandandi executio pœnitentiam. Tum etiam : quoniam le aut præceptum fundatum in præsumptio non obligat præsumptione falsificata ; a qui præceptum sacerdotis injungentis pœn tentiam punitivam nititur in præsumptio pœnæ debitæ non solutæ, quæ præsumpt indulgentia lucrata dehiscit : ergo indu gentia lucrata vim obligandi non obtine Patet consequentia : sacerdotis quippe pra ceptum nequit adstringere ad unius debi duplicem solutionem, vel ad solvendu quod alias jam est extinctum ; unde si p indulgentiam reatus pœnæ debitæ solvitu pœnitens non tenetur ulterius ad pœn tentiam.

Confirmatur secundo ex D. Thoma præsenti, quæst. 13, art. 2, ubi inquirens « Utrum pœnam satisfactoriam possit un « pro alio explere ? » Respondet : « Pos « quantum ad solutionem debiti, dummod « sit in charitate, ut opera ejus satisfactor « esse possint. » Sed per indulgentiæ l cratıonem applicantur pro pœnitente s tisfactiones Christi Domini, et alioru Sanctorum : ergo pœnitens fit immunis a obligatione adimplendi pœnam satisfact riam ut punitivam. Minor liquet : nam Ecclesiæ Thesauro recondita sunt ope Christi Domini, et Sanctorum, quæ fidel bus applicantur a Summo Pontifice tan quam a legitimo dispensatore in nomi Christi, non secus ac si ipsemet eade distribueret. Quæ omnia mirifice com plexus est D. Thomas in supplem. quæs 25, art. 1, in corpore, ubi hæc habet « Ratio autem quare valere possunt » (i dulgentiæ videlicet) « est unitas corpor « mystici, in qua multi in operibus pœn « tentiæ supererogaverunt ad mensura « debitorum suorum, et multas etiam tr « bulationes injustas sustinuerunt patie « ter, per quas multitudo pœnarum poter « expiari, si eis deberetur, quarum mer « torum tanta est copia, quod omnem po « nam debitam nunc viventibus excedun « et præcipue propter meritum Christi « dictum est autem supra, quod unus p « alio satisfacere potest. Sancti autem, i « quibus superabundantia operum satisfa

tion

« tionis invenitur, non determinate pro isto, « qui remissione indiget, hujusmodi opera « fecerunt, alias absque omni indulgentia « consequerentur remissionem ; sed com- « muniter pro tota Ecclesia, sicut Apostolus « ait se implere ea, quæ desunt, Passionum « Christi in corpore suo pro Ecclesia ; et « sic prædicta merita sunt communia toti « Ecclesiæ. Ea autem, quæ sunt alicujus « multitudinis communia, distribuuntur « singulis de multitudine secundum arbi- « trium ejus, qui multitudini præst. Unde « sicut aliquis consequeretur remissionem « pœnæ, si alius pro eo satisfecisset, ita si « ei satisfactio alterius sibi per eum, qui « potest, distribuatur. » Unde quemadmo- dum pœnitens extraheretur ab onere exe- quendi pœnitentiam, si per se ipsum alia via debitum pœnæ extingueret, ita si in- dulgentiam sibi a Pontifice applicata lu- cretur.

79. Dicendum est quarto, pœnitentem non deobligari ratione indulgentiæ lucratæ a pœnitentia ut medicinali. Hanc assertio- nem tuentur Authores, quos pro præce- denti adduximus, estque æque communis. Suadetur autem ex D. Thoma q. 13, supplem. art. 2, in corpore, ubi ait : « Res- « pondeo dicendum, quod pœna satisfac- « toria est ad duo ordinata, scilicet, ad « solutionem debiti, et ad medicinam pro « peccato vitando. In quantum ergo est « ad remedium sequentis peccati, sic sa- « tisfactio unius non prodest alteri, quia « ex jejunio unius caro alterius non doma- « tur, nec ex actibus unius bene agere « consuevit. » In quibus continetur ratio pro assertione ad hanc formam redacta. Ut pœnitens deobligaretur a pœnitentia ut medinali per indulgentias, deberent satis- factiones Sanctorum prodesse pœnitenti ad coercendas passiones, et ad corporis mor- tificationem, qua futurum peccatum præca- veri posset ; atqui Sanctorum satisfactiones per indulgentiam applicatæ pœnitenti, ad hujusmodi finem illi non prosunt : ergo ex vi indulgentiæ non deobligatur a pœni- tentia ut medicinali. Consequentia est legitima. Minor etiam liquet, tum ex D. Thoma ; tum ex ratione quam adducit, quia ergo enim unius per alterius jejunium, vel quodcumque aliud opus non subjugatur. Unde quemadmodum Sanctorum opera, dum vivebant, pœnitenti ad effrenandas passiones prodesse non poterat : ita nec illorum satisfactiones post mortem per in- dulgentias applicatæ, utpote quæ ad præ- dictum finem majorem vim non sortiuntur ex applicatione Pontificis. Major autem ostenditur : nam indulgentia, vel illius concessio formaliter, et directe per seip- sam non tollit obligationem pœnitentis adimplendi pœnitentiam medicinalem, cum Pontifex extra sacramentum, ut ex supra dictis patet, non habeat potestatem supra sententiam a sacerdote latam in foro pœ- nitentiali ; ergo si pœnitens deobligaretur a pœnitentia medicinali per indulgentias, ideo esset quia tolleretur finis illius, qua- tenus Sanctorum satisfactiones prodessent pœnitenti ad passionum coercitionem, qua futuris criminibus remedium adhiberetur. Cum igitur hoc ita non sit, consequens est ut etiam post indulgentiam lucratam pœni- tens satisfactioni medicinali alligetur.

Confirmatur primo : nam stantibus præ- cepto, fine præcepti, ac materia præcepta, persistit obligatio ; sed hæc persistunt adhuc post indulgentiam lucratam : ergo adhuc pœnitens premitur obligatione adhibendi pœnitentiam medicinalem. Major patet a paritate in quacumque alia materia, ut consideranti constabit : non enim est caput unde obligatio deficiat, illis durantibus. Minor autem quoad singulas partes li- quet. Nam Pontifex per applicationem in- dulgentiæ non tollit, nec potest tollere præceptum a sacerdote ut ministro sacra- menti injunctum, et aliunde ipse sacerdos illud non retractavit. Deinde materia in pœnitentiam medicinalem injuncta non est facta impossibilis, ut supponimus ; alioqui ex hoc capite, et non ex indulgentia lucrata obligatio deficeret. Ac tandem ex vi indulgentiæ passiones non effrænantur, vitia non detinentur, nec peccatorum ul- ceribus medicamen aliquod apponitur in futurorum præcautionem, ut ex se notum est. Ergo cum stantibus fine, materia, ac præcepto, obligatio subsistat, nequit pœni- tens in vi jubilæi, aut indulgentiæ pœni- tentiam medicinalem omittere. Confirm. 1.

Confirmatur secundo, et urgetur : etenim effectus, vel finis pœnitentiæ ut medicinalis nequit obtineri a pœnitente nisi per actio- nem, et pœnitentiam ab eodem exercitam ; ergo nequit ab ejus executione liberari ra- tione indulgentiæ lucratæ. Antecedens Confirm. 2.

constat ex dictis, et consequentia suadetur : nam ideo pœnitens in vi indulgentiarum extrahitur ab obligatione pœnitentiæ punitivæ, quia hujus finis, et effectus, solutio nimirum reatus suppleri, ac obtineri potest per Sanctorum satisfactiones a Pontifice applicatas pœnitenti : ergo si finis pœnitentiæ ut medicinalis per indulgentias non obtinetur, nec obtineri valet, nequit pœnitens in vi illarum a pœnitentia medicinali deobligari.

Evasio. 80. Respondebis, quod licet per indulgentias, et Sanctorum satisfactiones pœnitentiæ ut medicinalis finis non assequatur ; attamen hinc non evincitur pœnitentem non deobligari ab ejus executione : aliud namque est, satisfactiones Christi, et Sanctorum non effrenare formaliter passiones, nec curare vulnera pœnitentis ad amputanda futura crimina ; aliud vero, Pontificem non concedere aliquid, quo posito cesset obligatio pœnitentis. Primum igitur verum est ; secundum autem vim indulgentiarum destruit : etenim Pontifex per indulgentias, quas applicat, relaxat pœnitentis obligationem, qua premebatur ad pœnitentiam tam punitivam, quam medicinalem.

Præcluditur. Sed hæc evasio nullius momenti est, utpote quæ principium exposcit. Etenim si per indulgentiam nihil pœnitenti tribuitur, vi cujus carnem domare, suggestiones repellere, peccataque imminentia præcavere possit, ita ut finem ab Ecclesia, et a sacerdote in pœnitentiæ medicinalis injunctione intentum assequatur, qua ratione poterit extingui debitum, ac obligatio pœnitentiæ medicinalis ? Si enim per indulgentias deficit obligatio pœnitentiæ ut punitivæ, ideo est quia ex vi satisfactionis Christi, et Sanctorum tribuitur pœnitenti unde reatum contractum solvat, quo extincto indirecte dehiscit obligatio ad pœnitentiam punitivam. Si ergo oppositum contingit respective ad pœnitentiam medicinalem, consequens est ejus obligationem non perire ; cum aliunde Pontifex, qui extra sacramentum potestatem non habet supra sententiam latam a sacerdote in foro sacramentali, nequeat directe hujusmodi sententiam tollere, imo nec commutare, ut dubio præced. statuimus.

§ III.

Sententiæ oppositæ referuntur, et enervant corum motiva.

81. Adversus priores assertiones nullu militat argumentum, quod solutione ind geat. Adversus posteriores vero non pauc eaque satis urgentia. Et quidem sente tiam tertiæ conclusioni contrariam tuent Gregorius Valentia tom. 4, in 3, pa disp. 7, qu. 20, punct... § *Sunt autem.* A dreas Dunellus tract. de indulg. quæ unic. art. 8, Vivaldus de indulg. num. 2 Candidus disquis. 24, dub. 10, num. 3 Trullenc in Bullam, § 1, dub. 14, n. 1 Quorum fundamentum est : Quoniam ob gatio adimplendæ pœnitentiæ punitivæ de jure divino ; sed Pontifex jus divinu abrogare non potest : ergo per indulge tias, quas concedit, prædictam obligati nem tollere nequit. Consequentia est le tima, et minor certa apud omnes. Maj autem ostenditur : nam pœnitentiæ ex cutio pertinet ad sacramenti integritate quæ est ex institutione Christi ; sed q ad sacramentorum integritatem attine ex Christi institutione, ex jure divino ob gant : ergo talis est obligatio exhiber pœnitentiam punitivam. Eo vel maxim quod juxta communem Ecclesiæ praxi etiam in plenissimis jubilæis consueveru sacerdotes, imo, et ipse Pontefex, inq Valentia, aliquam pœnitentiam punitiv imponere pœnitentibus ; ergo ideo quia vi jubilæi, vel indulgentiarum non ce sentur pœnitentes immunes ab onere p nitentiæ punitivæ.

Ad argumentum respondetur, pont cem concedentem indulgentias, quibus cratis deficit obligatio pœnitentis, mini abrogare saltem directe jus divinum, quo oritur integritas sacramenti, sed nere aliquid, ad quod indirecte sequi jus divinum non obligare, eo quod fi ab eo intentus deficit. Etenim sacram tum non exposcit integritatem, nisi pr ter effectum satisfactionis, vel solutio reatus inducti per culpas confessioni s jectas. Hujusmodi autem reatu per ind gentias, et Sanctorum satisfactiones tincto, jus divinum non exigit ulterio satisfactionem, ac proinde vim obliga amittit, cum ejusdem debiti duplex sol

quære

quærenda non sit. Unde quemadmodum si legitimus dispensator ex communi ærario solveret pro Petro viginti aureos, quos debebat Francisco, illum ab ulteriori solutione redderet immunem, quin aliquod jus abrogaret; ita in præsenti.

Ad difficultatis augmentum dicendum est, solum evincere, optimum fore consilium, sacerdotes in omni eventu salutares pœnitentias injungere. Tum quia non raro contingit pœnitens ad confessionem accedere animo lucrandi indulgentiam, deinceps que vel a proposito recedere, vel indulgentias non lucrari, eo quod conditiones a Pontifice præscriptas non mandant executioni, vel etiam si mandent, non eo modo qui exposcebatur ut indulgentia lucraretur. Tum etiam : quia ut ait D. Thomas qu. 25, supplem. art. 1, ad 4, sæpe pœnitentes plus reatus contraxerunt per culpas, quam credunt; atque ideo contingere potest indulgentiam, præsertim partialem, ad totum debitum extinguendum non sufficere. Ceterum absolute loquendo, hæc præcise fiunt ad melius esse, non ad simpliciter; nisi alias pœnitentia injuncta ex capite quo medicinalis est, sit omnino necessaria, atque ideo obligationem inducat. Si vero Pontifex pœnitentiam intra sacramentum injungat, ejusque exhibitionem expresse exigat, ita facere necesse erit : quia in hujusmodi eventu pœnitentiæ executio est unum ex requisitis ad indulgentiam lucrandam.

82. Arguitur secundo, et simul præcedens solutio impugnatur Etenim ideo pœnitens excusaretur ab obligatione adimplendi pœnitentiam punitivam per indulgentias, quia satisfactiones Sanctorum sibi applicatæ tollerent reatum, in quem solvendum pœnitentia collimat; sed hæc ratio nullius momenti est : ergo ex vi hujus non deobligatur. Probatur minor : nam satisfactiones Sanctorum non plus efficiunt, quam si pœnitens per proprias satisfactiones extrasacramentales prædictum reatum solveret; sed pœnitens non deobligatur a pœnitentia injuncta eam commutando in alia opera extrasacramentalia, quibus reatum solvere potest : ergo quod satisfactiones Sanctorum prædictum reatum diluant, non evincit pœnitentem fieri immunem ab onere adimplendi injunctam satisfactionem. Major ex se liquet, et minor continet doctrinam, quam dubio præcedenti statuimus. Consequentia vero probatur : eo pœnitens propria authoritate commutans pœnitentiam injunctam in alia opera satisfactoria, quibus reatum solvere potest. non fit immunis ab onere pœnitentiæ injunctæ, quia pœnitentiæ commutatio, aut impositio est actus jurisdictionis procedens a judice ut tali in foro sacramenti, quod proinde pœnitenti convenire nequit, cum supra se ipsum judex non sit, sed Pontifex, dum indulgentias concedit, judex in foro sacramenti non est : ergo quamvis concedat aliquid, quo prædictus reatus extinguatur, nequit tollere obligationem pœnitentiam adimplendi.

Respondetur ad argumentum negando minorem, ad cujus probationem omissis præmissis negatur consequentia, quæ minime evincitur his, quæ superadduntur. Non enim asserimus, pontificem indulgentias concedentem tollere obligationem pœnitentiæ punitivæ, quia illam commutet, aut possit commutare in satisfactiones Sanctorum : id quippe fieri nequit a pontifice, cum extra sacramentum non habeat authoritatem supra sententiam latam a sacerdote procedente ut judice, ac ut ministro Christi in foro sacramenti, ut vidimus supra, num. 72. Sed quia concedendo indulgentias applicat Sanctorum satisfactiones, quibus reatus pœnitentis tollitur, quo sublato obligationem pœnitentiæ punitivæ deficere necesse est. Pœnitens autem propria authoritate commutare non potest pœnitentiam sibi injunctam in alia opera satisfactoria, quia commutatio est actus jurisdictionis judicialis, quam non habet supra se ipsum; licet alias possit plura opera satisfactoria extrasacramentalia efficere, quibus reatum contractum solvat. Diluitur.

83. Replicabis : ergo licet pœnitens nequeat excusari a pœnitentia injuncta per veram commutationem propria authoritate [illegible] tam in alia opera extrasacramentaliter satisfactoria, poterit tamen ab illo onere fieri immunis, si illa opera exhibeat, quibus reatum solvat. Patet consequentia : nam ideo præcise per indulgentias fit immunis a pœnitentia punitiva, quia per Sanctorum satisfactiones sibi applicatas tollitur reatus, licet ibi nulla interveniat commutatio; sed pœnitens operibus satis- Dilucidatio replicæ.

factoriis extrasacramentaliter potest etiam tollere prædictum reatum : ergo quamvis commutationem stricte loquendo non faciat, deobligabitur a pœnitentia injuncta, si illas satisfactiones extrasacramentales exhibeat.

1 Solutio ex Dicast. Ad hanc replicam, quæ difficultate non caret, respondet Dicastillo tract. 8, de sacram. pœnit. disp. 14, dubit. 2, num. 37, negando consequentiam, rationem disparitatis assignans; quia videlicet, opera pœnitentis satisfactoria extra sacramentaliter non habent rationem punitionis, ac vindictæ judicialis, ad quam ex præcepto confessarii tenebatur. Per indulgentias autem tollitur non solum reatus pœnæ in vi satisfactionum Christi, et Sanctorum, sed etiam ratio vindictæ, cui pœnitens erat obnoxius : nam Pontifex, qui habet aliqua ratione jurisdictionem in foro conscientiæ, cum concedit indulgentias nomine Christi, qui per se ipsum potest debitum pœnæ, et vindictæ remittere, utrumque debitum tollit, non per se, et directe dispensando in præcepto confessarii, sed indirecte concedendo aliquid æquivalens pœnitentiæ injunctæ, Sanctorum nimirum satisfactiones, ratione cujus mutat statum, in quo res erant, dum pœnitentia fuit injuncta. Idque roborari posset ex eo, quod Pontifex non solum solvit debitum pœnitentis ex ærario Ecclesiæ, sed etiam pœnitentem absolvit a reatu, acceptando solutionem nomine Dei. Pœnitens autem licet operibus extrasacramentalibus solvat debitum, non tamen absolutus manet; quoniam ipse nomine Dei non acceptat oblatam solutionem, nec aliunde constat Deum illam acceptare per se ipsum. Unde quemadmodum reus fori exterioris condemnatus ad aliquam pœnam, adstringitur ad illam subeundam, dum non constat judicem acceptasse aliam satisfactionem a reo oblatam; ita pœnitens. Quidquid tamen de hac solutione, quam nec approbamus, nec rejicimus

84. Aliter respondetur, concedendo consequentiam in sensu statim explicando, dum nimirum pœnitens operibus satisfactoriis extrasacramentaliter ita ratum solvit, ut constet de tali solutione, et omnimoda debiti extinctione, illam tamen negando, si non constet. Ratio enim, qua movemur, et qua utuntur Authores ad asserendum pœnitentem fieri immunem a pœnitentia injuncta

2 Solutio. ratione indulgentiæ lucratæ, generalite convincit cessare obligationem pœnitenti in quocumque eventu reatus est solutus quacumque via sit extinctus : deficient enim fine præcepti, et soluto debito, præ ceptum, et obligationem solvendi deficer necesse est; alioquin teneretur solver quod jam est solutum. Ceterum ut pœni tens operibus satisfactoriis extrasacramen taliter reatum solvens excusetur a pœni tentia sibi injuncta, certus esse debet illi operibus reatum extinxisse ; alias dun sibi non constat, quantumvis plura ali opera obtulerit, pœnitentiæ injunctæ eri obstrictus. Quocirca cum extra indulgen tias nemini constare possit prudenti cre dulitate (seclusa revelatione) remissum for totum reatum pœnæ temporalis, propte quem solvendum pœnitentia injuncta fuit ideo nullus ob hanc causam potest ab illa obligatione excusari. Tum : quia dum nor adest dispensatio, vel abrogatio præcepti nec materia præcepti facta est impossibilis nec aliunde constat de cessatione finis præceptum vim obligandi conservat. Tun etiam : quia ratio pœnitentiæ ut medicina lis adhuc urget.

Tum deinde : quoniam licet pœniten aliis operibus extrasacramentaliter satis factoriis aliquam obtineat reatus remissio nem, non ideo statim immunis fit a tot illo reatu illorum peccatorum, in quorun vindictam sacerdos pœnitentiam indixit sæpe quippe quamplura alia peccata sunt quorum reatus nondum est solutus; imo et ipsa peccata, in quorum vindictam pœ nitentia est injuncta, contrahunt majoren reatum ad pœnam, quam ille qui pe injunctam pœnitentiam tollitur; atque ide ex quocumque capite reatus ille nondun adæquate sit solutus, sacerdotis præceptun vim retinet obligandi. Tum denique: nan si pœnitens potest alia opera extrasacra mentaliter satisfactoria exhibere, ut onu pœnitentiæ impositæ dimittat; cur eande pœnitentiam, ad quam tenetur, execution mandare non poterit? Atque ideo nemo, qu legitima excusatione careat, potest licite ill circulo uti, et alias satisfactiones extrasa cramentales offerre animo pœnitenti extra cramentalem omittendi : id quippe i fraudem præcepti excogitaretur, cui magn reverentia adhibenda est. Quæ omni sedulo ac prudenter inspecta convincun

neminer

neminem moraliter loquendo posse ex vi satisfactionis extrasacramentalis, proprio arbitrio oblatæ in solutionem reatus contracti per culpas confessioni subjectas, fieri liberum ab injuncta pœnitentia : quamvis alias facta suppositione extinctionis reatus, hujusque certitudine obtenta, verum sit illa obligatione non comprimi. Ita Suar. tom. de pœnit. disp. 50, de indulg. sect. 2, § 2, num. 9, Lugo de pœnit. disp. 25, sect. 6, num. 98, Palaus tract. 23, disp. unic. punct. 21, § ult. n. 21, Bonacina in præsenti disp. 5, quæst. 5, sect. 3, punct. 4, n. 8, et alii plures.

85. Adversam quartæ assertioni sententiam suadere conatur Lugo disp. 27, sect. 2, num. 21, et sequent. in proprium patrocinium adducens Navarrum § in Levitic. notabil. 31, num. 43, Sylvestrum verbo *Indulgentia*, num. 23, Angelum ibi, n. 1, Armillam ibi, num. 12, Niguerium cap. 26, vers. 21, Alensis 4 part. q. 23, memb. 1. art. 1, D. Bonaventura in 4, dist. 20, quæst. 2, art. 1, Argent. ibi, quæst. unic. art. 4, Ricardum quæst. 1, art. 4, Durandum quæst. 9, n. 9, Palat. disp. 3, pag. 433, colun. 2, Palud. quæst 4, Adrian. q. de indulg. § *de mater.* indulg. Valentinum ib. de indulg. cap. 2, et 6, Vasquez quæst. 94, art. 1, dub. 3, num. 1, Coninchum in præsenti, disp. 12, dub. 3, in fine. Asseritque, tam antiquos, quam recentiores nam sententiam simpliciter, et universaliter docere. At quantum excesserit in hoc judicio, convincit multitudo Doctorum, quos pro nostra assertione retulimus, quippe non infimæ notæ sunt. Illi autem, quos Lugo recenset, confuse ac sine distinctione nobis proposita loquuntur; unde facile possunt de satisfactione sacramentali ut præcise punitiva interpretari. Quidquid sit men de his

Probatur Lugonis sententia primo ex cap. *Cum ex eo fine, de pœnit. et remiss.* ubi Innocentius III, inquit : « Per indiscretas, et superfluas indulgentiæ satisfactiones sacramentales enervari. » Ergo eo quia aufertur obligatio implendi pœnitentias, alioquin si manet obligatio implendi illas ut medicinales, nihil prorsus enervabitur satisfactio. Id ipsumque probari potest ex Bonifacio VIII, qui ut refert Glossa *in extravaganti antiquorum de pœnit. et remiss.* nolebant sacerdotes aliis quam injungere pœnitentiam iis, qui jubilæum anni Sancti lucrabantur quia nimirum satisfactione alia non indigebant. Tum etiam, et quidem a priori : nam sacerdos pœnitentiam indicit ad satisfaciendum pro pœna debita peccatis : ergo sublato debito totius pœnæ, qualiter per indulgentiam plenariam fit, cessat omnino fundamentum illius obligationis ; quemadmodum si condonaretur a Principe pœna debita pro aliquo crimine, eo ipso deficeret obligatio imposita per sententiam judicis ad pœnam aliquam pro illo crimine subeundam.

Respondetur citatos textus intelligendos fore de satisfactionibus non ut medicinalibus, sed ut absolute et simpliciter vindicativis : hæc enim sunt, quæ per indiscretas indulgentias enervantur, etiamsi obligatio adimplendi pœnitentiam medicinalem persistat : quippe cum indiscreta ac superflua indulgentia conceditur, non tanta injungitur pœnitentia, quanta injungenda erat absolute in vindictam, sed solum illa minor, quæ alias ad medicinam satis est ; unde non hæc, sed illa absque legitima causa detrimentum subit. Tum etiam : quia satisfactio sacramentalis absolute dicta stat pro illa, quæ in vindictam, et solutionem designatur, atque ideo de hac intelligendum est loquutum fuisse Innocentium. Ac eodem proportionali modo interpretandus est Bonifacius : nam cum satisfactio sacramentalis absolute prolata dicatur pœnitentia, eo quod sit quasi pœnæ tenentia in vindictam, ideo nolebat Pontifex pœnitentiam, id est, vindicativam injungi a sacerdotibus illis pœnitentibus qui jubilæum anni Sancti lucrabantur : quia cum ex vi illius jubilæi totus reatus extingueretur, opus non erat pœnitentia injuncta ad ejusdem reatus solutionem. Non vero de pœnitentia ut medicinali loquitur : quippe quæ nec ex prima impositione dicitur, nec per jubilæum ejus effectus suppletur. Ad rationem a priori dicendum est, sacerdotem non solum pœnitentiam injungere ad solvendum debitum, sed et ad præcavendum futurum peccatum. Quocirca ex quo per indulgentiam plenariam omnino tollatur debitum, solum evincitur perire obligationem adimplendi pœnitentiam punitivam, non autem medicinalem, cujus adhuc existit. Solut.

86. Sed dices ex eodem Authore : sacer- Replica.

dos nequit obligare pœnitentem ad satisfactionem, nisi quatenus illam imponit in pœnitentiam peccati : ergo si per indulgentias deobligatur pœnitens ab illa ut vindicativa ; absolute immunis erit ab ea etiam ut medicinali. Antecedens suadetur: nam pœnitentia injuncta in medicinam procedit a sacerdote ut medico, imposita autem in vindictam procedit ab eodem ut judice ; atqui medicus ut talis non obligat, sed consulit ; judex vero in quantum talis præcipit : ergo sacerdos solum inducit obligationem adimplendi pœnitentiam punitivam, et non medicinalem : hæc enim si necessaria est ad futura peccata vitanda, obligat ex jure naturæ, non vero ex præcepto medici, qui solum declarat obligationem quam alias habet pœnitens.

Confirm. Confirmatur : etenim si reatu pœnæ ablato per indulgentias, adhuc obligaret jejunium v. g. impositum in medicinam, vel tale jejunium debetur ut satisfactio sacramentalis, et pars sacramenti, vel non? Ut satisfactio deberi nequit ; quia qui nihil debet, non potest obligari ad solvendum, nec opus quod nihil solvit, potest esse satisfactio. Si ergo jejunium illud satisfactio non est, nec etiam erit pars sacramenti; ac subinde pœnitens ad illius exhibitionem non obligabitur : quippe qui ex præcepto sacerdotis solum obligari potest ad partem integralem sacramenti. Id quod urgeri valet ex Concilio Tridentino sess. 14, cap. 8, ubi, inquit, quod pœnitentia a sacerdotibus injungenda : « Non sit tantum ad novæ « vitæ custodiam, et infirmitatis medica- « mentum, sed etiam ad præteritorum pec- « catorum vindictam, et castigationem : « nam claves sacerdotum non ad solven- « dum dumtaxat, sed, et ad ligandum con- « cessas, etiam antiqui Patres, et credunt, « et docent. » In quibus verbis satis palam « indicat sacerdotes solum posse obligare ad pœnitentiam ut punitivam: nam, inquit, non solum posse imponere medicinam, sed castigationem, quia habent potestatem ligandi; quæ causalis, ut subsistat, supponit potestatem ligandi non exerceri quatenus medicina imponitur.

Urgetur ex Trident.

Dilnitur replica. Respondetur ad replicam negando antecedens ; ad cujus probationem dicendum est, sacerdotem non solum obligare pœnitentem ad pœnitentiam ut vindicativam, sed etiam ut medicinalem. Idque ex eo constat, quod in communi sententia, quam supra dub. 2, num. 28 statuimus, cui etiam idem Lugo adhæret disput. 25, sect. 5, num. 74, potest sacerdos justis de causis gravem injungere pœnitentiam pro venialibus, aut etiam pro mortalibus jam confessis ad præcavendum vel lapsum vitæ Religiosi, vel relapsum ejusdem, aut alterius, ad cujus exhibitionem pœnitens graviter tenetur, ut loco citato cum illi Authoribus docuimus. Illa autem pœnitentia, cum simpliciter medicinalis sit oritur a sacerdote ut medico, atque ideo a eo ut tali obligatio gravis oriri potest. Qui circa sacerdos non solum se habet ut medicus, dum pœnitenti salubria consilia adhibet, aut fœditatem peccati, damnationis periculum, obligationem restituendi, aut proximam occasionem peccandi detegit; sed etiam pœnitentiam medicinalem assignat eam præcipiendo. Cur autem obligatione imponat ad pœnitentiam medicinalem, duplici capite oriri potest. Tum, quia foro sacramenti sistitur loco Christi ; unde sicut Christus per se ipsum potest ad pœnitentiam medicinalem obligare ; ita sacerdos, cui Christi munus demandatum est. Tum etiam : nam quemadmodum potestas ligandi, et absolvendi non est duplex, sed una, et simplex, ita potestas sacerdotis in judicis, et medici est unica, et indivisibilis. Igitur cum sacerdos per facultatem judicii possit obligare pœnitentem ad satisfactionem vindicativam, etiam potest ratione ejusdem facultatis ad pœnitentiam medicinalem. Judex enim quatenus talis non solum pœnam indicit ob patrata crimina, sed, et in futurorum præcautionem, etiam in judicibus fori exterioris liquet. Ex quibus habetur, quod dum pœnitentia injuncta est simpliciter medicinalis, secundum quid punitiva, eo quod non tam in solutionem, quam in præservationem injungitur, adhuc post lucratam indulgentiam obligat : quippe cujus effectus indulgentias non suppletur.

Ad Confirmationem respondetur, jejunium illud, sublato reatu per indulgentias deberi tanquam partem sacramenti : potentia namque medicinalis pars sacramenti est, quæ etiam in illo eventu dicenda satisfactio, non quia reatum solvat, quia nomen satisfactio applicatur tam pœnitentiæ solutivæ reatus, quam præser-

tivæ culparum, eo quod ut plurimum idem opus utrumque munus sibi vindicat, licet alias pœnitentia per se primo nuncupetur satisfactio ex munere solvendi reatum. Nec oppositum ex Tridentino evincitur : nam ly *sed, et ad diligendum,* ampliandum est, ita ut intendat quod sacerdotes habent potestatem non solum ad absolvendum a peccatis, sed etiam ad ligandum, vel obligandum ad utrumque, nimirum, et ad pœnitentiam vindicativam, et ad medicinalem : nam eo ipso quod sacerdos quatenus judex habeat potestatem ligandi ad vindictam, consequens est ut eam habeat obligandi ad medicinam ; cum etiam ad judicem spectet recte disponere ut futura crimina præcaveantur, quamvis sub hac consideratione medicus nuncupari possit.

87. Secundo, et urgentius arguitur ex D. Thoma quæst. 25, supplem. art. 1 ad. 4, ubi : « Dicendum, quod majus remedium « præbetur contra peccata vitanda ex gra- « tia, quam assuetudine nostrorum ope- « rum : quia ex affectu, quem accipiens « indulgentias concipit ad causam, pro « qua indulgentia datur, ad gratiam dispo- « nitur, ideo etiam per indulgentias reme- « dium ad peccata vitanda datur, et ideo « non est in destructionem indulgentias « dare, nisi inordinate dentur. Tum con- « sulendum est eis, qui indulgentias con- « sequuntur, ne propter hoc ab operibus « pœnitentiæ injunctis abstineant, ut etiam « ex eis remedium consequantur, quamvis « a debito pœnæ essent immunes. » Ergo saltem ex mente D. Thomæ pœnitens lucrata indulgentia deobligatur a pœnitentia etiam ut medicinali. Consequentia liquet, tum ex ipsis verbis Angelici Præceptoris dicentis consulendum esse lucrantibus indulgentias, ne propterea pœnitentiam injunctam omittant : nam ly *consulendum* satis palam indicat, injunctam pœnitentiam non obligare ex præcepto. Tum etiam : etenim ideo non excusaretur pœnitens, quia per indulgentias non daretur illi remedium ad peccata vitanda ; sed indulgentiæ illud conferunt, ut constat ex verbis, et ratione D. Thomæ : ergo. Tum denique, et a fortiori: eo enim juxta doctrinam traditam indulgentiæ deobligant a pœnitentia punitiva, quia solvunt reatum, in quem solvendum ipsa tendebat ; atqui etiam indulgentiæ auferunt finem pœnitentiæ medicinalis, remedia adhibendo contra futura peccata ; ergo pœnitens ab utraque fit immunis.

Hoc argumentum Herculeum habere ro- Solutio.
bur, oppositamque sententiam satis probabilem reddere in via D. Thomæ, diffiteri non possumus, illique omnino adhærere cogeremur, nisi præclara Thomisticæ scholæ Sydera, ac fideliſsimos Doctoris Angelici interpretes Cajetanum, Sotum, Nugnum, aliosque hujus notæ indivulse ejus vestigia sequentes, inveniremus nostram docuisse sententiam. Cajetanus namque tract. 16, de indulg. quæst. 4, in Cajetan.
solut. ad 4, ait : « Quod autem dicitur, « quod pœnitentia, ad quam tenetur pec- « cator, est Crux Christi, et mortificatio « passionum, jam a priscis solutum est Doc- « toribus, dicentibus quod pœnæ in quan- « tum sunt medicinæ Passionum, non sup- « plentur per indulgentias : et propterea de- « bemus, etiam indulgentiis acquisitis, pœ- « nitentiam agere, et medicinam passionum « nostrarum. In quantum vero sunt satis- « factivæ pro peccatis commissis, sic sup- « plentur per indulgentias. » Similiterque Nugnus in addit. ad 3, part. quæst. 13, Nugnus.
artic. 2, inquit : « Duo tamen sunt circa « hoc advertenda, Primum est, quod tan- « tum remittitur per istas indulgentias « pœnitentia, in quantum est satisfactoria, « non vero in quantum est medicinalis ; « atque adeo quando fuerit medicinalis, « debet adimpleri ut imposita est, et non « remittitur per indulgentias. » Et quidem incredibile est, hos præcipuos D. Thomæ alumnos illius mentem non calluisse, vel ab ejus vestigiis ultro deviasse. Quocirca cum Ang. Doctor supra, quæst. 13, art. 2, palam nostram sententiam doceat, credendum non est authoritatem in objectione relatam illi contrariam fore, sed satius erit ad sanum sensum eam reducere.

Pro cujus intelligentia observandum Nota.
est, indulgentiam tripliciter accipi posse, formaliter nimirum, effective, et concomitanter. Primo modo præcise dicit applicationem satisfactionum Christi, et Sanctorum, factam a legitimo Thesauri Ecclesiæ dispensatore, a summo Pontifice, videlicet, utpote Christi Vicario, vel ab alio ex illius concessione. Secundo modo importat remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, totalem quidem, si indulgentia plenaria sit, partialem vero, si

partialis tantum extiterit. Tertio autem modo affert opus aliquod pium, et honestum, a fidelibus exequendum, quod est quasi causa vel conditio sub qua indulgentia conceditur. Porro hujusmodi opus satisfactorium est, ac medicinale ad peccata præcavenda, insuperque disponit ad receptionem gratiæ tam auxiliantis, quam sanctificantis, quarum quælibet remedium præbet ad suggestiones effrænandas, peccataque rescindenda. Ex quibus

Ad argumentum respondetur, D. Thomam, dum ait : « Quod etiam per indul-« gentias remedium ad peccata vitanda « datur, » non esse intelligendum de indulgentiis formaliter, aut effective acceptis, quo pacto cum solum importent applicationem satisfactionum Christi, et Sanctorum a Pontifice factam, et solutionem reatus eisdem satisfactionibus inductam, nec pœnitentis passiones effrænant, nec carnem domant, ut futura peccata detineant. Sed intelligendus est de indulgentiis secundum id, quod concomitanter, et quasi conditionate adducunt, nimirum de illo opere honesto, quod Pontifex indicit lucraturis indulgentias, uti esse solent alicujus Ecclesiæ visitatio, confessionis emissio, vel preces aliquæ coram tali imagine fundendæ ; quæ omnia serventer ac pie exercita, et ex se medicinæ sunt, et ad gratiæ receptionem disponunt, qua ad peccata futura præcavenda majus remedium paratur, quam nostrorum operum assuetudine.

Ex quo fit, quod per indulgentias formaliter sumptas non deobligatur pœnitens a medicinalis pœnitentiæ executione, sed tenetur saltem ad aliquam, licet alias extrahatur ab aliis distinctis ab illo opere honesto, quod tanquam causa, vel conditio assignatur, dum indulgentia conceditur.

Nugnus. Enim vero tunc, inquit Nugnus, illud opus, per cujus exhibitionem obtinetur indulgentia, a sacerdote applicandum vel injungendum est in pœnitentiam, quæ sacramentum compleat, ad eamque tenebitur pœnitens, quamvis immunis fiat ab aliis, si simul a sacerdote injungantur : hasque executioni mandare, solius consilii erit, et non præcepti ; quo sensu interpretandus est D. Thomas, cum subdit : « Consulendum est lucrantibus indulgen-« tias, ut a pœnitentiis injunctis non abs-« tineant ; » a superadditis videlicet arbitrio sacerdotis, nec aliud innuunt Ang. Doctoris verba. Unde liquet, nunquam pœnitentem ex vi indulgentiæ ob omni medicinali satisfactione deobligari, cum saltem alligetur illi operi honesto, ratione cujus indulgentia impenditur, injunctio in satisfactionem medicinalem.

DUBIUM VI.

Quem effectum inducat ex opere operato satisfactio sacramentalis ?

Concors Doctorum sententia supponit, satisfactionem sacramentalem aliquem supernaturalem effectum ex opere operato, et virtute clavium sortiri ultra illum, quem causat ex se, et ex opere operantis ; quod insinuatur a Tridentino sess. 14, cap. 3, ubi dicitur : « Contritionem, confessio-« nem, et satisfactionem esse partes pœni-« tentiæ, quatenus ad plenam, perfectam-« que remissionem peccatorum ex divina « ordinatione requiruntur. » Et ratio etiam id evincit : nam satisfactio est vera pars saltem integralis hujus sacramenti procedens a potestate clavium : ergo sortitur ex opere operato aliquem supernaturalem effectum, alias nullum esset discrimen inter satisfactionem sacramentalem, et non sacramentalem. Tria autem sunt, de quibus disputant Authores, an a satisfactione sacramentali ex opere operato causentur. Remissio videlicet pœnæ temporalis debitæ pro peccatis jam dimissis ; divinum aliquod auxilium ad peccata præcavenda ; et tandem augmentum gratiæ habitualis ultra illam, quam pœnitens per confessionem, et absolutionem sortitur. Quæ omnia diversis conclusionibus decidemus.

§ I.

Triplici conclusione dubium resolvitur.

88. Dicendum est primo, satisfactionem sacramentalem per se causare ex opere operato remissionem pœnæ temporalis debitæ pro peccatis dimissis. Explicatur conclusio. Diximus indefinite, « satisfactio-« nem sacramentalem causare remissionem « pœnæ temporalis debitæ pro peccatis di-« missis, » non determinando an totius pœnæ, vel solum partis illius? Id enim ex dicendis

dicendis in dubii calce constabit. Addimus *ex opere operato*, hoc est, ex elevatione, quam habet virtute clavium, et ex virtute speciali, quam obtinet ex meritis Christi, sacramentorum Authoris, vi cujus major pœnæ remissio correspondet tali satisfactioni ut parti sacramenti, quam esset illa, quæ ex merito operantis operi satisfactorio inest. Subdimus etiam *per se* : quia an per accidens ratione obicis possit hujusmodi effectus impediri, aut omnino auferri ; alia difficultas est, quam forsan deinceps obiter attingemus. Conclusionem ita explicatam tuentur N. Franciscus quæst. 10, punct. 1, num. 44, N. Antonius disp. 21, sect. 1, num. 1597, Nugnus in addit. quæst. 13, art. 2, diffic. 2, Gonet disp. 13, art. 3, § 1, num. 31, Suar. disp. 38, sect. 2, Vivaldus de satisfact. num. 13, Castro Palao disp. unic. punct. 21, § 2, num. 1, Lugo disp. 25, num. 16, Filliucius tract. 8, de satisfact. sacram. cap. 2, n. 33, Vasq. quæst. 94, art. 2, dub. 5, Coninchus disp. 10, dub. 10, concl. 1, et 2, Henriq. lib. 5, c. 20, n. 7, et alii.

Probatur igitur primo ex Tridentino sess. 14, cap. 8, ubi inquit : « Neque vero « securior alia via in Ecclesia Dei unquam « existimata fuit ad amovendam imminen- « tem a Deo pœnam, quam ut hæc pœniten- « tiæ opera homines cum vero animi dolo- « re frequentent. » Statimque quasi per illationem subdit : « Debent ergo sacerdo- « tes Domini pro qualitate criminum, et « pœnitentium facultate, salutares, et con- « venientes satisfactiones injungere. » Ex quibus habentur duo, et quod loquatur de satisfactione sacramentali, aut injuncta a sacerdote, et quod de hujusmodi satisfactione dicat causare remissionem pœnæ : Ergo cum etiam ibidem addat : « Neque « ita nostra est satisfactio hæc, quam pro « peccatis nostris exolvimus, ut non sit « per Christum Jesum ; » id est, ex vi operis operati a Christo Jesu ; consequens est Concilium sentire, satisfactionem sacramentalem causare remissionem pœnæ ex opore operato.

Confirmatur ex Angelici Præceptoris testimonio in 4, dist. 46, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2, ad 3, ubi ait : « Vel dicendum, quod per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur totaliter a reatu peccati ; » id est, etiam a pœna peccatis debita : in hoc quippe consistit perfecta, et totalis peccatorum remissio, quod non solum culpa, sed, et reatus contractus remittatur. Ibique palam sermonem facit de satisfactione sacramentali suum effectum ex opere operato inducente: solvit enim argumentum, quod, sibi objecerat, ad probandum pœnitentiæ partes non convenienter assignari, satisfactionemque sacramenti partem non esse, ut legenti perspicuum erit. Ergo ex mente D. Thomæ satisfactio sacramentalis causat per se ex opere operato pœnæ temporalis debitæ remissionem.

89. Suadetur deinde ratione : nam sacramentum pœnitentiæ, sicut quodlibet aliud, causat suum effectum ex opere operato ; sed satisfactio a sacerdote injuncta est pars sacramenti : ergo causat ex opere operato effectum sibi correspondentem. Majorem docuimus tract. 22, disp. 4, dub. 1, a num. 12. Minorem etiam ex professo firmavimus in priori parte hujus tract. disp. 1, dub. 2 § 2, a num. 59, et deinceps. Consequentia autem ex eo liquet, quod pars sortitur modum operandi totius : oppositum enim nulla ratione evinci potest. Tum sic : sed effectus correspondens satisfactioni est remissio pœnæ temporalis : ergo hanc causat ex opere operato. Minor subsumpta constat ex Tridentino sess. 14, cap. 3, ubi ait : « Qui » (id est, pœnitentis actus) « quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque, et perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione « requiruntur. » Plena autem, ac perfecta peccatorum remissio non solum exposcit, ut culpa ac pœna æterna remittatur, sed etiam ut temporalis pœnæ reatus extinguatur : perfectum enim est illud ; cui nihil deest. Ergo hujusmodi temporalis pœnæ remissio tanquam effectus proprius respondet satisfactioni integranti sacramentum. Patet consequentia : nam cum totum sacramentum, et ejus partes causent omnimodam peccatorum remissionem, ita in hoc per distributionem accommodam debent proportionari, ut partibus essentialibus respondeat effectus substantialis, nimirum remissio culpæ ac pœnæ æternæ ; parti vero integrali, qualis est satisfactio complens sacramentum, remissio pœnæ temporalis, qua peccatum complete sit remissum.

Ratio assertionis.

Confirmatur : quia satisfactio sacramentalis majoris virtutis est, quam non sacramentalis ; sed nequit esse majoris virtutis, si remissionem pœnæ temporalis non causat ex opere operato : ergo. Probatur minor : nam satisfactio extrasacramentalis tollit illius pœnæ reatum ex opere operantis : ergo si ea, quæ sacramentalis est, ex opere operato prædictam pœnam non remittit, non habet in quo virtutem satisfactionis non sacramentalis excedat. Adde, satisfactionem injungi a sacerdote virtute clavium, atque ideo ex institutione Christi : ergo cum instituta sit ad significandam remissionem pœnæ temporalis, eandem causare debet ex opere operato : tritum est enim principium illud, sacramenta novæ legis id ex opere operato efficere, quod significant.

Conclus. 2. 90. Dicendum est secundo, satisfactionem sacramentalem sortiri etiam vim impetrandi auxilia ad præcavenda peccata futura, et hunc effectum habere ex opere operato. Ita Gonet disp. 13, art. 3, § 1, num. 13, Suarez disp. 38, sect. 2, num. 3, circa finem, N. Franciscus cap. 10, punct. 1, num. 7, N. Antonius. Palaus disp. unic. punct. 21, n. 4, Dicastillo disp. 14, dub. 10, n. 157, Coninchus disp. 10, dub. 10, num. 22, et alii. Suadeturque ratione : Etenim sacramenta novæ legis, ac ejus partes efficiunt ex opere operato quod significant ; sed satisfactio sacramentalis significat non solum remissionem pœnæ temporalis, sed etiam specialem facilitatem ad futura peccata fuganda, quæ a prædictis auxiliis præstatur : ergo sortitur vim impetrandi prædicta auxilia, eaque ex opere operato obtinet. Major liquet ex Tridentino sess. 7, Can. 6. Minorem etiam palam docet idem Concilium sess. 14, cap. 8, ubi assignans finem, ac motivum institutionis satisfactionis sacramentalis, rationemque imponendi in pœnitentiam pœnalia opera, inquit : « Proculdubio enim « magnopere a peccato revocant, et quasi « fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ « pœnæ, cautioresque, et vigilantiores pœ- « nitentes efficiunt, medentur quoque pec- « catorum reliquiis, et vitiosos habitus « male vivendo comparatos, contrariis « virtutum actibus tollunt. » Atque ideo satisfactio sacramentalis non solum instituta est ad significandum, sed simul ad efficiendum, ut virtute sacramenti, ac ex meritis Christi obtineantur auxilia, quibus facilius assequantur illi effectus revocandi a peccatis, cautioresque reddendi pœnitentes ; quod licet alias haberi posset per satisfactionem extrasacramentalem, non ita faciliter ac per sacramentalem.

Gonet. Suarez. N. Francis. N. Anton. Palaus. Dicastil. Coninch.

Rat.o.

91. Dicendum est tertio ; satisfactionem sacramentalem non causare ex opere operato augmentum gratiæ habitualis. Hanc conclusionem obiter innuimus in priori parte hujus tract. disp. 1, dub. 2, § 7, nu. 120. Illique adhærent N. Franciscus ubi supra, nu. 8, et 14, N. Antonius num. 1599, N. Bonæ Spei disp. ultim. num. 28, Hurtado disp. 14, diffic. 13, Lugo disp. 25, num. 6, Adamus quæst. 8, num. 22, Dicastillo disp. 14, dub. 10, n. 156, Vasq. qu. 94, ar. 2, du. 5, num. 6, Coninchus disp. 10, dub. 10, num. 90, Palacius dist. 13, disp. 1, et dist. 16, qu. 1, art. 1, Joannes Sanctius in selectis disp. 1, et 33, num. 121, Præpositus quæst. 12, num. 6, Ochagavia de satisf. quæst. 7, num. 6, et 8, et alii. Eamque conformiorem menti Angelici Præceptoris censemus.

Suadetur igitur ex Divo Thoma in 4 dist. 16, quæst. 1, artic. 1, quæstiunc. 2 ubi inquirens, an convenienter assignentur tres partes pœnitentiæ ? Cum hoc argumentum sibi objecisset : « Præterea in « sacramento novæ legis gratia suscipient « confertur ; sed in satisfactione non con « fertur aliqua gratia, ergo non est sacra « menti pars. » Respondet duplici solutio ne, et in neutra minorem negat, quam proculdubio negaret, si satisfactionem sacramentalem gratiam conferre intellige ret. Diluitque primo objectionem dicendo quod « ex proposito satisfaciendi grati « confertur, quamvis satisfactio actual « gratiam præsupponat. » Unde tota grat hujus sacramenti ligatur, ut ita loquamu ad ejus administrationem, ubi datur pr positum satisfaciendi, quin reservetur al quis illius gradus deinceps inducendus opere operato in vi satisfactionis exercit Secundo respondet : « Vel dicendum, qu « per satisfactionem consequitur pœnite « perfectum effectum gratiæ peccatum al « lentis, quia liberatur totaliter a rea « peccati ; » id est, a pœna temporali d bita pro peccato : ergo juxta mentem D. Thomæ satisfactio sacramentalis nu

mc

modo causat ex opere operato secundam gratiam, aut ejus augmentum, sed illud efficit solum ex opere operantis, ut infra explicabimus.

92. Respondebis D. Thomam minorem argumenti non negasse, quia ibi loquebatur de gratia per se correspondenti sacramentis novæ legis, non vero de illa, quam causant per accidens. Pœnitentia autem, utpote sacramentum mortuorum, per se solum habet inducere primam gratiam, non vero secundam, seu prioris augmentum. Quocirca cum satisfactio actualis primam gratiam non conferat, sed supponat inductam ex proposito satisfaciendi, quod in susceptione hujus sacramenti inest, nil mirum quod implicite concedat, actualem satisfactionem aliquam gratiam, id est, primam non impendere : ibi enim loquebatur juxta subjectam materiam. Sed non ob id negat, satisfactionem adhuc ut exercitam secundam gratiam aut prioris augmentum producere ; cum oppositum adstruat 3 part. ut ex dicendis constabit.

Hæc tamen evasio nihil refert : nam cum D. Thomas in argumento, cui solutionem adhibebat, usus fuerit illa particula *non aliqua*, cujus æquipollens est *nulla*, quæ est universalis negativa, idem omnino est concedere in illa minori, quod « in satisfactione non confertur aliqua gratia, » ac dicere quod « nulla gratia confertur : » omnis namque gratia causabilis sive per se, sive per accidens ad primam et secundam reducitur. Admittens igitur Divus Thomas illam minorem universaliter concedit, nullam gratiam, id est, nec primam, nec secundam in actuali satisfactione produci; alioqui facillime posset argumentum diluere, minorem illam universaliter negando : nam eo ipso quod aliqua gratia in satisfactione exercita producatur, falsum est absolute quod non aliqua, vel quod nulla producatur. Et quidem si Divus Thomas sentiret, ut adversarii intendunt, satisfactionem exercitam aliquam gratiam conferre : ad totalem peccati remissionem, id est, tam culpæ, et pœnæ æternæ, quam temporalis, non confugeret : facilius enim objectionem diluere posse per recursum ad productionem augmenti gratiæ. Unde Divum Thomam in præallegato testimonio nostræ favere sententiæ extra dubium est.

93. Deinde suadetur conclusio ratione : nam sacramentum pœnitentiæ per id gratiam habitualem ex opere operato producit, quod illam significat, et ad illam producendam fuit institutum ; sed satisfactio non significat gratiam habitualem, nec ad eam causandam instituta fuit : non igitur per satisfactionem gratia ex opere operato producitur. Minor, in qua est difficultas, suadetur : nam satisfactionis sacramentalis significatio, ejusque institutio non aptius venari valet, quam ex verbis Concilii Tridentini, quod sess. 24, cap. 8, et 9, de satisfactionis necessitate, ejusque fructu agit ; sed ibi nullum occurrit verbum, unde hujusmodi gratiæ significatio, aut productio colligi valeat ; imo dum effectum, aut fructum satisfactionis exprimit, de sola pœnæ temporalis remissione loquitur, nulla gratiæ habitualis productionis mentione facta, ut videre est ibi dum dicit : « Neque vero se« curior ulla via in Ecclesia Dei unquam « existimata fuit ad amovendam imminen« tem a Domino pœnam, quam ut hæc pœ« nitentiæ opera homines cum vero animi « dolore frequentent. » Ne ergo dicamus, Concilium diminute satisfactionis naturam explicuisse, dum de ejus necessitate, et fructu sermonem texuit, ejus pretiosiorem fructum (qualis est gratia habitualis aut illius augmentum) reticendo ; asserendum est, satisfactionem sacramentalem nec talem fructum significare, nec illum ex opere operato producere. Ratio assertionis.

§ II.

Oppositæ sententiæ referuntur, et earum motiva enervantur.

94. Adversus primam conclusionem pugnare videntur Soto in 4, dist. 19, quæst. 1, art. 1, Martinus de Ledesma 4, part. quæst. 23, art. 4, dub. 4, Adrianus quæst. 2, de satisf. quorum sententiam probabilem existimat Joannes Sanctius in selectis disp. 26, num. 4, licet oppositam ut probabiliorem amplectatur. Quorum fundamentum est, quod omnis effectus ex opere operato per sacramentum productus vel causatur a sacramento, vel ab aliqua ejus parte essentiali ; sed satisfactio non est sacramentum, nec pars essentialis illius ; ergo nullum effectum ex opere operato pro- Sententia primæ conclusioni opposita. Soto. Martin. Ledes. Adrian. Fundam.

ducit ; consequenterque (inquit Sotus) solum ex opere operantis pœnam temporalem remittit, licet in hoc genere majoris satisfactionis sit, eo quod ex præcepto Confessoris executioni mandatur.

Rejicitur. Sed hoc levi manu dispellitur : respondetur enim negando majorem absolute prolatam : nam licet effectus principalis hujus sacramenti, gratia nimirum habitualis sanativa, vel ejus augmentum, solum ex opere operato producatur ex vi sacramenti, vel alicujus partis essentialis illius, quales sunt absolutio per modum formæ, contritio et confessio per modum essentialis materiæ; attamen effectus minus principalis, uti est remissio pœnæ temporalis remanentis post culpam dimissam, respondere potest satisfactioni, atque ideo ab ea ex opere operato produci tanquam a parte sacramenti minus principali illud integranti, ac perficienti.

Sententia opposita secundæ conclusioni. Lugo. 95. Adversus secundam conclusionem militat Lugo disp. 25, sect. 2, num. 6, existimans, satisfactionem jus non conferre ad auxilia aliqua in ordine ad præservandum hominem a peccatis. Quod inde probat, quia sacramenta non solent ex opere operato conferre auxilia, nisi quatenus causant habitualem gratiam : ex qua oriuntur, et quæ jus tribuit ad eadem auxilia ; sed satisfactio non confert ex opere operato gratiam habitualem, aut sacramentalem, ut in ultima conclusione statuimus: igitur jus non præbet ad prædicta auxilia obtinenda, quibus peccata removeantur.

Motivum.

Diluitur. Respondetur, satisfactionem exercitam non producere gratiam habitualem, aut ejus augmentum, nec insuper gratiam sacramentalem, nempe sanativam, quoad entitatem, aut intensionem ; producere tamen aliquam hujus quasi determinationem, qua trahitur ad proprios effectus satisfactionis. Quæ determinatio dici potest « extensio gratiæ sanativæ ex parte effec« tus ; eo quod in vi illius habetur completus effectus gratiæ sacramentalis sanativæ, aut purgantis animam a peccatis : quippe quæ remittuntur non solum quoad culpam, et pœnam æternam, sed etiam quoad temporalem. Satisfactio igitur ratione hujus extensionis, quam in gratia sanativa inducit, exigit aut affert peculiaria auxilia, quibus homo occasiones peccandi fugiat, et superet, ac diutius perseveret in gratia.

96. Adversus tertiam conclusionem plures pugnant Thomistæ, quorum authoritas satis probabilem etiam in via D. Thomæ oppositam reddit sententiam. Hi sunt, Cajetanus 3, part. q. 90, art. 2, Sotus in 4, dist. 17, quæst. 1, art. 2, Nugnus in præsenti, quæst. 13, supplem. art. 2, Petrus de Ledesma in summa, tom. 1, de pœnitent. cap. 1, dub. 2, Gonet disp, 13, art. 3, § 1, num. 31, N. Gabriel de pœnit. disp. 12, quæst. 1, Granados tom. 5, de pœnit. tract. 1, disp. 3, num. 2, Rodriguez 2, part. cap. 126, num. 9, Diana 3, part. tract. 4, resol. 70, Joannes a Cruce part.2, de pœnit. quæst. 1, dub. 4, et alii. Quam sententiam suadere nituntur primo authoritate D. Thomæ, qui 3 part. quæst. 90, art. 2, ad 2, diluens similem, aut eandem objectionem, quam in 4 sentent. supra relatam a num. 72, ita respondet : « Ad « secundum dicendum, quod satisfactio « confert gratiam prout est in proposito, « et auget eam prout est in executione, « sicut etiam Baptismus in adultis. » In quo testimonio, inquit Gonet loco nuper relato § 2, 2, num. 36, D. Thomam virtualiter deseruisse sententiam, quam docuerat in 4, sentent. Igitur juxta mentem S. Doctoris satisfactio sacramentalis adhuc ut executioni mandata ex opere operato augmentum gratiæ producit.

97. Hanc objectionem diluimus, authoritatemque D. Thomæ sedulo expendimus in priori parte hujus tract. disp. 1, dub, 2, § 7, num. 120, ubi, sicut nec in præsenti, nec leve reperimus indicium illius retractationis, quam factam putat Gonet. Quocirca ex doctrina, quam loco citato tradidimus, respondetur dupliciter. Primo, quod dum Ang. Præceptor asserit, satisfactionem sacramentalem exercitam producere augmentum gratiæ, intelligendus est de productione ex opere operantis, eo quod satisfactio est actus liber, honestus, in via elicitus, a gratiaque procedens, et aliunde capax novi fervoris, vel actus charitatis, aut alterius virtutis tunc exercitæ; non vero de productione augmenti gratiæ ex opere operato, et in virtute sacramenti. Hanc autem esse mentem D. Thomæ liquet ex verbis immediate appositis, quibus se ipsum explicat : inquit enim : « Et auget « eam prout est in executione, sicut etiam « Baptismus in adultis. » Baptismus autem

tem in adultis non confert gratiæ augmentum ex opere operato, et in vi sacramenti, sed solum ex opere operantis, ac ex devotione illum suscipientis, ut docet idem S. Doctor in locis, ad quæ in margine se refert, nimirum, eadem 3 part. quæst. 69, art. 8, et quæst. 68, art. 2, ubi, inquirens: « Utrum sine Baptismo aliquis possit sal- « vari? » Respondet : « Quod Sacramen- « tum Baptismi dupliciter potest deesse. « Uno modo in re, et voto; alio modo po- « test deesse re, sed non voto : sicut cum « aliquis baptizari desiderat, sed aliquo « casu prævenitur morte antequam Baptis- « mum suscipiat; et talis sine Baptismo « actuali salutem consequi potest propter « desiderium Baptismi, quod procedit ex « fide per dilectionem operante, per quam « Deus interius hominem sanctificat. » En Baptismus, de quo loquitur D. Thomas. Hic autem cum sit Baptismus flaminis, gratiæ augmentum ex opere operato non producit, sed tantum ex opere operantis. Unde cum D. Thomas asserat, satisfactionem exercitam concurrere ad productionem augmenti gratiæ, sicut Baptismus in adultis, palam est non docere satisfactionem illum effectum producere ex opere operato et in vi sacramenti.

Quæ solutio fulciri potest ex alio loco, ad quem etiam D. Thomas in authoritate nobis objecta se remittit; nimirum ex quæst. 69, art. 8, ubi quærens : « Utrum Baptis- « mus habeat in omnibus æqualem effec- « tum? » ita respondet : « Dicendum quod « duplex esse effectus Baptismi, unus per « se, et alius per accidens. Per se est id, ad « quod Baptismus est institutus, scilicet, ad « regenerandum hominem in spiritualem « vitam; et hunc effectum æqualiter facit « in omnibus, qui æqualiter se habent ad « Baptismum. Unde quia omnes pueri « æqualiter se habent ad Baptismum (quia « non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ « baptizantur) omnes æqualem effectum « percipiunt in Baptismo. Adulti vero, qui « per propriam fidem ad Baptismum acce- « dunt, non æqualiter se habent ad Baptis- « mum : quidam enim cum majori, quidam cum minori devotione ad Baptismum accedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus de gratia novitatis accipiunt. Effectus autem Baptismi per accidens est ad quem Baptismus non est ordinatus. » Hæc D. Thomas; ubi majorem gratiam collatam adulto in Baptismo non tribuit virtuti sacramenti, sed adultorum devotioni, quæ est virtus operantis : « Quidam « enim, *inquit*, cum majori, quidam cum « minori devotione ad Baptismum acce- « dunt. » Gratia autem, quæ ex opere operato provenit a sacramento, in omnibus asserit esse æqualem. Unde consequenter ad hæc in solutione ad secundum ejusdem articuli ait : « Ad secundum dicendum, « quod hoc, quod in baptizatis major vel « minor gratia apparet, potest dupliciter « contingere; uno modo, quia unus in Bap- « tismo percipit majorem gratiam, quam « alius, propter devotionem majorem » (hoc est, ex opere operantis). « Alio modo, « quia etiam si æqualem gratiam perci- « piant » (qualiter se habent pueri) « non « æqualiter ea utuntur, sed unus studio- « sius in ea proficit, alius per negligentiam « gratiæ deest. » Ex quibus omnibus haud obscure liquet tum mira consonantia doctrinæ, quam D. Thomas tradidit in 4 sentent. cum ea, quam loco in objectione citato docuit, atque ideo priorem minime retractasse. Tum etiam, quod dum inquit satisfactione sacramentalem mandatam executioni augere gratiam, solum loquitur de augmento inducto virtute operantis.

Alia solutio.

98. Secundo respondetur, D. Thomam in illo testimonio non intendere, satisfactionem exercitam augere gratiam intensive, et quoad entitatem, sed extensive, quoad effectum, quatenus remittit reatum pœnæ temporalis. Id quod exemplo patet : nam actus exterior dicitur augere bonitatem, aut malitiam interioris actus, non quia illi tribuat aliquam entitatem, aut aliquem intensionis modum, sed præcise quia bonitas aut malitia interioris actus extenditur ad denominandum bonum, vel malum actum externum, ut ostendimus tract. 13, disp. 10, dub. 1, § 2, num. 12 et 35, et ibidem disp. 5, dub. 4, num. 59. Ita ergo proportione servata accidit in præsenti. Gratia namque ordinatur ad remissionem peccati quoad culpam, et pœnam æternam, ac temporalem; unde cum satisfactio exercita ex opere operato temporalis pœnæ reatum abscindat, dicitur a D. Thoma augere gratiam extensive, et quoad effectum, eo quod gratia mediante satisfactione extenditur ad completum, per-

fectumque effectum remissionis peccati etiam quoad reatum ex eo ortum. Quod omnino idem est ac id quod in 4, docuit, nimirum : « Quod per satisfactionem consequitur pœnitens perfectum effectum « gratiæ peccatum abolentis, quia liberatur « totaliter a reatu peccati. »

Objectio. 99. Arguitur secundo ratione : etenim quod convenit sacramento pœnitentiæ, debet ejus partibus convenire ; atqui sacramentum pœnitentiæ causat augmentum gratiæ ex opere operato : ergo cum satisfactio sit ejus pars, illi denegandum non est gratiam augere ex opere operato. Minor, et consequentia constat ; major autem suadetur : nam ideo attritio, confessio, et absolutio gratiam ex opere operato producunt, et augent, quia sunt partes sacramenti, cui per se respondet productio illius effectus : ergo effectus, ac modus causandi, qui convenit sacramento, competit etiam partibus.

Diluitur. Respondetur, attritionem, confessionem, ac absolutionem non utcumque rationem partium sacramenti sortiri, sed illius partes essentiales existere. Satisfactio autem solum partis integrantis rationem vindicat. Porro modus causandi, ac affectus, qui sacramento conveniunt, solum tribuendi sunt partibus essentialibus, sine quibus sacramentum existere nequit, non autem parti ignobiliori, quæ sacramentum absolute constitutum supponit, qualis satisfactio est ; atque ideo hæc vim producendi gratiam ex opere operato habere non exposcit.

Replica. 100. Dices : ex solutione solum evinci, partes essentiales quia tales habere virtutem causandi ex opere operato gratiam essentialiter, aut per se sacramento correspondentem, nempe, primam gratiam quoad entitatem, ac insuper sanativam, aut sacramentalem peculiarem hujus sacramenti, quas satisfactio actualis productas supponit ; non autem quod satisfactio inducere nequeat gratiam secundam, aut habitualis productæ augmentum, quo perficiatur ; sed id potius ex assignata disparitate deducitur. Eo vel maxime, quia satisfactio, quamvis sacramentum quoad essentialia constitutum supponat, moraliter illi ac aliis partibus copulatur, integritatemque omnimodam præstat.

Confirmat. Confirmatur : nam satisfactio sacramentalis a non sacramentali distinguenda est ; atqui si satisfactio sacramentalis augmentum gratiæ ex opere operato non producit, non est caput unde a non sacramentali discriminetur : ergo gratiam vel ejus augmentum affert ex opere operato. Minor suadetur : etenim satisfactio non sacramentalis, si in statu gratiæ fiat, eam auget ex opere operantis, et aliunde pœnam temporalem extinguit : ergo si satisfactio sacramentalis in virtute sacramenti ac potestatis clavium gratiæ augmentum non inducit, nihil peculiare habet ex quo distinctionem accipiat a non sacramentali.

Verum hæc haud difficile dissipantur : respondetur enim ad replicam distinguendo inter partes essentiales, ac integralem sacramenti, et inter effectus, qui ad earum unamquamque per accommodam distributionem spectant sacramenti quippe totalis, et adæquatus effectus est integra ac plena peccatorum remissio, quæ complectitur, ut sæpius inculcavimus, purgationem tam culpæ et pœnæ æternæ, quam temporalis. Hi igitur malis curandis ita aptandæ sunt sacramenti partes, ut illæ quæ essentiale existunt, medicamentum apponant malculpæ, ac pœnæ æternæ, eo quod ad hujusmodi mala fuganda sacramentum per s essentialiter ordinatur. Unde cum culp nequeat nisi per gratiam ablegari, conse quens est ut sacramentum, atque ideo ejus partes essentiales gratiam primam, ac insu per sanativam, et peculiarem per se a opere operato inducant. Si autem culp ante sacramentum fugata est per contritic nem, vel alia quacumque via ; tunc sacra mentum ac ejus partes essentiales gratia secundam, aut prioris augmentum inducu per accidens. His absolutis, ad perfectu sacramenti effectum solus temporalis pœn reatus manet, solvendus ; hic autem cu stricte reatus culpæ non sit, quamvis ab ortum ducat, ad sui remotionem gratia non exposcit, sed solam satisfactionem Quocirca hujusmodi effectus præcise qui per se respondet satisfactioni tanqua ab ea inducendus in vi sacramenti, ac vi tute clavium. Unde replicæ difficultas ev nescit : ex eo namque, quod satisfactio pars integralis sacramenti, solum habet debere causare effectum sacramenti quo totalem remissionem peccati per exclusi nem reatus pœnæ temporalis remanent

a

ad quod gratiam producere aut ejus augmentum non desideratur, sed debiti solutionem ponere satis est.

Ex quibus ad confirmationem dicendum est, sufficiens versari discrimen inter satisfactionem sacramentalem, et non sacramentalem etiam in ordine ad effectum, quem utraque inducit : illa quippe reatum pœnæ temporalis excludit ex opere operato, ac in vi sacramenti; hæc autem illum præcise dimittit ex virtute operantis. Nec desideratur ad absolutam distinctionem diversitas in omnibus, atque ideo opus non est, quod si extra sacramentalis auget gratiam ex opera operantis, eandem augeat sacramentalis ex opere operato : satisfactio enim præcise exposcitur a sacramento sub conceptu formalissimo satisfactionis, quo pacto solum est temporalis pœnæ remissio, non vero productio augmenti gratiæ : hoc namque aliunde habet, quia nimirum concomitanter est actus meritorius, a gratiaque procedens. Et quamvis uterque conceptus meriti, et satisfactionis in eodem actu conjungantur, aut identificentur, solum quatenus satisfactorius assumitur ille actus ad integrandum sacramentum.

Unde vires assumit id, quod, et in priori parte hujus tract. disp. 1, dub. 2, et in præsenti disputatione non semel innuimus, pœnitentem, videlicet, non teneri injunctam satisfactionem in statu gratiæ executioni mandare ; atque ideo sacrilegii reum censendum non esse, esto illam in statu peccati exhibeat, quia obicem gratiæ non ponit : quippe quæ per satisfactionem non producitur ; sed dumtaxat effectui minus principali sacramenti, remissioni videlicet pœnæ temporalis. Imo inde sententia nostra non immodice roboratur, oppositaque vim amittit : nam si satisfactio sacramentalis gratiam vel ejus augmentum ex opere operato produceret, pœnitens sacrilegium committeret, quoties injunctam satisfactionem in statu peccati executioni mandaret, cum obicem gratiæ sacramenti apponeret. Hoc autem ingentis rigoris est, ac contra communem Doctorum sententiam, qui non solum pœnitentem exhibentem satisfactionem extra gratiæ statum ab illo crimine excusant, sed præcepto sacerdotis facere dicunt. Satisfactio igitur ad illum effectum ex opere operato concursum non præstat.

§ III.

Duplicis quæstiunculæ incidentis decisio.

101. Cum satisfactio sacramentalis plus pœnæ remittat, quam non sacramentalis, occasionem præbuit illi difficultati, in qua solet inquiri, an dum sacerdos injungit pœnitenti satisfactionem suo prudenti judicio omnino culpis proportionatam, licet coram Deo ita non sit, tota pœna debita remittatur? Partem affirmantem docent Scotus in 4, dist. 19, quæst. 1, Gabriel dist. 18, quæst. 1, art. 1, Medina, Cod. de pœnit. quæst. *de effectu pœnitentiæ injunctæ*, Sotus dist. 18, quæst. 2, art. 3 et alii. Fundamentum eorum est : quia satisfactio sacramentalis est a Christo Domino instituta, ut ex opere operato pœnam temporalem ex peccatis debitam remittat, juxta prudentem taxationem a sacerdote factam, cui pœnitens ut reus stare debeat; ergo quando illius sententia prudenter fertur commensurate ad gravitatem culparum, efficaciam debet habere ad totam pœnam debitam remittendam, licet quæ coram Deo debetur, major aut minor sit materialiter. Antecedens est certum, et consequentia suadetur : quia sacramentale judicium institutum est, ut modo humano peragendum; sed confessarius nequit modo humano in satisfactione injungenda attingere æqualitatem omnimodam, ita ut non deficiat, neque excedat : ergo si juxta prudens judicium pœnitentiam mensuret, sufficit ut totius pœnæ debitæ reatum solvat.

Quæstiunc. 1.

1 Sentent.

Scotus, Gabriel Medina Sotus.

102. Probabilius tamen censemus oppositum, illamque pœnam dumtaxat per satisfactionem remitti, quæ apud Deum æqualis est valori satisfactionis, et non præcise prudenti judicio confessarii. Hanc sententiam amplectuntur N. Franciscus cap. 16, punct. 1, num. 4, N. Antonius disp. 21, sect. 1, num. 1598, Nugnus in addit. quæst. 18, art. 4, Suarez disp. 38, sect. 5, Vasquez quæst. 94, art. 2, dub. 9, Lugo disp. 25, num. 19, Dicastillo disp. 14, dub. 12, num. 175, Bonacina disp. 5, sect. 3, quæst. 5, punct. 1, et alii. Probaturque ratione ; nam ideo per pœnitentiam commensuratam culpis prudenti judicio confessarii tota pœna debita extingueretur, quia illud prudens judicium re vera attingeret æqualitatem pœnæ debitæ, vel quia Christus id ita or-

2 sententia probabilior.

N. Fran. Anton. Nugnus. Suarez. Vasquez. Lugo. Dicast. Bonacin.

Ratio.

dinaverit : sed neutrum verum est : ergo non tota pœna remittitur. Minor, quæ difficultatem præsefert, quæque duplicem continet partem, quoad utramque probatur. Quoad primam quidem ; nam ut prudens confessarius illam æqualitatem attingeret, plura scire opus erat, quæ illius captum superant, et quæ agnoscere moraliter impossibile est : quis enim scit, quanta purgatorii pœna correspondeat cuilibet culpæ ? Quanta in hac vita ? Quanta sit hujus, aut alterius peccati gravitas tam in specie, ac individuo, quam in intensione, duratione, ac voluntarietate ? Quanto dolore pressus pœnitens ad sacramentum accedat, ut inde conjecturari possit quis ideo reatus diminuatur, et qua minori pœnitentia gravetur? Nullum ergo adest fundamentum ad affirmandum, sacerdotem attingere æqualitatem prædictam. Quoad secundam vero eadem minor probatur : nam etsi extra dubium sit, Christum Dominum id statuere potuisse ; nullo modo constat nec ex Sacra Scriptura, nec ex Conciliis, nec ex Patribus, vel locum aliquem, authoritatemve designent adversarii, ex qua constet Christum Dominum id ita decrevisse : ergo judicium illud mera divinatio est totius fundamenti, ac veritatis expers.

Fundamentum oppositum dispellitur.

Motivum autem oppositæ sententiæ minime evincit, totam pœnam debitam remitti per pœnitentiam judicio prudenti confessarii æqualem debito existimatam ; sed solum pœnitentem illam executioni mandantem sufficienter satisfacere obligationi, cui ex præcepto sacerdotis adstrictus erat, sacramentumque perficere. Reliqua enim ex nullo principio dignosci possunt.

Replica.

103. Dices : Superior legitima potestate dispensans in voto ea causa, quam prudenter existimat sufficientem, quamvis reipsa apud Deum insufficiens sit, omnino voti obligationem tollit. Similiter Pontifex indulgentiam concedens, quæ ad sui valorem sufficientem et proportionatam causam exposcit, si prudenter judicet causam proportionatam adesse, licet revera non sit proportionata, valide indulgentiam concedit, et hæc totum suum effectum producit : ergo similiter dummodo sacerdos pœnitentiam injungat, quam æqualem debito prudenter judicat, totum pœnæ debitum extinguit.

Respondetur omisso antecedenti negando consequentiam. Disparitas consistit in eo, quod Pontifex indulgentiam concedens non applicat causam ad eam valide concedendam, sed ipse per se ipsum indulgentiam concedit posita per modum conditionis executione alicujus operis pii, et honesti, purificataque conditione tollitur reatus pœnæ in totum, vel ex parte juxta indulgentiæ quantitatem. Similiter in voto ; posito prudenti superioris arbitrio, ipsemet dispensans vice Dei totam voti aufert obligationem, quin ad ejusdem obligationis extinctionem motivum applicet. Sacerdos vero in sacramento per satisfactionis impositionem non remittit immediate debitum pœnæ, sed applicat partem sacramenti, quæ ex se habet virtutem ad pœnam remittendam, ipse autem nescit an virtutem habeat ad partem, vel ad totam, sicut Pontifex scit virtutem qua ad id gaudet indulgentia v. g. plenaria. Unde si virtutem habuerit ad omnem remittendam, illam remittet : et si revera solum virtutem sortiatur ad solutionem partis, non remittet omnem, licet Confessarius prudenter judicet esse debito æqualem. Sicut Medicus applicans infirmo remedium, quod prudenter existimat ad morbum depellendum efficacissimum, si revera ita non est, non ampliorem curationem efficiet, quam illam ad quam habet virtutem.

104. Secunda difficultas est, an dum satisfactio impeditur a consecutione sui effectus, eo quod mandatur executioni in statu peccati, remittat pœnam temporalem recedente fictione? Hanc difficultatem præcedenti disput. obiter tactam reliquimus ; hic autem, ubi propriam sedem habet, diligentius examinanda est. Igitur consone ad ea quæ tract. 22, disp. 4 dub. 6, § 2, num. 91, statuimus, negative respondetur. Motivum, quo ducimur, illudque non infirmum, est : quia quoad effectus productionem idem sentiendum est de toto sacramento, ejusque partibus essentialibus, ac de parte tantum integrali ; atqui nec pœnitentiæ sacramentum, nec ejus partes essentiales recedente fictione proprios effectus producunt : ergo nec satisfactio fictione recedente inducit virtute sacramenti pœnæ temporalis remissionem, aut alium effectum sibi respondentem. Major satis ex se liquet : nullum enim fundamentum adest, ut major virtutis efficacia tribuatur ignobiliori

ignobiliori ac infirmiori parti sacramenti, quam toti sacramento, aut ejus partibus principalioribus, ac essentialibus. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, probata ac ab impugnationibus vindicata manet loco citato.

Confirmatur authoritate simul, et ratione D. Thomæ, qui in supplem. quæst. 14, art. 3, eandem difficultatem attingens, ita inquit in argum. *Sed contra :* « Opera extra « charitatem facta ideo non erant satisfactoria » (id est pœnæ debitæ remissiva) « quia fuerunt mortua ; sed per pœnitentiam non vivificantur : ergo nec incipiunt esse satisfactoria. Præterea charitas non informat actum, nisi qui ab ipsa aliqualiter procedit; sed opera non possunt esse Deo accepta, ac per hoc nec « satisfactoria, nisi sint charitate informata : ergo cum opera facta extra charitatem nullo modo ex charitate processerint, vel de cetero procedere possint, « nullo modo poterunt in satisfactionem « computari. » Ac tandem in corpore articuli subdit : « Respondeo dicendum, quod « quidam dixerunt, quod opera in charitate facta, quæ viva dicuntur, sunt meritoria vitæ æternæ, et satisfactoria respectu pœnæ dimittendæ ; et per charitatem sequentem opera extra charitatem « facta vivificantur quantum ad hoc, quod « sunt satisfactoria, sed non quantum ad « hoc, quod sunt meritoria vitæ æternæ. « Sed hoc non potest esse : quia utrumque « habent ex eadem ratione opera ex charitate facta, scilicet, ex hoc quod sunt Deo « grata. Unde sicut charitas adveniens « non potest ea gratificare quantum ad « unum, ita nec quantum ad aliud. »

105. Respondebis ex adversariorum doctrina, D. Thomam in illo articulo sermonem non facere de satisfactione sacramentali, sed tantum de non sacramentali; itque ideo ex vi hujus solum habetur, extrasacramentalem satisfactionem fictione recedente effectum non sortiri, secus autem sacramentalem. Et quod D. Thomas id tantum intendat, inde suadetur, quia in solutione ad 2 ejusdem artic. rationem assignans cur Baptismus, cujus efficacia hice impeditur, recedente fictione effectum obtineat, non vero satisfactio, inquit : « Propterea Baptismus ex ipso opere operato justificat, quod non est hominis, sed « Dei : et ideo non eodem modo mortifi« catur, sicut satisfactio, quæ est opus ho« minis. » Constat autem, satisfactionem sacramentalem opus Dei esse, utpote quid elevatum virtute clavium ad producendum ex opere operato effectum sacramentalem solutionis pœnæ, quemadmodum et Baptismus ad regenerandum. Loquitur ergo D. Thomas de sola satisfactione extrasacramentali, quæ sola opus homines est.

Sed contra : nam D. Thomas ibi duplici solutione argumentum diluit ; in quarum prima, quæ principalior est, ita inquit : « Dicendum, quod Baptismus imprimit « characterem in anima, non autem satis« factio ; et ideo adveniens charitas, quæ « fictionem tollit et peccatum, facit quod « Baptismus effectum suum habeat ; non « autem facit hoc de satisfactione. » Hæc igitur est potissima ratio disparitatis, quam assignat inter Baptismum, et satisfactionem, et qua tanquam principalissimo fundamento utitur 3, part. quamque etiam adduximus tract. 22, disp. 4, dub. 6, ad suadendum sacramenta, characterem non imprimentia, quale est pœnitentiæ, recedente fictione effectum, vel gratiam non producere. Ea autem æqualiter suadet de satisfactione sacramentali, ac de non sacramentali proprios effectus obice recedente non obtinere, quippe quæ nulla characterem imprimit, uti Baptismus, qui in charactere ab eodem inducto virtualiter perseverat etiam dum peccatum adest, ratione cujus ubi postea obex recedit, effectum infert. Atque ideo utrique satisfactioni negat D. Thomas vim obtinendi proprios effectus recedente fictione. Dispellitur.

106. Secunda autem solutio, quam D. Thomas adhibet objectioni, est quædam congruentia coadjuvans, non vero ratio efficaciter evincens, nec ut talis ab Ang. Præceptore adducitur. Nam omnia sacramenta characterem non imprimentia æque opus Dei sunt ac Baptismus, quo non obstante sæpe de illis asserit D. Thomas gratiæ fructum non producere obice recedente, uti nominatim de opere Dei maximo, Eucharistiæ videlicet sacramento, docet in 4, dist. 4, quæst. 3, art. 2, quæstiunc. ad 3 : « Dicendum, quod in Eucharistia non im« primitur character, cujus virtute possit « aliquis virtutem sacramenti percipere « fictione recedente ; et ideo non est si-

« mile. » Non igitur adducitur a D. Thoma ut se sola suadeat, sed ut congruenter adjuvet. Et quidem id efficit, saltem quatenus probat de satisfactione extrasacramentali : hæc enim cum quoad omnia opus hominis sit, effectum fictione recedente recuperare nequit, sicut Baptismus ob oppositam rationem, licet alias ratio illa idem non evincat de satisfactione sacramentali, utpote quæ, quatenus pars sacramenti, opus Dei est, et non tantum hominis.

Confutatur amplius.

Adde primo (per quod prædicta evasio omnino evertitur) disparitatem a D. Thoma assignatam esse optimam adhuc quatenus versatur inter Baptismum, et satisfactionem tam extrasacramentalem, quam sacramentalem : nam ideo inquit, Baptismum recedente fictione effectum obtinere, quia est opus Dei ; non vero satisfactionem, quia est opus hominis. Hoc autem de utraque satisfactione in statu peccati exercita absolute verificatur ; satisfactio namque sacramentalis, de qua difficultas esse poterat, eo ipso quod extra gratiæ statum mandetur executioni, est opus hominis. Ratio est : quoniam in tantum esset opus Dei in quantum esset elevata virtute sacramenti, vel clavium ad productionem sui effectus ; hæc autem elevatio salvari nequit in satisfactione exercita in statu peccati, licet alias sit injuncta a sacerdote : nam virtus elevans in se formaliter non persistit, siquidem sacerdos jam absolutionem, et sacramentum complevit. Deinde in aliquo effectu per eandem producto virtualiter non persistit : quia gratia habitualis per sacramentum, et illam virtutem producta, jam periit ratione peccati, cum quo incompossibilis est. Ac tandem gratia sacramentalis, quæ sanativa dicitur, etiam defecit : hæc enim cum sit quidam modus determinans gratiam habitualem, ut statuimus tract. 22, disp. 4, dub. 9, necesse est deficere deficiente gratia, quam modificat. Non igitur persistit virtus elevans satisfactionem nec in se, nec in aliquo effectu ; atque ideo satisfactio illa omnino est opus hominis, ac subinde incapax producendi ex opere operato effectum sacramentalem fictione recedente. Dicitur tamen satisfactio sacramentalis, quia injuncta fuit in sacramento, et quia per ejus exhibitionem fit satis præcepto sacerdotis, qui solum præcepit opus absolute exhibendum ; et insuper quia sacramentum p materialiter complet, non vero formalit cum alias opus virtute sacramenti ele tum non sit. In quo differt a satisfacti sacramentali in statu gratiæ mandata e cutioni, quæ elevata est per gratiam ha tualem, et sacramentalem, quæ salt effective, et virtualiter sunt virtus vium, vel sacramenti, a qua produ fuerunt.

Adde secundo, D. Thomam in præd authoritate docere, Baptismum recede fictione gratiæ fructum obtinere : q « non eodem modo mortificatur, sicut « tisfactio quæ est opus hominis. » H autem ratio æque militat in satisfacti sacramentali in statu peccati exercita, in non sacramentali : utraque nam mortificatur aliter ac Baptismus. Hic er ideo non omnino mortificatur, quia re quit in baptizato characterem, qui per p catum non destruitur, nec expelli pot ut constat ex eodem D. Thoma 3, p quæst. 69, art. 10, in corp. Satisfactio v sacramentalis omnino per culpam mo ficatur, eo quod nullum effectum super turalem relinquit in subjecto, atque i omnino redditur opus hominis, quod ol recedente effectum obtinere non pot Etenim causa instrumentalis physica (q lia sunt omnia sacramenta, et satisfacti pars sacramenti) debet, dum effect producit, vel in se formaliter, vel salt virtualiter in aliquo permanere : ef tus quippe nequit physice produc causa nec formaliter nec virtualiter e tente ; atqui satisfactio sacramentalis peccato mortali exercita nullum ef tum sacramentalem relinquit, in virtualiter ejus virtus persistat : ergo ipso quod extra statum gratiæ fiat, ne obice recedente effectum proprium o nere ; atque ideo omnino per culpam m tificatur ; et fit tanquam opus homi Oppositum autem in Baptismo contin hic enim quamvis in se formaliter tra eat, relinquitur virtualiter in charact quem imprimit ; unde dum fictio tollit potest physice effectum producere rati virtualis permanentiæ.

107. Dices : aliquam dari satisfaction quæ postquam transiit, aliquem effect distinctum a charactere relinquat, qui dem effectus multoties persistit, ficti recede

ccdente : ergo si talis satisfactio a sacer-
ote in pœnitentiam injungatur, et adim-
leatur in statu peccati, poterit ut pars sa-
ramenti causare remissionem pœnæ rece-
ente fictione. Antecedens expresse docetur
D. Thoma in supplem. quæst. 14. art. ad
, his verbis : « Ad tertium dicendum,
quod aliquæ satisfactiones sunt, ex qui-
bus manet aliquis effectus in satisfacien-
tibus, etiam postquam actus satisfactionis
transiit, sicut ex jejunio manet corporis
debilitatio, et ex eleemosynarum largi-
tione substantiæ diminutio ; et tales
« satisfactiones in peccatis factæ non opor-
« tet quod iterentur, quia quantum ad hoc,
« quod de eis manet, per pœnitentiam Deo
« acceptæ sunt. Satisfactiones autem, quæ
« non relinquunt aliquem effectum in sa-
« tisfaciente, postquam actus transit, opor-
« tet quod iterentur, sicut de oratione, et
« similibus. »

Huic objectioni in disp. præced. solutio-
nem dedimus, mentemque Ang. Præceptoris
explicuimus, ac ex ibidem dictis breviter
respondetur, jejunium in satisfactionem
injunctum relinquere aliquem effectum,
corporis videlicet debilitationem, in qua
virtualiter persistere potest usque dum
fictio recedat, et deinceps. Hic tamen effec-
us non est proprius jejunii ut a sacerdote
njuncti, vel ut elevati virtute clavium, et
acramenti, sed præcise ejusdem jejunii
materialiter, et in esse entis accepti. Cujus
ignum evidens est, debilitationem illam
odem modo relinqui in corpore a jejunio
ive in pœnitentiam injuncto, sive non :
quod ita fieri non posset, si a jejunio ut
parte sacramenti procederet. Unde solum
fit, illam satisfactionem secundum id, quod
ex se habet, et ex opere operantis relinquere
aliquem effectum, in quo persistat usque
dum charitas accedit ; et quod tunc illa
debilitatio relicta, non vero jejunium quod
illam induxit, incipiat ex opere operantis
ratione charitatis advenientis pœnam re-
mittere : ideo enim consulto addidit D.
Thomas : « Quantum ad hoc, quod de eis
« manet, per pœnitentiam Deo acceptæ
« sunt ; » id est, quantum ad effectum re-
lictum, non vero quantum ad jejunium
formaliter factum, quod jam transiit. Quid
autem intendat D. Thomas, dum subdit,
« quod tales satisfactiones in peccatis factæ
« non oportet quod iterentur ; » diximus
disp. præc. dub. 3, num. 68, quo Lectorem
remittimus, ubi hanc solutionem inveniet
amplius expensam.

DISPUTATIO XII.

De potestate Clavium, ac ministrorum Sacramenti Pœnitentiæ.

Egit D. Thomas de potestate ministri confessionis quæst. 8, supplem. de clavium vero potestate disseruit a quæst. 17, ejusdem supplem. usque ad 20, inclusive, ubi cuncta, quæ ad pœnitentiæ sacramentum spectant, omnino absolvit ; id quod etiam, et nos efficere impense optamus, ut Cursus hic Scholasticus, in cujus elaboratione tot temporis absumpsimus, plenitudinem omnium, quæ ad Sacram Theologiam attinent, accipiat, metam attingat, ac omnino completus in lucem prodeat. Igitur de ministri potestate ad quæstionis 8 calcem non egimus, ut inseguentium Angelici Præceptoris vestigia methodus exposcebat. Tum ut omnia, quæ ad confessionem spectant, simul traderemus. Tum etiam quia, ut ait D. Thomas quæst. 17, supplem. potestas ministrorum ad claves pertinet, aliundeque dum de clavibus disputat idem Ang. Doctor, nonnulla de ministris immiscet, ut in quæst. 19 videre est. Quocirca, ne iterum eadem inculcare cogeremur, quæ de ministris supra dicenda erant, huic disputationi de clavium potestate inserenda sedulaque discusstione tractanda censuimus. Verum quia Ang. Doctor prius agit de potestate, deincepsque de ministris, per quos illa exercetur potestas ; ideo ejus vestigiis inhærentes de eisdem eodem ordine agemus. Quamvis autem quæstio *an est* quæstionem *quid est* regulariter præcedat, non semel hic ordo invertitur, et a posteriori exordium auspicatur ; quod in præsentiarum fiet : quippe cognita essentia potestatis clavium, aptius dignoscetur an in Ecclesia sit.

DUBIUM I.

Quid sint claves Ecclesiæ, vel an recte diffiniantur.

1. Quia hæretici, ut tenebras in lumen effundant, in clavium nomine offendunt, ne de vocibus quæstio fiat, ac veritas sophismatibus denigretur, dum res gravissimi ponderis ad trutinam adducitur, opus est quid nomine potestatis clavium significatur, exponere. Claves igitur stricte acceptæ sunt illud materiale instrumentum, quo ostium aperitur, et clauditur. Unde desumpta est metaphora ad clavium Ecclesiæ potestatem designandam, qua cœlum vel occluditur, vel patefit. Non enim claves istæ (inquit Magister in 4, dist. 18) « sunt corporales, sed spirituales, scilicet, « discernendi scientia, et potestas judicandi, « id est, ligandi, et solvendi, quæ dignos « recipere, indignos debet excludere a « Regno Ecclesiasticus judex. » Eodem modo loquuntur D. Hieronymus, ac ex eo Glossa ordinaria in cap. 16 Matth. Joannes XXII, in extravaganti cap. *Quia quorundam, de verborum significatione.* Et communiter S. Patres, ac Theologi, qui claves Ecclesiæ ita definiunt: *Potestas ligandi, ac solvendi, qua Ecclesiasticus judex dignos recipere, et indignos excludere debet a Regno.* De cujus diffinitionis bonitate disseruit D. Thomas in præsenti quæst. 17, art. 2. Cum autem ad diffinitionem spectet quid sit res diffinita explicare, non prius quidditas potestatis clavium patefiet, quam prædictæ diffinitionis approbatione jaculis impugnationum infrictis.

Clavium metaphora exponitur.

Magister sentent.

D. Hieron. Glossa ord. Joann. XXII.

Clavium definitio.

§ I.

Deciditur dubium, et communis sententia defenditur.

Assertio.

2. Dicendum est, prædictam clavium Ecclesiæ diffinitionem esse optimam. Ita D. Thomas loco citato, quem sequuntur Sotus in 4, quæst. 1, art. 1, dist. 20, Capreol. dist. 17, quæst. 1, art. 1, Nugnus, Seraphinus in præsenti, art. 2, Abulensis in cap. 16, Matth. quæst. 74, et communiter Doctores. Probatur igitur ratione ex D. Thoma desumpta, quæ sic valet efformari. Illa est recta diffinitio alicujus potentiæ, quæ traditur per proprium actus objectum, modum operandi, ac subjectum talis potentiæ; sed hujusmodi est prædicta potestatis clavium diffinitio: ergo. Consequentia liquet, et majorem supponit Thomas ex Philosopho 2, de anima, text. 33, et merito: quippe omnis diffinitio intendit ut essentiam explicet; essentia autem cujuslibet potentiæ, qua ratione accidens est, per ordinem ad subjectum, quo vero est potentia, per respectum ad proprium objectum specificativum accipitur mediante actu, ac operandi modo. Minorem autem ita suadet discurrendo per singula. Nam ly *potestas* explicat conceptum potentiæ, in quo cum aliis convenit. Ly *judex Ecclesiasticus* exprimit illius subjectum. Ly *recipere, ac excludere* proprios actus designat. Ly *a Regno* objectum exponit. Ac tandem per ly *dignos, et indignos* modus operandi invenitur. Unde ulterius roboratur assertio ex eo, quod hæc diffinitio continet genere ac differentia: genus enim est ly *potestas;* reliquæ vero particulæ propriam differentiæ rationem vindicant.

D. Thom. Solus, Capreol. Nugnus, Seraph. Abulen.

Ratio.

3. Sic itaque in generali hac diffinitione explicata, singulas particulas ulterius particulari exponere oportet, ut natura potestatis clavium amplius innotescat. Igitur ly *potestas*, quæ loco generis ponitur, non quamlibet potestatem ad agendum designat, sed ut inquit D. Thomas 4, dist. 14, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. ad 3: « Proprie nominat potestatem ac« vam cum aliqua præeminentia. » In quo convenit clavis cum præeminenti potestate Magistratuum, ac sæcularium judicum. Sic nihilominus intellecta est ratio satis communis, potestque in plurimis generibus reperiri, id est, tam in corporalibus quam in spiritualibus; tam in naturalibus, quam in supernaturalibus; tam in politicis, quam in sacris, ut Ecclesiasticis; in præsenti tamen determinatur per alias particulas, quæ habent rationem differentiæ ad designandam potestatem spiritualem supernaturalem, et sacram. Ratio est: quia cum Ecclesiæ claves non sint instrumentum ad aliquod materiale ostium, sed ad cœli aditum claudendum, vel reserandum, qui metaphorice dumtaxat dicitur clausus per culpam, quæ solum per potestatem spiritu-

I

COLLEGE LIBRARY

em ab anima dimitti potest ; ideo non aterialis, sed tantum spiritualis potestas sse potest.

Deinde, cum remotio peccati cœli adi- um impedientis nulli creaturæ ex propriis onvenire valeat, sed ad solum Deum pectet juxta illud Lucæ 5: *Quis potest pec- ta dimittere, nisi solus Deus ;* consequens t, ut illa potestas sit supra exigentiam tius creaturæ, atque ideo supernaturalis. lterius, cum hæc proprium operetur fectum medio pœnitentiæ sacramento, jus administrationem solis sacerdotibus hristus commisit ; sacra, et Ecclesiastica se debet. Præterea, cum ingressus ad egnum cœlorum non fiat nisi obstaculo eccati demisso, dicitur potestas *ligandi, et l- ndi*, quod idem est ac reserandi, et udendi ; dicitur tamen solvendi, aut serandi, quia sacerdos per clavium po- statem amovet culpam, quæ cœli aditum pedit ; ligandi vero, aut claudendi, non ia impedimentum ad intrandum ponat, d quia impedimentum positum, pecca- m videlicet, non declinat. Ac tandem, m hujusmodi solutio, aut ligatio ordi- te, ac juxta meritorum exigentiam fieri n possit, nisi inspecta idoneitate eorum, ibus Regnum cœleste claudendum, aut eriendum est ; ideo subjungitur : *Dignos cipere, et indignos debet excludere.* In qui- s particulis inquit D. Thomas modum erandi designari, eo quod clavium po- tas aliter se habet erga dignos, ac erga lignos : quippe dignitas benignitatem us exposcit, indignitas vero severitatem, æ ad modum operandi potestatis cla- im referuntur.

§ II.

Argumentis satisfit.

1. Quamvis assertio proposita sit adeo ra, ut communi Theologorum sententia betur ; militant tamen adversus eam quæ objectiones, quarum enodatione sus adductæ diffinitionis clarior appa- it. Arguitur ergo primo. Potestas li- di, et solvendi est idem ac character rdotalis ; sed hic non est idem ac po- as clavium : ergo clavis non recte nitur per potestatem ligandi ac sol- di. Major supponitur ex illis verbis : *Accipe potestatem* etc., quibus sacramen- tum Ordinis confertur, et character impri- mitur. Minor vero suadetur multipliciter. Primo : quia identitas, aut diversitas cu- jusvis potestatis ex identitate aut diversi- tate terminorum, quos respicit, venanda est ; sed clavis ac character ad diversos terminos ordinantur : quippe character respicit verum Corpus Christi consecran- dum, clavis vero Corpus Christi mysticum, id est, subditos ut dirigendos : ergo cum Corpus Christi verum, ac mysticum sint termini diversi, clavis ac character dis- tinctæ potestates esse debent.

Secundo eadem minor suadetur funda- mento Scoti. Illæ potestates distinguuntur, quæ separantur realiter ; atqui potestas characteris, ac potestas clavis realiter separantur : ergo diversæ sunt. Minorem probat in Apostolis, quibus prius con- tulit Christus Dominus characterem ac potestatem consecrandi, dum dixit : *Hoc facite in meam commemorationem ;* tunc enim eos sacerdotes constituit ; deinceps vero post resurrectionem clavium potes- tatem dedit, cum dixit : *Accipite Spi- ritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. Id quod etiam in aliis sacerdotibus accidit : nam cum Episcopus eos ordinat, prius tribuit characterem, aut potestatem consecrandi ; deinceps vero dum manus imponit, clavium potestatem confert : ergo si diversis temporibus con- feruntur, una potestas ab alia realiter se- paratur.

Tertio ex D. Thoma 3 part. quæst. 63, art. 5, in corpore, ubi demonstrat, Chris- tum non habuisse characterem secundum aliquam rationem ; eum tamen ibidem ostendat habuisse claves excellentissimo modo : ergo claves, et character realiter separantur, atque ideo realiter distinguun- tur. Quod ulterius suaderi potest ex eo, quod character est æqualis in omnibus sa- cerdotibus ; claves autem hanc æqualita- tem non servant, ut ex se patet : ergo dis- tinctæ potestates sunt.

Ad argumentum respondetur concessa majori negando minorem intellectam de distinctione reali entitativa, seu de cha ractere sumpto adæquate quoad entitatem, ac extensionem ; quam minime evincunt inductæ probationes. Non prima : nam diversitas realis potentiæ, aut potestatis

desumenda est ex diversis terminis primariis, ac adæquatis, ad quos potentiæ aut potestates ordinantur ; non vero ex diversitate terminorum, quorum unus est primarius, alterque secundarius. Actus autem consecrandi, aut conficiendi Corpus Christi verum, et actus regendi Corpus ejus mysticum ligando, et solvendo a peccatis, qui sunt termini inspecti, non comparantur ad characterem sacerdotalem, et ad claves tanquam termini adæquati ac primarii, sed ut actus ac terminus primarius, et secundarius characteris sacerdotalis adæquate, et complete sumpti. Quæ responsio est D. Thomæ in 4, dist. 24, quæst. 2, art. 3, ad 2, ubi ait : « Dicendum, quod Domi- « nus discipulis dedit sacerdotalem potes- « tatem quantum ad principalem actum in « Cœna quando dixit : Accipite, et mandu- « cate ; inde subjunxit : Hoc facite in meam « commemorationem. Sed post resurrec- « tionem dedit eis sacerdotalem potestatem « quantum ad actum secundarium, qui est « ligare, et solvere. » Idemque disertis verbis tradit in præsenti, quæst. 17, art. 2, ad 1: « Dicendum, quod ad duo, quorum « unum est causa alterius, una potestas « ordinatur, sicut in igne ad calefaciendum, « et dissolvendum. Et quia omnis gratia, et « remissio in Corpore mystico ex capite « suo provenit, ideo una potestas eadem « esse videtur per essentiam, qua sacerdos « conficere (id est, consecrare) potest, et « qua potest solvere et ligare, si jurisdictio « adsit ; nec differt nisi ratione secundum « quod ad diversos effectus comparatur. « Sicut etiam ignis dicitur secundum aliam « rationem calefactivus, et liquefactivus. Et tandem concludit : « Et quia nihil est « aliud character ordinis sacerdotalis, « quam potestas exercendi illud, ad quod « principaliter ordo sacerdotii ordinatur, « sustinendo quod sit idem quod spiritualis « potestas ; ideo character, et potestas con- « ficiendi (Corpus Christi) et potestas cla- « vium est unum, et idem per essentiam, « sed differt ratione. » Quocirca sacerdotalis character, si adæquate accipiatur quoad rationem potentiæ respicientis actum consecrandi primarium, ac actum absolvendi secundarium, quo pacto de illo loquuti fuimus tract. 22, disp. 5, dub. 2, num. 32 et 33, nulla reali distinctione excludentis, et exclusi entitativa, aut modali distinguitur a potestate clavium, s tantum per rationem : quippe charac adæquate sumptus quoad potentiam ac vam utriusque actus dicit se ipsum extensum, quo sensu accipiendus est Thomas.

D. Tho.

Si vero character sacerdotalis inad quate sumatur, prout tantum respicit pr cipalem actum consecrandi Corpus Chri et ut contraponitur potestati absolvend peccatis, qui est actus secundarius ejusd characteris, sunt potestates inadæquate d tinctæ, non entitative, sed præcise mo liter, quatenus character impressus in t ditione calicis, et patenæ cum vino ac hos deinceps per impositionem manuum E copi nedum explicatur, ut sentit Nugnu addit. ad art. 3 part. quæst. 37, art. 5, etiam extenditur per novum modum in receptum ad absolvendum, et ligand sacramentaliter, nt recte vidit Sotus in dist. 29, quæst. 1, art. 2, concl. 3, ubi a rit, hanc doctrinam esse communem tentiam, aliundeque magis consonam C cilio Tridentino sess. 14, cap. 1, u dicendis dubio seq. a num. 10, ac dein constabit. Unde secluso illo extensi modo potestas absolvendi reperiri non test, ita quod si Episcopus ordines ec ciens post traditionem Calicis et Ho moreretur ante manuum impositio ordinatus non maneret perfecte sace quoad omnia, atque ideo ligare, et al vere non posset, etiamsi Parochus fi sed tantum Eucharistiam conficere, e que fidelibus ministrare ; ut docent N. dreas tract. 8, cap. 3, punct. 5, num Sanchez lib. 1, cap. 3, dub. 12, Gran dist. 3, § 3, Dicastillo dub. 10, cum Ave et Palao, N. Bonæ Spei tract. 7, du resol. 3, et dub. 4, resol. unica, G disp. 2, de ordine, art. 3, § 1, concl. disp. 4, art. 3, num. 39. Id quod eg declarat Sotus exemplo consecrationis copi : hic enim quamvis, dum consecr novam entitative characteristicam pot tem non recipiat distinctam ab ea, q recepit in sacerdotio ; tamen accipit nc modum extensionis, per quem pot sacerdotalis extenditur, sine quo non set ordines conficere, aut Confirmat sacramentum impendere.

Ad secundam ejusdem minoris imp tionem dicendum est, characterem, se

tes

estatem sacerdotalem complete, et ædequate umptam, nullo modo separari a potestate lavium ; nec diverso, sed eodem tempore ollatas fuisse : nam ita accepta potestas icerdotalis dicit utrumque, et potentiam d actum primarium consecrandi, et posse d actum secundarium absolvendi. Si vero nadæquate consideretur, secundum quod efertur ad primarium actum præcise, disinguitur a potestate clavium ut exprimit rdinem ad actum minus principalem, non iidem distinctione reali entitativa, quippe iæ non comparantur tanquam potentia, potentia, sed dumtaxat distinctione moali, quatenus potestas clavium addit chacteri quandam extensionem ad ligandum, solvendum. Quod satis est, ut verificetur ujusmodi potestates, diversis temporibus postolis fuisse collatas, quemadmodum iam separatim aliis sacerdotibus confeuntur. Realis igitur separatio arguit ad mmum distinctionem proportionatam eparationi ; unde cum hæc non sit inter uplicem entitatem, aut inter potentiam, potentiam, sed inter potentiam, et modum usdem, similis tantum debet esse distincio. Præterquam quod ex separatione reali ola distinctio realis potentialis infertur, t sæpius tract. 1, et 21 explicuimus.

Ad ultimam probationem respondetur, otestatem clavium in Christo omnino a naractere sacerdotali fuisse separatam, m nec in illo talis potestas Christi funetur, nec cum illo adæquate, aut inadæuate identificetur, ita ut illum includat, ut præsupponat : non enim in Christo naracter sacerdotalis extitit, ut egregie co supra ex 3 part. relato probat Ang. octor : nam character est participatio virtis, et signaculum Ministerii Christiani ; uod totum Christus habuit in omni pleniudine : « Et probat hoc » (verba sunt Docris Angelici) « Christo non competit habere characterem, sed potestas sacerdotii ejus comparatur ad characterem sicut id, quod est plenum, et perfectum ad aliquam sui participationem. » Potestas igitur lavium in Christo fundabatur in gratia nionis ad divinum suppositum. Inde aem inferre non licet, potestatem clavium, uæ in sacerdotibus invenitur, a charactere icerdotali adæquate sumpto realiter separi, aut ab eo sic accepto realiter distingui. otestas autem ligandi, et solvendi in omnibus sacerdotibus complete ordinatis est in virtute sua quantum ad hoc omnino æqualis, non minus quam character, licet in aliqua conditione ad actum clavium requisita, nempe jurisdictione, inæqualis sit in pontifice, Episcopis, et aliis sacerdotibus, ut dixit D. Thomas his verbis : « Potestas ordinis, quantum est de se, extendit se ad omnia peccata remittenda, sed « ad usum hujus potestatis, ut dictum est, « requiritur jurisdictio, quæ a majoribus « in inferiores descendit. » Per quod patet ad difficultatis augmentum.

5. Arguitur secundo : nam illa particula *Ecclesiaticus judex* inepte in prædicta clavium definitione ponitur : ergo non est recta hæc definitio. Antecedens suadetur : quia non est judex Ecclesiasticus, nisi qui gaudet jurisdictione ; sed stat potestas clavium in eo, qui jurisdictione caret ; non ergo postas clavium est illa, *qua Ecclesiasticus judex*. Major liquet : nam judex per jurisdictionem in esse talis constituitur. Minor vero ostenditur : quia potestas clavium cum ordine sacerdotali confertur ; sed jurisdictio non confertur cum ordine sacerdotali, alias omnes sacerdotes eo ipso quod tales existerent, jurisdictionem haberent, quod est omnino falsum : ergo stat potestas clavium in sacerdote, qui caret jurisdictione. Argum. 2.

Respondetur negando antecedens ad cujus probationem dicendum est, sacerdotem, qui jurisdictione caret, habere potestatem clavium, non tamen expeditam, sed impeditam ne in suum actum prorumpat, non ex defectu alicujus ad entitatem aut modum extensionis pertinentis, sed ex defectu potestatis applicativæ, et materiæ, aut subjecti, in quod exercenda est. Aliud quippe est habere potestatem ad aliquem actum cum omnibus requisitis ex parte actus primi desideratis ; aliud vero illam habere cum omnibus his, quæ ad actum secundum pertinent, ita ut possit potentia consequenti exercitium obtinere. Quemadmodum in igne stat tota potentia combustiva, et tamen sine applicatione illius ad propriam materiam comburendam non stat actus comburendi, nec posse potentia consequenti comburere. Potestas igitur clavium, quæ quoad entitatem ac realitatem est ipse character in ordinatione collatus, dicit meram potentiam ; jurisdictio Dissolvitur.

autem non est proprie potentia, aut potestas clavium, sed potestas applicativa materiæ ad agens, et conditio ad actum secundum desiderata, ut potestas collata in ordine exerceatur. Quæ solutio desumitur
D. Tho. ex D. Thoma in præsenti, quæst. 17, art. 2, ad 2, ubi ait : « Ad secundum dicen« dum, quod omnis potestas spiritualis da« tur cum aliqua consecratione, et ideo « clavis cum ordine datur ; sed executio « clavis indiget materia debita, quæ est « plebs subdita per jurisdictionem ; et « ideo antequam jurisdictionem habeat, « habet claves, sed non habet actum cla« vium ; et quia clavis per actum defini« tur, ideo in definitione clavis ponitur « aliquid ad jurisdictionem pertinens ; « id est, ly judex Ecclesiasticus. »

Argum. 3. 6. Tertio objicies : nam claudere, et aperire fores Regni cœlestis est proprium solius Dei : ergo id judici Ecclesiastico convenire nequit, et consequenter inepte in clavium definitione apponitur ly *judex Ecclesiasticus*. Antecedens suadetur : nam Regnum cœleste est ultimus finis, ad quem homines tendunt ; sed perducere ad ultimum finem est proprium primi, et principalis agentis, qui est Deus, non vero agentis instrumentalis : ergo perducere ad
D. Tho Regnum cœleste, illud aperiendo, est proprium solius Dei. Quam objectionem sibi proponit fere eisdem verbis Ang. Doctor in præsenti dicens : « In omnibus ordina« tis agentibus ultimus finis pertinet ad « principale agens, non ad agens instru« mentale ; sed principale agens ad salu« tem hominis est Deus : ergo ad eum « pertinet ad Regnum admittere, quod est « ultimus finis, et non ad habentem cla« ves, qui est sicut instrumentum vel mi« nister. »

Diluitur. Respondetur, quod licet aperire immediate januam Regni cœlorum, atque ideo immediate perducere ad ultimum finem sit proprium primi, et principalis agentis, qualis est Deus, qui per se ipsum, et sine sacramentis, et ministris sacramentorum, potest auferre peccatum impediens aditum in Regnum cœlorum ; tamen aperire mediate, aut perducere ad ultimum finem mediis sacramentis non est proprium primi agentis, et Dei, sed etiam id valet Dei ministris communicari, quippe quibus tanquam instrumentis Deus uti potest ad illum effectum. Quam solutionem adhibet D. Thomas dicens : « Actus autem sacerdotis « non est immediate super Regnum, sed « super sacramenta, quibus homo ad Re« gnum pervenit. »

7. Arguitur quarto : nam *dignos recipere* non pertinet ad potestatem clavium : ergo in hac diffinitione incongrue illæ particulæ inferuntur. Antecedens ita suadet D. Thomas : « Ad id, quod aliquis habet ex se « ipso, non indiget aliqua potestate activa, « per quam introducatur ad actum ; sed eo « ipso quod aliquis est dignus, ad Regnum « admittitur : ergo non indiget aliqua po« testate activa, per quam admittatur. Non « igitur pertinet ad potestatem clavium di« gnos ad Regnum admittere. » Hæc ultima consequentia liquet ex prima : nam cum potestas clavium sit idem ac character, necessario est potentia activa, quæ ad secundam speciem qualitatis spectat.

Ulterius potest hujus diffinitionis defectus ostendi ex eo quod Ecclesia non intendit *indignos excludere* a cœlesti Regno : ergo illæ particulæ sinistre apponuntur in clavium definitione. Consequentia ex eo liquet, quod judex Ecclesiasticus non debet facere id, cujus oppositum Ecclesia intendit. Antecedens autem ostenditur : quia Ecclesia non intendit a Regno excludere eos, pro quibus orat ut in Regno recipiantur ; sed Ecclesia orat pro peccatoribus, ut perveniant ac recipiantur in cœlis : non igitur intendit indignos excludere a Regno.

8. Ad argumentum respondetur negando antecedens, cujus probationi ita occurrit D. Thomas in solut. ad 3 : « Dicendum, quod « aliquis potest esse dignus aliquo dupli« citer ; aut ita quod ipsum habendi jus « habeat, et sic quilibet dignus jam habet « cœlum apertum ; aut ita quia insit ei « congruitas ad hoc quod ei detur, et sic « dignos, quibus nondum apertum est cœ« lum, potestas clavium recipit. » Itaque alia est dignitas orta ex merito de condigno ratione gratiæ sanctificantis, et peccatum excludentis ; et dum hæc adest, clavis necessaria non est, cum cœlum per culpam clausum non sit. Alia vero est dignitas congruitatis reperta in illis, qui licet peccatum habeant, accedunt temen cum animi dolore, spe veniæ, ac firmo proposito in posterum non peccandi ad pœnitentiæ sacramentum. His autem, quo capite

pite in statu peccati existunt, cœli aditus non patet ; quatenus vero dispositiones habent ad peccati remissionem, digni congruenter efficiuntur ut illis cœli janua reseretur per remotionem peccati aditum impedientis. Igitur dum in clavium diffinitione dicitur : *Dignos recipere*, hi posteriores intelliguntur, quos discernere ad sacerdotem tanquam ad Christi ministrum, cœlique janitorem spectat.

Confirmationem diluit etiam D. Thomas : « Ad quartum dicendum, quod sicut « Deus non obdurat impertiendo malitiam, sed non conferendo gratiam ; ita « sacerdos dicitur excludere non quod impedimentum ad intrandum ponat, sed « quia impedimentum positum non amoveat : quia ipse amovere non potest, nisi « Deus prius amoverit ; et ideo rogatur « Deus ut ipse absolvat, ut sic sacerdotis « absolutio locum habeat. » Unde ad objectionem dicendum est, Ecclesiam ac proinde judicem Ecclesiasticum non intendere indignos excludere a Regno *directe*, et *positive;* intendere tamen *indirecte*, ac *negative* : quia Ecclesia, ac judices Ecclesiastici cœlum non occludunt apponendo obstaculum, peccatum videlicet, quo aditus impeditur ; sed tantum non amovendo impedimentum ab eisdem indignis appositum ; quod est illos excludere negative, aut indirecte. Nec antecedentis probatio aliquid evincit : nam Ecclesia non orat ut indigni recipiantur in sensu composito indignitatis, sed orat ut efficiantur digni, qualiter admitti possint. Illi autem, qui tales effici nequeunt, excluduntur ab Ecclesia negative, licet alias eos accipere in sensu explicato exoptet.

DUBIUM II.

Utrum clavium potestas sit in Ecclesia:

Pro dubii decisione observa ex D. Thoma in præsenti, quæst. 17, art. 1, triplicem esse clavium potestatem ; authoritatis, videlicet, excellentiæ, et ministerii. Quarum prima in Divina Trinitate invenitur, eo quod solus Deus est Author gratiæ sanctificantis, per cujus infusionem peccatum excluditur, et cœli aditus patefit. Secunda fuit in Christo Domino ; quippe cum ejus humanitas sit instrumentum Divinitatis eidem conjunctum, in quo summo intervallo excedit quæcumque alia extrinseca instrumenta ; congruum fuit ut inter alios ministros, qui instrumenta sunt ad usum sacramentorum, haberet quandam clavium supereminentem potestatem, quæ ideo clavis *excellentiæ* nuncupatur. Ejus autem eminentia in eo consistit, quod Christus ad removendum peccatum concurrit per meritum ipsius passionis tanquam agens principale in genere moris, ejusque humanitas tanquam instrumentum physicum, et conjunctum. Hanc autem clavium potestatem an Christus in Ecclesia reliquerit, vel relinquere potuerit, in dubium non revocamus : quia hujus difficultatis decisio satis liquet ex dictis tract. 22, disp. 6, dub. 2, et præcipue ex ibidem appositis ad calcem art. 4, q. 64. De tertia igitur potestate clavium, quæ ministerii dicitur, inquirimus an in Ecclesia sit ?

§ I.

Deciditur difficultas, et veritas catholica propugnatur.

9. Dicendum est, prædictam clavium potestatem in Ecclesia, ejusque ministris inveniri. Hæc conclusio est de fide, illamque communiter docent Theologi, quos proinde superfluum est in particulari referre. Diffinitur autem in Concilio Constantiensi sess. 8, et 9. In Lateranensi, cap. *Firmiter de summa Trinitate.* In Florentino in litt. *Sanctæ unionis :* ac tandem in Tridentino sess. 14, cap. 1, ubi hæc habentur : « Dominus autem sacramentum « pœnitentiæ tunc præcipue instituit, cum a « mortuis suscitatus insufflavit in Discipu« los suos dicens : Accipite Spiritum Sanc« tum, quorum remiseritis peccata, remit« tuntur eis, et quorum retinueritis, retenta « sunt. Quo tam in significato, et verbis « tam perspicuis, potestatem remittendi, et « retinendi peccata, ad reconciliandum fi« deles post Baptismum lapsos, Apostolis, « et eorum legitimis successoribus fuisse « communicatam, universorum Patrum « consensus semper intellexit, et Novatia« nos remittendi potestatem olim pertina« citer negantes, magna ratione Ecclesia « catholica tanquam hæreticos explosit, « atque condemnavit. Quare verissimum

Assertio.

Conc. Const. Lateran. Florent. Trident.

« hunc verborum illorum Domini sensum « Sancta hæc Synodus probans, et reci- « piens, damnat eorum commentitias in- « terpretationes. » Et tandem Can. 3, in- quit : « Si quis dixerit, verba illa Domini « Salvatoris : Accipite Spiritum Sanctum, « quorum remiseritis peccata, remittuntur « eis, et quorum retinueritis, retenta sunt; « non esse intelligenda de potestate remit- « tendi, et retinendi peccata in sacramento « pœnitentiæ, sicut Ecclesia catholica ab « initio semper intellexit, detorserit autem « contra institutionem hujus sacramenti « ad authoritatem prædicandi Evange- « lium, anathema sit. »

Fundamentum ex Scriptura.

10. Ad suadendam autem hanc conclusionem adsunt plura Sacræ Scripturæ loca, præsertim duo, ex quibus evidenter demonstratur. Primum est Joannis cap. 20, Secundum vero Matthæi 16. Ex primo igitur sic probatur assertio : nam si in Ecclesia potestas clavium remittendi ac relaxandi peccata non est, tota lex Evangelica ruit ; consequens nec ab hæreticis admittitur, quippe qui Christiani sunt, et Christum ejusque doctrinam sectari sibi videntur, ne tanquam Gentiles, ac Pagani habeantur : ergo potestas clavium est in Ecclesia. Consequentia est evidens, et minor inserta probatione liquet ; aliis hæretici paganismo annumerandi sunt, quod concedere renuunt. Unde tota difficultas devolvitur ad probationem majoris, quæ sic ostenditur : etenim tota lex Evangelica pendet ex infallibilitate verborum, ac actionum Christi juxta ea, quæ habentur in Scriptura : ideo enim invenitur in Ecclesia sacramentum Baptismi, quia ex verbis Christi ac Scripturæ constat ejus institutio ac potestas collata hominibus ad baptizandum, ut vel ipsi hæretici fatentur : ideo etiam invenitur in Ecclesia potestas consecrandi Corpus Christi, et ministrandi alia sacramenta, quia id habemus ex Christi ac Scripturæ testimonio ; sed ex Joanne 20, num. 23, constat, Christum Dominum tradidisse Apostolis, eorumque successoribus potestatem clavium, dum insufflavit, ac dixit : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis ; retenta sunt* : ergo si in his verbis clavium potestatem in Ecclesia non reliquit, tota lex Evangelica ruit. Consequentia patet : nulla enim est ratio, cur magis standum sit verbis Christi, ac testimonio Scripturæ in uno loco, ac in alio. Quocirca si huic Joannis testimonio standum non est, nec etiam standum erit aliis, in quibus habemus institutionem aliorum sacramentorum, ac traditionem potestatis ad illa conficienda ; atque ideo tota lex Evangelica fundamento destituitur. Minor autem probatur : nam si illa verba Christi non sinistre, sed simpliciter accipiantur, liquido constat Apostolos accepisse Spiritum Sanctum, ac proinde potestatem ad munus remittendi peccata ; sed hæc est potestas clavium : ergo eam Christus in Ecclesia reliquit.

Joann. 20. 23.

11. Ex alia vero authoritate Matthæi sic etiam veritas catholica confirmatur : nam Christus Dominus promisit Petro, se illi daturum clavium potestatem, dum dixit : *Tibi dabo claves Regni Cœlorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in Cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in Cœlis.* Id quod iterum non solum Petro, sed et aliis Apostolis quasi juramento promisit, dum ejusdem Matthæi 18, ait : *Amen, amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in Cœlis.* Ubi non de præsenti, sed de futuro potestas judiciaria promittitur conferenda ; sed Christi verba deceptoria aut nugatoria non sunt, sed infallibilis veritatis : alioqui nullius essent fidei, atque ideo Evangelica lex eisdem veluti solidissimo fundamento innixa omnino rueret : ergo promissionem in illis verbis factam aliquando adimplevit, clavium potestatem Apostolis eorumque successoribus tribuendo. Tum sic ; sed non alibi, saltem expressius, quam dum Joannis 20, dixit : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc., vel dum post resurrectionem dixit Petro : *Pasce oves meas*, Joann. 21. Ergo tunc clavium potestatem contulit, ac in Ecclesia reliquit. Minor subsumpta inde constat, quod etiam si totum Evangelium consulatur, clariora alia verba non extant, quam illa Joannis, ad hujusmodi potestatem conferendam, aliundeque illa cæremonia insufflandi, ac impertitio Spiritus Sancti eo tendunt, ut ibi Apostoli aliquam specialem facultatem acciperent ; alias illa cæremonia casualis, et ridicula foret, quod asserere blasphemum est.

Hanc item doctrinam unanimiter Ecclesiæ

siæ Patres docuere. Cyprianus lib. 1 Epist. epist. 2, contra Novatianos sic ait : « Ipse » (Christus nimirum) « legem dedit, ut liga- « ta in terris, etiam in cœlis ligata essent; « solvi autem possent illic, quæ hic prius « in Ecclesia solverentur. » Bernardus serm. 1, in festo Apostolorum Petri, et Pauli, de Petro inquit : « Quid illo poten- « tius, qui claves Regni tam singulariter « accepit, ut præcedat sententia Petri sen- « tentiam cœli. » Hieronymus epist. ad Eliodorum : « Sacerdotes Apostolico gra- « dui succedentes, Christi Corpus sacro ore « conficiunt, per quos, et Christiani sumus, « qui claves Regni cœlorum habentes quo- « dammodo ante diem judicii judicent. » Augustinus lib. 20, de Civitate Dei cap. 19, ad illa verba Apoc. 20 : « Vidi sedes, et se- « dentes super eas, et judicium datum est, » etc. inquit : « Nec hoc putandum est de « ultimo judicio, sed per sedentes super « sedes ipsi præpositi sunt intelligendi, « per quos nunc Ecclesia gubernatur. Ju- « dicium autem datum, nullum melius « accipiendum est, quam id quod dictum « est : Quæ ligaveritis in terra, erunt li- « gata et in cœlo. » Similiter loquuntur N. Cyrillus Alexandrinus lib. 12, in Joann. cap. 15, Ambrosius lib. 1, de Pœ- nit. cap. 2, et 7, lib. 2, cap. 2, ubi efficacis- sime æque ac latissime hanc clavium po- testatem contra Novatianos probat. Hila- rius c. 16, in Matth. Chrysostomus homil. 85, in Joann. ac reliqui omnes Ecclesiæ Patres; quorum testimonia, ne fastidium gignamus, non adducimus.

Placet tamen Ang. Præceptoris verba huc advocare, qui in comment. ad illud Matthæi 16, vers. 19, *Tibi dabo claves*, etc. ita subdit : « Hic ponitur secundum donum, « quod Petro dedit Christus secundum hu- « manitatem : fundavit enim Ecclesiam in « terris, et Petrum Vicarium suum insti- « tuit, ut introduceret in cœlum ; inde « illud ministerium dedit unde claves « dedit ; claves enim introducunt, unde « Petrus habet ministerium introducendi ; « et duo facit. Primo claves committit. « Secundo usum docet ; (et quodcumque, « etc.) Sed videamus, *inquit*, quæ sunt cla- « ves ? Domus, quando est deserata, impe- « dit introitum ; clavis vero removet im- « pedimentum. Regnum cœlorum habebat « impedimentum, sed non ex parte sua, « sed ex nostra, scilicet, peccatum, quia « nihil coinquinatum intrabit in illud. Ista « impedimenta removit Christus per suam « Passionem, quia lavit nos a peccatis « nostris in sanguine suo, Apoc. 1, et hanc « communicavit, ut per ministerium peccata « tollerentur ; quod expletur per virtutem « sanguinis Christi. Unde sacramenta virtu- « tem habent a virtute Passionis Christi. « Unde dabo tibi ministerium ; sed dicit : « Tibo dabo. Nondum enim erant fabrica- « tæ (*scilicet claves*) res autem non potest « dari, antequam sit. Fabricandæ autem « hæ erant in Passione ; unde in Passione « fuit eorum efficacia ; unde hic promisit, « sed post Passionem dedit, cum dixit : « Pasce oves meas. » Hæc D. Thomas, si- miliaque tradit in præsenti, quæstion. 17, artic. 1, in corpore

12. Ex quibus omnibus ulterius munitur assertio sequenti discursu : etenim circa rem, quam docent Scriptura Sacra, Concilia, universalis Ecclesia, ac unanimiter ejus Sacri Doctores, disputandum non est, sed tanquam omnino verum tenendum ; atqui ex dictis, Scriptura, Concilia, et Ecclesiæ Doctores unanimiter, ac universaliter do- cent adesse in sacerdotibus potestatem di- mittendi, ac retinendi peccata, quæ clavium potestas nuncupatur : ergo hæc in Ecclesiæ Ministris reperitur. Consequentia est legi- tima, et minor ex adductis testimoniis liquet. Major autem est regula universalis, quam tradit D. Augustinus lib. 4, contra Donatistas cap. 24, et epist. 118, ubi asse- rit, insolentissimam insaniam esse in du- bium adducere id, quod universalis Ecclesia docet, ac tenet. Adde, Christum Dominum, cui commissa fuit omnis potestas in cœlo, et in terra, habuisse potestatem ligandi, ac solvendi, juxta illud : *Ut sciatis, quia Fi- lius hominis habet potestatem in terra dimit- tendi peccata*, etc. Ergo illa uti potuit vel immediate per se ipsum, ut cum dixit Paralytico : *Remittuntur tibi peccata tua ;* vel mediate per alios, quibus tanquam Vicariis illa potestas commissa fuerit : in hoc enim nulla repugnantia apparet. Sed id, quod efficere potuit, de facto fecisse nobis constat ex testimoniis allatis, præser- tim ex illo Joann. : *Accipite Spiritum Sanc- tum*, etc. Ergo hujusmodi potestas in Ec- clesia invenitur.

Ulterior confirm.

D. August.

§ II.

Duæ hæreticorum responsiones confutantur.

Primum hæreticorum effugium.

13. Respondent primo hæretici, ut vim harum rationum, et authoritatum pondus infringant, ac sinistris interpretationibus elidant, potestatem a Christo Domino Discipulis in præallegatis testimoniis concessam, non esse aliam, nisi facultatem prædicandi Evangelium : per fidem enim (aiunt isti) remittuntur peccata : per Evangelii vero prædicationem concipitur fides ; unde potestas prædicandi Evangelium dicitur a Christo dari ad dimittenda peccata. Sic Wicleph. Lutherus, et Calvinus. Verba Calvini hæc sunt : « Quid sit solvere, et « ligare, Dominus exposuit Joan. 20, cum « dedit Apostolis authoritatem remittendi, « et retinendi peccata : solvere enim est « remittere peccata, ligare est retinere. « Quomodo autem remittantur, et reti- « neantur peccata, Scriptura passim docet, « cum per Evangelii prædicationem testa- « tur illuminari homines, et liberari de « pravitate vitiorum ; 2 ad Corinth. 15 : « Posuit in nobis verbum reconciliationis. « Pro Christo ergo legatione fungimur, « tanquam Deo exhortante per nos. Obse- « cramus pro Christo, reconciliamini Deo. « Itaque ille remittere dicitur peccata, qui « annuntiando Evangelium, homines con- « vertit ad Deum ; ille dicitur retinere, qui » eos, quos videt obstinatos, declarat sem- « piternis pœnis esse mancipandos. Ex quo « sequitur, accipere claves Regni cœlorum, « non esse accipere principatum, et potes- « tatem in alios, sed nudum ac solum mi- « nisterium verbi. »

Wicle. Luther. Calvinus.

Præcluditur primo.

Sed hoc hæreticorum effugium facile præcluditur. Primo : nam juxta satis tritam D. Augustini regulam lib. 3, de doctrina christiana, cap. 19, et ab omnibus Theologis admissam, verba Sacræ Scripturæ sunt in proprietate sermonis intelligenda, quoties ex eisdem ita acceptis nullum sequitur absurdum ; sed remittere, et retinere peccata in rigore, et proprietate sermonis minime significant prædicare Evangelium, et docere, sed ab eis absolvere, vel absolutionem non impertiri ; et aliunde ex hac intelligentia nullum sequitur absurdum, ut ex dictis ac dicendis apparebit ; ergo in hoc sensu sentire debemus Christum Dominum fuisse loquutum ; etenim Jurisconsulto testante in leg. *non aliter, ff. de legat. et fideicommisso :* « Non aliter a signi- « ficatione verborum recedi oportet, quam « cum manifestum est aliud sensisse testa- « torem. » Quæ etiam est doctrina D. Hieronymi in cap. 30 Isaiæ ; et D. Basilii oratione 9, in Hexameron ; et S. Epiphanii hæres. 65, ac Tertulliani.

Secundo : nam genuinus sensus Sacræ Scripturæ ille solum debet censeri, qui ex communi, et concordi Patrum Ecclesiæ intelligentia eruitur, et ad nos tanquam ex fontibus limpidissimis derivatur : incredibile enim omnino est, eos, *quos dedit*, (ad Ephesios 4.) *Pastores et Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*, luce veritatis privasse, errareque in re adeo substantiali permisisse ; sed omnes Ecclesiæ Patres unanimiter exponunt prædicta Evangelii verba de vera ac rigorosa clavium potestate, Apostolis ac sacerdotibus tradita : ergo ita intelligenda sunt, et non ad prædicationem detorquenda. Minorem probare sanctorum verbis, prolixi esset ac fastidiosi laboris : sufficiant igitur ad ejus evidentiam Patrum testimonia nuper adducta, ac loca ibi citata ; insuperque lectorem remittimus ad D. Chrysostomum homil. 70, ad populum, D. Hieronymus tom. 3, epist. 15, ad Ædibiam. quæst. 9, Anastasium in quæst. Sacræ Scripturæ, quæst. 79, tom. 6, Bibliothecæ veterum Patrum, D. Ambrosium lib. 10, in Lucam prope finem, Hugonem Victorinum lib. 2, de Sacram. part. 14, cap. 1, D. Gregor. apud D. Thomam in Catena aurea ad cap. 20, Joannis. Unde Concilium Tridentin. sess. 14, cap. 1, sic illam hæreticorum expositionem explodit : « Quapropter verissimum illorum « verborum Domini sensum Sancta Syno- « dus probans, et recipiens, damnat eorum « contumaces interpretationes, qui verba « illa ad potestatem prædicandi verbum « Dei, et Christi Evangelium annuntiandi, « contra hujusmodi sacramentum institu- « tionem, falso detorquent. »

Sec

Chr Hie L Ana Am Hug Vic Gr Con Tri

Tertio : quoniam prædicta Christi verba illam hæreticorum interpretationem non sustinent, cum in illis nec minimum signum prædicationis reperiatur : nam licet verbum illud : *Quorum remiseritis peccata*, ad prædicationem violentissime applicari posset ; illud tamen : *Quorum retinueritis*

Ter

nec

nec summa violentia ad prædicationem deferri valet. Eo vel maxime, quia munus prædicandi aliis distinctis ac disertissimis verbis Christum Apostolis commendasse constat ex Marco cap. ult. ubi ait : *Prædicate Evangelium omni creaturæ ;* in tradendis autem singulis, quæ ad substantiam Ecclesiæ, ac Evangelicæ legis attinent, usus fuit Christus Dominus propriis ac disertis verbis : ergo inique detorquentur verba, in quibus traditur potestas clavis, ut de prædicatione intelligantur.

14. Secundo respondent alii ex hæreticis, Christum Dominum in illis verbis Joannis 20, dedisse quidem Ecclesiæ ministris potestatem remittendi peccata per Baptismum, non vero per pœnitentiæ sacramentum, adducentes in proprium Patrocinium quædam sanctorum Patrum testimonia, quæ sinistre intellecta huic videntur suffragari expositioni, ut videre in Cypriano epist. 73, et 76, et in Chrysostomo homil. 6, in 2, ad Corinth. et Isidoro lib. 2, de divinis officiis, cap. de Baptismo.

Verum si hæc interpretatio intendat, Sanctos Patres censere per Baptismi sacramentum peccata remitti, potestatemque ad peccata per Baptismum dimittenda, a Deo suis ministris collatum fuisse, inficias non ibimus : fide enim est sanctum, sacramentum Baptismi a Christo Domino fuisse institutum ea vi, ut illud ministrans (qui ex officio, et proprio munere solus est sacerdos, licet valide ab aliis conferatur) peccatum, et originale, et actuale ante Baptismum commissa remittat. Si vero interpretatio intendat, ut re vera intendit, excludere ab Ecclesiæ ministris potestatem remittendi per pœnitentiæ sacramentum peccata post Baptismum commissa, est hæretica, et falsissima, omninoque rejicienda, sicut a sacra Synodo loco allegato rejicitur ; convinciturque ex Patrum expositione oppositum. Et in primis Leo Papa epist. 89, quæ habetur dist. 1, de pœnit. cap. 49, causa 33, quæst. 3, inquit cuidam Episcopo : « Multiplex misericordia Dei in lapsibus « subveniet humanis, ut non solum per « Baptismi gratiam, sed etiam per pœni- « tentiæ medicinam spes vitæ reparetur « æternæ, ut qui regenerationis donum « violassent, proprio se judicio condem- « nantes, ad remissionem criminum perve- « nirent. Sic divinæ bonitatis præsidiis or- « dinatis, ut indulgentia Dei nisi supplica- « tionibus sacerdotum nequeat obtineri. « Mediator enim Dei, et hominum homo « Jesus Christus hanc præpositis Ecclesiæ « tradidit potestatem, ut et confitentibus « pœnitentiæ satisfactionem darent, et ea- « dem salubri satisfactione purgatos ad « communionem sacramentorum per ja- « nuam reconciliationis admitterent. » Idem aperte sentiunt D. Augustinus lib. 1, de adult. conjug. cap. ult. et lib. 50 homil. 40, de pœnit. et D. Ambrosius, qui hæreticos virtutem Baptismi ad remissionem peccatorum admittentes (sicut admittunt Lutherani, et alii) optime sic redarguit : « Cur enim baptizatis, si per hominem pec- « cata dimitti non licet ?» Quasi eos sic concludat : ideo negatis in sacramento pœnitentiæ dimitti peccata per clavium potestatem a ministris Ecclesiæ, quia dimittere peccata non spectat ad homines, sed ad solum Deum, juxta illud Lucæ 5: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus ?* Sed hæc ratio etiam apud vos nullius momenti esse debet, siquidem conceditis homines per Baptismum peccata dimittere : igitur vestra interpretatio complicationem dicit, dum ex una parte potestatem clavium, seu remittendi peccata in sacramento pœnitentiæ ministris Ecclesiæ denegatis, et ex alia similem potestatem in sacramento Baptismi illis conceditis.

D. August. D. Ambr. Lucæ 5.

Quod autem attinet ad Sanctos Patres, quos hæretici in propriam sententiam detorquent, quid de re senserint satis constat ex eorum doctrina. Etenim D. Cyprianus tam longe abest ut hæreticorum sententiæ adhæreat, ut lato calamo contra eorum doctrinam scripserit, ut patet in lib. de lapsis a principio, et in epist. 52. Deinde D. Chrysostomus lib. 3, de sacerdotio non longe a principio, clarissime docet, quod non solum per Baptismum, sed extra illum habent sacerdotes Evangelici potestatem dimittendi peccata per sacramentum pœnitentiæ, id quod eloquentissime ponderat. Similiter D. Isidorus in allegato loco vindice non indiget, quippe qui nec docet nec innuit, solum esse in sacerdotibus potestatem dimittendi peccata per Baptismum, sed per Baptismum, et insuper per pœnitentiam.

Vindicantur. D. Cyprianus. D. Chrys. D. Isidor.

15. Deinde tradita evasio multipliciter præcluditur. Primo : quia potestas dimit-

tendi peccata per Baptismum jam alibi collata erat Apostolis disertis verbis, ut patet ex Matth. 28, num. 19, dum Christus dixit: *Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.* Ergo per Joannis verba alia distincta potestas collata est sacerdotibus ad peccata dimittenda extra Baptismum, atque ideo in vi sacramenti pœnitentiæ. Secundo: quia Christus Dominus specialem potestatem tribuit Apostolis ad dimittenda peccata infidelium, qui membra Ecclesiæ non sunt: ergo etiam potestatem reliquit ad dimittenda peccata fidelium, id est, commissa post Baptismum; alias pejoris conditionis evaderet qui post Baptismum susceptum in peccatum rueret, quam infidelis, qui Baptismum nondum suscepit; siquidem hic per Baptismum ad Dei gratiam reduci posset, non vero ille qui Baptismum iterum suscipere nequit; quod asserere stolidissima amentia est, ac quid Dei misericordia indignum. Tum sic: sed clavium potestas præcipue tendit ad delenda peccata post Baptismum: ergo de hac potestate intelligenda sunt prædicta Joannis verba. Tertio: quia illa verba: *Quorum remiseritis peccata*, etc. generalia sunt, ac proinde intelligenda de peccatis etiam post Baptismum commissis; sed hæc per Baptismum, quippe qui etiam in hæreticorum sententia iterari nequit, remitti non possunt: ergo in illis alia potestas collata est, distincta a potestate dimittendi peccata per sacramentum Baptismi, et consequenter potestas clavium. Patet consequentia: quia Baptismus ut primo susceptus nequit extendi ad delenda peccata post ejus susceptionem commissa.

March. 28.

§ III.

Hæreticorum fundamentis satisfit.

16. Clavium potestatem, facultatemve remittendi peccata post Baptismum commissa, primus negavit Novatus, Presbyter Africanus, qui aliter Novatianus Pseudo Romanus Episcopus dicitur, a quo Novatiani signaculum accepere, quos data opera refutavit D. Cyprianus loco proxime citato, et D. Ambrosius lib. de pœnit. D. Augustinus hæres. 38, Cornelius Pontifex decretali 1, in quem schisma Novatus sublevavit; ac tandem Fabianus Papa, qui epist. 1, decret. inquit: « Supervenit Novatus ex « Africa, et separavit ab Ecclesia Christi « Novatianum, et quosdam alios. » De quo etiam hæretico loquitur D. Hieronymus lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, Pacianus epist. ad Sempronianum, Eusebius lib. 6, cap. 33, et 34, Nicephorus, et alii. Qui non eodem modo horum hæreticorum errorem referunt: quidam enim asserunt, non solum negasse potestatem Ecclesiæ ad dimittenda peccata post Baptismum commissa, verum etiam docuisse adhuc coram Deo omnino esse irremissibilia. Alii vero dicunt, non negasse pœnitentiam interiorem, et media illa remissionem peccatorum a solo Deo faciendam; sed solum intendisse, potestatem Ecclesiæ ad ea remittenda de medio tollere. Alii autem, Novatum a principio suæ hæresis non rejecisse Ecclesiæ potestatem ad omnia, sed solum ad dimittenda peccata eorum, qui Christum negabant, quando ad deserendam fidem vi tormentorum a Tyrannis urgebantur; ideoque docebat, hos ad pœnitentiam admittendos non esse, sed dimittendos, ut coram Deo pœniterent, si forte ab ipso remissionem assequi possent. Alii tandem aliter explicant prædictum errorem, in quo Montanum fuisse testantur, ac eodem postea illaqueatos Joannem Hus, et Wicleph, qui, ut Sotus refert, docebant claves Ecclesiæ non esse potestatem spiritualem ad ligandum, et solvendum: hoc enim proprium est illius, de quo Baptista ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi;* sed potestatem scientiæ prædicandi, ac exempla tribuendi, quam etiam in laicis eruditis, existere asserebat Wicleph, qui. illud: « Quodcumque solveris, » etc. ita glossabat: « Nihil solvere poteris nisi quod in « cœlo sit prius solutum; » ut videre est apud N. V. Thomam Valdensem, tom. 2, de sacram. cap. 144. Quem errorem deinceps extumularunt Lutherani, ac Calvinistæ. Pro quorum sententia

Novatus.

17. Arguitur primo: nam potestas clavium, seu ligandi et solvendi minime ex sacra Scriptura colligitur: voluntarie ergo, ac sine fundamento adstruitur in Ecclesia. Antecedens suadere nititur Calvinus in suo pestilenti Antidoto contra Concilium Tridentinum art. 2, illis verbis: « Ubinam (*in-* « *quit*) a Christo institutum fingunt? Quia « dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum

« rum remiseritis peccata : etc. Primo, si « Christus hanc authoritatem donavit Apostolis, est ne propterea, sacramenti institutio ? Ubi symbolum ? Ubi forma ? « Deinde, quis ignorat, munus Apostolis « illuc fuisse injunctum, quo erga extraneos « fungerentur ? Christus testimonium, quod « de peccatorum remissione Apostoli reddituri erant mundo, confirmat. Ea porro « legatio est, quæ per Evangelium defertur, et quidem in Ecclesiam nondum « coaptatis. » Quasi sic arguat : si ex aliquo Scripturæ testimonio depromi posset potestas clavium, maxime ex illo Joann. 20 : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata*, etc. Sed inde minime colligitur : ergo absque fundamento introducitur in Ecclesia. Minorem suadere conatur, primo : nam juxta Catholicos potestas clavium est ad peccata remittenda vel retinenda in pœnitentiæ sacramento ; sed authoritas Apostolis illis verbis concessa non est hujusmodi, cum Christus tunc nullum instituerit sacramentum ; alias dicant Catholici : *Ubi est symbolum ?* Id est, signum sensibile : *Ubi forma ?* Sine qua nullum est sacramentum : ergo. Secundo : nam Ecclesiæ ministri uti nequeunt potestate clavium erga extraneos in pœnitentiæ sacramento, quod est ad modum judicii, cum Apostolus 1, ad Corinth. 5, dicat : *Quid enim mihi de his, quis foris sunt, judicare ?* At nemo ignorat, munus Apostolis illic fuisse injunctum, quo erga extraneos fungerentur : ergo ex collatione hujus muneris potestas clavium ad remittenda, et retinenda peccata nomine colligitur. Tertio : nam facultas Apostolis ibi commissa, est legatio de remissione peccatorum, « quæ per Evan« gelium defertur, et quidem in Ecclesiam « nondum coaptatis, seu receptis, » id est, facultas prædicandi Evangelium, per quod excitata fide remittuntur peccata, juxta illud Marci ult. *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit.* Sed hujusmodi facultas non est potestas clavium, quæ nequit exerceri in eos, qui in Ecclesiam nondum sunt coaptati : ergo idem quod prius.

Respondetur negando antecedens, ad cujus primam probationem concessa majori neganda est minor : etenim Christum Dominum sacramentum pœnitentiæ instituisse, dum post resurrectionem Discipulis apparuit, ac dixit : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, ex professo ostendimus 1 part. hujus tract. disp. 4, dub. 4, § 2. Esseque sacramentum a Baptismo diversum, constat etiam ex ibidem dictis, disp. 1, dub. 1, § 3, quo Lectorem remittimus. Ad Calvini autem interrogationem *Ubi symbolum ? Ubi forma ?* Respondetur cum generali Doctorum sententia, symbolum, id est, signum sensibile, esse humilem pœnitentis submissionem factam sacerdoti, cordisque dolorem externis signis demonstratum : ac tandem peccatorum propalationem, et satisfactionem. Forma autem est absolutio sacramentalis : *Ego te absolvo*, etc. Quæ omnia in illis verbis Christi Domini implicite saltem continentur. Ad secundam probationem concessa majori negatur minor : falsum enim est, munus illud ibi Apostolis injunctum fuisse : ut eo erga extraneos aut in Ecclesiam nondum coaptatos fungerentur, sed potius erga subditos, in quos exercere possent potestatem judiciariam, quam recte intulit Concilium Tridentinum ex illis verbis Christi Domini, sess. 14, cap. 1, dicens : « Quo tam in si« gnificato, et verbis tam perspicuis potes« tatem remittendi et retinendi peccata ad « reconciliandos fideles post Baptismum « lapsos Apostolis et eorum legitimis suc« cessoribus fuisse communicatam, uni« versorum Patrum consensus semper in« tellexit. » In infideles igitur, aut extraneos, cum extra Ecclesiæ gremium sint, judicialis ac Ecclesiastica potestas exerceri nequit per pœnitentiam. Concil. Trident.

Ad tertiam neganda est major, sicut eam negat Concilium Tridentinum, dum cap. 1, sess. 14, damnat : « Eorum contu« maces interpretationes, qui verba illa ad « potestatem prædicandi verbum Dei, et « Christi Evangelium annuntiandi, contra « hujusmodi sacramenti institutionem « falso detorquent. » Illud autem Marci ult : *Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit ;* quo hæretici suadere conantur remissionem peccatorum soli Baptismo, et Fidei esse adscribendam, jam solutum relinquimus 1 part. hujus tract. disp. 1, dub. 2, § 5, a num. 43, ubi etiam § 4, a num. 33, et deinceps alia diluimus pugnantia adversus existentiam, ac virtutem hujus sacramenti, a quorum coexistentia clavium potestas pendet. Quibus adden- Trident.

dum est, quod licet clavium potestas ex Sacra Scriptura adeo palam non constaret, minime ob id deneganda erat : plura enim sunt, quæ expresse in Sacra Pagina non continentur, et tamen sunt diffinita ab Ecclesia tanquam fidei dogmata, eo quod per traditionem ab Apostolis derivata sunt. Cui doctrinæ obviam ire nequeunt hæretici : nam ut in procœmio ad tract. 22 adnotavimus, ipsi non pauca habent, de quibus per solam traditionem constat, uti sunt nomina *Trinitatis*, ac *Hypostasis*.

Argum. 2. 18. Arguitur secundo : nam in Ecclesia, ejusque ministris inutilis superfluaque potestas adstruenda non est; sed potestas clavium est hujusmodi : igitur admitti non debet in Ecclesia, ejusque ministris. Major est pervia ; minor autem suadetur : nam inutilis, et superfluæ sunt claves ad reserandum ostium, quod jam est apertum ; sed Regni cœlorum ostium jam est apertum : ergo inutiles ac superfluæ sunt claves, quæ ad illud aperiendum in Ecclesia introducuntur. Minor, quæ sola difficultatem præseferre poterat, patet ex illo Apocalypsis 4 : *Vidi, et ecce in Cœlo ostium apertum.*

Apocal. 4.

Confirmat. Confirmatur : nam clavium potestas est ad aperiendum, et claudendum cœlum ; sed hujusmodi potestas in Ecclesiæ ministris non reperitur : ergo. Minor suadetur: etenim potestas, quæ unice competit Christo Domino, in Ecclesiæ ministris nullo modo datur ; sed potestas aperiendi, et claudendi cœlum solum in Christo Domino reperitur, ut liquet ex illo Apocalypsis 3 : *Hæc dicit Sanctus, et verus, qui habet clavem David, qui aperit, et nemo claudit ; claudit, et nemo aperit :* ergo potestas aperiendi, et claudendi cœlum in Ecclesiæ ministris inveniri non potest.

Solvitur argument. Respondetur negando minorem, cujus probatio non urget : nam cœli ostium solum dicitur, et est clausum, quatenus ex parte hominum adsunt peccata, quibus aditus impeditur. Peccatum autem est duplex, aliud originale, aliud actuale ; atque ideo duplex cœli occlusio consideranda est. Igitur cœli ostium est apertum hominibus respective ad peccatum originale, prout est malum totius humanæ naturæ : hoc enim impedimentum ex vi Passionis Christi Domini efficaciter amotum est; et de hac apertione intelliguntur illa verba : *Vidi, et ecce in Cœlo ostium apertum.* Ceterum cum peccata actualia cœlum, quod jam reseratum erat, iterum occludant ; ideo potestas clavium non inutilis ac superflua, sed omnino necessaria est, ut vectes hujusmodi infringat. Quæ est doctrina D. Thomæ in præsenti, quæst. 17, art. 1, ad 3, ubi inquit : « Ad tertium dicendum, quod ostium « cœli, quantum est de se, semper est « apertum ; sed alicui clausum dicitur « propter impedimentum intrandi in cœ- « lum, quod in ipso est. Impedimentum « autem totius humanæ naturæ, ex pec- « cato primi hominis consecutum, per « Passionem Christi amotum est ; et ideo « Joannes post Passionem vidit in cœlo « ostium apertum. Sed adhuc quotidie ali- « cui manet clausum propter peccatum ori- « ginale, quod contraxit » (prout inficit personam) « vel actuale, quod committit ; « et propter hoc indigemus sacramentis, et « clavibus Ecclesiæ. »

Ad confirmationem neganda est minor, quæ ex textu Apocalypsis allegato minime evincitur : nam illa verba : *Qui aperit, et nemo claudit, claudit, et nemo aperit*, apud Rupertum, Anselmum, Ambrosium, Hugonem, aliosque expositores, in alio satis diverso sensu ab eo, quem objectio intendit, intelliguntur. Sufficiat D. Thomæ expositionem adducere, qui in præsenti ita ait : « Ad secundum dicendum, quod hoc « intelligitur de clausione, qua Limbum « clausit, ne aliquis ultra in illum descen- « dat ; et de apertione, qua Paradisum « aperuit, remoto impedimento naturæ « per suam Passionem. » Unde licet soli Christo Domino, et non alteri, clavis excellentiæ conveniat, et aperire cœlum removendo peccatum originale, ut inficit totam naturam humanam ; non tamen soli Christo competit cœlum aperire amovendo obstaculum peccati personalis, sed id etiam convenit Ecclesiæ ministris per clavium potestatem ministerialem tanquam instrumentis separatis, et non ita principalibus, ac Christi humanitas, quæ ad prædictum effectum instrumentum conjunctum ac dignissimum est ; unde subdit D. Thomas : « Cum enim in sacramentis Ecclesiæ effi- « cacia Passionis maneat, propter hoc « etiam ministris Ecclesiæ, qui sunt dis- « pensatores sacramentorum potestas ali- « qua ad prædictum obstaculum removen-

dum

« dum est collata, non propria, sed vir-
« tute Divina, et Passionis Christi. »

19. Arguitur tertio : nam qui habet claves cœli, habet etiam claves inferni ; sed Ecclesiæ ministri non habent inferni : igitur nec claves cœli. Major videtur nota: nam claves cœli, et inferni magnam inter se obtinent connexionem, vel potius identitatem ; siquidem aperire cœlum, nihil aliud est quam remittere peccatum, quo infernus aperitur. Minor vero suadetur : quia ideo ministri Ecclesiæ habent claves, inquit D. Thomas, quia sunt dispensatores sacramentorum, in quibus residet efficacia Passionis Christi ; sed efficacia Passionis Christi, et virtus sacramentorum non est ad aperiendum infernum : ergo.

Ad argumentum respondetur primo negando minorem : etenim cum per id ipsum cœlum aperiatur, per quod infernus occluditur, et e contra, consequens est ut qui habet cœli claves, habeat etiam inferni. Ad minoris autem probationem dicendum est Christi Passionem, ac sacramentorum virtutem non esse ad aperiendum infernum directe, et quasi influxive, concurrendo videlicet ad peccatum, quo inferni aditus patefit ; esse tamen ad aperiendum infernum indirecte, et negative. Sicut enim, teste Augustino, Deus non obdurat hominum corda impertiendo malitiam, sed non conferendo gratiam ; ita efficacia Passionis Christi, virtus sacramentorum, ac potestas clavium non dicuntur inferni ostium aperire, quia homines ad peccatum inducant, sed quia peccatum non amovent denegando absolutionem indigno, quod est indirecte, permissive, aut pure negative se habere ad aperiendum infernum, vel potius ad hoc ut inferni ostium per culpam apertum ita conservetur. Quocirca quemadmodum per potestatem clavium cœlum aperitur amovendo peccatum, et clauditur peccatum non amovendo ; ita e converso, per clavium potestatem occluditur inferni ostium, ne ibi homo ingrediatur, amovendo peccata ; et aperitur, peccata non amovendo. Ita D.Thomas in præsenti, in secunda solutione ad 3: «Vel dicendum, « quod eadem est clavis inferni, et cœli : « quia ex hoc ipso quod alicui aperitur « unum, clauditur alterum ; sed denomi- « natur a digniori ; » id est, clavis Regni cœlorum, quia munus aperiendi cœlum præcipuum est, ac per se directe intentum, aliundeque cœlum est terminus ad quem hujus potestatis, infernus autem terminus a quo.

Secundo respondetur ex D. Thoma ibidem : « Ad tertium dicendum, quod clavis « inferni, qua aperitur, et clauditur, est « potestas gratiam conferendi, per quam « homini aperitur infernus, ut de peccato « educatur, quod est inferni porta, et clau- « ditur, ne ultra homo in peccatum laba- « tur gratia sustentatus. Potestas autem « gratiam conferendi solius Dei est, et ideo « clavem inferni sibi soli retinuit. » Quæ solutio innititur dono confirmationis in gratia ut patet ex illis verbis : « Ne ultra in « peccatum labatur, gratia sustentatus. » Cum igitur hujusmodi donum non ex sacerdotum clavibus, sed ex sola Dei potestate, ac benevolentia obtineri possit, ipse solus inferni clavem habere dicitur. Ratio autem cur potestas conferendi donum confirmationis in gratia dicitur clavis inferni, est vel quia, ut ait D. Thomas, per hujusmodi donum ita janua inferni aperitur, ut homo non solum de illo educatur, sed in illum iterum non ingrediatur per peccatum. Vel quia donum illud omnino inferni ingressum impedit, sicut peccatum cœli aditum. Juxta quam doctrinam distinguenda est major argumenti, et concedenda intellecta de eo, qui habet cœli claves authoritatis ac excellentiæ, neganda vero de eo qui solum habet cœli claves ministeriales ; et concessa minori, neganda est consequentia. Ad majoris autem probationem, quatenus huic doctrinæ obesse potest, dicendum est, clavem inferni dupliciter considerari posse, vel prout accipitur a D. Thom. in hac solutione pro potestate conferendi donum confirmationis in gratia, vel prout accipitur in prima pro potestate remittendi peccatum absolute ; et sub priori consideratione nec habet connexionem, nec identificatur cum clave cœli, prout hæc solum dicit potestatem remittendi peccatum ; sub secunda autem cum prædicta cœli clave, atque ideo cum potestate clavium ministeriali connectitur, vel identificatur. D. Tho. 2 Solutio.

20. Arguitur quarto : nam ex dictis solum infertur, potestatem clavium, quæ in Ecclesia invenitur, esse improprie, ac metaphorice talem : ergo in Ecclesia vera clavium potestas non est, saltem prout a Argum. 4.

Catholicis ponitur. Antecedens suadetur primo : nam aperire, et claudere cœli januas non proprie dicitur de instrumento, sed solum de agente principali : istud enim est, quod claudit, et aperit ostium; instrumentum autem est quo hæc munera exercet. Sicut pictor est, qui proprie pingit; penicillus autem, quo pingere dicitur. Sed ministri Ecclesiæ sunt instrumenta ad aperiendum Regnum cœlorum; igitur improprie dumtaxat clavium potestatem sortiuntur. Secundo : quia potestas Ecclesiæ, et ministrorum solum metaphorice dicitur clavis, ut patet ex dictis in limine dubii præcedentis ; sed id quod tantum metaphorice est clavis, non est clavis cum proprietate : ergo in Ecclesia solum improprie claves reperiuntur.

Dissolvitur.

Respondetur negando antecedens ; ad cujus primam probationem neganda est major : nam licet instrumentum sit agens quo respectu agentis principalis, id est, quo mediante agens principale suum producit effectum ; nihilominus in suo ordine causandi vere et proprie instrumentaliter agit, sicut vere et proprie clavis materialis ferrea vel aurea ostium aperit, et claudit. Similiter sacerdos tanquam Dei minister ac instrumentam per clavium potestatem vere et proprie Regni cœlorum ostium aperit absolvendo, et claudit absolutionem indignis denegando. Ad secundam respondetur, aliud esse potestatem spiritualem Ecclesiæ remittendi et retinendi peccata dici metaphorice clavem ; aliud autem esse potestatem metaphoricam aut non veram et realem ad prædictum effectum. Primum Catholici minime negant : quippe nomen *clavis* impositum est ad significandum per se primo illud materiale instrumentum, quo januæ occluduntur, et reserantur ; unde per alienationem translatum est ad significandum potestatem absolvendi a peccatis ob similitudinem, quæ intercedit inter effectus utriusque clavis nimirum materialis et potestatis absolvendi. Secundum vero omnino hæreticum est : nam potestas remittendi ac retinendi peccata, quæ in Ecclesiæ ministris invenitur, est vera et realis potestas, qua peccata realiter dimittuntur, aut detinentur. Id quod exemplis liquet : etenim quilibet homo crudelis dicitur metaphorice *Nero*, et tamen crudelitas illius hominis, ad quam significandam transfertur nomen *Nero*, non est cru delitas metaphorica, sed vera et reali Similiter Christus metaphorice dicitu *Agnus* : et tamen mansuetudo Christi, qu illo nomine significatur, est stricte ac r gorose mansuetudo. Quod evidentius pat in illo Scripturæ testimonio, quod hær tici non negant ; *Vicit Leo de tribu Juda* ubi nomen *Leo* per metaphoram adducit ad significandam fortitudinem Christi vi centis diabolum ; ex quo tamen non infe tur Christi fortitudinem veram non fuiss nec quod pure metaphorice, et non realit diabolum vicerit. Similiter igitur potest ligandi, et solvendi dicitur metaphori clavis ; est tamen realis ac spiritualis p testas.

DUBIUM III.

Quot sint claves Ecclesiæ ?

Clavium quidditate, ac existentia firm tis, earum numerus investigandus occurr Quam difficultatem ad examen vocam tum ut D. Thomæ in præsenti quæst. art 3, aliisque Theologis de ea disseren bus conformemur. Tum, quia in Scriptu nomen clavis, quo potestas ligandi et solvendi significatur, interdum in sin lari, et non semel in plurali inveniti ut ex dicendis constabit. Tum, quia pot tas remittendi, et retinendi peccata, una, et aliunde Doctores duplicem clav distinguunt, aliam scientiæ, aliam vero tentiæ. Quod an, et quo sensu verum inquirimus.

§ I.

Triplici conclusione dubium resolvitur

21. Dicendum est primo, non unam t tum, sed plures esse Ecclesiæ claves. D. Thomas, cui fere omnes Theologi adh rent, quos supervacaneum est in parti lari referre. Probatur conclusio : nam rebus ad fidem spectantibus (qualis quam versamus) tam in substantia, qu in modo loquendi standum est Sacræ Scr turæ, Ecclesiæ, Conciliis, ac Sanctis Pat bus ; sed quoties Scriptura, Ecclesia, C cilia, ac Sancti Patres loquuntur de po tate collata Petro, aliisque Ecclesiæ mi

is, utuntur nomine clavium in plurali, on vero *clavis* in singulari : ergo sendum est, claves Ecclesiæ esse plures. ajor est certa. Minor autem suadetur : am Matth. 16, dicitur : *Tibi dabo claves egni cœlorum*. Similiter Ecclesia in Divis Officiis sic ait : *Tu es Pastor ovium rinceps Apostolorum, tibi traditæ sunt aves Regni cœlorum*. Insuper et in oraone inquit : *Collatis clavibus Regni cœstis*, etc. Simili loquendi modo utuntur oncilium Florentinum, Constantiense, et ridentinum sess. 14, can. 15, ubi hæc abentur : « Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, » etc. Nec issentiunt Sancti Patres, inter quos videri ossunt D. Chrysostom. homil. 55, in latth. D. Augustinus lib. 50, in Joannem, de Civitate Dei lib. 20, cap. 9, Maximus omil. 5, de B. Petro et Paulo, super cap. Joannis. Ergo nomine *clavium* in pluali utuntur.

Deinde suadetur conclusio alia ratione : am Ecclesiæ claves sunt instrumenta, ibus ejusdem Ecclesiæ ministri remoent obstaculum peccati, quo cœli aditus mpeditur ; sed hujusmodi instrumenta unt saltem duo : ergo duæ saltem Ecclesiæ laves, atque ideo non unica tantum. Maor ex jam dictis constat ; consequentia est egitima ; minor vero suadetur : nam ablao illius obstaculi est actus, quo ad regnum cœlorum admittuntur digni, et excluduntur indigni ; sed ad hujusmodi actum duo equiruntur instrumenta, scientia videliet discernendi, et potentia ligandi, et solendi ; ergo. Probatur minor ; nam ut miister non admittat nisi dignum, nec xcludat nisi indignum, debet formare udicium discretivum de illo, qui admittenus est, ac de illo, qui rejiciendus ; deinde ebet habere potentiam, ut judicium illud fficaciter executioni mandetur, alias si rimum posset sine secundo, vel secundum ine primo, judicium sua executione careet, aut executio cæco modo, et absque discretione fieret ; sed prædictum judicium de idoneitate alicujus, et potentia ad illud fficaciter exequendum, sunt duo instrumenta : ergo ad prædictum actum duo instrumenta requiruntur, videlicet, scientia ad discernendum, et potentia ad solvendum, aut ligandum.

Confirmatur : etenim in naturalibus sive practicis, sive speculativis, licet ad aliquid absolute agendum unica sufficiat potestas ; tamen ad illud recte, aut tali modo efficiendum duplex facultas exposcitur : ergo in spirituali, et supernaturali ordine, ad quem Ecclesiæ claves attinent, ad recte, et ordinate referendum, aut claudendum ostium regni cœlorum duplex est necessaria potestas, esto ad aperiendum, et claudendum utcumque unica tantum sufficiat. Tum sic ; sed hæc duplex potestas est duplex clavis : ergo Ecclesiæ clavis est duplex saltem. Antecedens inductive suadetur : etenim quia aliud est scindere absolute, et aliud artificiose, licet ad scissionem utcumque ars non sit necessaria, requiritur tamen ars ad scissionem artificiosam. Similiter etiam, quia aliud est intelligere absolute, et aliud recte intelligere, quamvis ad primum sufficiat potentia intellectiva, ad secundum tamen ultra illam desideratur habitus, aut dispositio rectificans potentiam. Cum igitur potestas Ecclesiæ sit ad recte, et ordinate cœlorum ostium reserandum, plane evincitur duplicem facultatem fore necessariam, potentiam videlicet ad absolvendum, vel ligandum absolute, et scientiam ad ordinate vel tali modo ligandum. Confirmat.

22. Dicendum est secundo, Ecclesiæ clavem esse duplicem, et non amplius. Hæc assertio etiam communis est inter Theologos, eamque docet D. Thomas in præsenti, art. 3. Et suadetur ratione ejusdem S. Doctoris : etenim in exequente actum, qui requirit idoneitatem ex parte recipientis, duo tantum sunt necessaria, judicium nimirum de idoneitate recipientis, et potestas ad actus executionem ; sed actus clavium exposcit idoneitatem illius, in quo exercetur : ergo in ministro illum actum ut judice exequente duo tantum requiruntur, facultas videlicet discernendi, et potentia exequendi, quæ sunt duæ claves ; ac proinde non plures ponendæ sunt : superflue enim fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora. Consequentia liquet ; et minor etiam ex clavium definitione constat : id enim importatur in illis particulis : *Dignos recipere, et indignos excludere*. Major autem 2 Conclusio. D. Tho. Ratio.

præterquam quod est D. Thomæ, suadetur exemplo ejusdem S. Doctoris : actus enim justitiæ fori exterioris, in quo redditur Petro id, quo dignus est, est actus exposcens idoneitatem ex parte Petri recipientis ; sed ad hujusmodi actum solum requiruntur in judice facultas discernendi an Petrus dignus vel indignus existat, et potestas exequendi redditionem illius rei, qua Petrus dignus existit : ergo ad actum exposcentem idoneitatem ex parte recipientis hæc duo requiruntur dumtaxat.

3 Conclus. 23. Dicendum est tertio, hanc duplicem clavem non distingui in essentia authori-
Ratio. tatis, sed ex comparatione ad actus, quorum unus alterum præsupponit. Hæc conclusio est expressa D. Thomæ in fine corporis art. 3, in præsenti, quem sequuntur communiter ejus discipuli ; et suadetur ratione : nam potestas clavium in ratione authoritatis, et facultatis est idem quoad essentiam cum sacerdotis charactere ; sed character sacerdotalis est unicus excludens in se essentialem distinctionem : ergo istæ duæ claves distinctionem quoad essentiam non admittunt in esse authoritatis. Consequentia patat ; et major etiam ex supra dictis constat : quia hæc potestas est illa, quæ confertur in ordine sacerdotali ; potestas autem ibi collata est character sacerdotalis. Minorem vero probatam relinquimus tractat. 22, disput. 5, dub. 4, § 3, num. 70. Insuperque suadetur a D. Thoma in præsenti, quæst. 17, art. 2 ad 1, ubi ait : « Quod ad duo, quorum unum est « causa alterius, una potestas ordinatur, « sicut in igne calor ad calefaciendum, et « dissolvendum. » Sed character sacerdotalis est potestas ad consecrandum Corpus Christi, et ad absolvendum a peccatis, quorum prius est causa posterioris, « eo « quod omnis gratia, per quam remissio « fit in corpore mystico, ex capite, suo « provenit ; » id est, ex potestate supra corpus Christi verum : ergo character sacerdotalis est unicus, ac excludens a se essentialem distinctionem.

Distinguuntur autem istæ duæ claves, inquit D. Thomas, « ex comparatione ad « actus, quorum unus alium præsupponit. « Quocirca sicut potestas clavium sub munere consecrandi, et eadem potestas sub munere ligandi, et solvendi « est unum per « essentiam, sed differt ratione, » eo quod munus ligandi, et absolvendi suppo munus consecrandi : ita proportione s vata, potestas clavium sub munere disc nendi inter dignos, et indignos, et sub n nere ligandi, et solvendi sola ratione diff quatenus ordinatur ad actus, quorum u supponit alium : semper enim discus causæ prolationem, et executionem præ dit. Idcirco quatenus ordinatur ad p mum, quo pacto clavis scientiæ dicit differt quodammodo a se ipsa, adhuc esse authoritatis, prout ordinatur ad cundum, et clavis potentiæ nuncupat Sed hæc amplius ex dicendis num. constabunt.

§ II.

Argumenta adversariorum enodantur

24. Adversus primam conclusionem guitur : nam sæpe in Scriptura Eccle potestas dicitur clavis in singulari : e unica tantum est clavis Ecclesiæ. Ante dens suadetur : nam Isaiæ 22, vers. dicitur : *Et dabo clavem Domus David per humerum ejus, et aperiet, et non erit claudat, et claudet, et non erit qui aperi* Et Apocalypsis 3, vers. 7 : *Hæc dicit Sa tus, et verus qui habet clavem David, aperit, et nemo claudit, claudit, et ne aperit.* Et Lucæ 11, vers. 52 : *Væ vo legisperitis, qui tulistis clavem scientiæ, i non introistis, et eos, qui introibant, pro buistis.* Sed in his locis fit sermo de Ecc siæ potestate : ergo hæc nomine clavis singulari nuncupatur.

Respondetur negando antecedens, qu adductis testimoniis non evincitur : n duo priora non loquuntur de potest ligandi, et solvendi, discernendique in dignos, et indignos collata Ecclesiæ min tris ; sed de potestate, quam solus Chris obtinuit aperiendi Paradisum, et clauder Limbum per ablationem impedimenti tius naturæ. Sic D. Thomas in præsen quæst. 17, art. 1 : « Ad secundum dice « dum, quod hoc intelligitur de clausio « qua Limbum clausit, ne aliquis ultra « illum descendat, et de apertione, q « Paradisum aperuit, remoto impedime « natura per suam Passionem. » Sic eti textus supra allegatos interpretantur A brosius, Anselmus, Rupertus, Chrysos

m

s, et Cardinalis Hugo. In ultimo autem imonio solum fit sermo de una ex duaclavibus a nobis assignatis, de clavi nirum scientiæ (quam sacerdotes veteris s solum habebant tanquam umbram, similitudinem istius, quæ residet in nistris legis gratiæ) præcisive ab alia ri potentiæ, non tamen eam positive ludendo ; atque ideo ex illo testimonio nime deducitur, unicam tantum esse rem Ecclesiæ, sed solum unam e duaibi fuisse recensitam ; quemadmodum textu loquente de uno sacramento non rtur alia non esse.

5. Adversus secundam assertionem nulla militant argumenta, quibus suai videtur Ecclesiæ claves plures vel ciores assignatis fore. Insuperque Lurus, qui refertur in Bulla Leonis X, con ejusdem hæretici errores, docet sacerm non debere inquirere, nec pœniten teneri respondere, an contritus, et e dispositus ad sacramentum accedat ? n autem hæc inquirendi potestas ad em scientiæ discretivæ spectet, eo ipso l eam Lutherus neget, unam ex Eccle clavibus aufert. Deinde cum etiam do , absolutionem ministri Ecclesiastici acem fore, non quia a ministro fit, sed irtute pœnitentis, etiam clavem potenrejicit. Sed hi errores jam a Tridentino nati existunt.

rguitur ergo primo : etenim ad uni seram clavis unica satis est ; atqui , ad quam amovendam Ecclesiæ potesordinatur, est unica : unica igitur clasufficit in Ecclesiæ ministris. Minor detur : nam sera, ad cujus remotionem lesiæ potestas ordinatur, est peccatum, l impedit regni cœlestis ingressum ; peccatum, etiam si multiplex sit in entis, est unicum in ratione obicis, cumque dumtaxat affert impedimen , quippe in hac ratione omnia peccata veniunt : ergo sera, cujus ablationem ndit Ecclesiæ potestas, unica tantum

espondetur, ad remotionem seræ unius cam clavem sufficere immediate, non o mediate, dum clavis immediate requiindiget alia ad sui ipsius rectum usum ; is autem potentiæ ligandi, et solvendi, immediate concurrit ad seram peccati ovendam, indiget clavi scientiæ discretivæ inter dignos, et indignos, et clavis istius actus ad actum illius, et rectum usum præsupponitur, ac dirigitur. Quam solutionem adhibet objectioni D. Thomas in præsenti, art. 3 : « Ad primum ergo dicendum, quod « ad unam seram aperiendam una clavis « immediate ordinatur, sed non est incon- « veniens quod una ad actum alterius or- « dinetur. Et sic est in proposito : secunda « enim clavis, quæ dicitur potestas ligandi, « et solvendi, est quæ immediate seram « aperit peccati ; sed clavis, quæ dicitur « scientia, ostendit cui aperienda sit sera « illa. » D. Tho.

26. Arguitur secundo : nam scientia discernendi neutiquam valet inter Ecclesiæ claves numerari, aut clavis nomine insigniri : ergo unica tantum est clavis Ecclesiæ, nempe, potestas solvendi, et ligandi. Antecedens suadetur ex supra stabilitis : nam claves Ecclesiæ in collatione ordinis sacerdotalis conferuntur ; sed scientia discernendi non confertur in collatione ordinis : ergo scientia discernendi non potest inter Ecclesiæ claves recenseri. Minor, quæ sola difficultatem præsefert, ostenditur a priori, et a posteriori : a priori quidem : nam scientia discernendi, sicut et quælibet scientia, est habitus medio studio, et labore acquisitus, et licet aliquando sit infusus, non tamen ejus infusio ordini alligatur sacerdotali, sed independenter ab illo solet conferri ; et hinc eadem minor a posteriori suadetur : nam si daretur scientia discernendi in sacerdotali ordine, omnes sacerdotes hac scientia pollerent, cujus oppositum experientia docet : nam qui ignarus ad sacerdotium accedit, eadem ignorantia laborare cernitur post ordinis susceptionem : scientia igitur discernendi in sacerdotali ordine non confertur. Argum. 2.

Respondetur ad argumentum negando antecedens, ad cujus probationem concessa majori distinguenda est minor, quæ si intelligatur de scientia discernendi, quæ est habitus, concedenda est, neganda vero intellecta de scientia discernendi prout dicit authoritatem exercendi actum scientiæ ; et similiter neganda est consequentia, si procedat de scientia discernendi prout dicit hujusmodi authoritatem, quæ et non illa, nuncupatur clavis Ecclesiæ. Nec adductæ probationes oppositum evincunt : solum namque ostendunt, scientiam, prout Solvitur.

est habitus vel acquisitus, vel infusus, non conferri in sacerdotali ordine, non vero prout est potestas, et authoritas ad discernendum inter dignos, et indignos. Scientia etenim priori modo considerata accipitur philosophice, aut logice ; posteriori autem modo sumitur juridice, et prout est potestas cogendi pœnitentem ad sua fatenda peccata, et ad vere respondendum sacerdoti de illis interroganti. Et quamvis admodum expediret ut hæc non tribueretur cuipiam illa non pollenti ; non semel tamen ignoranti impenditur, et una sine alia invenitur, ut etiam videre est in Judicibus fori sæcularis, qui licet literis careant, et Assessorum juvamine indigeant, ne temere judicium ferant, judicant tamen, et gaudent authoritate cogendi reum, testes, et alios, ut juridice interrogantibus veritatem dicant ; ad quod nequirent compellere alii: esto alias sapientissimi, si illa authoritate non gauderent. Quæ solutio desumitur ex

D. Tho. D. Thom. in præsenti, quæst. 18, art. 3, ad 2, ubi postquam retulit, et rejecit solutionem Magistri sententiarum, inquit : « Sed hoc non videtur verbis Evangelii « concordare, quæ claves Petro dandas « promittunt, et ita non solum una, sed « duæ in ordine dantur. Et propter hoc alia « opinio est (quam amplectitur) quod scien- « tia, quæ est habitus, non est clavis, sed « authoritas scientiæ actum exercendi, « quæ quandoque sine scientia est, quan- « doque scientia sine ipsa, sicut patet etiam « in judiciis sæcularibus : aliquis enim « judex sæcularis habet authoritatem judi- « candi, qui non habet juris scientiam ; et « aliquis e contrario habet juris scientiam, « qui non habet authoritatem judicandi. « Et quia actus judicii, ad quem quis ex « authoritate suscepta obligatur, non au- « tem ex scientia habita, sine utroque bene « fieri non potest, ideo authoritas judi- « candi, quæ clavis est, sine scientia non « potest sine peccato accipi. »

Replica. 27. Sed dices : ex hac doctrina infertur, illum, qui non habet scientiam requisitam ad convenientem usum hujus potestatis non posse sine peccato ascendere ad sacerdotium ; sed oppositum convincitur praxi quamplurium Episcoporum timoratæ conscientiæ, ac excellentis doctrinæ, qui plurimos in Theologia morali nondum instructos ad sacerdotium admittunt : ergo tradita solutio nulla est, atque ideo auth ritas ad discernendum falso dicitur cla scientiæ collata in sacerdotali ordine. Cc sequentia liquet : et minor inserta prol tione constat. Major autem est D. Thor in verbis proxime adductis.

Respondetur, illum, qui tam in re, qu in dispositione caret scientia requisita hujus authoritatis rectum usum, pecc si ad sacerdotium ascendat ; posse tam sine peccato sacerdotali ordine insigni qui in re perfectam scientiam nc dum fuit adeptus, si dispositionem su cientem habeat ad eam acquirendam priori ad usum illius authoritatis. Et h proculdubio est mens D. Thomæ, d inquit : « Ideo authoritas judicandi, q « clavis est, sine scientia non potest si « peccato accipi. » Ad duos namque ac confertur potestas in ordine sacerdotii, consecrandum nimirum, et judicandum foro pœnitentiæ ; et cum uterque deb recte fieri, ad neutrum valet assumi si peccato, qui ad unum et alterum est ine tus ; absque peccato vero potest assur qui licet cum ordinatur careat scientia confessiones audiendas requisita gau tamen dispositione, ut pro priori ad usu judicii pœnitentialis valeat studio ac labo perfectam acquirere scientiam ad rectu usum illius judicii exactam.

28. Arguitur tertio : nam potestas, qua habet sacerdos supra corpus Christi mys cum, dimanat ab ea, quam sortitur consecrandum, vel conficiendum corp Christi verum ; sed hæc non est duplex, s unica tantum : ergo similiter et illa un tantum erit atque ideo unica clavis. Cons quentia ex paritate convincitur ; et maj est D. Thomæ in præsenti quæst. 17, a 2 ad 1, ubi ait : « Et quia omnis remiss « in corpore mystico ex capite suo prov « nit, ideo eadem potestas esse videtur p « essentiam, qua sacerdos conficere pote « et qua potest solvere, et ligare, si jur « dictio adsit ; nec differre nisi ratione quatenus munus solvendi et ligandi pr fluit ex munere consecrandi. Minor ve suadetur : nam potestas per ordinem Corpus Christi verum est caracter sacerd tii, et potentiæ consecrandi ; sed duplice caracterem non distinguimus, unum consecrationem panis, et alium ad cons crationem vini : ergo potestas per ordine

Corpus Christi verum non est duplex, unica tantum.

Respondetur, omissis præmissis negando sequentiam : etiam distinctio, aut inctio potestatis supra Corpus Christi sticum a potestate supra Corpus Christi um non sumitur ex dependentia unius estatis ab alia, sed ex ordinatione ad us, qui sunt alterius, vel ejusdem ratio-. Quare tunc dicuntur potestates diver- adhuc in ratione authoritatis, quando actus diversi generis diriguntur; quando o ad actus ejusdem rationis ordinantur, dicuntur duæ, sed unica potestas. Cum em discernere causam, et sententiam ferre, sint actus diversæ rationis, ad s potestas clavium ordinatur ; ideo mvis in essentia authoritatis sit una, potestates, et claves dicuntur. E con- vero : quia actus consecrandi Corpus, consecrandi sanguinem Christi sunt sdem rationis, potestas consecrandi est a tantum. Ita D. Thomas in præsenti : d tertium dicendum, quod potestas con- iciendi est ad unum tantum actum alte- ius generis, et ideo non connumeratur lavibus, nec multiplicatur sicut potestas lavium, quæ est ad diversos actus, uamvis secundum authoritatis essen- iam sit una, ut dictum est. »

29. Arguitur quarto opposito tramite, o suadentur plures claves, quam assi- atæ : nam omnes facultates exactæ ad novendum obstaculum peccati debent ncupari claves Ecclesiæ ; sed ad hujus- di impedimentum amovendum ultra ves scientiæ, ac potentiæ ligandi et sol- ndi aliæ facultates requiruntur : ergo res quam duæ sunt claves Ecclesiæ. jor constat : ideo namque dicitur clavis entia discernendi, et etiam potentia vendi ac ligandi, quia requiruntur ad ccatum amovendum : ergo omnes facul- es exactæ ad ejusmodi obstaculi amotio- m debent inter claves annumerari. nor autem suadetur : nam sicut ad licandum requiritur scientia, et potes- , ita et voluntas : ergo præter scientiam scretivam, et potentiam solvendi, ac gandi, aliud exposcitur ad prædictum fectum.

Confirmatur : quia tot claves Regni elorum sunt traditæ Petro, et Ecclesiæ inistris, quot sunt in Deo, cujus vices gerunt ; sed in Deo tres claves inveniuntur : ergo. Major liquet : nam quilibet minister gerens vices alterius eadem potestate utitur instrumentaliter, qua agens principale operatur principaliter, quamvis hæc potestas in principali sit per excellentiam, et in ministro per participationem : ergo ministri Ecclesiæ, et Dei ad aperiendum ostium Regni cœlorum eisdem clavibus uti debent, quibus Deus utitur. Minor autem suadetur : nam quælibet Persona Divina habet suam clavem, quippe tota Trinitas causat gratiam justificantem, et peccatum remittit : sed in Deo personæ sunt tres : ergo tres claves inveniuntur. Ut ergo sacerdotes Trinitati conformentur, tres claves saltem habere debent.

30. Respondetur ad objectionem negando majorem : non enim quælibet facultas concurrens ad reserandum Regnum cœlorum est, et dicitur clavis, sed solum illa, quæ authoritate Divina est ad hoc munus ordinata ; hujusmodi autem non est voluntas humana, quæ tam sacerdotibus, quam non sacerdotibus est communis, præceditque susceptionem characteris sacerdotalis, in quo authoritas ad hunc effectum quoad substantiam confertur. Unde quamvis voluntas (idem intellige de quacumque alia facultate) requiratur ad ostium cœli reserandum, sicut, et scientia discernendi, et potentia ligandi ; non tamen eodem modo : nam scientia, et potentia dicunt peculiarem facultatem, ac authoritatem collatam a Deo saltem quoad substantiam ad prædictum effectum ; quod voluntati non convenit : nam, ut inquit D. Thomas in solut. ad 4 : « Velle unicuique est libe- « rum, et ideo ad volendum non exigitur « authoritas, et propter hoc voluntas non « ponitur clavis. »

Enodatur argument.

D. Tho.

Ad confirmationem respondetur omissa majori negando minorem, quæ adhibita probatione non suadetur ; etenim tres Personæ Divinæ, quæ peccatum remittunt, non triplicem sortiuntur clavem authoritative, sed duplicem tantum, scientiæ discretivæ, et potentiæ, prout istæ communes sunt toti Trinitati ; cum enim remittere peccatum sit opus ad extra, et opera ad extra, juxta Concilium Toletanum Can. 1, sint a tota Trinitate indivisim, et per eandem virtutem communem, totæ tres Personæ in ratione principii remit-

Solvitur confirmatio.

Conc. Toletan.

tentis peccatum sunt quasi una persona, et quoad hoc non ponunt in numero : quemadmodum esto Personæ sint tres, non tres naturæ, aut omnipotentiæ in eisdem
D. Tho. inveniuntur. Ita D. Thomas : « Ad quintum « dicendum, quod tota Trinitas eodem « modo remittit peccata, sicut una persona, « et ideo non oportet quod sacerdos, qui « minister est Trinitatis, tres claves « habeat. »

Ultimum argument. 31. Ultimo arguitur : nam potestas jurisdictionis est vere clavis Regni cœlestis ; sed hæc est distincta a duabus supra recensitis : ergo sunt tres claves Regni cœlorum. Minor est certa : scientia namque discernendi, et potentia judicandi cum ordine sacerdotali conferuntur ; potestas autem jurisdictionis in ordine non confertur, ut satis apparet in sacerdotibus, qui vocantur simplices, et nondum ad confessiones audiendas sunt approbati, qui carent jurisdictione, licet ordine sacerdotali sint insigniti. Major vero difficultatem præseferens suadetur. Primo ex D. Thoma illam
D. Tho. docente infra quæst. 25, supplem. art. 2, ad 1, ubi inquit : « Dicendum, quod clavis, « sicut supra dictum est, est duplex, scili- « cet, ordinis, et jurisdictionis. » Secundo : nam clavis Regni cœlorum est potestas ordinata ad aperiendum, et claudendum cœlornm ostium, solvendo aut ligando ; sed hujusmodi est potestas jurisdictionis : ergo debet inter claves Regni cœlorum connumerari. Tertio : nam clavis est illa potestas, qua judex Ecclesiasticus in esse judicis constituitur, ut dignos recipiat, et indignos excludat ; sed in esse judicis constituitur per potestatem jurisdictionis : ergo potestas jurisdictionis est clavis.

Diluitur. Ad hoc argumentum respondetur negando majorem, cujus prima probatio non urget : nam D. Thomas ibi solum intendit, jurisdictionem esse clavem improprie talem, et per modum conditionis, aut dispositionis ad clavem ; non autem esse clavem stricte
D. Tho. talem. Quam esse mentem D. Thomæ ex eo constat, quod loco in objectione relato se remittit ad quæst. 19, supplement. ut patet ex illis verbis : « Ad primum dicen- « dum, quod clavis, ut supra dictum est. » In quæstione autem 19, ad quam se remittit, sic ait corp. art. 3 : « Respondeo dicen- « dum, quod clavis est duplex, una, quæ « se extendit ad ipsum cœlum immediate, « removendo impedimenta introitus in « cœlum per remissionem peccati, et hæc « vocatur clavis ordinis ; alia clavis est « quæ non directe se extendit ad ipsum « cœlum, sed mediante militante Ecclesia « per quam aliquis ad cœlum vadit, dum « per eam aliquis excluditur, vel admittitur « ad consortium Ecclesiæ militantis per « excommunicationem, et absolutionem « et hæc vocatur clavis jurisdictionis in « foro causarum, sed non proprie dicitur « clavis cœli, sed quædam dispositio ad « ipsam. » Idemque dicendum est de jurisdictione in ordine ad forum externum, quæ etiam proprie clavis non est.

Ad secundam respondetur, quod clavis est potestas immediate, et directe ordinata ad aperiendum cœlum, vel illud claudendum ; jurisdictio autem non est proprie potestas immediate, et formaliter ad id ordinata, sed quid ad actum clavium exactum per modum conditionis, quæ etiam dici potest facultas applicativa potestatis in ordine collatæ, quæ est proprie clavis. Ex quo patet ad tertiam : etenim nomine clavis intelligitur illa potestas, qua quis constituitur in actu primo in ratione judicis Ecclesiastici potentis formaliter et immediate aperire, et claudere cœlum. Jurisdictio autem non constituit sacerdotem judicem in actu primo, formaliter, et immediate potentem cœlum claudere, et aperire, sed mediate dumtaxat, aut indirecte, subjiciendo debitam materiam, plebem nimirum, sacerdoti, quod sit per jurisdictionem. Unde jurisdictio non est clavis, sed conditio requisita ad actum clavium, uti docet D. Thomas in 4, dist. 18, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 2, ad 2 : « Dicendum, quod « omnis spiritualis potestas datur cum « aliqua consecratione, et ideo clavis cum « ordine datur ; sed executio clavis indiget « materia debita, quæ est plebs subjecta « per jurisdictionem ; et ideo antequam « jurisdictionem habeat, habet claves, sed « non habet actum clavium. » Adversus tertiam conclusionem nullum alicujus ponderis argumentum occurrit, in cujus enodatione moram facere opus sit.

DUBIUM IV.

Qui sacerdotes habuerint, aut habeant clavium potestatem?

In quæst. 18 supplementi agit D. Thomas de effectu clavium tam circa remissionem culpæ, et pœnæ æternæ, quam temporalis. Ab his tamen investigandis in præsenti supersedemus, quia earum difficultatum resolutiones jam constant ex alibi dictis, præsertim in priori parte hujus tractat. disp. 3, dub. 2, ubi statuimus, effectum absolutionis, quæ fit virtute clavium, esse remissionem tam culpæ, quam pœnæ illi connexæ. Insuperque sacramentum pœnitentiæ clavium virtute remissionem pœnæ temporalis ex opere operato inducere, non semel præced. disput. explicuimus. Quocirca ad quæst. 19, in qua agit D. Thomas de his, in quibus invenientur claves, gradum facimus. Plures tamen sunt, de quibus dubitari potest, an clavium potestatem obtineant, aut obtinuerint? Quod in præsenti videndum est.

§ I.

Quid de sacerdotibus legis scriptæ, et naturalis?

32. Ad hujus difficultatis resolutionem præmittendum est, in lege scripta veros sacerdotes extitisse, ut satis liquet ex illo Exodi cap. 31: *Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filiis suis, ut sacerdotio fungantur mihi.* Imo, et in lege naturæ veros extitisse sacerdotes constat ex Genes. 14, ubi de Melchisedech dicitur: *Erat enim sacerdos Dei Altissimi.* Id quod docet D. Thomas 1, 2, quæst. 103, art. 3, ubi inquit: Sacerdotium etiam erat ante legem apud colentes Deum secundum humanam determinationem, qui hanc dignitatem primogenitis attribuebant. » Similiter etiam in lege scripta vera extitisse sacramenta, ad quorum administrationem sacerdotes deputabantur, ex professo statuimus tractat. 22, disp. 3, § 2, et dub. 4. Igitur claritatis gratia difficultatem determinate versabimus circa sacerdotes legis scriptæ, et quidquid de his dicendum fuerit, sacerdotibus legis naturæ applicandum censemus.

33. Dicendum est primo, sacerdotes veteris legis potestatem clavium proprie non habuisse. Ita D. Thomas in præsenti, art. 1, Nugnus, et Seraphinus ibidem; Sotus in 4, distinct. 20, quæst. 1, art. 3, Abulensis in cap. 16 Matthæi quæst. 81, et communiter Theologi. Et ratione suadetur: nam potestas clavium est ad removendum peccatum quoad culpam, et pœnam; atqui sacerdotes veteris legis hujusmodi potestatem non habuerunt: ergo nec potestatem clavium. Probatur minor: etenim solus ille habet potestatem auferendi peccatum quoad culpam, et pœnam, qui gratiam sanctificantem saltem instrumentaliter inducere potest; sed sacerdotes veteris legis ex vi sui ministerii per sacramenta illius legis gratiam sanctificantem producere adhuc instrumentaliter non potuere: ergo. Minor, quæ sola difficultatem continet, ostenditur ex Concilio Florentino in decret. Eugenii IV ad Armenios, ubi hæc habentur: « Novæ legis « sacramenta sunt septem, quæ multum a « sacramentis differunt antiquæ legis: illa « enim non causabant gratiam, sed eam per « Passionem Christi esse dandam figura- « bant: hæc vero nostra, et continent gra- « tiam, et ipsam digne suscipientibus con- « ferunt. » Si igitur sacramenta gratiam non conferebant, nec sacerdotes mediis illis eandem inducere poterant.

Confirmatur: nam sacerdotes veteris legis per sacramenta ac sacrificia solum efficiebant umbram ac figuram significantem cœli januas fore aperiendas: ergo stricte potestatem clavium non habebant. Antecedens suadetur ex illo ad Hebræos 10: *Solam umbram habens lex* (antiqua nimirum) *futurorum bonorum;* id est, bonorum legis Evangelicæ, ac sacerdotii ministerialiter effective producentis gratiam remissivam peccati, qua cœli ostium patefit. Unde D. Chrysostomus ait: « Non habe- « bant ipsam substantiam rerum, aut res « ipsas. » Cum igitur umbra, aut figura potestatis clavium non sit ipsa potestas, hanc illi sacerdotes non obtinuerunt. Quibus accedit ex nullo Sacræ Scripturæ testimonio constare, potestatem clavium illis sacerdotibus collatam fuisse. Accedit insuper, potestatem a Deo collatam frustraneam esse non posse; potestas autem clavium, si sacerdotibus veteris legis collata

Asserto I. D. Tho. Nugnus, Sotus, Seraph. Abul. Concil. Florent. Confirmat. Ad Hebr. 10. D. Chrys.

fuisset, frustranea esset ; quippe quæ finem intentum non obtineret : etenim cœli janua, ad quam aperiendam dirigitur, ante Christi Passionem aperiri non potuit. Quamvis autem proprie claves non habuerint ; tamen : « In eis figura clavium præ-
D. Tho. « cessit, » inquit D. Thomas, quia illi sacerdotes habebant authoritatem discernendi, et judicandi homines, qui ab irregularitatibus purgandi essent, ut ad tabernaculum manufactum aditus illis pateret, quod est quædam umbra potestatis removendi peccatum, ut cœli ostium reseretur.

1 Objectio 34. Objicies tamen primo : nam in lege veteri fuit vera potestas sacerdotalis : sed vera potestas sacerdotalis est vera potestas clavium : ergo in sacerdotibus legis antiquæ fuit vere, et proprie potestas clavium. Majorem supponimus ex prænotatis, ut fuisse in veteri lege veros sacerdotes vera sacramenta ministrantes supposuimus ; veri autem sacerdotes debent gaudere vera potestate sacerdotali. Minor autem ostenditur ; nam vera potestas sacerdotalis est potestas ordinis ; sed potestas ordinis est vera potestas clavium : ergo vera potestas sacerdotalis est vera potestas clavium.

Confirmat. Confirmatur : nam potestas discernendi, et judicandi inter lepram, et lepram, est potestas clavium ; sed sacerdotes veteris legis hujusmodi functi fuere potestate : ergo habuerunt claves. Major videtur certa : etenim ut dub. præced. ostendimus, discretio, et judicium sunt actus clavium.

Deuteronomii 17. Minor vero probatur ex Deuteronomii 17, vers. 8 : *Si difficile, et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem, et sanguinem, causam, et causam, lepram, et lepram.... Surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, sequerisque sententiam eorum ; qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, et decreto judicis, moriatur.*

Solvitur. Respondetur, potestatem sacerdotalem ex suo conceptu generico non esse potestatem clavium, sed solum ex conceptu specifico determinati sacerdotii, nempe, legis gratiæ. Quocirca potestas sacerdotalis, et potestas clavium non convertuntur, nec illi, cui convenit prior, necessario convenire debet posterior, alioqui etiam sacerdotes legis naturæ, cum vere sacerdotes fuerint, claves habuissent. Quemadmodum igitur in lege veteri fuerunt vera sacramenta, quæ in ratione sacramenti convenientiam habuerunt cum sacramentis legis gratiæ, a quibus tamen distinguuntur in ratione specifica, in virtute, et in modo causandi ; ita etiam in lege veteri fuerunt veri sacerdotes, atque ideo vera potestas sacerdotalis ad conficienda sacramenta illius legis, in qua ratione convenit cum potestate sacerdotali legis Evangelicæ, a qua tamen differt in ratione talis potestatis. Ceterum sicut sacramenta legis veteris considerata quoad speciem fuerunt ignobiliora sacramentis legis Evangelicæ, gratiamque, ut ista, causare non poterant ; ita potestas sacerdotalis illius legis specifice sumpta cedit potestati sacerdotali legis gratiæ : hæc enim ex sua differentia specifica se extendit ad removendum peccatum, ad cœlique ostium pandendum, atque ideo ad vim clavium obtinendam.

Ad confirmationem dicendum est, potestatem discernendi inter lepram, et lepram esse potestatem clavium improprie, et similitudinarie : ex vi enim illius solum fiebat discretio inter dignos, qui ad sacrificia, et ad templum materiale admittendi essent, et inter indignos, qui rejiciendi extra castra, ratione immunditiæ, vel arcendi a templo, et sacrificiis. Quoad remissionem autem peccatorum per sacramenta, aut sacrificia sacerdotes illius legis nullam potestatem clavium habebant nisi solam figurativam : Deus enim erat, qui solus ad conspectum sacrificiorum infundebat gratiam, et remittebat contritis culpam.

35. Arguitur secundo : nam potestas remittendi, et retinendi peccata in pœnitentiæ sacramento est proprie potestas clavium ; sed hujusmodi facultate pollebant sacerdotes legis Mosaicæ, imo, et naturalis : ergo habebant potestatem clavium stricte talem. Minor, quæ sola difficultatem præsefert, suadetur ex D. Thoma in 4, distinct. 1, quæst. 1, art. 2, quæstiunc. 3, ad 2, ubi ait : « Ante legem scriptam erant quædam « sacramenta necessitatis, sicut illud fidei « sacramentum, quod ordinabatur ad « deletionem originalis peccati, et similiter « pœnitentiæ » (perpende verba) « quæ « ordinabatur ad deletionem actualis. »

Et

Et idem docet ibidem, quæstiunc. 4, de lege Mosaica, his verbis : « Necessarium « fuit in lege Moysi determinare sacrificia, « oblationes, etc. et pœnitentiæ satisfac- « tiones distingui. » Qua in sententia persistens, pœnitentiæque sacramenti assignans ministrum, 3 part. quæst. 84, art. 7, ad 2, ait : « Unde pœnitentia in veteri « lege aliquam determinationem habuit, « quantum quidem ad dolorem, ut esset « magis in corde, quam in exterioribus « signis, secundum illud Joelis 2: Scindite « corda vestra, et non vestimenta vestra ; « quantum autem ad remedium doloris « quærendum, ut aliquomodo ministris Dei « peccata sua confiterentur ad minus in « generali. Unde Dominus in Levit. 5, « dicit : Anima si peccaverit, offeret arie- « tem immaculatum de gregibus sacerdoti « juxta mensuram, æstimationemque pec- « cati, qui orabit pro eo, quod nesciens « fecerit, et dimittetur ei. In hoc enim « ipso, quod oblationem faciebat aliquis « pro peccato suo, quodammodo suum « peccatum sacerdoti confitebatur. » In quibus palam docet, tam in lege scripta, quam naturali sacramentum pœnitentiæ extitisse cum omnibus suis actibus, confessione, contritione, ac satisfactione, insuperque sacerdotem ejusdem sacramenti fuisse ministrum. Hæc autem verificari nequeunt, nisi sacerdotes habuerint potestatem ligandi, et solvendi : ergo.

Confirmatur : nam sacerdotes veteris legis super populum potestatem habebant ; sed non temporalem : ergo spiritualem. Atqui potestas spiritualis est potestas clavium : hanc igitur habuerunt. Minor prioris syllogismi suadetur : nam si illa potestas esset temporalis, potestas regia non esset a sacerdotali distincta ; sed certum est, unam ab alia distingui : ergo potestas sacerdotalis temporalis non erat.

Respondetur negando minorem ; ad cujus probationem dicendum est, in lege tam naturali, quam scripta verum extitisse pœnitentiæ sacramentum a Deo institutum in medicinam peccatorum actualium, id quod docuimus tract. 22, disp. 3, dub. 3, num. 34 et dub. 4, num. 62. Inde tamen minime evincitur, sacerdotes veteris legis habuisse veram potestatem clavium, aut remittendi peccata medio illo sacramento : etenim nec sacramentum illud, nec illius minister virtutem in se, et ex se continebant ad productionem activam gratiæ sanctificantis : hæc enim totaliter refundebatur in Deum sanctificantem, atque in dispositiones recipientis. Unde cum attritio non sit ex se sufficiens dispositio, necessaria ibi erat contritio, sine qua justificatio adultorum in illo sacramento non contingebat, sacerdos igitur ad illum justificationis effectum solum concurrebat deprecative, et non rigorose causaliter, ut satis constat ex illis verbis Levitici adductis a D. Thoma loco in objectione relato : « Qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, D. Tho. « et dimittetur ei. » Sacramenta autem, et sacerdotes legis Evangelicæ longe aliter se habent : vim quippe effectivam in se continent, qua physice instrumentaliter gratiam producunt, peccatum amovent, cœlique januam reserant. Quam doctrinam tradit D. Thomas 3 part. quæst. 84, art. 7, ad 2 : « Nondum autem erat instituta « potestas clavium, quæ a Passione Christi « derivatur, et per consequens nondum « erat institutum, quod aliquis doleret de « peccato cum proposito subjiciendi se per « confessionem, et satisfactionem clavibus « Ecclesiæ sub spe consequendæ veniæ « sub virtute Passionis Christi. »

Ad confirmationem respondet D. Thomas Solvitur confirm. D. Tho. in præsenti, art. 1 : « Ad tertium dicen- « dum, quod non habebant spiritualem « potestatem, quia per sacramenta legalia « non a culpa, sed ab irregularitatibus ho- « mines purgabant, ut ad manufactum « tabernaculum aditus purgatis per eos « pateret. » Ubi eam distinctionem inter potestatem sacerdotalem, et regiam assignat, quod ex vi sacerdotalis homines ab irregularitatibus purgabantur, non autem ex vi regiæ authoritatis. Dum tamen, inquit, potestatem sacerdotum spiritualem non fuisse, sed temporalem, intelligendus est D. Thom. de potestate spirituali ratione effectus. Dupliciter enim dicitur potestas spiritualis, vel ratione effectus, vel ratione finis, ut recte vidit Soto in 4, dist. 20, q. 1, art. 3. Ratione effectus dicitur Sotus. potestas spiritualis, quia est causa gratiæ ; ratione vero finis, quia ordinatur ad veram Religionem, ad sacrificia, unctiones, et vestes, quæ et mystica erant, et figura rerum supernaturalium legis Evangelicæ. Igitur D. Thom. solum intendit, potesta-

tem sacerdotalem illius legis non esse spiritualem effective, quia gratiam non inducebat instrumentaliter, sicut potestas sacerdotum legis Evangelicæ ; non vero ex
Abulen. parte finis, hoc enim pacto ad spiritualia dirigebatur. Quibus consonat Abulensis ad cap. 16 Matth. q. 81, in fine, ubi inquit : « Habebant sacerdotes legales potestatem « super populum, quæ non erat pure tem- « poralis sicut regia potestas, nec pure « spiritualis sicut potestas ministrorum « novi testamenti, sed potestas erat qui- « dem ad temporalia ordinata in cultum « Dei cæremonialem, scilicet, ad purgan- « dos homines legaliter immundos per le- « gales cæremonias. » Erat igitur illa potestas absolute, et simpliciter temporalis, et aliqualiter aut secundum quid spiritualis. Adde quod esto spiritualis esset, non inde potestas clavium dicenda erat, ut liquet in potestate Exorcistæ, quæ spiritualis est, et non clavium.

§ II.

Quid de sacerdotibus legis Evangelicæ ?

Assertio 2. 36. Dicendum est secundo, sacerdotes legis gratiæ clavium potestatem habere. Hæc assertio satis constat ex dictis dub. 2, quippe si clavium potestas in Ecclesia in-
D. Tho. venitur, in sacerdotibus, qui sunt præcipui Ecclesiæ ministri, existere debet. Ideoque eam supponit D. Thomas in præsenti, quæst. 19, dum art. 3 inquirit « Utrum « soli sacerdotes habeant claves ? » Ubi lo-
D. Amb. quitur de sacerdotibus novæ legis, nam de Mosaicis jam art. 1, deciderat claves non habuisse. Suadetur autem breviter ex D. Ambrosio lib. de pœnit. cap. 5, ubi ait : « Jus ligandi, et solvendi solis sacerdotibus « est concessum. » Quæ propositio exclusiva exponitur sic : « Jus ligandi, et sol- « vendi concessum est sacerdotibus, et non « aliis a sacerdotibus » legis Evangelicæ, de quibus ibi agit : sacerdotes igitur legis gratiæ clavium potestatem sortiuntur.

Ratio. Id quod etiam ratio convincit : nam potestas clavium est potestas efficiendi instrumentaliter gratiam remissivam peccati præcludentis aditum ad cœlestia ; atqui sacerdotes legis Evangelicæ hujusmodi potestatem obtinent : ergo. Minor suadetur : etenim cum sacerdotes Evangelici ordinantur, characterem sacerdotalem accipiunt, et ejusdem extensionem, dum Episcopus manus imponens inquit : *Accipite Spiritum Sanctum*, etc., sed in hoc consistit potestas ministerialis efficiendi gratiam remissivam peccati : ergo hujusmodi facultatem obtinent. Quod adeo verum est, ut etiam si sacerdotes in mortali peccato existant, eandem potestatem conservent, ut habetur ex Tridentino sess. 14, cap. 6, C
dicente : « Docet quoque Concilium, sacer- T
« dotes, qui peccato mortali tenentur, per « virtutem Spiritus Sancti in ordine sacer- « dotali collatam, tanquam Christi minis- « tros, functionem remittendi peccata non « exuere, eosque prave sentire, qui in « malis sacerdotibus non esse contendunt. » Quocirca

37. Dicendum est tertio, etiam sacer- As
dotes hæreticos, schismaticos, degradatos, ac excommunicatos vitandos habere simpliciter potestatem clavium ; non tamen illius usum nec licite, nec valide, nisi tantum in eventu necessitatis, uti est in articulo mortis. Ita D. Thomas in præsenti, D.
art. 6, ubi ait : « Respondeo dicendum, « quod in omnibus prædictis manet cla- « vium potestas quantum ad essentiam, « sed usus impeditur ex defectu materiæ. » Quem sequuntur communiter Doctores. Prior assertionis pars suadetur : nam p
character sacerdotalis complete sumptus est potestas clavium simpliciter talis ; sed omnes sacerdotes in assertione recensiti habent characterem complete acceptum : ergo in illis invenitur clavium potestas, quæ est talis simpliciter, quidquid sit de clave secundum quid, qualis est jurisdictio. Major constat ex dictis dub. præc. Minor autem ostenditur : quia character, cum sit participatio sacerdotii æterni Christi Domini, est indelebilis ac æternus : ergo semel acceptus ab illis sacerdotibus nusquam dimittitur. Unde ait D. Thomas 3, part. q. 64, art. 9, ad 3 : « Per D
« hoc, quod quis ab Ecclesia suspenditur, « vel excommunicatur, vel etiam degra- « datur, non amittit potestatem conficiendi « sacramentum. »

38. Posterior vero assertionis pars suadetur : etenim usus clavium exposcit juri- p
dictionem, aut prælationem ; sed sacerdotes, qui in assertione recensentur, jurisdictionem non habent : ergo nequeunt licite

icite, aut valide uti potestate clavium. Major inde constat, quia usus potestatis clavium exposcit materiam, et subditos, in quos exerceatur ; subditi autem per jurisdictionem ac prælaturam habentur. Minor vero ostenditur : nam jurisdictio ac prælatura provenit ex ordinatione, aut dispositione Ecclesiæ ; sed Ecclesia privat jurisdictione hæreticos, schismaticos, degradatos, ac excommunicatos vitandos : ergo in illis jurisdictio non invenitur. Diximus, *excommunicatos vitandos*, aut non toleratos nec licite nec valide usum clavium habere : nam qui sunt tolerati, usum clavium habere possunt sæpe valide, interdum licite, aliquando vero illicite. Vitandi autem, quamvis alia sacramenta valide conficere possint, non tamen pœnitentiæ, ut recte probat N. Andreas tract. 10, cap. 3, punct. 3, num. 27. Ad validam quippe hujus sacramenti administrationem ordinis potestas non sufficit, sed etiam jurisdictio desideratur, qua prædicti excommunicati carent, vel quam impeditam habent, juxta text. cap. *Romana de officio Vicarii in* 6, ubi quamvis sermo fiat de jurisdictione contentiosa, etiam de voluntaria id intelligendum censent communiter Doctores, Covarruvias cap. *Alma mater*, part. 1, § 6, num. 7, concl. 7, Suarez disp. 11, sect. 2, numer. 12, N. Cornejo disp. 10, de excommunic. § 1, dub. 5, Coninchus disp. 14, dub. 5, Palaus, Bonacina, Henriquez, N. Antonius, et alii.

39. Diximus etiam in assertione, sacerdotes hæreticos, schismaticos, degradatos, ac excommunicatos vitandos licitum ac validum usum clavium non habere, *nisi in eventu necessitatis*. Etenim in articulo mortis pœnitentiæ sacramentum valide ministrare posse, imo, et licite, si congrue ad Deum convertantur, dubitandum non est, maxime post Tridentinum sess. 14, cap. 7, ubi concedit omnibus sacerdotibus, ut a quibuscumque casibus, et censuris possint absolvere quoscumque pœnitentes in articulo mortis. Lex autem generaliter loquens, generaliter debet intelligi, argumento leg. 1, § *Generaliter*, *ff. de legatis præstandis*. Et qui totum dicit, nihil excludit, leg. *Julianus*, *ff. de legatis* 3. Maxime in favorabilibus, quæ non restringi, sed ampliari debent. Ita Cornejo dub. 3, Cajetanus in summa, verb. *Absolutio*. Angelus verb. *Confessio*, Suarez sect. 1, num. 9, Bonacina, Palaus, et alii. Adduntque Suarez, ac N. Cornejo, hæreticos, et schismaticos. etiamsi ab Ecclesia præcisos, validum conficere sacramentum, si debitam intentionem apponant : nam Concilium terminis utitur generalibus : « Omnes sa- « cerdotes ab omnibus censuris, et peccatis, « quoscumque pœnitentes. » Unde sicut ultimæ clausulæ sine restrictione intelliguntur ; ita prima generaliter intelligi debet. Ita etiam N. Andreas loco proxime cit. Suarez. Bonacin. Palaus. N. And.

40. Oppones tamen adversus secundam hujus assertionis partem, quod eadem est potestas clavium supra Corpus Christi verum, ac supra Corpus Christi mysticum, siquidem eadem deservit ad consecrandum, et ad ligandum vel solvendum ; sed potestas clavium quoad consecrandum nequit impediri ab Ecclesia ; si enim excommunicatus vitandus consecraret, consecratio subsisteret, quantumvis Ecclesia contradiceret : ergo nec impedire potest usum ejusdem potestatis quoad actum ligandi, et solvendi in pœnitentiæ sacramento, ita ut si hoc ab excommunicato vitando ministretur, validum non existat. Tum etiam : quia potestas ligandi, et solvendi est activa ; sed potestas activa illius, qui habet usum liberi arbitrii, in actum prodit, dum vult : ergo sacerdotes hujusmodi potestate gaudentes nulla extrinseca vi Ecclesiæ impediri possunt, ne illa utantur. Tum denique : quoniam actus potestatis clavium non impeditur per culpam : ergo nec etiam per aliquam pœnam : hæc enim minus repugnat spirituali potestati, quam culpa. Objectio.

Respondetur ad primum, Ecclesiam non posse directe impedire potestatem absolvendi, et ligandi, quemadmodum nec potestatem consecrandi ; posse tamen indirecte removendo materiam, in quam potestas illa exercenda erat : ab illis quippe sacerdotibus aufert jurisdictionem ; hac autem sublata, cum plebs subjecta in foro pœnitentiæ non relinquatur, impeditur clavium usus, qui est actus jurisdictionis. Sicut qui panem, et vinum tolleret, indirecte usum potestatis consecrativæ removeret. Ad secundum simili modo dicendum est, potestatem spiritualem activam in actum prodire non posse, dum deficit materia, circa quam actus exercendus est. Non enim usus clavium impeditur, quia potes- Solutio.

tas ligandi, et solvendi quoad entitatem removeatur ab excommunicato vitando, sed ex defectu materiæ; quemadmodum potestas baptizandi tollitur, dum aqua removetur. Ad tertium negatur consequentia : culpa enim materiam aut subditos non subtrahit, sicut excommunicatio, degradatio, aut quid simile in pœnam inflictum : tunc quippe jurisdictio ablegatur, ac subinde deficiunt subditi, in quos clavium usus habendus erat. Nec Episcopi hæretici jurisdictionem habent, nec hæretici sacerdotes ab hujusmodi Episcopis eam accipiunt. Omnis enim vera jurisdictio provenit ab Ecclesia, quæ nullam illis hæreticis confert. Per quod latenti replicæ fit obviam.

Quæstiunc. 41. Hactenus vidimus omnes et solos sacerdotes legis Evangelicæ clavium potestatem habuisse, nullumque alium, sive ad legem naturalem spectet, sive ad scriptam. Ceterum quum Christus Dominus vere, et proprie, sacerdos extiterit, ut ex professo ostendimus tract. 21, disp. 31, dub. 1, adhuc ad perfectam dubii intelligentiam inquirendum videbatur, an etiam claves, et quales obtinuerit? Hanc autem quæstiunculam dub. 2 obiter decisam relinquimus. Ex ibi enim expensis constat in Christo Domino clavium potestatem, non ministerialem, sed excellentiæ inveniri. Quam doctrinam communiter defendunt Theologi; unde satius erit Angel. Præceptoris verba in præsent. quæst. 19, art. 2, adducere, qui in corpore ita inquit : « Di-

Decisio remissive.

D. Tho. « cendum, quod virtus aliquid agendi est « in instrumento, et in per se agente, non « eodem modo; sed in per se agente per- « fectius. Potestas autem clavium, quam « nos habemus, et aliorum sacramento- « rum virtus est instrumentalis; sed in « Christo est ut in per se agente ad salu- « tem nostram, per authoritatem quidem, « in quantum est Deus, sed per meritum, « in quantum est homo. Clavis autem de « ratione sua exprimit potestatem ape- « riendi, et claudendi, sive aliquis aperiat « quasi principale agens, sive quasi minis- « ter; et ideo in Christo oportet ponere « clavem; sed altiori modo, quam sit in « ejus ministris; et ideo dicitur quod ha-

Nota. « bet clavem excellentiæ. » Nota tamen, Christi claves dicendas non esse sacramentales, sicut claves aliorum sacerdotum. Tum, quia in Christo non identificantu cum charactere, qui quid sacramentale est sicut in illis contingit. Tum etiam : qui in aliis sacerdotibus clavium potestas ne quit effectum sacramenti sine sacrament producere; Christus autem independen est a sacramentis, atque ideo sine illi omnes sacramenti effectus inducere potest

DUBIUM V.

An alter præter sacerdotem habeat claves sitve minister potestatis in pœnitenti sacramento ?

Quamvis in præcedentibus decisum sit non omnes sacerdotes cujuscumque legis sed solius Evangelicæ, clavium potestaten obtinuisse; inde tamen non constat, a etiam ab eo munere arceantur laici; quoc in præsenti videndum superest. Addidimus autem in titulo, *sitve minister potestatis;* non ut innuatur aliud esse habere claves, et aliud esse ministrum potestatis utrumque enim idem formalissime impor tat; sed ut distinguamus ministrum potestatis a ministro jurisdictionis; de quo in sequentibus seorsim agendum est.

§ I.

Veritas catholica duplici assertione propugnatur.

42. Dicendum est primo, nullum extra sacerdotem esse ministrum potestatis in hoc sacramento, ita ut possit confessionem ut sacramentalem audire, et a peccatis absolvere. Hæc assertio est de fide, quam ut talem omnes Catholici defendunt. Probaturque primo ex perpetua traditione Ecclesiæ, de qua certo nobis constat tum ex Conciliis, tum ex communi consensu Sanctorum Patrum. Ex Conciliis quidem, quia hujusmodi veritatem sæpe definiunt; Constantiense sess. 8, et 15, ubi oppositi errores Wicleph, et Joannis Hus condemnantur, et præcipitur Wiclepho intimari : « Utrum credat, quod Christianus ultra « contritionem cordis soli sacerdoti de « necessitate salutis confiteri teneatur? » Florentinum in litteris sanctæ unionis, Cabilonense 2, cap. 23, quod habetur in cap. *Quidam dicunt*, de pœnit. dist. 1, ubi dicitur

dicitur, universam sanctam Ecclesiam docere, peccata non aliis quam sacerdotibus esse confitenda. Ac tandem Tridentinum sess. 14, cap. 6, ubi inquit : « Circa minis-« trum autem hujus sacramenti declarat « Sancta Synodus falsas esse, et a veritate « Evangelii penitus alienas doctrinas, quæ « ad alios quosvis homines præter Episco-« pos, et sacerdotes clavium ministerium « perniciose extendunt. » Unde Can. 6 ejusdem sess. sub anathemate inurit quemlibet, qui dixerit : « Modum secreto « confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia « Catholica ab initio semper observavit, et « observat, alienum esse ab institutione, « et mandato Christi, et inventum esse « humanum. » Id quod etiam definivit Leo X, in damnatione articulorum Lutheri.

Ex Patribus autem, qui eandem veritatem unanimiter docuere ; Chrysostomus lib. 3, de sacerdotio, coll. 4, ubi ait sacerdotibus fuisse commissam potestatem : « Quam nec Angeli, nec Archangeli, nec « terreni Principes habent, quia nemini « istorum dictum est : Quodcumque sol-« veris super terram, erit solutum et in « Cœlo. » Ambrosius lib. 1, de pœnit. cap. 2, circa principium, ubi etiam disertis verbis docet, potestatem ligandi, et solvendi solis sacerdotibus fuisse concessam ; et lib. 2, cap. 2, et sèrm. 10, in Psalm. 118, Augustinus de vera, et falsa pœnit. cap. 10, et habetur in cap. *Quem pœnit.* dist. 1, Cyprianus lib. de lapsis circa finem, et epist. 54, Basilius in lib. reg. brevior. 288. Cum interrogatus, an liceret cuilibet confiteri peccata, respondet : « Necessario his « peccata aperiri debent, quibus credita « est dispensatio mysteriorum. » Hieronym. in 18, Matth. Fabianus Pontifex epist. 2, decret. coll. 4, prope finem inquit, peccantem lethaliter damnationem obiturum, « nisi ei sacerdotali dignitate sub-« ventum fuerit. » Leo Papa epist. 89, aliique plures, quorum testimonia prolixum esset referre. Ex quibus sequens ratio formari potest, quæ Theologica demonstratio censetur.

43. Circa rem ad fidem spectantem, et unice ex divina voluntate pendentem, qualis est de qua agimus, sentiendum est juxta intelligentiam universalis Ecclesiæ, Conciliorum, ac doctrinam SS. Patrum ; atqui ex his omnibus habetur, solos sacerdotes esse ministros potestatis in sacramento pœnitentiæ, nullique alteri hujusmodi munus fuisse demandatum : ergo nullus præter sacerdotem habet esse ministrum potestatis sacramentalis confessionis, aut valet absolvere, et ligare in sacramento pœnitentiæ. Consequentia est legitima. Major est universalis regula, ut supra num. 13, vidimus ex D. Augustino. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, etiam constat ex adductis testimoniis, præsertim ex Can. cit. Tridentini, ubi statuit, hanc doctrinam esse traditionem Apostolicam, ex institutione, et mandato Christi emanatam. Unde SS. Patres plura scripturæ loca ad id suadendum in sensu mystico, ut videre est apud Suarez disp. 24, sect. 1, num. 4.

Confirmatur : nam cum sacramentum pœnitentiæ sit a Christo institutum ad modum judicii, in quo reus est pœnitens, ille solum habebit esse ministrum potestatis, cui commissum fuerit munus spiritualis judicis ; atqui solis sacerdotibus potestas judicis spiritualis commissa est : ergo nullus, qui non est sacerdos, habet potestatem ministri sacramentalis confessionis. Consequentia liquet ; et major ex eo constat, quod nemo ex natura sua habet esse judicem in causa spirituali alterius, atque ideo solus ille obtinere potest hujusmodi munus, cui a Christo Domino concessum fuerit ; alias independenter a Christo Domino erit in hominibus, imo, et in fœminis, potestas absolvendi a peccatis. Minor autem suadetur : tum ex illo Joann. 20 : *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.* Quæ verba solis Apostolis in sacerdotes jam ordinatis dicta sunt. Tum etiam : quoniam potestas judicis spiritualis in foro interno pœnitentiæ est potestas supernaturalis, et sacra ; sed soli sacerdotes consecrati sunt ex vi ordinis : ergo illis tantum, et non laicis, hujusmodi munus commissum est. Tum denique : nam potestas judiciaria in sacramento pœnitentiæ consistit formalissime in potestate clavium, quæ aliud non est quam extensio characteris sacerdotalis, ut supra ostendimus ; sed laici characterem sacerdotalem non habent ; ergo cum impossibilis sit extensio, ubi deficit id quod extendendum est, solis

Confirmat.

Joann. 20.

sacerdotibus ut talibus, et non laicis potestas judiciaria in confessione sacramentali impensa fuit. Quæ proculdubio est ratio D. Tho. D.Tho. in 1 argum. *Sed contra*, art. 1, quæst. 8, supplem. et præsenti, quæst. 19, art. 3.

Ratio congruentiæ. 44. Deinde suadetur assertio ratione congruentiæ satis efficaci, desumpta ex eodem D. Thoma in corpore art. 1, quæst. 8 cit. Nam in Regno Christi, quod est Ecclesia, cuncta debent esse recte ordinata non secus ac in quocumque alio temporali Regno ; atqui in temporali Regno nimia interveniret confusio, ac inordinatio, si cuncta individua essent judices in causis civilibus; ideoque ad id munus digniores tantum elevantur : ergo cum in Ecclesia sacerdotes sint præcellentiores consecratione, statu, doctrina, ac justitiæ zelo, congruum fuit illos tantum, et non omnes fideles, in judices ac ministros sacramenti pœnitentiæ fuisse assignatos. Accedit, quod potestas supra Corpus Christi mysticum supponit potestatem supra Corpus Christi verum ut consecrandum; hæc autem solum invenitur in his, qui ad sacerdotium evecti sunt.

Assertio 2. 45. Dicendum est secundo, nulla Ecclesiæ dispensatione fieri posse, ut non sacerdos sit minister potestatis, aut absolvat pœnitentem adhuc in extrema necessitate. Hæc assertio nedum est etiam communis Theologorum, verum de fide, ut recte censet Suarius ubi supra : innititur quippe eisdem Scripturæ testimoniis, ac Conciliorum decisionibus, quibus præcedentem conclusionem firmavimus. Universaliter enim definiunt, solum sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum, atque ideo nullum laicum in nulla urgenti necessitate absolutionem sacramentalem impendere

Ratio. posse. Id quod etiam efficaciter suadetur : nam Ecclesia dispensare non potest, ut quis efficiat actum, ad quem potentiam physicam non habet; sed laicus caret potentia physica ad absolvendum a peccatis : ergo cum eo Ecclesia dispensare non potest, ut in extrema necessitate sit minister confessionis sacramentalis. Consequentia est legitima, et major evidens. Minor autem ostenditur : nam potestas physica ad absolvendum a peccatis est virtus clavium, sive extensio characteris sacerdotalis, per quam physice influit in actum absolvendi; sed hæc in laico non invenitur ; ergo est physice impotens ad absolvendum a peccat in sensu composito illius status.

Confirmatur primo : etenim Ecclesia d pensare non potest, ut laicus Eucharistia consecret in urgenti necessitate : ergo n ut absolvat a peccatis, vel sit minister sacramento pœnitentiæ. Antecedens con tat, et consequentia suadetur : nam id cum laico dispensare non potest ut Euch ristiam efficiat, quia consecratio Corpor Christi est actus characteris sacerdotali quo defeciente in laico redditur omni impotens ad illum actum : sed absolutio peccatis est etiam actus characteris sace dotalis, qui in laico non reperitur : er hic est etiam prorsus impotens, ita ut cu illo Ecclesia dispensare nequeat, ut statu laico absolvat. Minor est D. Thom in 4, quæst. 2, art. 2, ad 3 : « Dominu « *inquit*, discipulis dedit potestatem sace « dotalem quantum ad principalem actu « in Cœna, quando dixit: Accipite, et ma « ducate; hoc facite in meam commem « rationem. Sed post Resurrectionem ded « eis sacerdotalem potestatem quantum a « actum secundarium, qui est ligare, « solvere, quando dixit Joan. 20 : Accipi « Spiritum Sanctum, quorum remiser « tis, » etc.

Confirmatur secundo: nam Ecclesia nun quam declaravit, Christum Dominum facu tatem absolvendi, et ministrandi sacrame tum pœnitentiæ tribuisse non sacerdotibu pro aliqua urgenti necessitate ; nec ite unquam dixit, se ipsam posse ex Chris institutione hujusmodi facultatem tribuer nec tribuisse constat ; sed id utique egis set, si posset : ergo signum evidens es potestatem ministrandi sacramentum pœ nitentiæ ita esse sacerdotibus annexam, u nec ipsa dispensare possit cum laico, ut i urgentiori necessitate a peccatis absolva Minor, in qua poterat esse difficultas, cons tat in omnibus illis casibus, in quibu Ecclesia ut Mater piissima semper eg quod sibi ex commissione divina licuit, u fidelibus in extrema necessitate constitut subveniret. Quocirca qui omnibus sacer dotibus juridictionis potestatem impertii potest, eam cunctis sacerdotibus etia simplicibus concedit, ut existentem in mo tis articulo absolvere possit. Ergo si cu laicis non dispensat ut id efficiant, ideo e quia non potest.

46. Inquires tamen, an hæc ita intelligenda sint, ut extendantur etiam ad censuras, adeo ut nec in extrema necessitate possit laicus, aut non sacerdos ab illis absolvere ? Negative respondet Henriquez, Candidus, Panormitanus, et Felin. quos citat N. Andreas tract. 10, cap. 2, punct. 4, Sylvester verbo *Absolutio* 1, n. 8, Glossa cap. *A nobis* 2, verbo *Non potuerit, de sententia excommunicationis*, et cap. *Pastoralis, Præterea*, verb. *Præterquam in morte, de officio ordinarii*. Armilla, Tabiena, Joannes de la Cruz, uterque Ledesma, quos affert, et sequitur Diana tom. 2, tract. 4, resol. 133, Silva de censur. part. 7, disp. 1, dub. 3, probabileque censet N. Cornejo dub. 2, Sanchez lib. 2, summ. cap. 13. Probabilitate supposita, concludit quemlibet sæcularem in absentia sacerdotis, aut alterius designiti aliquo ordine adstringi lege charitatis excommunicatum in articulo mortis absolvere. Quam sententiam inde probant, quia pia mater Ecclesia omnibus, quibus potest, tribuit facultatem absolvendi a quibuscumque peccatis in mortis articulo, ita ut etiam concedat sacerdotibus simplicibus : ergo cum facultatem absolvendi a censuris concedere possit non sacerdotibus, videndum est quod in extrema necessitate etiam concedat. Hanc autem opinionem, quæ voluntarie in scholis introductam, acriter, et non immerito, impugnat Lugo in præsenti, disp. 18, sect. 1, num. 10. Fundamentum quippe, quo illi Authores utuntur, si quibuscumque non baptizatis, imo, fœminis, applicetur, in illis etiam potestatem absolvendi a censuris pro extrema necessitate de facto existere convincet ; etiam improbabile non sit, Ecclesiam omnibus illis hujusmodi facultatem concedere esse.

47. Quocirca oppositum censendum est, ut nullus extra sacerdotem valeat a censuris absolvere etiam in mortis articulo. Hæc sententia est communis Theologorum, quos adducunt, et suppetias ferunt N. Andreas, et Lugo loc. citat. Ratio est : quoniam non sacerdotes hujusmodi potestatem sibi non obtinent, ut liquet ; aliundeque Ecclesia nunquam illis concessa fuit ; cujus concessionem hanc adversarii desiderent : ergo asserendum non est, facultatem prædictam in non sacerdotibus inveniri. Id quod etiam evincitur ex Tridentino sess. 14, cap. 7, ubi inde nimiam Ecclesiæ pietatem commendat, quia in ea semper custoditum fuerit, ut in mortis articulo omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possint. Si autem facultatem absolvendi a censuris non sacerdotibus tribuisset, id utique exprimeret, et inde amplius Ecclesiæ pietatem extolleret. Tum etiam : quia in Ecclesia nunquam visum, praxi observatum, aut consuetudine introductum est, non sacerdotes in extrema necessitate a censuris absolvere ; sicut e converso, inquit Concilium, semper in Ecclesia observatum fuisse, sacerdotes a quibuscumque censuris absolvere : ergo ideo quia istis, et non illis facultas concessa, et ut talis cognita est.

Satisfit motivo 1 sententiæ.

48. Motivum autem oppositæ sententiæ nullius momenti est : ex eo quippe solum habetur, Ecclesiam illam facultatem non sacerdotibus concedere potuisse ; non vero quod de facto, et in re concesserit. Nec exemplum allatum aliquid evincit. Pro quo nota, quod Ecclesia per se ipsam absque sacerdotis interventu moribundum a peccatis absolvere non potest ; potest tamen a censuris, decernendo nimirum, quod in extrema necessitate existentes censuris non teneantur. Unde liquet, quod si Ecclesia quibuscumque tam sacerdotibus quam non sacerdotibus concedere voluisset potestatem absolvendi a censuris in extrema necessitate, aptius id per se ipsam absque alterius interventu faceret, quod tamen non fecit. Ergo ex quo facultas absolvendi a peccatis in articulo mortis collata sit omnibus sacerdotibus, non recte infertur, quibuscumque etiam non sacerdotibus concessam esse facultatem absolvendi a censuris pro mortis articulo. Tum etiam, ob latum discrimen, quod inter utramque absolutionem intercedit. Etenim absolutio a peccatis est simpliciter necessaria ad salutem homini non contrito ; absolutio autem a censuris simpliciter necessaria non est : quippe si existens in extrema necessitate contritus fit, esto a censuris non absolvatur, salutem obtinebit ; si vero solum fuerit attritus, et non absolutus a peccatis, quamvis a censuris absolvatur, in casum ibit, damnationemque non effugiet.

§ II.

Argumenta assertionibus opposita convelluntur.

Sententia hæretica. 49. Doctrinam primæ assertioni Catholicæ contrariam docuit Wicleph, quem refert, ac vehementer exagitat N. V. Thomas Valdensis tom. 2, de sacram. cap. 135, et Wiclep. Luther. Sagarel. 145. Eundem errorem deinceps exhalavit Lutherus, asserens non plus efficere Papam, et Episcopum, quam infimum sacerdotem; ac his deficientibus, æque bene quemlibet Christianum, etiam puerum, aut fœminam insipientem, si verba proferre sciat, sacramentaliter absolvere posse. Quem etiam hæreticum profligavit N. Roffensis aureo illo Opusculo jussu Pontificis ad eum finem in lucem edito; id quod similiter effecit N. Guido contra Sagarelum de Parma, Argum. 1 cujus infectam linguam adussit. Arguunt itaque hæretici primo: quia nullibi in Scriptura habetur, confessionem unice cum sacerdote fieri debere: textus enim ille Joann. 20: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt*, non ligat sacerdotibus potestatem absolvendi a peccatis: ergo Catholici, qui in illo nituntur, nullum fundamentum habent ad id asserendum. Antecedens suadetur: nam vel illa verba loquuntur cum Apostolis, eorumque successoribus, vel cum omnibus fidelibus? Si primum, soli Episcopi poterunt absolvere: quippe ipsi soli sunt Apostolorum successores. Si secundum: ergo potestas absolvendi a peccatis, et ministrandi sacramentum pœnitentiæ omnibus fidelibus etiam laicis est communis.

Confirm. 1. Confirmatur primo: quoniam hujusmodi potestas tradita est a Domino, ab eoque tanquam ex capite derivata ad principaliora sui mystici corporis membra, ut in reliquos virtus justificandi profluereat, juxta illud: *Sicut unguentum in capite, quod descendit*; sed principaliora hujus mystici corporis membra non sunt sacerdotes, sed justi: ergo potestas absolvendi sacerdotibus non ligatur, sed etiam aliis justis conceditur. Suadetur minor: nam ratio membri mystici consistit in unione cum Christo Domino: hæc autem unio invenitur in justo etsi alias sæculari, non vero in sacerdote, si peccator sit.

Confir. 2 Confirmatur secundo: etenim Jacobi 5, ubi præceptum de confessione traditur, ubi minister hujus sacramenti assignandus erat, nulla de sacerdote fit mentio, sed quilibet ex fidelibus in Christum credentibus minister præscribitur, unde solum dicitur: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Quæ verba universalia sunt. Et ultra sacerdotes sunt alii confessionis sacramentalis ministri. Tum etiam: quia ad hunc finem omnes in Christum credentes sunt sacerdotes, prout habetur Apocalyp. 5: ergo absque fundamento ad peculiares sacerdotes potestas illa restringitur.

50. Respondetur ad argumentum negando antecedens: recte enim ex eo loco depromitur, solum sacerdotem esse pœnitentiæ ministrum, ut ex adductis pro firmanda assertione liquet. Ad probationem autem dicendum est, Christum Dominum in illis verbis loquutum fuisse cum Apostolis, ac eorum successoribus non tantum in culmine Episcopatus, sed et in munere sacerdotii. Tum, quia ita adumbratum fuit in lege veteri, in qua soli sacerdotibus commissa erat potestas judicandi inter lepram, et lepram. Tum, quia ita constat ex traditione Apostolica, quam Ecclesia excepit, recognovit, et expressit Conciliorum decisionibus confirmavit. Tum quia ita universi Patres docent, et ratio supra expensa convincit: quia videlicet cum hoc sacramentum in modum judicii institutum sit, et illius ministri judicii munus exerceant, congruum non erat omnes fideles etiam rusticos indiscriminatim eam facultatem habere, sed solos eminentiores, quales sunt sacerdotes, idque per commissione Episcoporum, ad quos principaliter spectat, qui cum non possint tot confessionibus adesse, sui Vicarios Christi exemplo sacerdotes instituunt. Tum denique: nam quemadmodum ex illis verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ Christus Dominus in Cœna dixit Apostolis, eos sacerdotes ordinans, recte deducitur, potestatem conficiendi Corpus Christi solis sacerdotibus fuisse collatam; ita ex illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis*, etc., quia eisdem Apostolis dictum sunt cum illa adeo peculiari insufflatione cæremonia, qua etiam utuntur Episcopi dum sacerdotes consecrant, optime infertur potestatem absolvendi a peccatis solis sacerdotibus fuisse concessam.

Ad primam confirmationem respondetur distinguendo majorem, quæ si intelligatur de potestate derivata in principaliora membra principalitate characteris, dignitatis, et perfectionis per se exactæ rationis officii, concedenda est; neganda vero de principalitate virtutis moralis, ac particularis perfectionis absolute sumptæ. Etenim hæc potestas ligandi, et solvendi, aut ministrandi sacramentum pœnitentiæ non constituitur per sanctitatem utcumque talem, sed ordinem hierarchicum, et vim sanctificativam non præcise subjecti, sed officii, vel alterius ab habente officium; ut constat in aliis gratiis gratis datis, et ordinatis non tam ad perfectionem propriam, quam ad alienam, et in artificibus laudatis propter artem perfectam cum vitiis personalibus compositam. Unde quamvis justi ratione propriæ virtutis, et gratiæ cum Christo perfectius conjungantur, quam sacerdotes existentes in culpa; non tamen ratione virtutis sanctificativæ aliorum ex opere operato, quam non obtinent laici, quantumvis perfecti, aut justi sint.

Ad secundam dicendum, quod dum Jacobus illam scripsit epistolam, jam Ecclesia fundata erat, sacramenta instituta, ministrique designati. Quocirca Christianis alloquebatur, quibus indubitatum supponebat confessionis sacramentum cum solis sacerdotibus perficiendum juxta Christi institutionem. Ideoque alterutrum confiteri admonet, qualiter ipsis jam notum erat cum solis sacerdotibus id fieri posse. Quæ expositio est D. Thomæ quæst. 8, suppl. art. 1, ad 1, ubi ait: « Dicendum, « quod Jacobus loquitur ex suppositione « divinæ institutionis, et quia divinitus « institutio præcesserat de confessione sacerdotibus facienda, per hoc quod eis « potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ut patet Joan. 20. Ideo intelligendum est, quod Jacobus sacerdotibus « confessionem esse faciendam monuit. » Idde, Jacobum ad citata verba permisisse, lia nimirum : *Infirmatur quis in vobis? nducat presbyteros Ecclesiæ.* In quibus exresse sacerdotes commemorat, ut quis orum, cui munus incumberet, confessiom exciperet. Unde tantum abest ut alium inistrum extra sacerdotem pro sacramenli confessione admittat, quod presbyteos ad id necessarios inducat. Quam expositionem esse legitimam testatur D. Augustinus lib. 5 homil. 12. Ad textum Apocalypsis respondetur, in eo sensu ibi justos appellari sacerdotes, in quo ibi etiam reges nuncupantur. Constat autem non esse reges proprie, sed metaphorice, quatenus omnia illis quodammodo subduntur, et a Domino coronantur. Ita igitur dicuntur sacerdotes, quia in recessu cordis sæpe se Deo dedicant, et quasi in holocaustum offerunt, quod umbra quædam est actionis sacerdotalis. D. August.

51. Secundo arguitur : quoniam sacramentum pœnitentiæ institutum est in remedium peccati actualis, sicut Baptismus in expiationem originalis; sed in mortis articulo quilibet homo cujuscumque sit conditionis est minister Baptismi : ergo similiter in eadem extrema necessitate quilibet, sit vel non sit sacerdos, obtinebit potestatem ministrandi sacramentum pœnitentiæ. Patet consequentia : nam ideo in mortis articulo quilibet est minister Baptismi, quia hic est simpliciter necessarius ad salutem; sed lapsis post Baptismum non minus necessarium est sacramentum pœnitentiæ ad salutem : ergo credendum est, quemlibet fidelem esse illius ministrum. Argum. 2.

Hoc argumentum diluit D. Thomas qu. 8, suppl. art. 1: « Ad secundum dicendum, « quod Baptismus est magis sacramentum « necessitatis, quam pœnitentia, quia quan« doque Baptismus prætermitti non potest « sine periculo salutis æternæ, ut patet in « pueris, qui non habent usum rationis. « Sed non est ita de absolutione, et confes« sione, quæ tantum ad adultos pertinet, in « quibus contritio cum proposito confitendi, « et desiderio absolutionis sufficit ad libe« randum a morte æterna; et ideo non est « simile de Baptismo, et confessione. » Unde liquet, necessitatem Baptismi universaliorem esse, quam pœnitentiæ : parvuli quippe si non baptizarentur, cum contritionem elicere nequeant, omnino perirent; quod in pœnitentia non contingeret : hæc enim cum solum pro adultis instituta sit, esto sacerdos per accidens deficiat, qui hujusmodi sacramentum subministret, non ita necessaria est : nam valet adultus recurrere ad contritionem, qua salutem obtinere potest. Accedit latum discrimen, quod adest inter Baptismum, et pœnitentiam. Hæc enim instituta est in modum judicii, in quo mi- Solvitur ex D. Tho.

nister est judex, qui scientia, prudentia, et authoritate pollere debet. Baptismus autem in formam judicii institutus non est, atque ideo in ejus ministro scientia, et aliæ dotes non exiguntur. Ex quo fit, quod licet potestas ministrandi sacramentum Baptismi concessa sit quibuscumque etiam non sacerdotibus; inde tamen non licet inferre, potestatem ministrandi pœnitentiæ sacramentum fuisse similiter collatam non sacerdotibus, ita ut quilibet quantumvis rusticus absolvere possit : desiderantur enim in ministro hujus sacramenti illæ excellentiæ, quas minister Baptismi non exposcit.

Argum. 3. 52. Tertio arguitur, et tradita doctrina impugnatur. Etenim ideo hujus sacramenti minister deberet esse sacerdos, ut vultum sui pecoris agnosceret, debitam satisfactionem pro delictis imponeret, et pabulo congruæ doctrinæ pasceret; sed hoc sæpe aptius fieret per ministros sæculares, qui non semel sapientia, et aliis dotibus sacerdotes superant : ergo absque solido fundamento ad solos sacerdotes ligatur illa potestas : nam cum Deus perfectiora eligat, vinculandum non est sacerdotibus quod a laicis opportunius exerceri potest.

Diruitur. Respondetur, verum esse, omnia illa munia spectare ad ministrum pœnitentiæ, et verissimum, quemlibet confessorem teneri ad scientiam, et alias dotes, quæ desiderantur ad rectitudinem illarum actionum ; sicut etiam adstringuntur Episcopi ad denegandos ordines illis, in quibus prædictæ qualitates non inveniuntur. Inde tamen non habetur, quod si aliquis laicorum scientia, prudentia, ac virtute polleat, eo ipso potestatem absolvendi a peccatis obtineat : quia illæ excellentiæ, esto ad potestatem ministri prærequirantur, illam non constituunt. Hæc enim unice ex divina institutione, et commissione dependet, quæ solis sacerdotibus data est ex vi ordinis. Quocirca quemadmodum si Christus Dominus pœnitentiæ sacramentum non instituisset, esto laicus illis dotibus præluceret, potestatem absolvendi sacramentaliter non haberet; ita quamvis nunc post sacramenti institutionem scientiam, et virtutem sufficientem habeat, potestate absolvendi caret; quia hæc aliunde obtinenda est, ex consecratione nimirum sacerdotali.

Argum. 1. Secundæ assertioni nullus aperto marte contradicit : quamvis enim posse laicum in extremo periculo confessionem audire, et absolutionem impendere ex Ecclesiæ dispensatione nonnulli antiqui docuisse videantur cum Magistro in 4, dist. 13, cap. 4, vindicantur communiter ab hoc nævo ut recte vidit Vasquez quæst. 93, art. 1 dub. 1, et Lugo cit. sect. 1, num. 4, asserens eos Authores locutos non fuisse de confessione sacramentali, sed de illa, qua fiebat ad pœnitentis humiliationem, et doloris excitationem. Sunt tamen nonnulla Sanctorum Patrum testimonia, quæ indigent expositione, eo quod oppositam assertioni doctrinam innuere videantur.

53. Arguitur ergo primo : nam in cap. *Sanctum est, de consecratione*, refertur, et laudatur quidam pœnitens, qui in mortis articulo cum laico confessus est. Similiter dist. 1, de pœnitentia, Canon. *Quem pœnitet*, dicitur quod *si deest sacerdos, confiteatur proximo.* Item in cap. *Fures* decernitur quod si latrones in furto deprehensi, et graviter vulnerati presbytero vel diacono confessi fuerint, communio illis non denegetur. Ergo ex dispensatione, et usu Ecclesiæ constat, non sacerdotes posse in eventu necessitatis esse ministros sacramentalis confessionis.

Respondetur, nullum ex his testimoniis aliquid evincere. Non primum : nam caput *Sanctum* non loquitur de confessione sacramentali, sed solum de quadam reconciliatione, aut communicatione in levamen et solatium morientis. Nec dicitur, quod confessus, sed reconciliatus fuerit; reconciliatio autem latius patet, quam confessio. Reconciliatur enim quis Deo, dum ad ipsum etiam extra sacramentum convertitur, et quia in illo mortis periculo laici consilio, communicatione, ac fervida exhortatione Deum quæsierit, dicitur cum laico reconciliatum fuisse, id est, laico cooperante ad Deum. Insuper, Ecclesia utriusque piam animum laudat, et reconciliati, et reconciliantis; factum tamen non approbat. Nor secundum : nam ibi solum intenditur, quod si desit sacerdos proprius, qui est Parochus, confiteatur pœnitens cum proximo, id est, cum sacerdote adstanti, qui ob præsentiam proximus dicitur : vel cum eo sacerdote, qui proximius, aut citius invenire possit ; quippe in illo eventu tam extensa est virtus pœnitentiæ, ut quilibet sacerdos, etiamsi

etiamsi proprius pastor non sit, habeat facultatem, et obligationem absolvendi, si adsit. Hunc autem esse legitimum sensum ex eo constat, quod in eodem capite *Quem pœnitet* declaratur confessionem cum solis sacerdotibus esse faciendum, ut patet Can. *Agite pœnitentiam* ; et Canon. *Quidam*.

Non denique tertium : etenim illud caput *Fures*, si non vitiose, ut a multis refertur, sed in sua puritate legatur, nullam mentionem de Diacono facit : solum enim inquit : « Si fures comprehensi, Deo« que, et sacerdoti confessi, » ut notat appendix in causa 13, eodem tit. *Fures*. Imo Concilium Triburiense, ex quo illud caput desumptum est, cuique proinde major fides est adhibenda, diaconi non meminit. Adde, quod esto ibi de diacono mentio fiat, non est per ordinem ad confessionem audiendam, sed ad communionem non denegandam, quam ipse in sacerdotis absentia ministrare potest, et debet, si pœnitens in illo articulo apte dispositus inveniatur, licet ob defectum sacerdotis non sit confessus. Quocirca utriusque sacramenti ministros a jure exactos exponit ; primo presbyterum, cui ex munere competit, et absolvere, et Eucharistiam impendere ; secundo diaconum, qui in sacerdotis absentia potest ministrare Eucharistiam ; atque ideo refert ea, quæ accidere possunt, et qualiter disponenda ; ita ut si adsit sacerdos, utrumque sacramentum conferre teneatur ; si vero solus diaconus, post explorationem dispositionum, quæ desiderantur, Viaticum in illa necessitate ministret.

54. Secundo arguitur : quoniam D. Cyprianus lib. 3, epist. 17, subditos monet, quod si aliquo magnæ necessitatis eventu præoccupentur, ejus personalem assistentiam non expectent, sed apud quemlibet presbyterum, vel eo deficiente apud diaconum confessionem facere possint, « ut « manu ejus pœnitentia posita vadant ad « Dominum cum pace. » Deinde D. Aug. toto lib. de vera, et falsa pœnitentia satis diffuse expendit historiam cujusdam Exorcistæ, qui ex defectu sacerdotis cum diacono confessus est, ne a dæmone ejus peccata revelarentur, id quod eo medio obtinuit. Et lib. ad Fortunatum similia refert de quodam naufrago cum laico confesso in ingenti procella maris. Item V. Beda ad illud Jacobi 5, quod supra exposuimus, inquit : « Coæqualibus quotidiana levia, et « gravia pandamus. » Tandem D. Thomas D. Tho. q. 8 suppl. art. 2, in corp. palam inquit : « In necessitate etiam laicus vicem sacer« dotis supplet, ut ei confessio fieri possit. » Quæ est resolutio art. in quo inquirit : « An « in aliquo casu liceat aliis quam sacerdo« tibus confiteri? » Ergo ex mente Sanctorum Patrum potest laicus ex commissione, vel dispensatione Ecclesiæ sacramenti pœnitentiæ esse ministrum.

Respondetur, D. Cyprianum sermonem Diluitur. facere non de confessione sacramentali, sed de reconciliatione eorum, qui juxta antiquos Canones alicui publicæ pœnitentiæ subjacebant, et ab Ecclesia erant separati adhuc post absolutionem a peccatis. Horum autem exterior reconciliatio ad Episcopum spectabat, qui ne quispiam in hujusmodi pœnali separatione e vita decederet, munus illius reconciliationis, ubi nulla a peccatis absolutio intercedebat, aliis presbyteris, et etiam diaconis commendabat. D. Augustinus solum narrat in communi illas historias ; non persuadet authenticas, aut factum approbat. Si autem id intendat, intelligendus est de confessione non sacramentali, aut de communicatione facta ad humilitatem, et levamen pœnitentis, et ad excitationem doloris, quo Deus placetur, et gratiam infundat. Eodem modo exponendus est V. Beda, nec ejus verba aliud sonant.

Quod vero attinet ad D. Thomam, palam est S. Doctorem de confessione sacramentali sermonem non facere, ut evidenter constat tum ex artic. præcedenti, ubi statuit quod absolutio non pertinet nisi ad sacerdotes, quibus claves Ecclesiæ commissæ sunt. Tum ex quæst. 19, art. 3, ubi jus ligandi, et solvendi esse in solis sacerdotibus decernit ; et ex art. seq. ubi inquirens an sancti homines non sacerdotes claves aut usum earum habeant? Respondet negative. Tum etiam ex verbis, quibus utitur loco in objectione citato in solut. ad D. Tho. 2 : « Confessio, *inquit*, ex defectu sacerdo« tis laico facta sacramentalis est quodam« modo, quamvis non sit sacramentum « perfectum, quia deest ei id quod est ex « parte sacerdotis. » Item in solut. ad 3, addit : « Et ideo quamvis ille laico con« fessus in articulo necessitatis consecutus « sit veniam a Deo, eo quod propositum,

« quod concepit, confitendi secundum « mandatum Dei, sicut potuit, implevit : « non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus « est, ut ad sacramenta Ecclesiæ admitti « debeat, nisi prius a sacerdote absolva- « tur... et ideo oportet quod iterum confi- « teatur sacerdoti, cum copiam habere « potuerit : et præcipue quia (ut dictum est) « sacramentum pœnitentiæ perfectum non « fuit ; unde oportet quod perficiatur, ut ex « ipsa perceptione sacramenti pleniorem « effectum consequatur. » Loquitur igitur D. Thomas de confessione sacramentali secundum quid, et similitudinarie, aut de communicatione ad humilitatem, excitationem doloris, et manifestationem desiderii confitendi sacramentaliter. Dum autem, inquit, pœnitentem in urgenti necessitate constitutum debere in absentia sacerdotis laico confiteri, verbum *Debet* non est accipiendum pro præcepto, sed pro decentia, aut consilio : id enim efficere tempore D.Thomæ frequentius erat in usu, ut recte vidit Sotus in 4, dist. 18, q. 5, art. 1, in fine.

Argum. 3. 55. Tandem arguitur : nam quemadmodum sacerdos est minister sacramenti pœnitentiæ, ita episcopus sacramenti confirmationis ; sed ex dispensatione Ecclesiæ potest simplex sacerdos in urgenti necessitate esse minister sacramenti confirmationis : ergo etiam ex dispensatione Ecclesiæ poterit non sacerdos in necessitate urgenti pœnitentiæ sacramentum ministrare. Consequentia liquet tum ex paritate ; tum ex ratione : quia urgentioris necessitatis ad salutem est pœnitentiæ sacramentum, quam confirmationis. Major constat ex Tridentino, quod sicut sess. 14, cap. 6, definit solum sacerdotem esse pœnitentiæ ministrum, ita sess. 7, Can. 3, decernit solum episcopum esse ministrum confirmationis. Minor autem, in qua poterat esse difficultas, est communis sententia Theologorum cum D. Thoma 3 part. quæst. 72, art. 11, quos congessit, et sequutus est N. Franciscus tract. 3, cap. 4, punct. 1. Id quod etiam constat ex facto D. Gregorii, qui hujusmodi facultatem ad confirmandum concessit presbyteris Sardiniæ ; et Gregorius XIII sacerdotibus Indiarum.

Confirmat. Confirmatur : nam Episcopi electi, et sola prima tonsura initiati, possunt impertiri licentiam absolvendi a peccatis : ergo et ipse, esto sacerdos non sit, eam obtinet. Quo argumento utuntur nonnulli ad suadendum, Summum Pontificem adhuc non consecratum posse simplici sacerdoti delegare facultatem ad ministrandum confirmationem.

Respondetur, omissis præmissis negando consequentiam ; et ratio disparitatis pendet ex institutione Christi, qui ita statuit ; sacerdotem namque esse unicum ministrum sacramenti pœnitentiæ constat ex Scriptura, traditione Apostolica, Conciliorum decisionibus, ac Sanctorum Patrum doctrina ; cujus oppositum accidit in confirmatione : nam posse etiam simplicem sacerdotem esse hujus sacramenti ministrum extraordinarium habetur in Ecclesia pro institutione Christi, aut extraordinaria concessione. Cujus congruens ratio est strictus numerus Episcoporum, præsertim in insulis segregatis, ac Indiarum regionibus remotissimis, dum ad Ecclesiæ ovile adjungebantur. Tunc enim maxime urgebat necessitas neophytos in fide confirmandi, cui cum satis occurrere non possent episcopi, Ecclesiam aliquem sacerdotem designare in ministrum opus erat. Pro administratione vero sacramenti pœnitentiæ plures sacerdotes ab initio creati sunt, ita ut nullum fundamentum adsit censendi Christum Dominum facultatem laicis reliquisse ut absolverent. Eo vel maxime, quia laici characterem sacerdotalem non habent, nec potestatem supra Corpus Christi verum ut consecrandum ; atque ideo potestatem absolvendi adhuc in urgenti necessitate habere nequeunt, cum hæc consistat in charactere, aut ejus extensione. Sacerdos autem simplex, et potestate supra Corpus Christi ut consecrandum viget, et charactere sacerdotali insignitus est, qui an sit vel non distinctus a charactere episcopali, sub lite est. Data autem, et probata sententia (quam veriorem judicamus) negante distinctionem, argumentum omnino cessat : tunc enim jurisdictio, quæ sacerdoti simplici deficit ad confirmamdum, ab Ecclesia conferri potest.

Ad confirmationem dicendum est, episcopum electum, et in sacerdotem non ordinatum habere jurisdictionem, non vero potestatem absolvendi a peccatis : hæc enim fundatur in ordine, et in forma intrinseca consistit ; sacerdotem autem simplicem

licem e converso habere potestatem, et on jurisdictionem : quia hæc sita est in nsignatione subditorum, et extrinseca enominatione. Porro nec sacerdos potest bsolvere sine jurisdictione, etiamsi haeat potestatem, nec episcopus sine potesite, quamvis habeat jurisdictionem. Unde t, quod nec episcopus det quod non haet, sed jurisdictionem quam continet ; ec quod habeat potestatem absolvendi, uam non communicat. Id quod in Pontice non consecrato contingit, quippe qui otest tribuere jurisdictionem ad absolvenum vel confirmandum, non tamen ipse nsolvere aut confirmare, usque dum ordiem accipiat sacerdotalem.

DUBIUM VI.

trum omnis sacerdos sit minister jurisdictionis hujus sacramenti ?

Vidimus sacramentum pœnitentiæ ita sentialiter exposcere sacerdotem in mistrum, ut nec Ecclesia usquam dispensarit, aut dispensare valuerit ut sacerdos nsolvat sacramentaliter. Quia tamen hoc cramentum institutum est in formam dicii, de cujus essentia est jurisdictio in inistro, investigandum occurrit an cum otestate ordinis sacerdotalis communicer simul potestas jurisdictionis, ita ut nnis sacerdos, eo ipso quod talis, sit ablute juridicus pœnitentiæ minister ? Pro jus difficultatis resolutione, ac confuone arcenda, nonnulla præmittere opus t.

56. Igitur observandum est primo : duicem esse spiritualem jurisdictionem, una æ ad forum externum, et contentiosum ectat : alia vero quæ ad internum, et pœtentiale. Prior est illa potestas, quam tinent principes Ecclesiastici ad guberndum Ecclesiam, ad imponendas leges, l ferendas censuras, ad aliaque hujusodi. Qua relicta, quia de ea in præsentiam sermo non est ; posterior juxta diversa acita diversimode constituitur. Cano de enit. part. 5, vult sitam esse in potentia n physica, sed morali, qua sacerdos dicur absolute potens absolvere. Alii autem m collocant in extrinseca designatione bditorum : aut collatione alicujus munes Ecclesiastici, quo quis pastor aut superior efficitur. Alii denique eam statuunt initiative in potestate ordinis, aut charactere, completive vero in subditis designatis. Omnes tamen, quanquam in modo loquendi differant, in re conveniunt, quatenus solum intendunt, quod nomine jurisdictionis fori pœnitentialis significetur illa facultas, qua quis constituitur in ratione habentis subditos, in quos potestatem ligandi, et solvendi sacramentaliter exercere possit.

Secundo observandum est, hujusmodi jurisdictionem esse simpliciter necessariam ut sacerdos valide absolvat, ita ut ea deficiente sacramentum nullum sit. Id enim definitum est in Concilio Florentino in decreto Eugenii, cap. *Omnis utriusque sexus* ; et Tridentino sess. 14, cap. 7, et sess. 23, cap. 5. Rationeque suadetur : nam absolutio sacramentalis est actus judicii ; sed omne judicium, ut validum existat, exposcit jurisdictionem in judice : ergo ut sacramentalis absolutio sit valida, necessaria est jurisdictio in ministro. Quæ est ipsa ratio Tridentini cap. cit. ubi inquit : « Quoniam natura, et ratio judicii « exposcit ut sententia in subditos dum« taxat feratur. » Accedit, sacerdotem in pœnitentiali foro non solum absolvere, sed etiam ligare pœnitentem ; ligare autem nullus potest nisi subditum : indispensabilis igitur est jurisdictio ministri, ut sacramentum teneat. Nota 2. Conc. Florent. Trident.

57. Tertio observandum est, hanc jurisdictionem aliam esse ordinariam, aliam vero delegatam. Prima est, quæ convenit sacerdoti ratione proprii officii habentis subditos, uti est qua præditi sunt Pontifices, episcopi, parochi, et prælati tam superiores, quam inferiores Ordinum. Secunda est, quæ non ex officio, sed ex commissione proprii judicis confertur. Utraque autem ex parte subjecti dividitur in jurisdictionem certam, probabilem, dubiam, et titulo colorato habitam. Certa est, quæ manifesto titulo possidetur. Probabilis, quæ innititur judicio dictante adesse jurisdictionem, quamvis cum formidine circa illius carentiam. Dubia illa, de qua quis est anceps an adsit vel non, ita ut circa neutram partem determinetur, sed omnibus perpensis suspensus persistat. Titulo colorato habita, quæ nititur officio, cui annexa est jurisdictio, et alias titulus Nota 3.

aut officium nullum est ob impedimentum occultum illis, qui confitentur.

Nota 4. Ex quibus notandum est quarto, jurisdictionem dubiam quatenus talem non sufficere ut quis ea uti valeat absolute, sed ad summum sub conditione in eventu urgentis necessitatis, dum aliud certum remedium haberi non potest, ut recte docent N. Cornejo 1, 2, tract. 8, disp. 4, dub. 2, Salas tract. 8, disp. unic. quæst. 9, sect. 2, et alii plures, quos congerit ac sequitur N. Franciscus tract. 6, cap. 11, punct. 5. Circa probabilem vero, quidquid dicant Nugnus, Salas, et Aversa, quibus adhæret N. Philippus a SS. Trinitate disp. 12, dub. 4, communis sententia Theologorum defendit, esse sufficientem ad licite, et valide absolvendum, eo quod tunc certo moraliter conceditur ab Ecclesia. Ita N. Gabriel disp. 9, N. Antonius a Spiritu Sancto, N. Bonæ Spei, ac N. Franciscus loco cit. num. 4, qui fere omnes Theologos pro ea referunt. Si autem jurisdictio supra titulum coloratum fundetur, et sacerdos, qui ea utitur, a populo habeatur ut minister legitimus ob ignorantiam impedimenti latentis, absolutio erit valida, quamvis respectu absolventis sit illicita, ut ex communi DD. sententia statuit N. Bonæ Spei loco cit. et suadet tum ex lege Barbarius, *ff. de officio Prætoris ;* tum ex causa 3, quæst. 7, cap. *Infamis persona ;* tum ex ratione communis boni populi Christiani, qui perturbationibus exponeretur, si ex retractatione officii ob occultum impedimentum confessionis redderentur invalidæ. Unde Ecclesia ministris eo titulo absolventibus jurisdictionem communicat.

N. Cornejo, Salas. N. Francis. Nugnus, Aversa. N. Philip. N. Gabr. N. Anton. N. Bonæ Spei, N. Francis.

Sensus dubii. His igitur præmissis, videndum est, an ex sola sacerdotis ordinatione aliqua ex his jurisdictionibus ei conferatur, ita ut eo ipso quod characterem sacerdotalem, aut potestatem consecrandi, et absolvendi accipiat, simul ex vi hujus jurisdictionem obtineat ? Quia tamen peccata, circa quæ absolutio versatur, quædam sunt venialia, quæ nemo confiteri tenetur : quædam vero lethalia, et hæc vel jam rite confessa, vel nondum clavibus subjecta, vel quæ in articulo mortis, vel extra illum confitentur, de omnibus discutiendum venit ; prius tamen de lethalibus, quæ sunt materia necessaria sacramenti.

§ I.

Duplex statuitur assertio.

58. Dicendum est primo, sacerdotem e vi ordinis præcise nec licite nec valid posse absolvere a peccatis mortalibus non dum confessis ; atque ideo non omne sacerdotem, qua talem præcise, esse mi nistrum jurisdictionis. Hæc assertio e adeo certa, ut oppositum a nonnullis teme rarium, aut errori proximum censeatu eo quod contradicit sententiæ commu Doctorum, a quibus in re adeo gravi, atqu ad animarum salutem spectanti, receder non licet. Eam docent D. Thomas, quæs 8 supplem. art. 2, D. Bonaventura in 4 dist. 19, art. 1, q. 2, D. Antoninus 3 part tit. 17, cap. 4, casu 5, Alensis in 4, qu. 2 memb. 8, art. 2, Sotus in 4, dist. 18, qu 4, art. 2, Como relect. de pœnit. part. 5 Paludanus dist. 17, qu. 3, art. 3, quæstiunc 4, ubi Scotus, Gabriel, Capreolus, et Majo q. 1, Richardus art. 1, q. 3, Medina, Cod de confess. qu. 39, Ledesma 2 part. q. 32 art. 1, Petrus Soto lect. 5, de confess. Ca jetanus tom. 1 Opusc. tract. 7, Navarru in summa, cap. 27, Angelus, Sylvester Nugnus in 3 part. q. 8, supplem. art. 2 Suarez disp. 24, sect. 2, et alii plures. Col ligiturque assertio ex cap. *Omnis utriusqu sexus* et cap. *Si Episcopus* de pœnit. et re mis. ubi decernitur, quod nulla consuetu dine fieri potest, ut sacerdos sine superioris licentia absolvere valeat. Si ergo licentia aut jurisdictio a superiore collata necessaria est ut sacerdos possit absolvere, hic ex vi suæ ordinationis illam non habet ; atque ideo nec valida erit absolutio, quam ipse præstiterit. Insuper, si nulla consuetudine oppositum prævalere potest : ergo idec quia hæc lex ex Christi institutione pendet : nam consuetudo legem humanam revocare potest. Id ipsum habetur cap. finali de censib. et cap. *Quorum vires*, et in Damaso Papa epist. 4 decretal. et in Concilio Hispalensi 2, cap. 7.

Verum præcipuum hujus veritatis fundamentum depromitur ex Concilio Florentino in decreto Eugenii, ubi dicitur, hujus sacramenti ministrum debere esse sacerdotem « habentem authoritatem ab- « solvendi, vel ordinariam, vel ex com- « missione superioris. » Ac item ex Tridentino

dentino, sess. 14, cap. 6, dicente : « Quo-
« niam igitur natura, et ratio judicii illud
« exposcit, ut sententia in subditos dum-
« taxat feratur, persuasum semper in
« Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse
« Synodus hæc confirmat, nullius momenti
« absolutionem eam esse debere, quam
« sacerdos in eum profert, in quem ordi-
« nariam aut subdelegatam non habet
« jurisdictionem. » Ex quibus hæc ratio
efformatur. Ut sacerdos ex vi ordinis va-
ide absolveret a peccatis mortalibus non-
lum confessis, aliqua jurisdictione prædi-
us esse debebat ; sed ex vi ordinis sacer-
lotalis præcise nullam jurisdictionem
ccipit : ergo ex vi ordinis præcise valide
peccatis lethalibus nondum confessis
bsolvere nequit. Consequentia est legi-
ima, et major expresse continetur in
erbis relatis Tridentini. Minor vero sua-
letur, tum ex eodem Concilio : nam si
acerdos ex vi ordinis jurisdictionem acci-
eret, verba Concilii frustranea essent ;
iquidem nunquam verificaretur esse nul-
am absolutionem sacerdotis, qui ordina-
iam aut subdelegatam non habet jurisdic-
ionem, cum eo ipso quod sacerdos esset,
am haberet. Tum etiam : quoniam omnis
urisdictio vel est ordinaria, vel delegata ;
ed sacerdos ex vi ordinis nullam ex his
ccipit ; non quidem ordinariam, nam
æc convenit ratione alicujus officii pasto-
alis, quod nulli confertur sacerdoti ex
i ordinis ; nec item delegatam ex com-
nissione Ecclesiæ, quippe ex nulla Eccle-
iæ ibi declaratione constat, hujusmodi
urisdictionem ad absolute absolvendum a
ethalibus nondum confessis concedere,
ut concessisse ; sicut e converso, quia Ec-
lesia hanc jurisdictionem concedit ad ab-
olvendum in articulo mortis, id sæpius
eclaravit : ergo sacerdos ex vi ordinis
ullam accipit jurisdictionem. Cum autem
æc omnino necessaria sit ad valorem
bsolutionis, palam est nullum sacerdotem
x vi ordinis præcise posse valide absol-
ere, et consequenter non omnem sacerdo-
em esse hujus sacramenti ministrum juris-
ictionis.

Confirmatur : etenim absolutio est actus
udicii ; sed ut judicium validum existat,
ecessaria est jurisdictio in judice : ergo
t sacerdos ex vi ordinis valide absolveret
peccatis mortalibus nunquam confessis,
opus erat ut ex vi ordinis jurisdictionem haberet. Tum sic : sed ex vi ordinis jurisdictionem non habet : ergo. Minor hæc, in qua est difficultas, multipliciter suadetur. Primo, quia si ex vi ordinis jurisdictionem haberet, jurisdictio inseparabilis foret ab ordine : sicut quia character, vel potestas consecrandi, et absolvendi, et ligandi ex vi ordinis habetur ; inseparabilis est sacerdote ; sed jurisdictio separabilis est, et de facto a sacerdote separatur, ut liquet in eo, qui electus est in parochum, vel in episcopum, et nondum sacerdotali ordine insignitus est : ergo. Secundo : quoniam si ex vi ordinis jurisdictio conferretur, frustra Ecclesia eam deinceps tribueret ; constat autem Ecclesiam jurisdictionem delegare sacerdotibus post sacros ordines susceptos : ergo. Tertio : nam si ex vi ordinis haberetur jurisdictio, illam Ecclesia removere non posset a sacerdote, nec facere ut absolutio a sacerdote collata invalida existat ; quemadmodum quia potestas consecrandi ex vi ordinis confertur, eam a sacerdote abscindere nequit, nec efficere ut consecratio facta a sacerdote, quantumvis excommunicato, non teneat ; sed Ecclesia de facto removet jurisdictionem, ut constat dum peccata reservat, et dum excommunicatum, et hæreticum sacramentorum administratione privat : ergo. Quarto : quia alias omnes sacerdotes, eo ipso quod tales, ex jure divino essent judices, et pastores ordinarii universorum fidelium : non enim major est ratio ut sint judices respectu unius, quam alterius fidelis, et aliunde illa jurisdictio a Christo, et non ab Ecclesia tribueretur, atque ideo ordinaria, ac ex jure divino esset. Hoc autem omnem Monarchicum Ecclesiæ ordinem, quem Christus reliquit, perverteret ; siquidem jam sacerdotes non essent alii superiores, alii inferiores judices, sed omnes supremi, et principes æquales, utpote qui ex vi ordinis omnes christianos sibi subditos haberent : ergo ex vi ordinis nequit sacerdos ut minister jurisdictionis valide absolvere a peccatis lethalibus antea non confessis.

59. Respondebis primo cum Armacano, sacerdotes ex vi ordinis, ac divini juris habere jurisdictionem, esseque sufficientes ministros hujus sacramenti, adeo ut quamvis Ecclesia prohibere valeat ut sacramentum ministrent, non tamen efficere ut Evasio.

absolutio valida non existat, saltem quantum est ex parte ministri, licet alias ex indispositione pœnitentis sacramentum annullari possit.

Præcluditur. Hæc autem responsio acriter ab omnibus impetitur, ac ut erronea habetur, utpote quæ Tridentini verbis supra expensis non cohæret. Nam Concilium nullam esse absolutionem datam a sacerdote non habente jurisdictionem ordinariam aut delegatam statuit : ergo sentit, sacerdotem nullam ex his jurisdictionibus habere posse ; atque ideo quod ex vi ordinationis præcise non accipit jurisdictionem inseparabilem a charactere, ut Author ille existimavit. Tum etiam : nam Concilium expresse asserit, absolutionem ex defectu jurisdictionis esse nullam, non autem ex defectu dispositionis pœnitentis, cujus non meminit; id quod non solum docet, sed probat ex natura judicii, de cujus ratione est jurisdictio in ministro sententiam ferente. Ergo asserere sacerdotem taliter habere jurisdictionem, ut nec Ecclesiæ conatu absolutio invalida fieri possit, palam adversus Concilium militat. Tum deinde : nam extra dubium est, absolutionem datam a sacerdote simplici circa peccata lethalia prius nondum confessa esse invalidam, esto alias pœnitens dispositus accederet ad sacramentum : ergo ideo præcise quia sacerdos jurisdictionem non habet. Quocirca hæc responsio ulteriori impugnatione non indiget.

Aliud effugium. 60. Respondebis secundo cum Navarro, sacerdotem ex vi ordinis habere jurisdictionem habitualem, pendentem tamen ab Ecclesiæ prohibitione, ita ut si nulla adsit Ecclesiæ prohibitio, sacerdos ex vi ordinis habet jurisdictionem omnino expeditam ad ministrandam absolutionem. Si autem aliqua Ecclesiæ prohibitio intersit, redditur illa jurisdictio impedita ne in actum prodeat, adeo ut solum maneat in habitu. Ex quo fit, quod si stante Ecclesiæ prohibitione absolutio impendatur, invalida existet.

Rejicitur 1. Verum nec ista doctrina robur propositi fundamenti infringit, sed potius Armacani principiis favet, atque ideo efficaciter rejicitur. Primo : quia si sacerdos ex vi ordinis jurisdictionem obtineret, Ecclesia facere non posset ut absolutio facta a sacerdote valida non esset ; consequens est falsum, ut ex se patet, et Navarrus fatetur : ergo sacerdos qua talis præcise jurisdictionem non habet. Sequela ostenditur : nam ide quantumvis Ecclesia prohibeat actum consecrationis Corporis Christi, illum invali dare non potest, quia sacerdos ex vi ordini accipit potestatem sufficientem ad actur consecrationis ; sed juxta adhibitam respor sionem sacerdos ex vi ordinis accipit juris dictionem sufficientem ad actum absol vendi, et aliunde adest in sacerdote potesta characteris, aut virtus ad absolvendum ergo Ecclesia invalidare non posset abso lutionem sacerdotis, si hic ex ordine juris dictionem acciperet : nequit enim irritar actum sacramentalem, dum omnia a actum desiderata concurrunt. Ea autem quæ ad absolvendum desiderantur, sun potestas ordinis, et jurisdictionis, et inten tio ministri, quam adesse supponimu simul cum his, quæ ex parte pœnitenti requiruntur. Unde fieret, quod si pœniten accederet bona fide ad simplicem sacerdo tem ut ab eo absolveretur a lethalibu nunquam confessis, absolutio valida esset etiamsi sacerdos scienter contra Ecclesia prohibitionem absolveret : nam peccatum ac indispositio sacerdotis sacramentun non invalidat, si aliunde concurrunt, qua ex parte pœnitentis, ac ex potestate, e jurisdictione ministri non deficiunt.

Secundo impugnatur : nam si jurisdic tio daretur sacerdoti ex vi ordinis, vel esse tanquam effectus sacramenti Ordinis, ve tanquam quid concomitanter se habens a effectum sacramenti ; sed nullo ex his mo dis : ergo ex ordine jurisdictionem no accipit. Minor ostenditur quoad utramqu partem : quoad primam quidem ; etenin si tanquam effectus ordinis acciperetur Ecclesia illam jurisdictionem a sacerdot removere non posset, quemadmodum ne characterem, nec alios effectus sacramen tales rite susceptos ; atque ideo nec facer posset ut absolutio virtute illius jurisdic tionis collata a sacerdote pœnitenti dispo sito non teneret, sicut nec impedire vale ut consecratio Corporis Christi facta virtut characteris sit valida, si fiat circa aptan materiam. Sed Ecclesia, et removere po test jurisdictionem a sacerdote, et facer ut absolutio, quam præstat, non teneat ergo illa jurisdictio non habetur ex virtut ordinis tanquam effectus sacramenti Quoad secundam vero suadetur : nam qua concomitante

ncomitanter fiunt ex vi sacramenti, ideo quia connexionem habent cum effectu ramenti, ut liquet in his, quæ in Eucha- tiam per concomitantiam ponuntur ; l jurisdictio connexionem non habet m effectu sacramenti ordinis, siquidem parata videntur in episcopis, ac paro- is electis, et non ordinatis : ergo.

Tertio arcetur. Quoniam illa jurisdictio æ tribueretur ex vi ordinis, vel esset mediate a Christo Domino, vel ab Ec- sia : atqui nec a Christo, nec ab Eccle- : ergo nulla ex vi ordinis confertur. adetur minor : nam in primis si Chris- eam immediate tribueret, nullus infe- r illam revocare posset, quemadmodum æ datur a pontifice, ab episcopo prohi- ri nequit; alias æque libenter quis ere posset, potestatem a Christo conces- n ad consecrandum posse a Pontifice vel scopo removeri. Constat autem Eccle- m privare sacerdotem jurisdictione, ita absolutio collata a sacerdote jurisdic- ne privato nulla sit : ergo a Christo mino immediate non conceditur. Deinde lesiam sacerdotibus ex vi ordinis juris- tionem illam non impendere constat ex quod Pontifex nunquam intentionem tri- ndi talem jurisdictionem cunctis sacer- ibus habuit : alias id aliquo decreto, aut ıciliorum declaratione notum fieret. Eo maxime, quia si ab Ecclesia illa juris- tio ortum duceret, sicut Ecclesia illam ıcedit, ita illam denegare posset. Cum o nullum sit fundamentum ad asseren- n Ecclesiam eam conferre, sed potius positum ex Tridentino supra expenso is innotescat, dicendum non est sacer- em ex vi ordinis esse ministrum jurisdic- nis ad absolute absolvendum a lethalibus n prius confessis.

61. Dicendum est secundo, omnem sa- dotem posse absolvere a quibuscumque catis quemlibet pœnitentem constitutum rticulo mortis. Hæc assertio universa- r procedit, ita ut per ly *omnem sacerdo-* comprehendantur excommunicati, sus- si, irregulares, degradati, ac etiam etici, qui omnes sunt ministri juris- ionis in mortis articulo. Qualiter autem rtis articulus distinguatur a periculo rtis, diximus priori parte hujus tract. b. 5, dub. 7, num. 297, et 298, et 299. ertionem igitur ita universaliter intel- lectam docent communiter Theologi, quos referunt, et sequuntur N. Franciscus tract. 6, cap. 11, punct. 2, num. 19, N. Bonæ Spei ubi supra, Diana 3 part. tract. 4, resol. 57, Leander disp. 11, quæst. 16, Vasquez, quæst. 93, art. 1, dub. 4, Thomas Sanchez lib. 2 summ. cap. 13, num. 6, et alii. N. Francis. N. Bonæ Spei. Diana. Leand. Sanchez. Vasquez.

Probatur igitur ex Tridentino sess. 14, cap. 7, ubi dicitur : « Veruntamen pie « admodum ne de ipsa occasione aliquis « pereat, in eadem Ecclesia Dei custodi- « tum semper fuit, ut nulla sit reservatio « in articulo mortis ; atque ideo omnes « sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibus- « vis peccatis, et censuris absolvere pos- « sint. » Universalior facultas ex parte ministri excogitari non potuit : quippe cum ly *omnes* distributivum sit, extenditur ad quoscumque sacerdotes, semel quod tales sint. Ergo omnes, qui in assertione recensentur, sunt ministri jurisdictionis, qui possint valide absolvere pœnitentem constitutum in articulo mortis. Ubi etiam notandum est ly *in Ecclesia Dei custoditum semper fuit :* nam semper omne tempus complectitur, et ab exordio Ecclesiæ traditionem Apostolicam testatur : etenim, ut jam ex Augustino in proloquium abiit, quod semper fuit in Ecclesia, nec invenitur aliunde ejus principium, a Christo Ecclesiam fundante, et Apostolorum traditione venit. Probatur ex Trident.

62. Deinde suadetur ratione desumpta ex præjactis Tridentini verbis, ac ex D. Thoma in quæst. 8 supplem. art. 6. Nam quilibet sacerdos, quantum est ex virtute clavium, habet potestatem indifferenter in omnes, et quoad omnia peccata ; sed alias etiam habet jurisdictionem ut absolvat existentem in articulo mortis : ergo quilibet sacerdos, quicumque ille sit, etiam hæreticus, habet quidquid desideratur ad absolvendum pœnitentem in articulo mortis constitutum. Consequentia liquet, et major in omnium sententia est certa, ac expressa D. Thomæ. Minor autem ostenditur : etenim ideo aliquis sacerdos, hæreticus v. g. jurisdictionem ad absolvendum existente in articulo mortis non haberet, quia ipsi ab Ecclesia denegaretur ; atqui Ecclesia illi jurisdictionem non denegat, sed confert : ergo. Probatur minor : nam ideo juxta Concilium aliis sacerdotibus Ratio inde petita.

confertur jurisdictio pro illo eventu, *ne de ipsa occasione aliquis pereat ;* sed possibilis est non tantum metaphysice, sed et practice casus, vel occasio, in qua aliquis pereat, eo quod moriatur cum sola attritione supernaturali in præsentia solius sacerdotis hæretici : ergo si ut nullus de ipsa occasione pereat, tribuitur jurisdictio aliis sacerdotibus pro articulo mortis,etiam conceditur hæreticis ; alias jam aliquis de ipsa occasione periret, cui Ecclesia non subveniret ; quod prædictis Concilii verbis non cohæret, nec etiam illis *pie admodum*, etc. Tum etiam : quoniam credibile non est, piissimam Ecclesiam non facere id quod potest pro salute æterna existentium in articulo mortis, ut ex Concilio liquet. Constat autem,quemlibet sacerdotem etiam hæreticum habere potestatem clavium ad absolvendum omnes indifferenter, et Ecclesiam posse illis impertiri jurisdictionem : ergo eam communicare cuicumque sacerdoti etiam hæretico pro mortis articulo credendum est.

Consectar. 1. 63. Ex quibus infertur primo, hanc jurisdictionem, quam habent sacerdotes ad absolvendum in mortis articulo non esse ordinariam a Christo Domino immediate concessam,sed ab Ecclesia delegatam.Tum, quia jurisdictio ordinaria est illa, quæ competit ratione officii,et ad determinatum dominium dirigitur; hæc autem officio non innititur ; sed privilegio concesso cunctis sacerdotibus pro ubique locorum. Tum, quia jurisdictio ordinaria casui non ligatur, sed absoluta est ; hæc vero ad peculiarem eventum articuli mortis restringitur. Tum, quia ita colligitur ex illis Tridentini verbis : « In eadem Ecclesia Dei custoditum « semper fuit, ut nulla sit reservatio in « articulo mortis. » In quibus satis palam indicat, hanc jurisdictionem esse delegatam : etenim si Ecclesia nullam vult intervenire reservationem in articulo mortis, signum est quod aliqua intervenire poterat ex Ecclesiæ dispositione ; hoc autem fieri nequit, quin jurisdictio pro illo articulo ab eadem Ecclesia pendeat, ita ut illam conferat. Colligitur similiter, et evidentius ex aliis verbis : « Omnes sacerdotes quoslibet « pœnitentes a quibuscumque peccatis, et « censuris absolvere possint. » Ubi Ecclesia expresse ostendit, se ipsam dare jurisdictionem, ut sacerdotes possint absolvere pro illo articulo. Tum denique : nam al simplex sacerdos ordinariam jurisdict nem haberet respectu cujuscumque fidel quod satis absurdum est.Nec inde infert ut recte adnotarunt Lugo, et N. Francisc ubi supra, Christi Domini providentia in necessariis defecisse, ex eo quod imm diate per se ipsum hanc jurisdictione sacerdotibus non contulerit, sed illam Ecclesia delegandam reliquerit. Eten quemadmodum Spiritus Sanctus assis Ecclesiæ, ne in aliarum rerum dispositio erret ; ita circa dispositionem jurisdictio pro mortis articulo Ecclesiæ assistit ; un ab Ecclesiæ exordio nunquam denega fuit. Atque ita docent plures,quos referu et sequuntur Lugo disp. 28, sect. 2, nu 16, N. Franciscus tract. 6, cap. 11, pun 2, num. 22, uterque Sotus, Nugnus, M dina, et Leander disp. 11, qu. 22.

64. Infertur secundo, non posse sace dotem simplicem absolvere pœnitentem articulo mortis, si proprius sacerdos a sit : nam finis Ecclesiæ in concessio jurisdictionis cuilibet sacerdoti pro mor articulo est necessitas in illa pressura ex tentium,ut constat ex illo Concilii : « Ne « ipsa occasione aliquis pereat ; » atq adstante proprio pœnitentis sacerdo nulla necessitas existit ; nec occasio perd tionis : ergo in hoc eventu non censet Ecclesiam jurisdictionem sacerdoti simpl delegare.Tum etiam ; quoniam Concilium inquit, ita Ecclesiam cuilibet sacerdo jurisdictionem ad absolvendum concede sicut semper in eadem Ecclesia observ tum est ; sed nullus usus huc usque in E clesia visus est, ut simplex sacerdos m rientem absolvat præsente proprio sace dote : ergo illi jurisdictio ad absolvendu non impertitur. Tum deinde : nam ca *Eos qui,de sententia excommunicationis*.li 6, decernitur, quod si quis ob urgens mo tis periculum a reservata censura absolv tur, tenetur deinceps, si periculum evad se præsentare superiori, cui reservat facta erat : ergo si superior adesset pœn tenti in mortis articulo, ab eo absolut debebat fieri, et non ab alio : ergo Eccles facultatem non tribuit, ut præsente propr sacerdote alter absolvat. Id etiam colligit ex cap. *Presbyteri* 26, quæst. 2, ac ex extr vaganti *Inter cunctas*, § *Incendiarius* et extravaganti 1, § *Decernimus*. Atque i declaratu

eclaratum fuisse a Gregorio XIII, non auci testantur. Hanc autem doctrinam ocent plurimi, et gravissimi Authores, uos congerit N. Franciscus ubi supra num. 0, N. Bonæ Spei, et Thomas Sanchez cap. 3, num. 7.

65. Infertur tertio, idem et ob easdem ationes dicendum esse de sacerdotibus æreticis, schismaticis, et similibus ab Ecesiæ gremio decisis, in præsentia sacerotis catholici. Quod etiam, paritate ser-ata, de sacerdote irregulari, excommuniato, suspenso, et degradato est dicendum, alius adsit, qui ab his ligaminibus sit mmunis. Quia sicut in mortis articulo xcommunicatus, aut casum habens reseratum, tenetur petere absolutionem a poestatem habente in ordine ad reservata, et xcommunicationi obnoxia, si hic adesse osset; ita nullus illis censuris irretitus otest absolvere pœnitentem præsente sardote ab omnibus illis impedimentis imuni. Ita Sanchez lib. 2 summæ cap. 12, versa qu. 16, et alii.

66. Infertur quarto, idem sentiendum se de quocumque sacerdote non ordinario, ec habente privilegium ad absolvendum conspectu alterius, qui illud habeat. am jurisdictio ad absolvendum in mortis rticulo tribuitur cuilibet sacerdoti ob nessitatem pœnitentis, qui copiam confesrii non habet; sed dum adest sacerdos m privilegio ad absolvendum, necessitas on urget, nec copia deficit confessarii : go sacerdoti privilegiato facienda est nfessio, et non alteri. Tum etiam : quia æsente proprio sacerdote non potest ille, i privilegium non habet, absolvere : ergo edum adest sacerdos habens privilegium. atet consequentia : nam qui habet privileum, est delegatus a proprio pastore, usque substitutus, atque ideo confessio illi cta censetur emissa quasi coram proprio store; unde fit, quod illa confessione cta sacerdoti habenti privilegium, adimetur præceptum confitendi singulis annis cerdoti proprio, ut patet ex cap. *Omnis riusque sexus* de pœnit. et remis. Id quod iam intelligi debet de quolibet sacerdote mplici non habente facultatem ad absolndum a mortalibus, si adsit sacerdos, qui cet non possit a reservatis, potest tamen lethalibus. Etenim in hujusmodi eventu enitens jam habet proprium sacerdotem saltem quoad absolutionem a mortalibus, quæ illi detegere tenetur. Unde Ecclesia tunc non confert jurisdictionem sacerdoti simplici, qui alienus reputatur, sed alteri, qui potest a lethalibus, ut absolvat a reservatis.

67. Nec inde evincitur, quod si pœnitenti in prædicto mortis articulo constituto adsit simplex sacerdos toleratus, non possit absolvere alter, qui sit excommunicatus non toleratus, ut placuit Sanchez; nec item quod non possit absolvere sacerdos non expositus, nec approbatus, coram alio approbato, et non hic, sed alibi jurisdictionem habente, uti Suarius asseruit disp. 26, sect. 4, num. 4. Non enim hæc inferuntur: nam omnes illi tanquam sacerdotes simplices reputantur, cum hic et nunc jurisdictionem non habeant. Quocirca cuilibet ex illis confessio fieri potest, quia omnibus Ecclesia jurisdictionem pro illo articulo confert. Quid enim interest sacerdotem alibi esse expositum, et approbatum, si hic approbatus non est? Illa jurisdictio, et approbatio, quam habet in alio loco, omnino de materiali se habet quoad absolutionem moribundo conferendam, ubi sacerdos approbatus non est. Nec item sequitur, quod si pœnitens in mortis articulo constitutus habeat peccata venialia, et mortalia, teneatur confiteri sacerdoti simplici habenti jurisdictionem ad venialia, et non possit confiteri cum sacerdote excommunicato vitando, qui nec ad venialia, nec ad mortalia habet jurisdictionem. Etenim peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, ad quam propalandam cogatur pœnitens; unde in illo eventu absolute verificatur, pœnitentem non habere copiam confessoris; atque ideo utrumque indifferenter eligere potest, simplicem sacerdotem, aut excommunicatum vitandum, et uterque ab Ecclesia jurisdictionem accepit.

Objectio quædam dilatur Sanchez.

§ II.

Alia assertio explicans ministrum jurisdictionis circa venialia, et mortalia jam confessa.

68. Dicendum est tertio, omnem sacerdotem simplicem posse ex jure communi absolvere a venialibus, et a mortalibus

Assertio 3.

jam rite confessis. Hæc assertio prout jacet est adeo communis, ut opus non sit ejus patronos sigillatim referre. Refellere autem oportet quorundam rationem, qui inde assertionem probant, quia ad venialium absolutionem nullam jurisdictionem esse necessariam judicant; in quo pro veritate inconcussa incertum principium vel omnino falsum assumunt. Etenim sacramentalis confessio de quibuscumque peccatis sit, semper retinet essentialem conceptum judicii, sub quo a Christo fuit institutum, et a Conciliis præsertim Tridentino definitum; sed judicium essentialiter exposcit jurisdictionem in judice: ergo sacerdos, qui in absolutione venialium judicis munus exercet, jurisdictione indiget. Displicet etiam aliud improbabilius motivum, quo nonnulli utuntur, nimirum, quod jurisdictio ad absolvendum a venialibus tribuitur sacerdoti simplici a pœnitente, qui illi subditur absolvendus. Etenim, ut lumine naturali notum est, nemo dare potest quod non continet; pœnitens autem, qua talis, nullam, quam tribuat, habet jurisdictionem. Unde enim illam obtinuit? Vel delegata est, aut ordinaria? Non quidem delegata. Tum, quia designari non potest quis sibi eam delegaverit. Tum, quia etiam si delegatam haberet, eam subdelegare non posset. Nec item ordinaria: hæc enim convenit ratione officii; pœnitens autem ut talis nullum habet officium pastoris, aut superioris, ad quem attinet jurisdictio, sed inferioris ac subditi, in quem jurisdictio exercetur. Pœnitentis igitur est facultas eligendi judicem, non vero præstandi jurisdictionem.

Quorundam ratio.

Improbatur.

Alia rejicitur.

Nec urgentiori fundamento nituntur alii, qui dicunt, sacerdotem simplicem posse absolvere a venialibus, et mortalibus jam confessis, quia habet jurisdictionem ex jure divino sibi in ordine collatam. Quod suadere conantur, tum quia nemo tenetur ex Ecclesiæ præcepto confiteri venialia, nec mortalia jam rite confessa; sed jurisdictio in subjectione activa fundatur: ergo si Ecclesia neminem subjicit, aut nulli præcipit ut venialia detegat, aut mortalia jam rite confessa, jurisdictio circa hujusmodi peccata non tribuitur sacerdoti ab Ecclesia, sed a Christo instituente hoc sacramentum per modum judicii. Tum etiam (et huic rationi plus fidit Vasquez) quia peccatum veniale nequit ab Eccle reservari; posset autem reservari, si Ec sia ad illius absolutionem jurisdictior tribueret. Ergo sacerdos simplex po absolvere a venialibus jurisdictione data non ab Ecclesia, sed a Christo.

Alia ratio.

Vasquez

69. Hoc etiam motivum nullius r menti est: tum quia prout jacet, non p bat sacerdotem simplicem posse absolv a venialibus, quod est difficultatis scopu sed tantum suadere conatur non hab jurisdictionem delegatam ab Ecclesia illam absolutionem, quod tandem non c vincit, ut statim videbimus. Ex eo aut quod non habeat jurisdictionem ab Ecc sia delegatam, non infertur habere jur dictionem a Christo concessam, alias lai haberet jurisdictionem a Christo conc sam, quia ab Ecclesia delegatam non hab Unde hoc argumento potius concluditu sacerdotem simplicem nullo modo po absolvere a venialibus, quam quod poss Tum etiam: etenim si jurisdictio in su jectione activa ac præceptiva consist eadem ratione qua probatur sacerdot simplicem posse absolvere a venialib sine jurisdictione sibi ab Ecclesia delega convincitur posse absolvere ab eisdem p catis sine jurisdictione a Christo comm nicata: nam sicut Ecclesia venialiu confessionem non præcipit, ita nec Chri tus præcipit. Tum deinde: quonia negari non potest, Ecclesiam imperti jurisdictionem ad absolvendum a leth libus; et tamen Ecclesia non præcip mortalium confessionem saltem quo substantiam; hoc enim est præceptu divinum; sed tantum designat tempus, quo confessio emittenda est: ergo juri dictio non fundatur in subjectione acti ac præceptiva; alias in confessionib mortalium, quæ per annum libere fiu extra tempus Paschale, sacerdotes non al solvent in vi jurisdictionis sibi collatæ Ecclesia, siquidem illæ confessiones Ecclesia non præcipiuntur. Tum prætere quia ad omnem absolutionem requirit jurisdictio in sacerdote, atque ideo etia ad absolvendum a venialibus; et tame sacerdos simplex, qui potest absolvere venialibus, non habet authoritatem div nam, aut humanam, ut venialium confe sionem præcipiat: ergo jurisdictio ad a solvendum non fundatur in activa ac pra cepti

ceptiva subjectione; alioqui etiam concedere teneretur solum sacerdotem proprium aut parochum habere jurisdictionem ad absolvendum a peccatis, utpote qui solus cogere potest subditos ad confessionem tempore ab Ecclesia præscripto ; atque ideo religiosi, qui ita cogere pœnitentes ad confessionem non possunt, nullam jurisdictionem ad absolvendum obtinebunt.

Deinde secunda probatio, cui magis Vasquez fidit, Ecclesiam, nimirum, sacerdoti simplici jurisdictionem non tribuere, quia venialia reservare non potest, cum judem Authoris doctrina cohærere non potest. Etenim tractat. de excommunicat. lib. 4, num. 3, cum communi Doctorum consensu docet, Ecclesiam privare posse,ac de facto privare excommunicatum non toleratum jurisdictione circa administrationem sacramenti pœnitentiæ; quod, inquit, adeo verum est, ut si quis bona fide ab hujusmodi excommunicato absolutionem accipiat, illa nulla sit, quia est impedimentum ex parte confessoris, quod bona fide pœnitentis suppleri nequit. » Atqui sacerdos simplex a venialibus absolvens pœnitentiæ sacramentum conficit : ergo si excommunicatus non toleratus sit, privatur jurisdictione ad ministrandum pœnitentiæ sacramentum, ita ut Ecclesia jus absolutionem reddat invalidam.Potest igitur Ecclesia circa peccata venialia disponere, et illa ita reservare, ut sacerdoti simplici non confiteantur ; quod satis est ut illius Authoris ratio non teneat : nam eo ipso quod Ecclesia prohibere possit sacerdoti simplici ut absolvat a venialibus annullando ejus absolutionem per subtractionem jurisdictionis ; jam hæc ab Ecclesia pendet, et ab ea confertur, vel negatur. Si autem respondeat Vasquez, ut tandem respondet, Ecclesiam non posse removere etiam ab excommunicatis vitandis jurisdictionem ad absolvendum a venialibus, ac proinde nec facere ut illa absolutio non teneat, adeo male audit apud Doctores catholicos, ut ab omnibus deseratur, ac impugnatione non indigeat.

70. Aliter igitur suadetur conclusio communi ac solido fundamento. Nam juxta praxim, et antiquum Ecclesiæ usum sacerdos simplex potest absolvere a venialibus, et a mortalibus jam rite confessis ; sed non ex jurisdictione ordinaria : ergo ex jure communi, ac ex delegatione Ecclesiæ.Consequentia liquet : nam omnis jurisdictio in ordinaria ac delegata clauditur, nec quispiam huc usque aliam tertiam designavit jurisdictionem. Major autem est communis consensus Doctorum, qui omnes, ac præsertim antiqui qui ad rem aptiores sunt, illam Ecclesiæ praxim testantur, eamque potius supponunt, quam disputant. Minor vero suadetur : nam jurisdictio ordinaria est quæ convenit ratione officii pastoralis, aut superioris : atqui sacerdos simplex ut talis nullum officium habet prælati, aut superioris; alias omnes sacerdotes simplices judices ordinarii ac prælati essent cunctorum fidelium : ergo jurisdictio, quam habet sacerdos simplex ut absolvat a venialibus, ordinaria non est, sed ab Ecclesia Pontificeque delegata. Tum etiam : quoniam nemo habet ordinariam jurisdictionem in sacramento pœnitentiæ, qui alias non habeat aliquod munus, et onus gubernandi extra sacramentum, ut patet in episcopis, parochis, prælatis, et similibus, quibus onus pascendi ac dirigendi subditos incumbit. Sacerdotem autem simplicem quatenus talem nullum hujusmodi onus comprimit. Cum igitur juxta Ecclesiæ usum absolvere possit a venialibus, idque non ex ordinaria jurisdictione, opus est ut id obtineat ex Ecclesiæ delegatione.

Confirmatur : quoniam Ecclesia privat excommunicatum vitandum jurisdictione, aut facultate absolvendi,ita ut in illo statu nunquam valide absolvat etiam in confessione venialium, uti docet communis Doctorum sententia : ergo sacerdotem simplicem posse valide absolvere a venialibus pendet ex Ecclesiæ dispositione,ac subinde illa jurisdictio ab ea denegatur, vel confertur. Unde ulterius habetur, consuetudinem absolvendi a venialibus, et a lethalibus jam confessis ab Ecclesia dimanasse ; alioqui Ecclesia illam absolutionem annullare non posset. Relinquitur ergo sacerdotem simplicem id posse ex jure communi. Confirm.

71. Indiscriminatim loquuti fuimus de venialibus, ac mortalibus jam rite confessis : eadem enim de utrisque ratio est : quippe quæ consuetudine, ac Ecclesiæ usu innititur. Ceterum nonnulli, de quorum numero est Sotus, plus offendunt in jurisdictione sacerdotibus simplicibus collata Objectio. Sotus.

ad absolvendum a lethalibus jam confessis, quam in ea, quæ circa venialia impertitur ; id quod etiam difficilius, ac obscurius Vasquio visum est. Motivum autem unde Sotum scrupulus invasit, in eo consistit, quod jurisdictio non impertitur ad absolvendum a peccatis jam solutis, quia forma *Ego te absolvo* verificari nequit ubi nullum est vinculum solvendum ; sed peccatum rite confessum jam est solutum : ergo de eo non verificatur absolutio, consequenterque nulla jurisdictio tribui potest sacerdoti ut a peccatis jam confessis absolvat. Hæc tamen objectio, si aliquid suadet, simul evincit nullam sacerdotibus datam fuisse jurisdictionem ad absolvendum a lethalibus antea non confessis, dum pœnitentes ad sacramentum accedunt cum contritione perfecta : tunc enim cum pœnitens per contritionem peccatorum vincula confregerit, illa forma *Ego te absolvo* verificari non poterit ; quod a nemine est concedendum. Objectio igitur ab omnibus est diluenda. Nec doctrinam, quam Lugo in præsenti, disput. 18, sect. 3, pro illius enodatione excogitavit, approbamus, sed impugnatam relinquimus priori parte hujus tractat. disput. 3, dub. 2, a num. 87, et sequentibus, ubi legitimam objectionis solutionem satis diffuse tradidimus, et ab impugnationibus vindicavimus ; quem locum adeat Lector, ne eadem iterum inculcare cogamur.

Solutio remissive.

Hic autem duo observanda sunt. Primum, nullum pontifici inferiorem posse sacerdotibus simplicibus directe impedire potestatem absolvendi a venialibus, et mortalibus jam rite confessis : etenim cum hujusmodi consuetudo ab Ecclesia dimanaverit, jurisdictio, quam ad ita absolvendum vendicant sacerdotes simplices, a summo Ecclesiæ pastore saltem tacite illis communicata est. Nullus autem inferior superioris concessionem derogare potest, nisi ex illius facultate : ergo nec archiepiscopi, episcopi, legati, aliive quicumque Pontifici inferiores prælati facultatem illam a sacerdotibus simplicibus directe removere possunt. Notanter appositum est ly *directe*, quoniam indirecte per excommunicationem id fieri posse, extra dubium est. Secundum, quod quamvis ex jure communi possint sacerdotes simplices absolvere a venialibus ac mortalibus jam confessis, ut constat ex dictis ; id tame efficere jam non licet ob decretum SS. I N. Innocentii XI, quo usum illius facultati prohibet prædictis sacerdotibus. At qui difficultas est, an Pontifex eo decreto no solum venialium confessionem simplic sacerdoti faciendam prohibeat, sed etiar annullet. Ideo

Observ. 1.

Observ. 2.

§ III.

Quinam sit sensus propositionis damnat ab Innocentio XI circa venialium con fessionem cum simplici sacerdote ?

72. Subortis quibusdam difficultatibu circa quotidianam communionem, ac pe nes venialium confessionem simplici sa cerdoti factam, ut eas decideret SS. D. N Innocentius XI, decretum expedivit di 12 Februarii, ann. Domini 1679, quo integrum retulimus, et quo ad ea, quæ a communionem spectant, explicuimus tract 23, disput. 11, dub. 7. Quod vero ad ren attinet præsentem, est quod interrogatu Pontifex : « Quis confiteatur peccata venia « lia simplici sacerdoti non approbato a « Episcopo, aut Ordinario ? » In fine ejus dem decreti respondet : « Non permittant « ut venialium confessio fiat simplici sa « cerdoti non approbato ab Episcopo, au « Ordinario. Si parochi, aut confessari « etiam regulares, aut quicumque alii sa « cerdotes secus egerint, sciant Deo O. M « rationem reddituros esse, nec defutu « ram Episcoporum, aut Ordinariorun « justam, et rigorosam animadversionem « in contra facientes, etiam regulares « etiam Societatis Jesu, facultate ipsi « Episcopis, et Ordinariis per hoc decretun « per Sedem Apostolicam specialiter attri « buta. » In quibus, ut vides, de mortalibus jam confessis mentio non fit, quamvis nonnulli, rationem ex paritate deducentes, idem de illis ac de venialibus sentiendum in vi hujus decreti dicant, a quo præscindimus. Quæstio ergo est, an ex vi hujus decreti venialium confessio non solum illicite fiat sacerdoti simplici, verum etiam invalide ?

Pro cujus decisione supponendum est primo, Pontificem eo decreto novum jus statuere, antiquum coarctans ac limitans : supponit enim sacerdotem simplicem potuisse

tuisse a venialibus absolvere non solum valide, sed licite ; siquidem id fuisse prohibitum non declarat. Deinde vero prohibet, confessionem venialium fieri illi sacerdoti ; quod quædam limitatio est facultatis antiquæ, quam omnes habebant ad ita confitendum. Porro hujusmodi prohibitionem esse gravem, aut sub lethali culpa, extra dubium est apud Authores. Idque ratio convincit : quoniam prohibitio rei gravis sub ingenti motivo, ac magna comminatione, aut conscientiæ gravamine, nequit non gravem inducere obligationem; sed his omnibus titulis insignitur assignati decreti prohibitio : ergo graviter obligat. Minor quoad omnes partes ostenditur. Nam in primis res prohibita est gravis : licet enim peccata confessa sint levia, sacramentum ex eorum confessione resultans quid gravissimum est, omnia naturalia bona suo pondere longe superans. Deinde motivum prohibendi non unicum, sed multiplex ac urgentissimum fuit ; tum, ut diminaretur tot opinionum varietas, asserentium sacerdotem simplicem quacumque occasione posse directe absolvere a venialibus, et indirecte a mortalibus, pluraque similia sine fine adstruentium, quibus fidelium conscientiæ laxabantur. Tum, ut frequentes scinderentur scrupuli ex illis confessionibus suborti, quibus timoratorum animæ irretiebantur. Tum, ne inscio proprio pastore, ejus oves subjicerentur nescienti discernere inter gravia, et levia, ac inter proficua, et noxia. Ac tandem sub pœna æterni judicii magna comminatione, ac gravamine conscientiæ apposito id Pontifex præcipiat, liquet ex illis verbis : *Faciant Deo O. M. rationem reddituros.* Hæc igitur omnia gravem obligationem satis ostendunt.

Secundo observa, hanc gravem servandi decretum obligationem comprimere, et sacerdotes simplices ne a venialibus absolvant pœnitentes, et ipsos pœnitentes ne illis sacerdotibus confiteantur ; quod patet ex verbis ejusdem decreti, ait enim : « Non permittant ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti. » Cum ergo ad pœnitentes propriissime spectet facere confessionem, illis interdicitur ut eam efficiant. Deinde cum talis confessio emittenda sit coram simplici sacerdoti, etiam illi præcipitur ne eam audiat; alias ei permitteretur pœnitentis peccato cooperare, imo cum stante indispositione ex parte pœnitentis absolutio nulla sit, etiam ex hoc capite ad ita absolvendum prohiberetur. Nec refert, si dicas, quod prædictam decretum solum loquitur cum prælatis, quibus tantum præcipitur, ne permittant venialium confessionem fieri simplici sacerdoti ; non autem cum pœnitentibus, ac sacerdotibus : istis enim nihil præcipitur. Non, inquam, refert : tum quia correlativa, eo quod se mutuo respondent, subduntur eidem legi ; sed episcopos, aut prælatos non permittere confessionem venialium fieri simplici sacerdoti, importat ut correlativa prælatos non permittentes illam confessionem, et sacerdotem simplicem ac pœnitentem, a quibus fit confessio : ergo omnibus præcipitur, prælatis quidem ne permittant ; pœnitenti vero, et simplici sacerdoti ne ita faciant. Tum etiam, et præcipue : nam esto illud decretum solum cum episcopis absolute loquatur, tamen ut publicatum ac ut intimatum fidelibus ab episcopis nomine Pontificis, jam cum episcopis non loquitur, sed cum sacerdotibus simplicibus, ac pœnitentibus ; atqui episcopi omnibus notum fecerunt decretum illud, nomine Pontificis præcipientes ut venialium confessio sacerdoti simplici non fiat : ergo pœnitentes, et simplices sacerdotes sunt, qui illi obligationi adstringuntur.

Ex quibus patet, quod si pœnitens conscius hujus gravis obligationis, aut prohibitionis sub culpa lethali, confessionem venialium coram simplici sacerdote emittat, nullum ac invalidum conficiet sacramentum : nequit enim sacramentum validum consistere interveniente culpa lethali commissa a pœnitente in ipso actu confitendi. Quocirca difficultas solum devolvitur ad casum, in quo pœnitens cum ignorantia illius decreti accedit ad sacerdotem simplicem ut a venialibus absolvatur ; an nimirum tunc confessio valida existat ?

73. Affirmative igitur respondetur cum communi consensu exponentium propositiones ab Innocentio XI damnatas. Ita Cardenas disert. 2, Corella praxi moral. num. 198, Emmanuel a Conceptione tract. de Pœnit. disp. 2, quæst. 7, num. 132, Joannes de las Elvas explicat. decret. num. 6, Lumbier tom. proposit. damnat. pag. 526, ac item 1110, num. 102. Hujus reso- Resolutio difficultatis. Carden. Corell. Emman. a Conc. Elvas. Lumbier Ratio.

lutionis fundamentum nititur in prudentissima Ecclesiæ gubernatione, quæ nunquam nisi clarissimis verbis aut abstulit facultatem, quam semel concessit, aut annullavit ea, quæ valida censuit ex traditione Apostolica, ac ipsius Ecclesiæ praxi ; atqui facultas absolvendi a venialibus competit sacerdoti simplici ex jure communi, vel ipsius Ecclesiæ concessione, quæ ex Apostolica traditione ac fidelium usu venialium confessionis simplici sacerdoti factas validas reputavit ; aliundeque prædictum decretum nullum continet verbum, quo prædictæ confessiones expresse annullentur, aut facultas absolvendi a venialibus simplici sacerdoti collata, ab eo removeatur : ergo prædicta confessio in vi hujus decreti valida relinquitur. Consequentia tenet, et minor quoad priorem partem constat ex dictis, § præcedenti quoad secundam vero etiam constabit cuicumque supra scriptum decretum legenti, in quo nihil invalidans reperiet. Major autem inductione ostenditur. Cum enim Tridentinum sess. 24, cap. 1, matrimonium clandestinum, quod ex Ecclesiæ traditione validum erat, annullare decerneret, ut deplorabilibus absurdis januam præcluderet, post plura remedia adhibita, effectumque non assecuta, decretum ita expresse annullativum expedivit, ut nullam expositionem admittat ; hæc enim sunt ejus verba : « Hujusmodi contractus irritos, et « nullos esse decernit, prout eos præsenti « decreto irritos facit, et annullat. » Similiter SS. D. N. Innocentius XI, ut urgentissimis damnis occurreret, altercationesque tumultuantes circa approbationem Ordinarii in Confessore requisitam dispelleret, penes quam Ecclesiæ indulta non pauca circumferebantur, ita omnia quoad hunc effectum de plenitudine potestatis subtraxit, ut expresse *esse nulla, irrita, et invalida* decreverit, de quo infra sermo redibit. Dum igitur ab Ecclesia aliquid annullatur, clarissimis verbis exprimitur. Quocirca cum in relato decreto nullum hujusmodi verbum extet, dicendum non est venialium confessiones simplici sacerdoti factas annullari, sed tantum illicitas fieri.

Conc. Trid

Objectio 1.

74. Objicies tamen primo : quia confessio facta contra præceptum grave impositum ab eo, qui facultatem absolvendi concedit, est nulla ; sed confessio venialium cu simplici sacerdote est contra præceptu grave impositum a Pontifice, qui jurisditionem concessit ad illam absolutionen ergo hujusmodi confessio invalida est. M nor cum consequentia constat, et maj suadetur ex N. Constitutionibus 2 pa. cap. 7, num. 5, ubi postquam decernit Religiosos Ordinis extra domum degent non posse confiteri cum sacerdotibus simplicibus ejusdem Ordinis, a Generali v provinciali licentiam absolvendi non h bentibus, declaratur deinceps confessione cum illis factam esse nullam : ergo confe sio facta contra præceptum concedentis f cultatem absolvendi nulla est.

Secundo, et urgentius : quippe non m nus præsupponitur facultas a Pontifi concessa, ut Religiosi itinerantes, in absetia ministri a suo prælato approbati, po sint confiteri cum sacerdote simplici pr priæ Religionis, vel alienæ, aut etia sæculari, quam ante hoc decretum supp nitur jurisdictio a Pontifice communica sacerdoti simplici pro absolutione a veni libus ; et nihilominus confessio facta cont statuta Religionum, in quibus absolutio venialibus prohibetur, est nulla, quia fact tas absolvendi a venialibus, quam Pontif concessit, censetur ablata : ergo similit confessio emissa contra supradictum decr tum erit nulla, quoniam in vi illius ce setur Pontifex jurisdictionem absolvendi venialibus abstulisse a simplici sacerdot

Respondetur ad primam distinguen majorem, quæ si intelligatur de confessio facta contra præceptum invalidans, cor cedenda est; neganda vero, si loquatur c confessione facta contra præceptum præci prohibens; ac sub eadem distinctione m noris negatur consequentia. Plura eni leges Religionum circa subditorum confe siones decernunt, quæ tamen eas non irr tant, sed tantum illicitas efficiunt, uti e Religiosos episcopis non præsentari, qui prius a propriis prælatis inveniantur id nei, studiisque juxta propria statuta vac verint. Quo non obstante, si his omnibu contravenientes ab Ordinariis sint appro bati, et jurisdictione ab eisdem pro su ovibus insigniti, valide absolvent, licet alia illicite juxta qualitatem legis prohiben tis. Unde liquet idem non esse confessio nem contra propriam legem fieri, ac ess irrita

irritam, et invalidam. Nec majoris probatio urget : nam Ordinum superiores conferunt Religiosis facultatem absolvendi proprios subditos æque ac episcopi sacerdotibus sæcularibus tribuunt jurisdictionem in proprias oves. Quocirca hujusmodi facultate a superioribus negata, confessio redditur nulla, et ita in nostra Religione contingit, quæ expressis verbis illam aufert jurisdictionem; inquit enim loco cit. « Declaramus, sacerdotes simplices nostræ « Religionis (illos videlicet, qui Generalis « vel Provincialis licentiam, et approba- « tionem non habent) nullam habere ju- « risdictionem ad audiendas confessiones « fratrum, etiam sacerdotum. » In decreto autem Innocentii nullum verbum invenitur negans jurisdictionem sacerdoti simplici circa venialia, sed tantum prohibens confessionem venialium illi faciendam.

Ad secundam negatur consequentia ob manifestam disparitatem : nam Religionum constitutiones, utpote a Pontifice approbatæ, vim habent legis Pontificiæ ; unde si hæ confessionum annullativæ fuerint, præfatum indultum derogatur, et irritum quoad hunc finem redditur. ita ut sacerdotes simplices Ordinum sine jurisdictione absolvendi a venialibus relinquantur. Maxime, si ultra id peculiaris Bulla derogatoria ad eorum petitionem obtineatur, sicuti Dominicani obtinuerunt a Pio V, Jesuitæ a Gregorio XIII, Religio nostra a Sixto IV, ac speciatim nostri Discalceati a Clemente VIII, quæ habetur sub clausulis expresse annullativis inter privilegia nostra novissime confirmata. Unde in omnibus Religionibus, quæ his Bullis derogatoriis gaudent, illarum vigore confessiones simplici sacerdoti factæ irritæ sunt juxta bullarum verba, et non ultra. Ceterum in decreto circa venialia, de quo in præsentiarum, clausula non legitur derogatoria jurisdictionis ex jure communi collatæ simplici sacerdoti ad absolvendum a venialibus : atque ideo quamvis hujusmodi confessio prohibeatur, invalida non est, si pœnitens prohibitionis inscius absolutionem accipiat.

Observandum tamen est, sub hac prohibitione non comprehendi Religiosos habentes privilegium, ut dum itinerantur, confiteri possint cum simplici sacerdote sæculari, vel alterius Ordinis, vel etiam proprii, si aliunde statuta propriæ Religionis non obstant. Quoniam privilegia, quæ in se, vel quo ad sui esse non connectuntur, nec in ablatione aut limitatione adunantur ; constat autem privilegia Ordinum, ut eorum Religiosi itinerantes confiteantur simplici sacerdoti, non connecti cum potestate absolvendi a venialibus, quam habet omnis simplex sacerdos ex jure communi : ergo in vi hujus nec fiunt invalidæ, nec illicitæ confessiones Religiosorum itinerantium, qui obtinent privilegium ut absolvantur a simplici sacerdote. Omnes autem Religiosi ad id ita faciendum habent privilegium Sixti IV, de quo passim Authores, aliud Innocentii VII, de quo videri potest N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 2, § 6, num. 92. Ex quo fit, Religiosos nostri Ordinis itinerantes posse valide, et licite confiteri cum sacerdote simplici sæculari, vel alterius Ordinis : quia id nec in constitutionibus, nec in præsenti decreto prohibetur ; non tamen posse cum simplici sacerdote ejusdem Ordinis ob expressam annullationem in propriis legibus contentam. Idem dicimus de Religiosis alterius Ordinis juxta eorum statuta.

N. Andr.

§ IV.

Sententiæ oppositæ referuntur, et argumenta enervantur.

75. Contemptis hæreticis, qui sicut fateri nequeunt pœnitentiæ sacramentum esse verum spirituale judicium, ita in illo omnem execrantur jurisdictionem, sunt nonnulli Catholici, qui jurisdictionem cum potestate absolvendi confundunt. Hi sunt Abulensis in defensorio, part. 2, cap. 26, Sylvester verbo *Confessio* 1 quæst. 2, Paludanus in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 3, casu 4, Navarrus in summ. cap. 27, num. 259, et in cap. *Placuit* de pœnit. dist. 6, num. 48, qui docet, sacerdotem ex vi ordinis habere habitualem jurisdictionem immutabilem etiam ab Ecclesia, eo quod ab ordine non distinguatur; non tamen habere jurisdictionem in actu ab Ecclesia independentem. Hæc tamen sententia, licet diversimode loquatur, in re nihil docet distinctum ab eo, quod commune Doctorum placitum supra explicatum. Alii autem ita censent, sacerdotem in ordine accipere

Abulens. Sylvest. Palud. Navar.

Sententia primæ assertioni opposita

jurisdictionem, ut quamvis Ecclesia prohibere possit ut absolvat, non tamen facere quod absolutio non sit valida, eo quod servat necessaria ex parte absolventis; atque ideo si pœnitens bona fide accedat, absolutio respectu illius ex omni capite erit recta, et proficua. Ita Armacanus libr. 11, de quæst. Armenorum diffuse per plura capita. In id inclinat Almain in 4, dist. 18, quæst. unica; probabileque existimat Durandus in 4, dist. 19, quæst. 2.

Armac. Almain. Durand.

Primum igitur, et principale argumentum est, quod potestas absolvendi est inseparabilis a jurisdictione; sed ex vi ordinis sacerdotalis completi habetur potestas ad absolvendum: ergo etiam jurisdictio; atque ideo omnis sacerdos, eo ipo quod talis, erit minister jurisdictionis in foro pœnitentiæ Major, in qua stat difficultas, ostenditur. Tum quia nullus est assignabilis scripturæ locus, ubi facultates istæ separentur; de illis autem prout indistinctis adest illud Joann. 20: *Quorum remiseritis peccata*, etc. In quibus verbis utraque potestas absolvendi, et jurisdictionis indivulse Apostolis collata fuit; atque ideo eodem modo sacerdotibus confertur, et conferenda est. Tum etiam: quoniam Christus non plus dixit Apostolis, dum potestatem, et jurisdictionem absolvendi eis concessit, quam episcopus dicit sacerdoti in illius ordinatione: illa enim eadem verba, et sub eadem practica significatione pronuntiat: *Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, etc. Ergo eundem habent effectum. Tum denique, estque præcipua ratio, qua convictus fuit Abulensis: etenim nemo negare potest, illa verba efficere aut communicare id, quod propriissime significant, videlicet, potestatem solvendi, et ligandi intra confessionem; sed hoc imprescindibile est a jurisdictione; qui enim potest absolvere, potest jus dicere, et sententiam proferre, quod sine jurisdictione intelligi nequit: ergo utraque potestas simul confertur.

Argum. 1.

Confirmatur ex Tridentino sess. 15, cap. 5, ubi dicitur, sacerdotes esse judices a Christo Domino institutos ad absolvendum a peccatis; sed judex constituitur, dum jurisdictio ei confertur: ergo cum non sit assignabile tempus, aut occasio, ubi Dominus sacerdotes constituerit, nisi cum ordinantur, dicendum est tunc accipere jurisdictionem, qua peccata dijudicare possit.

Confirmat. ex Trident.

Respondetur ad argumentum negando majorem, cujus prima probatio non premit. Ex quo enim in scriptura expressis vocibus facultates istæ separatæ non inveniantur, non convincitur esse inseparabiles, et semper coexistentes, ita ut eo ipso quod una concedatur, alia etiam communicetur; sicut nec id etiam infertur ex quod utraque potestas simul collata fuerit Apostolis. Nam sicut ex eo quod Christus separaverit in Apostolis per multum tempus potestatem consecrandi a potestate absolvendi, nullus inferet hoc esse de natura ordinis sacerdotalis, episcoposque ad hoc faciendum teneri. Et similiter, quemadmodum ex quo Christus Apostolos sine sacerdotes ac episcopos constituerit, simul eis contulerit potestatem absolvendi et episcopatum, nemo deducet munus episcopale necessario connecti cum sacerdotio aut potestate absolvendi, adeo ut hæc sint ex se inseparabilia. Ita ex quo utraque potestas absolvendi, et jurisdictionis simul illis collata fuerit, non infertur illarum inseparabilitas, et mutua ac indivulsa coexistentia; alioqui nec episcopus electus nec parochus designatus jurisdictionem haberent ante illius consecrationem, aut istius sacerdotium; quod quam absurdum sit, Ecclesiæ praxi convincitur. Unde patet ad secundam: quamvis enim eadem verba dicuntur sacerdoti, dum ordinatur, quæ dicta fuerunt Apostolis; nihilominus plura alia charismata illis verbis contulit Christus Apostolis, quam sacerdoti conferuntur; eos namque constituit principes orbis terrarum, propriosque sacerdotes; quod non semper facit episcopus dum aliquem sacerdotium assumit. Non ergo inferuntur illa verba, prout ab episcopis sacerdotibus dicuntur, eundem omnino effectum inducere, ac intulerunt dum Apostolis fuerunt dicta a Christo Domino; alias sicut jurisdictionem ordinariam jurisdictionem, et supremam authoritatem Apostolis contulit, ita etiam episcopus cuilibet sacerdoti communicaret.

Ad tertiam dicendum est, verba illa propriissime solum significare potestatem physicam absolvendi, quæ cum ordinis character, aut ejus extensione coincidit; non vero potestatem moralem ferendi juridicam sententiam in jam subditos. Utraque aute

autem potestas desideratur ad actualiter judicandum, quæ si separentur, nullum exercent judicium. Itaque videmus in episcopo ac parocho nondum ordinatis, quod etsi gaudeant potestate morali jurisdictionis, nequeunt per se ipsos solvere aut ligare juridice ex defectu potestatis physicæ ordinis ; et eodem modo sacerdos physica ordinis potestate insignitus, incapax est absolvendi defectu potestatis moralis. Et ratio est : quia quoties duplex formalitas splendet in actu, duplex alia debet illi correspondere ex parte principii, ut universali inductione constat. Cum ergo absolutio sit actus physicus vere, et realiter media gratia culpam dissolvens, insuperque de fide sit, hanc absolutionem esse jurisdictionalem, eo quod hoc sacramentum sit institutum per modum judicii, protest diffinitum est in Tridentino ; oportet ex parte principii duplicem potestatem illi correspondere, physicam ordinis, et moralem jurisdictionis, atque qualibet deficiente nulla erit absolutio. Quod in judiciis civilibus patet, quorum sententiæ nullæ sunt, si proferantur a non habente jurisdictionem, quacumque alias Doctoratus præeminentia fulgeat. Quocirca (ut sic probationi majori minori insertæ occurramus) licet sine jurisdictione intelligi nequeat posse juridice jus dicere, et sententiam proferre ; potest tamen intelligi sine jurisdictione posse physice aut materialiter jus dicere, et proferre sententiam ; quod et non amplius competit sacerdoti ex vi ordinis.

Ad confirmationem respondetur, Tridentinum omnes sacerdotes appellare judices quoad physicam potestatem, ac idoneitatem, qua in sui ordinis gradu laureati sunt, sicut illi qui Doctoratus gradum obtinuerunt. Unde sicut istis id non sufficit ut recte judicent, usquequo illis tribunal ac subditi consignentur; pariter sacerdotes ex suo ordine idoneitatis facultatem habent ad absolvendum sacramentaliter sitam in ordinis charactere, aut ejus extensione ; deficiente vero tribunalis ac subditorum assignatione, deficit moralis facultas ad judicandum, in qua jurisdictio sacramentalis consistit. Quod sæpissime prædictum Concilium decernit tum locis in conclusione expensis, tum sess. 23, cap. 15, ubi post idoneitatem, aut ordinis potestatem definit necessariam esse ordinarii approbationem, ut jurisdictio obtineatur : « Quam- « vis presbyteri, *inquit*, in sua ordinatione « a peccatis absolvendi potestatem acci- « piant ; decernit tamen Sancta Synodus « nullum etiam regularem posse confes- « siones sæcularium etiam sacerdotum « audire, nisi approbationem, quæ gratis « detur, obtineant. » Conc. Trid.

76. Arguitur secundo, fundamento Armacani. Quoniam in ordine sacerdotali adæquato non minus datur potestas ad Corpus Christi mysticum absolvendum, quam ad ipsius verum Corpus consecrandum ; sed quantumvis episcopi celebrare prohibeant, sacerdos valide celebrat, ac consecrat : ergo similiter sacerdos valide absolvit, et ligat, quantumvis id prohibeatur ; ac per consequens sacerdos ex vi ordinis erit minister jurisdictionis. Minor est omnium sententia, et major videtur perspicua : quia potestas absolvendi est aliqua physica, et realis entitas, vi cujus sacerdos conficit sacramentum, inducit gratiam, et remittit peccatum; sed cum approbatur ab episcopo, nullam entitatem physicam, et realem accipit : ergo eam habet ex vi ordinis. Tum etiam : nam in approbatione solum datur licentia ; hæc autem potentiam supponit, quia impotenti operari frustranee operandi licentia concederetur. Consequentia autem ostenditur : non enim alia ratione consecratio, quantumvis prohibita, est valida, nisi quia est actus virtutis supernaturalis a Christo in ordine communicatæ : atqui absolutio a peccatis est actus extensionis ejusdem virtutis, aut characteris : ergo valide fit : etiamsi prohibeatur. Eo vel maxime, quod Ecclesia nequit illam virtutem supernaturalem removere a sacerdote, et aliunde hic ea uti potest, cum sibi placuerit, non secus ac aliis supernaturalibus virtutibus. Argum. 2.

Hoc argumentum eadem laborat æquivocatione ac præcedens, non distinguens inter potestatem ordinis, et jurisdictionis. Unde distinguenda est major : non minus tribuitur potestas physica ad absolvendum, conceditur; potestas moralis, negatur ; ac omissa minori, negatur etiam consequentia ob satis notam disparitatem. Actus enim consecrandi ita est supernaturalis virtutis, ut non sit exercitium jurisdictionis, aut potestatis moralis. Quocirca ad sui valorem solum exposcit materiam Diluitur.

aptam, debitam formam, et intentionem. At absolutio essentialiter est forma judicii confessionis; hoc autem ex parte ministri exposcit jurisdictionem, quæ cum forma moralis sit, in entitate physica characteris non consistit, atque ideo inveniri potest in non sacerdotibus, uti in parocho electo, et nondum ordinato conspicitur. Unde fit, quod si sacerdos hanc moralem potestatem, aut jurisdictionem non habeat, absolutio, quam impertitur, est nulla, eo quod absolutio nequit fieri physice, quin etiam fiat moraliter, et juridice : si enim hoc modo non fiat, non distinguetur ab absolutione collata a laico; quemadmodum sententia prolata ab habente Doctoris gradum, et non jurisdictionem, nullius momenti est. Ex quo patet, quod licet Ecclesia removere non possit a sacerdote potestatem physicam absolvendi, quæ cum charactere coincidit, potest tamen moralem, sicuti eam conferre potest, et confert, dum approbat sacerdotes ad absolvendum.

Argum. 3. 77. Tertio arguitur, et tradita doctrina impugnatur : nam quod principalius concurrit, et desideratur ad absolutionem est potestas physica characteris, per quam gratia communicatur, et culpa rejicitur : ergo adhuc deficiente jurisdictione assignata, absolutio valida erit; atque ideo superflue alia jurisdictio a charactere distincta introducitur. Antecedens constat : etenim quoties physicum, et morale ad eundem effectum concurrunt, physicum præcedit morale, et hoc in illo fundatur tanquam in principaliori. Consequentia vero suadetur : quoniam manente principaliori, etiamsi minus principale deficiat, res absolute persistit : ergo si potestas physica characteris est quæ præcipue concurrit ad absolutionem, et moralis jurisdictio ut quid accessorium, etiamsi hæc deficiat, absolutio substantialiter valida persistet.

Confirmat. Confirmatur : quia potestas sacerdotis ad causandam gratiam in sacramento pœnitentiæ pendet a Christo tanquam ab instituente, et principaliter operante; sed hæc potestas a solo Christo confertur : ergo cum post ordinationem nullam aliam facultatem ad illum effectum tribuat Christus sacerdoti, superflue assignatur alia distincta ab ea, quæ in ordine recipitur. Probatur minor : nam potestas causativa gratiæ est quid supernaturale; sed potestas supernaturalis a solo Authore supernaturali procedere potest : ergo illa potestas absurde diceretur ab alio præter Christo communicari.

Ad argumentum respondetur, quod ad actum proprium judicii, qualis est absolutio utrumque essentialiter desideratur, et potestas physica ordinis, et moralis facultas jurisdictionis; atque ideo si principale opponatur non necessario simpliciter, falsum et negandum est antecedens. Ad cujus probationem dicendum est, plura esse inter se adeo connexa, ut quocumque deficiente effectus non sequatur; ut patet in intellectu, et specie intelligibili : hæc enim licet intellectui virtutem elicitivam intellectionis non conferat, sed tantum potentiam determinet, ita desideratur ad actum intellectionis, ut specie intelligibili deficiente nequeat intellectus intellectionem adhuc quoad substantiam producere. Virtus item activa principalior est ad agendum quam existentia, aut etiam quam prædeterminatio physica, aut moralis, ut nonnulli loquuntur; cum tamen implicet, quod actus fiat a potentia non existente, ac non habente physicam, ut moralem prædeterminationem. Similiter ergo sacerdos, ut valide absolvat, ultra potestatem ordinis aut characteris eget potestate morali jurisdictionis, ita ut si hæc deficiat, nequeat absolutionem adhuc, quoad sustantiam absolutionis, si ita considerari potest, proferre.

Ad confirmationem respondetur, potestatem absolvendi, et productivam gratiæ mediante sacramento, institutive, et concessive procedere a Christo non minus ac vim inductivam gratiæ, quæ in aliis sacramentis viget. Ceterum cum hoc sacramentum institutum sit in formam judicii, exposcit essentialiter ad sui valorem jurisdictionem in ministro; hæc autem non semper conceditur a Christo immediate, ut liquet etiam in ipsa potestate ordinis, quæ quamvis procedat a Christo non excludit Episcopum, qui tanquam immediatum instrumentum illam impertiatur. Sicut enim homo ut instrumentum Christi sacramentum ministrat, et gratiam confert; ita etiam communicat potentiam sive ordinis, sive jurisdictionis ad eadem sacramenta ministranda, gratiamque conferendam

dam. Ex quo tamen non habetur, hujusmodi jurisdictionem sacerdoti in ordine communicari : quippe cum quid physicum non sit, sed morale, sacramentum ordinis ad sui productionem non exposcit.

78. Adversus secundam assertionem, quoad illam partem, qua asseruimus, etiam hæreticos, schismaticos, et alios quoscumque, dummodo sacerdotes sint, posse absolvere in articulo mortis, sentiunt nonnulli, asserentes nullum sacerdotem excommunicatum etiam Catholicum habere facultatem absolvendi in mortis articulo. Ita Marsil. in 4, quæst. 12, art. 2, Medina, Cod. de confes. quæst. *Qui debeat fieri cofessio ?* In quam sententiam satis inclinat Covarruvias cap. *Alma mater*, part. relect. § 6, num. 8. Alii autem solum denegant illam facultatem hæreticis. Ita Navarrus in summ. cap. 26, num. 26 et cap. 37, num. 272, Ledesma quæst. 21, art. 6 et quæst. 22, art. 1. Pro qua sententia Vasquez refert Sotum in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 4, nec non D. Thomam 3 part. quæst. 87, art. 7, ad 2 et quæst. 94, art. 6, ad 3, et in 4, dist. 17, quæst. 3, art. 3, quæstiunc. 1, ad 2. Sotus autem, licet hanc sententiam probabilem dicat, illi tamen absolute non adhæret ; palam quippe inquit : « Nihil asserverare ausim ; tamen videtur mihi opinio hæc valde probabilis. »

Quod vero ad D. Thomam spectat, nescimus qualiter tot in locis a Vasquio in patrocinium hujus sententiæ adduci possit, cum postea ab eodem Authore quæst. 83, art. 1, dub. 4, num. 8, pro contraria, et communi referatur. Nunquid ut aliquam inconsequentiæ notam in Ang. Præceptore detegat ? Si id forsan intendat, potius occasionem subministrat, ut mira Angelicæ doctrinæ consonantia splendidior appareat. Etenim in q. 8 supplem. art. 6, qui est ipsissimus, quem Vasquez pro communi, et vera sententia citat ex 4, dist. 19, qu. 1, art. 3, quæstiunc. 1, absolute, et absque aliqua limitatione, ut ipse Author retetur, resolvit : « Quod quilibet sacerdos, quantum est ex virtute clavium, habet potestatem iudifferenter in omnes, et quantum ad omnia peccata. » Quo supposito, in corpore articuli asserit Ecclesiam quilibet sacerdoti tribuere jurisdictionem ut in articulo mortis valide absolvat. An vero licite ? Nec apicem expressit, sicut nec ipsi fecimus. Quæstione vero 82, art. 7, ex. 3 part. inquirit : « Utrum hæretici, « schismatici, et excommunicati possint « consecrare ? » Et determinat. quod si sacerdotes veri sunt, possunt valide consecrare, sed non licite : « Non tamen hoc « recte faciunt, sed peccant facientes. » Insuper, quæst. 64, art. 5, investigat : « Utrum per malos ministros sacramenta « conferri possint ? » Cui respondet, valide ministrari, sed peccare mortaliter, a qua regula excipit art. seq. in solut. ad 3, eum, qui in eventu necessitas Baptismum subministrat : hic enim, quamvis in statu peccati sit, valide, et licite sacramentum conficit ob rationem, quam in his verbis assignat : « In articulo tamen necessitatis « non peccat baptizando in casu quo posset « etiam laicus baptizare : sic enim patet « quod non exhiberet se ministrum Ecclesiæ, sed subveniret necessitatem patienti. « Secus est autem in aliis sacramentis, quæ « non sunt tantæ necessitatis sicut Baptismus. » Ac tandem in 4, dist. 17, quæstione 3, art. 3, quæstiunc. 1, ad 2, solum dicit D. Thomas, quod quia Baptismus est sacramentum urgentioris necessitatis quam pœnitentia, necessarium non est ut quis confiteatur laico. Ubi ergo est oppositio, vel inconsequentia doctrinæ ? Ubinam ex his locis docuit sacerdotem hæreticum non posse valide absolvere in mortis articulo contra id quod docuerat D. Ang. in 4, dist. 19, quæst. 1 ? Cur igitur in patrocinium Navarri adducitur ? Quia docet, hæreticos, ac schismaticos non posse licite consecrare, aliudve quodcumque sacramentum, præter Baptismum, licite conficere ? Plane aliud est licite, aliud valide. Licet ergo docuerit aliis locis, sacerdotem hæreticum non posse licite absolvere, non tamen negavit posse valide in mortis articulo, quod est commune assertum, cui subscripsit in 4. Quidquid tamen de his

79. Arguitur ergo contra secundam assertionem. Etenim pœnitens adhuc in mortis articulo non potest illicite petere absolutionem ab hæretico ; ergo illi Ecclesia jurisdictionem non confert ut in illo articulo absolvat ; atque ideo non omnis sacerdos est minister jurisdictionis in articulo mortis. Consequentia patet : nam credibile non est Ecclesiam tribuere juris- Argum.

dictionem, quæ non cedat in favorem, et utilitatem pœnitentis, sed potius in ipsius detrimentum, ac periculum peccandi : non enim consuevit ad illicita impendere. Antecedens autem ostenditur : nam petere absolutionem ab hæretico fieri nequit absque scandalo, periculo infectionis in hæresi, irrisionis sacramenti ab hæretico faciendæ, ac defectus intentionis non apponendæ ; his autem periculis se exponere illicitum est : ergo. Tum etiam : quia inducere alium ad peccandum illicitum est ; sed petere absolutionem ab hæretico existenti in peccato mortali, ut supponimus, est illum inducere ad sacrilegium ministrandi indigne sacramentum : ergo. Tum deinde : quoniam sacerdos hæreticus privatus est jurisdictione, et ratione fidei, quam non habet, et ratione excommunicationis, cui subest : ergo nequit pœnitens licite ab eo petere absolutionem. Tum denique id constat ex facto S. Hermenegildi regis Hispaniarum filii, qui in mortis articulo Eucharistiam e manu episcopi Ariani accipere noluit, sed potius hæreticum arcuit, ne illius moribus fœdaretur.

Observanda pro solutione.

Omissis aliorum solutionibus, quibus non satis ab hac difficultate se expediunt, ut veram ac legitimam assignemus, nota

D. Tho.

ex D. Thoma 2,2, quæst.78, art. 4: « Quod « inducere hominem ad peccandum, nullo « modo licet ; uti tamen peccato alterius ad

Cajetan.

« bonum, licitum est. » Ubi Cajetanus subdit : « Adverte ergo diligenter in casi- « bus, ut discernas si actus petitus potest « ab eo, a quo petitur, sine peccato fieri ; « quia hæc est radix liciti vel illiciti cum « de usu peccati alterius agitur. » Ut igitur aliquis licite uti possit peccato alterius ad proprium bonum, tria desiderantur. Primum, quod id quod petitur, sit ex se bonum. Secundum, quod recte, et licite concedi possit, licet alias ex malitia concedentis illicite ac inordinate concedatur. Tertium, quod necessitas, pietas, ac rationabilis causa intercedat. Quæ omnia si concurrant, nullum est peccatum alterius peccato uti ; ut liquet exemplo pacis publicæ cum infidelibus initæ : ab illis quippe exposcitur fidelitas in pactis, quæ ex se bona est, et licite ac ordinate præstari potest jurando per unicum ac verum Deum, quamvis alias ob infidelium malitiam inordinate præstetur jurando per falsa numina. Deinde adest necessitas, commune videlicet pacis emolumentum. Unde fit, licitum esse Catholicis pacem inire cum infidelibus, ab illis fidelitatem in pactis exposcendo, quam alias nonnisi illicite præstant falsi numinis obtestatione. Hoc aptissimo exemplo ex Augustino accepto rem ibi explicat D. Thomas, et aliis de usura, ac de incidente in latrones, qui ut non occidatur, potest eis pecunias manifestare, quas diripiendo peccant.

Hinc ad argumentum respondetur negando antecedens, quod nulla ex inductis probationibus evincitur. Non prima : quippe si scandali periculum adsit, potest pœnitens illud moraliter vitare, palam protestando se hæresi illius sacerdotis non consentire, nec consensurum ; sed tantum absolutionem petere ob ingentem necessitatem, ex qua æterna salus irreparabiliter pendet. Si vero periculum infectionis in hæresi intercedat, ita ut prudenter ac moraliter timeat lapsum ; tunc nec licite absolutionem petere valet, nec ad eam petendam ex præcepto tenetur : præceptum enim confitendi solum obligat, dum confessio moraliter possibilis est, et licite fieri potest ; ubi autem illa circumstantia non occurrit, jam confessio censetur moraliter impossibilis. Quod idem dicimus, si prudenter timeatur sacerdotem hæreticum potius sacramentum irrisurum, quam adhibiturum legitimam absolvendi intentionem ; tunc enim nec pœnitens potest licite absolutionem petere, quia exponeretur ad sacrilegium patrandum, nec ad id ex præcepto cogitur sed potius ex communi Religionis lege obligatur ad omnia illa pericula præcavenda. Ceterum, quia non omnes hæretici cunctos sequuntur errores, contingere potest quod sacerdos, qui in illo eventu adest, circa sacramentum pœnitentiæ non erret ; et quoties ea, quæ ad ipsum pertinent, moralem securitatem nanciscuntur, quod sæpe evenire potest ; tunc confessio cum illo licite fieri valet, imo, et in utroque obligationem inducit. Et de hoc eventu conclusio loquitur, et loquuntur omnes Doctores, qui illi favent, servatis videlicet regulis generalibus necessario servandis.

Non secunda : nam pœnitens absolutionis petitione sacerdotem hæreticum ad peccandum

peccandum non inducit ; quid enim ex se licitum ac sanctum exposcit, sed ob ingenem necessitatem utitur in bonum proprium peccato sacerdotis, quod alias ipse præter intentionem pœnitentis ac Ecclesiæ committit in collatione absolutionis, quam licite impendere poterat, si ad Deum converteretur. Id quod satis liquet præfato exemplo pacis publicæ a Catholicis cum infidelibus initæ : ex quo enim Catholici fidelitatem in pactis exposcant, quam non nisi obtestatione inanium Deorum infideles præstant, non ideo eos ad peccandum inducunt. Similiter, si in mortis articulo pœnitens solum habere posset sacerdotem Catholicum, quem certo sciret in peccato lethali esse, nec de eo conterendum, sed in illo statu absolutionem præstiturum : adhuc licite ab eo peteret absolutionem, et ad id teneretur, quin inde sequatur illum ad peccandum inducere, sed solum ob urgentem necessitatem illius peccato uti : absolutio enim, quæ petitur, ex se bona est, et quantum ex se est, licite potest impendi ; peccata autem, quæ sacerdos in illius collatione committit, non ex pœnitentis petitione, nec ex jurisdictione ab Ecclesia commissa ortum ducunt, sed ex depravato sacerdotis usu ; quæ inordinatio absolute vitabilis est. Manente igitur solo periculo peccati mortalis absolventis, eo quod fere certo sciatur non revocaturum hæresim, aut conaturum contritionem, ne absolvendo peccet, poterit infirmus in articulo mortis pro suæ eternæ salutis utilitate illo peccato uti.

Non item tertia : nam quod hæreticus sit excommunicatus, non convincit non accidere jurisdictionem ab Ecclesia ad absolvendum pœnitentem constitutum in articulo mortis, dum alter sacerdos idoneus haberi non potest ; alias non solum hæreticus, verum nec sacerdos Catholicus excommunicatus in illo articulo absolvere posset. Quod licet concedant Ledesma ac Navarrus, omnes alii Doctores rejiciunt ; utique falsitatis convincitur ex tam amplis Tridentini verbis : « Omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et censuris absolvere possint. » In hoc autem adeo favorabili, et in qua de periculo amittendi irreparabiliter æternam felicitatem agitur, nullum adest motivum favores restringendi, ita ut excommunicati excludantur a facultate absolvendi in articulo mortis periclitantem. Quod autem sacerdos hæreticus fidem non habeat, nihil est : nam sicut esto fidem non habeat, potest baptizare, imo, et Eucharistiam valide conficere, eo quod potestas characteris amissione fidei non exuitur ; ita valide absolvere potest in illo articulo, quia clavium potestatem habet, et aliunde jurisdictionem ab Ecclesia recipit. Nec tandem ultima : nam D. Hermenegildus communionem e manu Ariani episcopi accipere noluit, quia in illis circumstantiis illa acceptio erat quædam professio Arianismi, quam ne faceret, sine Eucharistia mortem subire selegit, et debuit. Id quod etiam facere teneretur pœnitens, si in confessione cum hæretico similis circumstantia contingeret : prius enim confessionem omittere debuisset, quam se confitendo signum assentiendi hæresi præbere. Dum vero hæc pericula non urgent, sed adsunt omnia, quæ ad securitatem moralem valoris sacramenti desiderantur, poterit pœnitens in mortis articulo cum sacerdote hæretico confiteri.

DUBIUM VII.

Utrum licitum sit ministrare pœnitentiæ sacramentum cum jurisdictione probabili ?

Quamvis in limine dubii præcedentis hanc obiter attigerimus difficultatem, eam ad trutinam reducere congruum censemus; quippe ejus resolutio admodum utilis est ad plures casus satis in praxi frequentes. Plures enim sunt opiniones hinc inde summo rationum pondere probabiliter decertantes, utrum sit valida jurisdictio mortuo concedente ? Si fuit legitimum de illa privilegium ? Si absque illius expressione fuit revocatum ? Si episcopus possit cum limitatione approbare ? Et alia hujus generis, in quibus omnibus casus quæstionis contingit tam ministris, quam pœnitentibus ; istis, quia petunt absolutionem ab eo, quem sciunt solum habere jurisdictionem probabilem, illis vero, quia hujusmodi jurisdictione utuntur ad absolvendum. Loquimur autem de usu illius jurisdictionis, circa cujus existentiam adest sententia probabilis non quacumque probabilitate etiam tenui, aut vix nulla : id

Propositio damnata.

enim a SS. D. N. Innocentio XI damnatum esse supponimus, dum hanc rejecit propositionem, quæ in ordine est tertia : « Generatim dum de probabilitate, sive « intrinseca, quamvis tenui, modo a pro- « babilitatis finibus non exeatur, confisi « aliquid agimus, semper prudenter agi- « mus. » Atque ideo ministrum utentem jurisdictione, circa quam solum adest probabilitas levissimæ innixa rationi, destituta gravissimorum Theologorum authoritate, et solum sequuta ab aliquibus infimæ notæ, illicite absolvere dubitandum non est.

Loquimur igitur de jurisdictione, quæ tam ab intrinseco, quam ab extrinseco sit graviter, et certo probabilis, eo quod et ratione pondere munitur, et a Doctoribus virtute ac sapientia præstantibus defenditur ; ac subinde quæ tam ex vi rationis quam authoritatis potens sit ut dubium deponatur, ac certo moraliter judicetur talem adesse jurisdictionem. Nec ad hujus difficultatis resolutionem labyrinthis aut reflexionibus probabilioristarum egemus : independenter enim ab eorum doctrina ac contentiosa lite dubii decisio habenda est.

§ I.

Communior, veriorque sententia eligitur.

Conclusio.

80. Dicendum est, licitam esse administrationem sacramenti pœnitentiæ cum jurisdictione probabili. Hæc assertio est communis, et ultra omnes probabilistas, eum defendunt Sanchez tom. 1, in decalog. cap. 9, lib. 3, ac de Matrim, disp. 22, num. 63, Turrianus, Malder, Lessius, Granados, quos sequitur ac refert Lugo disp. 19, sect. 2, Aversa quæst. 16, sect. 5, Lessius ubi citat. Martinez, Villalobos, Reginald. Palaus tom. 1, disp. 2, punct. 5, cum Basilio Legionensi, Henriquez, et aliis, Diana part. 2, tract. 13, resolut. 2, Dicastillo tract. 8, disp. 10, assert. 2, n. 214, N. Bonæ Spei disp. 9, n. 39, N. Antonius a Spiritu Sancto n. 824, N. Gabriel a S. Vincentio disp. 9, q. 2, quæsit. 9, Hoces, Elvas, Torrecilla, Corella, Lumbier, Filguera, Lastra, et alii exponentes propositiones damnatas. Addit Verricelli apud Moya tract. 1, quæst. 9, sacerdotem absolventem ex quacumque opinione re vera probabili intrinsece vel extrinsece circa jurisdictionem, valid absolvere, idque moraliter ita certum esse ut oppositum sit improbabile, et falsum ita refert, et sequitur Emmanuel a Concep tione tract. de sacram. Pœnit. disp. 2 quæst. 7, num. 128, a qua tamen censur abstinemus, quia Authores non contemnen di oppositum docent. Item Suarez disp 26, sect. 6, N. Franciscus cap. 11, punct 5, num. 74, et alii plures.

Sanchez, Turrian. Malder, Lessius, Granad. Lugo. Aversa, Martin. Villalob. Regin. Palaus, Basilius Legion. Henriq. Diana, Dicast. N. Bonæ Spei, N. Anton. N. Gabriel, Hoces, Elvas, Torrec. Corella, Lumb. Filguer. Lastra, Verric.

Fundamentum autem principale, qu omnes innituntur, sic efformari potest Ad licite ministrandum pœnitentiæ sacramentum sufficit jurisdictio certo moraliter habita; sed hanc habet qui utitur jurisdictione probabili ad absolvendum : ergo licita est administratio sacramenti pœnitentiæ cum jurisdictione probabili. Consequentia est legitima ; præmissæ autem probandæ. Major igitur ostenditur : tum quia non magis desideratur jurisdictio ad licite administrandum pœnitentiæ sacramentum, quam potestas clavium ; sed sacerdos licite administrans hoc sacramentum, solum habet moralem, et non metaphysicam certitudinem potestatis clavium non enim metaphysice verum est, hunc hominem hic, et nunc esse vere ordinatum, vel ob defectum intentionis, episcopi ordinantis, vel ob aliam latentem indispositionem, quæ in ordinatione occurrere potuit : ergo ad licitam hujus sacramenti administrationem sufficit jurisdictio certo moraliter habita. Tum etiam quoniam sicut ad licitam pœnitentiæ administrationem requiritur jurisdictio, ita ad idem sacramentum licite recipiendum desideratur attritio, aut contritio supernaturalis : atqui licite accedit pœnitens ad recipiendam absolutionem cum sola attritione, aut contritione certo moraliter habita : nemo enim citra revelationem redditur mataphysice certus de sua contritione, sed tantum moraliter quatenus adhibuit omnem diligentiam humanam modo humano sibi possibilem ad se disponendum ut eliciat contritionem : ergo similiter, qui cum jurisdictione certo moraliter habita absolvit, licite absolvit. Tum denique ; nam qui nullo periculo nullitatis exponit sacramenti valorem, licite illud ministrat : sed qui utitur jurisdictione certo moraliter habita, nullo periculo nullitatis exponit sacramenti valorem ; alias etiam pœnitens adhibens

adhibens ex parte materiæ solam contritionem certo moraliter habitam, et similiter sacerdos solam potestatem clavium, de qua solum moraliter certus est, periculo exponeret sacramentum : ergo.

Minor autem prioris syllogismi, in qua præcipua stat difficultas, ostenditur ; nam dum quis habet opinionem graviter probabilem de existentia, aut obtentione jurisdictionis, unum e duobus necessario verificandum est, vel quod illa sententia in re vera sit, vel quod sit falsa. Si primum, habemus intentum ; quippe impossibile est sententiam in re veram esse, et quod jurisdictio ab Ecclesia communicata non adsit : sententia enim est vera per conformitatem ad rem, quam affirmat ; id autem quod ab illa sententia affirmatur, est jurisdictio actu existens. Si vero secundum contingat, sententiam videlicet esse ex re falsam, etiam habetur certo moraliter jurisdictio ; ergo utens sententia probabili de obtentione jurisdictionis, certo moraliter habet jurisdictionem. Assumptum probatur ; etenim dum adest publicus, et communis error circa jurisdictionem, Ecclesia certo tribuit talem jurisdictionem, defectusque supplet, ita ut facta ex illo communi errore sint valida ; sed dum sententia falsa in re est graviter probabilis tam ab intrinseco, quam ab extrinseco, et communiter existimatur ut vera, datur publicus, et communis error circa jurisdictionem : ergo tum sententia graviter probabilis est falsa, certo moraliter habetur jurisdictio. Major, in qua dissidium esse poterat, constat *ex titulo colorato :* cum enim aliquis ob occultum impedimentum non est verus parochus, et communiter ut legitimus confessor existimetur, ob errorem publicum Ecclesia illi tribuit jurisdictionem, et sacramenta ab eo facta ut rata habentur. Ergo etiam utenti sententia satis probabili, ac communiter existimata vera, confertur certo jurisdictio. Patet consequentia, tum a fortiori : quia etiam in hoc eventu viget publicus error, quod est motivum concedendi jurisdictionem in titulo colorato : tum etiam : nam titulus quantumvis coloratus nequit anteferri communi opinioni urgenti ratione ac gravissimorum Doctorum authoritate innixæ. Quocirca si titulus coloratus, falsisque coloribus depictus certam facit jurisdictionem, potiori jure opinio graviter probabilis.

Confirmatur primo ex lege *Barbarius,* *ff. de officio Prætoris :* ubi approbatur quidquid egerit prætor, qui communiter, et publice ut judex legitimus existimatur, quamvis in re verus judex non sit, nec ullum habeat titulum judicandi sibi a principe concessum : ergo idem a fortiori asserendum est de sententiis in pœnitentiæ foro latis ab eo, qui utitur sententia graviter probabili, et communiter existimata vera, licet in re falsa sit. Patet consequentia ; tum, quia sententiæ in foro pœnitentiæ latæ, sacramenti irritatio, animarumque periculum præponderant sententiis a prætore illegitimo decisis ; istæ enim faciliori remedio reparari possunt. Tum etiam : nam respublica ob suam pietatem, ac rectam populi gubernationem probat ut ratas eas sententias, quæ a prætore illegitimo, communiter existimato legitimo, proferuntur ; sed respublica nec in pietate, nec in recta subditorum gubernatione Ecclesiam piissimam ac prudentissimam excedit : ergo etiam Ecclesia approbat, et ratam censet absolutionem, aut sententiam collatam a ministro communiter, et publice existimato legitimo ob sententiam urgenter, et graviter probabilem, existimatamque communiter veram, licet alias minister illegitimus sit ob falsitatem sententiæ in re. Cumque Ecclesia nequeat absolutionem ab illo ministro collatam sua probatione firmare, nisi concedendo jurisdictionem, qua absolutio valida fiat, consequens est Ecclesiam certo conferre jurisdictionem quoties absolvit cum sententia communi sensu probabili. Confirm. 1.

Confirmatur secundo, solidissimeque fulcitur ex universali Ecclesiæ consuetudine, in qua ipsa sciente, et non reluctante prævaluit usus absolvendi cum probabili jurisdictione, uti neminem fugit, testaturque Tamburinus tom. 3, lib. 5, cap. 4, § 8, his verbis : « Universali Ecclesiæ con- « suetudine omnes fere sacerdotes (excipe « paucos, et hos nimis timidos, vel indoctos « nimis) absolvunt cum jurisdictione pro- « babili. » Parenthesim non curamus, quia non modice doctos oppositum defendere scimus. Hæc tamen consuetudo universalis certam ostendit jurisdictionem ab Ecclesia concessam : non enim tam frequentem usum permitteret, si in eo periculum Confirm. 2. Tambur.

frustrationis, aut nullitatis sacramenti prævideret : quippe nunquam nisi in casu necessitatis alia sacramenta ministrari permisit frequenter sub modo exposito periculo frustrationis, aut nullitatis, ut baptizari aqua rosacea, vel quo simili. Ergo econverso nulla necessitate cogitur ad consentiendum, sed scienter, et libere consentit usum adeo communem absolvendi cum jurisdictione probabili, id nullum secum affert periculum frustrandi sacramentum ; quod aliunde nequit oriri, nisi quia sciens, et volens jurisdictionem sic utentibus largitur.

Evasio. 81. Respondebis primo, aliud esse Ecclesiam non impedire positive absolutionem cum jurisdictione probabili, aliud vero positive conferre jurisdictionem ad ita absolvendum. Primum igitur verum est, ex quo tamen secundum non deducitur: potest namque Ecclesia mere negative se habere ad utrumque, ita ut nec jurisdictionem conferat, nec absolutionem cum sola jurisdictione probabili impediat, suspendendo prohibitionem, tum ne lites excitentur, et jurgia, quæ nonnunquam scandala in Ecclesia parturiunt ; tum quia Ecclesiæ, ac prælatis non constat, an absolutio cum sola jurisdictione probabili sit in praxi, ut eam prohibere valeant. Eo vel maxime, quia consuetudo in hac materia certum statuere, ac introducere potest, ut liquet ex cap. 2, *de pœnitentiis* in 6, ubi dicitur : « Nulla quoque consuetudine potest introduci, quod aliquis præter sui superioris licentiam confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit absolvere vel ligare. »

Præcluditur. Hæc tamen evasio, quæ præcipuum adversariorum fundamentum continet, facile præcluditur: nam in re adeo gravi, ex qua tot animarum salus pendet, Ecclesia mere negative se habere non potest, nec positive conferendo jurisdictionem, nec prohibendo usum sententiæ, aut jurisdictionis probabilis. Quod sic ostenditur : etenim omnes prælati tam superiores, quam inferiores tenentur ex justitia oves sibi creditas per rectam salutis semitam dirigere, a noxiis doctrinis, tramiteque perditionis avertere, ita ut si subditos periculosam viam, damnationique expositam, arripere permittant, cum illos de facili ab ea arcere possunt, gravissime delinquant : scriptum est enim, quod de ipsorum manibus sanguis subditorum exquiretur ; atqui si Ecclesia in re, de qua agimus, mere negative se haberet, prælati oves sibi creditas incertam salutis viam, periculisque plenam capere, ac plurimis sacrilegiis se exponere permitterent : ergo vel dicendum est, Ecclesiam non se habere negative, vel quod omnes prælati ita omissive se habentes gravissime delinquunt ; inferiores, quia superiores præsertim Summum Pontificem de re conscium faciunt, ut hæc ingentia damna de facili, ut potest, amoveat ; superiores, Pontifices maxime, quia eisdem periculis non occurrunt, nec positive conferendo jurisdictionem ut illa sacramenta valida existant, nec prohibendo absolutionem cum jurisdictione probabili. Cum igitur dicendum non sit, prælatos ita gravissime delinquere, necessario convincitur Ecclesiam positive conferre jurisdictionem utentibus sententia probabili jurisdictionis obtentæ : non enim hujusmodi usum huc usque prohibuit.

Deinde ; nam dicere Pontificem usum illum absolvendi cum probabili jurisdictione non prohibere, ne lites in Ecclesia excitet, vel quia rei conscius non est, nullo modo satisfacit, nec fundamenti expensi robur infringit. Tum, quia in re adeo magni ponderis, ex qua tot fidelium salus vel interitus pendet ; minime Pontifices, quascumque prævideret lites, illis detinerentur ne prohibitionem adhiberent, sicut nec eo motivo detinentur in damnatione, quæ passim fit aliarum plurium propositionum ad animarum salutem non ita conducentium. Tum, quia nullum est fundamentum existimandi lites ac jurgia futura esse ex quo Pontifex id prohibeat : omnes enim, ut in aliarum propositionum damnatione faciunt, caput submitterent, Pontificisque decisioni starent. Tum præsertim: quia adhuc gratis admisso Pontificem ob lites futuras rem non prohibere, inde non infertur mere negative se habere, ita ut nec absolutionem cum jurisdictione probabili damnet, nec positive jurisdictionem impendat; ut absolutio teneat : nam eo ipso quod illum usum damnare non audeat, tenetur ex justitia positive, et certo jurisdictionem conferre, ne tot sacramenta irrite fiant, animæque pereant ; alias si negative omnino se haberet, ea damna ipsi in crimen imputarentur, cum ea facile amovere

amovere posset, jurisdictionem conferendo.

Nec verum est, Pontificem rei conscium non esse, ut prohibeat, si velit. Tum, quia nihil frequentius invenitur, quam confessiones emissæ coram ministris jurisdictione probabili utentibus, vel quia habent privilegium, de cujus non revocatione, aut legitima concessione opinatur, vel quia cum limitatione sunt approbati, vel quia utuntur jurisdictione, quam adhuc mortuo concedente persistere probabile est, vel ob quid simile, quod passim contingit. Tot autem ac adeo frequentes confessiones ad Summorum Pontificum notitiam non accessisse incredibile est. Tum etiam: quia nedum ad eorum aures, verum ad oculos pervenit; siquidem ex propria scientia, ac aperta librorum relatione evidenter sciunt ministros cum jurisdictione probabili valide ac licite absolvere posse: id enim et defenditur, et imprimitur non in thesibus particularibus ab uno vel altero infimæ notæ Authore propugnatis, sed in libris præ manibus omnium habitis, seduloque discussis, suffragium ferentibus cardinalibus, episcopis, ac doctoribus celebrioribus Universitatum, ita ut hoc sit eorum commune assertum. Ergo recursus ad hujusmodi notitiæ carentiam nullus est. Et quidem hæc adversariorum evasio satis Apostolicam Sedem deprimit, dum rem adeo manisfestam ignorare adstruit.

Nec tandem satisfacit, quod in fine evasionis additur. Nam etsi nulla consuetudine introduci valeat, aliquem absque superioris licentia posse absolvere, aut confessorem eligere, prout citat. cap. decernitur; potest tamen in usum ac consuetudinem verti, quod licentia, et jurisdictio a superiori concedatur, ut inferior absolvere, vel confessorem eligere possit; atqui in Ecclesia prævaluit consuetudo conferendi jurisdictionem certam ministris utentibus sententia satis probabili jurisdictionis concessæ: ergo certo moraliter habent jurisdictionem. Major, in qua stat difficultas, jurisdictionem, videlicet, certo acquiri posse consuetudine, est expressa decisio capit. *Cum contingat* 3, de foro competenti. Unde sic interpretantur, et sequuntur Navarrus cap. *Placuit* de pœnit. dist. 6, num. 36, Sotus in 4, dist. 18, quæst. 4, art. 2, ad 2, et alii.

82. Secundo respondebis negando majorem propositi fundamenti universaliter intellectam: quippe non omnis qui habet jurisdictionem certo moraliter sibi ab Ecclesia concessam, potest licite absolvere, ut patet in absolvente titulo colorato: hic enim certo moraliter habet jurisdictionem ex concessione Ecclesiæ, ne sacramenta, quæ ministrat, irrita sint; et tamen illicite absolvit, quamvis alias sacramentum sit validum. Similiter ergo qui utitur jurisdictione probabili ad absolvendum, valide sacramentum conficiet ob jurisdictionem sibi certo concessam in favorem pœnitentium, et valoris sacramenti; non vero licite absolutionem conferre poterit. Aliud effugium

Verum nec effugium istud aliquid evincit. Tum, quia plus quid in sui favorem habet qui absolvit cum jurisdictione probabili, quam qui absolvit titulo colorato, ut ex se patet; sed hic valide conficit sacramentum: ergo ille, et valide, et licite: non enim aliud apparet, in quo melioris conditionis se habere possit. Tum etiam et a priori: quoniam ideo qui absolvit jurisdictione titulo colorato habita, illicite absolvit, quia sacramentum ministrat contra præceptum Ecclesiæ sibi impositum ratione excommunicationis, vel remotitionis ab officio, ne sacramenta ministret, sed qui absolvit cum jurisdictione probabili, nullo premitur præcepto ne absolvat: ergo et valide, et licite absolvit. Tum denique: nam qui utitur jurisdictione probabili, ex uno capite scit valide conficere sacramentum ob jurisdictionem sibi certo moraliter ab Ecclesia concessam, casu quo illa, quam habet ex vi sententiæ probabilis, certa non sit; atque ideo periculo nullitatis sacramenti non exponitur. Deinde ex alio capite habet in sui favorem sententiam probabilem, ratione cujus prudenter judicat jurisdictionem sibi concessam esse, vel ob privilegium, vel ob alium titulum: ergo non solum valide, sed etiam licite absolvit. Patet consequentia: quippe ut quis licite absolvat, sufficit scire se nullo periculo irritationis sacramentum exponere, nullam prohibitionem ministrandi habere, et aliunde prudenter judicare ratione sententiæ probabilis habere ex se jurisdictionem independenter ab eo quod Ecclesia eam sibi tunc communicet, ne sacramentum fiat nullum. Rejicitur.

§ II.

Sententiæ contrariæ satisfit.

Carden. Salas. Pereg. Nugnus.

83. Oppositam sententiam docet Cardenas in crisi Theolog. Salas tract. 8, disp. unic. sect. 10, num. 101, et sect. 27, num. 286, Peregrinus, et alii apud Aversam quæst. 16, sect. 3, indicatque Nugnus quæst. 8, art. 5, dub. 1. Potestque suaderi hoc unico ac satis efficaci fundamento. Nam in his, quæ pertinent essentialiter ad valorem sacramentorum, illicitum est sequi opinionem probabilem tutiori relicta ; sed jurisdictio est de necessitate sacramenti pœnitentiæ, ita ut absolutio sine jurisdictione collata sit nulla : ergo in decidendo an licitum sit ministrare pœnitentiæ sacramentum cum jurisdictione probabili, tenemur sententiam tutiorem eligere probabili relicta. Tum sic : sed sententia affirmans licitum esse ministrare hoc sacramentum cum jurisdictione probabili non est ita tuta ac opposita, quæ docet non sufficere jurisdictionem probabilem, sed esse necessariam ordinariam, aut delegatam certo habitam, quippe nullum periculum frustrandi sacramentum imminet, ubi certa habetur jurisdictio : imminet autem ubi solum est probabilis : ergo illicita est sacramenti administratio cum probabili jurisdictione. Major est definita a SS. D. N. Innocentio XI, qui in suo decreto hanc propositionem damnavit, quæ est prior in ordine : « Non est illicitum in sacramentis « conferendis sequi opinionem probabilem « de valore sacramenti, relicta tutiore, « etc. » Minor autem a Tridentino decernitur, ut ex dictis dub. præc. liquet. Utraque vero consequentia est legitima. Subsumptaque minor inserta probatione constat.

Argument. difficile.

Propositio damnata.

Solutio Lugonis.

84. Huic objectioni respondit Lugo ubi supra § 1, num. 30, sacerdotem absolventem cum jurisdictione probabili extra mortis articulum, licet ac tute procedere, quia nullo periculo exponit pœnitentis salutem, eo quod si pœnitens non fuerit recte absolutus ab illo ministro jurisdictionis probabilis, potest ante mortem cum altero sacerdote certæ jurisdictionis iterum confiteri, et ab omnibus peccatis absolvi ; ab illis quidem, quæ tunc confitetur, directe : indirecte vero ab oblivioni datis, et ab aliis a priori sacerdote forsan non absoluti. In mortis autem articulo inquit per principia intrinseca sibi non videri ministrum posse licite absolvere cum probabilitate jurisdictionis, quamvis per principia extrinseca non esset condemnandus qui it absolveret.

Verum hæc doctrina argumenti difficultatem non diruit : nam licet ea salvari posset, sacerdotem non exponere pœnitentis salutem periculo damnationis : non tamen salvat sacerdotem absolventem cum jurisdictione probabili non exponere sacramentum periculo nullitatis ; sed qui it absolvit, illicite procedit : ergo licita non est absolutio extra mortis articulum cum probabilitate jurisdictionis. Minor constat tum quia exponere sacramentum periculo irritationis, est gravis irreverentia sacramento irrogata. Tum : nam ideo SS. Innocentius XI damnavit propositionem in argumento relatam ; quoniam qui in conferendis sacramentis, utitur sententia probabili de valore sacramenti relicta tutiore, illud exponit periculo nullitatis. Major autem ostenditur ; nam si dum sacerdos absolvit extra mortis articulum cum jurisdictione probabili, nulla esset contingentia frustrationis sacramenti, sed certa securitas valoris illius, nulla etiam esset contingentia, aut periculum damnationis pœnitentis ; si enim sacramentum securum est, eandem certitudinem, ac securitatem habebit, pœnitentis peccata remissa fuisse ; atqui pro certificanda pœnitentis salute recurrit ille author ad aliam absolutionem, quam pœnitens accipire potest ante mortem ab alio ministro certæ jurisdictionis ; ergo signum est, quod juxta hunc modum dicendi sacerdos absolvit cum formidine valoris sacramenti, atque ideo quod illud periculo frustrationis exponit.

Deinde ; differentia, quam statuit inter principia intrinseca certificantia de pœnitentis salute, ac valore absolutionis collatæ a ministro jurisdictionis probabilis extra mortis periculum, et non certificantia de eisdem si absolutio conferatur ab eodem ministro in periculo mortis subsistere non potest ; nam Christus eandem materiam, formam, et jurisdictionem instituit pro sacramentis in articulo mortis ministratis, ac pro aliis, quæ in reliquo vitæ tempore ministrantur : ergo si in articulo mortis imminet

imminet periculum damnationis pœnitentis, ac frustrandi sacramentum ministratum a sacerdote habente jurisdictionem probabilem, idem periculum aderit in eadem ministratione sacramenti facta pro alio tempore vitæ, aut econverso ; atque ideo vel in utroque eventu est ab intrinseco illicita illa absolutio, vel in utroque licita; imo consequentior aptiorque doctrina videretur illam absolutionem illicitam ac incertam in vitæ processu asserere, quia incerta ac illicita adhuc in mortis articulo. Hac ratione firmavimus ex D. Thoma in priori parte hujus tract. disp. 5, dub 7, § 7, attritionem sufficientem ad valorem confessionum, quæ decursu vitæ fiunt, sufficere etiam ad valorem illius, quæ in articulo mortis conficitur.

85. Relicta igitur hujusmodi solutione, ac aliis a diversis doctoribus excogitatis, quia eas insufficientes censemus, ut communem, ac legitimam proponamus, observandum est plura essentialiter desiderari ad cujuscumque sacramenti valorem, nimirum, materiam, formam, ac intentionem ministri, et ultra hæc ad valorem sacramenti pœnitentiæ exposcitur etiam essentialiter jurisdictio, ita ut quodcumque ex his deficiat, aut non concurrat, sacramentum irritum fiat. Ceterum licet hæc omnia essentialiter requirantur ex Christi institutione, hæc intercedit differentia inter jurisdictionem, ac alia essentialiter exacta, quod jurisdictio conceditur ministris ab Ecclesia, quæ ideo potest eam supplere, dum minister jurisdictionem non habet. Materia autem, forma, et intentio ministri longe aliter se habent ; nam si non apponuntur quæ a Christo instituta sunt, sacramentum non tenet, quia Ecclesia eas supplere non potest ; nequit enim formas, ac materias sacramentorum mutare, nec facere quod sit legitima materia sacramenti, quam Christus non designavit, aut non instituit. Ex quo fit, quod si quis annixus sententia probabili extra casum necessitatis baptizaret aqua rosacea, illicite sacramentum ministraret, eo quod et uteretur medio opinabili, et defectibili, relicto tuto ac certo pro salute proximi, et exponeret sacramentum periculo irritationis. Cum enim sacramenti valor sit pendens ex Christi institutione, si ab ipso essentialiter requisita non apponantur, sacramentum illud nullum erit. Contingens autem est, aquam rosaceam non esse partem aptam sacramenti : nam id ex Scriptura, Conciliis, aut Ecclesiæ declaratione non constat ; aliunde Ecclesia, ut dictum est, eam aptam facere non potest ; ac tandem sententia probabilis asserens esse materiam aptam, potest esse falsa. Quocirca qui extra eventum necessitatis illa materia uteretur ad conficiendum sacramentum, ex omni principio se exponeret contingentiæ frustrationis sacramenti.

Hinc ad argumentum respondetur primo, distinguendo majorem, quæ si intelligatur de his, quæ pertinent essentialiter per modum materiæ, formæ, aut intentionis ad valorem sacramenti, concedenda, vel omittenda est ; neganda vero intellecta de eo, quod pertinet essentialiter ad valorem sacramenti per modum jurisdictionis ; et concessa minori distinguendum est consequens eodem modo. Nec oppositum evincitur propositione damnata a SS. D. N. Innoc. XI, quippe solum primum, et non secundum intendit ; cujus ratio constat ex prænotatis ; nam Pontifex eo collimat, ut sacramenta discrimini nullitatis non exponantur, nec animæ contingentiæ irreparabilis damnationis. Hæc autem damna solum imminent, dum qui conficit sacramentum, apponit materiam, formam, aut intentionem probabilem, et incertam ; tunc enim si contingat, ut contingere potest ob sententiæ fallibilitatem, materiam, v. g. appositam non esse aptam, et a Christo institutam, cum Ecclesia defectum supplere nequeat, nec eam reddere aptam, discrimina, quæ imminebant, in re sequuntur, adeo ut sacramentum sit nullum, animæque salus deperdita, nisi aliunde reparetur. Dum vero quis in sacramenti pœnitentiæ administratione utitur jurisdictione satis probabili, oppositum militat : esto namque sententiam illam esse falsam contingat, cum Ecclesia, quoties adest error communis, certo moraliter jurisdictionem suppleat, et conferat, nulli periculo sacramentum est obnoxium, nec pœnitentis salus discrimini damnationis. Ex quo patet omittendam esse minorem subsumptam, et negandam consequentiam inde deductam : dummodo enim quis utatur medio certo ac tuto, non tenetur ad

1 Solutio

tutius ; alias cum intentio formalis sit tutior, quam virtualis, nemo licite posset sacramentum conficere cum virtuali intentione, sed ad formalem habendam cogeretur, quam semper habere moraliter impossibile est. Nec item pœnitens licite posset circumstantias non mutantes speciem omittere, aut absolutionem cum sola attritione supernaturali recipere, eo quod in plurium sententia tutior sacramenti pars sit contritio, circumstantiæque non mutantes speciem detegendæ, cujus oppositum satis constat ex communi Doctorum sententia, et ex supra statutis disp 7, dub. 1, num. 51, et sequent. Quamvis igitur permittatur, tutiorem esse absolutionem collatam cum jurisdictione ordinaria, aut delegata, quam cum jurisdictione probabili ; inde non sequitur hanc esse illicitam, quippe quæ tuta ac secura est, nulloque discrimini frustrandi sacramentum exposita ; et qui tuta via procedit, ad amplius non premitur.

Replica Nec refert, si opponas, Pontificem in prædictæ propositionis damnatione non dixisse illicitum esse in conferendis sacramentis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tuta, sed relicta tutiori : ergo si absolutio collata cum jurisdictione ordinaria, aut delegata quarum existentia est extra omnem opinionem, est tutior quam ea, quæ confertur cum jurisdictione probabili, hæc erit illicita, esto alias sit tuta. Non, inquam, refert : tum quoniam Pontifex intelligendus est de opinione probabili de his, quæ pertinent ad valorem sacramenti per modum materiæ, formæ, ac intentionis, quarum defectum Ecclesia supplere nequit, si quæ ad sacramenti formationem apponuntur, aptæ non sint : non vero de opinione graviter probabili circa jurisdictionem, quam modo dicto supplere valet, ac in re supplet. Tum etiam : quia triplex opinio probabilis consideranda est ; una, quæ sit conjuncta formidini de valore sacramenti ; alia, quæ connectatur morali certitudini, atque ideo tuta ac certa ; alia denique, quæ sit tutior, eo quod asserat non solum id quod est conforme legi, sed quod omnibus modis dicit majorem conformitatem. Pontifex igitur in damnata propositione loquitur de prima opinione probabili formidini conjuncta comparative ad tutam, non vero de ista respective ad tutiorem ; licet ali verba specie tenus oppositum indicare v deantur. Et ratio ex dictis patet : nam s lum intendit ne sacramenta exponant periculo nullitatis ; hoc autem locum h bet, dum quis utitur opinione probab formidolosa ; non vero cum est moralit certa ac tuta.

86. Secundo posset quis ad argumentu principale haud improbabiliter respo dere, concedendo totum primum syllogi mum, et negando minorem subsumptam cujus inserta probatio non urget ; na dum minister absolvit cum sententia ta ab intrinseco quam ab extrinseco ingent probabili jurisdictionis, non absolvit cu sola jurisdictione probabili, accontingent sed cum certo moraliter habita, eo quod sententia in re falsa sit, ob communem e rorem jurisdictio certo moraliter confer tur ab Ecclesia. Unde fit, ita absolvente nullo discrimini exponere sacramenti va lorem, et consequenter sententiam asse rentem illam absolutionem esse licitam nullo periculo esse expositam. Cum erg ut hæc sententia esset minus tuta quar opposita, deberet esse magis obnoxia peri culis, et hoc ita non fit : implicat enim id cui nullum periculum imminet, ess magis obnoxium periculis ; sequitur quo non sit minus tuta quam contraria. Tun etiam : quoniam licet metaphysice verun sit, episcopum, qui vere episcopus est, a parochum, qui vere est talis, habere juris dictionem ordinariam, atque ideo absolu tionem ab illis præstitam esse licitam, a omnino securam ; tamen non est verun metaphysice hunc hominem esse vere epis copum, aut parochum, vel ob defectun Baptismi, vel ob defectum intentionis mi nistrantis ordines, vel ob similem occul tam indispositionem ; et consequente metaphysice verum non est, hunc homi nem, qui episcopus aut parochus censetur habere jurisdictionem ordinariam absolu tionemque ab eo præstitam esse licitam ac securam ; sed tantum est verum mora liter, quatenus nulla est ratio suspicand de ejus ordinatione, ac jurisdictione ; sed qui absolvit cum jurisdictione probabili, habet etiam jurisdictionem certo moraliter ; ergo sententia docens non sufficere ad licite absolvendum jurisdictionem probabilem, sed esse necessariam ordinariam, non est magis

magis tuta quam opposita. Patet consequentia, tum quia jurisdictio non est magis certa in parocho, quam in absolvente cum sententia graviter probabili jurisdictionis obtentæ. Tum etiam : quia alias sequeretur, neminem posse licite absolvere præter illum, cui certo metaphysice, ac per divinam revelationem constat habere jurisdictionem ; quod satis absurdum est.

87. Dices, ministrum absolventem cum sententia probabili jurisdictionis non habere certo moraliter jurisdictionem ; nam hæc certitudo moralis nititur in eo quod Pontifex conferat jurisdictionem, dum sententia probabilis ministri in re est falsa ; sed certum non est, Pontificem in hoc eventu jurisdictionem conferre, sed tantum probabile, siquidem a pluribus negatur : ergo minister absolvens cum jurisdictione probabili non habet jurisdictionem certo moraliter, sed tantum probabiliter, ac contingenter ; atque ideo sententia docens hanc absolutionem esse licitam, non est ita tuta, ac opposita.

Respondetur, ministrum absolventem cum jurisdictione probabili habere duplicem certitudinem moralem jurisdictionis ; una, quæ oritur ex ipsa sententia : nam eo ipso quod aliquid sit graviter probabile satis ab intrinseco ratione fundamenti urgentis, quam ab extrinseco ob numerum, et authoritatem Doctorum id asserentium, est certum moraliter, ut patet in attritione supernaturali, quæ ob istam rationem est pars sacramenti moraliter certa, qua quisque licite uti potest, ut disp. 7, dub. 1, diffuse expendimus, præsertim a num. 53. Secunda provenit ex principio in objectione assignato, ex quo nimirum Ecclesia, ut Pontifex tribuat jurisdictionem absolventibus in vi illius sententiæ casu quo falsa sit. Quocirca si prior certitudo moralis non sufficit, adest secunda, quæ est præcipua, tollitque in praxi omnem formidinem frustrandi absolutionem ; hæc enim nunquam datur cum sola jurisdictione probabili, sed cum certitudine moali jurisdictionis ab Ecclesia collatæ. Esse autem certum moraliter, Pontificem supplere, aut conferre in hoc eventu jurisdictionem, constat ex his, quæ pro firmanda assertione adduximus. Nam Ecclesiæ pietas, et recta gubernatio ex Spiritus Sancti directione deficere non potest in rebus gravissimis, ac ad fidelium æternam salutem spectantibus : atqui si in casu de quo in præsenti non tribueretur certo jurisdictio, Ecclesiæ pietas, prudensque regimen in illis deficeret : siquidem videret plura sacramenta irrite fieri, totidemque animas perire, et his damnis non occurreret, cum facile posset vel prohibendo usum absolvendi cum jurisdictione probabili, vel conferendo jurisdictionem, ut illa sacramenta essent valida ac licita : ergo cum sit intolerabilis error dicere, Ecclesiæ pietatem, rectamque gubernationem in re adeo urgenti deficere, aliundeque usum illius absolutionis non prohibuerit, omnino certum moraliter erit tribuere jurisdictionem ministris absolventibus cum jurisdictione probabili ; alias necessario concedendum est, Pontificem, cui cura animarum præcipue incumbit, gravissime delinquere, remedia illis damnis non apponendo. Nec obest (ut insertæ minoris probationi occurramus) quosdam doctores oppositum docere, ut non sit certum moraliter Ecclesiam in prædicto casu conferre jurisdictionem ; sicut certitudo moralis sententiæ asserentis attritionem supernaturalem esse partem aptam sacramenti, non infringitus ex eo quod multis oppositum arrideat. Id quod aliis instantiis explicuimus in priori hujus tract. parte, disp. 5, dub. 7, num. 307. Et quidem vix est aliquid quantumvis certum non tantum moraliter, verum etiam metaphysice, cui aliqua non opponatur sententia, ut liquet in illo principio lumine naturali noto : *Omne, quod movetur, ab alio movetur* ; quod tamen a nonnullis negatur.

Ex his autem secunda principalis argumenti solutio urgentius confirmatur. Nam juxta nostram sententiam salvantur valida ac licita pene infinita sacramenta, quæ bona fide ministrantur, ac recipiuntur ; salvatur deinde Ecclesiæ pietas, ac rectum regimen, sanaque Prælatorum conscientia, præsertim pontificis, qui gravissime suo muneri deficeret, si nec usum absolvendi cum jurisdictione probabili impediret, nec jurisdictionem ita absolventibus certo ac positive concederet. Hæc autem non salvat sententia contraria, sed opposita inconvenientia devorare, inque adeo terribiles scopulos se conjicere cogitur : ergo non magis tuta est, quam quæ docet absolutio-

Præcedens solutio roboratur.

nem cum jurisdictione graviter probabili collatam esse licitam:

DUBIUM VIII.

An, et pro quibus confessionibus egeat minister approbatione Ordinarii.

Disseruimus hactenus de potestate ordinis, et potestate jurisdictionis omnino requisitis in ministro sacramenti pœnitentiæ, ut licite, et valide absolvat. Ad disputationis vero integritatem agendum superest de approbatione ab ordinario obtinenda. Porro intercedere distinctionem inter approbationem, et jurisdictionem, liquido apparet tum ex separatione utriusque: potest quippe minister approbationem obtinere, et nullam accipere jurisdictionem, idque de facto contingit in peccatorum reservatione, vi cujus removetur jurisdictio ab inferiori sacerdote quoad peccata reservata, retinente approbationem. Tum etiam ex diversitate principiorum unde oriuntur: quippe in regularibus approbatio habetur ab ordinariis; jurisdictio autem a Summo Pontifice illis privilegia quamplurima concedente, ut fidelibus absolutionem subministrent. Tum deinde ex diverso ordine, ad quem spectant, cum jurisdictio referatur ad ordinem gratiæ; est enim facultas libere, et gratiose a superiori concessa judicandi, et ferendi sententiam in proprios subditos, quos committit accipienti jurisdictionem; approbatio vero ad ordinem justitiæ, contra quam delinquit qui approbationem denegat examinato, ubi idoneus invenitur. Tum denique, et a priori: nam jurisdictio est quædam superioritas, aut facultas, per quam quis constituitur in ratione habendi subditos, in quos potestatem ligandi, et solvendi sacramentaliter exerceat; at approbatio est judicium, aut sententia superioris declarantis idoneitatem ministri pro confessionibus excipiendis, quam declarationem authentice, et scripto fieri opus non est; sed sufficit si verbotenus exhibeatur, ut sæpe contingere cum Suario, et Bonacina observat Palaus disp. unic. punct. 17, § 1, num. 5. Cum ergo approbatio sit unum ex his, quæ in ministro desiderantur ad absolvendum, quærimus quo pacto; et pro quibus confessionibus sit necessaria?

Palaus, Suarez, Bonac.

A qua difficultate breviter expediemu quia non multi negotii est.

§ I.

Ordinarii approbationem esse omnino necessariam in ministro pro sæcularium confessionibus declaratur.

88. Omnes sacerdotes regulares, a sæculares, præter beneficium curatu habentes, indigere Ordinarii approbatior ut valide sæcularium confessiones exc piant, definitum est in Concilio Tridenti sess. 23, cap. 5, de reformatione, ubi h habet: « Quamvis Præsbyteri in sua ord « natione a peccatis absolvendi potest « tem accipiant; decernit tamen Sanc « Synodus, nullum, etiam Regularem « posse confessiones sæcularium, etia « sacerdotum, audire, nisi aut parochia « beneficium, aut ab Episcopis per ex « men, si illis videbitur esse necessariu « aut alias idoneus judicetur, et approb « tionem, quæ gratis detur, obtineat, pr « vilegiis, et consuetudine quacumqu « etiam immemorabili, non obstantibus. Quod decretum non procedit indefinite, universaliter circa omnium fidelium co fessiones, sed loquitur determinate de co fessionibus sæcularium, pro quibus exc piendis duplicem ministrum designat, v approbatum ab Episcopis, vel habente beneficium parochiale, et secludit quen cumque alium, adeo ut confessiones il faciendæ irritæ sint, et inanes. Cujus r tio est, quia pro valore sacramenti ult potestatem ordinis necessaria est in mini tro potestas jurisdictionis, ut constat e eodem Trident. sess. 14, c. 7, quarum qua libet deficiente redditur absolute impoter ad absolvendum. Concilium autem lic removere non possit a sacerdotibus pote tatem ordinis, quam semel acceperun uti supponit dum præmittit illa verba « Quamvis presbyteri in sua ordinatio « a peccatis absolvendi potestatem acc « piant; » nihilominus removere pote concessam jurisdictionem, vel non co cessam denegare, de factoque deneg ministris non approbatis, decernendo ec esse incapaces illam obtinendi, ab Eccle siaque non concedi, nec concedendam ni obtenta approbatione, quod circumloqu tur

tum est dum addit : « Decernit tamen « Sancta Synodus, nullum etiam Regula- « rem posse ; » quod verbum absolute potentiam ad absolvendum tollit, ut erudite demonstrat Sanchez lib. 6, de Matrim. disp. 38, num. 20. Cum ergo jurisdictione deficiente absolutio irrita existat, palam est Concilium annullasse confessiones cum ministro non approbato, vel non habente beneficium parochiale. Quæ est doctrina communi sensu fidelium, generalique consensu Doctorum firmata.

89. Ex hoc autem Concilii decreto non pauca colligere possumus, quin opus sit pro eorum decisione specialia dubia aperire. Colligitur ergo primo, nullum hisce temporibus extare privilegium, vi cujus possint Regulares sæcularium confessiones excipere sine approbatione Ordinarii. Pro cujus luce observa, Regulares plura olim privilegia obtinuisse, ut sæculares absolverent, etiamsi approbationem Ordinariorum non obtinuissent. Quippe Alexander IV, Urbanus IV, et Clemens IV, Mendicantibus facultatem concesserunt excipiendi confesiones illorum fidelium, qui ad eorum conciones audiendas convenirent. Et Bonifacius VIII, *in Extravaganti super Cathedram : § Quod si forte jam dicti Prælati*, concessit Religiosis, ut si legitime præsentati coram episcopis, ab his sine justa causa dimitterentur, et non approbarentur, possent absque alia diligentia omnium fidelium confessiones excipere. Quod privilegium renovatum fuit a Clemente V, cum Concilio Viennensi *in Clementina Dudum de sepulturis*. Idemque concesit Leo X, in Concilio Lateranensi Minoribus, ut videre est apud Paulum Piasentium in praxi Episc. part. 2, cap. 3, num. 4. Et Joannes XXII, *in Extravag. Frequentes de judiciis* nominatim extendit ad Augustianos, et Carmelitas. Imo Benedictus XI concessit, ut religiosi etiam sine præsentatione, et licentia episcoporum id ipsum efficere possent. Ceterum hæc omnia privilegia Concilium Tridentinum præcessere, cunctaque fuisse revocata constat ex illis verbis : « Privilegiis, et consuetudine « quacumque etiam immemorabili non « obstantibus. »

Unde audiendus non est Navarrus, contendens privilegia Clementis V, et Leonis X, derogata non esse per Tridentinum, sed in eodem statu ac antea persistere, eo quod cum in corpore juris inserta sint, et in Conciliis Generalibus Viennensi, et Lateranensi recepta, vim legis Conciliariæ obtinuerunt ; leges autem in corpore juris insertæ minime derogantur, nisi earum specialis mentio fiat, vel saltem universalis Concilii in genere, nec sufficit universalis clausula juxta principia Jurisperitorum. Quocirca Tridentinum mentionem non faciens nec eorum Conciliorum in genere, nec privilegiorum in speciali, ea revocasse credendum non est. Audiri igitur non debet : nam quidquid sit de probabilitate, quam olim hæc sententia habuerit, et quam multi, et non contemnendi Authores docuere, jam nullam habere constat ex decreto SS. D. N. Alexandri VII, die 24 Septemb. anno Domni 1665, condemnantis hanc propositionem, quæ est 13 : « Satisfa- « cit præcepto annuæ confessionis, qui « confitetur Regulari Episcopo præsentato, « sed ab eo injuste reprobato ; » quod et non aliud intendebat ea sententia, cum ea privilegia in corpore juris inserta solum contineant posse Regulares præsentatos coram episcopis, et injuste reprobatos, vel sine rationabili causa non admissos, fidelibus absolutionem impendere. Nec motivum Navarri aliquid suadet : nam illa regula, quod privilegia juris inserta non derogantur, nisi de illis specialis mentio fiat, solum tenet ubi Pontifex, aut Concilium extra jus commune per aliquam privilegii concessionem, bullam, aut legem particularem aliquid contra jus commune indulget, aut determinat ; non vero ubi Pontifex, aut Concilium legem generalem statuit : tunc enim antiquam legem communem, cui nova contrariatur, censetur tollere etiam per clausulam generalem, cum Concilium Concilio derogare possit nova jura statuendo, per quæ antiqua corrigantur.

Improbat.

Alex. VII.

Propositio damnata.

Enim vero, quia post Tridentini decretum nonnullis regularibus nova privilegia concessa sunt, ut episcopi examine non præcedente sæcularium confessiones excipere possent, tandem Urbanus VIII, in Bulla anno 1629 expedita, quæ habetur in 4 tom. Bullar. inter hujus pontificis constitutiones, num. 92 revocavit, et annullavit omnia, et quæcumque privilegia quibuscumque Religionibus, et Societati-

bus quoad id concessa. Quocirca hisce temporibus nullum extat, quo Regulares uti possint ad absolvendum sæculares approbatione episcopi non præcedente ; quod etiam constat ex propositione damnata ab Alexandro VII, quam nuper adnotavimus.

Consect. 2. Sententia. Nugnus, Llamas. Henriq. Delgad. Gallego, Valer. Ludovic a S. Joanne.

90. Colligitur secundo, prælatos regulares non posse sæcularium confessiones audire sine episcopi approbatione. Oppositum hujus consectarii docuerunt Nugnus in addit. ad 3 p. quæst. 8, art. 5, dub. 8, ad 9 arg. Lamas 1 part. cap. 6, § 6, Henriquez lib. 6, cap. 6, num. 2, Delgadillo cap. 19, dub. 34, Gallego in Bull. Cruciat. cap. 9, dub. 84, Valerus, Ludovicus a S. Joanne, et alii. Quorum sententia suaderi potest : quoniam Concilium non exigit episcopi approbationem in habentibus beneficium parochiale, quin expresse excluduntur ; atqui prælati regulares sunt quodammodo parochi suorum subditorum, siquidem illis jure ordinario doctrinam, sacramenta, et sepulturam ministrant, in quo animarum cura, et officium parochi sita sunt : ergo censendum est, Concilium eos sub nomine parochi comprehendisse, proindeque Ordinarii approbatione non indigere.

Vera sententia.

Sed nostra resolutio est communis Theologorum sententia, et omnino vera : etenim Concilium universaliter statuit neminem esse aptum, vel posse de cetero confessiones sæcularium excipere, nisi vel parochum, vel ab episcopo approbatum ; sed prælatura, licet quoad munia instruendi subditos congruenti doctrina, illisque conferendi sacramenta, et sepulturam, beneficio parochiali assimiletur ; nihilominus absolute loquendo non est beneficium parochiale, cum non sit jus percipiendi fructus, et redditus ob officium ministrandi sacramenta, in quo ratio beneficii consistit, ut docent tam Theologi, quam Jurisperiti ex doctrina cap. fin. *de rescriptis in* 6, atque ideo nomine beneficii non venire Regularium prælaturas tenent ex communi sententia Bonacina quæst. 7, de Simonia part. 1, punct. 1, § 2, num. 4, et Rodriguez tom. 2, quæst. 26, art. 2. Ergo cum ex vi Tridentini dumtaxat fiant immunes ab obligatione obtinendi approbationem habentes beneficium parochiale, consequens est prælatos regulares episcoporum examini subjectos reliquisse. Adde primo, Tridentinum in præsentiarum agere de approbatione requisita pro confessionibus sæcularium ; prælati autem regulares licet ex vi sui officii jurisdictionem habeant, non tamen in sæculares ; unde pro istorum confessionibus non statim censendi sunt approbati, sicut parochi ; qui cum in eosdem sæculares ordinaria jurisdictione fungantur, congruum fuit ut ab obtinenda approbatione excluderentur.

Bonac. Rodrig.

Adde secundo, parochos non venire nomine prælati, atque ideo licet in cap. ultim. *de pœnitentiis, et remissionibus* concedatur prælatis tam superioribus, quam inferioribus facultas eligendi sacerdotem simplicem in confessorem, id non intelligitur etiam de parocho, ut constat ex decisione Alexandri VII, die 24 septembris ann. 1665, condemnantis hanc propositionem, quæ inter alias est 16 : « Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessorem simplicem sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » Ergo e converso, nec prælati regulares veniunt nomine parochi, ut illis Concilium faveat quoad non obtinendam approbationem ab Ordinario. Adde tertio, quod sicut prælati regulares dicuntur quodammodo parochi suorum subditorum, ita etiam dicuntur quasi episcopi : et tamen ubi Tridentinum statuit, approbationem obtinendam esse ab episcopis, nemo asserit nomine episcoporum intelligendos esse etiam regulares prælatos ; a quibus obtineri debeat approbatio pro sæcularium confessionibus : ergo nec ubi Concilium excludit parochos ab approbatione, intelligendi sunt prælati regulares nomine parochorum, esto alias utcumque parochi nuncupentur. Per quæ satis constat ad oppositæ sententiæ motivum. Atque ita docent N. Franciscus tract. 6, cap. 11, punct. 7, num. 93, N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 1, num. 45, Suarez disp. 28, sect. 4, num. 21, Lugo disp. 21, sect. 1, num. 9, Rodriguez in explic. Bullæ, § 9, dub. 1, n. 4, Diana tom. 1, tract. 2 Miscell. resol. 43, Dicastillo disp. 10, dubit. 9, num. 165, N. Antonius tract. 5, disp. 18, sect. 4, Ledesma cap. 13, diffi. 4, et 6, post prim. conclus. Candidus disquisit. 24, art. 64, num. 5, Bordon tom. 2, resol. 36, num. 55, Bosius tract. de Jubilæo cas. 2, § 2, num. 53, Mendo in Bull. disp. 22, cap. 2,

n. 30, Hurtado tract. 2, cap. I, dub. 2, Moya in select. tract. 7, disp. 7, quæst. 3, Ludovicus a Cruce in Bull. disp. I, cap. 2, dub. 11. Quintanaduenas de Jubilæo duar. Hebdomad. cap. 1, Leander disp. 11, quæst. 62, Cespedes, Martinus a S. Joseph, et alii apud recensitos.

91. Colligitur tertio, Doctores, Magistros, Licentiatos, et alias quocumque gradu insignitos in Theologia aut jure Canonico, approbatione Ordinarii indigere ad audiendas sæcularium confessiones. Nec probabilem censemus sententiam Llamas I part. method. cap. 7, § 7, et aliorum, quos refert Henriquez, asserentium omnes in consectario recensitos jure ipso, et Academiæ testimonio idoneos censeri, aliamque approbationem non esse necessariam. Etenim Concilium, ut ex dictis liquet, neminem præter habentes beneficium parochiale excludit ab approbatione; Magistros autem, Doctores, et Licentiatos non venire nomine habentis beneficium parochiale extra dubium est, nec oppositum ratione aliqua vel apparenti suaderi potest. Et quamvis Tridentinum subdat eam disjunctivam : *Aut alias idoneus judicetur;* intelligenda non est de judicio Universitatis, vel Academiæ, ubi graduantur, sed de judicio episcoporum, quibus præsentantur, et quorum prudentiæ committitur, Prælatos, Magistros, Doctores, et alios viros sapientes, his titulis idoneos censendos, examini non subjicere. sed isto non præmisso, illis, ut decet, approbationem impendere. Tum etiam, et præsertim, quia ita habetur expresse in Bulla SS. D. N. Pii V, edita anno 1571, die 6 Augusti, quæ refertur a Cherubino tom. 2, pag. 259, quæque, § 2, ita habet : « Nos super « his pro debito pastoralis officii, prout « tenemur, salubriter providere volentes, « tenore præsentium hac nostra constitu- « tione perpetua sancimus, decernimus, et « declaramus decretum Concilii Tridentini « de approbatione Regularium audiendis « confessionibus sæcularium præposito- « rum ab episcopis facienda, observari « debere etiam in omnibus Regularibus « quorumvis Ordinum, etiam mendican- « tium, etiam sub regulari disciplina vi- « ventibus, etiam, si sint Lectores, aut in « Theologia etiam de superiorum suorum « licentia graduati, vel promoti, vel a suis « Magistris generalibus, vel Provinciali- « bus ministris sæcularium confessionibus « audiendis expositi. » Et post pauca : « Inhibentes ne absque speciali in poste- « rum licentia, et approbatione ab Ordi- « nariis obtinenda, sæcularium confessio- « nes audire præsumant. Decernentes irri- « tum, et inane, si secus super his a « quoquam quavis authoritate scienter vel « ignoranter contigerit attentari. « Et tandem revocat omnia, et quæcumque privilegia quoad hæc Regularibus concessa. Tenent Lugo disp. 21, sect. 1, n. 1, Dicastillo disp. 10, dubit. 9, num. 266, Fagundez 2 præcep. lib. 7, cap. 2, num. 68, Palaus disp. unic. punct. 13, § 2, num. 2, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 11, num. 2. Barbosa 2 part. de potest. Episcop. alleg. 25, num. 6, Suarez disp. 28, sect. 4, num. 3, Granados tract. 10, disp. 5, sect. 1, nu. 4, Mendo, Tamburinus, N. Lezana, Filliucius, et alii, quos refert, et sequitur N. Franciscus tract. 6, cap. 11, punct. 7, num. 94. Lugo, Dicast. Fagund. Palaus, Layn. Suarez. Barb. Granad. N. Lezana. N. Francis. Tamb. et alii.

92. Colligitur quarto, regulares, qui sine licentia, et præsentatione suorum prælatorum approbationem, et jurisdictionem ab episcopis obtinuerunt, posse valide sæcularium confessiones excipere. Diximus *valide*, quia an possint licite? Regulandum est penes cujuslibet Ordinis statuta, et superiorum præcepta, ita ut subditi graviter aut leviter delinquant juxta gravem, aut levem obligationem præcepti, aut legis id interdicentis, uti recte observant N. Franciscus ubi supra n. 110, N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 2, num. 46, Canus, et Navarrus, quos refert, et sequitur Leander quæst. 76, Aversa qu. 16, sect. 6, Diana cum Molosio, et Magala tom. 1, tract. 11, resol. 13, et alii. Diximus item : « Si jurisdictionem ab « episcopis obtinuerunt. » Si enim Religiosi a suis prælatis non præsentati solum approbationem ab episcopo accipiant, non posse etiam valide sæcularibus absolutionem impendere, compertum est. Quoniam pro valore sacramenti necessaria est jurisdictio; hæc autem in eo eventu non habetur ab Episcopo, ut supponimus, nec aliunde a Summo Pontifice, siquidem Pontifex jurisdictionem non concedit Regularibus a suis prælatis non præsentatis episcopis, et sine eorum licentia, ut cons- Consectarium. 4. N. Francis. N. Andr. Canus. Navar. Leand. Aversa. Diana, et alii. Limit. 2 Limit. 3.

tat ex jure antiquo *in Clementina : Dudum de sepulturis, et in Extravaganti Bonifacii VIII, super Cathedram.* Ex quo ulterius fit, hujusmodi Regularem non habentem licentiam, et præsentationem sui prælati, sed solam approbationem, et jurisdictionem ab episcopo acceptam, non posse absolvere sæculares a casibus reservatis in virtute privilegiorum Ordinis, nec in eorum votis, et irregularitatibus dispensare, uti possunt alii religiosi a prælatis expositi, et designati : nam ea privilegia ita conceduntur Regularibus, ut eorum usus sit juxta prælatorum licentiam, et dependenter ab eorum voluntate, et subordinatione, ut constat ex Julio II, Pio V, Leone X, et Clemente VIII, relatis a Lezana tom. 1, cap. 18, num. 26. Quocirca dumtaxat possunt absolvere sæculares eo modo, quo alii sacerdotes episcopis subjecti, et ab eo jurisdictionem obtinentes.

Julius II. Pius V. Leo X. Clem. VIII. Lezana.

Consectarium igitur in hoc sensu, et sub his limitationibus acceptum, satis constat ex dictis. Nam pro sæcularium confessionibus valide excipiendis sufficiunt, et requiruntur in ministro potestas ordinis, jurisdictio, et approbatio episcopi ; hæc autem omnia inveniuntur in regularibus de quibus loquimur ; quippe jurisdictio, de qua poterat esse difficultas, habetur ab episcopo, qui cum eam habeat jure ordinario, potest illam cui voluerit delegare, si idoneum, et aptum comperiat. Et quidem ubi Concilium assignat in ministro regulari quæ requiruntur ad sæcularium confessiones valide audiendas, nihil aliud præter recensita exposcit, nec de prælatorum licentia, et præsentatione meminit. Poterunt igitur regulares in eo eventu valide sæcularibus absolutionem impendere, non utique per jurisdictionem in privilegiis a pontifice acceptam, sed tanquam delegati espiscoporum, et ad instar sacerdotum sæcularium. Consentiunt N. Francisco cap. 11, punct. 7, num. 109, N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 2, n. 48, N. Valentin. trac. 1, cap. 1, § 5, num. 41, N. Lezana tom. 3, verbo *Confessor*, num. 2, Rodriguez tom. 1, quæst. 60, num. 3, N. Antonius tract. 2, disp. 3, sect. 1, num. 20, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 10, num. 19, Pellizarius tom. 2, tract. 8, cap. 3, sect. 1, num. 17, Miranda tom. 1, qu. 46, art. 12, Zerola cap. 16, de pœnit. qu. 7, Homobonus p. 2, resp. 102, § *Dixi*. Candidus disq. 24, art. 56, dub. 11, Perinus tom. 2, de subdit. quæst. 1, de obedient. cap. 12, concl. 2, Graffis 1 p. lib. 1, cap. 13, n. 88, Delbene tom. 2, cap. 14, dub. 18, nu. 1, Magala, Peregrinus, et Molfesius apud Aversam quæst. 16, sect. 6, Joannes de la Cruz, Salas, Villalobos, Nugnus, Angelus, et Pitigianus, quos refert, et sequitur Diana 1 p. tract. 11, resol. 13, et alii.

N. Francis. N. Andr. N. Valent. N. Lezana. N. Anton. Rodrig. Laym. Pelliz. Miranda.

93. Nec refert, si cum Palao tract. 23, disp. unic. punct. 17, § 1, num. 7, Henriquez, Bordon, Fagundez, Stratio, Sylvestro, et aliis, quibus opposita sententia arridet, objicias primo nullam esse approbationem datam religiosis, qui tacite, vel expresse a suis prælatis præsentati non fuerint. Id quod liquet ex jure antiquo *in Clementina Dudum de Sepulturis, et in Extravagant. Bonifacii VIII super Cathedram.* Tridentinum autem dum statuit approbationem ministri esse necessariam pro confessionibus sæcularium, non revocat jura antiqua, quæ cum decreto Tridentini compossibilia sunt. Secundo, quia episcopus nequit regularem approbare a suo prælato non expositum, cum approbatio sit actus jurisdictionis, quam episcopus in regularem exemptum exercere non potest, nisi alias ei subditus fiat per sui prælati præsentationem. Non, inquam, refert : nam ad primum respondetur, solum concludere, regularem prælati licentiam non habentem non posse sæculares absolvere per jurisdictionem a pontifice acceptam ; secus vero in vi jurisdictionis ab episcopo delegatæ. Etenim ea privilegia, aut jura antiqua, quæ quoad hanc partem revocata non esse libenter concedimus, dumtaxat in regularibus prælatorum licentiam, et præsentationem exposcebant, ut a pontifice facultatem absolvendi sæculares obtinerent, quæ illis concedebatur etiam si alias ab episcopis dimitterentur, vel injuste reprobarentur. In præsentiarum autem solum asserimus, posse regulares sæcularium confessiones excipere obtenta approbatione, et jurisdictione ab episcopo, quam illis delegare potest, etiam prælatis renuentibus. Ad secundum dicendum est, Concilium subjecisse regulares exemptos episcopis quoad approbationem; quocirca possunt jurisdictionem, quam in actu examinis habet

Ratio consectarii.

D

habent. in regulares exercere eo ipso quod approbationem exposcant, etiamsi prælatorum licentia non obtineatur.

94. Colligitur quinto, parochum non posse simplicem sacerdotem exponere, vel illi suam jurisdictionem delegare pro confessionibus suorum parochianorum. Tum quia Tridentinum statuit nullum esse aptum ministrum pro confessionibus sæcularium, nisi parochum, vel approbatum ab episcopo. Tum etiam, quia licet in cap. *Placuit*, et in cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnitent. et remission.* concedatur parochis facultas delegandi jurisdictionem cuilibet sacerdoti prudenti judicio idoneo, nihilominus si nomine sacerdotis idonei intelligitur etiam non approbatus, ut plures volunt, Concilium ea privilegia, esto alias iuri inserta, quoad hanc partem revocasse, et potuisse, constat ex dictis n. 89, et quidem Concilium illa privilegia seu jura non revocavit, quoad facultatem concessam parochis delegandi jurisdictionem sacerdoti idoneo; declaravit tamen quis talis censendus sit, excludendo non approbatos, ut præcideret parochorum abusum committendi suas oves ineptis; post quam declarationem nequeunt simplices sacerdotes eam delegationem accipere. Tum, et præsertim, quoniam parochus non potest sibi eligere in confessorem simplicem sacerdotem, ut constat ex propositione damnata ab Alexandro VII, quam dedimus num. 92: ergo nec illum pro suis ovibus exponere. Patet consequentia: nam qui potest jurisdictionem delegare alteri, ut subditum absolvat, potest illum in sui confessorem eligere, et uti pro se eisdem licentiis, quas subditis concedit, ut omnes docent cum D. Thoma in 4, dist. 20, quæst. 1, art. 1, quæstiunc. 4, ad 1. Quocirca eo ipso, quod pontifex illam propositionem damnaverit, videtur damnasse, et alteram priori connexam. Tum denique, quia ita declaravit congregatio Concilii Tridentini, ut videre est apud Petrum Fray quæst. 8, art. 5, disp. 1. Unde hanc sententiam amplectuntur N. Andreas ubi supra num. 53, Lugo disp. 21, sect. 1, num. 6, Villalobos tom. 1, tract. 9, diffic. 49, num. 9, Suarez ubi supra sect. 4, num. 12, Diana tom. 2, tract. 4, de sacrament. resol. 46, Moya disp. 7, quæst. 2, § 2, num. 23, Fagundez de 2 præcept. Eccl. lib. 7, cap. 2, num. 43, Sanctius in select. disp. 48, num. 11, Martinus a S. Joseph tom. 1, lib. 1, tract. 24, num. 5, Granados, Ægidius, et alii.

95. Tandem colligitur, ministrum indigere approbatione ad audiendas confessiones episcoporum, cardinalium, et aliorum prælatorum sæcularium etiam jurisdictionem quasi episcopalem habentium; vel quod in diem redit, non posse hujusmodi prælatos eligere sibi in confessorem sacerdotem simplicem ab ordinario non approbatum. Diximus *Prælatorum Sæcularium*: nam de regularibus diversa ratio est, cum pro nullius regularis confessione audienda episcopi approbatio exigatur, ut ex dicendis § sequenti constabit. Veritas igitur consectarii liquet ex eodem Tridentino necessitatem approbationis universaliter statuente pro confessionibus omnium sæcularium etiam sacerdotum, proindeque comprehendere debet etiam episcopos, et quoscumque alios sæculares prælatos: alioqui nec nomine sæcularium comprehenderet reges, et alios principes; quod nemo docuit. Itaque privilegium in cap. fin. *de Pœnit. et remission.* episcopis concessum eligendi sibi in confessorem sacerdotem providum, et idoneum, vel revocatum est a Tridentino, vel saltem explicatum apponendo ex parte confessoris approbationem tanquam conditionem necessariam, ut censeatur idoneus; ut in simili diximus num. præcedenti. Eo vel maxime, quia ita constat ex declaratione SS. D. N. Gregorii XIII. Etenim cum Romæ de re actum fuisset in congregatione decem cardinalium, eorum suffragia, et placita divisa sunt. Consultus autem summus Pontifex respondit: « In re dubia tutius est adhærere « Concilio Tridentino. » Et in declaratione cardinalium 1158, relata a Suarez ubi supra sect. 4, n. 8, et sect. 6, num. 7, habetur: « SS. N. D. audita relatione Con« gregationis declaravit, episcopum vigore « privilegii, de quo in cap. fin. de pœnit. « et remiss. non posse sibi eligere sacer« dotem sibi non subditum, qui a proprio « Ordinario non fuerit adhuc ad formam « hujus decreti admissus, seu approbatus « ad audiendas confessiones. » Ex quibus habes, episcopum in sua diœcesi existentem posse confessionem facere cum quolibet sacerdote etiam simplici, dummodo iste sit subditus episcopi sive ratione habitatio-

Consect. 6.

Gregor. XIII.

Suarez.

nis permanentis intra eandem diœcesim, sive transeuntis. Cujus ratio est, quia eo ipso quod episcopus illum sibi in confessorem eligat, censetur ei approbationem pro ea confessione impendere, atque adeo jam hujusmodi sacerdos non simplex, sed approbatus dicendus. Ceterum si episcopus extra suam diœcesim existat, nequit confessionem facere cum sacerdote sibi subdito, aut non subdito, nisi approbatus sit ab Ordinario illius loci, in quo fit confessio. Id quod et non aliud intendimus in consectario. Et docent Lugo disp. 21, sect. 1, nu. 3, Palaus punct. 15, § 2, num. 4, Coninchus disp. 8, dub. 7, num. 40, Suarez ubi supra sect. 4, num. 8, Bonacina disp. 5. q. 7, punct. 4, num. 16, Fagundez de 2 præcep. Eccles. lib. 7, cap. 2, num. 79, et 80, Toletus lib. 3 summ. cap. 13, num. 5, Barbosa 2 p. de potest. Episc. alleg. 25, num. 9, plures referens; et cum multis Leander disp. 11, quæst. 28.

Lugo, Suarez, Coninch. Palaus. Fagund. Toletus, Bonac. Barbosa, et alii.

Quæstiunc. 1.

96. Circa intelligentiam vero decreti Tridentini hactenus explicati, duo occurrunt dubiola, quæ decidere opus est. Inquires ergo primo, an teneat approbatio ministri, quæ ab episcopo simoniace, vel pretio accepto confertur? Cui quæstiunculæ occasionem præbet Concilium, dum subdit: « Et approbationem, quæ gratis detur, « obtineat. » Nec quærimus an sit illicita? Id enim omnes supponunt; sed dumtaxat an teneat, vel sit valida? Et resolutio est affirmativa: nam ea verba Concilii non continent conditionem ex parte approbationis se tenentem, qua deficiente approbatio fiat irrita; sed apponuntur præceptive episcopis, ut liquet ex illo modo loquendi. *Quæ gratis detur:* id quippe episcoporum obligationem commendat, et præceptum designat. Quocirca si accepto pretio etiam tenuissimo conferatur, gravissime ordinarii delinquent, cum simonia materiæ parvitatem non admittat; non tamen approbatio annullatur. Accedit, pœnas extendendas non esse nisi ad casus jure expressos: in jure autem nullibi habetur approbationem simoniace acceptam esse nullam, et quoties invaliditas actus non constat, præsumitur ejus valor. Tenent N. Franciscus punct. 7, num. 92, Lugo ubi supra sect. 1, num. 26, Suarez disp. 28, sect. 5, num. 19, Reginaldus lib. 1, nu. 180, dub. 3, Palaus punct. 17, § 1, num. 6, Bonacina disp. 5, quæst. 7, punct. 4, § 1, in fine. Leander disp. 11, quæst. 80, alios referens. Observandum tamen est cum Lugone, approbationem pretio acceptam, et ex vi Tridentini non irritam, posse aliunde talem fieri, ut si contingat aliquem simoniace approbari ad collationem beneficii; tunc quippe cum ex jure constet hanc beneficii collationem esse nullam, etiam ipsa approbatio indirecte redditur irrita. Idem censendum est, si approbatio pretio obtineatur Romæ a Vicario Pontificis: omnia enim, quæ pretio accipiuntur a Sede apostolica, invalidantur a S. S. D. N. Gregorio XIII in Bulla *de datis, et acceptis.*

Resolutio.

N. Francis. Lugo. Suarez F... Regin. Palaus. Leand.

97. Inquires secundo, an sit valida approbatio collata illi, quem episcopus interiori judicio censet inhabilem ad munus audiendi confessiones? Episcopum ita procedentem graviter delinquere, nemo negat; sed dumtaxat dissensio est, an ea approbatio teneat? Quæ difficultas oritur similiter ex verbis Tridentini dicentis: « Aut alias « idoneus judicetur, et approbationem ob« tineat. » Ubi utrumque exposcere videtur, et interius judicium de idoneitate ministri, et approbationem exterius collatam. Quo motivo ducuntur Barbosa ubi supra alleg. 25, num. 20, et cum Reginaldo, Bonacina disp. 4, qu. 7, punct. 4, § 1, num. 29, ad sententiam negativam. Affirmative tamen respondendum est: quoniam approbatio est quædam sententia lata ab episcopo ut judice; sententiam autem a legitimo judice prolatam, etiamsi alias illicite proferatur, esse validam, et illi standum omnes consentiunt. Tum etiam, quia Ecclesia de occultis non judicat, maxime circa ea, quæ spectant ad valorem sacramentorum ex ipsius Ecclesiæ instituto, et dispositione: ergo ubi Concilium dicit: « Aut alias idoneus « judicetur, » censeri non debet loquutum fuisse de interna episcopi existimatione, sed de externo judicio, quod fit in Ecclesia mediante approbationis sententia. Accedit, quod alias quam plurima sacramenta dubia redderentur, nec pœnitentes, nec sacerdotes de eorum valore certificari possent: quomodo enim illis constaret episcopum internum judicium de idoneitate ministri efformasse, præsertim circa eos sacerdotes, quos vulgus non ita peritos censet, et alias approbatos videt? Non igitur necessaria est ea interior mentis conceptio pro valore approbationis, atque

atque ideo nec pro valore sacramentorum, quæ in virtute illius ministrantur. Unde hanc sententiam ut omnino veram docent Lugo ubi supra sect. 1, num. 25, N. Franciscus punct. 7, num. 91, Suarez disp. 28, sect. 5, num. 7, Leander disp. 11, quæst. 4, ubi refert Bosium. Palaus punct. 17, § 1, n. 2, Aversa quæst. 16, sect. 6, et alii.

Nec adversariorum motivum urget : nam ut constat ex dictis ea verba Concilii : *idoneus judicetur*, referri non debent ad interius judicium episcopi, sed ad exteriorem declarationem, aut sententiam, per quam in foro exteriori judicat, et decernit ministrum esse idoneum, et ut talem habendum. Et juxta hunc sensum ly *idoneus judicetur*, et ly *approbationem obtineat*, non sunt distincta, sed æquipollentia, ac ad majorem explicationem addita, quatenus nomine approbationis exprimitur judicium, de quo Concilium loquebatur. Vel dicas, Tridentinum in illis verbis : « Aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtineat, » non tam loquutum fuisse copulative, congendo pro aptitudine ministri internam episcopi existimationem, et exteriorem approbationem ; quam disjunctive, et quasi exclusive respectu examinis, illud non exposcendo pro valore approbationis. Adeo ut sensus sit illum sacerdotem posse sæcularium confessiones excipere, qui obtinuerit approbationem per examen, vel qui eandem obtinuerit sine illo, eo quod episcopus judicat necessarium non esse in aliquibus, quia de eorum doctrina ratione prælaturæ, doctoratus, aut simili titulo patis constat. Et hanc esse legitimam Concilii mentem, liquet ex ipso modo loquendi. Videatur Suarez loco citato, ubi aliam expositionem non incongruam opponit.

§ II.

Quid de approbatione Ordinarii pro excipiendis Regularium confessionibus ?

98. In præcedentibus dumtaxat loquuti sumus de Ordinarii approbatione in ministro requisita respective ad sæcularium confessiones, quam esse omnino necessariam pro valore eorum sacramentorum statuimus. An autem requiratur ad absolvendum regulares, alia difficultas est: Cui negative respondet communis, et vera sententia ; quam amplectuntur N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 2, num. 49, et 55, N. Franciscus tract. 6, cap. 11, punct. 7, num. 87, N. Antonius tract. 5, disp. 12, num. 839, Lugo, disp. 21, sect. 1, num. 2, Discastillo disp. 10, dub. 9, num, 327, Suarez disp. 28, sect. 4, num. 4, Navarrus cap. 4, num. 2, Diana 3 part. tract. 2, resol. 3, Candidus tom. 1, disquisit. 3, art. 39, numer. 2, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 11, num. 1, Bonacina disp. 5, quæst. 7, punct. 4, num 25, Trullench in exposit. Bullæ lib. 1, § 7, cap. 1, dub. 1, num. 5, Palaus punct. 17, § 2, num. 1, Fagundez de 2 præc. Eccles. lib. 7, cap. 2, num. 68, Coninchus disp. 8, dub. 7, num. 48, Bruno tract. 5, cap. 6, prop. 1, Leander disp. 11, quæst. 45, et alii apud recensitos, nec aliquem vidimus oppositum asserentem. Decisio difficultatis. N. Andr. N. Franc. N. Anton. Lugo. Dicast. Suarez. Navar. Diana. Candid. Laym. Bonac. Trullenc Palaus. Fagund. et alii.

Fundamentum hujus resolutionis est : quoniam ex jure antiquo pro excipiendis regularium confessionibus necessaria non erat in ministro approbatio ab episcopo obtenta, sed quilibet regularis de licentia sui prælati poterat confessionem emittere coram sacerdote simplici etiam sæculari, ut communiter testantur Doctores ; atqui nullum jus novum extat eam approbationem exposcens : ergo ut minister regularis sacramentaliter absolvat, non indiget Ordinarii approbatione. Consequentia liquet : nam ubi novum jus antiquum corrigens non adest, ab antiquo recedendum non est, *ex leg. Præcipimus, Cod. de appellat. cap. 2; de translat. Episc.* Minor etiam constat : quia, Tridentinum novum jus inducens, et approbationis necessitatem statuens, eam expresse restringit, et limitat pro confessionibus sæcularium, uti adnotamus num. 88. Si quæ autem pontificum decreta illam exposcunt, omnia loquuntur juxta sensum Tridentini, quod noluit regulares suo decreto comprehendere, sed eos suis statutis relinquere. Cujus duplex congruentiæ ratio designari potest. Prima, quia regulares peculiarem vivendi modum exercent juxta uniuscujusque professionem, propriisque prælatis subduntur; proindeque congruum fuit ut ad hujusmodi prælatos spectaret idoneos ministros Ratio.

ad audiendas subditorum confessiones designare, quin episcopis quoad approbationem obtinendam subderentur. Secunda, quia cum regulares ex proprio instituto virtutum exercitio invigilent, ut in plurimum ac moraliter loquendo conscientiam aliis puriorem conservant; atque ideo decuit Concilium plus de eorum confessionibus confidisse, quin pro illis excipiendis approbationem Ordinariorum exposceret : facilius enim erat idoneos ministros invenire ad audiendas regularium confessiones, quam ad solvendum sæculares, quorum conscientiæ frequenter magis criminibus illaqueantur.

Observ. 99. Sane tamen hæc doctrina intelligi debet : etenim quamvis pro Regularium confessionibus approbatio episcopi in ministro necessaria non sit ; nihilominus omnino desideratur licentia tacita vel expressa prælatorum, quibus pœnitentes regulares subduntur, quippe quæ etiam ante Concilium exposcebatur. Quocirca ea deficiente confessio nulla existet, etiamsi alias minister ab Ordinario approbationem obtineat : quoniam episcopus cum nullam in regulares exemptos jurisdictionem habeat, eam nulli ministro delegare potest. Privilegia autem regularibus concessa eligendi confessorem minime procedunt contra Religionis statuta, nec independenter quoad usum ab eorum prælatis ; alioqui potius in regularis disciplinæ dispendium vergerent, quam in ejus fomentum. Unde confessionem regularis factam contra propria statuta, vel sine prælatorum licentia cum ministro etiam ab episcopo approbato esse nullam docet communis sententia, de qua videri possunt N. Lezana tom. 1, cap. 18, num. 26, N. Andreas ubi supra, plures referens, et N. Valentin tract. 1, cap. 1, § 8, num. 75. E contra vero obtenta Prælatorum licentia expressa, aut tacita, possunt regulares utriusque sexus sive intra sive extra domum cuilibet sacerdoti confiteri propriæ vel alterius Religionis, aut etiam sæculari ab episcopo non approbato juxta tenorem licentiæ, quam in nostra Religione concedere possunt Generalis, et Provincialis, et de istius expressa aut tacita commissione prælati inferiores, aut immediati.

N. Lezan. N. Andr. N. Valent.

Consect. 1. 100. Ex quibus plura inferuntur satis utilia, et pro praxi admodum necessaria. Primum igitur colliges, religiosos nostri Ordinis itinerantes, aut extra domum exeuntes, posse cuilibet sacerdoti simplici sæculari, vel regulari alterius Ordinis confiteri, si sui Ordinis copiam confessori non habeant. Diximus, « si sui ordinis « copiam confessoris non habeant ; » tum quia alias alteri confiteri non possunt ob plura privilegia, quæ habent omnes Religiones, ut proprii subditi nec intra nec extra Conventum cum extraneis confiteantur, si habeant ministrum propriæ Religionis a prælatis designatum. Ita constat ex Bulla 4 Clementis VIII ac ex Bulla Innocentii VIII, et ex aliis Gregorii XIII, Benedicti XI, et Sixti IV, quas refert N. Andreas ubi supra, § 6, num. 89. Tum etiam, quia ita expresse habetur in nostris constitutionibus 1 part. cap. 4, numer. 3 : « Præcipimus, et districte prohibemus ne « quis ex fratribus tam sacerdotibus quam « aliis, habita Ordinis confessorum copia, « extraneo, et alieno sacerdoti cujuscum- « que qualitatis, et conditionis illi sit, con- « fiteatur. » Consectarium itaque sub hac limitatione intellectum constat : quoniam ex uno capite ad audiendas regularium confessiones minister non indiget episcopi approbatione; ex alio autem in nostra Religione nullum adest statutum prohibens religiosos extra domum cum sacerdote simplici sæculari vel alterius religionis confiteri, quin potius consuetudo ita faciendi, ratione cujus prælati id videntes, et consentientes, dum subditos extra domum mittunt, licentiam ad ita confitendum tacite concedunt. Tum etiam, quia sic habetur in privilegiis Sixti IV, ac Innocentii VIII, quorum verba adducit Bordon tom. 2, resol. 34, num. 2, et resolutionem tenent N. Antonius tract. 2, disput. 2, sect. 1, num. 12, N. Andreas loco proxime citato num. 92, Rodriguez, Joannes a Cruce, Portel, Urbanus, et alii. Et quæ diximus de religiosis nostri Ordinis, proportionabiliter intelligenda sunt de regularibus cujuscumque alterius religionis juxta eorum statuta, consuetudinem, et prælatorum licentiam.

101. Secundo colligemus, religiosos nostri Ordinis nec intra nec extra Conventum posse confiteri sacerdoti simplici propriæ religionis ; posse tamen religiosos alterius ordinis illi confiteri, si alias eorum statutis

id non repugnat. Posterior hujus con-
tarii pars constat: quoniam pro audien-
regularium confessionibus approbatio
dinarii non exposcitur, sed possunt ex
suorum privilegiorum, ubi extra domum
istunt, et suæ religionis copiam confes-
ris non habent, quemlibet simplicem
cerdotem in sui confessorem eligere;
unde vero in nostra religione nulla est
ohibitio, ut sacerdotes simplices non pos-
t religiosos alterius Ordinis absolvere:
igitur licitum erit, dummodo statutis
igiosorum pœnitentium non prohibea-
r. Atque ita docent N. Antonius in
ect. regul. tract. 2, disp. 2, sect. 1,
m. 23, Nost. Valentin ubi supra num.
, in fine, N. Andreas tr. 18, cap. 4, § 6,
m. 94, in fine, Bordon ubi supra resol.
Prior autem pars ostenditur: nam in
stitutionibus religionis nostræ 2 part.
. 7, num. 5, hæc habentur: « Innitен-
es tam juri communi, nostrisque statutis
tque antiquæ consuetudini, quam pon-
ificum privilegiis, declaramus sacerdotes
implices nostræ religionis (illos videli-
et, qui provincialis vel generalis licen-
iam, et approbationem non habent)
ullam habere jurisdictionem ad audien-
las confessiones fratrum etiam sacerdo-
um. Et si forte ratione consuetudinis
sset quoad hoc aliqua tacita licentia,
llam præsenti decreto annullamus, de-
ernentes ut a nullo prælato, præter P.
eneralem, et provincialem, unquam
icentia concedatur, alias sit nullius ro-
oris, et momenti. Quod intelligi volu-
nus sive intra sive extra conventum
xistant. »

Quæ sunt adeo manifesta, ut nullam
ositionem admittant. Nam confessio
ta ministro non habenti jurisdictionem
pœnitentem est invalida; atqui sacer-
tes simplices nostræ religionis nullam
isdictionem habent in religiosos ejus-
n ordinis: ergo illis absolutionem
lide impendere nequeunt. Minor, in
a poterat esse difficultas, patet tum ex
s verbis: « Declaramus sacerdotes sim-
lices nostræ religionis... nullam habere
urisdictionem ad audiendas confessiones
ratrum etiam sacerdotum. » Tum, quia
constat ex dictis numer. 99, jurisdictio
beri non potest sine expressa aut tacita
ælatorum licentia ad absolvendum; sed
simplices sacerdotes nostri ordinis nullam
habent tacitam licentiam, ut liquet ex illa
clausula omnino derogatoria: « Et si forte
« ratione consuetudinis esset quo ad hoc
« aliqua tacita licentia, illam præsenti de-
« creto annullamus. » Ergo nisi expressam
licentiam a generali vel provinciali obti-
neant, carent jurisdictione. Tum etiam,
quia ex Bulla Sixti IV, pro toto ordine
Carmelitarum concessa, ac ex Bulla Cle-
mentis VIII, pro Carmelitis Discalceatis
determinate, habetur religiosos nostri
ordinis non posse sibi eligere confessorem
contra religionis statuta, et sine prælato-
rum licentia; atqui in statutis ordinis
prohibetur fratribus eligere sibi in con-
fessorem simplicem sacerdotem ejusdem
religionis, aliundeque nullam habent præ-
latorum licentiam etiam præsumptam ad
eum eligendum, cum negatio licentiæ præ-
sumptæ constet ex legibus, in quibus con-
traria prælatorum voluntas expressa habe-
tur: ergo cum repugnantibus propriis
legibus, et deficiente prælatorum licentia,
stare non possit jurisdictio ministri, con-
sequens est simplices sacerdotes nostri
ordinis nullam obtinere jurisdictionem
pro audiendis confessionibus religiosorum
ejusdem ordinis. Atque ita docent N. Va-
lentin. ubi supra num. 76. N. Lezana, N. Antonius, Trullench, Villalobos, Rodri-guez, et alii apud N. Andream ubi supra num. 56 et 94. N. Lezan. N. Anton. N. Andr. N. Valen. Trullenc. Villalob Rodrig.

Hæc autem intelligi debent, sive intra sive extra conventum, sive copia confes-sarii ejusdem vel alterius religionis, aut etiam sæcularis habeatur, sive non, et tam de confessione mortalium, quam venia-lium. Unde admittenda non est limitatio, quam N. Andreas cit. § 6, num. 93, adhi-bet huic doctrinæ, asserens simplicem sa-cerdotem nostræ religionis posse valide, et licite absolvere a venialibus religiosos ejusdem instituti, ideo quia lex absolute prohibens confessionem facere cum hoc aut illo ministro, semper intelligitur de materia necessaria confessionis, qualia sunt lethalia nondum confessa; non vero de venialibus, quæ est materia libera, quæque pro libito omitti potest. Non, in-quam, admittenda est: tum ob ea quæ diximus dub. 6, num. 74. Tum etiam; quia ut omnes concedunt, pro absolutione a venialibus necessaria est aliqua jurisdictio Observ.

in ministro, quam si haberent sacerdotes simplices nostræ religionis, esset ex jure communi, sicuti omnes alii sacerdotes ; ex jure autem communi nullam habere patet ex lege dicente : *Innitentes juri communi*, etc. declaramus sacerdotes simplices nostræ religionis *nullam habere jurisdictionem*. Ly autem *nullam* omnem excludit, quæ ex jure communi haberi potest, cum de jurisdictione juris communis expressse fiat sermo. Tum denique : quoniam ita constat ex praxi religionis, quæ est optima legum interpres : semper enim confessio sive venialium, sive lethalium fit cum sacerdotibus a provinciali approbatis, quorum magna copia est in religione ; non vero cum simplicibus, nec id unquam contigisse, aut consuetudinem abiisse audivimus. Per quod ad oppositum motivum satis constat.

Consect. 3. 102. Colliges tertio, episcopi approbationem aut licentiam esse omnino necessariam pro confessionibus monialium sibi subjectarum excipiendis ; secus vero pro

Ratio primæ partis. earum, quæ regularibus subduntur. Prior pars suadetur : nam ut statuimus num. 99, nullus regularis in vi privilegiorum potest sine licentia sui prælati alicui confiteri nec intra nec extra suam religionem, cum alias minister nullam jurisdictionem habeat ; sed episcopus est proprius prælatus monialium sibi subjectarum ; ergo sine illius licentia nequeunt earum confessiones excipi. Tum etiam : quoniam ideo pro confessionibus sæcularium est necessaria approbatio episcopi, quia, ut colligitur ex Tridentino, congruum est ut quævis ovis suo proprio pastori obtemperet, et hic in pascuis spiritualibus de ipsa diligenter curet ; sed moniales episcopo subjectæ sunt propriæ illius oves, non secus ac sæculares : ergo quemadmodum ad audiendas sæcularium confessiones eget minister diœcesani episcopi approbatione, ita et ad monialium, quæ illi subduntur. Tum denique :

Clem. X. quia ita expresse habetur in Bulla Clementis X expedita pro universali ecclesia 2 Augusti anno Domini 1670, quæ incipit : *Superna magni Patris*, ubi de monialibus episcopo subjectis sermonem faciens inquit : « Approbatos pro audiendis confes- « sionibus monialium unius monasterii « minime posse audire confessiones mo- « nialium alterius monasterii. Itidemque « confessores approbatos ab episcopo « monialium confessiones pro una vice « diendas, haud posse expleta deputatio « in vi approbationis hujusmodi ilları « confessiones audire ; sed toties ab ep « copo esse approbandos, quoties casus « putationis contigerit. » Ita N. Anton tract. 5, sect. 2, num. 856, ubi ait : « Di « non tamen subjectis episcopo : nam « cum soli episcopo subdantur, confesso « pro eis eligendi ab episcopo debent e « approbati. » Unde nescimus qualiter a Andrea ubi supra num. 59, pro oppos sententia citari possit.

Posterior consectarii pars ostenditu etenim moniales in toto rigore veniu nomine regularium, ut omnes fatentu atqui pro confessionibus regularium Tr dentinum non exposcit episcopi approb tionem, sed eos reliquit juri antiquo, propriis privilegiis, ex quibus habent qu de licentia suorum prælatorum possi confiteri cuilibet sacerdoti : ergo pro co fessionibus monialium, quæ regularib subduntur, non indiget minister episco approbatione. Nec refert si cum Bosio Jubilæo sect. 3, casu 2, § 3, num. 75, dica hæc ita esse attentis jure antiquo, et Tr dentini decreto ; secus vero si attendamu ad constitutionem Gregorii XV, incipien tem : *Inscrutabile*, etc., et ad declaratio nem sacræ Congregationis, quæ ad calcer prædictæ constitutionis habetur, ubi decer nitur confessores tam ordinarios quar extraordinarios monialium regularibu subjectarum debere esse ab episcopo ap probatos. Non, inquam, refert : quonian ea constitutio cum sua declaratione ne quo ad hanc partem, nec quoad alia qua continet, in Hispania recepta fuit, ut vi dere est apud Lezanam tom. 1, part. 1 cap. 17, num. 35. Sed jussu Urbani VIII pro his regnis suspensa ob supplicationem Sedi Apostolicæ a Religionibus factam. Idque etiam constat ex Brevi Nuncii Apostolici illius temporis expedito 21 Aprilis anno 1625. Unde hanc consectarii partem tuentur Lezana loco citato, et tom. 5, in Mari magn. Carmel. num. 371, Lugo disput. 21, sect. 1, num. 2, Granados tract. 10, disp. 5, sect. 1, Vasquez de Pœnitent. quæst. 93, artic. 2, dub. 4, numer. 2, N. Andreas cit. § 6, num. 59, Suarez disp. 28, sect. 4, num. 4, N. Antonius ubi supra, Perez

rez, Velascus, Hurtado, N. Valentin ict 1, cap. 1, § 9, num. 86, et alii.

103. Colliges quarto, Fratres militares sse tam intra quam extra domum de entia sui Prælati, et juxta sua statuta nfiteri cuilibet sacerdoti ab episcopo non probato. Fundamentum est, quoniam statuimus tract. 20, disput. 1, dub. 1, r totum, præsertim a num. 13, Fratres ilitares sunt vere, et simpliciter reli-osi, tribus votis essentialibus ligati : go non comprehenduntur decreto Tri-ntini solum exposcentis episcopi appro-tionem pro confessionibus sæcularium. que ita docet communis sententia. Hanc tem resolutionem minime extendimus Equites Ordinum militarium, vulgo de lcantara, Calatravæ, Sancti Jacobi, Joan-s, Stephani, et alios, qui extra claustra vunt, uxoribus irretiuntur, ac instar iorum sæcularium dominium, et usum rum temporalium conservant. Hi enim, loco citato docuimus cum Divo Thoma, atum Religiosum absolute, et simpliciter on participant, sed tantum analogice, et cundum quid; proindeque cum sint mpliciter sæculares, sub decreto Triden-ni comprehendi debent, uti docent Mo-na tomo 1, de Justit. disput. 141, Azor. b. 3, capit. 3, quæst. 2, Diana 2 part. act. 2, resolut. 30, Valentia tom. 3, dis-ut. 10, quæst. 4, punct. 2, Amicus tom. disput. 15, sect. 3, num. 97, Navarrus, assæus, Lezana, Nost. Antonius, Nost. ndreas ubi supra num. 58.

Huic autem limitationi non adhærent eander disput. 11, quæst. 47, Sanctius sput. 49, numero 10, Garcia, Bordon, elbene, Hurtado, et alii ; quorum placi-um suaderi potest. Tum quia prædicti quites in probabili sententia sunt sim-liciter religiosi, et quamvis non essent, ihilominus gaudent privilegiis religioso-um, horumque nomine veniunt in favo-abilibus. Tum etiam : quoniam famuli ommensales religiosorum sunt simplici-er sæculares ; et tamen quia ex Triden-no sess. 24, cap. 11, in favorabilibus ve-iunt nomine religiosorum, possunt con-teri sacerdoti simplici ab episcopo non pprobato, ut cum pluribus docent Bar-osa de jure Ecclesiastico lib. 1, cap. 43, um. 204, et Noster Andreas ubi supra um. 57 : ergo idem dicendum est de Equitibus Ordinum militarium. Tum de-nique : nam Equites Sancti Joannis Hie-rosolimitani sunt simpliciter religiosi, ut statuimus loco citato ex tractat. 20 disput. 1, numero 13, in fine : ergo saltem pro istorum confessionibus audiendis appro-batio episcopi necessaria non est, sed suo-rum prælatorum licentia sufficiet.

Respondetur tamen, quod sicut consue- Diluitur.
tudo, scientibus, et non contradicentibus prælatis, potest legem favorabilem sta-tuere, et jurisdictionem inducere ; ita consuetudo non utendi favorabili privi-legio, et jurisdictioni sibi utili ea dirimit, ac irritat, ut ex communi sententia cum Dicastillo, Vasquio, Perez, Bassæo, et Co-nincho docet Nost. Antonius tr. 5, disput. 11, sect. 10. Ex quo fit, quod quidquid sit an prædicti Equites sint vel non veri religiosi, et an veniant vel non nomine regularium in favorabilibus, nihilominus simplici sacerdoti ab episcopo non appro-bato confiteri non possunt : quippe nun-quam hujusmodi privilegio usi sunt, nec in consuetudinem, sed potius in dissuetu-dinem deduxerunt. Unde jus, quod alias, vel quia simpliciter religiosi, vel quia sal-tem eorum privilegiis gaudent, possent habere ad eligendum in confessionem sacerdotem ab episcopo non approbatum, ob non usum abrogatum est. Per quod patet ad primam, et ultimam probationem : quamvis enim Equites Sancti Joannis Hie-rosolimitani inter veros religiosos compu-tentur, tamen Authores, qui eos tales cen-sent, illis prædictum indultum denegant ob oppositam consuetudinem, quam obser-vant. Ita cum pluribus Diana 2 part. Diana, Lezana, N. Anton. N. And. Amicus, Bassæus.
tract. 2, resolut. 30, Lezana tom. 2, cap. 5, num. 45, Nost. Antonius in direct. confess. tract. 5, disput. 13, sect. 2, nu-mero 857, Noster Andreas ubi supra nu-mero 58, referens Amicum, et Bassæum. Ad secundam autem neganda est conse-quentia : nam famuli religiosorum com-mensales, cum gaudeant eorum privilegiis præsertim quoad receptionem sacramento-rum pœnitentiæ, eucharistiæ, ac extre-mæ-unctionis, ut constat ex Tridentino sess. 25, cap. 11, ac ex declaratione S. Con-gregationis die 14 augusti 1665, et alias illis in praxi utantur, possunt vel confes-sionem facere cum sacerdote apto ad au-diendas confessionos religiosorum, quorum

sunt commensales, licet alias ab episcopo approbatus non sit, vel eo privilegio non uti, et confiteri etiam sine prælati licentia sacerdoti ab episcopo approbato ad instar aliorum sæcularium. Quod equitibus militaribus non licet ob non usum privilegiorum.

Consect. 5. 104. Colligitur quinto, prælatos regulares tam superiores quam inferiores, etiam vicarios, et præsidentes conventuum, posse sibi eligere in confessorem simplicem sacerdotem propriæ vel alterius religionis, aut etiam sæcularem, idque tam intra quam extra conventum, sive habeant, sive non, confessarii approbati copiam. Ita constat ex privilegio illis concesso, et in corpore juris inserto cap. fin. de pœnit. et remiss. dicente : « Ne pro dilatione pœni-« tentiæ periculum immineat animarum, « permittimus episcopis, et aliis superiori-« bus, necnon minoribus prælatis exemptis « etiam præter sui superioris licentiam, « providum, et discretum sibi posse eligere « confessorem. » Nomine autem providi ac discreti minime innuitur debere esse ab episcopo, vel superiori approbatum, sed intelligendus est quilibet sacerdos simplex prudens, et idoneus judicio eligentis, et qui alias suspensus, aut excommunicatus non sit, ut communiter docent authores. Porro hujusmodi privilegium, quatenus prælatis regularibus favet, per Tridentini decretum sess. 23, cap. 5, revocatum non fuisse, certum omnino est; quippe quod loquitur dumtaxat de confessionibus sæcularium, pro quibus, et non pro aliis approbationem exposcit. Possunt itaque regulares prælati cuilibet sacerdoti simplici confiteri, et ab eo absolvi ab omnibus casibus, et censuris, a quibus ipsi proprios subditos absolvere valent. Tenent nost. Antonius in direct. regul. 1 part. tract. 2, disput. 1, num. 16 et in direct. confess. tom. 1, tract. 5, disput. 22, sect. 1, num. 832, nost. Valentin ubi supr. num. 83, Villalobos tom. 1, tract. 9, difficult. 49, num. 4, Diana 3 part. tract. 2, resolut. 1, Silvester, Henriquez, Corduba, Vasquez, Valentia, Navarrus, Tamburinus, Bosius apud Leandrum disput. 11, quæst. 32, Toletus lib. 3 summæ cap. 15, num. 8, noster Andreas ubi supra num. 50 et 90, Lugo disput. 19, num. 4, et disput. 20, num. 67, Suarez disput. 27, sect. 2, num. 10, Bordon, Rodriguez, Moya, Homobon Graffius, et alii apud relatos. Ex quibus plerique limitant hanc sententiam, ut non teneat respectu eorum prælatorum, quorum religionibus adest privilegium aut statutum contrarium a Pontifice confirmatum, vi cujus prælatis inferioribus proprius ac determinatus confessor designatur, ita ut alium eligere nequeant.

N. Valen. Villalob. Diana. Sylves. Henriq. Cordub. Vasquez Valent. et alii.

105. Unde cum in nostra religione habeatur lex annullativa confessionis facta simplici sacerdoti ejusdem Ordinis, merito dubitari potest an prælati ei confiteri possint, et consectarium ad eos extendatur. Respondetur tamen affirmative, et quidem si sermo fiat de prælatis superioribus, non mirum, de generali, et provinciali, id est tra dubium est : hi enim cum ordinarii juridictione fungantur, et subditis licentiam concedere possint, ut confessorem eligant quemcumque simplicem sacerdotem etiam propriæ religionis, possunt eadem licentia pro se ipsis uti, ac eundem in proprium confessorem accipere. Si vero de prælatis inferioribus loquamur, idem dicendum est; tum quia ita constat ex praxi vidimus enim viros doctrina, et virtute præstantes id sæpe fecisse, videntibus et non contradicentibus superioribus prælatis. Ex quo fit quod etiam si privilegium in cap. fin. de pœnitent. et remiss. contentum, in vi nostræ constitutionis illis non proficeret, adhuc tamen possent simplici sacerdoti confiteri ob licentiam præsumptam, aut tacitam, quam prælati superiores, qui praxim vident, et tacent, censentur illis concedere. Tum etiam : quoniam dum in constitut. 2 part. capit. 7, numero 5, annullantur confessiones fratrum etiam sacerdotum cum simplici sacerdote ejusdem Ordinis, nomine fratrum non intelliguntur prælati : etenim, ut recte vidit Diana 3 part. tract. 2 resolut. 1, per totam, et Portel in dub. regular. verbo *Abbas* numero 5, quamvis prælati, aut abbates in favorabilibus veniant nomine fratrum, aut monachorum, non tamen in odiosis, qualis est lex citata. Id quod præsertim tenet, ubi privilegium prælatis concessum est corpori juris insertum : tunc enim ad ejus revocationem per legem particularem requiritur illius expressam mentionem in specie fieri, aut saltem in genere ; quæ in lege non invenitur, cum solum excludat a

sacerdote

erdote simplici omnem jurisdictionem rcendam in fratres, non autem in præ- os. Per quod præcluditur tacita objectio, e ex dictis numero 101 in fine formari sset. Atque ita sentiunt nost. Andreas ct. 18, cap. 4, § 6, numero 90, nost. tonius, et nost. Valentinus numero 83. 106. Colligitur sexto, religiosos nostri dinis non habentes provincialis licentiam excipiendis monialium confessionibus, posse eas valide absolvere, quamvis as licentiam obtineant ad fratrum con- siones. Veritas hujus illationis nititur nostris constitut. 2 part. cap. 7, numero ubi dicitur : « Exponendi vero pro mo- ialium, aut aliarum mulierum sæcula- ium confessionibus audiendis, trigesi- num tertium annum ætatis suæ attin- ant. Qui quamvis ad eum pervenerint, tiam si alias generali confitendi facul- ate sine discriminatione gaudeant, spe- ialem tamen a provinciali pro fœminis btineant ; alioqui earum confessiones udire nullatenus valebunt. » Quæ verba t annullativa confessionis, quia ly *nul- enus valebunt* idem est ac nec *licite*, nec *ide*, qui sunt modi, quibus confessio liri potest. Tum etiam ratione inde pe- : quoniam pro valore sacramenti ne- saria est juridictio ; sed sacerdos, de loquimur, nullam habet in moniales : o istarum confessiones si illi fiant, sunt læ. Minor, in qua poterat esse difficultas stat ex dictis numero 99, nam juris- tio requisita pro confessionibus regula- m haberi non potest sine licentia præ- , cui tanquam proprio Ordinario sub- ntur ; sed prælatus ordinarius monialium stri Ordinis (de quibus dumtaxat fit mo) est provincialis, cujus licentiam n habet sacerdos ; non quidem peculia- m, et expressam, ut supponimus, nec am tacitam aut præsumptam ratione suetudinis, quæ in religione non inve- ur ; nec tandem inclusam in licentia nerali audiendi confessiones indiscrimi- tim, ut constat ex lege, in qua expresse betur mens prælatorum dicentium, in generali facultate non includi licentiam monialibus : ergo dum sacerdos nostri dinis non obtinuit specialem licentiam provinciali pro confessionibus monia- m, caret jurisdictione ad earum abso- ionem. Tum denique : nam provincia- les nostri Ordinis sunt Ordinarii fratrum, et monialium suæ provinciæ, sicut episco- pus respectu sæcularium utriusque sexus in sua diœcesi ; atqui sacerdos sæcularis ab episcopo approbatus ad homines tan- tum, nequit valide mulierum confessiones excipere, ut tenet communis sententia, de qua infra : ergo nec sacerdos nostri Ordinis potest valide moniales ejusdem familiæ absolvere, si solum habeat provincialis licentiam ad confessiones fratrum, vel ad confessiones audiendas indiscriminatim, nulla monialium peculiari mentione facta.

Dices : relatam constitutionem eodem modo exposcere provincialis licentiam ad confessiones monialium, ac ad sæcularium mulierum ; sed sacerdos nostri Ordinis non attingens annum trigesimum tertium, nec habens specialem provincialis licen- tiam pro mulieribus sæcularibus, potest valide earum confessiones excipere, si ha- beat pro eisdem episcopi licentiam : ergo etiam sine peculiari provincialis facultate potest valide moniales nostri Ordinis ab- solvere, si episcopi approbationem obti- neat, et licentiam provincialis ad audiendas confessiones fratrum in communi. Respon- detur tamen omissis præmissis, negando consequentiam ob satis notam disparitatem : etenim jurisdictio necessaria pro monialibus nostri Ordinis solum haberi potest vel a Pontifice, vel a provinciali ; episcopus enim cum non sit earum prælatus, nec pro ea- rum confessionibus jurisdictionem dele- gare valet. Pontifex autem eam non con- cedit nisi juxta propria statuta, et provin- cialis dispositionem, ut statuimus numero 90. Quocirca sive sit a Pontifice, sive a provinciali, necessario, et unice pendet ex istius licentia ; qua proinde deficiente, deficit jurisdictio, et confessio irrita evadit. Ceterum pro mulieribus sæcularibus potest regularis non solum a Pontifice obtinere jurisdictionem, sed etiam ab episcopo ea- rum prælato, qui potest eam delegare cui- cumque voluerit, etiam regulari sui pro- vincialis licentiam non habenti. Et in vi hujus jurisdictionis ab episcopo acceptæ sunt validæ confessiones mulierum factæ sacerdoti nostri Ordinis ab episcopo ap- probato pro sæcularibus utriusque sexus, quamvis alias nec annum trigesimum ter- tium attingat, nec provincialis facultatem

Object.

habeat : hæc quippe solum desideratur ad absolvendum mulieres in vi jurisdictionis a Pontifice delegatæ, ut vidimus numero 92. Unde si contingeret prædictum regularem habere episcopi licentiam pro hominibus tantum, nec licite, nec valide mulieres absolveret ob defectum jurisdictionis, utpote quæ nec ab episcopo haberetur, nec a Pontifice, cum provincialis licentiam non obtineret. Videatur noster Andreas ubi supra numero 48, et deinceps.

Quæstiunc. 107. Sed quid dicendum de fratribus nostri Ordinis non sacerdotibus, choro tamen deputatis, in collegiis, aut in domibus novitiorum, vel noviter professorum degentibus? An, nimirum, possint valide alteri ex approbatis a provinciali confiteri quam duobus eorum confessionibus excipiendis communiter designatis? Respondetur affirmative : nam licet in constitutionibus 1 part. capit. 4, numero 1, hæc habeantur : « Statuimus ut novitiorum « magister una cum alio a provinciali ma- Decidi- « ture, et cum delectu designato tam ipso- tur. « rum quam aliorum fratrum professorum, « dummodo choro sint deputati, confes- « siones audiat. Et idem servetur in domi- « bus noviter professorum. In aliis vero « superior illius conventus, et alius ex « sacerdotibus pro audiendis fratrum non « sacerdotum confessionibus constituan- « tur. » Tamen hæc lex non est annullativa confessionis, ut ex se liquet : nullum enim continet verbum, quod neget fratribus posse absolute alteri confiteri quam duobus designatis, nec quod jurisdictionem pro illorum confessionibus requisitam concedat illis duobus, et eam aliis a provinciali approbatis neget. Tum etiam : quoniam eodem modo loquitur de confessionibus novitiorum, ac de noviter professorum ; constat autem novitios posse cuilibet sacerdoti a provinciali approbato valide confiteri : ergo idem dicendum est de noviter professis. Tum deinde, et præsertim, quia ibidem numero 2, ut fratres non sacerdotes possint alteri a duobus designatis confiteri, solum exposcit prioris licentiam ; atqui licentia prioris non confert jurisdictionem : hanc enim solus provincialis, qui in sua provincia Ordinarii munere fungitur, conferre potest : ergo supponit lex, omnes sacerdotes a provinciali approbatos habere jurisdictionem necessariam ad absolvendum fratres non sacerdotes, ac subinde istorum confessiones, si illis fiant, esse validas. Tum deinque : nam 2 part. cap. 7, numero 3, dicitur : « Habita facultate administrandi « pœnitentiæ sacramentum in una provin- « cia, in omnibus aliis poterit quisqu « confessiones religiosorum audire, no « vero monialium. » In quibus cum cujuslibet sacerdotis a provinciali approbat adeo extendat jurisdictionem, et monialium dumtaxat confessiones excludat, palam es nomine religiosorum etiam fratres no sacerdotes comprehendisse ; alioqui eorum confessiones sicut, et monialium excluderet. Atque ita tenet in praxi communis sensus, ac intelligentia religionis.

108. In calce dubii observandum est, quæ hactenus statuimus cuncta procedere independenter a privilegio Bullæ Cruciatæ. An autem regulares virtute illius possint sine licentia sui prælati sibi in confessorem eligere sacerdotem extraneum ab episcopo approbatum, qui eos absolvat tam a reservatis, quam non reservatis, consule N. Andream tract. 15, cap. 4, § 7, ubi rem diligenter versat. Sententiam tamen negativam veriorem ac probabiliorem censemus ob constitutionem SS. D. N. Clementis VIII, anno 1599, dicentis : « Concessionem S. « Cruciatæ, et aliorum indultorum parti- « cularium, quantum ad prædictum arti- « culum eligendi confessorem, et absol- « vendi a reservatis cum fratribus, et « sororibus monialibus Ordinis prædicti, « ac aliorum quorumcumque Ordinum, et « Congregationum, et cujusvis instituti « mendicantium, et non mendicantium, « tam provinciæ Hispaniæ, quam extra « eam ubilibet, locum minime habere, « neque censeri. Sed nostræ intentionis « existere quod iidem fratres, et moniales, « quantum ad sacramentum pœnitentiæ, « seu concessionis administrationem, dispo- « sitioni suorum prælatorum subjecti sint, « apostolica authoritate tenore præsentium « perpetuo declaramus. » Quæ constitutio, quamvis pro Carmelitarum Discalceatorum familia edita fuerit, tamen ut ex illius verbis constat, universaliter procedit circa cujuscumque Ordinis regulares, quibus asserit Bullam Cruciatæ non prodesse quoad articulum eligendi confessorem, sed quoad sacramentum pœnitentiæ suorum

prælatorum

ælatorum dispositioni subjectos esse dére. Quocirca sine horum licentia, sive ccata sint reservata, sive non, confessom eligere nequeunt. Id quod etiam fere sdem verbis declararunt alii Pontifices, æsertim Urbanus VIII, cujus constituonem apud relatum authorem invenies, i in patrocinium hujus sententiæ plurios, et gravissimos congerit.

DUBIUM IX.

ujus Ordinarii approbatio sit necessaria in ministro ?

Quamvis ex dictis dubio præced. § 1 nstet, quemlibet ministrum, sive sæcurem, sive regularem, indigere episcopi probatione pro sæcularium confessionius excipiendis, non tamen constat a quo dinario obtinenda est, an nimirum pœtentis, aut sacerdotis, vel loci, in quo fit nfessio ? Quæ olim fuit adeo ingens difultas, ut circa eam tot fuerint sententiæ, ot capita. Verum hisce temporibus jam on multi, dissidii est ob Pontificum deeta, quibus rem decidunt, quæque exndere curabimus.

§ UNICUS.

Duplici assertione expeditur difficultas.

109. Dicendum est primo, unius Ordirii approbationem non sufficere ad excendas sæcularium confessiones ubique rrarum. Hæc assertio procedit universaer tam de ministris sæcularibus, quam gularibus ; in quo sensu intellecta est eo communis, et vera, ut opus non sit ius patronos sigillatim recensere, cum posita sententia jam sit omnino improbilis, ac reprobata Pontificum decretis, is præsertim, quæ dabimus num. 112. inc autem suadetur : nam ea approbatio quiritur in ministro, quam exposcit Conium Tridentinum ; sed Tridentinum o audiendis confessionibus sæcularium ique terrarum non exposcit solam unius iscopi approbationem, sed plurium : go unius episcopi approbatio non sufficit ubilibet absolvendum. Minor patet ex pe cit. sess. 23, cap. 15, ubi expresse betur, ministrum non posse sæcularium confessiones audire nisi *ab episcopis* approbationem obtineat. Si autem ad absolvendum in toto orbe unius episcopi dumtaxat approbationem exposceret, frustra diceret *ab episcopis* : id enim nunquam esset necessarium. Voluit igitur eo modo loquendi significare ad absolvendum in qualibet diœcesi approbationem episcopi illius diœcesi desiderari, ut quilibet tanquam, proprius pastor sciret, qui ministri suarum ovium curam susciperent.

Respondebis cum Dicastillo disput. 10, dub. 9, numero 345, ly *ab episcopis* minime intelligendum, esse, nec posse, quasi copulative, aut collective, ita ut sensus sit, quemlibet ministrum debere esse approbatum ab omnibus episcopis : id enim impossibile est, alioqui unius episcopi approbatione deficiente minister nullibi approbatus censeretur : sed per distributionem accommodam, quatenus unus minister ab uno episcopo, et alter ab altero approbetur, ita tamen ut ab uno sufficiat. Idque instari potest ex epist. Jacobi cap. 5, ubi pro Extrema-Unctione inquit: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ... ungentes oleo sancto.* Quamvis autem dicat *Presbyteros* in plurali, nemo negabit unius presbyteri unctionem infirmo satis esse.

Evasio ex Dicastillo.

Jacobi 5.

110. Sed hæc evasio facile evertitur. Primo retorquendo instantiam : etenim sicut sacerdos indiget episcopi approbatione ad valide ministrandum pœnitentiæ sacramentum, ita indiget parochi, aut episcopi licentia ad licite Extremam-Unctionem conferendam ; atqui cum sola unius parochi, aut episcopi licentia non potest pro toto orbe licite Extremam-Unctionem conferre : ergo nec cum sola unius episcopi approbatione ubilibet absolutionem ministrare. Minorem docet communis sententia, quam cum multis tenet Bonacina disput. 6, quæst. unic. punct. 3, et Palao punct. 7. Quocirca licet infirmus, qui recipit Extremæ-Unctionis sacramentum, non egeat ut sibi a multis conferatur, sicut nec pœnitens ut a multis absolvatur ; tamen sacerdoti utrumque sacramentum ministranti non sufficit unius episcopi approbatio, aut licentia, ut ea sacramenta pro toto orbe ministret ; quod et non aliud evincit paritas.

Evertitur primo.

Secundo : nam esto ly *ab episcopis* intelligi non debeat copulative, seu collective,

Secundo.

ita ut ad absolvendum in una diœcesi omnium episcoporum approbatio requiratur, sed per distributionem accommodam ; hæc tamen fieri debet juxta mentem Tridentini nobis explicatam per Pontificum decreta, ac constitutiones ; sed prout fit ab adversariis, nimirum, unum ministrum ab uno episcopo, et alterum ab alio approbari debere ita tamen ut unius approbatio sufficiat pro toto orbe, non cohæret Tridentino ut nobis explicato Pontificum decretis : ergo ly *ab episcopis* intelligendum non est in sensu, quem evasio intendit. Minor, quæ difficultatem præsefert, non aliter probanda est, quam Pontificias constitutiones exhibendo. Et quidem Clemens VIII in Bulla expedita anno Domini 1604, die 7 decembris, quæ refertur a Cherubino tom. 3, pag. 118, hæc habet § 9 : « Præterea volumus, « ut confessarii, qui vigore privilegiorum « ipsis Ordinibus, religionibus, institutis, « erigentibus, instituentibus, et communi- « cantibus, seu Archiconfraternitatibus, et « Congregationibus aggregantibus conces- « sorum, ac Confraternitatibus, et Congre- « gationibus aggregandis communicando- « rum, pro tempore eligi possunt, et pote- « runt sæculares, scilicet, in alma urbe a « prædicto nostro Vicario, extra urbem « vero a locorum Ordinariis, Regulares « autem non solum a prædicto Vicario « nostro, et a locorum Ordinariis respec- « tive, sed etiam a suis superioribus ap- « probati sint. » Si autem ad absolvendum in urbe indiget minister approbatione Vicarii Pontificis, et ad absolvendum extra urbem eget alia a locorum Ordinariis respective : ergo quæ habetur ab uno episcopo non sufficit pro toto orbe, nec id Concilio, et Pontificum constitutionibus cohæret. Patet consequentia : quia alias ad absolvendum Romæ non exposceret Pontifex sui Vicarii approbationem determinate, sed vel illius, vel alterius Ordinarii, cum quælibet satis esset. Eo præsertim, quia dum loquitur de sacerdote, qui extra urbem potest eligi in confessorem, statuit debere esse approbatum a locorum Ordinariis respective ; ly autem *respective* consulto additum diversas approbationes pro diversis diœcesibus importat, nec aliter intelligi potest, quam ut quis eligatur Hispali ; egeat approbatione episcopi Hispalensis ; ut vero eligatur Abulæ, approbatione Abulensis.

Clem. VII.

Quibus consonat constitutio Urbani VIII edita 12 septembris anno Domini 1628, apud Cherubinum tom. 4, pag. 103.

Deinde id ipsum expressius habetur in quadam Sacræ Congregationis Cardinalium declaratione, ad petitionem Archiepiscopi Valentini facta, quæ communiter ab Authoribus sub his terminis circumfertur : « Congregatio Concilii respondet, « approbatum ab alio, quam a Valentino « episcopo, in diœcesi Valentina non cen- « seri approbatum ab Ordinario. » Censeretur autem, si semel approbatus, ubique approbatus existeret, ut adversarii loquuntur. Dicere autem, ut eorum nonnulli respondent, hujusmodi declarationem non esse authenticam, merum effugium est : eam quippe se vidisse, et legisse in S. Congregationis epistola, ad prædictum Archiepiscopum missa, obtestatur non parvi pendendus Author Emmanuel Rodriguez in expositione Bullæ Cruciatæ, § 5.

Ulterius fulcitur ex Brevi Innocentii Decimi pro causa Angelopolitana, expedito 14 maji, anno 1648, quod integrum affert Lezana tom. 4, consult. 40, numero 110, pagina 236. Cum enim ad Sanctiss. Dom. Nostr. Innocentium plura litigiose deferrentur dubia tam circa Ordinarii approbationem pro sæcularium confessionibus, quam circa prædicationem verbi Dei, omnia Pontifex solicite discutienda, et mature decidenda Sacræ Congregationi commisit ; et ad novam difficultatem, quæ erat hujusmodi : « Utrum Regularis quicumque, « etiam Societatis Jesu, possit administrare « sacramentum pœnitentiæ sæcularibus « absque licentia episcopi diœcesani, etiam- « si in alia diœcesi approbatus sit? Res- « pondit, Regulares, etiam Societatis Jesu, « in una diœcesi ab episcopo approbatos « ad confessiones personarum sæcularium « audiendas, nequaquam posse in alia « diœcesi hujusmodi confessiones audire « sine approbatione episcopi diœcesani. » Quam declarationem cum aliis ad diversas materias spectantibus Pontifex suo Brevi inseruit, et concludit : « Nos igitur... præinserta responsa, seu resolutiones authoritate prædicta tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illisque apostolicæ firmitatis vim, et robur adjicimus, et inviolabiliter observari mandamus. »

111. Nec defuere, qui responderent, ex hac

ac Bulla argumentum efficax pro nostra sertione desumi non posse. Primo, quia on diversorum episcoporum approbatio- em requirit, sed solius episcopi dicœce- ni ; hoc autem salvatur sive minister probatus existat ab ordinario pœniten- s, sive confessoris, sive loci, in quo fit nfessio. Secundo : quia præmissa decla- tio non immediate a Pontifice, sed a cra Congregatione de illius mandato ema- avit ; proindeque licet magni haberi de- eat, vim tamen legis pontificiæ non at- ngit, nec oppositæ sententiæ probabilita- m diruit. Tertio, et præsertim : nam cum Bulla non pro universali Ecclesia, sed ro dicœcesi Angelopolitana expedita fuerit, inime censendum est continere decisio- em generalem omnes adstringentem, sed articularem pro sola ea dicœcesi obligan- m. Idque satis perspicue colligitur ex us titulo, qui est : « Breve SS. Dom. N. Innocentii in causa Angelopolitanæ juris- dictionis in Indiis Occidentalibus novæ Hispaniæ ; » et ex illius procemio : Cum sicut accepimus aliquæ fuerint or- tæ differentiæ inter venerabilem fra- trem Joannem, et dilectos filios Clericos Societatis Jesu. » Et tandem ex illis ver- is, quæ statim subdit : « Pro sopiendis differentiis hujusmodi, » etc. Quæ omnia on causam communem, sed peculiarem stendunt.

Enimvero hæc effugia nihil auxilii nferunt adversariis, ut ingens proposi- e declarationis pondus declinent. Non uidem primum : nam directe, et eviden- r contra illius sensum procedit, ut ex ncera lectione verborum, quibus Congre- atio utitur, liquet. Etenim dubium deci- endum inquirebat : « Utrum regularis quicumque, etiam Societatis Jesu, possit administrare sacramentum pœnitentiæ sæcularibus absque licentia episcopi dicœ- cesani, etiamsi in alia dicœcesi approba- tus sit ? » In his autem supponitur, mi- istrum esse alibi approbatum, et quæritur si ea approbatio sufficiat, an vero ad au- tendas confessiones ulterius requiratur ia approbatio episcopi dicœcesani ? Cui ongregatio respondet aliam esse necessa- am : ergo dicere hanc declarationem non versorum, sed unius dumtaxat episcopi approbationem exposcere, aperte, et directe ii repugnat.

Non secundum : tum, quoniam ut ex Bulla Innocentii expresse constat, Sacra Cardinalium Congregatio non nisi de speciali Pontificis commissione, et authoritate sibi ad hæc concessa illam fecit declaratio- nem. Declarationes autem, quæ ita fiunt, habere non solum ingentem authoritatem, sed et vim legis obligantis, tenet communis sententia, quam multis suadet Prado in Theol. Moral. tom. 1, capit. 3, quæst. 7, num. 30, et N. Andreas tract. 11, capit. 3, num. 28, et 29, et tract. 15, cap. 7, num. 104. Tum etiam : nam licet fateamur, immediatam Pontificis decisionem excedere quamlibet Congregationis declarationem, si seorsim accipiantur, et ad invicem com- parentur ; inquirimus tamen, an quæ de speciali Pontificis mandato fit a gravissi- mo Cardinalium collegio, prævio dili- genti examine, sedula, ac matura rei dis- cussione, quæque a Sede Apostolica in sua Bulla inseritur, approbatur, ac stricte ob- servari præcipitur, uti est ea de qua lo- quimur, ideo robur, et pondus amittat, quia ea diligentia præcedit, vel quia non a solo Pontifice, sed simul a Sacra Congre- gatione prodiit ? An quia Pontificis præ- ceptis obtemperandum non est ? Id utique nemo catholicorum adstruet ; cum potius ex omnibus his capitibus major illi autho- ritas accrescat. Quid ergo deficit ut oppo- sitam sententiam improbabilem efficiat ? Eo vel maxime, quoniam pontifex non aliter Ordinum regulas statuit, ac beatifi- cationum decreta expedit, quam prius sa- cræ Cardinalium Congregationi, Curiæque prælatis rem pro meritis discutiendam committendo ; quibus a Sede Apostolica sedulo perpensis, suæ authoritatis muni- mine fulcit, ac roborat quæ illi diligentis- sime stabilierunt. Videamus autem, quali- ter in re, quam versamus, Pontifex se gesserit, et gravissima verba, quæ subdit : « Nos igitur.... prælnserta responsa, seu « resolutiones authoritate prædicta tenore « præsentium confirmamus, et approba- « mus, illisque apostolicæ firmitatis vim, « et robur adjicimus, et inviolabiliter ob- « servari mandamus. » Et tandem irritum, et inane decernit quidquid secus contige- rit attentari, revocans quæcumque indulta, ac privilegia, etiam de verbo ad verbum nominanda. Quid igitur ex hac Bulla, ubi Pontifex adeo perspicue suam mentem ex-

Prado. N. And.

ponit, fas erit deducere, quod adversæ opinioni faveat? Ipsam quidem omnino improbabilem reddidisse.

Non denique tertium : quamvis enim ea Bulla pro præcidendis Ecclesiæ Angelopolitanæ differentiis expedita fuerit, nihilominus Congregationis declaratio ibi inserta, in qua vim facimus, universaliter procedit de omnibus regularibus, et pro quibuscumque diœcesibus, ut ex ejus verbis nuper relatis constat : ergo absque fundamento asseritur non habere vim obligandi ubique, sed pro sola ea diœcesi. Aliud quippe est, motivum expediendi prædictam Bullam fuisse peculiarem hujus Ecclesiæ dissensionem; aliud vero declarationem in Bulla contentam non esse pro omnibus communem. Tum etiam : nam in eo Brevi declaratur : « Potuisse episcopum, seu ejus generalem vicarium præcipere » (uti de facto præceperat) « sub pœna excommunicatio- « nis latæsententiæ, ut a confessionibus au- « diendis, et a verbi Dei prædicatione ab- « stinerent » illi Regulares, qui ad id episcopi Angelopolitani approbationem non obtinuissent. Supponit igitur Pontifex non potuisse Regulares, etiam ante hujus Bullæ expeditionem, sæcularium confessiones excipere in diœcesi Angelopolitana sine approbatione illius episcopi; proindeque non tam novum jus pro ea diœcesi statuit, quam antiquum, et universale declarat. Tum denique : quoniam si ad absolvendum in prædicta diœcesi necessaria est episcopi Angelopolitani approbatio, ut hæc responsio concedit, cur pro diœcesi Salmantina necessaria non erit episcopi Salmantini? Eadem enim ratio utrobique urget. Sed quid his detinemur, cum expressam Sedis Apostolicæ decisionem habeamus? Itaque

Assertio 2.

112. Dicendum est secundo, quemlibet ministrum etiam regularem indigere approbatione Ordinarii loci, in quo fit confessio. Ita Barbosa de potest. episcop. alleg. 25, numero 14, Navarrus cap. 27, numero 266, Vasquez artic. 3, dub. 4, Ugoling de potest. episcop. cap. 7, § 2, numero 8, Lezana in quæstionibus regul. cap. 19, numero 4, et 14, Gambarup. de casibus reservatis cap. 20, numero 30, Gutierez com. quæstionibus lib. 1, cap. 22, numero 6, Layman lib. 5, tract. 6, cap. 11, numero 9, Ochogavia quæst. 40, Florus de casibus reservat. part. 1, cap. 4, § 12, numero 6, Nost. Gabriel a S. Vincentio disput. 9, quæst. 6, Garcia tom. 1, de benefic. part. 1, cap. 8, numero 132, Bonacina disputat. 5, quæst. 7, punct. 4, § 1, numero 21, Mendo disput. 22, capit. 3, numero 62, Zerola, Homobonus, et alii apud Nostrum Franciscum capit. 10, punct. 7, num. 99, Lugo disp. 21, sect. 2, n. 35, et seq. Nost. Bonæ Spei disp. 11, resol. 1, num. 33. Idque jam omnes asserere coguntur ob Pontificum decreta, quibus plurium sententiarum diversitatem, ac confusionem præcidunt, et rem olim satis dubiam omnino determinant. Nam Clemens X, in Bulla incipiente : *Superna magni Patris familias*, expedita anno 1670, cum Conc. Trid. decretum de approbatione Ordinarii retulisset, subdit : « Innotuit nobis, dubitationes nonnullas « circa benedictionem, licentiam, contra- « dictionem, examen, et approbationem « ejusmodi in aliquibus diœcesibus exci- « tatas fuisse, ex quibus controversiæ, et « dissensiones permultæ in dies subsequi « possent, occasione privilegiorum, quæ « per Sedem Apostolicam religiosis ordini- « bus concessa fuerunt. Nos attendentes « quod alias diversis temporibus prædic- « tæ dubitationes, et controversiæ nonnul- « lis prædecessorum nostrorum Summo- « rum Pontificum constitutionibus, eorum- « que declarationibus definitæ fuerint, « ejusmodi definitiones in unum collectas, « ut magis, magisque dissentionum tol- « lantur semina, et in posterum firmior in « agro Dominico pax Christi floreat, pro « summo, quo fungimur, apostolatus offi- « cio, novis apostolicis litteris muniendas « duximus, et roborandas. Itaque de con- « silio nonnullorum venerabilium fratrum « nostrorum S. R. E. Cardinalium, et di- « lectorum filiorum Romanæ Curiæ Præ- « latorum, pietate, doctrina, et prudentia « præstantium, et matura deliberatione « nostra, atque ex certa scientia, hac gene- « rali, et perpetuo valitura constitutione « decernimus, ac declaramus... Religiosos « ab episcopo ad confessiones sæcularium « in sua diœcesi audiendas approbatos, non « posse in alia diœcesi eas absque episcopi « diœcesani approbatione audire, quamvis « pœnitentes subditi sint ejus episcopi, a « quo ipsi religiosi jam fuerant appro- « bati. »

Barbos. Navarr. Vasquez Ugoling. Lezana Gambar. Gutier. Layman. Ochogav. Florus.

Ubi

Ubi, ut vides, excludit ut insufficientem probationem episcopi tam pœnitentis, am confessoris, et statuit necessariam e Ordinarii diœcesis, in qua fit confes-. Et tandem irritum, et inane decernit idquid secus fiat, revocans omnia Regu-ium privilegia quovis modo contraria, am in corpore juris clausa, et Pontificis amento firmata, etiam ex titulo oneroso, t alia via communicationis concessa ; tiamsi pro illorum sufficienti deroga-ione de illis, eorumque totis tenoribus, t formis specialis, specifica, expressa, t individua, ac de verbo ad verbum, ion autem per clausulas generales idem mportantes, mentio, seu quævis alia xpressio habenda, aut aliqua alia ex-uisita forma ad hoc servanda foret, enores hujusmodi ac si de verbo ad ver-um nihil penitus omisso, et forma in llis tradita observata, inserti forent, præsentibus pro plene, et sufficienter xpressis, et insertis habentes, illis quo d ea, quæ eisdem præsentibus adver-antur, illis alias in suo robore per-nansuris, harum serie specialiter, et xpresse derogamus, ceterisque contra-iis quibuscumque. » Quam Bullam non Belgicis Provinciis dumtaxat, ut ad s vim effugiendam singulariter, et im-rito conjectavit Nost. Antonius, sed universali Ecclesia fuisse expeditam, stat ex integro ejus contextu, præser-ex ea clausula : « Hac generali, et per-etuo valitura constitutione decerni-nus » Romæ legitime publicatam, li-t ex testimonio ad ejus calcem appo-. Matriti id ipsum solemniter factum eptembris anno 1672 scimus. Suppli-onem autem pro ejus suspensione Sedi ostolicæ missam ab Hispaniarum Re-a credimus, id cum formidine refe-te Torrecilla tract. 2, consult. 4, Bullæ ien suspensionem assequutam non vi-nus, sed oppositum convincitur omnium xi ; cum etiam in Archiepiscopatu To-no Hispaniarum Primate mos inva-rit exprimendi in licentiis, quæ Regu-bus conferuntur, hujusmodi Bullam receptam, ac ejus observantiam com-ndandi. Eo vel maxime, quoniam in issimo, ac urgentissimo Innocentii decreto, de quo statim, Clementis la commemoratur, ejusque persisten-tia, ac vis obligandi supponitur ; imo declarantur nullæ confessiones, quæ contra eam fiunt. Ex quo ulterius sequitur, quod etiamsi ea Bulla in suo robore non existeret, in vi hujus decreti vim denuo obligandi acciperet. Quocirca præoccupantur omnes responsiones, quas Doctorum subtilitas, opinandi libertas, aut etiam nimius propria privilegia tuendi ardor parare possent.

113. Ceterum cum annullatis Regularium privilegiis, adhuc nonnulli nec deterioris notæ Authores contenderent, ministrum in una diœcesi approbatum posse in alia, ubi approbatus non est, eligi in confessorem ab habente Bullæ Cruciatæ privilegium ; SS. D. N. Innocentius XII, Innoc. XII. ut eorum sentiendi licentiam retunderet, ac opiniones infringeret, decretum extrema severitate plenum expedivit Romæ die 19 aprilis anno 1700, quod Matriti juridice publicatum, ab Illustrissimo Nuncio episcopis, ac religionum superioribus diligenter remissum est, ut subditis notum facerent, ac ipsius exactam observantiam præciperent. Hæc autem continet : « Te-« nore presentium decernimus, et decla-« ramus, Bullam Cruciatæ Sanctæ nihil « novi juris induxisse, nullumque privile-« gium continere quoad approbationem « confessariorum contra formam ejusdem « Concilii Tridentini, et prædictarum « constitutionum Apostolicarum ; adeo ut « confessarii tam sæculares quam regu-« lares, quicumque illi sint, in vim dictæ « Bullæ Cruciatæ a pœnitentibus ad au-« diendas eorum sacramentales confessio-« nes electi, nullatenus confessiones hu-« jusmodi audire valeant sine approbatione « Ordinarii, et Episcopi Diœcesani loci, in « quo ipsi pœnitentes degunt, et confessa-« rios eligunt, vel ad excipiendas confes-« siones requirunt : nec ad hoc suffragari « approbationem semel vel pluries ab aliis « Ordinariis aliorum locorum, et diœce-« sum obtentam, etiamsi pœnitentes illo-« rum Ordinariorum, qui confessarios « electos approbassent, subditi forent. « Confessiones autem aliter, et contra ea-« rundem præsentium, aliarumque Apos-« tolicarum constitutionum formam dein-« ceps faciendas, et excipiendas respective, « præterquam in casu necessitatis, in « mortis articulo, nullas fore, irritas, et

« invalidas ; et confessarios ipso jure sus-
« pensos esse, et etiam rigide puniendos
« ab ipsis Ordinariis locorum. Porro
« quamcumque contrariam opinionem
« tanquam falsam, temerariam, scandalo-
« sam, et in praxi perniciosam, prætenso
« quovis contrario usu, contrariaque
« consuetudine etiam antiquissima mi-
« nime obstantibus, motu, scientia,
« deliberatione, et potestatis plenitudine,
« paribus harum serie damnamus, et re-
« probamus ; contrariumque usum, ac
« contrariam consuetudinem hujusmodi
« penitus, et omnino abrogamus, et abo-
« lemus. » Quæ licet directe de solo Bullæ Cruciatæ privilegio procedant ; tamen omnino declarant cujus Ordinarii approbatio desideretur ad absolute absolvendum, nimirum loci, in quo pœnitentes degunt, confessarios eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt, adeo ut quæ secus fiant præterquam in articulo mortis, irritæ decernantur. Et cum postmodum in Regularium privilegia Pontifex reflectatur, quæcumque illis a prædecessoribus concessa, quovis modo huic decisioni contraria, iterum annullat ea stricta forma, ut nulla urgentior excogitari possit.

114. Unde colliges primo, ministrum non habentem approbationem Ordinarii loci, in quo fit confessio, non posse virtute Jubilæi eligi in confessorem, quamvis alibi approbatus existat. Tum quia ita constat ex nonnullis Sacræ Congregationis declarationibus, quæ authenticæ circumferuntur, ex ea præsertim, quæ ad petitionem DD. Ferdinandi Arias de Ugarte Archiepiscopi Limani die 9 januarii anno 1633, facta est. Cum enim inter alia consuleret : « Utrum, dum in Jubilæis datur facultas, « ut pœnitentes possint eligere quemlibet « confessorem ex approbatis ab Ordinario, « intelligendum sit de Ordinario confessa- « rii, aut pœnitentis, et quomodo ? » Con- « gregatio respondit ad tertium : « Intel- « ligi de Ordinario Diœcesis, in qua con- « fessarius confessiones audit. » Tum etiam, et a fortiori : quoniam in Jubilæis etiam præstantioribus facultas eligendi confessorem ab Ordinario approbatum, non alio verborum tenore, nec ampliori forma conceditur, quam in privilegio Bullæ Cruciatæ : unde Authores eodem modo de facultate utrobique concessa loquuntur ; atqui in vi Cruciatæ nequit eligi qui in loco confessionis approbatus non est quamquam alibi approbatus existat, ut in decreto nuper apposito decisum habemus : ergo nec in virtute cujuscumque Jubilæi etiam anni Sancti, et eorum, qui in assumptione ad Pontificatum a Pontificibus conceduntur. Sic ante Innocentii XII decretum docuerunt plurimi apud Leandrum disput. 11, quæst. 70, et post decretum ut omnino certum tenent N. Valentin. tract. 1, § 3, num. 26, et Olmo in apolog. pag. 332.

115. Colliges secundo, sacerdotem sæcularem ab Ordinario approbatum cum limitatione ad homines tantum non posse mulierum confessiones excipere virtute Cruciatæ, aut Jubilæi. Diximus *sæcularem*, quia an Regulares sic approbati id possint etiam independenter a Cruciatæ privilegio, alia difficultas est, de qua videri potest Nost. Andreas. Consectarium igitur constat ex eodem Innocentii decreto, ubi expresse habetur, Bullam Cruciatæ Sanctæ nullum privilegium continere quoad approbationem confessariorum contra formam Concilii Tridentini, et aliarum constitutionum Apostolicarum ; atqui in vi Tridentini, et aliarum constitutionum nequit sacerdos sæcularis approbatus ad homines tantum fœminas absolvere, ut omnes fatentur : ergo nec in virtute Cruciatæ, aut Jubilæi. Docent Lugo disput. 21, sect. 1, numero 16, Suarez disput. 28, sect. 7, numero 3, Philippus a Cruce tract. 1, de Jubilæo, § 10, numero 1, Homobonus de casibus reserv. part. 1, cap. 5, Villalobos, Rodriguez, et alii. Idemque, et ob eandem rationem dicendum est de approbato pro determinato tempore, aut loco, aut etiam pro confessionibus puerorum, vel rusticorum dumtaxat, qui ab aliis, pro quibus approbationem non obtinuit, eligi nequit in confessorem, etiam virtute Bullæ Cruciatæ. Quæ omnia adeo vera sunt, ut oppositas sententias in prædicto decreto reprobatas censeamus, et censet N. Valentin. ubi supra num. 26, et Joannes ab Ascensione in Lucerna Moral. tract. 21, numero 41.

116. Dices : hujusmodi decretum esse revera odiosum, atque ideo non ampliandum, sed restringendum ; aliundeque solum statuere ministrum debere esse approbatum Obje

robatum ab Ordinario loci confessionis, t in virtute Cruciatæ a pœnitentibus eli- atur: ergo poterit in vi illius eligi a æminis qui pro solis hominibus appro- atus est: hic enim jam habet approbatio- em Ordinarii loci, in quo eligitur, ut ıpponimus.

Respondetur tamen, decretum non ita ore restringendum ut restrictio in oppo- tum militet, directeque illi repugnet, ualis esset quam objectio intendit. Ete- im Innocentius expresse statuit, Crucia- m nihil novi juris induxisse, nullumque rivilegium continere quoad approbatio- em ministri ab Ordinario obtinendam; inistrum autem pro solis hominibus pprobatum posse in vi Cruciatæ eligi a eminis, aliquod privilegium est; siqui- em independenter a Cruciata, et attento lo Tridentini jure, id effici nequit. Cum go Cruciatam nullum privilegium con- nere, et continere aliquod, sint contra- ctoria, palam est restrictionem in ob- ctione intentam minime cohærere de- eto, sed potius illi adversari; ac subinde ntentiam id asserentem esse ab Inno- ntio reprobatam. Nec difficultatis aug- entum aliquid suadet: cum enim in ridentino, Pontificumque decretis minis- i approbatio statuitur, intelligenda non nt de approbatione disparata, et imper- nenter se habente, sed de respectiva, et roportionata ad confessiones, quæ exci- untur, quatenus sensus sit ministrum ebere esse approbatum ad audiendam anc confessionem, et hanc personam. aque approbatus pro hominibus habet uidem approbationem Ordinarii loci, in uo fit confessio, sed disparatam respec- ve ad confessiones mulierum ibi existen- um, pro quibus approbationem non acce- t. Et simile prorsus est de approbatione ro confessionibus puerorum, rusticorum, el pro loco determinato, quæ impertinen- r se habet ad confessiones aliarum per- narum, vel alibi audiendas. Observan- um tamen, contingere posse, ministrum solute, et simpliciter, nullaque apposita strictione Ordinarii approbationem ob- nuisse; jurisdictionem autem vel nullam, el ad determinatum populum limitatam; ve id fiat pro libito, sive ob impoten- am delegantis, quia nimirum licet appro- tionem absolutam concedere possit, non tamen jurisdictionem nisi pro determinato loco, aut territorio, uti in Vicariis foraneis videre est. Et hujusmodi approbatum posse in virtute Cruciatæ eligi in confes- sorem a pœnitentibus pro tota Diœcesi, docent Trullench in Bull. lib. 1, § 7, cap. 1, dub. 3, numero 6, Henriquez lib. 3, de pœnit. cap. 6, numero 8, quos refert, et sequitur Nost. Valentin tract. 4, cap. 6, § 5, numero 748. Idque verosimile censemus: licet enim sacerdos, de quo loquimur, nequeat independenter a Bulla extra eum locum, pro quo limitatam habet jurisdictionem, confessiones excipere; id tamen non ex defectu approbationis ortum ducit, quam absolutam, ac sine restrictione obtentam supponimus; sed ex non extensa jurisdictione. Cruciata autem, quamvis nullum circa approbationem privilegium contineat; continet nihilominus circa jurisdictionem, cum hæc in virtute illius a Pontifice delegetur. Itaque qui absolute, et simpliciter approbatus est a Vicario foraneo Matritensi, poterit in tota Diœcesi Toletana in vi Cruciatæ sæculares absolvere. Trull. Henriq. N. Valent.

117. Colliges tertio, parochos, seu habentes quodcumque beneficium, cui animarum cura, ordinariaque jurisdictio nectuntur, posse in tota diœcesi sæcularium confessiones excipere virtute Cruciatæ, vel alterius privilegii facultatem eligendi confessorem concedentis. Fundamentum est: nam ut constat ex praxi, Parochus eo ipso quod talis, potest absque nova episcopi approbatione vocari, et designari ab aliis parochis, ut in suis Ecclesiis sæculares absolvant: ergo etiam eligi in confessores in tota diœcesi ex vi Cruciatæ. Patet consequentia: quia non major aptitudo, nec aliæ conditiones requiruntur in sacerdote, ut accipiat jurisdictionem delegatam a Pontifice per Cruciatæ privilegium, quam ab aliis parochis per eorum designationem. Tum etiam: quoniam parochus ex vi assumptionis ad beneficium censetur absolute approbatus ab Ordinario illius diœcesis pro confessionibus sæcularium; sed id sufficit ut quis per Cruciatam eligi possit in confessorem: ergo potest in tota diœcesi. Tum denique, et præsertim: etenim Innocentii decretum, dum necessaria statuit pro aptitudine ministri eligendi in vi Cruciatæ, solum exposcit re- Consect. 3.

quisita pro confessionibus sæcularium juxta formam Tridentini ; sed Tridentinum in habentibus beneficium parochiale non exposcit aliam approbationem, sed eos reliquit juri antiquo : ergo idonei censendi sunt, ut pro tota diœcesi virtute Cruciatæ eligantur. Tenent Lugo disput. 21, sect. 1, numero 12, Diana tom. 1, tract. de Bull. Cruciat. resolut. 8, Henriquez lib. 6, cap. 6, numero 7, Valerus verbo *Absolutio*, diff. 1, numero 18, Suarez ubi supra sect. 4, num. 16. Estque adeo commune placitum, ut fere nemo dissentiat.

Lugo. Diana. Henriq. Suarez. Valerus. et alii.

Consectarii extensio.

118. Major autem est difficultas, an parochus non solum intra suam diœcesim, sed etiam extra, atque ideo ubique absque nova episcopi approbatione idoneus censendus sit, ut per Cruciatam, vel simile privilegium in confessorem eligatur ? Parti affirmativæ adhæret N. Valentin. etiam post Innocentii decretum, et ante decretum tenuerunt plurimi, quos statim dabimus. Suaderi autem potest eodem fundamento, quo num. præced. usi fuimus. Quoniam ex jure antiquo quilibet parochus, eo ipso quod talis, ubique putabatur idoneus, et proxime capax accipiendi jurisdictionem delegatam virtute privilegii eligendi confessorem ; atqui nec Tridentinum, nec Innocentii decretum jus novum circa parochum statuerunt : ergo etiam extra suam diœcesim eligi in confessores poterunt ab habente Cruciatæ privilegium. Minor, ad quam devolvitur difficultas, ostenditur : nam Concilium solum habet, neminem posse sæcularium confessiones excipere, nisi aut *parochiale beneficium*, aut ab Episcopis approbationem obtineat ; in quibus perspicuum est nihil pro parochis innovasse, nec illis onus approbationis imposuisse. Innocentius autem dumtaxat statuit, Cruciatam nullum quoad approbationem continere privilegium contra formam Tridentini, istamque proinde esse attendendam, cui non opponitur parochos nova approbatione non indigere, ut constat ex dictis. Cur ergo si expresse, et nominatim excipiuntur, et absolute idonei censentur, eorum idoneitatem restringemus, ut extra suam diœcesim virtute Bullæ eligi nequeant ? Tum etiam : quoniam licet Innocentius dicat, ministrum indigere approbatione episcopi loci, in quo fit confessio, id intelligi debet de sacerdotibus, quos Tridentinum, cujus verba ibi exponuntur approbandos decernit ; non vero de illis quos ut aptos ac idoneos ab approbatione secludit ; alias etiam episcopis, in quibus eadem ratio ac in parochis militat, ut extra suas diœceses in virtute Cruciatæ ac sæcularium confessiones eligerentur, ab aliis episcopis approbari deberent, et eorum examini subjici ; quod absonum apparet.

Tum deinde : nam parochorum approbatio, quam ex vi assumptionis ad beneficia habere censentur, non tam dicenda est approbatio episcopi, de qua Innocentii decretum procedit, quam approbatio ecclesiæ, ac ex jure habita ; hanc autem tanquam universaliorem distinguit Tridentinum ab altera, illam non restringens, sed in suo statu, ac antiqua amplitudine relinquens. Tum denique : quia ita sensisse omnes Salmatinæ Universitatis Theologos, ac Jurisperitos, imo, et nonnullos ex præstantissimis prælatis, qui Tridentini sessionibus interfuere, refert ex Henricho Suarez sententiam sustinens disput. 28, sect. 4, num. 18, et consentiunt Palaus punct. 17, § 2, num. 8, Barbosa 2 part. de potest. Episcop. alleg. 25, numero 18, Vasquez de Pœnit. quæst. 93, art. 3, dub. 4, numero 3, Nost. Valentin. tract. 4, cap. 6, § 5, numero 747, Fagundez ubi supr. numero 36, Ledesma in summ. cap. 13, conclus. 9, Mendo in Bull. disput. 21, cap. 4, num. 66, Trullench in Bull. lib. 1, § 7, cap. 1, dub. 4, numero 3, Lugo disput. 21, sect. 1, numero 8, Bosius de Jubilæo sect. 2, cas. 2, § 9, numero 135, Valerus, Bonacina, Diana locis numero præced. citat. Leander disput. 11, quæst. 68, referens Sylvium, Reginaldum, Villalobos, Joannem a Cruce, et alios. Hujus vero sententiæ probabilitatem, nec eam ab Innocentio reprobatam, satis ostendunt fundamenta, quibus munitur, ac explicationes, quibus decreto occurrit, et illius legitimam intelligentiam exponit.

119. Ex eisdem autem principiis ulterius fit parochum non solum in vi Cruciatæ, sed etiam independenter ab ea, posse sui subditi confessiones excipere, extra suam parochiam, imo, et diœcesim. V. g. si parochus Salmantinus cum subdito, in quem ordinariam habet jurisdictionem, Abulam adeat, potest ibi illum absolvere sine nova

episcopi

episcopi Abulensis approbatione. Cujus ratio est : quia approbatio Ordinarii loci, in quo fit confessio, solum requiritur in ministro, quem Tridentinum approbandum decernit ; atqui in parochis novam approbationem non exposcit, et alias in suæ parochiæ subditos jurisdictionem ordinariam habent, quam per recessum a sua diœcesi non amittunt : ergo illis absolutionem impendere possunt, etiam extra suam diœcesim existentibus. Tum etiam : quippe alias, cum nomine habentis beneficium parochiale comprehendantur etiam episcopi, et archiepiscopi parochorum parochi, imo, et nonnulli abbates, archidiaconi, ac archipresbyteri, quibus cura animarum incumbit, et ratione officii ordinaria jurisdictio nectitur, ut recte vidit Suarius ubi supra numero 21, sequeretur episcopum egredientem cum subdito extra suam diœcesim vel illum absolvere non posse, vel saltem teneri ad alterius episcopi approbationem obtinendam, ut posset. Hoc autem rationi consonum non videtur, et ab Ecclesia, omnia prudentissime decernente, ita dispositum, credibile non est : ergo cum in omnibus recensitis idem motivum urgeat, asserendum est nec parochos, nec episcopos extra suas diœceses existentes indigere Ordinarii loci confessionis approbatione, ut suis subditis pœnitentiæ sacramentum ministrent. Adde, approbationem Ordinarii loci confessionis solum desiderari in ministro, ut fiat capax accipiendi jurisdictionem delegatam ; sed parochus hac non indiget, cum aliunde in subditos ordinariam obtineat : ergo ubicumque sint, potest eorum confessiones excipere.

120. Sed objicies : Tridentinum eodem modo sermonem facere de habente beneficium parochiale, ac de obtinente Ordinarii approbationem, unumque alteri æquiparare ; sed regularis approbatus in una diœcesi nec censetur ubique approbatus, nec subditos illius diœcesis, in quos delegatam habet juridictionem, potest extra eam existentes absolvere etiam in virtute Cruciatæ, ut constat ex Innocentii decreto : ergo idem de parocho sentiendum est.

Respondetur tamen ex dictis negando majorem : Concilium enim dum ait, neminem posse sæcularium confessiones excipere nisi vel parochum, vel ab episcopis approbatum, non omnimoda æquiparatione de utroque loquitur : quippe ubi parochos excipit, novum jus pro illis non statuit, sed antiquum supponit, et retinet. Ex jure autem antiquo poterant proprios subditos absolvere etiam extra suas ecclesias, ac diœceses, et absque alia episcoporum approbatione idonei censebantur, ut ubique eligi possent in confessores ab habentibus privilegium ; circa quæ nihil denuo statutum, vel declaratum videmus. Ceterum dum in non parochis approbationem necessariam decrevit, jus novum pro illis condidit, quod postmodum Pontificum decisionibus declaratum habet hunc sensum, ministrum, videlicet, indigere approbatione Ordinarii loci, ubi confessiones excipiuntur, ita ut ea deficiente deficiat etiam jurisdictio ob subjecti incapacitatem, proindeque confessiones irritæ evadant. Ex quo fit, regularem approbatum in una diœcesi non esse ubique approbatum approbatione requisita a Trid. atque ideo non posse extra eam diœcesim sæculares absolvere ratione jurisdictionis sibi delegatæ a Pontifice per propria privilegia, aut per Cruciatam ; quippe quæ non delegatur nisi supposita approbatione Ordinarii loci, in quo absolutio confertur. Fit deinde, eundem regularem non posse extra illam diœcesim absolvere subditos illius episcopi, a quo approbationem obtinuit, et in quos habebat delegatam jurisdictionem sive a Pontifice, sive ab episcopo : hæc enim amittitur eo ipso quod extra diœcesim egrediatur : quia redditur incapax eam habendi, et conservandi defectu approbationis episcopi loci, in quo fit confessio, indispensabiliter in ministro desideratæ. Parochus autem ordinariam jurisdictionem, qua in proprios subditos fungitur, per recessum a sua diœcesi non exuit, quia expresse a Concilio excluditur, et ratione beneficii obtenti aptus, et idoneus censetur ; nec approbationem, quam cum Tridentino Pontificia decreta in aliis necessariam statuunt, in ipso exposcunt.

121. Observandum tamen, quæ hactenus diximus, intelligenda fore dumtaxat de parochis actualiter talibus. Hæc subdimus, ut excludamus sententiam Joannis a Cruce ubi supra quæst. 5, dub. 8, conclus. 4, Rodriguez, et aliorum asserentium

Limitatio quædam.

satis esse sacerdotem parochiale beneficium habuisse, ut ubique, eligibilis per Cruciatam censeatur. Præsertim si sponte dimisit, aut commutavit, nec virtutis, aut scientiæ defectu illo privatus est : quia approbatio in beneficii collatione obtenta, illius dimissione non exuitur. Non itaque admitti debet : quippe in his, quæ ex jure positivo pendent, standum est verbis legis. Concilium autem non quemcumque parochum, vel quomodolibet acceptum, ab onere obtinendi approbationem excepit, sed expresse inquit, nullum posse sæcularium confessiones audire, nisi vel ab episcopis approbationem, vel *parochiale beneficium obtineat ;* quæ intelligi nequeunt nisi de actualiter obtinente ; atque ideo sive sponte, sive invitus reliquerit, absque nova episcoporum approbatione virtute Cruciatæ eligibilis non est. Suarez sect. 4, numero 20, Lugo sect. 1, numero 8, Palaus § 2, numero 8, in fin. Nost. Valentin ubi supra n. 747, Hurtado disp. 10, diff. 16, Diana 1 p. tract. 11, resol. 8, Bonacina disp. 5, qu. 7, punct. 4, § 1, num.24, Trullench in Bull. lib. 1, § 7, cap. 1, dub. 1, n. 6, Reginaldus lib. 1, num. 190, Fagundez lib. 7, cap. 2. num. 38, Barbosa, Henriquez, Granados, Bosius. Vivaldus, Florus apud Leandrum q. 65 et alii.

Suarez. Lugo. Palaus. N. Valent. Hurlad. Diana. Bonac. Trull. Reginal. Barbosa, et alii.

Consect. 4. 122. Colligitur quarto, privilegia a Sixto V, presbyteris Oratorii, et a Clemente VIII, Minoribus concessa, ut unius episcopi obtenta approbatione, ulterius præsentari, et approbari non cogerentur, etiamsi in aliam diœcesim domicilium transtulissent, uti refert N. Andreas tract. 18, cap. 4, punct. 2, § 4, num. 76, esse hisce temporibus impracticabilia, et omnino revocata. Tum, quia in vi istorum privilegiorum nonnulli contendebant Authores, Regulares semel approbatos esse ubique approbatos, atque ideo ubique virtute Cruciatæ eligibiles, imo, et independenter ab ea posse ratione jurisdictionis sibi a Pontifice delegatæ ubique sæculares absolvere; atque hæc sententia reprobatur in Clementis X, ac Innocentii XII decretis nuper appositis : ergo, et privilegia, quibus innitebatur, impracticabilia ac annullata censentur. Tum etiam : quippe utrumque decretum statuit, ministri approbationem obtineri debere ab Ordinario loci, in quo fit confessio, et revocatis quibuslibet privilegiis in oppositum concessis, confessiones aliter deinceps faciendas decernit nullas ; sed confessiones, quæ in vi illorum privilegiorum cum regularibus fieri poterant, opponuntur his decisionibus : ergo prædicta privilegia revocasse extra dubium est. Adde, privilegium Sixti V non fuisse omnino absolutum, sed ut presbyteri illius Congregationis romanæ approbati possent ubique *de Ordinariorum consensu* audire confessiones, uti videre est apud Naldum in summ. verbo *Confessio*, n. 39. Quæ conditio adeo privilegium coarctat, ut nullam aut fere nullam gratiam contineat. N. Valentin. tract. I, cap. 1, § 5, num. 47, Joannes ab Ascens, tract. 21, num. 39, et deinceps, et alii ab ejsdem relati asserentes oppositam prorsus impracticabilem, ac reprobatam.

123. Secus autem dicendum est de privilegiis Eugenii IV, et Clementis VIII, pro Minoribus, quæ habentur in compendio privilegiorum, § 3 et 16, in quibus conceditur, ut semel approbati in una diœcesi, si inde recesserint etiam mutando domicilium, et postmodum redeant, non teneantur iteratæ ejusdem episcopi approbationi. Et similiter de indulto Sixti IV, concedentis mendicantibus ut possint audire confessiones quorumlibet fidelium, qui ad diœcesim, ubi approbati sunt, solius confessionis causa accesserint. Ratio autem utriusque est : quia Bullæ Pontificiæ, contrarietatem non importantes, in suo rigore persistere debent ; si enim quod una permittit, altera non prohibet, permissum in legibus censetur, cap. *Nuper* 19 et cap. *de Repudiis*, leg. *si vero*, ff. *solut. Matrim.* At Bullæ, aut privilegia, de quibus loquimur, nullam important oppositionem decretis Clemen. X et Innoc. XII, quæ inter revocatoria omnium urgentissima reputantur : ergo irrevocata persistunt. Suadetur minor : quia hujusmodi decreta dumtaxat eliminant ea privilegia, in quibus permittitur regularibus audire confessiones sine approbatione Ordinarii loci, in quo fit confessio ; sed privilegia recensita id non concedunt, sed solum regularem approbatum in una diœcesi non teneri in eadem diœcesi iterum approbari, et posse ibidem existentem quorumcumque fidelium audire confessiones : ergo illis decretis non contrariantur. Alia autem

ıtem quamplurima privilegia ante, et ost Tridentinum concessa, ut regulares emel præsentati, et injuste reprobati, vel iam ut sine ullius episcopi approbatione ossent ubique sæculares absolvere, ad xamen non avocamus : cuncta quippe a ridentino, et Urbano VIII, revocata, conat ex dictis dub. præced. num. 89.

124. Sed quid dicendum de Regularium inerantium privilegio, ut semel ab uno piscopo approbati possint in itinere quoımcumque fidelium excipere confessiones ıplici apposita conditione, nimirum, non epugnantibus parochis, et in locis ubi rdinarii non existunt, vel ad eosdem cilis recursus non adest. Ita concessisse ugenium IV, Minoribus, et Gregorium III, Regularibus Societatis Jesu, referunt eregrinus in compend. privileg. tit. *bsolutio quoad sæculares*, § 5, et Palaus act. 23, disp. unic. punct. 14, num. 13. uæ privilegia supponimus revocata non isse vivæ vocis oraculo ante tempora rbani VIII, nec constitutione ejusdem rbani edita anno 1629, uti cum Laurenı de Perinis censuit Nost. Lezana tom. 1, p. 19, numero 5, et nonnihil inclinant egionensis tom. 2, tract. de offic. confes. colect. 10, numero 56 et Diana 3 part. act. 2, resolut. 122. Etenim in ea constitione solum determinatur, regulares digere Ordinarii approbatione pro conssionibus sæcularium, an autem unius rdinarii sufficiat, vel cujus sit necessa-a ? Nihil ibi decernitur. Ergo cum privigium regularium itinerantium eos salm ab uno Ordinario approbatos suppoat, constitutione Urbani VIII revocatum on est. Tum etiam, quia nec vivæ vocis raculo, nec ea constitutione revocatum isse, inde solum convincitur, quia plumi, ac nobilioris notæ Doctores usque ad mpora Clementis X in suo vigore perıtisse non tam disputant, quam suppoınt.

125. Itaque dissidium est, an Clementis et Innocentii XII, decretis revocatum t ? Negative respondere videtur Nost. alentin. tract. 1, cap. 1, § 5, num. 46 47, cum post eorum decretorum publitionem, de quibus meminit, et recepta tetur, absolute statuat regulares semel probatos posse itinerantes in vi dicti rivilegii sæculares absolvere etiam in locis ubi approbati non sunt, servatis conditionibus recensitis. Rationem tamen, quam desideramus, assignat nullam. Assignari autem potest primo : quia privilegium concessum ad actum exercendum solum transeunter, et cum limitationibus temporis, et loci non constituit posse simpliciter, et absolute, sed potius absolute impotens dicitur qui illis modificationibus alligatur ; atqui utrumque Clementis et Innocentii decretum solum prohibet regulares in una diœcesi approbatos posse absolute, et simpliciter, ac omnino libere sæculares absolvere in aliis diœcesibus, ubi approbati non sunt : ergo cum privilegia revocat, concessum regularibus itinerantibus non annullat. Minor videtur certa, quippe ea decreta ex uno capite sunt revocatoria, proindeque odiosa, ac restringenda ; ex alio autem loquuntur absolute : ergo intelligendum est solum procedere de potentia simpliciter tali, hancque dumtaxat a regularibus excludere.

Secundo : quoniam in quocumque de- Secunda.
creto irritante ea solum privilegia annullari censentur, quæ doctrinæ ibi reprobatæ favet ; sed privilegium itinerantium minime favet doctrinæ, quæ in his decretis damnantur : ergo. Minor ostenditur : etenim in decreto Innocentii, quod præcipuum est in hac materia, duplex opinio rejicitur, quarum prior asserebat, regularem semel approbatum esse ubique simpliciter approbatum, atque ideo per Cruciatam ubique eligibilem in confessiorem ; posterior vero, approbatum ab uno episcopo posse illius subditos absolvere in quacumque alia diœcesi, in qua approbatus non est, et domicilium habet : atqui privilegium itinerantium nulli ex his opinionibus suffragatur ; non primæ, quia ex vi hujus privilegii nemo docet Regularem in una diœcesi semel approbatum non indigere ulteriori approbatione in aliis diœcesibus, ad quas domicilium transfert, uti ea sententia asserebat ; non item secundæ ob idem motivum, licet enim ratione dicti privilegii possint regulares itinerantes, et pro solo tempore itineris absolvere subditos illius episcopi, a quo approbati sunt, in quocumque loco reperiantur, sicut possunt etiam quoscumque alios fideles ; non tamen in illis locis, in quibus domicilium habent, habitualiter

permanent, et episcopi approbationem non obtinuerunt, de quo casu Innocentii decretum procedere videtur.

Adde, Innocentium dumtaxat sermonem facere de privilegio Bullæ Cruciatæ, proindeque solum amovere sententias asserentes Cruciatam aliquod privilegium continere quoad approbationem confessariorum. Privilegium autem regularium itinerantium nullam cum Cruciata connexionem habet. Adde item, plurima regularium privilegia illis olim quoad approbationem concessa, et postmodum per Tridentinum, ac Pontifices revocata, privilegio itinerantium compensata fuisse. Et cum alias regularibus iter agentibus non raro urgentissimi casus contingant, in quibus absolvendi facultas necessaria sit, rationis satis consonum apparet, Sedem Apostolicam pro illis requisita providisse, ideoque hujusmodi privilegium non revocasse. Adde tandem, viros nonnullos, prudentia, ac doctrina præstantes, imo, et episcopos de re consultos, quorum fundamenta ignoramus, asseruisse tale privilegium adhuc post Innocentii decretum subsistere ; quod non semel audivimus.

Objectio 1. 126. Enimvero contra hujusmodi sententiam plura, eaque satis difficilia occurrunt. Primo, Innocentium absolute declarare, ministrum pro sæcularium confessionibus eligendum debere esse approbatum ab Ordinario loci in quo fit confessio, et confessiones hac forma non observata deinceps faciendas, nullas fore ac irritas statuere, dempto solo mortis articulo, et revocatis quibuscumque privilegiis in oppositum concessis ; atqui facultas, quam itenerantium privilegium concedit, non est pro solo mortis articulo : ergo revocatum censeri debet. Major quoad ea, quæ continet, præter privilegiorum revocationem, constat ex verbis decreti num. 113 appositis. Quoad revocationem vero liquet etiam ex his, quæ subdit : « Non obstantibus præmissis, « ac apostolicis, et universalibus, provin- « vincialibus, et synodalibus Conciliis, « edictis generalibus, vel specialibus cons- « titutionibus, et ordinationibus, necnon « quorumvis ordinum, congregationum, « societatum, et institutorum, aliisve qui- « busvis, etiam juramento, confirmatione « Apostolica, vel quavis alia firmitate ro- « boratis, statutis, et consuetudinibus, « privilegiis quoque, indultis, et litteris « Apostolicis eisdem ordinibus, congrega- « tionibus, societatibus, et institutis, illo- « rumque superioribus, et personis, ac « aliis quibusvis, sub quibuscumque ver- « borum tenoribus, et formis, ac cum « quibusvis etiam derogatoriis, aliisque « efficacioribus, efficacissimis, et insolitis « clausulis, irritantibusque, et aliis decre- « tis etiam motu, scientia, et potestatis « plenitudine paribus, seu ad quarum- « cumque personarum, etiam quavis Ec- « clesiastica, vel mundana dignitate ful- « gentium, instantiam, aut etiam contem- « platione, seu alias quomodilibet in genere, « vel in specie etiam consistorialiter con- « cessis, ac pluries, et quantiscumque vici- « bus confirmatis, approbatis, et invocatis. » Cum ergo privilegia regularium non essent, ut in virtute Cruciatæ, sed independenter ab ea, sæculares absolverent ; consequens est omnia, et quæcumque illi decisioni opposita revocata fuisse.

Secundo : quoniam in decreto Innocentii s (tacitam evasionem præoccupamus) non solum irritantur confessiones contra formam in eodem decreto præscriptam faciendæ, verum etiam illæ, quæ decisioni Clementis X opponuntur, ut constat ex ea clausula : « Confessiones autem aliter, et « contra earundem præsentium, aliarum- « que Apostolicarum formam, etc. » In quibus ad Clementis decisionem, quam initio decreti expresserat, se remittit ; sed confessiones, ad quas privilegium itinerantium facultatem confert, opponuntur Cl Clementis constitutioni : ergo hujusmodi privilegium revocatum censetur. Probatur minor : quia Clementis constitutio non procedit circa Cruciatam ; nec illius meminit, sed determinate circa approbationem requisitam in regularibus in vi suorum privilegiorum, ut liquet ex illis verbis : « Innotuit nobis, nonnullas dubitationes « circa benedictionem, licentiam, contra- « dictionem, examen, et approbationem, « ejusmodi in aliquibus diœcesibus excita- « tas fuisse, ex quibus controversiæ, et « dissensiones permultæ in dies subsequi « possent, occasione privilegiorum, quæ « per Sedem Apostolicam religiosis ordini- « bus concessa fuerunt. » Atqui in eadem constitutione decernit, regularem approbatum in sua diœcesi non posse sæcularium

rium confessiones audire in alia, ubi approbatus non est, et quidquid secus fiat, irritum determinat, et revocavit omnia, et quælibet privilegia quovis modo opposita regularibas concessa : ergo cum in vi privilegii itinerantium possent fieri confessiones sæcularium cum regulari non approbato in diœcesi ubi fit confessio, perspicue infertur, hujusmodi confessiones illi decisioni adversari, subindeque tale privilegium amovisse.

Tertio : quia in utroque Clementis, et Innocentii decreto annullantur omnia, et quæcumque regularium privilegia *quovis modo* opposita decisioni, etiamsi in corpore juris inserta sint, et Pontificis juramento firmata, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione « specialis, specifica, « expressa, et individua, ac de verbo ad « verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu « quavis alia expressio habenda, aut aliqua « alia exquisita forma ad hoc servanda « foret. » Sed itinerantium privilegium est aliquomodo oppositum decisioni : ergo revocatum est. Minor constat : nam decisio absolute habet, regularem non approbatum ab Ordinario loci, in quo fit confessio, non posse in vi alicujus privilegii sæculares absolvere ; privilegium autem itinerantium continet, regularem id posse in aliquo casu, videlicet, pro tempore itineris ; quæ aliquomodo opposita sunt. Urgetur : si in his decretis Pontifices disertis verbis, et nominatim dicerent se privilegium itinerantium annullare, abrogatum utique nemo diffiteretur ; atqui dicunt in illis abrogari quæcumque privilegia etiam de verbo ad verbum recensenda, et pro quorum amotione specifica, ac individua mentio fieri deberet : ergo. Alias inquirimus, quibus verbis ad hujus privilegii derogationem utendum esset ; non aliis quidem quam appositis. Adde, itinerantium privilegium juri insertum non inveniri ; atque ideo pro illius revocatione specifica mentio necessaria non est.

127. Hæc sane adeo urgent, ut animum suspensum relinquant ; credimus tamen omnibus illis responderi posse, utriusque Pontificis decretum solum procedere de approbatione requisita in regulari habente domicilium, et in hoc sensu regularium privilegia revocasse ; quo supposito facile cunctæ objectiones enervantur, et disparent, ut consideranti constabit. Si vero instes, cur in eo sensu uterque Pontifex accipiendus, cum absolute de approbatione sermo fiat, nulla regularis domicilium habentis mentione facta ? Ea dumtaxat ratio adhiberi potest, quod eorum decreta, utpote revocatoria, quoad fieri possit, restringi debent ; et cum alias eo tendant ut amoveant opinionem asserentium regularem semel approbatum ulteriori approbatione non indigere, sed posse omnino libere sæculares ubique absolvere, intelligenda videntur de sola approbatione in regularibus domicilii : hac enim interpretatione ea omnimoda libertas rejicitur. Sed quid probabilitatis hæc habeant, et quid tandem sentiendum, saniori aliorum crisi committenda censuimus. Id unum jam pridem monuit Lezana ubi supra, caute in hujus privilegii usu procedendum, quod observat innixus Urbani VIII constitutioni. Quid accresceret post urgentissimas Clementis, et Innocentii ? Illi favens Alfonsus a Leone subdit, pro reæque dubia, ac ingentis ponderis, ex qua, plurium sacramentorum valor, aut nullitas pendet, declarationem a Sede Apostolica fore expetendam. Lezana.

Et hæc de toto isto tractatu, ac integro Theologiæ cursu, cujus metam diu optatam, nunc Deo favente attingimus, dixisse sufficiat. Quod vero opus istud in tot volumina increverit, tot temporis moras in sua efformatione consumpserit, ordinemque in primo volumine delineatum, imo, et alium in decimo præscriptum, tandem servaverit, causæ fuerunt tum superiorum dispositiones, a quibus recedere non oportuit ; tum ipsa lectorum hæc scribentium varietas, quibus vel morte præventis, vel ad alia distractis, inceptum opus non semel sistere opus fuit. Tum denique, et præcipue, ob distincta eorundum Authorum ingenia, quæ ut in idem tenderent, doctrinamque omnino consonam traderent, non modice insudarunt, et jam scripta sæpius perlegendo, et insuper scribenda sedulo meditando, ne vel in minimis hujus operis ullus discolor appareret. In quo prolixo, difficilique progressu nonnunquam scriptores coacti sunt proprium deponere sensum, præcedentiumque arripere viam, qua ut illis consone incederent, et novum tempus dis-

pendere, et novos tractatus pro rerum dignitate efformare necessarium fuit. Utinam, et Dei obsequio, et proximorum fructui! Quidquid tamen hucusque a nobis dictum, sicubi a veritate alienum, aut minus conforme S. R. Ecclesiæ, aut Angel. Præceptoris doctrinæ, cui in omnibus adhærere studuimus, inveniatur, libentissime retractamus, delatumque nolumus. Si quæ autem vera, orthodoxæ fidei consona, Christianis Scholis utilia tradiderimus, sola Deo adscribantur; cunctaque cedant in laudem Sanctissimæ Trinitatis, ac honorem Beatissimæ semper Virginis Mariæ de Monte Carmelo, Parentum Eliæ, Theresiæ, ac B. Joannis a Cruce, nec non S. Doctoris, ac Præceptoris nostri Divi Thomæ Aquinatis.

LAUS DEO

INDEX RERUM NOTABILIUM

QUÆ IN HOC TOMO CONTINENTUR

n quo Q quæstionem, A articulum, C commentarium, D disputationem, N numerum marginalem designat.

A

ABSOLUTIO. Potest, et debet communi- r conferri absolutio sacramentalis ante ecutam satisfactionem. In Comm. ad t. 2, q. 90, n. 4. Absolutio Sacramentalis n dirigitur principaliter ad tollendum atum, sed magis maculam. Disp. 7, n. 15. fluit in effectum Sacramenti, sed non ntecedenter ad Sacramentum in re. Ibi. 17. Quomodo absolutionis sententia sit lida, quando non causat effectum. Disp. n. 61. An possit absolvi moribundus, i solum confitetur peccata in genere. sp. 8, n. 221. An si edat signa doloris. i. n. 230. An si nulla signa dederit. Ibi. 144. Quo pacto verificentur absolutionis rba in confessione valida, et informi. sp. 8, n. 272.

ACTIO, ACTUS. Ex actibus honestis, et pernaturalibus alii efficaces, alii ineffi- ces. Disp. 7, n. 8. Actus præparantes ad stificationem sunt dispositiones physicæ. sp. 7, n. 28. An omnes actus nostri beant referri in Deum ultimum finem, fieri ex charitate. Disp. 7, n. 40. An tus interni cadant sub Ecclesiæ præcepto. sp. 8, n. 62. Actus externi peccaminosi plicari debent in confessione. Ibi. n. 73. im actus est consummatus, debet in confessione explicari. Disp. 8, n. 129. In eodem actu possunt inveniri plura peccata solo numero distincta. Varia exempla. Disp. 8, n. 132. Actus interni difficilius continuantur, quam externi. Ibi. n. 166. Nullus actus supernaturalis potest esse ex ullo capite moraliter malus. Disp. 8, n. 257. Actus exterior auget bonitatem vel malitiam solum denominative. Disp. 11, n. 98. Actus secundarius an respiciat objectum formale virtutis.

AFFECTUS. Quid censendum de hoc affectu : *Mallem pati pœnas inferni, quam peccare*. Disp. 7, num. 75. Quid de isto. *Potius committerem adulterium, quam furtum*. Ibi. num. 77.

AMOR. Amor Dei ex charitate conjungitur infallibiliter de facto cum gratia justificante. Disp. 7, n. 13. Amor sui, aut boni proprii sistendo ibi, quando sit, aut non peccatum. Disp. 7, num. 38. Unus amor potest esse major alio intensive, vel appretiative. Disp. 7, num. 73.

ANNUS. Quomodo computandus annus pro annuali confessione. Disp. 8, a n. 46.

APOSTASIA. Continet plures species in confessione explicandas. Disp. 8, num. 146.

APPROBATIO. Ordinarii approbatio a jurisdictione distinguitur. Disp. 12, dub. 8, num. 87. Necessaria est ad valorem sacra-

menti. Ibi. num. 88. Ea indigent pro confessionibus sæcularium Prælati Regulares, etiam Magistri, et laureati. Ibi. num. 90 et 91. An teneat simoniace accepta? Ibi. num. 96. An quæ confertur ab Ordinario censente subjectum inhabile? num. 97. An semel obtenta sufficiat ad ubique absolvendum? num. 109. Requiritur Ordinarii loci, in quo fit confessio. Ibi. numero 112. Etiam ad absolvendum virtute Cruciatæ, aut Jubilæi; num. 113, et 114. An approbatus cum limitatione possit virtute Crutæ absolvere ultra limitationem? num. 115. Parochi possunt sine nova approbatione ubique eligi in virtute Cruciatæ, num. 117 et seq. Possunt proprios subditos ubique absolvere independenter a Cruciata, et nova approbatione, num. 119. An Regulares itinerantes indigeant approbatione Episcopi loci, in quo fit confessio? num. 124. Non requiritur pro audiendis Regularium confessionibus, num. 98. An pro fratrum, et Equitum militarium? num. 103. An pro Monialium Episcopis, aut Regularibus subjectarum? num. 102. Prælati Regulares possunt cuilibet sacerdoti non approbato confiteri, num. 104. An etiam Religiosi nostri Ordinis itinerantes? n. 100. An Moniales nostri Ordinis possint valide Regulari ejusdem Ordinis, Provincialis licentiam non habenti, confiteri? n. 106. Quid de fratribus Choro deputatis? n. 107.

AQUA. Cur omissio guttæ aquæ vino consecrando immiscendæ sit grave peccatum. Disp. 11, n. 27.

ATTRITIO. Quid sit? Disp. 7, num. 3. Dantur plures species attritionis. Ibi. n. 5. Potest dari attritio mere naturalis, illa etiam, quæ concipitur ex metu æternæ damnationis. Ibi. num. 6. Quibus modis possit supernaturalis evadere. Ibi. n. 7. Attritio supernaturalis alia efficax, alia inefficax. Ibi. num. 8. Ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur attritio supernaturalis. Disp. 7, num. 19. Debet esse supernaturalis in re, et non sufficit existimata. Ibi. num. 20. Sufficit esse supernaturalem vel quoad substantiam, vel quoad modum intrinsecum. Ibi. num. 22. Pro attritione, ut sit præcise pars sacramenti, non requiritur quod sit efficax, sed sufficit inefficax. Ibi. numero 23. Attritio disponens ad effectum sacramenti, et pro eo requisita debet esse efficax. Disput. 7, num. 26, et seq. Attritio disponit physice ad gratiam. Ibi. n. 28. An in eodem sacramento concurrant duæ attritiones, alia ut pars, alia ut dispositio. Ibi. numero 29. An una possit gerere utrumque munus. Ibidem. De fide est attritionem ortam ex timore gehennæ esse actum honestum. Disput. 7, n. 31. Attritio secum, aut in se affert aliquem amorem honestum. Disp. 7, num. 40. Negari salva fide non potest dari aliquam attritionem supernaturalem. Ibi. num. 43. Datur aliqua attritio efficax, quæ excludit actualem voluntatem peccandi. Ibi. n, 45, cum seq. Cum attritione de peccatis ex motivo pœnæ non compatitur complacentia erga peccatum secundum se. Ibi. num. 48. Attritio, quæ est pars, vel dispositio in sacramento pœnitentiæ importat necessario aliquem amorem Dei, et quomodo. Disp. 7, num. 50. Sententia asserens sufficere pro sacramento pœnitentiæ attritionem, est probabilior, communior, et tutior, quam opposita exigens contritionem. Ibi. num. 54. An sit omnino tutum negare speculative sufficientiam attritionis pro sacramento pœnitentiæ. Ibi. num. 56. Ratio partis sacramenti, et ratio dispositionis in attritione sunt valde diversæ. Disp. 7, num. 60. Attritio, et contritio sunt actus essentialiter distincti. Ibi. n. 62. Repugnat attritionem fieri contritionem. Ibi. Ut attritio sit pars, et dispositio non requiritur quod existimetur esse contritio. Ibi. n. 64. Pro suscipiendo sacramento etiam in articulo mortis sufficit attritio cognita. Ibi. Attritio in nullo casu justificat sine sacramento in re. Ibi. num. 65, et 66. An petat certam intensionem. Disp. 7, num. 71. Propter duos diversos attritionis conceptus fieri valet, ut sacramentum pœnitentiæ sit validum, et informe. Disp. 8, a num. 265, latissime. Qualiter conceptus partis sacramenti, et munus dispositionis ad ejus fructum conjungantur, et separentur in eodem actu attritionis. Disp. 8, num. 268. Non requiritur pro licita receptione sacramenti attritio habita certo metaphysice, sed sufficit habita non certo moraliter. Disp. 12, num. 80. Quonam modo attritio inefficax excludat vel admittat voluntatem peccandi. Disp. 8, num. 293.

AUXILIUM. Idem auxilium potest esse sufficiens, et efficax, ubi sequitur operatio. Disp. 7, n. 29.

AXIOMA. Qui potest ad magis, potest ad minus, qualiter intelligendum sit? Disp. 10, n. 59.

B.

BAPTISMUS. Ante Baptismum non reperiuntur peccata venialia sine mortali. In Comment. ad art. 4, quæstionis 90, num. 3. In baptismo adultorum non requiritur contritio, sed sufficit attritio ad fructum sacramenti. Disp. 7, num. 50. Cur in Baptismo non requiratur tantus dolor, et labor, ac in pœnitentia? Ibi. Cur Baptismi Sacramentum non possit iterari, et possit sacramentum pœnitentiæ? Disp. 7, n. 102. Baptismus flaminis quo pacto gratiam producat? Disp. 11, num. 97.

BLASPHEMIA. Peccatum blasphemiæ, et circumstantiæ in ejus confessione explicandæ. Disp. 8, n. 145.

C.

CAUSA. Licet non sit de essentia causæ actu causare, est tamen quod causare possit. Disp. 7, num. 11. Causare cum sacramento in voto non est idem ac causare in virtute sacramenti. Disp. 7, num. 16. Causa efficiens nequit influere antequam existat. Ibi. num. 18. Causæ excusantes ab annua confessione facienda. Disp. 8, n. 65, num seq. Causæ excusantes, et non excusantes ab integritate confessionis. Disp. 8, num. 212.

CENSURA. An laicus possit absolvere a censuris? Disp. 12, n. 46 et seq.

CHARITAS. Unde habeat unitatem specificam in habitu, et in actu primario. Disp. 7, n. 12. Qualiter obliget præceptum charitatis referendi omnes actiones in Deum ultimum finem. Disp. 7, num. 40. Charitas solet usurpari pro gratia. Ibi. 21.

CHRISTUS. Qualiter influxerit in gratiam veterum Patrum. Disp. 7, num. 18. Habuit potestatem remittendi pœnitentibus peccata sine illorum confessione. Disp. 7, num. 18.

D. CHRYSOSTOMUS. Nihil permisit, aut docuit contra confessionem Sacramentalem, sed eam semper asseruit. Disp. 8, num. 15.

CIRCUMSTANTIA. Quid sit circumstantia in actibus humanis? Disp. 8, num. 83. Circumstantiæ mutantes speciem necessario explicari debent in confessione. Ibi. n. 84. An circumstantia mutans speciem possit a peccato dividi, et seorsim confiteri? Ibi. num. 85. Aliquando circumstantiæ aggravant notabiliter peccatum, sed non addunt, nec mutant speciem. Ibi. num. 86. Non est necessarium confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem. Disp. 8, num. 87. Scrupuli, et absurda ex contraria opinione. Ibi. n. 92. Aliquando indirecte, et per accidens debemus confiteri circumstantias non mutantes speciem. Ibi. num. 93. Sed oppositum frequentius contingit. Ibi. num. 94. Differentia notabilis inter circumstantias mutantes speciem, et circumstantias intra speciem aggravantes. Ibi. num. 98. Circumstantia ex continuatione operis peccaminosi, vel ex turpitudine objecti, non est necessario explicanda. Ibi. num. 100. Quot sint peccatorum circumstantiæ. Disp. 8, n. 108. Circumstantia *Quis*, et ad illam pertinentia. Ibi. num. 109. Non est per se loquendo explicanda dignitas peccantis. Ibi. n. 110. An in peccato incontinentiæ explicari debeat non solum votum, sed status Religiosus. Ibi. num. 111. Ligatus voto castitatis, qui alios eo voto non ligatos inducit ad actus turpes, debet circumstantiam sui voti confiteri. Ibi. num. 112. Explicandæ in delectatione morosa circumstantiæ objecti. Ibi. num. 113. An Circumstantia Novitii, aut Novitiæ mutet speciem? Ibi. num. 114. An sponsi, aut sponsæ? Ibi. num. 115. An circumstantia virginitatis turpiter amissæ? Ibi. num. 116. An si confessarius peccet cum filia confessionis, sit circumstantia explicanda in confessione? Ibi. num. 122. Quid de eunucho fornicante? Ibi. n. 124. An consuetudo peccandi sit circumstantia explicanda? Ibi. num. 125. An circumstantia quod quis peccaverit scienter, vel ex ignorantia. Ibi. num. 128. Circumstantia *Quid*, et ad illam pertinentia. Disp. 8, a num. 131. Frequenter debet explicari quantitas, aut extensio delicti, quia refundit malitias numero diversas. Ibi. num. 132. In peccato contumeliæ an debeant explicari verba contumeliosa. Ibi num. 133. Una numero contumelia potest importare plura numero peccata. Ibi. num. 134. Idem contingit in detractione, et judicio temerario. Ibi. num. 135. Circumstantia in peccato

jactantiæ. Ibi. num. 136. In consiliante peccatum. Ibi. num. 137. In odio proximi. Ibi. num. 138. Plures circumstantiæ specie distinctæ in peccatis luxuriæ. Disp. 8, num. 139. Circumstantiæ specie distinctæ in peccato incestus. Ibi. num. 140. In peccato blasphemiæ. Ibi. num. 145. Circumstantiæ in peccato Apostasiæ. Ibi. num. 146. Plures aliæ hujusmodi circumstantiæ. Ibi. num 147. Circumstantia *ubi* quid designet? Disp. 8, num. 148. An ut peccata commissa in sacro loco sint sacrilegia, debeant esse notoria? Ibi. a num. 151. Quæ peccata, si committantur in loco sacro, sint sacrilegia independenter a jure Ecclesiastico. Ibi. n. 152. Circumstantiæ sacrilegii in furto sacri, aut ex loco sacro. Ibi. a num. 153. Circumstantia *Quibus auxiliis.* Ibi. num. 157. Circumstantia *Cur.* Ibi. num. 161. Vide *Finis.* Circumstantia *Quomodo.* Disp. 8, num. 166. Vide *Modus.* Varia exempla, in quibus modus operandi variat moraliter speciem operationis. Ibi. num. 168. Circumstantia *Quando.* Disp. 8, num. 172. Vide *Festum.*

CLERICUS. Cur nequeat cedere privilegio immunitatis? Disp. 9, num. 62.

COGNATIO. An detur cognatio spiritualis inter confessarium, et pœnitentem, debeatque aliquando explicari in confessione. Disp. 8, num. 122. Cognatio inter consanguineos, et affines. Ibi num. 140. Cognatio legalis, et spiritualis. Ibi num. 140.

COMMUNIO. Potest dari communio informis sacrilega, et non sacrilega. Disp. 8, num. 58. Per communionem informem non sacrilegam satis fit præcepto annuæ communionis, secus per communionem sacrilegam. Ibi num. 159, et num. 315. Communio Sanctorum quid significet? Disp. 10, num. 25, et seq. Qualiter bona unius fidelis fiant propria alterius. Ibi num. 29.

COMMUTATIO. Quo pacto distinguatur ab interpretatione. Disp. 11, num. 51. Commutatio pœnitentiæ sacramentalis nequit fieri ab ipso pœnitente. Ibi num. 52. Potest tamen ab eodem sacerdote, qui satisfactionem injunxit, sed intra confessionem, et non extra. Ibi numero 53. Potest etiam fieri ab alio sacerdote æquali illi, qui pœnitentiam imposuit. Disput. 11, numero 54. Pœnitentia injuncta a superiore pro reservatis potest commutari a sacerdote inferiori intra confessionem. Ibidem, num. 55.

COMPLEX. An possit in confessione taceri aliquod peccatum, ne complex cognoscatur a confessario. Disp. 8, a num. 219.

CONCILIUM. Decretum Concilii Lateranensis circa annuam confessionem explicatur, et defenditur. Disp. 8, dub. 2, per totum.

CONFESSIO, ET CONFESSARIUS. Ut sit accusatio, et pars sacramenti, debet esse cum dolore peccatorum. Disp. 7, num. 2. Imprudentia aliquorum ministrorum in experiendo pœnitentium dolorem per comparationem ad mala horribilia, et urgentes tentationes. Disp. 7, num. 75. Quomodo oblita includantur in confessione, et remittantur. Disp. 7, num. 97. Non solum licitum, sed utilissimum, et laudabile est iterare confessionem eorundem peccatorum. Ibi num. 98 et num. 100. Confessio in ratione accusationis, et partis sacramenti supponit necessario dolorem de peccatis. Disp. 7, num. 103. Nequit esse accusatio, nisi ex dolore procedat. Ibi num. 107 et 109. Qualiter confessio facta a principio sine dolore, ubi ponitur dolor, transeat in accusationem. Ibi numero 111. An multæ confessiones possint fieri cum eodem dolore. Disp. 7, a num. 114. Vide *Dolor.* Cur una confessio non possit deservire multis absolutionibus, et sacramentis? Ibi num. 125. Qui confitetur sola venialia sine illorum dolore, peccat mortaliter. Disput. 7, num. 133. Quid si aliqua confiteatur cum dolore, et aliqua sine dolore? Ibi a num. 135. An qui mortalia jam confessa iterum confiteatur sine dolore, peccet mortaliter? Ibi num. 139. Non peccat mortaliter, qui in confessione imponit sibi aliquod veniale, quod non fecit ; secus si fingat mortale, licet dicat esse jam confessum. Ibi num. 142. Ad confessionem venialium requiritur propositum illa vitandi. Disp. 7, num. 143. Multiplex confessionis significatio, et acceptio, et quid sit confessio sacramentalis? Disp. 8, num. 1. Sacramentalis confessio habet institutionem divinam. Ibi num. 2. Cadit sub præcepto divino, num. 3, cum. seq. Figuræ confessionis in veteri lege. Ibi num. 8. Magna commoda ex confessione sacramentali. Ibi num. 11. Con-

fessio peccatorum facta soli Deo commendatur. Ibi num. 15. Græci non negarunt, nec negant confessionem sacramentalem. Ibi num. 16. Non est impossibilis peccatorum confessio. Ibi num. 19. Confessio sacramentalis non caderet sub præcepto ecclesiastico, si non caderet sub divino. Disp. 8, num. 21. Cadit de facto sub præcepto Ecclesiastico. Ibi. num. 24. An aliqui Regulares teneantur ad confessionem venialium? Ibi. num. 31. An Sanctimoniales debeant singulis mensibus confiteri? Ibi. num. 31. An iterata peccatorum confessio possit cadere sub præcepto? Ibi. num. 33. Quas personas conprehendat, et obliget confessionis annuæ præceptum? Ibi. a num. 35. Vide *Præceptum*. Confessio singulis annis facienda, et qualiter computandus annus. Disp. 8, a num. 46. Qui omisit unius anni confessionem non liberatur ab ejus onere, sed tenetur quamprimum confiteri. Ibi. num. 48. Nequit una confessione satisfieri obligationi confitendi in duobus annis. Ibi. num. 49. In recordatione peccatorum pro confessione non requiritur summa, sed gravis, et prudentialis diligentia. Disput. 8, num. 55. Præcepto annuæ confessionis satisfit per validam, et informem. Ibi. num. 56. Secus per confessionem voluntarie nullam. Ibi. num. 57 et 60. Non omnis confessio informis est sacrilega. Ibi. numero 58. Quæ causæ excusent ab annua confessione. Disp. 8, numero 65 et seq. Confessio peccatorum occultorum cadit sub præcepto Ecclesiæ. Ibi. num. 62. In confessione manifestari debent omnia peccata mortalia quantum ad species, numerum, et circumstantias mutantes speciem. Disp. 8, a num 71. Et confiteri uni, et eidem sacerdoti. Ibi. num. 72. Opus est confiteri non solum actum internum, sed etiam actionem externam. Ibi. num. 73. Quo sensu accipiendæ sunt pecatorum species, ut confiteri debeant. Ibi. num. 76. Quomodo sumendus numerus peccatorum in ordine ad confessionem. Ibi. numero 77 cum seq. Numerus peccatorum debet in confessione explicari. Ibi. numero 78. Quid agendum ubi certus numerus peccatorum assignari non valet. Ibi. num. 79. Quæ circumstantiæ sint necessario in confessione explicandæ. Disp. 8, num. 84 et 87. Vide *Circumstantia*. An, et quando possit confessarius interrogare de quantitate furti, et aliis circumstantiis. Disput. 8, num. 102. Non licet in confessione substituere peccatum non commissum loco commissi. Ibi numero 103. Sententia docens, circumstantias notabiliter aggravantes non esse necessario explicandas in confessione, est simpliciter tuta. Ibi. num. 105. Circumstantiæ, quæ rationi notabiliter opponuntur, semper afferunt diversitatem specificam, et debent in confessione explicari. Ibi. num. 107. Vide *Circumstantia*. Peccata dubia negative, et levi fundamento, non debent necessario in confessione explicari. Disp. 8, num. 177. Certus de peccato, et dubius de confessione debet illud confiteri. Ibi. num. 178. Peccata mortalia dubia necessario sunt confitenda. Ibi. num. 184. An idem dicendum de mortalibus probabilibus? Ibi. num. 198. Peccatum mortale confessum ut dubium, si postea cognoscatur certum, debet iterum confiteri ut certum. Disput. 8, num. 203. Quid de confitente decem peccata plus minusve. Ibi. num. 206. Peccata inculpabiliter in una confessione oblita debent in alia explicari, et pro eorum absolutione non sufficit simplex sacerdos. Ibi. num. 208. Quæ integritas requiratur in confessione? Vide *Integritas*. An liceat confiteri mortalia apud unum confessarium, et venialia apud alium? Disp. 8, num. 216. Plura occurrentia in confessione moribundi. Ibi. a num. 227. Vide *Moribundus*. In confessione generali qui confitetur aliqua peccata hactenus non confessa debet explicare esse non confessa. Disp. 8, num. 247. An qui dicit se velle generaliter confiteri, peccet mortaliter si non dicat omnia mortalia? Ibi. num. 254. Quando mentiri in confessione sit peccatum mortale. Ibi. a num. 255. Confessio ex fine mortaliter malo est invalida. Disp. 8, num. 156. Et etiam quando fit ex fine venialiter malo. Ibi. num. 257. Examen conscientiæ pro confessione requisitum. Disp. 8, num. 260. Potest dari confessio informis, et valida. Disp. 8, num. 265, et seq. Non est talis, quæ fit cum sola naturali attritione. Ibi. numero 279. Nec ubi deficit supernaturalis dolor. Ibi. num. 275 et 276. Nec ubi deficiunt actus formales, et expliciti fidei, et spei. Ibi. num. 278. Nec ubi adest attritio efficax. Ibi. num. 277. Nec ubi dolor non extenditur ad omnia peccata. Ibi. num.

280. Nec etiam dum in ultimo absolutionis instanti committitur peccatum lethale. Ibi. num. 284. Nec ubi adest propositum virtuale emendationis vitæ,et deficit formale, et expressum. Ibi. num. 286. Est valida, et informis, quæ fit cum sola attritione inefficaci invincibiliter existimata efficaci. Ibi. num. 289. Est etiam valida, et informis, quæ dimidiatur ob negligentiam examinis pure vincibilem, et graviter culpabilem. Disp. 8, num. 306. Quæ dimidiatur ob negligentiam examinis simpliciter invincibilem, est valida, et fructuosa. Ibi. num. 304. Dimidiata ob negligentiam crassam, supinam, aut affectatam circa examen, est nulla. Ibi. num. 303. An sit de substantia sacramenti confessionem esse formaliter integram, et qualiter? Ibi num. 312. Confessio facta laico quo pacto sit sacramentalis? Disp. 12, num. 54, in fine. An per confessionem indirecte sacrilegam fiat satis præcepto confessionis? Disp. 8, num. 315. Quot sint conditiones confessionis, et quæ ad ejus substantiam spectent. Disp. 8, a num. 319, et seq. Est nulla ea confessio, in qua pœnitens scienter confitetur plura peccata lethalia quam commisit. Ibi num. 319. Confessor accusatus de falso crimine a pœnitente, cui absolutionem denegavit, nequit se defendere prodendo confessionem. Disp. 9, num. 41. An possit a via declinare, dum scit per confessionem mortem in nemore sibi a latronibus præparatam? Ibi. num. 42. An vocatus teneatur adire pœnitentem, quem scit per confessionem sibi scandalum esse? Ibi. num. 44. An possit abstinere a confessione facienda illi, quem per confessionem scit non esse sacerdotem? Ibi. num. 45. Nequit manifestare pœnitentiam injunctam pœnitenti, dum est signum gravis culpæ confessæ. Ibi. num. 46. Nec denegare confessionis schedulam illi,quem non absolvit. Ibi. n. 47. Quo pacto possit loqui de auditis in confessione,si aliunde eorum habeat notitiam extrasacramentalem. Ibi. num. 56.

CONFIRMATIO. An sacramentum confirmationis ministrari possit a simplici sacerdote ex concessione Ecclesiæ? Disp.12, n. 55.

CONSCIENTIA. Quibus modis contingat conscientiam esse dubiam? Disp. 8, n. 176. Consonantia inter forum conscientiæ, et forum externum. Ibi. n. 178.

CONSENSUS. Quomodo supplendus, quando defuit in celebratione Matrimonii. Disp. 7, n. 105.

CONSECRATIO. Qui inter hostias a sacerdote consecrandas apponit aliquam non triticeam, peccat mortaliter; secus qui inter venialia, de quibus dolet, confitetur aliquod sine dolore. Disp. 7, a n. 135.

CONSILIUM. Quæ sunt Consilii, nequeunt per Ecclesiam præcipi. Disp. 8, num. 24.

CONSUETUDO. Consuetudo peccandi quando debeat in confessione explicari. Disp. 8, num. 125. Defenditur consuetudo conferendi absolutionem sacramentalem ante executam satisfactionem. In Comm. ad art. 2, quæst. 90, num. 4.

CONTEMPTUS. Addit malitiam specie distinctam supra inobedientiam, et violationem præcepti. Disp. 8, n. 170. Contemptus formalis semper est peccatum mortale. Ibi. num. 171.

CONTUMELIA. An in peccato contumeliæ sint explicanda verba contumeliosa? Disp. 8, num. 133. Omnes contumeliæ sunt ejusdem speciei. Ibi. In eadem contumelia possunt concurrere plura peccata numero distincta explicanda in confessione. Ibi. num. 134.

CONVERSIO. Alia dispositiva, et vialis; alia formalis, et consummata. Disp. 7, num. 42.

COPULA. Distinguitur essentialiter ab aliis actibus luxuriæ, et debet in confessione explicari. Disp. 8, num. 129. Copula carnalis præpostera, et more bestiarum, variat speciem, et est peccatum mortale. Ibi. num. 168.

D.

DELECTATIO. In peccato delectationis morosæ explicari debet status peccantis, et circumstantia objecti, disp. 8, n. 112 et 113.

DETRACTIO. Quomodo explicari debeat detractionis peccatum in confessione? Disp. 8, n. 135. Quid requiratur ad peccatum detractionis. Ibi n. 210. Quomodo possit vel in confessione committi. Ibi n. 224.

DEUS. Debemus Deum diligere super omnia appretiative, sed non tenemur ad majorem amorem intensive. Disp. 7, n. 73.

DICTAMEN. Dictamen rationis quo pacto abeat rationem legis. Disp. 9, n. 6 et 7.
DIES. Reverentia debita diebus sacris, peccata contra illam. Disp. a n. 172.
DIMIDIATIO. In quibus casibus liceat imidiare confessionem ? Disp. 8, n. 113. ide *Integritas*.
DISTINCTIO. Unde accipienda distinctio umerica peccatorum. Disp. 8, n. 77. Disnctio circumstantiarum in ordine ad conssionem. Ibi n. 83.
DIVISIO. Virtutis pœnitentiæ divisio in es status. In Comm. ad art. 4, qu. 90, a 2.
DOLOR. In dolore concurrente ad Sacraentum Pœnitentiæ distingui debent, et urimum differunt conceptus partis Sacraenti, et conceptus dispositionis ad graam Sacramenti. Disp. 7, num. 1. Aliquis olor essentialiter requiritur ad valorem acramenti Pœnitentiæ. Disp. 7, num. 2. ividitur in dolorem perfectum contritois, et dolorem imperfectum attritionis. i num. 3. Pro dolore, qui est pars Sacraenti Pœnitentiæ, non requiritur contrio, sed sufficit attritio. Disp. 7, num. 9. res diversos dolores assignavit Concilium ridentinum, et docuit eorum quemlibet ufficere ad rationem partis Sacramenti œnitentiæ. Ibi num. 23. Quid censendum e hoc actu : Doleo quod non doleam de eccatis. Disp. 7, numero 67. Dolor requitus ad remissionem venialium in Sacraento Pœnitentiæ. Ibi num. 68. Dolor reuisitus pro Sacramento Pœnitentiæ non xposcit summam vel determinatam intenonem. Disp. 7, num. 71. Excessus doloris uplex, intensivus, et appretiativus. Disp. 7, um. 74. Dolor requisitus ad Sacramentum œnitentiæ debet terminari ad omnia pecta mortalia in particulari. Ibi num. 78. ebet procedere sub motivo universalis et iter non sufficit ad valorem Sacramenti. i num. 80 et disp. 8, num. 277. Quoodo terminetur ad peccata pœnitenti cculta. Ibi numero 82. Ad contritionem ecessaria etiam est recogitatio, et dolor e omnibus peccatis in particulari. Ibi num. 3. Quæ sit materia doloris pertinentis ad acramentum Pœnitentiæ. Disp. 7, numero 38. Dolor de peccatis præsupponitur ecessario ad confessionem. Disp. 7, num. 03. Dolor interior nequit fieri sensibilis er confessionem, si illam non antecedit. Ibi num. 105. An dolor præcedat tempore confessionem, et absolutionem ? Ibi num. 112. Idem doloris actus nequit servire multis confessionibus simul concurrentibus. Disp. 7, num. 114. Idem doloris actus potest permanere vel habitualiter, vel virtualiter, vel formaliter. Ibi num. 113. Idem dolor, si formaliter perseveret, potest servire multis confessionibus. Ibi numero 116. Secus si tantum habitualiter maneat. Ibi num. 117. Sufficit tamen si perseveret virtualiter. Ibi num. 121. Quanto tempore possit idem dolor virtualiter permanere. Ibi num. 124. Dolor est pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ, licet confessio fiat de solis venialibus. Ibi numero 130.

E.

ECCLESIA. Non posset obligare ad confessionem Sacramentalem, si non fuisset a Christo præcepta. Disp. 8, num. 21. Ecclesiæ præceptum de Sacramentali confessione singulis annis. Ibi num. 24. Ecclesia nequit absolute præcipere ea, quæ sunt materia Consilii. Ibi num. 23. Potest Ecclesia dispensare in præcepto annuæ confessionis, et illud abrogare. Ibi numero 27. Quæ possit Ecclesia mutare, aut præcipere circa Sacramenta ? Disp. 8, n. 29. Non repugnat Ecclesiam præcipere confessionem aliquorum venialium. Ibi n. 30. Ecclesia præcipiens annuam confessionem, præcipit confessionem validam absolute. Disp. 8, a n. 60. Quomodo Ecclesia præcipere valeat actus internos ? Ibi n. 62. De peccatis in Ecclesia commissis. Vide *Templum*.
EFFECTUS. An effectus actionis peccaminosæ debeat in confessione explicari ? Disp. 8, n. 73.
EPISCOPUS. An in suis peccatis debeat explicare suam dignitatem? Disp. 8, num. 110.
EUCHARISTIA. Præceptum præmittendi confessionem sacramentalem pro sumenda Eucharistia. Disp. 8, num. 51. Qui post susceptam immediate Eucharistiam fornicaretur, committeret aliud, et specie diversum peccatum mortale. Disp. 8, num. 175. Eucharistia nec in publico, nec in secreto potest denegari indigno ob solam notitiam acquisitam intra confessionem. Disp. 9, num. 40.
EUNUCHUS. Si fornicetur, debet eam

circumstantiam explicare. Disp. 8, num. 124.

EXAMEN. Requiritur ad confessionem examen conscientiæ. Disp. 8, n. 260. Sed non uniforme in omnibus. Ibi n. 261. Prudentia desiderata in confessariis ad examinandum pœnitentes. Ibi num. 263. Unde obligetur pœnitens ad examen conscientiæ ? Disp. 8, n. 302. Qualiter requiratur examen ad Sacramenti valorem ? Ibidem num. 305.

EXTENSIO. Duplex invenitur in qualitatibus, subjectiva, et objectiva. Disp. 7, num. 70.

F.

FAMA. Vide *Detractio.*

FESTUM. An peccare in diebus festis addat novam speciem peccato ? Disp. 8, a num. 172.

FERITAS. Est particulis species peccati superaddita homicidio. Disp. 8, num. 169.

FICTIO. Quid sit ? Disp. 8, num. 307 et seq. Dividitur in formalem, et materialem, et utramque tenetur pœnitens confiteri. Ibidem.

FILIUS. Filiorum peccata contra parentes quantum aggraventur ? Disp. 8, num. 138. Filiorum furta. Ibi.

FIDES. Vide *Infidelitas.*

FINIS. Impossibilis conversio hominis ad duos ultimos fines. Disp. 7, num. 13. Finis effectus potest esse minus perfectus, quam bonum ad eum ordinatum. Disp. 7, num. 35. Quis sit ultimus finis operum existentis in peccato ? Disp. 7, num. 38. An ubi finis est bonus, et medium, quod eligitur, malum, concurrant duæ malitiæ species explicandæ in confessione ? Disp. 8, numero 161. Si id quod posset esse finis pure concomitanter se habet, nullam malitiam inducit in operationem. Ibi numero 163. Si finis sit malus, et medium etiam malum, solent inducere duas malitias specie diversas. Ibi numero 164. Finis operantis est potior in influendo, quam finis operis. Ibi numero 165. Finis vel mortaliter, vel venialiter malus reddit invalidas confessiones ex eo factas. Disp. 8, numero 257. Confessio ex fine venialiter malo est peccatum mortale. Ibi num. 258. Ut homo dirigatur ad finem supernaturafem, necessaria est lex divina supernaturalis ; secus ut dirigatur ad finem naturalem. Disp. 9, num. 5. Quem finem respiciat sigillum Sacramentale ? Ibi.

FORMA. Per quam formam expellantur peccata venialia ? Disp. 7, num. 128.

FORNICATIO. Turpes actus illam præcedentes solent constituere peccatum ab ea distinctum, et necessario confitendum. Disp. 8, num. 165.

FURTUM. An in confessione furti debeat explicari quantitas rei ablatæ ? Disp. 8, numero 100 et seq. Filiorum furta. Ibi numero 138. Furtum sacri ex loco sacro habet malitiam sacrilegii, Disp. 8, num. 153. Et etiam furtum rei sacræ ex loco non sacro. Ibidem. Quid dicendum de furto rei non sacræ ex loco sacro ? Ibi num. 154.

G.

GRATIA. Gratia ex meritis Christi non limitatur ad solam victricem delectationem. Disp. 7, num. 43.

H.

HÆRESIS. Plures hæreses contra confessionem Sacramentalem. Disp. 8, num. 12. Hæretici tenentur ad confessionem annuam Ecclesiastico præcepto. Disp. 8, n. 35.

HOMICIDIUM. Quando ex circumstantia loci fit homicidium ? Disp. 8, num. 151.

I.

JACTANTIA. Peccatum jactantiæ de peccato, et quomodo multiplicetur specie. Disp. 8, num. 137.

IGNORANTIA. An debeat in confessione explicari, quod quis peccaverit ex ignorantia ? Disp. 8, num. 128. Quæ sit crassa, aut supina, quæ affectata, quæ invincibilis, et quæ pure vincibilis ? Disp. 8, n. 301 et seq. Quod discrimen intercedat inter peccatum commissum ex ignorantia crassa, supina, et affectata, et inter commissum ex ignorantia pure vincibili ? Ibi num. 302. Ignorantiæ crassæ, supinæ, et affectatæ conditio exponitur. Ibi num. 314.

IMPERFECTIO. Qui actus in via spirituali dicantur imperfectiones, et utrum possint esse materia Sacramenti Pœnitentiæ. Disp. 7, num. 91 et 92.

IMPOTENTIA. Ob impotentiam physi-

cam vel moralem excusatur aliquando pœnitens ab integritate materiali confessionis. Disp. 8, a n. 213.

INCESTUS. In quo consistat, et variæ illius species. Disp. 8, a num. 140.

INCITATIO. An qui alium incitat positive ad peccandum, debeat id in confessione explicare. Disp. 8, n. 158.

INDULGENTIÆ. Qualiter excusent a Pœnitentiæ Sacramentalis adimpletione? Disp. 11, n. 78 et seq. Non excusant a pœnitentia ut medicina. Ibi n. 87. Quid importent indulgentiæ sumptæ formaliter. Ibidem.

INFAMIA. Vide *Detractio*.

INFIDELITAS. Plures infidelitatis speies explicandæ in confessione. Disp. 8, n. 146.

INOBEDIENTIA. Vide *Contemptus*.

INSTRUMENTUM. Non refert communiter loquendo, quod peccatum committatur his, aut illis instrumentis. Disp. 8, num. 157.

INTEGRITAS. Integritas confessionis alia materialis, alia formalis. Disp. 8, num. 209. Integritas materialis requiritur per se loquendo ad confessionem. Ibi n. 210. Aliquando, et per accidens sufficit sola integritas formalis, licet non dicantur omnia peccata. Ibi n. 211. Conditiones ad id requisitæ. Ibidem. Quando peccatum in una confessione suppressum debeat in alia manifestari. Ibi n. 212. Plures casus, in quibus pœnitens ob impotentiam physicam, vel moralem excusatur ab integritate materiali confessionis. Ibi a num. 213. Causæ sufficientes, quæ non excusant ab integritate confessionis. Ibi n. 215. Non sufficit magnus pœnitentium concursus in aliquo Jubilæo, aut solemnitate. Ibi n. 117. Prava aliquorum circa istud praxis. Ibi. An liceat dimidiare in confessione peccata non reservata a reservatis, et e contra. Ibi n. 218. An pœnitens, confessario manifestet complicem, possit, et debeat tacere aliquod peccatum. Disp. 8, n. 220. Conditiones ut peccatum complicis possit manifestari. Ibi n. 222. Pœnitens eas non observans peccat mortaliter. Ibi n. 224. An teneatur ad restituendum complicis famam. Ibi n. 225. Quid si complex non fuerit, sed alius tertius. Ibi n. 226. Moribundus potest confiteri peccata in communi. Ibi n. 227. Vide *Moribundus*.

Tam formalis, quam materialis integritas est de jure divino. Disp. 9, num. 24. Quos fines respiciat integritas confessionis. Ibi n. 26. Non licet revelare sigillum ob integram confessionem faciendam. Ibi n. 27.

INTENTIO. Intentio suscipiendi sacramentum pœnitentiæ oritur per se loquendo ex dolore peccatorum, et non e contra, et non reddit sensibilem dolorem. Disp. 7, num. 104. Intentio formalis virtualis, et habitualis. Disp. 7, num. 115. Quæ illarum requiratur, et sufficiat ad conficiendum, et recipiendum sacramentum. Ibi. a num. 117. Quæ ad celebrandum, et applicandum Missæ sacrificium? Ibi. num. 119 et 123.

INTENSIO. Quomodo intendatur qualitas? Disp. 7, num. 70. Non requiritur summa vel certa intensio doloris pro sacramento. Ibi. num. 71. Intensio peccati non est circumstantia mutans speciem. Disp. 8, num. 166.

J.

JUDEX. An sæcularis judex possit impunitum relinquere delinquentem, et plectere insontem sponte oblatum ad subeundam pœnam delinquentis? Disp. 10, num. 36.

JURAMENTUM. Cur graviter delinquat qui jurat rem levem facturum sine intentione adimplendi? Disp. 11, num. 27.

JURISDICTIO ECCLESIASTICA. Quid, quotuplex, et qualiter ad valorem sacramenti necessaria? Disp. 12, num. 56. Quæ sit ordinaria, quæ delegata, quæ dubia, quæ probabilis, quæ habita titulo colorato? Ibi. num. 57. Dubia non sufficit ad absolvendum absolute, sed solum conditionate in eventu necessitatis. Ibi. Sacramentum ministratum cum jurisdictione habita titulo colorato est validum. Ibidem. Sacerdos ex vi ordinis non habet jurisdictionem ad absolvendum a lethalibus. Disp. 12, num. 57, et seq. Quilibet sacerdos etiam hæreticus habet jurisdictionem ad absolvendum quemlibet pœnitentem a quibuscumque peccatis in articulo mortis. Ibi. num. 61, et seq. Nequit simplex sacerdos absolvere existentem in articulo mortis, si proprius sacerdos adsit. Ibi. num. 63. Nec sacerdos hæreticus, schismaticus, degradatus, aut excommunicatus in præsentia

sacerdotis catholici non excommunicati. Ibi. num. 64. Qui non habet jurisdictionem ordinariam aut delegatam, nequit absolvere moribundum in præsentia sacerdotis habentis privilegium ad absolvendum. Disp. 12, num. 66. Nequit simplex sacerdos absolvere moribundum in præsentia habentis jurisdictionem ad absolvendum a lethalibus. Ibidem. Sacerdos excommunicatus non toleratus potest absolvere moribundum in præsentia simplicis sacerdotis; et similiter sacerdos nunquam expositus in præsentia alterius alibi approbati, sed non ubi fit confessio. Ibi. num. 67. Omnis sacerdos simplex habet jurisdictionem ad absolvendum a venialibus, et lethalibus jam confessis. Ibi. num. 68. An hæc jurisdictio habeatur a Christo immediate, an vero ab Ecclesia? Ibi. num. 69. Nequit tamen ea uti licite post decretum Innocentii XI. Ibi. Jurisdictio est separabilis a potestate absolvendi. Disp. 12, num. 75 Distinguitur a charactere sacerdotali. Ibidem. Non est potentia physica, sed moralis. Ibi. num. 76. Qualiter absolutio pendeat a jurisdictione. Ibi. num. 77. Quæ circumstantiæ attendi debeant, ut pœnitens in articulo mortis possit a sacerdote hæretico absolvi. Ibi. num. 79. Jurisdictio probabilis tenui probabilitate insufficiens est ad ministrandum pœnitentiæ sacramentum. Disp. 12, dub. 7, num. 79. Sufficit tamen jurisdictio ingenter probabilis. Ibidem dub. 7, per totum.

JUS. Juris naturalis duplex acceptio. Disp. 9, num. 8. Actus virtutum supernaturalium qualiter obligent ex jure naturæ. Ibidem.

L.

LEX. Distinguenda in lege duplex vis, directiva, et coactiva. Disp. 8, num. 38. An legislator obligetur ad observandum legem a se latam? Ibi. Quo sensu lex humana dicatur declarativa juris divini. Ibi. num. 40.

LIBERTAS. Libertas est duplex, intrinseca, et extrinseca. Disp. 10, num. 42.

LICENTIA. Nequit superior licentiam concedere ad revelandam confessionem. Disp. 9, num. 61. An possit pœnitens? Ibi. num. 58, et seq. Non potest sacerdos sine pœnitentis licentia loqui de auditis in confessione nec cum aliis, nec cum eodem pœnitente. Ibi. num. 36, An ut pœnitens eam concedat, debeat peccata extra sacramentum historice referre sacerdoti? Ibi. num. 58. An sufficiat licentia tacita? Disp. 9, num. 59. Sufficit sola licentia pœnitentis, ut sacerdos possit revelare peccatum complicis. Ibi. num. 60. Ubi pœnitens licentiat sacerdotem, ut confessionem revelet, non cedit juri sacramenti. Ibi. num. 62. Nec dispensat in præcepto sigilli. Ibi. num. 63. Nemo potest alteri licentiam concedere, ut sibi mortem inferat. Ibidem.

LOCUS. Non omne peccatum commissum in loco sacro est sacrilegium, aut peccatum grave. Disp. 8, num. 148. Plura peccata gravia ex circumstantia loci. Ibidem. Homicidium, effusioque sanguinis. Ibi. num. 149. Copula carnalis, et effusio seminis. Ibi. num. 140. An debeant esse notoria, ut importent circumstantiam sacrilegii? Ibi a num. 151. De furtis in aut ex locis sacris. Ibi. num. 153, cum seq. Peccata contra immunitatem loci sacri. Ibi. num. 155. Qui dicatur locus sacer respective ad diversa peccata. Ibi. num. 156.

LUXURIA. Major oppositio in peccatis luxuriæ, quam in aliis cum sacra Eucharistia. Disp. 8, num. 175.

M.

MACULA. Sublata macula peccati nequit permanere reatus ad pœnam æternam. Disp. 7, num. 14. Macula peccati venialis est aliquid præter reatum ad pœnam. Disp. 7, num. 89.

MATERIA. An in materia sacramentorum distingui debeant diversæ partes. In Comment. ad art. 1, qu. 90, num. 3. Quæ sit materia doloris pertinentis ad sacramentum pœnitentiæ. Disp. 7, num. 88. Sola peccata sunt materia sacramenti pœnitentiæ. Disp. 7, num. 90. An imperfectiones sint materia hujus sacramenti. Ibi. num. 91. Sola pœnitentis peccata sunt materia pœnitentiæ. Ibi. num. 93. Debent esse vere commissa. Ibi. num. 95. Et præterita, non futura. Ibi. num. 96. Peccata oblita sunt materia sacramenti, et virtutis pœnitentiæ. Ibi. num. 97. Peccata etiam jam confessa, et dimissa. Ibi. num. 98.

Peccata mortalia dubia sunt materia necessaria confessionis. Disp. 8, num. 184.

MATRIMONIUM. Quando fuit nullum ob defectum consensus ex parte unius conjugis, quomodo revalidandum? Disp. 7, num. 105.

MENDACIUM. Quale peccatum sit mentiri in confessione. Disp. 8, a num. 255.

MERETRIX. Publicæ meretrices tenentur ad confessionem annuam, et incurrunt censuras non confitentibus impositas. Disp. 8, num. 37.

MERITUM. Potest homo de condigno sibi mereri vitam æternam. Disp. 10, num. 15. Cur possit justus satisfacere de condigno pro pœna alterius, et non possit de condigno mereri gratiam, et gloriam alteri dandam. Ibi. num. 33. Non potest justus transferre in alium jus ad præmium de condigno suis meritis correspondens. Ibi num. 38. Quo pacto opus meritorium vitæ æternæ sit etiam meritorium ablationis cujuscumque impedimenti ad illius assecutionem. Disp. 10, num. 59. Opera extra charitatem facta non fiunt meritoria per adventum charitatis. Ibi. num. 66.

METUS. Vide *Timor*.

MINISTER. Nemo præter sacerdotes habet potestatem ministri in sacramento pœnitentiæ. Disp. 12, num. 42. Nec habere potest ex dispensatione Ecclesiæ. Ibi. num. 45. Qualiter sacramentorum minister se conformare debeat cum principali agente. Disp. 9, num. 12 et 15.

MISSA. An possit omitti a sacerdote, qui intra confessionem novit venenatum vinum sibi esse præparatum? Disp. 9, num. 42.

MORS ET MORIBUNDUS. Mors spiritualis ex analogia ad corporalem per quid formaliter excludatur. Disp. 7, num. 41. Pro suscipiendo sacramento in articulo mortis sufficit attritio cognita, et non requiritur contritio vera, vel existimata. Disp. 7, num. 64. Plures, et difficiles casus occurrentes in absolutione moribundi. Disp. 8, num. 227. An sufficiat illi confiteri peccata in genere? Ibi. An dans aliqua doloris signa in absentia confessarii possit ab eo superveniente absolvi? Ibi. num. 234. Quid si adveniente confessario non adsint testes deponentes quid egerit moribundus? Ibi. num. 238. Quid si moribundus reperiatur, qui nullum per se vel per alios ostendat sacerdoti signum doloris. Ibi. num. 240. Non potest, nec debet in tali casu conferri absolutio. Ibi. num. 244.

MODUS. Modus, quo operatio fit, addit aliquando novam speciem, et aliquando non. Disp. 8, num. 166. Modus intensionis. Ibi. Modus durationis, et continuationis. Ibi. Alii plures modi. Ibi. a num. 167. Modus exercendi copulam carnalen an variet speciem? Ibi. num. 168. Feritas, raptus, et rapina sumunt speciem ex modo, quo operatio fit. Disp. 8, n. 169. Modi falsi, et insufficientes ad explicandum sacramentum pœnitentiæ validum, et informe. Disp. 8, a num. 275.

N.

NEGLIGENTIA. Negligentia circa examen conscientiæ multipliciter contingit. Disp. 8, num. 301, et seq.

NECTARIUS. An Nectarius Patriarcha Constantinopolitanus prohibuerit confessionem sacramentalem? Disp. 8, num. 12 et seq.

NOTITIA. Nequit sacerdos uti confessionis notitia ad vitandum excommunicatum non toleratum? Disp. 9, num. 38. Nec ad denegandam Eucharistiam indigno. Ibi. num. 39 et 40. Nec ad minus grate alloquendum pœnitenti, aut severiorem vultum ei ostendendum. Ibi. num. 35. Nec ad aliquam actionem gubernationis externæ denegandi suffragium in electione, vel removendi subditum ab officio, et similium. Disp. 9, num. 48 et seq. Omnis usus notitiæ confessionis in detrimentum, et incommodum pœnitentis est violatio sigilli. Ibi. num. 51.

NOVATUS. Quis fuerit, et quid docuerit? Disp. 12, num. 16.

NOVITIUS. An Novitius peccans contra castitatem debeat suum statum explicare in confessione? Disp. 8, num. 114.

NUMERUS. Quid agendum ubi in confessione nequit asseverari certus numerus peccatorum. Disp. 8, num. 81 et 206.

O.

OBEDIENTIA. Vide *Contemptus*.

ODIUM. Plures circumstantiæ atten-

dendæ in odio proximi. Disp. 8, num. 138. Odium inter personas valde conjunctas frequenter affert aliam malitiam specie diversam. Ibi.

OPINIO. In usu sacramentorum non licet sequi præcise opinionem probabilem relicta tutiori. Disp. 7, num. 51 et 52. Sententia docens pro sacramento pœnitentiæ sufficere attritionem est tutior, quam opposita exigens contritionem. Ibi. num. 34. Duobus modis potest aliqua opinio dici tutior. Ibi. num. 55. An opinio probabilis excuset a confitendo peccatum mortale dubium? Disput. 8, num. 193. Quam opinionem teneamur sequi in conferendis sacramentis? Disp. 12, num. 83 et 84. Quæ differentia versetur inter opinionem probabilem circa materias, et formas sacramentorum, et inter opinionem probabilem circa jurisdictionem ministri. Ibi. num. 84. An opinio, docens absolutionem præstitam cum jurisdictione probabili esse licitam, sit minus tuta, quam opposita? Disp. 12, num. 85 et seq.

OPUS. Quo sensu egregia virtutum opera dicantur non prodesse sine charitate. Disp. 7, n. 40.

ORDO. Ordo eorum, quæ in hoc tractatu dicuntur. In procem. ad qu. 90.

P.

PAPA. Summus Pontifex tenetur ad confessionem annuam. Disp. 8, num. 38. Potest autem abrogare, et secum dispensare in talis confessionis præcepto. Ibi. num. 39.

PARS. Partes sacramenti pœnitentiæ ex parte materiæ. In Comm. ad art. 2, qu. 90, per totum. Sunt partes integrales ejusdem materiæ. In Comm. art. 3, qu. 90, n. 1.

PECCATUM, et PECCATOR. Quæ sit distinctio inter peccata cordis, oris, et operis? In Comm. art. 3, qu. 90, n. 3. Non omnia opera peccatoris sunt peccata. Disp. 7, n. 38. Omnia peccata gravia expelluntur per contritionem. Disp. 7, n. 65. Non requiritur quod dolor de peccatis sit summus intensive, sed appretiative. Disp. 7, a n. 71. Pro majori peccato debetur major dolor appretiativus. Ibi. n. 76. Dolere magis appretiative de minori peccato, quam de majori, est peccatum, et quale. Ibi. n. 72. Peccata in sacramento pœnitentiæ non remittuntur absque eorum dolore in particulari. Ibi. n. 78. Quomodo remittuntur peccata occulta, quæ pœnitens non cognoscit. Ibi. n. 82. Recogitatio, et dolor peccatorum in particulari requiruntur per se, et in omni statu ad veram de illis contritionem. Ibi. n. 83, et 85. Omnia, et sola peccata pœnitentis sunt materia sacramenti pœnitentiæ. Disp. 7, n. 88, et 93. Pro aliorum peccatis possumus satisfacere, non autem pœnitere. Ibi. n. 94. Peccatum, quod est materia sacramenti, debet esse vere commissum. Ibi. n. 95. Peccata erronee apprehensa non sunt materia sacramenti pœnitentiæ, bene autem pœnitentiæ virtutis. Ibi. Peccata futura non sunt materia sacramenti, nec virtutis pœnitentiæ. Ibi. n. 96. Peccata oblita sunt materia pœnitentiæ tam sacramenti, quam virtutis. Ibi. n. 97. Peccata jam confessa, et dimissa sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ. Ibi. num. 98. Peccata commissa ante Baptismum possunt esse materia pœnitentiæ virtutis, non autem pœnitentiæ sacramenti. Ibi. n. 101. An debeat scribere peccata timens quod eorum postea pro confessione non recordabitur. Disp. 8, n. 55. Omnia mortalia quantum ad species, et numerum, et circumstantias mutantes speciem debent in confessione manifestari. Disp. 8, a num. 71. Et confiteri uni, et eidem sacerdoti. Ibi. num. 72. In confessione peccatorum opus est explicare actum externum. Ibi. n. 73. An etiam effectum talis actus. Ibi. Quæ sit species primaria in peccato. Ibi. num. 75. Radix distinctionis numericæ inter peccata. Ibi. num. 77, et seq. Quando discontinuatur unitas numerica peccati. Ibi. num. 78. An duratio, seu continuatio actus peccaminosi debeat in confessione explicari. Disp. 8, num. 101. Consuetudo peccandi. Ibi. num. 125. Peccatum ex ignorantia. Ibi. num. 128. Actus consummatus peccati debet in confessione explicari. Ibi. n. 129. Multiplicatio peccatorum in eodem actu furandi. Ibi. n. 131. In actu odii, vel occisionis. Ibi. n. 132. In proferendo contumeliam, in detrahendo, et temere judicando. Ibi. a n. 133. In peccato jactantiæ. Ib. n. 136. In consulente peccatum. Ibi. n. 137. In conjunctorum odio, n. 138. Peccata contra naturam. Ibi. n. 139. Inter cognatos. Ibi. a num. 140. In non corrigente subditos.

Ibi. n. 147. Speciale peccatum incitandi positive alium ad peccandum. Disp. 8, n. 159. Peccata dubia dubio negativo, aut levi fundamento non sunt necessario confitenda. Disp. 8, n. 177. Certus de peccato, et dubius de confessione debet illud confiteri. Ibi. n. 178. Qui dubitat, an peccaverit moraliter, tenetur illud peccatum confiteri. Ibi. n. 184. Peccatum mortale confessum ut dubium debet iterum confiteri, ubi cognoscitur certum. Ibi. 203. Quid si aliquis confiteatur decem peccata plus minusve, si postea cognoscat numerum certum. Ibi. n. 206. Peccata in una confessione inculpabiliter oblita debent in alia explicari. Ibi. n. 207. Et quando debeant confiteri. Ibi. n. 212. Quale peccatum sit manifestare alicui intra vel extra confessionem absque necessitate occultum proximi peccatum. Disp. 8, n. 224. Quando opus sit in confessione explicare, quæ peccata sint jam confessa, et quæ non? Disp. 8, n. 247. Peccat mortaliter, qui confessionem facit ex fine venialiter malo. Disp. 8, n. 258. Unde agnoscenda sit gravitas, aut levitas peccati. Disp. 9, n. 98. Qualiter Deus occultet peccata clavibus subjecta. Disp. 13, n. 13. Omissio rei exiguæ, sine qua finis magni momenti obtineri non potest, est lethale peccatum. Disp. 11, n.13. Quo pacto licitum sit uti peccato alterius in proprium bonum. Disp. 12, num. 79. Volitio indirecta objecti peccaminosi an sit peccatum? Disp. 8, n. 293, et n. 309. Quæ advertentia requiratur ad peccatum lethale. Ibi. n. 313. Peccatum Angeli ex qua inadvertentia processerit. Ibi.

PERSEVERANTIA. Unus, et idem actus potest perseverare vel formaliter, vel virtualiter, vel habitualiter. Disp. 7, n. 115. Sufficit, intentionem, consensum, dolorem, et similia perseverare virtualiter ad valorem eorum, pro quibus requiruntur. Ibi. 121, et seq.

PESTIS. Quomodo in contagio pestis possit ministrari sacramentum pœnitentiæ? Disp. 8, n. 215.

PŒNA. Pœna inferni potest terminare timorem naturalem, sed magis supernaturalem. Disp. 7, n. 43. An pœnæ Ecclesiasticæ comprehendant pueros, et impuberes. Disp. 8, n. 42. Pœna æterna damni, et sensus sequitur ad quodlibet peccatum lethale. Disp. 10, num. 6. Pœnæ temporalis reatus, quo pacto sequatur ad peccatum? Ibi. n. 7. Qualiter persistat, vel deficiat? Ibi. num. 9, et seq. Pœna temporalis debita pro peccatis non est determinate pœna Purgatorii. Ibi. num. 18 et 19. Debitum subeundi pœnam qualiter dicatur personale? Ibi. n. 33.

PŒNITENTIA. In sacramento pœnitentiæ distinguenda est duplex elevatio, alia pœnitentis ad eliciendum actus; alia ipsorum actuum ad efficiendum gratiam. In Comm. ad art. 1, qu. 90, num. 2. In eodem distingui debent tres partes ex parte materiæ. In Comm. ad art. 4. qu. 90, n. 1. Divisio pœnitentiæ virtutis in pœnitentiam ante baptismum, mortalium, et venialium. Ibi. a n. 2. Aliquis dolor essentialiter requiritur ad valorem sacramenti pœnitentiæ. Disp. 7, num. 2. Non requiritur contritio, sed sufficit attritio. Ibi. n. 9. Sacramentum pœnitentiæ est sacramentum mortuorum, et non supponit per se vitam gratiæ. Ibi. n. 11. Sacramentum pœnitentiæ antequam sit, non influit per contritionem cum voto ipsius pœnitentiæ. Ibi. n. 18. Ad valorem sacramenti pœnitentiæ requiritur attritio supernaturalis. Disp. 7, n. 19. Sufficit attritio supernaturalis inefficax, ut sit sacramenti pars. Ibi. n. 23. Ad fructum hujus sacramenti, et influendum per modum dispositionis attritio efficax necessaria est. Ibi. num. 26, et seq. In eodem sacramento duæ attritiones, una per modum partis, et alia per modum dispositionis. Ibi. n. 29. Major dolor, et labor requiritur in sacramento pœnitentiæ, quam in Baptismo. Disp. 7, n. 50. An sententia docens contritionem esse necessariam pro sacramento pœnitentiæ, sit condemnata ab Ecclesia? Ibi n. 51, et 54. Vide *Attritio*. An hic actus: Doleo quod non doleam de peccatis, sufficiat in ratione doloris ad sacramentum pœnitentiæ? Disp. 7, n. 67. An pœnitentia peccatorum debeat esse summa intensive. Disp. 7, n. 74. Quæ doloris extensio ad peccata requiratur in sacramento pœnitentiæ? Ibi. n. 78 et seq. An peccet, qui confitetur cum dolore ex motivo particulari? Ibi. n. 80. Ubi sacramentum pœnitentiæ non esset, ipse peccator pœnitens deberet esse judex, et medicus. Disp. 7, num. 86. Quæ peccata sint materia doloris pœnitentis ad pœnitentiam. Disp. 7, n. 88. Pœni-

tentia Sanctorum post peccata sibi remissa. Ibi. n. 98, et 101. An, et quomodo pœnitens debeat respondere interrogationibus confessarii? Disp. 8, num. 102 et seq. et num. 126. In peccatis odii solent addi circumstantiæ specie distinctæ. Ibi. n. 138, et in peccatis carnis attendendo ad personam, cum qua committuntur. Ibi. n. 139. Plura peccata ex circumstantia loci sacri sunt sacrilegia independenter ab ordinatione Ecclesiæ. Ibi. n. 152. Nullum mortale post baptismum, sive certum, sive dubium remittitur absque sacramento pœnitentiæ in re, vel in voto. Disp. 8, n. 191. An pœnitens teneatur confiteri peccatum, ex quo confessarius cognoscat complicem. Disp. 8, a n. 219. Pœnitens in confessione generali debet explicare, quæ ex peccatis sint jam confessa, et quæ non sint confessa. Disp. 8, n. 247. Et si circa id inquiratur a confessario, tenetur directe respondere. Ibi. n. 250. Potest dari sacramentum pœnitentiæ validum, et informe. Disp. 8, num. 265. Vide *Confessio.*

POLLUTIO. Cur pollutio voluntaria prohibita sit in omni eventu? Disp. 9, n. 20.

M. PONCE. Immerito impugnavit doctrinam de timore servili, quam tract. de spe tradidimus. Disp. 8, n. 296, et seq.

POTESTAS CLAVIUM. Unde efficaciter probetur? Disp. 8, n. 3, et seq. et disp. 12, n. 9 et seq. Quid sit? Disp. 12, n. 1 et seq. Est vera, et realis potestas spiritualis. Ibi. n. 20. Addit modum exensionis supra characterem sacerdotis, et ab eo separabilis est. Disp. 12, n. 4. Qualiter pendeat a jurisdictione? Ibi. n. 5. Quo pacto refert, vel occludat Cœlorum januam. Ibi. n. 6 et 18. Quid nomine potestatis clavium intelligant hæretici? Ibi. n. 14, et seq. Quæ dicatur clavis David? Ibi. num. 24. Quæ sit clavis inferni? Ibi. n. 19. Quot sint Ecclesiæ claves, et qualiter distinguantur? Ibi. num. 21 et 23. Quid sit clavis scientiæ, et quando conferatur sacerdoti. Ibi. n. 26. An quælibet divina persona habeat distinctas claves? Disp. 12, n. 30. Quo pacto potestas jurisdictionis dicatur clavis? Ibi. n. 31. An sacerdotes legis naturalis et scriptæ clavium potestatem obtinuerint? Ibi. n. 33. Potestas clavium, et sacerdotalis non convertuntur. Ibi. num. 34. Clavium potestas residet in omnibus sacerdotibus legis gratiæ, etiam hæreticis, degradatis, schismaticis, et excommunicatis. Ibi. n. 37. Non tamen habent illius usum. Ibidem.

PRÆCEPTUM. Multa sunt ex divina institutione, quæ non cadunt sub præcepto divino. Disp. 8, n. 2. Præceptum divinum de confessione sacramentali. Ibi. num. 3. Præceptum Ecclesiasticum de eadem confessione. Ibi. num. 21 et 24. Præceptum annuæ confessionis est simpliciter humanum. Ibi. n. 24. Ecclesia potest abrogare præceptum annuæ confessionis, et in illo dispensare. Ibi. n. 27. Si non supponeretur præceptum divinum de confessione, non posset Ecclesia annuam confessionem præcipere. Disp. 8, n. 29. Ad quas personas extendatur annuæ confessionis præceptum? Ibi. n. 35. Comprehendit hæreticos, et apostatas. Ibi. Et publicas meretrices. Ibi. n. 37. An Summum Pontificem? Ibi num. 38. An pueros, et in qua ætate? Ibi num. 45. An senes octogenarios? Ibi num. 43. Præceptum annuæ confessionis solum obligat conscios peccati mortalis non confessi. Ibi n. 44. Fideles non habentes conscientiam peccati mortalis non obligantur ad comparendum coram Parocho. Ibi n. 45. Quomodo computandus annus ad satisfaciendum præcepto annuæ confessionis. Disput. 8, a num. 46. An una confessione possit satisfieri præcepto anni antecedentis, et præcepto anni sequentis? Ibi numero 49. Quid dicendum de eo, qui post confessionem incidit in novum peccatum mortale ante finem anni? Ibi n. 50. Quid de illo, qui post confessionem peractam recordatur alicujus mortalis nondum confessi. Ibi n. 51. Plures alii casus ad idem pertinentes. Ibi n. 53. An qui prævidet fore ut postea non possit adimplere confessionis annuæ præceptum, teneatur illam præmittere. Ibi n. 54. Quid de eo, qui prævidet se in articulo mortis non habiturum copiam confessarii; vel non habiturum memoriam peccatorum? Ibi n. 55. Huic præcepto satisfit per omnem confessionem validam, licet informem. Ibi n. 56. Non tamen per confessionem voluntarie nullam, sive sacrilegam. Ibi n. 57. Similitudo inter præceptum confessionis annuæ, et præceptum annuæ communionis. Ibi n. 59. Non satisfit huic præcepto per confessionem ob culpam occultam, et voluntarie nullam. Ibi n. 60. Qui sic confitetur, incurrit pœnas Ecclesiasticas positas contra

non confitentes. Ibi n. 63. Per confessionem nullam sine culpa pœnitentis, sed aliunde, non satisfit præcepto annuæ confessionis, Ibi n. 64. Causæ excusantes ab annua confessione. Disp. 8, n. 65, cum seq. Præceptum non obligat ad assecutionem finis, sed ad exhibitionem operis præcepti. Disp. 11, n. 62. Ex quibus capitibus vim obligandi amittat, vel conservet? Disp. 9, n. 20 et 26. Quæ præcepta negativa obligent semper, et pro semper. Disp. 9, n. 25.

PRÆLATI. Prælati nostri Ordinis possunt sub præcepto formali constringere ad confitendum Religiosum illum, qui per tres aut quatuor menses ad pœnitentiam non accessit. Disp. 8, n. 13 et 320.

PROPOSITIO. Aliquæ propositiones condemnatæ ab Alexandro VIII. In Comm. ad art. 2, q. 9, n. 4. An ista sit vera: *Confessio est Sacramentum Pœnitentiæ.* In Comm. ad art. 3, q. 90, n. 2. Aliæ propositiones damnatæ a Pio V. Disp. 7, n. 13. Aliæ. Ibi n. 15. Alia n. 21. Alia nu. 45. Aliæ n. 51. Aliæ n. 130. Aliæ damnatæ ab Alexandro VII et Innocentio XI. Disp. 8, n. 55 et 56, et 59. Alia damnata ab Innocentio XI. Disp. 8, n. 105. Aliæ ab eodem damnatæ. Disp. 8, nu. 126. Alia ab Alexandro VII. Ibi n. 130. Aliæ ab Innocentio XI. Disp. 8, n. 181. Alia ab Alexandro VII. Disp. 8, nu. 207. Aliæ ab Innocentio XI. Disp. 8, n. 217. Alia ab eodem. Ibi n. 246. Aliæ n. 251. Alia disp. 10, n. 14. Aliæ disp. 8, n. 315. Alia Disp. 11, n. 32. Alia. Ibi n. 48. Alia. Disp. 12, n. 79. Alia. Ibi 83. Alia. Ibi n. 106.

PROPOSITUM. Propositum vitandi venialia pro eorum confessione requisitum, disp. 7, n. 143. An possit dari verum propositum vitandi omnia venialia? Ibi num. 144. An propositum ex unico motivo vitandi omnia peccata cesset per unius venialis commissionem? Ibi nu. 146, cum seq. An ex patratione alicujus mortalis? Ibi n. 194.

PRUDENTIA. Nequit imperare, aut dirigere actum ex aliquo capite malum. Disp. 8, n. 257.

PUERI. Obligantur præcepto annuæ confessionis, et in quo anno. Disp. 8, n. 41. An ab eo tempore obligentur ad communionem, et ad pœnas non confitentibus impositas? Ibi n. 42.

PURGATORIUM. Animæ in Purgatorio existentes non satisfaciunt, sed satispatiuntur. Disp. 10, nu. 48. An possit pœnitens omittere satisfactionem sacramentalem in hac vita, animo solvendi pœnam debitam in Purgatorio? Disp. 21, num. 22.

Q.

QUALITAS. Quomodo fiat intensio, et extensio qualitatum. Disp. 7, num. 70.

R.

RAPINA. Est speciale peccatum, et ejus distinctio a furto. Disp. 8, num. 169.

RAPTUS. Quale peccatum speciale sit in genere luxuriæ. Disp. 8, num. 169.

REATUS. Reatus ad pœnam æternam non distinguitur realiter a macula, et illa ablata nequit non auferri. Disp. 7, n. 14 et 15.

RELIGIOSI. An religiosi possint obligari ad confitendum peccata venialia? Disp. 8, n. 31. An ad confitendum Prælato peccata jam alias aliis confessa? Ibi num. 32. An in confessione peccati incontinentiæ debeant explicare votum solemne, aut statum? Disp. 9, num. 111. An in peccatis delectationis morosæ? Ibi n. 112. An si peccat cum persona ligata voto castitatis, debeat votum ex utraque parte explicari? Ibi numero 113. Religiosi nostri Ordinis nequeunt confiteri simplici Sacerdoti ejusdem Ordinis. Disp. 12, num. 74. Possunt tamen, dum itinerantur, confiteri sacerdoti simplici sæculari, vel alterius Ordinis. Ibidem.

RESERVATIO. An possint confiteri peccata non reservata, tacendo reservata, et e converso. Disp. 8, num. 218. Reservatio peccatorum cur fiat? Disp. 11, num. 71.

RESTITUTIO. Aliquando non obligat ob impossibilitatem per se loquendo illam faciendi. Disp. 8, n. 225.

RESTRICTIO. Restrictio, quæ non est pure mentalis, an sit prohibita? Disp. 9, num. 31.

S.

SABBATHUM. Quæ exigebantur in sanctificatione Sabbathi apud Judæos? Disp. 8. n. 173.

SACERDOS. Sacerdotes habent a Christo veram potestatem absolvendi a peccatis. Disp. 8, num. 3. Ad absolvendum a peccatis invincibiliter oblitis in aliis confessionibus non sufficit simplex sacerdos. Disp. 8. num. 208.

SACRAMENTUM. Sacramenta novæ legis constant rebus, et verbis, sicut ex materia, et forma. In Comm. ad art. 1, qu. 90. Fieri potest, quod Sacramenta mortuorum non producant primam gratiam, sed ejus augmentum, et quod Sacramenta vivorum producant non augmentum, sed primam gratiam. Disp. 7, num. 4. In usu Sacramentorum tenemur sequi tutiorem sententiam. Disp. 7, num. 52. Quæ sententia in hac parte dicatur tutior? Ibi num. 54. Eadem materia remota potest servire pluribus Sacramentis, si multiplicetur proxima. Disp. 7, numero 98 et 101. Differentia inter judicium forense, et spirituale Sacramenti Pœnitentiæ judicium. Ibi num. 100. Quæ præsentia, et coexistentia requiratur inter materiam, et formam Sacramentorum. Disp. 7, num. 113. In conficiendis Sacramentis nec ministris, nec suscipientibus licet sequi opinionem probabiiem, relicta tutiori. Ibi num. 131 et disp. 3, numero 258. Potest dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, et informe. Ibi numero 265. Recta administratio Sacramentorum est de jure divino. Disp. 9, num. 12. Qui ordo servetur inter constitutionem Sacramenti, elevationem ad rationem instrumenti, et influxum in gratiam. Disp. 8, numero 268. Ministrare Sacramenta cum periculo nullitatis est grave sacrilegium. Disp. 12, num. 83. Qualiter Sacramentum suspendatur ab actuali gratiæ productione. Disp. 8, num. 304. Sacramentum Pœnitentiæ an recedente fictione causet gratiam? Ibi n. 310 et seq.

SACRILEGIUM. Circumstantia sacrilegii ex peccatis in loco sacro. Disp. 8, a n. 148 et n. 163.

SANCTI. Se exercebant in pœnitentia post peccata sibi certo remissa. Disp. 7, n. 98 et 101.

SATISFACTIO SECUNDUM SE. Quid sit? Disp. 10, num. 30. Ejus etymologia. Ibi num. 2. Multiplex illius divisio. Ibi num. 3. Qualiter Christus pro hominibus satisfecerit? Ibi numero 10. Potest purus homo gratia exornatus satisfacere de condigno pro pœna temporali debita proprio peccato. Ibi. num. 12, et seq. Satisfactio nostra non est ex rigorosa justitia. Disp. 10, num. 16. Justus potest de condigno satisfacere pro pœna temporali peccati alterius. Ibi. num. 24. Satisfactio unius justi pro pœna alterius infallibiliter acceptatur a Deo, etiamsi ille alter potens sit ut per se ipsum satisfaciat. Ibi. num. 34 et 35. Nequit tamen eodem actu, et pro se, et pro alio satisfacere. Ibi. num. 37. Ut reus fiat immunis a debito, non sufficit quod alter offerat pro illo satisfacere, sed opus est ut de facto satisfaciat. Disp. 10, num. 39. Minoris pœnæ assumptio sufficit ad satisfaciendum pro alio, quam ad satisfaciendum pro se. Ibi. num. 40. Ad satisfactionem requiritur libertas. Ibi. n. 41. Qualiter flagella, quibus a Deo punimur, sint satisfactoria pro peccatis? Ibi num. 43. Quo pacto satisfactio distingatur a satispassione. Ibi. num. 44. Exposcit bonitatem moralem in actu satisfaciendi. Disp. 10, num. 45. Etiam statum viæ, et gratiæ. Ibi. num. 47 et 49. Requiritur intentionem satisfaciendi. Ibi. num. 54. Sufficit tamen virtualis intentio. Ibi. num. 55. Requiritur opus esse pœnale, ut sit satisfactorium. Ibi. num. 58. Opera magis pœnalia ex parte operis sunt magis satisfactoria, non autem ex parte operandis. Ibi. num. 59. Actus cadens sub præcepto est satisfactorium. Ibi. num. 60, et seq. Ex acceptatione Dei sunt opera nostra satisfactoria ad æqualitatem. Disp. 10, n. 63. Quo pacto possibile sit satisfacere pro uno peccato, et non pro alio? Ibi. num. 64. Per exhitionem pœnitentiæ in statu peccati adimpletur præceptum sacerdotis, non tamen satisfit Deo. Disp. 10, n. 65. Opus extra charitatem factum non fit satisfactorium adventu charitatis, num. 66 et seq. Ad satisfactionem requiritur pactum, vel promissio acceptandi ex parte Dei, n. 69.

SATISFACTIO SACRAMENTALIS. Quo sensu sit vera pars sacramenti pœnitentiæ. In Comm. ad art. 2, quæst. 90, num. 3. Non est necessarium exequi satisfactionem, antequam pœnitens absolvatur. Ibi. n. 4. Potest quis satisfacere pro alienis peccatis, sed non potest pœnitere. Disp. 7, num. 95. Satisfactiones majores olim imponebantur ex majore ipsorum pœnitentium fervore. Disp. 8, num. 96. Satisfactionis sacramen-

talis essentia. Disp. 11, num. 1. Potest, et debet sacerdos eam injungere pœnitenti. Ibi. num. 2 et 3. In quo casu excusetur ab ejus injunctione. Ibi. num. 5. Non excusatur ubi credit pœnitentem ante confessionem satisfecisse, nec ubi pœnitens nullam acceptare vult. Ibi. num. 6 et 7. Quid dicendum ubi scrupulosus semel absolutus iterum redit ad absolutionem? Disp. 11, num. 8. Quid tempore Jubilæi? Ibi. n. 9. Tenetur sacerdos sub gravi obligatione injungere satisfactionem pro mortalibus. Ibi. n. 10. Sub levi tamen ad illius injunctionem pro venialibus, et lethalibus jam confessis. Ibi. num. 11. Ad quæ dirigatur satisfactionis injunctio. Ibi. Non delinquit graviter pœnitens, qui omittit levem satisfactionem. Ibidem. Potest sacerdos cogere pœnitentem ad acceptandam satisfactionem, et pœnitens ad acceptationem tenetur. Disp. 11, num. 14 et seq. Unde hæc obligatio oriatur. Ibi. num. 20. Quod peccata committat, qui omittit satisfactionem sacramentalem? Ibi. num. 21. Qui non vult acceptare pœnitentiam rationabiliter injunctam, non censetur recte dispositus ad absolutionem. Ibi. num. 22. Nequit sacerdos obligare pœnitentem ad satisfactionem improportionatam, et excessivam. Ibi. num. 23. Quonam modo sit proportionanda culpis, et fragilitati pœnitentis. Ibidem, et num. 24. Non tenetur pœnitens sub gravi obligatione ad acceptandam levem pœnitentiam pro venialibus. Ibi. num. 25 et seq. Tenetur graviter ad acceptandam gravem satisfactionem justis de causis impositam pro venialibus. Disp. 11, n. 28. Unde hæc obligatio proveniat. Ibi. n. 29 et 30. An possit pœnitens ante absolutionem declinare sacerdotem, cum quo confessionem inchoaverat, et alium audire, qui benigniorem pœnitentiam injungat? Ibi. num. 31. Quando satisfactio injungenda sit, an ante, vel post absolutionem? Ibi. num. 32. Quæ opera possint injungi ad satisfactionem? Ibi. num. 33 et seq. Potest sacerdos injungere in pœnitentiam opera debita ex præcepto. Ibidem, et disp. 10, num. 63. An injungi valeat pœnitentia publica pro peccatis publicis? Disput. 9, num. 23. Quid de usu injungendi publicas pœnitentias initio Ecclesiæ? Ibidem. An satisfactio imponi debeat præceptive, vel possit relinqui ad arbitrium pœnitentis? Disp. 11, num. 37. An possit conditionate? Ibi. num. 28. Prudentia sacerdotis commendatur in injungendis satisfactionibus. Ibi. num. 37. Adimpletur præceptum sacerdotis exhibendo satisfactionem in statu peccati. Ibi. num. 39, disp. 10, num. 65. Differre pœnitentiam per annum est grave peccatum. Disp. 11, num. 42. Secus vero si per modicum tempus id fiat. Ibi. num. 43. An omittere pœnitentiam die a sacerdote præfixo sit peccatum? Ibi. num. 44. An elapso culpabiliter, vel inculpabiliter termino designato cesset obligatio adimplendi pœnitentiam? Ibi. num. 45 et seq. Nequit pœnitens proprio arbitrio substituere alium, qui satisfactionem sacramentalem pro se adimpleat. Ibi. num. 48. Id tamen potest ex sacerdotis arbitrio. Ibi. num. 50. Excusatur pœnitens a satisfactionis adimpletione per impotentiam physicam, vel moralem. Disp. 11, num. 72. Quando hujusmodi impotentiæ adsint? Ibidem. An qui obliviscitur pœnitentiæ, censeatur impotens ad illius adimpletionem? Ibi. num. 73, et seq. An impotens ad totam teneatur ad partem, quam potest? Ibi. num. 75. Per quam irritationem satisfactionis excusetur pœnitens ab ejus exhibitione? Ibi. n. 76. Nemo dispensare potest in satisfactione sacramentali. Disp. 11, num. 77. Per Jubilæum, aut indulgentias excusatur pœnitens a satisfactione ut punitiva delicti. Ibi. n. 78. Non tamen ut medicinali. Ibi. num. 79. Non excusatur pœnitens a satisfactione sibi injuncta exhibendo proprio arbitrio alia opera satisfactoria extra sacramentaliter. Ibi. num. 82 et seq. Satisfactio non solum obligat ut punitiva, sed etiam quatenus medicinalis. Disp. 11, num. 86. Quos effectus inducat ex opere operato? Disput. 11, dub. 5. Remittit pœnam temporalem ex opere operato. Ibi. n. 88. Importat auxilia ad præcavenda futura peccata. Ibi. n. 90. Non auget gratiam habitualem. Ibi. n. 91. In quo effectu distinguatur satisfactio sacramentalis a non sacramentali? Ibi. n. 100. Quamvis sacerdos injungat satisfactionem suo arbitrio omnino proportionatam culpis, non remittit totam pœnam debitam, si coram Deo non est omnino proportionata. Disp. 11, num. 101 et seq. An satisfactio sacramentalis consequatur effectum recedente fictione? Ibi. num. 104 et seq.

SCANDALUM. Quando circumstantia

scandali debeat in confessione explicari. Disp. 8, num. 159. Differentia hujus peccati. Ibi. num. 158.

SENES. An valde senes obligentur ad confessionem annuam? Disp. 8, num. 43.

SENTENTIA. Tenet sententia judicis illegitimi, communiter, et publice existimati legitimi. Disput. 12, numero 80.

SIGILLUM. A quo dictum? Disput. 9, num. 1. Quid sit sigillum sacramentale? Ibi. num. 2. Quo pacto sit de essentia sacramenti? Ibi. num. 3. Qualiter oriatur ex jure naturæ. Ibi. num. 4 et seq. Non obligat ex solo jure Ecclesiastico, nec in eo valet Pontifex dispensare. Ibi. num. 9. Obligat ex jure divino. Ibi. num. 11. Quem finem respiciat? Ibi. Qualiter ejus observatio spectet ad rectam sacramenti administrationem? Disp. 9, num. 12. Qui contrahant ejus obligationem? Ibi. num. 15. Obligat ex jure divino naturali, et ex divino positivo. Ibi. num. 16. An qui revelat confessionem, mentiatur? Ibi. num. 17 et 30. Sigillum obligat in omni eventu etiam cum dispendio propriæ vitæ, et boni communis. Disp. 9, n. 19 et seq. Non licet revelare sigillum ob integritatem confessionis servandam. Ibi. num. 27. Potest sacerdos jurare se nescire, quæ audivit in confessione, et cur? Ibi. num. 31. Revelare confessionem indirecte est contra sigillum. Disp. 9, num. 33. An contrahat obligationem sigilli ille, cui de licentia pœnitentis revelatur confessio? Ibi. n. 59. Vinculum sigilli oritur ex sola, et omni confessione sacramentali, sive absolutione perficiatur, sive non. Ibi. num. 65 et seq. Non oritur ex confessionne facta animo decipiendi ministrum. Ibi. num. 67. Nec ex confessione accedentis ad sacerdotem non tam animo confitendi, quam secretum aliquod commendandi. Ibi. num. 68. Oritur ex confessione facta fingenti se sacerdotem. Disp. 9, num. 69. Et ex facta laico cum ignorantia invincibili, quod in absentia sacerdotis possit absolvere. Ibi. n. 70. Pœnitens an teneatur ad sigillum? Ibi. num. 73. Quid de interprete? Ibi. n. 74. Quid de consiliario? Ibi. num. 77. Quid de Prælato, cui revelatur confessio, ut concedat facultatem absolvendi a reservatis? Disp. 9, num. 79. Sigillo ligatur quicumque vel actu, vel casu, vel ex necessitate confessionem audit. Ibi. num. 80. Sub sigillo cadunt omnia peccata tam lethalia, quam venialia quoad numerum, species, et circumstantias. Ibi. num. 81. Non tamen venialia sumpta in genere. Ibi. n. 82. Quid de peccatis publicis? Ibi. n. 87. Quid de peccato futuro? Ibi. num. 84. Indirecte cadunt sub sigillo omnes defectus pœnitentis, qui ratione peccati manifestantur in confessione. Ibi. n. 85. Cadunt etiam omnia ea, per quæ peccatum, et peccator deprehendi possunt. Ibi. num. 86. Qualiter sacerdos respondere debeat, ubi interrogatur an talem pœnitentem absolverit? Disp. 9, num. 88. Quo pacto sacerdos loqui valeat de peccatis in tali civitate, oppido, aut Religione sibi confessis, non detegendo personam. Ibi. num. 89. An virtutes, et alia dona cadant sub sigillo? Ibi. num. 90. Quid de scrupulis? Ibi. num. 91. Quot, et quæ peccata committantur in violatione sigilli? Disp. 9, dub. 7. Materiæ parvitatem non admittit. Ibi. num. 99. Quas pœnas incurrat violator sigilli? Ibi. num. 102.

SODOMIA. Commissa cum masculo est diversæ rationis ac commissa cum fœmina, et debet in confessione explicari. Disp. 8, num. 104 et 134. Circumstantiæ explicandæ in hoc peccato. Ibi. num. 139.

SPECIES. Species peccatorum in confessione explicandæ. Disp. 8, num. 73. Quæ species sit primaria in peccato? Ibi. num. 75. Qualiter consideranda eorum distinctio? Ibi. num. 76. Circumstantiæ variantes speciem peccati, aut non variantes. Vide *Circumstantia*. Speciem peccati non variant diversarum bestiarum species. Disp. 8, num. 104. An idem dicendum de sodomia cum masculo, et cum fœmina? Ibi.

SPONSUS. An sponsus, vel sponsa, si fornicentur cum alia persona, debeant suum statum manifestare in confessione? Disp. 8, n. 115.

STUPRUM. In quo consistat malitia hujus peccati? Disp. 8, num. 116.

SUPERNATURALIA. Quibus modis contingat aliquid esse, aut dici supernaturale? Disp. 7, num. 7. Supernaturale quoad substantiam, et supernaturale quoad modum. Ibi. et num. 21. Magis cognoscibilis est operationis supernaturalitas, quam efficacia. Disp. 7, num. 25. An omnia supernaturalia cognosci possint lumine naturali? Disp. 9, num. 6 et 7.

T.

TEMPLUM. Reverentia templis debita, et contra ea sacrilegia. Disp. 8, num. 150. Vide *Locus*. Templorum immunitas, et peccata contra illam. Disp. 8, num. 155.

TEMPUS. An varietur species peccati ex tempore, in quo committitur. Disp. 8, n. 172.

TIMOR. Quid sit timor, et multiplex ejus divisio. Disp. 7, num. 32. Timor servilis est actus honestus, et multum conferens ad salutem. Ibi. num. 33. Impedit peccata non solum externa, sed etiam interna. Ibi. num. 34. Non pluris facit pœnam, quam culpam, nec retinet affectum conditionatum ad objectum peccaminosum. Ibi. num. 35 et seq. Non omnia, quæ timore fiunt, sunt involuntaria secundum se, nec terminant simplicem nolitionem. Ibi. num. 37. Differentia inter timorem carnalem, et honestum. Ibi. num. 46. Datur timor servilis efficax excludens omnem actualem voluntatem peccandi. Ibi. et a num. 47. Timor servilis an habeat servilitatem objectivam, et formalem? Disp. 8, n. 296 et seq. Duplex est servilitas objectiva. Ibi. n. 298.

V.

VENIALIA. Qualis dolor requiratur ad remissionem peccatorum venialium in sacramento pœnitentiæ? Disp. 7, num. 68. Peccata venialia sunt materia sufficiens sacramenti pœnitentiæ. Disp. 7, num. 88, et num. 130. Non consistunt in solo reatu ad pœnam, et manente reatu ad pœnam possunt remitti quantum ad culpam. Ibi. num. 89. Principales differentiæ venialium a mortalibus. Disp. 7, num. 126. Modus remissionis eorum, et forma, per quam expelluntur. Ibi. num. 127. Ad eorum remissionem præsupponitur gratia sanctificans. Ibi. num. 128. Radix ut quælam remittantur aliis non remissis. Ibi. n. 129. Pro remissione venialium in sacramento pœnitentiæ non sufficit simplex dislicentia, sed requiritur verus dolor. Ibi. num. 130. Confiteri sola venialia absque dolore illorum, est peccatum mortale. Disp. 7, num. 133. Quid si alia cum dolore, et alia sine illo? Ibi. num. 135 et seq. Cur confiteri unum veniale sine dolore cum aliis, de quibus pœnitens dolet, non sit peccatum mortale; et apponere unam hostiam non triticeam inter alias conserandas, mortale sit? Ibi. num. 137. Qui aliqua venialia confitetur sine dolore, non tenetur id exponere confessario. Ibi. num. 140. An quod pœnitens imponat sibi aliquod veniale, quod non fecit, sit peccatum mortale? Ibi. num. 141. Pro venialium confessione requiritur propositum illa vitandi. Disp. 7, a num. 143. An possimus concipere verum propositum vitandi omnia venialia, cum omnia vitare non possimus? Ibi. n. 144. Non est validum votum vitandi omnia venialia. Ibi. n. 145. An propositum vitandi omnia venialia innitens uni motivo irritetur, ubi quis venialiter peccat? Ibi. n. 148. An confessio venialium possit cadere sub Ecclesiæ præcepto? Disp. 8, n. 30. An confessio venialium cum simplici sacerdote sit nulla? Disp. 12, num. 73 et seq.

VERECUNDIA. Verecundia in confitendo peccata multis bonis compensatur. Disp. 8, num. 19. Summa verecundia in explicando peccata non excusat ab integritate materiali confessionis. Disp. 8, num. 256.

VERBUM. Verba prolata absque usu rationis non sunt formaliter verba. Disp. 7, a num. 109.

UBI. Quæ circumstantia sit in peccatis, et quando inducat speciem sacrilegii? Disp. 8, num. 148.

UNITAS. Unitas et distinctio numerica peccatorum. Disp. 8, a num. 77.

VIRGINITAS. An circumstantia amissæ virginitatis debeat in confessione explicari? Disp. 8, a n. 116. Virgo si inconsultis parentibus nubat, peccat mortaliter. Ibi. n. 119.

VIRTUS. An sit virtus divina elevans multipliciter in partibus sacramenti. In Comm. ad art. 1, quæst. 90, num. 2.

VOLUNTAS. Non omnia, quæ ex metu fiunt, sunt secundum se involuntaria. Disp. 7, num. 37. Voluntas peccandi potest excludi per aliquam attritionem. Disp. 7, n. 45.

VOTUM. An sit validum votum vitandi omnia venialia? Disp. 7, num. 145. An votum solemne castitatis differat specie a simplici, et debeat ab incontinenti in confessione explicari? Disp. 8, num. 111. Ligatus voto, qui alios inducit ad turpia, agit contra castitatem, et debet in confessione illius peccati explicare votum. Ibi. n. 112. Ligatus eo voto si agat turpiter cum persona habente simile votum, debet utrumque aperire in confessione. Ibi. num. 113. In violatione voti juramento firmati sunt duæ malitiæ specie diversæ. Ibi. num. 147.

LAUS DEO

BRUXELLIS. — TYPIS A. VROMANT.

BX 2586
1751
S2 Collegii
1870 Salmanticensis /
v.20

BX 2586
1751
S2 Collegii
1870 Salmanticensis /
v.20

Flora Lamson Hewlett Library
Graduate Theological Union
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709

DEMCO

GTU Library
BX 1751 S2 1870 G
Salamanca. Collegiu/Collegii Salmanticen
3 2400 00170 6641

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall
LIBRARY USE ONLY